A 392

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
34 M
16

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

IOANNIS-HIERONYMI SOPRANIS GENVENSIS E' SOCIETATE IESV,

IN DAVIDEM COMMENTARIVS

Complectens ex primo & ſecundo libro Regum fortunatam Dauidici Regni partem,

Unà cum Digreſſionibus

De Re veſtiaria Hebræorum, de Funeribus, & de publico, & priuato eorumdem Luctu.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO PRINCIPI

ANTONIO CARD. BARBERINO

LEGATO A LATERE,

Fabius-Ambroſius Spinula Societatis IESV *F.*

POSTHVMVS hic fœtus Ioannis Hieronymi Sopranis, viri è noſtra Societate eruditiſsimi, ſub idem ferè tempus conceptus, quo Tu altrice Sapientia ad orbis terrarum commoda in Romano Collegio feliciter adoleſcebas; ad cuius patrocinium confugeret aptiùs, quàm ad tuum, PRINCEPS EMINENTISSIME, ſiue argumentum operis intuearis, ſiue Te ſpectes, ſiue noſtra. Dauidem ille exhibet, hoc eſt, non modò dulcem, vt loquitur Nyſſenus [a], in huius vitæ itineribus comitem, aptúmque cunctis ætatibus Ducem; ſed Idæam Regum abſolutiſſimam, nec ſine diuini prouidentia Numinis, in ſerie Principum, ſuaui quadam temperatione felicitatis, ac manſuetudinis longè primum. Vides hîc ſtatim, vt opi-

[a] *Orat. in diem Aſcenſ.*

nor, tuarum lineamenta virtutum, qui felicitatem ita cum facilitate ſocias, vt de amplitudine dignitas cum humanitate contendat. Hoc videlicet pollicebatur auguſtus Apum tuarum Triumuiratus; regnans ille quidem, ſed ad ſubiectos populos, depoſito ſeueritatis aculeo, manſuetudinis melle recreandos. Quòd ſi paulò diligentiùs oculos conieceris in Dauidem, non leuem agnoſces in tanto Heroë imaginem tui. Adoleſcens inungitur à Propheta diuinóque munere vocatus ad ſceptrum ſeniles ſpiritus concipit & Principi & Regi pares. Floridioris Tu adhuc ætatis idoneus cenſeris Imperio, dum ad illam adaptaris purpuram, quæ mirum quantum inſtar habet Regiæ dignitatis. Miſſus à Parente Dauid ad Caſtra, dum turbatam Hebræorum rem feliciter componit, an non ſimulacrum eſt magnæ indolis tuæ, quâ ad egregia quæque natus, in ipſo adoleſcentiæ flore, atque ætate planè conſimili ad Principes publicæ tranquillitatis ſequeſter olim adlegatus, nunc ampliſſima in legatione tuis conſiliis auſpiciiſque Eccleſiaſticum ſtrenuè tueris Imperium. Et ne diutiùs Te detineam in contemplatione Tui, artes ille præliandi, militiæque negotia cum pietatis otio copulauit: Tu dum pacis amantem Purpuram induis, ſacræ quoque militiæ arma non reſpuis, &

coniun

coniunctione pulcherrima, dum religioſa pugnacis geſtas Inſignia Palladis, & purpurea pacatæ dignitatis præfers Ornamenta, nec purpuratum Roma Principem nec Hieroſolyma Militem deſiderat ſuum. Iam verò ſi animum conuertere ad noſtra placuerit, partum hunc ſibi iure repoſcit à nobis ſingularis, qua Societatem vniuerſam complecteris, beneuolentia; quæ, ſicut grata humanitatis, ac beneficentiæ, quam exhibes, cogitatione nos recreat: ita nouo maioris ſemper patrocinij, quod optamus, incremento, ſpes noſtras erigit, & ſolatur. Patere igitur, PRINCEPS, vt ego teſtamenti veluti fidus curator, mentem interpretatus, qui ſenſum amiciſſimi hominis excipere non potui; poſthumam hanc prolem tot nominibus tuam, veluti obſtetrix in ſinu benignitatis tuæ perennaturam deponam; ita enim quæ importuno Parentis funere mortua, & penè conſepulta erat, lucem aſpiciet, & viuet, Te Patrono, feliciùs. VALE.

CANDIDO LECTORI.

PAVCIS accipe,amice Lector Auctoris conſilium,vt hinc quam ex eiuſdem immaturo funere iacturam fecerimus vniuerſi,facilè intelligas. Cogitabat in quatuor Regum libros expoſitionem, quam in Apparatum diuidebat,Commentarium,& Diſputationes.Commentarius inſiſtebat,quantum fieri poterat, hiſtorico ſenſui: Diſputationes paulò liberiùs, inter ſepta tamen, quæ verba latiùs excutienda permitterent, vagaturæ, & ſingulis capitibus pro cuiuſque exigentia ſubiiciendæ,ad eam formam,qua cap. 12. libri 2. Regum exhibentur; ſi quid in Commentario deſideratum fuiſſet,abundè ſuppeditabant. Apparatus verò,qui ordine primus erat,in plures diſtinctus libros,priſcos Iudaici Populi Ritus, erudītiſſima in vniuerſam Scripturam excurſione,amplectebatur.Primo enim libro,nomen,ortum, progreſſum,linguam Hebræorum propriam exequebatur: tum Terras, quas vario tempore incoluerant, & quas demùm, vt proprias inſederant,& in vtriſque quem ſtatum ſuæ libertatis habuiſſent, & quam ſui Regiminis formam ſequuti eſſent.Inde propius ad ſingula ſuccedendo, de forma adminiſtrationis aggreſſus dicere,tum ciuili,tum Eccleſiaſtica,in Secundo libro de forma ciuilis Reipublicæ vario tempore ſeruata: præcipuè verò de triplici perſonarum genere, quibus Reſpublica conſtat,imperantibus, parentibus, & vtrumque ſubinde præſtantibus agebat.Inde ſeorſim de præſtantiſſima Reipublicæ forma dicebat, quæ Regnum eſt; de quo toto Tertio libro,qui erat de Regno, & de Regibus Hebræorum. In Quarto tractabat de legibus, & Hebræorum iudiciis; tum magis ad priuata accedendo, Ius connubiorum, & nuptiales Ritus exponebat.In Quinto de victu domeſtico,cuius præcipua pars eſt ratio veſcendi;de qua in Sexto libro;vbi de Cõuiuiis.Et quia plerumque,vt à Sapiente monemur,extrema gaudij luctus occupare ſolet,Cõuiuiis attexebat funera,quæ liber Septimus exequebatur; vbi de priſco funerandi Ritu,& Exequiis Hebræorum; quæ,quia ſolemni luctu præcipuè conſtabant,Octauus liber erat de publico,& priuato luctu.Et hæc domeſticum cultum magis attingunt; nam Conuiuia,funera, luctus domi cui-

que

Digitized by Google

que ſuæ maximè peraguntur. Ad forenſem verò vitam, & cultum, quia vſus veſtium magis ſpectare videtur, Nonus liber totus erat de Re veſtiaria, & vario veſtium genere Hebræorum. In Decimo, ſermo erat de quotidiano cultu Populi Iudaici in vita ciuili. Quæ omnia cum tempora pacis exponant, Vndecimus ſequebatur liber, Rem militarem Iudaicam explanaturus. Abſoluta in eo rerum tractatione, quæ ad ciuilem adminiſtrationem pertinent, illius gentis propriam; ad Eccleſiaſticam accedendo; Duodecimus liber erat de legitimo cultu Sacrorum, à quo quia non ſemel Hebræi per ſummam impietatem deſciuerunt, Decimustertius & poſtremus ſequebatur, de eorum Idololatria, & Ritibus in illa ſuperſtitiosè ſeruatis. Habes hîc conceptam animo, non opere expreſſam Auctoris mentem; nam ex Commentario inchoatam interpretationem à Decimoſexto capite libri primi; vbi Dauid in Regem inungitur, ad Vigeſimumtertium vſque caput ſecundi Regum perductam reliquit nobis; Quare, mutato conſilio coactus ſum, non expoſitionem in libros Regum, ſed vnum tantùm exhibere Dauidem, duobus comprehenſum Tomis. Ex Apparatu in noſtras manus deuenêre Tractatus de Re veſtiaria, de funeribus, de publico, & priuato luctu, & de Idololatria Hebræorum omni ex parte completi, miſſis cæteris non perfectè elaboratis. In hoc itaque Tomo, qui primus eſt, habes initio quæ ad originem Gentis Hebrææ ſpectant, & ad formam adminiſtrationis, ad Regum vſque tempora: tum Commentarium à capite Decimoſexto libri primi Regum, vbi Dauid inungitur à Samuele in Regem, vſque ad Decimum ſecundi, complectentem fortunatam Regni Dauidici partem; Et quia in primo capite ſecundi Regum lugetur Saul atque ad luctum inuitantur filiæ Iſraël, quæ à Saule coccino veſtiebantur, tres ſubiecimus Digreſſiones, de Re veſtiaria, de funeribus, de publico, & priuato luctu Hebræorum. Tomus alter initium ducens ab vndecimo capite ſecundi libri Regum, reliquum Commentarij complectetur, ſpectantis ad Dauidem, vnà cum aliquot Diſputationibus, & poſtremò Digreſſionem eruditiſſimam de Idololatria Hebræorum.

LICEN

LICENTIA.

IMPRIMATVR ſi videbitur R. P. M.S. Palatij Apoſtol.

A. TORNELLVS, VICE.

Imprimatur

F. NICOLAVS RICCARDIVS,
Sac. Palatij Mag.

CENSVRA OPERIS.

NOS infra ſcripti teſtamur, nihil nobis in hoc Opere, cui titulus eſt, *P. Ioannis-Hieronymi Sopranis in Dauidem Commentarius*, prorſus occurriſſe à bonis moribus, & Catholica fide, Theologorúmque placitis alienum. In cuius rei fidem hoc teſtimonium manu noſtra ſubſcriptum dedimus, Lugduni die 10. Aprilis 1641.

IOSEPHVS GIBALINVS.

CAROLVS DV LIEV.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV *in Prouincia Lugdunenſi.*

IOANNES GAYETVS Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi,iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij, 1583. Henrico IV. 20. Decembris, 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante,14.Februarij 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur,ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos,abſque Superiorum permiſſione imprimant: Permitto Laurentio Aniſſon,Bibliopolæ Lugdunenſi,vt librum,qui inſcribitur, *P. Ioannis-Hieronymi Sopranis in Dauidem Commentarius*, & à duobus eiuſdem Societatis Patribus recognitum,ad decem proximos annos imprimere, ac libere diuendere poſſit. Datum Lugduni 11. Aprilis 1641.

IOANNES GAYETVS.

Summa Priuilegij à Chriſtianiſſimo Galliarum Rege conceſſi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis authoritate ſancitum eſt, ac præſentibus literis cautum, ne quis in Regno ſuo, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decem à die impreſſionis primæ inchoandos, ac numerandos, excudat, vendat, excudendum, vendendumque quouis modo, & ratione conetur librum, qui inſcribitur: *P. Ioannis-Hieronymi Sopranis in Dauidem Commentarius*, præter LAVRENTIVM ANISSON, Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos,quibus ipſemet conceſſerit. Prohibitum inſuper eadem authoritate Regia omnibus ſuis ſubditis,eundem librum extra Regni ſui limites imprimendum curare,vel quenquam, vbicunque fuerit,ad id agendum impellere, ac inſtigare, ſine conſenſu dicti LAVRENTII ANISSON. Idque omne ſub confiſcatione librorum, aliiſque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Lugduni, die 31. Auguſti, 1642.

De mandato Regis

Signatum,

FAVVRE.

Deſiit prælum 15. Septemb. 1643.

SERIES

SERIES DISPVTATIONVM, CAPITVM ET PARAGRAPHORVM.

EX ANNOTATIONE PROOEMIALI.

Cap. I. IVDAICI populi nomen, ortus, & progreſſus. pag. 1. col. 1.

§. Vnicvs. *Hebrææ Gentis origo mille figmentis ab Ethnicis ſcriptoribus inuoluta: & vnde illis erroris occaſio.* 3.2

Cap. II. *De Imperio Hebræorum quàm latè patuerit, & quas terras vario tempore, quo iure poſſederit.* 6.1

§. 1. *Quæ terra fuerit, & quàm variè appellata, quam Hebræi vt propriam poſſeſſionem tenuerunt.* ibid.

2. *Terra Hebræorum quanta; quibúſve terminis definita.* 7.1

3. *An terra promiſſa tam anguſta fuerit vt vno proſpectu potuerit tota luſtrari.* 10.1

4. *Quo iure terram promiſſam Iudæi inuaſerint, & iuſtè poſſederint.* 10.2

5. *Qualis hæc terra fuerit, & quantæ ſalubritatis, & vbertatis.* 11.1

6. *An vltra terram promiſſionis, quæ propriè ſancta, Iudaici fines imperij ſint aliquando propagati.* 12.2

7. *Cur hanc terram Iudæi perpetuò non poſſederint: & quamdiu illam tenuerint.* 13.2

8. *Quæ gentes ante Iudæos illorum terras inſederint: ſeu qui populi Chananitidem tenuerint, antequam ab Hebræis occuparetur.* 15.2

Cap. III. *De vario ſtatu pro vario tempore Populi Iudaici; & quando primùm in Rempublicam erectus fuerit.* 19.2

§. 1. *Hebræi quando familia tantùm fuerint.* 20.1

2. *Quo ſenſu dicantur Hebræi ante egreſſum ex Ægypto, Gens tantùm, & non populus fuiſſe.* 21.1

3. *Hebræi quando verè populus eſſe cœperint.* 23.1

4. *Gens Hebræa quam regiminis formam habuerit vſque ad Regum tempora.* 25.2

Ex Commentario.

Diſputatio I. DE *ſupremo bello Saulis aduersùs Philiſthæos in quo ipſe cæſus, & totâ fermè regiâ progenie ſublatâ Iudæorum exercitus ad internecionem deletus eſt, aut fuga præcipiti diſſipatus.* 197.1

Diſp. II. *An verus Samuel à Pythoniſſa fuerit excitatus, & Saulem præſens præſentem ſit alloquutus.* 199.1

Cap. I. *An verus hic Samuel, ſiue Samuelis ſpiritus fuerit qui cum Saule loquutus.* 199.2

Cap. II. *An Samuel à Pythoniſſa virtute magici carminis fuerit euocatus, aut euocari potuerit.* 200.2

Cap. III. *Quomodo & in quo corpore, & cuius virtute formæ Samuel apparuerit.* 201.1

Ex Digressione Prima.

De re veſtiaria, & vario indumentorum genere Iudæorum.

Præfat. VEſtium varia diuiſio, ex qua tractatus ingreſſus, & eius in ſumma capita diſtributio. 311.

Diſp. I. *De varia materia veſtium Hebræorum, & quæ ex quo potiſſimum genere conficerentur.* 312.

Cap. I. *Multiplex veſtium materia proponitur, & per ſumma capita breuiter explicatur; & primò frondes & lana.* 312.1

§. 1. *Prima veſtium materia proponitur.* 312.2

2. *Pelles & illarum vſus in veſtibus apud Hebræos.* 313.1

3. *Pili ex quibus animalibus, in quo vſu apud Hebræos, & quæ veſtes inde confectæ.* 316.1

4. *Pluma in re veſtiaria quem vſum habuerint apud antiquos.* 318.1

Cap. II. *De varia materia veſtium textilium, & pretioſarum.* 318.2

§. 1. *De ſerico & eius in veſtibus vſu apud Hebræos.* 318.2

§. 2. No

Series Diſputationum

§. 2. *Noſtrum ſericum an idem quod antiquorum.* 319.2

3. *Sericum noſtrum quale ſit, & eius origo, & progreſſus.* 320.2

4. *Sericum noſtrum ab antiquorum ſerico non differre.* 321.1

5 *Natura & origo ſerici, cur tandiu latuerit, & noſtri quando reperta.* 321.2

6. *Quæ veſtes ex ſerico, quorum, quàm pretioſæ, & quomodo conficerentur.* 322.1

7. *Bombycina quid eſſent, cuius textura, & an ab antiquorum ſericis differrent.* 323.2

8. *De coccino, quid eſſet, & quæ ex illo veſtes in ſacris literis.* 324.2

9. *Aurum, byſſus, vermiculus, qualis materia, & quarum veſtium eſſent apud antiquos.* 325.2

10. *Purpura, lana, Linúmque peregrinum: quando hæc texi cœpta, & quis eorum vſus apud Hebræos.* 327.2

11. *Chriſti Domini veſtes ex qua materia.* 329.1

12. *Quomodo ſcinderentur veſtes in luctu, & qua ratione recepto more tam facile id fuerit Hebræis & aliis.* 330.1

Cap. III. *De vario colore veſtium apud Hebræos,* 330.2

§. 1. *Colores quàm varij, & quorum potiſſimùm mentio in ſacris literis.* ibid.

2. *Niger color in ſacris literis in quibus, & qualis commendatus; coracinus, piceus, phœniceus, & alij ſub illo. Veſpera luceſcens quid apud Matthæum?* 332.1

3. *Veſtes in communi vſu cuius coloris eſſent apud Hebræos.* 334.1

4. *Quæ videntur album colorem quotidianæ veſtis apud Hebræos oppugnare ſublata: Chriſtus Dominus alba cur indutus: in ea cur Angelus: albus amictus in funere, & luctu quibus aſſumptus.* 336.2

5. *Chriſtianorum in primo Eccleſiæ naſcentis exordio, color qualis in veſtibus, & qui deinceps veterum Clericorum.* 339.1

6. *Primæ hominum veſtes, apud Hebræos præſertim, qualis coloris: albus cur lætis omnibus deputatus, vt niger triſtibus, Polymita, quid & multilicia; quando & à quibus primùm?* 339.2

7. *Purpura quid eſſet; qualis color; à coccino, & aliis rubris quomodo diſtincta; quarum veſtium, à quibus geſtari ſolita, & in quanto pretio.* 341.1

8. *Duæ contra ea quæ diximus obiectiones ex libro Machabæorum, & eæ ſublatæ.* 344.1

9 *Quatuor præcipui colores, & quarum eſſent rerum ſymbola apud Hebræos.* 344.2

10. *Croceus color an in nobilium veſtibus apud Hebræos: is qualis propriè.* 347.1

11. *Qui colores, in quibus rebus, & cur in ſacris literis probati.* 348.1

Cap. IV. §. 1. *De vario ornatu veſtium apud Hebræos.* 349.1

2. *De ornatu qui punctim in pictis veſtibus acu fiebat; qualis is, & quotuplex, & quatenus in vſu apud Hebræos.* 350.2

3. *De ornatu textili, quo veſtes apud Hebræos variabantur: eſſe in hoc genere quàm multiplices, & in quo vſu.* 353.1

4. *De veſtis ornatu qui per aſſumenta fiebat, & eius multiplici ſpecie apud Hebræos.* 355.2

5. *Scutulata quod genus veſtium eſſent, & quo maximè operis artificio confecta.* 357.2

Diſp. II. *De varia forma veſtium, quibus olim populus Iudaicus vtebatur.* 358.1

Cap. I. *De variis capitis integumentis apud Hebræos.* 358.2

§. 1. *Antiqui Hebræi tecto ne, an aperto capite eſſent in communi vita.* 358.2

2. *Romani veteres intecto ne capite incederent an velato.* 360.1

3. *Varia tegminum ſpecies ad caput operiendum, quorum in ſacris literis mentio fit.* 361.1

Cap. II. *An Hebræi olim, Orientales, & alij ſint vſi femoralibus vt nunc ſolemus.* 364.2

Cap. III. *De pallio, vnde dictum; quotuplex apud Hebræos & alios; quod veſtis genus; quorum proprium; ex qua materia, & colore.* 367.1

§. 1. *Chriſtus Dominus, togatus ne, an palliatus inceſſerit.* 369.2

2. *Sindon, quod genus veſtis; an inter ſtragula tantùm, an etiam inter pallia computanda: adoleſcens amictus ſindone ſuper nudum, quis; ab Endromide ſindon quid differret.* 370.1

Cap. IV. §. 1. *De tunica vnde dicta, quale genus veſtis, quotuplex, quorum propria; qua forma; opere, colore, & materia.* 371.1

2. *Tunica quorum, & à quibus vel ſola, vel cum aliis veſtimentis indueretur.* 373.1

3. *Tunica quali forma, & quàm multiplici, &c.* 374.1

4. *Colobium quale genus tunicæ fuerit, & de Chriſti Domini tunica inconſutili.* 375.1

5. *An aliquando veteres nudi agerent in communi vſu.* 376.1

Cap. V. §. 1. *Veteres an nudis pedibus inceſſerint; & de vario genere tegumenti, quo pedes apud illos operiebantur.* 377.2

2. *An Chriſtus Dominus calceatus inceſſerit.* 378.2

3. *Quæ pedum nuditas apud antiquos, & à quibus vſurpata.* 379.1

Cap. VI. *De vario calceamentorum genere apud Hebræos.* 380.1

§. 1. *Variæ calceamentorum ſpecies apud antiquos*

antiquos, & ex illis Iudaico populo quæ magis in vſu. 380.2
2. *De caligis & Sandaliis Apoſtolorum.* 383.1
3. *Caliga ex qua materia conſtaret, & quæ illius forma.* 384.1
4. *Quot operimentis pedum eodem tempore veteres vterentur.* 386.1
5. *Calceamenta alicubi ponere, aut in aliquam regionem extendere, quid in ſacris literis.* 387.1
Diſp. III. *De multiplici veſtium diuerſitate pro varia ratione perſonarum apud Hebræos.* 388.1
Cap. I. §. 1. *De veſte virili & muliebri; & earum multiplici differentia.* 388.1
2. *Qua maximè differentia veſtes viriles, & muliebres diſtinguerentur.* 390.1
3. *Quæ propriæ mulierum veſtes apud Hebræos; & primò de ſtola, qualis ea, quàm multiplex, & ex qua materia conſtaret.* 391.2
4. *Zona an & quomodo mulierum tantùm propria apud Hebræos & Romanos.* 393.1
5. *Palliũ quomodo fœminarũ apud Hebræos, & quæ alia earum propria veſtes.* 394.2
6. *De habitu virginum proprio apud Hebræos.* 396.2
7. *De habitu meretricio & matronali.* 399.1
8. *De habitu nuptarum, & viduarum.* 401.1
9. *De veſtibus virorum propriis, quot illa, & quales eſſent.* 402.1
10. *Quot ſimul veſtibus eodem tempore veteres induerentur.* 403.1
11. *De cultu ornatúque fœmineo, qui mundus muliebris appellatur: qualis is & quàm varia contineret.* 405.2
12. *Quid mundo, cultúque muliebri contineretur, vt hic erat ab ornatu diſtinctus.* 405.1.
Vaſa & pixides vnguentariæ. 407.1
Speculum. 407.2
13. *Mundus & cultus in veſtibus: odorata, cataclyſta, cretata, pexa, quales.* 409.1
Veſtes cretatæ. 410.2
Veſtis pexa. 411.1
14. *Ornatus muliebris vt à mundo diſtinctus, qualis eſſet, & quot, & quàm varia contineret.* 412.1
15. *De ornatu fœmineo in reliquo corpore, & variis inſtrumentis ad illum.* 415.2
Annulus. 416.2
Armilla. 418.2
Botronatus. 419.1
Brachialia. 419.2
Bulla. ibid.
Capillatura. ibid.
Catena. ibid.
Circulus. 420.1
Corymbium. ibid.
Dextralia. ibid.
Diſcriminale. ibid.
Frontalia 420.2
Galerus, & Galericulus. ibid.
Gemmæ. ibid.
Inaures. 421.1
Lunulæ. 421.2
Mamillare. 422.1
Mitra, & mitella. ibid.
Monile. 422.2
Murenula. 423.1
Olfactoriola. 423.1
Periſcelides. ibid.
Spatalium. 423.2
Torques. ibid.
Cap. II. *An & quatenus viris, & fœminis in cultu corporis, & veſtium munditíes, & ornamenta permiſſa ſint.* 423.2
§. 1. *An & quatenus vti fœminæ liceat fuco colorum ad faciem, capillóſque fingendos.* 424.1
Quid tenendum de fucatione cutis & capillorũ ſtudio decoris inducta. 426.1
Quæ ſit Patrum ſententia, & an à noſtra diſſideat in vſu fucorum ad decoris gratiam quærendam. 428.1
An poſſit Epiſcopi ſtatuto fucorum vſus interdici in cultu fœminarum. 429.1
2. *An & quatenus licitus ſit formæ cultus, qui non in fucis, ſed in reliquis ornamentis ſitus eſt.* 430.1
Obiectio ex Tertulliano proponitur, & diſcutitur. 431.1
Cap. III. *De ſacris veſtibus & prophanis.* 432.2
§. 1. *De ſingulis ſacris veſtibus ſeparatim, quales eſſent, ex qua materia, & quo maximè artificio confecta.* 433.1
Femoralia. ibid.
2. *Subucula, ſiue linea ſtricta.* 434.1
3. *Zona ſiue balteus & cingulum.* 434.2
4. *Tiara & mitra ſacerdotalis.* 435.2
5. *Tunica hyacinthina ſummi Pontificis propria.* ibid.
6. *Ephod Pontificium.* 436.1
7. *Rationale, tertius ornatus ſummi Pontificis proprius.* 436.2
8. *Lapides Rationalis.* 437.2
Sardius. ibid.
Topazius. 438.1
Smaragdus. ibid.
Carbunculus. ibid.
Sapphirus. ibid.
Iaſpis. ibid.
Ligurius. ibid.
Achates. 438.2
Amethyſtus. ibid.
Chryſolithus. ibid.
Onychinus. ibid.

Beryllus. 438.2

9. *Doctrina & veritas alterum rationalis ornamentum.* 440.1

10. *Tiara Pontificia, & aurea lamina in illa.* 441.1

11. *De varia ſignificatione veſtium ſacrarum: cur in iis materia tam pretioſa, & tam multiplicis artificij quæſita.* 441.2

· *Allegorica ſacrarum veſtium ſignificatio.* 442.1

12. *Senſus tropologicus veſtium ſacrarum, vt in vniuerſum ſpectantur.* 443.1

13. *Earumdem veſtium expoſitio, vt ſeparatim ſpectantur.* 443.2

Cap. IV. *De habitu, veſtitúque ſeruili.* 446.1

Cap. V. §. 1. *De Regum, & ſupremorum Principum habitu apud Hebræos.* 447.2

2. *Regum inſignia præſertim Orientalium.* 450.1

3. *Varia Regni inſignia, & Regum cultus, qui diſtinctiùs in ſacris literis deſcribuntur ex aliis Auctoribus illuſtrati.* 451.1

Cap. VI. *Variæ pro vario tempore veſtes, & pro diuerſitate locorum.* 456.2

§. 1. *Veſtis viatoria, & inſtrumentum iter agentium.* 457.1

2. *Veſtes pluuiales, & alia viatoria.* 458.1

3. *Veſtis domeſtica, & forenſis.* 459.1

Ex Digressione II.

De Ritibus in Priſco Hebræorum funere ſeruatis.

Præfat. *Operis ingreſſus, diſtributio, & Elenchus Auctorum,* &c. 460

Cap. I. *Amplexus & oſcula morientibus data, à quibus, & ad quid: per ea ſpiritus colligi, tradi, excipi ſuperſtitioſè exiſtimatus: mors in Domino, & in oſculo Domini quid: illuſtratus Deuteron. & liber Actorum.* 461.1

II. *Morientibus oculi à quibus clauderentur, & cur propinquiores quique eo munere functi apud omnes gentes: Chriſtiani Patres quid in ea conſuetudine ſpectauerint: Explicata lex 12. tabularum. Chriſti verbum apud Marcum ex eo ritu illuſtratur.* 462.2.

III. *Prima conclamatio à præſentibus & abſentibus vſurpata, mox vt ægrum expiraſſe viderant aut audiuerant: ea ad quid, & quibus verbis fieret: conclamati qui dicerentur prouerbiali formula.* 464.1

IV. *Defuncti corporis ſolemnis ablutio: à quibus & ad quid, & apud quas gentes vſurpata: Chriſtiani qui ſemper eam religioſè ſeruauerint. Apud alios pleroſque ſolis fœminis munus illud iniunctum; quod Iudæis olim, & Chriſtianis deinceps, inter viros fœmináſque partitum eſt.* 465.2

V. *Vnctura feralis quibus exhibita, & ex quo genere aromatum; apud quos ea maximè in vſu, & quid in ea propriè ſpectatum: qui inungerent; fœminæ apud alios: apud Iudæos, & Chriſtianos partito munere fœminæ à fœminis iuncta, viri à viris: ſerui Ioſeph, qui Iacobum condiunt an veri Medici?* 466.2

VI. *Odoramenta, vngendo cadaueri quæ maximè adhibita apud Iudæos, & alios; Myrrha, opobalſamum, Aloë, Cinnamomum primi in ea re pretij: De Sale, Gypſo, calce aliquid adiunctum. B. Xauerij corpus quomodo miraculo ſeruatum, ſi calcis vſus incolumitatem impertit: Chriſti Domini vnctura quanti æſtimanda.* 468.1

VII. *Ritum cadaueris inungēdi à priſcis Hebræorum Patribus videri profectum: Ex illo apud alias gentes propagatio, quæ deinde variæ ſuperſtitiones exortæ. Idololatriæ initia illi deberi: mortuorum corpora ab Ægyptiis oppignerari ſolita, & menſis in conuiuiis adhiberi.* 470.1

VIII. *Veſtitus, & cultus cadaueris ad illud ritè collocandum: qualis is: in toga Romani expoſiti: & apud ipſos, & alios omnes ſplendidè amicti, albati, & cum corona: à Chriſtianis etiam in habitu lætitiæ efferri ſoliti. Dalmatica, & Colobium quid?* 472.1

IX. *Cadaueris ſolemnis collocatio ad quid, & à quibus; ea duplex; priuata, & publica: priuata in cœnaculis apud Iudæos: & cur in veſtibulis ædium apud Romanos, & alios: publica in Baſilicis celebrioribus. Ad cadauer collocatum quæ ſtata cæremonia.* 473.2

X. *Ad cadauer collocatum frequentia adſtantium, qui illi & quo habitu: faces præterea, cerei, Lampades etiam claro die: odores incenſi, ſparſa aromata: acerra quid, & ad quid? Viſio B. Ioannis in Apocalyp. quæ ad hos ritus videtur alludere.* 475.1

XI. *Ad defuncti corpus expoſitum ſolemnis lamentatio: ſuper mortuum flere quid propriè in ſacris literis: luctus in morte carorum duplex, alter ab affectu, alter ex vſu: hic quibus conſtaret: planctus quid propriè. Ezechiel, Amos, Iſaias, pluribus in locis explicati.* 475.2

XII. *Threni & lamentationes ſuper mortuum à quibus edita apud Hebræos: iis apud Romanos & alios Næniæ reſpondebant:*

Digitized by Google

bant: vtraque cum cantu ad tibiam & ſuis adſtricta numeris: ſtabiles orationes, & Nania cur pro nugis poſita. Ezechiel. 2. Regum 5. Hieremias & alij pluribus in in locis explicati. 477.2

XIII. *Qui certa ratione lamentarentur in funere pretio conducti, viri & fœminæ; iſtæ præſertim tam apud Hebræos, quàm apud Romanos, & alios: in his quæ chorum ducebant principes luctus, & Præficæ à Romanis appellatæ; ab Hebræis Sapientes; & quare? Ieremia, Iſaia, & aliis allata lux.* 479.2

XIV. *Laudes mortui à quibus celebrari ſolita: ſolemnis laudatio primùm vt inſtituta: qui laudati, à quibus, & in quo loco: in Chriſtiana Eccleſia funebrium laudationum vſus maximè ſemper receptus: laudari non omnes paſſim in Romana Republica potuiſſe; cur ea in re tanta cautio.* 481.1

XV. *Cadaueris amictus ſepulchralis quibus apud Hebræos conſtaret: Sindones, inſtita, ſudarium, ad quid ſingula? huius an apud Gentiles, & Romanos aliquis vſus: vincula mortis, & funes Inferni Dauidi quid? Lazari ſuſcitatio, & Tabitæ, collata, & explicata.* 483.2

SECVNDA PARS.

De funere ipſo & pompa exequiarum.

Cap. II. F*Vneris vocabulum quot modis in Scriptura, & apud alios vſurpatum: ex eo Geneſis & Numeri illuſtrati: propriè elationem cadaueris per illud ſignificari: minus propriè à noſtris, & aliis pro ipſo cadauere poni ſolere: funeris etymon vnde deriuatum.* 486.1

II. *Pompa funeris vnde, & per quæ maximè loca deducta; celebriores ciuitatis viæ ad id electa: porta in primis, & fora apud Iudæos, & alios: efferri ſimpliciter de quibus acceptum.* 486.2

III. *Funera noctu ne, an interdiu producta: apud Hebræos diurna fuiſſe: apud alios variatum: adoleſcentes ante lucem elati apud Græcos; & cur? Romanos cadente in veſperam die ſuos olim produxiſſe. Veſpillones vnde appellati.* 487.2

IV. *In pompa funeris multitudo procedentium ex quibus conſtaret: in ea magis conſpicui propinqui, & cognati defuncti, & parentes ipſi in filiorum funere: nonnullorum exequias à Regibus quoque frequentatas: habitus comitantium planè lugubris: Præfica cum larua & tibiis: Orarium quid?* 488.1

V. *Pompa apparatus in funere quibus maximè conſtaret: funalia, cerei, lampades, & alia in eo lumina: ſigna quoque & varia inſignia, & ornamenta geſtata: plauſus & concurſus ſpectantium: cantus funebres noſtris ad hilaritatem, aliis ad luctum: Alleluia in Eccleſia cantatum: Chryſoſtomus, Ambroſius, Hieronymus & alij illuſtrati.* 490.1

VI. *Feretrum, capulum, loculus, libitina etiam appellatum: eius forma, & ornatus: veſtes ad illud inſternendum: geſtatores qui, & quot: quatuor ex communi vſu. Veſpillones in obſcuro, & damnato funere: alios à propinquis geſtatos: nonnullos ab ipſis Regibus & aliis Principibus viris.* 492.1. & 2

VII. *Agminis ordo in funebri pompa, & deductione exequiarum: qui præcederent feretrum, qui ſtiparent, & ſequerentur: tubas, & tibias, faces & lampades præceſſiſſe: totum agmen aliquando luminibus cinctum: Maiorum nomina Hebræis loco Imaginum, quæ in Romano funere geſtari ſolita: Ioab cur iuſſus Abneris feretrum antecedere: Parentes in funere filiorum cereos geſtaſſe.* 495.2

TERTIA PARS.

De ſepultura, & ſepulchro.

Cap. I. E*X variis condendorum corporum ritibus qui maximè apud Iudæos obtinuerit: combuſtio illis an in vſu, & quatenus.* 497.1

II. *Mos cremandorum cadauerum ex quibus maximè cauſis inductus, & apud quos? Ingentes ſtrages, ſiue quæ à morbo, ſiue quæ à bellica clade, cauſam præcipuam præbuiſſe: aliis ab hoſtium immanitate, ſiue à vana ſuperſtitione in id impulſis In Chriſtiana Eccleſia ſemper id repudiatum nec aliter quàm pro ſupplicio habitum: apud alios quouſque obtinuerit, lib. 5. Tertulliani & alij illuſtrati.* 498.2

III. *Loca ſepeliendis hominibus deſtinata fere ſemper apud omnes gentes, & Iudæos maximè extra vrbes: Quatuor eius conſuetudinis cauſæ oſtenſa, & explicata: apud Iudæos, & alios num aliqui in vrbibus ſepulti; & qui iſti? In domibus quoque tam vrbanis quàm ruralibus ſepulchra olim inſtituta à Iudæis & aliis. Samuel, lib. Pſal. Geneſ. B. Ioan. & alij illuſtrati.* 500.2

IV. *Quæ potiſſimum extra vrbes loca ſepul-*

chris attributa? tria videri maximè, vias, hortos, agrorum fines: & cur hæc præcipuè? Monumenta quæ propriè in viis & quæ ad vias: eorum etymon, elogia, inſcriptiones. Tituli apud Iudæos & alios: apud illos hortorum Religio ab Eſaia damnata: vnde cœpta? in agris pars quæ ad amœnitatem non quæ ad fructum in id, & cur quæſita? Libris Regum, & Paralip. Iſaia, B. Ioanni, & aliis allata lux. 503.1

V. *Solum ſepulchrale, & ſepulchra ipſa cuius iuris eſſent, publici an priuati; ſacri an ciuilis? Sacra omnia fuiſſe, & apud omnes: actionéſque de ipſis ad ſacros homines pertinuiſſe: eorum religio quot, & quibus modis violaretur. Abraham ſepulchrum ab Ephron quomodo licitatus? locus Gen. explicatus; legéſque plures ex iure ſacro, & ciuili quæ ad iſta faciunt.* 505.1.

VI. *Sepulchrorũ forma multiplex; apud Hebræos & alios antiquiſſima, & ſimpliciſſima, quæ? Speluncæ olim in id, & antra; quod diu apud Iudæos ad Chriſti vſque tempora ſeruatum: longè tamen antiquius terra condere; vnde ſolemnes loquendi, precandi, & imprecandi formulæ in defunctos. Chriſti & Lazari ſepulchrum cuiuſmodi. Abrahami ſpelunca duplex vt accipienda. Gen. 1. Reg. B. Ioan. pluribus in locis explicati.* 507.2

VII. *Regum & Principum virorũ ſepulchra magnificentiſſimè apud Iudæos extructa: in iis inſanæ profuſiones apud alios legibus temperatæ: ſepulchra patentia, dealbata, incruſtata, quæ? Chriſti Domini ſimilitudo in Phariſæos vnde deducta? Dauid ſemel & iterum explicatus.* 510.1

VIII. *Sepulchralium molium apud Iudæos immenſa prorſus altitudo, & magnitudo: Ionathæ Machabæi ſepulchrum, nulli veterum ſecundum: eius, Dauidis, & aliorum ſimilium concamerata ſtructura plures in partes tributa, & quæ illæ: veſtibulum, conditorium, Hypogæum, longitudo, & latitudo quid in ſepulchris, & vnde deſumpta? Illuſtrati non vno loco lib. Paral. Machab. B. Marcus, & alÿ.* 510 2

IX. *Sepulchralium ornamentorum ſplendor, & varietas quanta apud Hebræos: ea in adiuncta diſtincta, & coniuncta: hæc in peregrini marmoris cruſtis, expolitis, aut cælatis, operéque tectorio totius ædificÿ maximè ſita: in iis elogia, Inſcriptiones, Tituli, quorum quis apud Hebræos vſus, & à quo tempore accuratè oſtenſum. Moſes, Dauid, & alÿ non ſemel explicati.* 513.2

X. *Pyramidum vſus in ſepulchris antiquiſſimus, vnde deductus, itidem & columnarum: Montes olim ſepulturæ clarorum virorum delectos, & cur: eorum loco inſtar Montium Mauſolæa extructa, etiam apud Iudæos: Artificum in iis opera inſignia affixa, aut ſculpta, quæ; & cur naues in ſepulchro Ionathæ. Gen. 2. Reg. 1. Paral. explicati.* 515.1

XI. *Cadauera in ſepulchris quàm variè collocata apud Hebræos & alios: ſimul cum illis immenſas nonnunquam opes reconditas: id vnde ortum, & quandiu poſtea obtinuerit, & apud quos: duraſſe id vſque ad Imperatorum edicta. Ferales arcæ, Sarcophagi, Capuli quid. Hiſtoria euangelica de Lazari, & Chriſti Domini ſepultura prælata lux.* 517.2

QVARTA PARS.

De feralibus officiis erga ſepultos: ſeu de funebribus ritibus poſt ſepulturam.

Cap. I. *Solemnis alloquutio ad cognatos defuncti poſt ſepulturam apud omnes gentes vſurpata; qui eo potiſſimùm munere fungerentur, & quibus id conſtaret. Locus, tempus, & alia ad id opportunè captata. Magnorum virorum ſemper fuiſſe mœrentes erigere. B. Iob, & Chriſti Domini ſolatores qui? Hiſtoria Euangelica, & Eccleſiaſtica non vno loco explicata.* 519.2

II. *Lugentium ſolatium apud Iudæos cœna ferali maximè conſtitiſſe, quam ſolatores ipſi parabant, aut inferebant: ea qualis eſſet, & ex quibus conſtaret: à parentalibus quatenus diſtincta: quid iſta propriè, & vnde dicta? Panis doloris, & luctus Hebræis cur ex lente. Hieronymus explicatus, & ex illo Ieremiæ, Dauidi, & aliis allata lux.* 521.1. & 2.

III. *Defuncti cognatos dolorem ſuum maximè teſtatos lugubri habitu, & domo funeſta: Hæc domus luctus Iudæis propriè appellata; certis indiciis dignoſci ſolita: quæ illa, & ad quid? In ſacris & prophanis literis cur pro eodem habitum in Tenebris & Mœrore verſari?* 522.2

IV. *Solemnis argumenta luctus apud Iudæos curſim hic expoſita, latiùs alibi explicanda: de tempore quo ille legitimè abſolueretur accuratiùs actum: varium illud à variis aſſignari: ſeptem dies Iudæos in id tribuiſſe; aliter Romanos, quibus ſolemnis luctus anni ſpatio claudebatur, nubere quàm coniugi liceret à morte coniugis: leges*

leges ad id quæ faciunt. adducta & explicata. 523.2

V. *Sepulchrales epulæ in triplici differentia: de ſingulis diſtinctum, & explicatum. Cœna mortui quid; vbi, à quibus, & quibus parata; à cœna ferali quomodo diſtincta: panem cibúmque lugentium perperam cum cœna mortui & Parentalibus à nonnullis confundi. Ieremias, Baruch, Auguſtinus, & alij ab hoc ritu illuſtrati.* 524.2

VI. *Sepulchrale epulum vt à cœna mortui diſtinctum, à quibus, ad quid, & vbi paratum; ab honeſto priùs officio deductum: in quot deinde prauos mores degenerauerit: coniunctas illi aliquando publicas ciborum diſtributiones; Viſceratio quid? Chryſoſtomus, & plures alij explicati.* 525.2

VII. *Conuiuium funebre maximè celebre inter alias ferales epulas; à pane luctus, à cœna mortui, à ſepulchrali epulo vt diſtinctum: vbi id, à quibus, & inter quos agitatum apud Iudæos, & alios: eius quoque veſtigium in Christiana Eccleſia ſeruatum.* 526.2

VIII. *Ludi & ſacrificia ad ſepulchra non ſolùm ab aliis, ſed & à Iudæis ipſis vſurpata: qui illi eſſent apud externos? Gladiatorum, Circenſium, & Gymnicorum certamina. Nazianz. & alij explicati.* 527.1

IX. *Sepulchra ſolemni more frequentari, adiri, ornari ſolita: flores ſuper illa ſparſi cuius rei ſymbolum: odoramentis quoque perfuſa apud Chriſtianos ex Hieronymo, & Prudentio obſeruatum.* 527.& 528

EX DIGRESSIONE III.

De publico & priuato luctu, & ritibus in vtroque ſeruatis.

Præfat. *Argumenti per ſumma capita diſtributio.* 529

Cap. I. *Quare luctus legitimus & ſolemnis, & à quibus inductus.* 529.1

II. *An ad riſum natus homo potiùs, quam lachrymas? & vnde Philoſophis inualuerit illius naturam magis à riſu definire, quàm luctu.* 530.2

III. *Qui à legitimo & ſolemni luctu prohiberentur.* 532.2

IV. *Qui lugerentur in priuato luctu, & varia differentia lugentium.* 534.1

V. *In quo alio ſuorum tempore, præterquam in morte, lugubris habitus ab antiquis aſſumeretur.* 535.2

VI. *An honeſtum ſit in ſuorum morte vel alia calamitate lugere.* 536.1

VII. *De ritibus in veſtitu lugubri ſeruatis; qualis is, primùm de veſtium ſciſſione, & geſtatione ſciſſarum.* 539.1

Indumenta lugubria quali colore. 541.1

VIII. *Quali cultu corporis eſſent qui lugebant?* 542.1

IX. *De varia corporis afflictatione, quæ in luctu à veteribus aſſumebatur.* 544.2

X. *Quandiu luctus duraret, & quibus de cauſis ante conſuetum tempus finiretur.* 546.2

XI. *De luctu publico, & primò quis ille, & quorum; quomodo, & quibus de cauſis aſſumeretur.* 547.2

XII. *Qui maximè ritus in luctu publico ſeruarentur.* 549.1

XIII. *De ſacro luctu apud Hebræos, & ritibus in illo ſeruatis.* 551.2

XIV. *De luctu Regum & virorum Principum.* 555.1

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ.

Prior numerus paginam, poſterior columnam deſignat.

EX VETERI TESTAMENTO.

Geneſis.

CAP. 2. PROPTER hoc relinquet homo patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ. 76.2

3. Adam vbi es? 113.1

3. Maledictus eris ſuper terram quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua; cùm operatus fueris eam non dabit tibi fructus ſuos. 509.1

3. Cùm cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerũt folia ficus, & fecerũt ſibi perizomata. 312.2

3. Fecit Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pellicеas, & induit eos. 313.1

9. Sanguinem animarum veſtrarum requiram de manu omnium beſtiarum. 110.2

10. Chanaan genuit Sidonem primogenitum ſuum, Hethæum, Iebuſæum, &c. 17.1

11. Dixitque alter ad proximum ſuum: Venite faciamus lateres pro ſaxis, & bitumen pro cæmento. 30.2. & 55.2

12. Faciam te in gentem magnam. 22.1

12. Cùm veniſſent Abraham & Lot in terram Chanaan, Apparuit Dominus Abraham & dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc. 26.1

12. Eo autem tempore Chananæus, & Pherezæus habitabant in terra illa. 26.1

13. Leua oculos tuos & vide à loco in quo nunc es ad Aquilonem & Meridiem, & Orientem, & Occidentem, omnem terram quam conſpicis tibi dabo, & ſemini tuo vſque in ſempiternum. 10.1

13. Ne quæſo ſit iurgium inter me & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuos: fratres enim ſumus. 26.1

13. Omnem terram hanc quam conſpicis tibi dabo & ſemini tuo vſque in ſempiternum. 13.2

14. Et ecce vnus qui euaſerat nunciauit Abraham Hebræo, qui habitabat in conualle Mambre. 1.2

15. Nondum completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum. 160.2

15. Domine Deus vnde ſcire poſſum, quod poſſeſſurus ſum eam. 26.1

15. In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham, dicens: Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Ægypti vſque ad fluuium magnum Euphratem. 12.2

18. Num celare potero Abraham quæ geſturus ſum, cùm futurus ſit in gentem magnam, ac robuſtiſſimam, & benedicendæ ſint in illo omnes nationes terræ. 288.1

18. Quia ſemel iam cœpi, loquar ad Dominum meum cùm ſim puluis & cinis. 286.2

21. Odoratúſque eſt Dominus odorem ſuauitatis. 169.1

23. Si placet animæ veſtræ vt ſepeliam mortuum meum, intercedite pro me apud Ephron filium Seor vt det mihi ſpeluncam duplicem. 507.2

23. Venit Abraham vt plangeret & fleret eam, & cum ſurrexiſſet ab officio funeris. 486.1

23. Sepeliuit Abraham Saram vxorem ſuam in ſpelunca duplici quæ reſpicit Mambre. 300.2

24. Protulit vir inaures aureas, & armillas totidem. 419.1

24. Cùm vidiſſet Laban inaures & armillas in manibus ſororis ſuæ. 419.1

24. Rebecca quoque conſpecto Iſaac deſcendit de camelo, & tollens citò pallium operuit ſe. 394.2

25. Duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populúſque populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori. 296.1

26. Et locupletatus eſt homo, donec magnus vehementer effectus eſt. 155.2

26. Ne deſcendas in Ægyptum, ſed quieſce, tibi enim & ſemini tuo dabo vniuerſas regiones has, complens iuramentum, quod ſpopondi Abraham patri tuo. 26.1

27. Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni. 169.1. & 409.2

27. Eſto Dominus fratrum tuorum & incuruentur ante te filij matris tuæ. 296.1

27. Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum. 514.2

30. Cras reſpondebit mihi iuſtitia mea. 83.2

34. Sichem filij mei adhæſit anima filiæ veſtræ. 76.1

35. Eodem tempore mortua eſt Debora nutrix Rebeccæ, & ſepulta eſt ad radices Bethel, ſubter quercum; vocatúmque eſt nomen loci illius quercus fletus. 503.1. & 517.1

35. Mortua eſt Rachel, ſepultaque eſt in via quæ ducit Ephratam. 503.1

35. Hic eſt titulus monumenti Rachel vſque in præſentem diem. 514.1

37. Fecit ei tunicam polymitam. 341.1

37. Sciſſis veſtibus indutus eſt cilicio lugens filium ſuum multo tempore. 517.1

38. Euolutis

38. Eoolutis multis annis mortua eſt Sue vxot Iudæ, qui poſt luctum conſolatione ſuſcepra. 534.2. & 547.1
38. Depoſitis viduitatis veſtibus aſſumpſit theriſtum. 401.1
38. Quam cum vidiſſet Iudas, ſuſpicatus eſt eſſe meretticem; operuerat enim vultum ſuum ne agnoſceretur. 399.1
38. Patiat quoduis ſi dederis mihi arrhabonem, donec mittas quod pollicetis. Ait Iudas. Quid tibi vis pro arrhabone? Reſpondit annullum tuum, quem manu tenes. 417.2
39. En introduxit virum Hebræum vt illuderet nobis. 1.1
41. Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: vno tantùm regni ſolio te præcedam. 451.1
41. Veſtiuitque eum ſtola byſſina, & collo torquem aureom circumpoſuit. Feeitque eum aſcendero ſupet cuttum ſuum ſecundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genuflecterent. 451.1. & 452.1
41. Meritò hæc patimut, quia peccauimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtias animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus. 146.2
43. Ego ſuſcipio puerum, de manu mea requite illum. 55.1
43. Sumite de optimis terræ fructibus in vaſis veſtris, & deferte viro munera modicum reſinæ, mellis, & ſtoracis, ſtactes, & terebinthi. 469.2. & 55.1.
44. Cùm anima illius pendeat ea anima huius. 76.1
44. Sciſſis veſtibus oneratiſque rurſus aſinis in oppidum reuerſi ſunt. 540 1
46. Ego deſcendam tecum illuc, & ego inde adducam te reuertentem; Ioſeph quoque ponet manus ſuas ſuper oculos tuos. 461.2
46. Omnes animæ domus Iacob, quæ ingreſſæ ſunt Ægyptum fuere ſeptuaginta. 19.2
49. Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea. 241.1
49. Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de ſemore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium. 27.1
49. Sepelite me cum patribus meis in ſpelunca duplici, quæ eſt in agro Ephron Ethæi, &c. 500.2. & 507.2
50. Et planxerunt eum planctu magno & forti nimis. 491.2. & 536.2
50. Ierunt cum eo omnes ſenes domus Pharaonis cunctique meiores natu terræ Ægypti, domus Ioſeph cum fratribus, currus, & equites, & facta eſt turba magna celebrantes exequias. 488.1 & 491.2
50. Præcepitque Ioſeph ſeruis ſuis medicis, vt aromatibus condirent pattem. 466.2
50. Sepelite me cum patribus meis in ſpelunca duplici, quæ eſt in agro Ephron Etbæi, quam emit Abraham: ibi ſepelierunt eum, & Saram vxorem eius: ibi ſepultus eſt & Iſaac cum coniuge ſua. 470.2
50. Ruit ſuper faciem pattis flens, & deoſculans eum. 461.2

Exodi.

1. Filij Iſrael creuetuns & quaſi germinantes multiplicati ſunt. 25.1
1. Ecce populus filiorum Iſraël multus eſt, & fortiot nobis eſt: venite ſapienter opprimamus eum. 25.1
3. Educam vos de afflictione Ægypti in terram Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, &c. 15.2
4. Obſecro Domine non ſum eloquens ab heri & nudiuſtertius. 119.1
7. Dimitte uos vt ſacrificemus in deſerto Deo noſtro. 25.1
12. Et calceamenta habebitis in pedibus. 377.2
15. Perſequar & comprehendam, diuidam ſpolia implebitur anima mea, &c. Flauit Spiritus tous & operuit eos mare. 139.1
15. Sumpſit ergo Maria propheriſſa ſoror Aaron tympanum in manu ſua, egreſſæque ſunt omnea mulieres cum tympanis. 80.1
16. Appellauit nomen cius man, quod erat quaſi ſemen coriandri album. 348.2
17. Quia manus ſulius Domini, & bellum Domini erit contra Amalech à generatione in generationem. 69.1
19. Vade ad populum & ſanctifica eos; & lauent veſtimenta ſua. 355.2
19. Cùmque lauiſſent veſtimeota ſua. 355.2
20. Non aſcendes per gradus ad altare meum, oe reueletur turpitudo tua, 433.2
21. Maleficos non patietis viuere. 181.2
23. Nec accipies munera, quæ iudicium ſubuertunt. 394.2
25. Hæc accipies à filiis Iſraël, aurum, argentum, pilos caprarum, & pelles arietum rubricatas, &c. 314.1
26. Facies decem cortinas de byſſo retorta, & hyacintho ac purpura coccoque bis tincto variatas opere plumariu. 318.1. & 326.2
26. Facies vela opere plumario, pulchrâ varietate conteata. 333.2
26. Facies tentorium in introitu tabernaculi de hyacintho, & purpura, coccóque bis tincto, & byſſo retorta opere plumarij. 326.2
27. In auſtrali plaga erit tentorium contra meridiem de byſſo retorta. 326.2
27. Fiet tentorium cubitorum viginti, ex hyacintho & purpura, coccóque bis tincto. 324.2
29. Impones eis mitras, eruntq; ſacerdotes mihi religioue perpetua. 435.1
32. Tollite inaures aureas de vxorum filiorumque & filiarum veſtrarum auribus & afferte ad me. 421.2
35. Vt faciant opera abietarij, polymitarij ac plumarij. 318.1
38. Ipſa tentura, cunctique operis varietas erat ex auro, hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto, byſſoque retorta. 344.2
38. Ooliab qui & ipſe artifex lignorum egregius fuit, & polymitarius, ac plumarius. 318.1
38 Fecit labrum æneum cum baſi ſua de ſpeculis fœminarum, quæ ad oſtium tabernaculi excubabant. 407. 2. & 408.1
39. Facient mitras Aaron, & filiis eius cum coronulis ſuis ex byſſo. 435.2
39. Fecerunt cingulum de byſſo retorta, hyacintho, purpura, ac vermiculo bis tincto. 415.1
28. Porro filiis Aaron tunicas lineas parabis. 471.2
28. Facies veſtem ſanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem. 441.2. & 443 1. & 2
28. Faciens tunicam, & lineam ſtrictam. 434.1
28. Facient veſtimenta ſancta fratri tuo Aaron, & filiis eius, vt ſacerdotio fungantur mihi. 433.1
28. Facient ſuperhumerale de auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, byſſóque retorta

retorta opere polymito. 436.1

28. Rationale quoque iudicij facies opere polymito iuxta texturam ſuperhumeralis. 436.2

28. Poneſque in eo quatuor ordines lapidum, in primo verſu erit lapis Sardius,& Topazius,& Smaragdus,&c. 437.a.& 439.1

28. Habebunt nomina filiorum Iſrael: duodecim nominibus cælabuntur ſinguli lapides nominibus ſingulorum per duodecim tribus. 439.2

28. Facies in rationali catenas inuicem ſibi cohærentes ex auro puriſſimo; & duos annulos aureos,quos pones,in vtraque rationalis ſummitate, catenaſque aureas iunges annulis. 437.1

28. Pones in rationali iudicij doctrinam & veritatem,quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino: & geſtabit iudicium filiorum Iſrael in pectore ſuo,in conſpectu Domini ſemper. 440.1

28. Facies & tunicam totam hyacinthinam, in cuius medio ſupra erit capitium, & ora per gyrum eius textilis. 435.2

28. Facies laminam,in qua ſculpes opere cælatoris: Sanctum Domini. 439.2.& 441.1

28. Ligabis eam vitta Hyacinthina,& erit ſuper tiaram imminens fronti Pontificis. 441.a

28. Stringeſque tunicam byſſo. 435.1

28. Facies balteum opere plumarij. 434.2

28. Filiis Aaron tunicas lineas parabis, ac balteos,& tiaras in gloriam & decorem. 435.2

28. Facies & femoralia linea,vt operiant carnem turpitudinis ſuæ, à renibus vſque ad femora: & vtentur eis Aaron & filij eius, quando ingredientur tabernaculum teſtimonij,vel quando appropinquant ad altare, vt miniſtrent in Sanctuario. 365.1.& 433.1.& 435.a

Leuitici.

2. Si obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino de ſpicis adhuc virentibus,torrebis eas igni,& confringes in morem farris, & ſic offeres primitias tuas Domino. 52.a

2. Vir ſiue mulier in quibus pythonicus, vel diuinatorius fuerit Spiritus morte moriatur;lapidibus obruent eos; ſanguis eorum ſit ſuper illos. 465.a.& 472.1.& 473.2

14. Qui intrauerit domum quando clauſa eſt, immundus erit, & lauabit veſtimenta ſua. 335.a

20. Anima quæ declinauerit ad magos, & fornicata fuerit cum eis,ponam faciem meam contra eam de medio populi ſui. 193.2

21. Ne contaminetur ſacerdos in mortibus ciuium ſuorum; niſi tantùm in conſanguineis ac propinquis, id eſt ſuper patre,& matre, & filio,& filia, fratréque & ſorore virgine quæ non eſt nupta viro;ſed nec in Principe populi ſui contaminabitur. 533.a.& 534.2

21. Pontifex ad omnem mortuum non ingredietur omnino. 132.a

21. Homo de ſemine tuo per familias, qui habuerit maculam non offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium eius;Si cæcus fuerit,ſi claudus,ſi vel paruo,vel grandi, vel torto naſo. 36.1

23. Panem & polentam & pultes non comederis ex ſegete,vſque ad diem qua offeratis ex ea Deo veſtro. 52.a

26. Abominabitur vos anima mea,ait Dominus, in tantum,vt vrbes veſtras redigam in ſolitudinem, & deſerta faciam ſanctuaria veſtra: diſperdamque terram veſtram, &c. 14.1

Numeri.

1. Tollite ſummam omnis Synagogæ Iſraël iuxta cognationes & populos, ſecundùm domos paternitatum. 20.2

4. Et operient rurſum velamine ianthinarum pellium. 314.1

6. Omni tempore conſecrationis ſuæ ſuper mortuum non ingredietur; nec ſuper patris quidem, & matris, & fratris, ſororiſque funere contaminabitur; quia conſecratio Dei ſui ſuper caput eius eſt. 476.2.& 534.1.486.1

11. Erat man quaſi ſemen coriandri, coloris bdellij. 348.2

15. Loquere filiis Iſrael, & dices ad eos, vt faciant ſibi fimbrias palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas. 357.1

15. Chananæus habitat iuxta mare. 17.2

16. Fortiſſime Deus ſpirituum vniuerſæ carnis. 37.1

20. Non ibimus per agros, nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis; ſed publica gradiemur via. 158.1

23. Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur. 189.1

24. Qui benedixerit tibi,erit & ipſe benedictus: qui maledixerit tibi,in maledictionem reputabitur. 65.a

27. Prouideat Deus hominem qui ſit ſuper multitudinem hanc,& poſſit exire & intrare ante eos,& educere eos,vel introducere. 87.1

27. Prouideat Deus ſpirituum omnis carnis,&c. 37.1.& 38.2

Deuteronomij.

2. Videte diligenter ne moueamini contra eos neque enim dabo vobis de terra eorum quantum poteſt vnius pedis calcare veſtigium. 196.a.& 197.1

2. Cibos emetis ab eis pecunia, & comedetis; aquam emptam haurietis & bibetis. 158.1

2. Heuæos qui habitabant in Haſerim vſque Gazam, Cappadoces expulerunt. 19.1

4. Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis. 288.a

7. Percuties eos vſque ad internecionem: nullum omnino permittes viuere; ſed interficies in ore gladij. 190.1

7. Cùm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram,quam poſſeſſurus ingrederis, & deleuerit gentes multas coram te, Hethæum, & Gergeſæum,& Amorrhæum,&c. Septem gentes multo maioris numeri, quam tu es & robuſtiores te,non inibis cum eis fœdus. 15.1

7. Deuorabis omnes populos, quos Dominus Deus tuus daturus eſt tibi: non parcet eis oculus tuus. 150.2

11. A deſerto & Libano. 294.1

11. Ponite verba mea in cordibus, & in animis veſtris: docete filios veſtros, vt illa meditentur: quando ſedetis in domo tua,& ambulaueris in via, & accubueris & aſſurrexeris, vt multiplicentur dies tui & filiorum tuorum in terra,quam iurauit Dominus Patribus tuis, vt daret eis quamdiu Cœlum immineret terræ. Si enim cuſtodieritis mandata quæ ego præcepi vobis, diſperdet Dominus omnes gentes iſtas ante faciem veſtram & poſſidebitis eos, qui maiores, & fortiores vobis ſunt.

Omnis

Omnis locos quem calcauerit pes veſter, veſter erit. 14.1
12. Lætabimini in cunctis ad quæ miſeritis manus vos & domus veſtra. 87.2
13. Non acquieſcas ei, nec audias, nec parcat ei oculus tuus, vt miſerearis. 150.2
13. Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt. 196.2
18. Non inueniatur in te qui ariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia, atque auguria; nec ſit maleficus, neque incantator, nec qui pythones conſulat, nec diuinos, aut quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter huiuſmodi ſcelera delebit eos in introitu tuo. 193.2
19. Cum dilatauerit Dominus terminos tuos, ſicut iurauit Patribus tuis, & dederit tibi cunctam terram, quam eis pollicitus eſt, &c. 14.1
21. Deponet veſtem in qua capta eſt ſedenſque in domo ſua flebit patrem & matrem ſuam vno menſe, & poſtea intrabis ad eam dormieſque cum illa, & erit vxor tua. 523.2
22. Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallij tui. 357.1. & 368.1
22. Non induetur mulier veſte virili, nec vir vtetur veſte fœminea. Abominabilis enim apud Deum qui facit hæc. 388.1
23. Non erit meretrix de filiabus Iſrael; neque ſcortum de filiis Iſraël. 400.2
23. Non facies cum eis pacem, nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in ſempiternum. 303.2
24. Cùm acceperit nuper vxorem, non procedet ad bellum; nec ei quidquam neceſſitatis iniungetur publicæ: ſed vacabit abſque culpa vt vno anno lætetur cum vxore ſua. 100.1. & 2
28. Benedictus eris ingrediens, & egrediens. 86.2. & 87.2
28. Dabit Dominus, inimicos tuos, qui conſurgunt aduersùm te, corruentes in conſpectu tuo; per vnam viam venient contra te, & per ſeptem fugient à facie tua. 264.1
30. Conſidera quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum, vt diligas Dominum tuum, &c. 14.2
31. Centum viginti annorum ſum hodie, non poſſum ampliùs egredi, & ingredi. 86.2
32. Quando diuidebat Altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum, iuxta numerum filiorum Iſraël. 191
32. Conſtituit eum ſuper excelſam terram, vt comederet fructus agrorum, & ſugeret mel de petra, oleúmque de ſaxo duriſſimo: butyrum de armento & lac de ouibus, &c. 11.2
32. Ponite corda veſtra in omnia verba, quæ teſtificor vobis hodie, & manderis ea filiis veſtris cuſtodire & facere, & implere vniuerſa, quæ ſunt legis huius; quia non incaſſum præcepta ſunt vobis, &c. 14.2
33. Negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis, & manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum: adorabunt te filij patris tui. 387.2
34. Mortuus eſt ibi Moyſes ſeruus Domini in terra Moab iubente Domino. 462.2

Ex Ioſue.

1. Tranſi Iordanem iſtum tu & populus iſte. 9.2
1. Omnem locum quem calcauerit veſtigium pedis veſtri vobis tradam, ſicut loquutus ſum Moſi. 7.1 & 8.2
1. Omnis terra Hethæorum vſque ad mare magnum circa Solis occaſum, erit terminus veſter. 6.2. & 8.2
1. A deſerto & Libano vſque ad flumen magnum Euphratem omnis terra Hethæorum vſque ad mare magnum contra Solis occaſum erit terminus veſter. 18.1
2. Hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor noſtrum. 58.1
3. In hoc ſcietis quòd Dominus Deus viuens in medio veſtri eſt; & diſperdet in conſpectu veſtro Chananæum, & Hethæum, &c. 16.1
5. Poſtquam audierunt omnes Reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Iordanem, & cuncti Reges Chanaam, &c. 19.1
7. Pertimuítque cor populi & adinſtar aquæ liquefactum eſt. 58.1
7. Heu Domine Deus, quid voluiſti traducere populum iſtum, Iordanem fluuium, vt traderes eos in manus Amorrhæi. 17.1
7. Tulerunt filij Iſrael de anathemate & furati ſunt, atque mentiti, & abſconderunt inter vaſa ſua. 55.1
10. Vocauit omnes viros Iſrael, & ait ad principes exercitus qui ſecum erant: Ite, ponite pedes ſuper colla Regum iſtorum. 387.2
13. Senuiſti, terráque latiſſima derelicta eſt, quæ necdum ſorte diuiſa eſt, omnis videlicet Galilæa. 18.2
13. Terra Chanaan quæ in quinque regulos Philiſtiim diuiditur, Gazæos, & Azotios, &c. 18.2. & 203.1
13. Noluerunt diſperdere filij Iſraël Geſſuri & Machati; & habitarunt in medio Iſraëi vſque ad præſentem diem. 189.1
24. Pugnaueruntque contra vos viri ciuitatis eius Amorrhæus, & Pherezæus, &c. 16.1
24. Eiecit Deus è locis ſuis duos Reges Amorrhæorum, non in gladio nec in arcu tuo. 68.2
24. Mortuus eſt Ioſue filius Nun ſeruus Domini centum decem annorum, ſepelieruntque eum in finibus poſſeſſionis ſuæ, quæ eſt ſita in monte Ephraim. 500.2. & 503.1

Iudicum.

1. Quis aſcendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli? Et dixit illis Dominus: Iudas aſcendet. 2.2
1. Aſcende mecum in ſortem meam, & pugnemus contra Chananæum: Aſcendítque Iudas & tradidit Dominus Chananæum, ac Pherezæum, &c. 17.2
8. Surrexit Gedeon, & interfecit Zebee, & Salmana; & tulit ornamenta & bullas quibus colla regalium camelorum ornari ſolent. 419.2
9. Dederunt illi ſeptuaginta pondera argenti, qui conduxit ſibi ex eo viros inopes & vagos. 125.1
11. Congregatique ſunt ad eum viri inopes & latrocinantes. 125.1
11. Dominus, qui hæc audit, ipſe mediator, & teſtis eſt. 256.2
11. Hoc ſolum mihi præſta quod deprecor; cui ille reſpondit: Vade, & dimiſit eam duobus menſibus. 61.2
12. Sepultúſque eſt Iephte in ciuitatibus Galaad. 92.1
12. Quod cernens poſui animam meam in manibus

nibus meis, tranſiuique ad filios Ammon, & & tradidit eos Dominus in manu mea. 98.1
14. Dabo vobis triginta ſindones, & totidem tunicas. 370.1

Ruth.

3. Quando ierit ad dormiendum nota locum in quo dormiat; veniesque & diſcooperies pallium, quo operitur à parte pedum, & proiicies te, & ibi iacebis. 367.2
4. Audire te volui, & tibi dicere coram cunctis ſedentibus & maioribus. 361.2

I. Regum.

2. Non eſt fortis ſicut Deus noſter. 288.1
2. Et tunicam paruam faciebat ei mater ſua, quam afferebat ſtatutis diebus. 371.2
3. Indicauit ei Samuel vniuerſos ſermones, & non abſcondit ab eo. 137.1
5. Computreſcebant prominentes extales eorum inierúntque conſilium Gethæi, & fecerunt ſibi ſedes pellicеas. 315.2
5. Dominus reuelauit auriculam Samuëlis. 110.1
5. Sicne ſeparat amara mors. 76.2
5. Planxit Dauid planctum huiuſmodi ſuper Saul, & ſuper Ionatham filium eius. 477.2. & 478.1
5. Præliate bella Domini. 69.1
5. Quænam eſt hæc vox in caſtris Hebræorum? *&c.* Confortamini & eſtote viri Philiſthiim, ne ſeruiatis Hebræis. 1.1
5. Veſte ſciſſa & puluere conſperſus caput. 540.1
5. Quaſi peccatum ariolandi eſt nolle acquieſcere. 481.2
9. Dixit Saul ad puerum ſuum: Ecce ibimus, quid feremus ad virum Dei; panis defecit in ſitarciis noſtris. 457.2
10. Tulit Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius, & oſculatus eſt eum. 407.1
13. Et conuerſus eſt Samuel vt abiret: ille autem apprehendit ſummitatem pallij eius, quæ & ſciſſa eſt. 367.2
14. En Hebræi egrediuntur de cauernis. 1.2
17. Conſurgentes viri Iſraël & Iuda vociferati ſunt. 3.2
18. Expoliauit ſe Ionathas tunica, qua erat indutus; & dedit eam Dauid, & reliqua veſtimenta ſua, vſque ad gladium, & arcum ſuum, & balteum. 378.1
19. Expoliauit ſe veſtimentis ſuis, & cecinit nudus. 371.2. & 376.1
20. Non faciet Pater meus quicquam, niſi priùs indicauerit mihi. 361.2
22. Conuerſus Doëg Idumæus irruit in ſacerdotes, & trucidauit in die illa octoginta quinque viros veſtitos ephod lineo. 432.2
23. Conſiderate & videte omnia latibula eius, in quibus abſconditur, & reuertimini ad me, ad rem certam, &c. perſcrutabor eum in cunctis millibus Iuda. 2.2
25. Et ſepelierunt eum in domo ſua in Ramatha. 502.2
25. Planxerunt omnis Iſrael Samuelem. 477.1
26. Quid ſibi volunt Hebræi iſti in caſtris Philiſthiim. 1.1
30. Leuauerunt Dauid & populus qui erat cum eo, vocem ſuam, & planxerunt donec deficerent in eis lachrymæ. 536.2
31. Viri Iabes Galaad tulerunt cadauer Saul & filiorum eius, & combuſſerunt ea igne, & tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt in nemore Iabes. 497.1

II. Regum.

1. Nolite annunciare in Geth, ne lætentur filiæ incircunciſorum. 488.2
1. Super Saul flete, qui veſtiebat vos coccino in deliciis. 312.1. & 318.2. & 324.2
1. Saul & Ionathas amabiles, & decori in vita ſua, velociores aquilis, leonibus fortiores. 481.2
1. Et præcepit vt docerent filios Iuda arcum. 479. 1. *& ſuprà in comment. ſuo loco fusè explicatur.*
3. Nunquid caput canis ego ſum? 152.1
3. Tam heri, quàm nudiuſtertiùs quærebatis Dauid vt regnaret ſuper vos. 119.2
3. Dixit autem Dauid ad Ioab, & ad omnem populum qui erat cum eo: ſcindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite ante exequias Abner. 489.2. & 495.1. & 496.1
3. Dauid autem ſequebatur feretrum. 491. 1. & 495. 1
3. Cùm veniſſet vniuerſa multitudo cibum capere cum Dauid clara adhuc die, iurauit Dauid dicens: Si ante occaſum ſolis guſtauero panem. 516.2
7. Ego tuli te de paſcuis ſequentem greges. 39.2
10. Tulit itaque Hanon ſeruos Dauid; raſitque dimidiam partem barbæ eorum, & præſcidit veſtes eorum medias vſque ad nates, & dimiſit eos. 364.2
11. Arca Dei & Iſraël habitant ſub papilionibus. 384.2
11. Tranſacto tempore luctus miſit Dauid & tulit eam. 533.2
11. Audiuit vxor Vriæ quod mortuus eſſet vir ſuus, & planxit eum, tranſactoque luctu. 533. 2. & 534. 1
12. Quæ genuit filium & vocauit nomen eius Salomon, miſitque in manum Nathan prophetæ. 55.2
13. Quæ induta erat talari tunica. Huiuſmodi enim filiæ Regis virgines veſtibus vtebantur. 396.2
13. Tondentur oues ſerui tui: veniat oro Rex cum ſeruis ſuis. 155.2
14 Miſit Ioab Thecuam, & tulit inde mulierem ſapientem, dixitque ad eam lugere te ſimula, & induere veſte lugubri quaſi mulier iam plurimo tempore lugens mortuum. 480. 1. 539. 1
14. Porro ſicut Abſalon vir non erat pulcher in omni Iſraël, & quando tondebat capillum ponderabat capillos capitis ſui ducentis ſiclis pondere publico. 414. 2
15. Vadam & offeram vota mea in Hebron. 61. 2
15. Viuit Dominus, quoniam quocunque loco fueris; Domine mi Rex, ſiue in morte, ſiue in vita, ibi erit ſeruus tuus. 285.2
15. Toto corde vniuerſus Iſrael ſequitur Abſalon. 137.1
15. Porro Dauid aſcendebat cliuum oliuarum, ſcandens, & flens, nudis pedibus & operto capire. 358.2. & 377.2. & 379.1
16. Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? 152.1
16. Vadam & auferam caput eius. 61.2
17. Quòd ſi vrbem aliquam fuerit ingreſſus, circundabit omnis Iſraël ciuitati illi funes, & trahemus eam in torrentem. 140.2
17. Irruemus ſuper eum in quocunque loco inuentus

Digitized by Google

inuentus fuerit : & operiemos eũ, ſicut cadare ſolet ros ſuper terram; & non relinquemus de viris qui cum ipſo ſunt, ne vnũ quidem. 140.2
17. Cur non confodiſti eum cum terra. 179.2
18. Tulerunt Abſalon & proiecerunt eum in ſaltu in foueam grandem, & comportauerunt ſuper eum aceruum lapidum magnum nimis. 500.2
18. Contriſtatus Rex aſcendit ſuper cœnaculum portæ, & fleuit, & ſic loquebatur vadens: fili mi Abſalon, Abſalon fili mi. 464.2
19. Veni mecum vt requieſcas ſecurus in Ieroſalem, &c. Ecce ſeruus tuus Chanaam, ipſe vadat tecum Domine mi Rex. 280.2
19. Miphiboſeth quoque deſcendit in occurſum Regis illotis pedibus, & intonſa barba: veſteſque ſuas non lauerat à die qua egreſſus fuerat rex, vſque ad diem reuerſionis. 535.2
20. Porro Ioab veſtitus erat tunica ſtricta ad menſuram habitus ſui, & deſuper accinctus gladio dependente. 358.1
22. Præoccupauerunt me laquei mortis. 485.1
22. Miſit de alto & aſſumpſit me. 141.2

III. Regum.

2 Si cuſtodierint filij tui vias meas, & ambulauerint coram me in veritate, in omni corde ſuo, non auferetur tibi vir de ſolio Iſrael. 282.1
2. Tu noſti quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Iſrael, Abner, & Amaſæ, quos occidit, & effudit ſanguinem belli in pace; & poſuit cruorem prælij in calceamento quod erat in pedibus ſuis. 387.2
5. Tu ſcis voluntatem Dauid patris mei, & quia non potuerit ædificare domum nomini Dei ſui, propter bella imminentia per circuitum. 280.1
7. Puer ſum, & ignorans egreſſum & introitum meum. 87.1
8. Quòd cogitaſti in corde tuo ædificare domum nomini meo, benefeciſti hoc ipſum mente tractans: veruntamen tu non ædificabis mihi domum, &c. 279.1.& 281.1
9. Vniuerſum populum, qui remanſerat de Amorrhæis, & Hethæis, &c. 16.2
11. His itaque copulatus eſt Salomon ardentiſſimo amore. 76.1
11. Dormiuit cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in ciuitate Dauid patris ſui. 502.1
13. Tulit cadauer viri Dei, & intulit in ciuitatem vt plangerent eum; & poſuit cadauer eius in ſepulchro; & planxit eum, heu, heu, mi frater. 475.2
13. Cùm mortuus fuero ſepelite me in ſepulchro in quo vir Dei ſepultus eſt; iuxta oſſa eius ponite oſſa mea. 505.1
21. Scripſit literas ex nomine Achabi, & ſignauit eas annulo eius, & miſit ad maiores natu. 417.1
21. Propitius ſit mihi Dominus ne dem hæreditatem patrum meorum. 504.2
21. Benedixit Deo & Regi. 74.2
21. Scidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauitque & dormiuit in ſacco. 317.1
22. Rex autem Iſrael & Ioſaphat Rex Iuda ſedebat vnuſquiſque in ſolio ſuo veſtiti cultu regio. 447.2

IV. Regum.

1. Vir piloſus, & zona pellicea accinctus renibus. 313.2
2. Fiat in me ſpiritus tuus duplex. 402.2
3. Fecit ſibi gladium ancipitem habentem in gladio capulum longitudinis palmæ manus, & accinctus eſt eo ſubter ſagum in dextro femore. 453.2
4. Faciamus ergo ei cœnaculum paruum, & ponamus ei in eo lectulum, & menſam, & ſellam. 473.1
4. Poſuit eum mater ſuper genua ſua, & mortuus eſt; aſcendit autem, & collocauit eum ſuper lectulum hominis Dei. 473.2
4. Non habeo ancilla tua quicquam in domo mea, niſi parum olei quo vngar. 416.1
4. Accinge lumbos tuos & tolle baculum meum in manu tua & vade. 457.1
5. Da ei talentum argenti, & veſtes mutatorias. 459.1
6. Quod cùm audiſſet rex Iſraël ſcidit veſtimenta ſua, & tranſibat per murum, viditque omnis populus cilicium quo veſtitus erat ad carnem intrinſecus. 312.1.& 316.1
6. Pone eis panem & aquam: Et appoſita eſt illis magna ciborum præparatio. 158.2
9. Accinge lumbos tuos, & tolle lenticulam olei, & vade in Ramoth-Galaad. 407.1
9. In loco illo & illo ponamus inſidias. 518.1
9. Porro Iezabel introitu eius audito depinxit oculos ſuos ſtibio, & ornauit caput ſuum. 405.1
9. Vnuſquiſque tollens pallium ſuum poſuerunt ſub pedibus eius in ſimilitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba, atque dixerunt regnauit Iehu. 455.2
19. Ecce ego immittam ei ſpiritum, & audiet nuntium, & reuertetur in terram ſuam. 142.2
21. Dormiuit Manaſſes cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in horto Oza. 502.2.& 503.1
23. Redegit lucos in puluerem, & proiecit ſepulchra vulgi ignobilis. 505.2
42. Vir autem quidam venit de Baalſaliſa, deferens viro Dei panes primitiarum, viginti panes hordeaceos, & frumentum nouum in pera ſua. 64.1

I. Paralipomenon.

5. Vulneratique multi ceciderunt, fuit enim bellum Domini. 69.1
7. Luxit igitur Ephraim pater eorum multis diebus & venerunt fratres eius vt conſolarentur eum. 519.2
10. Mortuus eſt ergo Saul propter iniquitates ſuas, eò quòd præuaricatus ſit mandatum Domini; ſed inſuper etiam Pythoniſſam conſuluerit, nec ſperauerit in Domino, propter quod interfecit eum, & tranſtulit regnum eius ad Dauid filium Iſai. 193.2
11. Abiit Dauid & omnis Iſraël in Ieruſalem, hoc eſt Iebus, vbi erant Iebuſæi habitatores terræ. 257.2
11. Omnis qui percuſſerit Iebuſæum, erit princeps & dux. 259.2
11. Aſcendit primus Ioab filius Saruiæ, & factus eſt princeps. 260.1
12. Sed & per ſingulos dies veniebant ad Dauid ad auxiliandum ei, vſque dum fieret grandis numerus, quaſi exercitus Dei. 257.2
13. Iniit conſilium Dauid cum tribunis, & centurionibus, & vniuerſis principibus, &c. Et reſpondit vniuerſa multitudo vt ita fieret: placuerat enim ſermo omni populo. 268.2
24. Hanon pueros Dauid decaluauit, &c. 304.2

Index locorum S. Scripturæ.

14. Conſuluit Dauid rurſum Dominum;& dixit ei : Non aſcendas poſt eos ; recede ab eis, & venies contra illos ex aduerſo pyrorum. 265.1
14. Diuulgatúmque eſt nomen Dauid in vniuerſis regionibus, & Dominus dedit pauorem eius ſuper omnes gentes. 281.1
15. Illicitum eſt vt à quocunque portetur arca Dei, niſi à Leuitis, quos elegit Dominus ad portandum eam,& ad miniſtrandum ſibi vſq; in æternum. 272.2.& 273.1
15. Vocauit Dauid Sadoc,&c. Et dixit: Vos qui eſtis principes familiarum afferte arcam Domini Dei Iſraël ad locum qui ei præparatus eſt; ne vt à principio, quia non eratis præſentes, percuſſit nos Dominus; ſic,&c. 273.1
15. Sanctificati ſunt ergo Sacerdotes & Leuitæ, vt portarent arcam Domini, 273.2
15. Dauid erat indutus ſtola byſſina, & vniuerſi Leuitæ qui portabant arcam. 274.1.& 371.2
17. Banaias quoque filius Ioiadæ ſuper legiones Cerethi,& Pheleti. 298.2
17. Quæ domus mea, vt præſtes mihi talia? 285.2
17. Feciſti me ſpectabilem ſuper omnes homines Domine mi. 281.1
17. Quid vltra addi poteſt Dauid, cùm ita glorificaueris ſeruum tuum, & cognoueris eum? 287.2
17. Non eſt ſimilis tui, & non eſt Deus abſque te, ex omnibus quos audiuimus auribus noſtris. 288.2
18. Factum eſt vt percuteret Moab, & fierent Moabitæ ſerui Dauid afferentes ei munera. 295.1
18. Tulit Geth & filias eius de manu Philiſthiim. 291.1
22. Fili mi, voluntatis meæ fuit, vt ædificarem domum nomini Dei mei, ſed factus eſt ſermo Domini ad me dicens : Multum ſanguinem effudiſti,&c. 280.1
28. Non ædificabis domum nomini meo, eò quòd ſis bellator,& ſanguinem fuderis. 280.1
28. De filiis meis elegit Salomonem filium meum, vt ſedeat in throno regni Domini ſuper Iſraël, dixitque mihi : Salomon filius tuus ædificabit domum meam,& atria mea. Ipſum enim elegi mihi in filium. 282.1

II. Paralipomenon.

1. Da mihi ſpiritum & intelligentiam, vt ingrediar coram populo tuo. 86.2.& 87.1
2. Mitte mihi virum eruditum qui nouerit operari in auro,& argento, ære & ferro, purpura, coccino,& hyacintho. 330.2
3. Fecit quoque velum de hyacintho, purpura, cocco,& byſſo,& intexuit ei Cherubim. 341.1
16. Sepelierunt eum in ſepulchro ſuo quod foderat ſibi in ciuitate Dauid : poſuerúntque eum ſuper lectulum ſuum plenum aromatibus. 492.2.& 498.1
19. Miſit nuncium ad conſolandum eum ſuper mortem patris ſui. 519.2
21. Mortuus eſt in infirmitate peſſima; nec fecit ei populus ſecundum morem combuſtionis exequias, ſicut fecerat maioribus eius. 497.2.& 490.1
28. Dormiuitque Achas cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in ciuitate Ieruſalem : neque enim receperunt eum in ſepulchra regum Iſraël. 509.2
32. Dormiuitque Ezechias cum Patribus ſuis,& ſepelierunt eum ſuper ſepulchra filiorum Dauid, & celebrauit eius exequias vniuerſus Iuda. 486.1
35. Mortuuſque eſt & ſepultus in Mauſoleo patrum ſuorum. 513.2
35. Vniuerſus Iſrael,& vniuerſus Iuda & Hieruſalem luxerunt eum, Hieremias maximè, cuius omnes cantores,& cantatrices lamentationem ſuper Ioſiam replicant. 477.2.& 479.2

II. Eſdra.

3. Dicamus vnuſquiſque noſtrum ſententiam, eamque ſignemus, & cuinſcunque apparuerit ſermo ſapientior, dabit illi Rex Darius dona magna; purpura cooperiri, in auro bibere, ſuper aurum dormire,&c. 452.2

Tobiæ.

2. Tollenſque portauit ad domum ſuam occultè: vt cùm ſol occubuiſſet cautè ſepeliret eum. 487.2
4. Panem tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue, & noli ex eo manducare cum peccatoribus. 525.2
4. Noli timere, fili mi, pauperem quidem vitam gerimus; ſed multa bona habebimus ſi timuerimus Deum. 89.2
8. Sara exurge, & deprecemur Deum hodie & cras ; filij quippe ſanctorum ſumus, & non poſſumus ita coniungi, ſicut gentes quæ ignorant Deum. 21.2
10. Monentes eam honorare ſoceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum. 20.2
14. Reuerſus eſt ad ſaceros ſuos, inuenitque eos incolumes in ſenectute bona,& curam eorum geſſit, & ipſe clauſit oculos eorum. 462. 2. & 463.1
14. Completis annis nonaginta nouem cum gaudio ſepelierunt eum. 490.2

Iudith.

4. Memores eſtote Moyſi ſerui Domini, qui Amalech confidentem in virtute ſua,& in potentia ſua,& in clypeis ſuis,&c. non ferro pugnando, ſed precibus ſanctis orando deiecit. 66.1
5. Vbicunque ſine arcu & ſagitta, & abſque ſcuto & gladio Deus eorum pugnauit pro eis & vicit. 68.2
9. Poſt ſeruos tuos armati currebant, confidentes in quadrigis,& in equitatu ſuo,& in multitudine bellatorum. 66.1
10. Surrexit de loco in quo iacuerat, & vocauit Abram ſuam, & exuit ſe veſtimentis viduitatis ſuæ. 411.2
10. Lauit corpus ſuum,& vnxit ſe myro optimo, & diſcriminauit comam capitis ſui, & impoſuit mitram ſuper caput ſuum. 395.1.& 402.1. & 407.1
16. Dominus conterens bella, Dominus nomen eſt illi. 69.1
16. Exuit ſe veſtimento viduitatis ſuæ, & induit ſe veſtimento lætitiæ, in exultatione filiorum Iſraël. 340.1.& 401.2
16. Vnxit faciem ſuam vnguento, & colligauit cincinnos ſuos mitra, accepit ſtolam nouam ad decipiendum illum. 391.2
16. Sandalia eius rapuerunt oculos eius; pulchritudo eius captiuam fecit animam eius. 391.2

Eſther.

1. Pendebant ex omni parte tentoria aërei coloris,& carbaſini,& hyacinthini ; ſuſtentata funibus byſſinis, atque purpureis. 348.1

2. Et

Index locorum S. Scripturæ.

2. Et præcepit Eunocbo vt acceleraret mundum muliebrem, & tam ipſam quàm pediſſequas eius ornaret. 404.2
2. Expletis omnibus quæ ad cultum muliebrem pertinebant, menſis duodecimus vertebatur; ita dumtaxat vt ſex menſibus oleo vngerentur Myrrbino, & aliis quibuſdam pigmentis & aromatibus vterentur. 406.2
3. Scriptum eſt vt iuſſerat Aman ad omnes ſatrapas ex nomine Aſſueri, & literæ ſignatæ ipſius aonulo. 417.1
8. Mardocbæus autem de palatio, & de conſpectu regis egrediens, fulgebat veſtibus regiis, hyacinthinis, videlicet & aëreis, coronam auream portans in capite, & amictus ſerico pallio atque purpureo. 318.2.& 322.2
15. Cùm regio fulgeret babitu, ſtetit contra illum Eſther. 326.1
15. Ille reſidebat ſuper ſolium regni ſui indutus veſtibus regiis auróque fulgens. 326.1
16. Dum aures principum ſimplices, & ex ſua natura alios æſtimantes, callida fraude decipiunt. 304.2

Iob.

1. Surrexit & ſcidit veſtimenta ſua. 371.2
1. Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. 509.1
1. Nonne tu valiaſti eum. 159.2
2. Pellem pro pelle, & cuncta quæ poſſidet dabit homo pro anima ſua. 328.1
2. Quaſi vna de ſtultis mulieribus loquuta es. 164.2.
2. Exclamantes plorauerunt ſciſſiſque veſtibus ſparſerunt puluerem ſuper caput ſuum in cœlum, & ſederunt cum eo in terra. 543.2
3. Paruus & magnus ibi ſunt, & ſeruus & liber à domino ſuo. 87.2
3. Qui expectant mortem & non venit, quaſi effodientes theſaurum, gaudentque vehementer cùm inuenerint ſepulchrum. 517.2
4. Rugitus leonis, & vox leænæ, & dentes catulorum leonum contriti ſunt, tigris periit, eò quòd non haberet prædam, & catuli leonum diſſipati ſunt. 59.1
5. Voca ergo ſi eſt qui tibi reſpondeat, & ad aliquem ſanctorum conuertere. 45.2
5. Apprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & conſilia prauorum diſſipat. 91.1
6. Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum, & terrores Domini militant contra me. 43.2
6. Quæ priùs nolebat tangere anima mea; nunc præ anguſtia cibi mei ſunt. 59.2
7. Cur non tollis peccatum meum; & quare non aufers iniquitatem meam. 166.2
13. Contra folium quod vento rapitur oſtendis potentiam tuam, &c. 152.2
13. Cur carnes meas lacero, & animam meam porto in manibus meis. 98.1
31. Si deſpexi pauperem eò quòd non haberet indumentum, ſi non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus eſt. 166.1
8. Non ei placebit vecordia ſua. 250.2
16. Militia eſt vita hominis ſuper terram. 160.1
29. Cùm ſederem Rex circumſtante exercitu, eram tamen mœrentium conſolator. 540.1
19. Halitum meum horruit vxor mea, & orabam filios vteri mei. 157.2
26. Spiritus eius ornauit cælos, & obſtetricante manu eius eductus eſt coluber tortuoſus. 351.2
30. Flebam quondam ſuper eum qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. 520.2
31. Nunquid noſti tempus partus ibicum? 143.1 & 2
31. Si gauiſus ſum ad ruinam eius, qui me oderat, & exultaui quòd inueniſſet eum malum. 173.2
36. Reuelabit quoque aurem eorum. 110.1
36. Tunc aperit aures virorum, & erudiens eos inſtruit diſciplina. 110.1
40. An extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius? Numquid pones circulum in naribus eius, aut armillis perforabis maxillam eius. 419.1

Pſalmorum.

1. Et omnia quæcunque faciet proſperabuntur. 87.2
1. Nouit Dominus viam iuſtorum. 287.2
2. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania, 21.1
2. Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos. 140.2
5. Perdes omnes qui loquuntur mendaciũ. 427.1
7. Cognoſcetur Dominus iudicia faciens: in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator. 71.1
7. Parturiit iniuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. 140.2
8. Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas quæ tu fundaſti. 350.2. & 351.1.& 352.2
9. Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliuiſcuntur Deum. 21.2
9. Exurge Domine non confortetur homo, iudicentur gentes in conſpectu tuo. 21.2
9. Increpaſti gentes & periit impius. 72.1
9. In conuertendo inimicum meum retrorſum ipſi infirmati ſunt & ceciderunt. 72.1
9. Inſidiatur vt rapiat pauperem, in laqueo ſuo humiliabit eum: cadet eum dominatus fuerit pauperum. 139.1
9. Periit memoria eorum cum ſonitu. 496.2
9. Qui exaltas me de portis mortis vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. 107.2
9. Quoniam feciſti iudicium meum, & cauſam meam. 176.1
9. Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur. 140.2
9. Propter quid irritauit impius Deum? Dixit enim in corde ſuo non requiret. 110.2
10. Transmigra in montem ſicut paſſer. 185.1
10. Quia ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in occulto rectos corde. 185.1
11. Saluum me fac Deus quoniam defecit ſanctus, quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum: vana locuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum, labia doloſa in corde & corde loquuti ſunt. 150.1
12. Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus. 71.2.& 164.2
12. Qui tribulant me exultabunt ſi motus fuero: Ego autem in miſericordia tua ſperaui. 214.1
12. Linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum: quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt, &c. 150.1
12. Vſquequo, Domine, obliuiſceris me in finem

qoandiu ponam conſilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem. 186.1.& 2
14. Et munera ſuper innocentem non accepit. 394. 2
15. Nec memor ero nominom eorum per labia mea. 113. 1
16. Clamani ad te quoniam exaudiſti me. 289.2
17. Poſuiſti vr arcum æreum brachia mea. 50.1
17. Inuocabo Dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero. 66.2
18. In omnem terram exiuit ſonus eorum. 7.1
19. Hi in curribus,& hi in equis, noa autem in nomine Dei noſtri innocabimus. 66.1
21. Ad te leuaui animam meam. 97.1
22. Si ambulauero in mediovmbræ mortis non timebo mala, quoniam to mecum es. 107.2
23. Domini eſt terra & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuerſi qui habitant in eo. 11.1
25. Odiui eccleſiam malignantium. 125.1
26. Ne tradideris me in animas tribulantium me quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui;& mentira eſt iniquitas ſibi. 150.1
21. Factum eſt cor meum ranquam cera liqueſeena in medio ventris mei. 58.1
26. Quoniam pater meus, & marer mea dereliquerunt me: Dominus autem aſſumpſit me. 39. 1. & 127.2
26. Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo,dum appropiant ſuper me nocentes, vt edant carnes meas. 219.2
26. Credo videre bona Domini in terra viuentium. 8.1
28. Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus Cedros Libani. 148.1
29. Exalrabo te, Domine, quoniam ſuſcepiſti me; nec delectaſti inimicos meoa ſuper me. 225. 1
29. Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. 173.1
29. Conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia. 340.1
30. Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à contradictione linguarum. 169.1
31. Sperantem autem in Domino miſericordia circundabit. 159.2
32. Ponons in theſautia abyſſos. 120.1
33. Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos. 157.1
33. Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo: in Domino laudabitur anima mea. 126.1
Timete Dominum omnes ſancti eius; quoniam nihil deeſt timentibna eum. ibid.
Immitet Angelus Domini in circuitu timentium eum,& eripiet eos. ibid.& 159.2
Quis eſt bomo qui vult vitam;diligit dies videre bonos? ibid.
Multæ tribnlationes iuſtornm, *&c. vſque ad finem. Pſalm.* 126. 2
33. Oculi Domini ſuper iuſtos: vultus autem Domini ſuper facientes mala. 35.1
33. *Titulus.* Pſalmus ipſi Dauid qnando mutauit faciem ſuam coram Abimelech,& dimiſit eum,& abiit. 121.2. & ſeqq.
34. Gladium euaginauerunt peccatores. vt deiiciant pauperem & inopem, vt trucident rectos corde. Gladius eorum intret in corda ipſorum. 71.1
34. Quaſi lugens & contriſtatos ſic humiliabar. 340.1
34. Ne dicant in cordibus ſuis: Euge, euge. 140. 2
35. Iudicia eios abyſſus multa. 333.2
36. Conſiderat peccator iuſtum & quærit mortificare eum: Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius. 138.2.& 139.1
36. Obſeruabit peccator iuſtum. 138.2
36. Et non eſt inuentus locus eius. 110.2
36. Reliquiæ impiorum interibunt. 110.2
37. Tota die contriſtatus ingrediebar. 340.1
37. Aduersùm me appropinquauerunt & ſteterunt. 219.2
37. Magna loquuntur ſuper me. 152.1
38. Obmutui & humiliatus ſum,& ſilui à bonis. 67. 1
39. Conuertantur retrorſum, & reuereantur qui volunt mihi mala. 228.1
41. Vbi eſt Deua eorum? 68.1
41. Quare contriſtatus incedo. 340.1
43. In nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nos 66.2.& 68.1
43. Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram. 68. 2
43. Et non egredieris Deus in virtutibus noſtris. 205.2
44. Specie tua, & pulchritudine tua intende proſpere, procede & regna. 35.1
44. Myrrha & gutta & caſia à veſtimentis tuis,à domibus eburneis. 406.2.& 409.2
44. Omnis gloria eius filiæ regis abintus in fimbriis aureis. 316.1
44. Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate. 325.2
44. Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime. 453.2
44. Circumamicta varietaribus. 358.1
48. Audite hæc omnes gentes, &c. quique terrigenæ & filij hominum, ſimul in vnum diues & pauper. 87.2
48. Quoniam eum interierit non ſumet omnia: neque deſcendet cum eo gloria eius. 472.1. & 483. 2
48. Confitebitur tibi cùm benefeceris ei. 165.2
48. Sepulchra eorum domus illorum in æternum: Tabernacula eorum à progenie, in progenie: vocauerunt nomina ſua in terris ſuis. 513. 1
50. Domine labia mea aperies, & os meum annunriabit laudem tuam. 176.1
54. Contriſtatus ſum in exercitatione mea, & conturbatus ſum à voce inimici: quoniam declinauerunt in me iniquitates. 150.1
54. Quæ ignorabam interrogabant me. 150.1
54. Tu verò Deus deduces eos in puteum interitus. 508.1
54. Redimet in pace animam ab his qui appropinquant mihi. 219.2
54. Viti ſanguinum. 165.1
56. Clamabo ad Deum altiſſimum, Deum qui benefecit mihi. 144.1
57. Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris: & dicet homo; ſi vrique eſt fructus iuſto. 174.1
57. Conuertentur ad veſperam,& famem patientur vt canes. 228.1
59. *in tit.* Et conuertit Ioab & percuſſit Idumæam in valle Salinarum duodecim millia. 296. 2
59. Deus repuliſti nos & deſtruxiſti nos, iratus es,& miſertus es nobis. 296.2

59. Com

59. Commouiſti terram,& conturbaſti eam,*&c.* 296. 2
59. Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes, & Ephraim,&c. 296.2
59. Dediſti metuentibus te ſignificationem vt fugiant à facie arcus. 297.1
59. Iuda rex meus. 296.2
59. Moab olla ſpei meæ. 293.1
59. In Idumæam extendam calceamentum meum. 380.1.& 387.2
61. Quouſque irruitis in hominem, interficitis vniuerſi vos. 145.1
61. Tamquam parieti inclinato; & maceriæ depulſæ. 152.2
62. Introibunt in inferiora terræ tradentur in manus gladij partes vulpium erunt. 509. 1.& 511.1
63. Tu fabricatus es auroram & Solem. 333.2
63. Mirabilis Deus in ſanctis ſuis. 144.1
67.Rex virtutum dilecti dilecti,& ſpeciei domus diuidere ſpolia. 325.1
67. Præuenerunt Principes coniuncti pſallentibus,in medio iuuenculatum tympaniſtriatum. 80. 2. & 224.2
68 Expectaui qui mecum contriſtaretur & non fuit.& qui conſolaretur & non inueni. 520.2
68. Quia comederunt Iacob, & locum eius deſolauerunt. 2.1
68. Videant pauperes & lætentur: quoniam exaudiuit pauperes Dominus. 215.2
68. Qui ſimul contriſtaretur & non fuit,& conſolantem me & non inueni. 530.1
70. Repleatur os meum laude. 176.1
71. Deieciſti eos dum alleuarentur. 169.1
72. Mei autem penè moti ſunt pedes,penè effuſi ſunt greſſus mei. 58.1
72. Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos. 135.2
73. Vſquequo.Deus,improperabit inimicus: irritat aduerſarius nomen tuum in finem.225.2
73. Deus noſter ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ. 6.2
73. Exurge,Deus, iudica cauſam meam: memor eſto opprobriorum meorum, quæ ab inſipiente ſunt tota die. 176.2
75. Et nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis. 250.2
77. Et concluſit in gladio populum ſuum, & hæreditatem ſuam ſpreuit. Iuuenes eorum comedit ignis,*&c.* 498.2.& 499.2
77. Virgines eorum non ſunt lamentatæ, & viduæ eorum non plorabantur. 477.2.& 534.2
77. Pars enim Domini populus eius, & Iſraël hæreditas eius. 68.2
77. Suſtulit illum de gregibus ouium, de poſt fœtantes accepit illum. 39.2
80. Dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum. 153.1
81. Surge Deus,& iudica terram. 248.1
84. Benedixiſti Domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob. 2.1
85. Fac mecum ſignum in bonum, vt videant qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adiuuiſti me, & conſolatus es me. 215.2
86. Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob. 2.2
88. Si cuſtodierint filij eius legem meam. 283.1
88. Quis in nubibus æquabitur Domino? ſimilis erit Deo in filiis Dei? 288.1
88. Tu humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum. 70. 2
90. Qui habitat in adiutorio Altiſſimi in protectione Dei cæli commorabitur. 140.2
90. Scuto circundabit te veritas eius. 67.2
90. A ſagitta volante in die à negotio perambulante in tenebris ab incurſu & dæmonio meridiano. 43.2
90. Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis. 59. 1
93. Quis conſurget mihi aduersùs malignantes, aut quis ſtabit mecum aduersùs operantes iniquitatem. 242.1
93. Niſi quia Dominus adiuuit me;paulominus habitaſſet in inferno anima mea. 85.2
94. Quadraginta annis proximus fui generationi huic. 219.2
101. Et velut opertorium mutabis eos. 367.2
101. Ipſi peribunt,tu autem permanes,& omnes ſicut veſtimentum veteraſcent. 351.1
103. Confeſſionem & decorem induiſti,amictus lumine ſicut veſtimento. 449.1
103. Extendens cælum ſicut pellem. 314.2
103. Montes excelſi ceruis. 143.2
104. Et dedit illis regiones gentium, & labores populorum poſſederunt: vt cuſtodiant iuſtificationes eius & legem eius requirant. 19. 2
105. Et conuerterunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum. 440.1
108. Sermonibus odij circundederunt me. 261. 1
108. Fiat ei ſicut veſtimentum quo operitur, & ſicut zona qua ſemper præcingitur. 393.1
108. Operiatur ſicut diploide confuſione ſua. 402. 1
112. Suſcitans de terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem. 39.2
113. In exitu Iſraël de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro, facta eſt Iudæa, &c. 25. 1
115. Peccauimus cum patribus noſtris, iniuſtè egimus,iniquitatem fecimus. 196.1
118. Anima mea in manibus meis ſemper. 97. 1.& 2
118. Statue ſeruo tuo eloquium tuum. 41.2
118. Principes perſecuti ſunt me gratis, & à verbis tuis formidauit cor meum. 99.2
118. Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ. 41. 2
120. Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum. 86.2.& 87.2
122. Sicut oculi ancillæ in manibus. dominæ ſuæ ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum donec miſereatur noſtri. 412.2
123. Laqueus contritus eſt & nos liberati ſumus. 140.2
126. Surgite poſtquam ſederitis qui manducatis panem doloris. 512.1
126. Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filij excuſſorum. 242.1
126. Filij tui ſicut nouellæ plantationes in iuuentute tua. 283.1
131. Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius;ſicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob. Si introiero in tabernaculum domus meæ,ſi aſcendero in lectum ſtrati mei,donec inueniam locum Domino. 277.2

131. Proptes Dauid ſetuum tuum non auertas faciem Chriſti tui. 289.2
132. Sicut vnguentom in capite quod deſcendit in barbam,barbam Aarou. 410.1
135. Qui fecit cælos in intellectu. 351.1
138. Tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam. 88.1
144. Apesis tu manum tuam & imples omne animal benedictione. 166.1
149. Ad alligandos reges eorum in compedibua, & nobiles eorum in manicis ferreis. 387.1
150. Omnis ſpiritus laudet Dominum. 442.2

Prouerbiorum Salomonis.

1. Ne dimittas legem matsis tuæ, vt addatur gratia capiti tuo. 244.1
2. Qui lætnrur cum malè fecerint, & exultant in rebua peſſimis. 136.2
3. Longitudo dierum in dextera eiua, & in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria. 418.2
4. Attipe ſapientiam, & cum eam fueris amplexatus, dabit capiti tuo augmenta gratiarum. 244.1
5. Ceruа gratiſſima, & gratiſſimus hinnulus. 143. 2.
7. Occurrit illi mulies ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula & vaga, quietia impatiens, nec valena in domo conſiſtere pedibus ſuis: none foris,nunc in plateis, nunc iuxta anguloa inſidians. 401.1
7. Intexui funibus lectulum meum, ſtraui tapetibus pictis ex Ægypto. 353.2
7. Aſperſi eubile meum myrrha & aloë,& cinnamomo. 470.1
11. Circulus aureus in naribus ſuis mulier pulchrà,& fatua. 450.1
14. Cor, quod nouit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio eios non miſcebitur extraneus. 224.1
16. Melior eſt patiens viro forti;& qui dominatur animo ſuo expugnatore vrbium. 153.2
16. Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus. 442.2
20. Quia gloriabitur caſtum ſe habere cor. 38.1
21. Neque enim eſt conſilium, neque ſapientia, neque virtus contra Dominum. 91.1
21. Equus paratur ad diem belli;Dominos autem ſalutem tribuit. 98.2
22. Animus hilaris ætatem floridam facit; ſpiritus triſtia exſiccat oſſa. 42.2
23. Ne comedaa cum homine inuido, & ne deſideres cibos eius: quoniam in ſimilitudinem arioli æſtimat quod ignorat. 85.2
23. Ne intueatis vinum quando flaueſcit, cùm ſplenduerit in vitro colos eius: ingreditor blandè ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber. 348.2
24. Cùm ceciderit inimicus tuua, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum. 173.2
30. Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pauebit occurſum. 59.1
30. Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: Via aquilæ in cælo: via colubri ſuper petram, via nauis in medio mari, & via viri in adoleſcentula. 397.1
31. Date ſiceram mœrentibus, & vinum his qui amaro ſunt animo, hibant & obliuiſcantur doloris ſui. 521.2
31. Mulierem fortem qois inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius:confidit in ea cor viri ſui,& ſpoliis non indigebit. 325.2
31. Quæſiuit lanam & linum & operata eſt conſilio manuum ſuarum. 327.2
31. Nobilis in portis vir eius. 327.1
31. Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo. 17.2

Eccleſiaſtes.

3. Tempus flendi, & tempus ridendi: tempus plangendi, & tempus ſaltandi. 529.1
7. Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. 522.2
9. Omni tempore ſint veſtimenta tua candida. 334.1.& 336.2
12. Memento Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ; antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni de quibus dicas; Non mihi placent. 250.2

Cantici Canticorum.

1. Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. 423.1
1. Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te,amica mea. 452.1
1. Nigra ſum,ſed formoſa filiæ Ieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis 314.2
1. Collum tuum ſicut monilia. 422.2
1. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter vbera mea commorabitur. 423.1
3. En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt,omnes tenentes gladium. 298.1
4. Odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris. 409.2
4. Nardus & crocus, fiſtula, & cinnamomum cum vniuerſis lignis Libani: Myrrha, & aloë cum vniuerſis primis vnguentis. 470.1
5. Ego dormio & cor meum vigilat. 146.2
5. Caput eius aurum optimum: comæ eius ſicut elatæ palmarum, nigræ quaſi coruus. 332.1
5. Expoliaiui me tunica mea; quomodo induar illa? laui pedes meos; quomodo inquinabo illos. 372.1
5. Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis: venter eius eburneus diſtinctus ſapphiris. 345.1
7. Caput tuum vt Carmelus, & comæ capitis tui ſicut purpura regis vincta canalibus. 341.2
7. Quid faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquanda eſt? Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea; ſi oſtium compingamus illud tabulis cedrinis. 398.2
7. Anima mea liquefacta eſt cùm dilectus locutus eſt. 76.1
8. Fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. 76.2
8. Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum. 419.2
8. Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis. 392.2

Sapientiæ.

1. Diligite iuſtitiam,qui iudicatis terram. 394.2
3. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget

tanget illos tormentum mortis. 169.1
5. Laſſati ſumus in via iniquitatis. 143.2
7. Et ego natus accepi communem aërem, & in ſimiliret factam decidi terram, & primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans. 530.2
14. Acerbè enim dolens pater, cirò ſibi rapti filij facit imaginem; & illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſeruos ſuos ſacra & ſacrificia. 471.2
18. Parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum ſculpta. 439.2
18. Magnificentia tua in diademate capitis illius ſcripta erat. 441.2
18. In veſte poderis quam habebat, totus erat orbis terrarum. 442.1

Eccleſiaſtici.

2. Muſica in luctu importuna narratio. 479.1
7. Noli fieri iudex, ne extimeſcas vultum potentis, & non valeas irrumpere iniquitatem. 170.1
10. Regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtitias & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos. 167.2
10. Væ terræ cuius rex puer eſt. 304.2
11. Ante mortem ne laudes quemquam. 481.2
12. Da bono & ne receperis peccatorem. 161.2
12. Non credas inimico tuo in æternum, ſicut enim æramentum æruginat nequitia illius; & ſi humiliatus vadat curuus, adiice animum tuum, & cuſtodi te ab illo. 205.2
13. Qui tangit picem inquinabitur ab ea. 151.1
13. Veſtigium cordis boni, & faciem bonam difficile inuenies, & cum labore. 155.2
18. Diuitias & paupertatem ne dederis mihi, ſed tantùm victui meo tribue neceſſaria. 381.2
22. Fili in mortuum produc lachrymas. 538.1
22. Luctus mortui ſeptem dies. 524.1
22. Loramentum ligneum colligatum in fundamento ædificij; ſic & cor confirmatum in cogitatione conſilij. 186.2
30. Triſtitiam longè repelle à te, multos enim occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa. 43.1
30. Bona abſcondita in ore clauſo quaſi appoſitiones epularum circumpoſitæ ſepulchro. 524.2
30. Miſerere animæ tuæ. 161.2
39. Non recedet memoria eius, & nomen eius requiretur à generatione in generationem. Si permanſerit nomen, derelinquet pluſquam mille, & ſi requieuerit proderit illi. 496.2
39. Obaudite me diuini fructus, & quaſi roſa plantata ſuper riuos aquarum fructificate, florete flores quaſi lilium. 169.1
40. Graue iugum ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium. 509.1
45. Corona ſupra mitram eius expreſſa ſigno ſanctitatis. 441.2
46. Teſtimonium præbuit in conſpectu Domini & Chriſti; pecunias & vſque ad calceamenta ab omni carne non accepit; & non accuſauit illum homo. 377.2
46. Poſt hæc dormiuit, & notum fecit Regi finem vitæ ſuæ, & exaltauit vocem ſuam de terra in prophetia delere impietatem gentis. 200.1
47. Quaſi adeps ſeparatus à carne; ſic Dauid à filiis Iſraël: cum leonibus luſit quaſi cum agnis; & cum vrſis ſimiliter fecit, quaſi cum agnis ouium in iuuentute ſua. 60. 1. & 237.2
47. In tollendo manum ſaxo fundæ deiecit exultationem Goliæ. 70.2
47. Dedit tollero hominem fortem in bello, & exaltare cornu gentis ſuæ. 99.1
47. In decem millibus glorificauit eum, & laudauit eum in benedictionibus Domini in offerendo illi coronam gloriæ. 81.1

Iſaia.

1. Ne offeratis mihi vltra ſacrificium; incenſum abominatio eſt mihi, & cum extenderitis manus veſtras, &c. 289.1
1. Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur; & ſi fuerint rubra ſicut vermiculus, velut lana alba erunt. 327.1
1. Confundentur enim ab Idolis quibus ſacrificauerunt, & erubeſcetis ſuper hortos quos elegeratis. 503.2
3. Dabo pueros principes eorum, & effeminati dominabuntur eis. 389.2
3. Et dixit Dominus pro eo quod eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo. 381.1
3. Auferet Dominus, in illa die, ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas & mitras, & murenulas & olfactoriola. 395.1. & 415.2. & 409.2
3. Et vittas & theriſtra. 396.1
3. Et erit pro zona funiculus. 393.1
3. Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio. 415.2
5. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum; & ea quæ ſub ipſo erant replebant templum. 446.2
5. Non eſt deficiens, neque laborans in eo: non dormitabit, neque dormiet; neque ſoluetur cingulum renum eius; nec rumpetur corrigia calceamenti eius. 378.2
7. In die illo radet Dominus in nouacula conducta, in his qui trans flumen ſunt in Rege Aſſyriorum caput, & pilos pedum, & barbam vniuerſam. 379.2
7. Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. 397.1
11. Erit iuſtitia cingulum lumborum eius. 394.1
11. Non ſecundùm viſionem oculorum iudicabit, nec ſecundum auditum aurium arguet. 36.2
15. Moab vlulabit, in cunctis capitibus eius caluitium, & omnis barba radetur. 305.1
16. Ini conſilium, coge concilium. 186.2
17. Propterea plantabis plantationem fidelem, & germen alienum. 283.2
20. Vade, & ſolue ſaccum de lumbis tuis, & calceamenta tolle de pedibus tuis: Et fecit ſic vadens nudus & diſcalceatus. 376.1. & 378. 1. & 385.2
20. Nudam, & diſcalceatam, & diſcoopertis natibus ad ignominiam Ægypti. 379.2
27. In illa die percutiet Dominus ab alueo fluminis, vſque ad torrentem Ægypti. 13.1

28. Coangustatum eſt ſtratum, itant altet decidat; & pallium breue vtrumque operise non poteſt. 367.2

30. Frænum erratis quod erat in maxillis popolorum. 291.2

31. Væ qui prædaris nonne & ipſe prædaberis; & qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris? Cùm conſummaueris deprædationem, deprædaberis; &c. 135.2

32. Eauite vos & confondimini, accingite lumbos veſtros, ſuper vbera plangite. 477.1

39. Omnia, quæ ſunt in domo mea, viderunt; Non fuit res quam non oſtenderim eis. 137.1

40. Omnis vallis exaltabitur; & omnis mons & collis humiliabitur. Erunt praua in directa, & aſpera in vias planas. 205.2

42. Linum fumigans non extinguet. 152.2

42. Qui vides multa, nonne cuſtodies? Qui apertas habes aures, nonne audies? 361.2

42. Loquimini ad cor Ieruſalem & aduocate eam; quoniam completa eſt malitia eius, dimiſſa eſt iniquitas illius; ſuſcepit de manu Domini duplicia pro vniuerſis peccatis ſuis. 160.1

48. Gloriam meam alteri non dabo. 440.1

49. Omnibus his velut ornamento veſtieris, & circundabis eos tibi quaſi ſponſa. 443.1

49. Erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ. ibid.

53. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. 167.1

54. Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende. 314.2

55. Omnes ſitientes venite ad aquas; & qui non habetis argentum emite, & comedite, &c. 158.1

55. Quomodo deſcendit imber & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur; ſic erit verbum meum quod egreditur de ore meo: non reuertetur ad me vacuum, &c. 228.1

57. Iuſtus perit, & non eſt qui recogitet in corde ſuo. 223.2. & 480.2

64. Tu iratus es, & peccauimus. 262.2

65. Qui immolant in hortis. 527.1

65. Populus qui ad iracundiam prouocat me ante faciem meam ſemper, qui immolant in hortis. 503.2

65. Qui habitant in ſepulchris, & delubris idolorum dormiunt. ibid.

66. Multiplicabuntur interfecti à Domino, qui ſanctificabantur, & mundos ſe putabant in hortis poſt ianuam intrinſecus. ibid.

Ieremiæ.

1. Ne timeas à facie eorum. 85.1

2. Prohibe pedem tuum à nuditate, & guttur tuum à ſiti. 379.1

2. Nunquid obliuiſcetur virgo ornamenti ſui, aut ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ. 401. & 422.1

2. In alis tuis inuentus eſt ſanguis animarum pauperum, & innocentium; non in foſſis inueni eos, ſed in omnibus his. 357.1

3. Facies meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere. 401.1

4. Tu autem veſtita quid facies? cum veſtieris te coccino, cùm ornata fueris monili aureo; cùm pinxeris ſtibio oculos tuos, fruſtra componetis: contemnent te amatores tui. 405.2

5. Pharetra eius quaſi ſepulchrum patens. 228.1

9. Vt iniquè agerent laborauerunt. 62.2

9. Contemplamini, & vocate lamentatrices & veniant: docete filias veſtras lamentum, & vnaquæque proximam ſuam planctum. 480.1

10. Scio, Domine, quia non eſt hominis via eius, nec viri eſt vt ambulet & dirigat greſſus ſuos. 98.2

11. Collidam in te ſenem & puerum. 87.2

13. Sicut adhæret lumbare ad lumbos viri, ſic agglutinaui mihi omnem domum Iſrael. 365.2

13. Si poteſt Æthiops mutare pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas. 151.1

14. Luxit Iudæa, & clamor Ieruſalem aſcendit, &c. confuſi ſunt & afflicti, & operuerunt capita ſua, &c. quia non venit pluuia in terram, confuſi ſunt agricolæ, & operuerunt capita ſua. 358.2

15. Non ſedi in concilio ludentium. 547.2

16. Diem hominis non deſideraui, Domine, tu ſcis. 173.2. & 180.2

16. Mortibus ægrotationum morientur; non plangentur, non ſepelientur, in ſterquilinium ſuper faciem terræ erunt. 476.2

16. Morientur grandes & parui in terra iſta; non ſepelientur neque plangentur: non ſe incident, neque caluitium fiet pro eis. 476.2

16. Non frangent ſuper eos lugenti panem ad conſolandum ſuper mortuum, & non dabunt eis potum calicis ad conſolandum ſuper patre ſuo. 521.1

16. Mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum. 142.2

16. Percoſſit eum gladio & proiecit cadauer eius in ſepulchris vulgi ignobilis. 505.2

17. Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud? Ego Dns ſcrutans renes & corda. 38.1

18. Subitò loquar de gente, & de regno vt ædificem & plantem illud: ſi fecerint malum in oculis meis, vt non audiant vocem meam; pœnitentiam agam ſuper bonum quod locutus ſum vt facerem ei. 289.1

18. Nunquid deficiet de petra agri nix Libani. 9.1

22. Hæc dicit Dominus ad Ioachim Regem Iuda: Non plangent eum: væ frater, & væ ſoror: non concrepabunt ei væ domine, & væ inclyte. 464.1

22. Si fuerit Iechonias annulus in dextera mea; inde euellam eum; & dabo te in manu quærentium animam tuam. 417.1. & 418.1

30. Qui comedunt te deuorabuntur; & vniuerſi hoſtes tui in captiuitatem ducentur. 169.2

30. Egredietur de eis laus; voxque ludentium. 527.2

31. Adhuc ornaberis tympanis tuis virgo Iſrael, & egredieris in choro ludentium. 527.2

34. Audi verbum Domini Sedechia rex Iuda: non morieris in gladio, ſed in pace morieris, & ſecundùm combuſtiones patrum tuorum Regum priorum qui fuerunt ante te, ſic comburent te, & væ Domine plangent. 497.2. & 498.1.

36. Proiecit

36. Proiecit in ignem qui erat ſuper arulam, donec conſumeretur omne volumen igne qui erat in arula. 540.1
36. Et non timuerunt neque ſciderunt veſtimenta ſua Rex & omnes ſerui eius qui audierunt vniuerſos ſermones iſtos. 540.1
42. Omne verbum quodcunque reſponderit mihi, indicabo vobis, nec celabo vos quicquam. 137.1
48. Pro eo quod habuiſti fiduciam in munitionibus tuis,& in theſauris tuis; tu quoque capieris. 155.2
48. Omne enim caput caluitium, & omnis barba raſa erit. 305.1

Threnorum.

1. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum. 225.1
1. Peccatum peccauit Ieruſalem: propterea inſtabilis facta eſt. 167.1
1. Omnes qui glorificabant eam, ſpreuerunt illam: quia viderunt ignominiam eius. Ipſa autem gemens conuerſa eſt retrorſum; ſordes eius in pedibus eius. 379.2
4. Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphyro pulchriores: denigrata eſt facies eorum. 349.1
4. Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora. 347.1
4. Filij Sion inclyti & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea opus manuum figuli. 326.1
4. Completa eſt iniquitas tua filia Sion: non addet vltra vt transmigret te. 160.1

Baruch.

4. Circumſpice Ieruſalem ad Orientem, & vide iucunditatem à Deo tibi venientem. Ecce enim veniunt filij, quos dimiſiſti diſperſos. 547.2
5. Exue te Ieruſalem ſtola luctus, & vexationis tuæ & indue te decore. ibid.
5. Perſequutus eſt te inimicus tuus; ſed cito videbis perditionem ipſius, & ſuper ceruices ipſius aſcendes. 387.2
6. Rugiunt autem clamantes contra Deos ſuos quaſi in cœna mortui. 525.1

Ezechielis.

2. Et ſcriptæ erant in eo lamentationes, & carmen,& væ. 531.1
3. Sanguinem eius de manu tua requiram. 110.2
5. Iſta eſt Ieruſalem; in medio gentium poſui eam,& in circuitu eius terras. 6.2
7. Et non parcet oculus meus ſuper te; ſed vias tuas ponam ſuper te. 150.2
7. Afflictio vna, afflictio ecce venit. 180.1
8. Introduxit me ad oſtium atrij: & cùm fodiſſem parietem dixit ad me, Ingredere: Et ingreſſus vidi. Et ecce omnis ſimilitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuerſa idola domus Iſraël depicta erant in pariete in circuitu. Et Septuaginta viri de ſenioribus domus Iſrael, &c. 354.1
16. Dedi armillas in manibus tuis. 419.1
16. Pater tuus Amorrhæus,& mater tua Cethæa. 87.1
17. Dedi circulos auribus tuis. 410.1
21. Clama & vlula fili hominis. 465.1
21. Aufer cydarim pone coronam, &c. 362.1
23. Ecce venerunt, quibus te lauiſti, & circumliniſti ſtibio oculos tuos, & ornata es mundo muliebri. 404.2
24. Ora amictu non velabitis, & cibos lugentium non comedetis; coronas habebitis in capitibus veſtris. 362.1
24. Ecce ego tollo à te deſiderabile oculorum tuorum in plaga & non planges, neque plorabis: mortuorum luctum non facies; corona tua circumligata ſit tibi, & calceamenta erunt in pedibus tuis. 368.1
26. Et deſcendent de ſedibus ſuis omnes principes maris, & auferent exuuias ſuas, & veſtimenta ſua varia abiicient & induentur ſtupore. 349.2
27. Byſſus varia de Ægypto texta eſt tibi in velum vt poneretur in malo. 355.1
27. Et aſſumant ſuper te carmen lugubre. 478.2
27. Propter multitudinem operum tuorum, gemmam, & purpuram, & ſcutulata. 310.1
27. Syrus negotiator tuus propter multitudinem operum tuorum, & gemmam, & purpuram, & ſcutulata, & byſſum, & ſericum. 357.2
27. Iuda & terra Iſrael ipſi inſtitores tui in frumento primo, Balſamum, & mel,& oleum in nundinis tuis. 469.2
28. Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo, 155.2
27. Damaſcenus negotiator tuus in multitudine operum tuorum, in multitudine diuerſarum opum. 353.1
27. Eiulabunt ſuper te voce magna, clamabunt amarè, & ſuperiacient puluerem capitibus ſuis,& cinere conſpergentur, & radent ſuper te caluitium, & accingentur ciliciis & plorabunt te in amaritudine animæ planctu amariſſimo, & aſſument ſuper te carmen lugubre, & plangent te. 465.1.& 476.2
32. Fili hominis aſſume lamentum ſuper Pharaonem regem Ægypti & dices ad eum; Leoni gentium aſſimilatus es, & Draconi qui eſt in mari. 478.2
32. Fili hominis cane carmen lugubre ſuper multitudine Ægypti. 478.2.& 479.1
34. Lac comedebatis, & lanis cooperiebamini. 313.1
39. Et deprædabuntur eos quibus prædæ fuerant;& diripient vaſtatores ſuos. 136.1

Danielis.

5. Quicunque legerit Scripturam hanc & interpretationem eius manifeſtam mihi fecerit, purpura veſtietur, & torquem aureum habebit in collo. 343.1.& 448.1. 451.1
13. Et illæ timentes loquebantur vobis. 248.2

Oſeæ.

10. Quia confiſus es in viis tuis, in multitudi-

ne fortium tuorum: conſurget tumultus in populo tuo & omnes munitiones tuæ vaſtabuntur. 72.1
12. Chananæus in manu habet trutinam fallacem: amat iniuriam facere. 17,2

Ioëlis.

2. Inter veſtibulum & altare plorabunt ſacerdotes miniſtri Domini dicentes: Parce Domine parce populo tuo,& ne des hæreditatem tuam in opprobrium. 534.1

Amos.

2. Ego exterminaui Amorrhæum, cuius altitudo,cedrorum altitudo eius,& fortis ipſe quaſi quercus, 17,1
5. Vocabunt ad planctum eos qui ſciunt plangere. 476.2.& 479.2
6. Imminuamus menſuram,& augeamus ſiclum, & ſupponamus ſtateras doloſas; vt poſſideamus in argento egenos,& pauperes pro calceamentis. 378,1

Michea.

1. Lachrymis ne ploretis: in domo pulueris puluere vos conſpergite. 225,2
1. Super hoc plangam & vlulabo: vadam ſpoliatus & nudus: faciam planctum velut draconum. 376.1
2. In illa die ſumetur ſuper eos parabola, & cantabitur canticum cum ſuauitate dicentium. 479.1
5. Et tu Bethleem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda. 141.1

Nahum.

2. Quia reddidit Dominus ſuperbiam Iacob, ſicut ſuperbiam Iſrael. 2.2
1. Conſummationem ipſe faciet, nec conſurget duplex tribulatio. 180.1
2. Clypeus fortium eius ignitus, viri exercitus eius in coccineis. 325.1

Habacuc.

1. Suſcitabo, Chaldæos, gentem amaram, & velocem, ambulantem ſuper latitudinem terræ, vt poſſideat tabernacula non ſua. 265.1
3. Turbabuntur pelles terræ Madian. 314.1
3. Equites eius diffundentur. 263.2

Sophonia.

2. Væ qui habitatis funiculum maris gens perditorum. 298.2

Aggei.

2. Aſſumam te Zorobabel, & ponam te quaſi ſignaculum,quia elegi te. 417.1

Zacharie.

3. Et Ieſus veſtitus erat veſtibus ſordidis, & ſtabat ante faciem Angeli. 338.1

I. Machabæorum.

4. Et acceperunt aurum multum, & argentum, & hyacinthum, & purpuram marinam. 344.1
8. Et in omnibus iſtis nemo portabat diadema, nec induebatur purpura vt magnificaretur in ea. 344.1
8. Et abierunt Romam viam multam valde. 517.1
10. Audiuimus de te quòd vir potens ſis viribus,& aptus es vt ſis amicus noſter; & nunc conſtituimus te hodie ſummum ſacerdotem gentis, & vt amicus voceris regis: miſit ei purpuram & coronam auream. 343.1
10. Miſit fibulam auream ſicut conſuetudo eſt dari cognatis Regum; & dedit ei Accaron, & omnes filias eius in poſſeſſionem. 454,1
11. Vaſa aurea in miniſterium, poteſtatem bibendi in auro, & vt purpuram indueret, & fibulam auream. 452.2.& 454.1
12. Et vidit Ionathas quia tempus eum iuuat & elegit viros, & miſit eos Romam ſtatuere & renouare cum eis amicitiam. 517.1
13. Et iuxta arma naues ſculptæ. 516.2
13. Et ſtatuit ſeptem Pyramides, vnam contra vnam; patri,& matri,& quatuor fratribus, & his circumpoſuit columnas magnas, & ſuper columnas arma. 515.1
14. Fecit amicum ſuum, iubens vt operiretur purpura & auro. 343.1

II. Machabæorum.

13. Et ædificauit Simon ſuper ſepulchrum patris ſui, & fratrum ſuorum ædificium altum viſu,lapide polito,retro,& ante. 510.2.& 513.2.& 515.2

EX NOVO TESTAMENTO.

Matthæi.

Cap. 3. IOannes habebat veſtimentum de pilis camelorum & zonam pelliceam circa lumbos ſuos. 313.2.& 316.2
3. Nolite dicere intra vos, patrem habemus Abraham. 3.1
5. Vos eſtis Sal terræ. 468.2
5. Cùm facis eleemoſinam noli tuba canere ante te. 491.1
5. Cùm facis eleemoſinam neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua. 418.2
5. Ei,qui tecum vult in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte illi & pallium. 371.2
5. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. 231.2
5. Non potes vnum capillum album aut nigrum facere. 471.1
5. Si quis à te vult auferre tunicam, dimitte illi & pallium. 368.1
6. Nemo poteſt adiicere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum. 471.1
6. Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis. 313.2

6.Nolite

6. Nolite ſolliciti eſſe dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus? Scit enim pater veſter, quòd his omnibus indigetis. 287.1. & 64.1
7. Mala arbor malos fructus facit. 151.1
8. Nonne in nomine tuo prophetauimus & dæmonia eiecimus? Amen dico vobis nunquam noui vos. 104.1
8. Exeuntes de monumentis. 512.1
9. Nemo mittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus. 355.2
10. Quod in aure audiſtis; prædicate ſuper tecta. 260.2
10. In viam gentium ne abieritis. 21.2
10. Nolite poſſidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris. 393.2. & 457.1
11. Venit Ioannes non manducans, neque bibens. 376.2. & 377.2
12. Non legiſtis quid fecerit Dauid, quando eſuriit & qui cum eo erant; quomodo intrauit in domum Dei & panes propoſitionis comedit? 115.1. & 118.2
12. Quomodo quiſquam poteſt intrare in domum fortis, & vaſa eius diripere; niſi prius alligauerit fortem, & tunc domum illius diripiet. 54.2
13. Nonne hic eſt fabri filius, & nonne pater eius & mater eius ſunt apud nos, &c. 158.2
16. Facto veſpere dicitis: Serenum erit; rubicundum eſt enim cælum: & mane: Hodie tempeſtas; rutilat enim triſte cælum. 349.1
18. Quando fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ſum. 35.1
20. Tradetur gentibus ad illudendum, & conſpuendum. 21.2
23. Dilatant enim phylacteria ſua. 362.1
23. Similes eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa. 510.1
24. Quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam. 20.1
24. Et qui in agro, non reuertatur tollere tunicam ſuam. 372.2
25. Amen dico vobis, neſcio vos. 158.2
26. Non potuiſti vna hora vigilare mecum. 521.1
27. Ager ſanguinis. 505.2
27. Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. 221.2
27. Ioſeph inuoluit illud in ſindone munda, 484.1
27. Et aduoluit ſaxum magnum ad oſtium monumenti, & abiit. 512.2
28. Veſpere ſabbathi quæ luceſcit in prima ſabbathi. 333.2
26. Ite in ciuitatem ad quemdam. 118.1
26. Blaſphemauit. 539.2

Marci.

1. Non ſum dignus procumbens ſoluere corrigiam calceamentorum eius. 378.2
2. Non legiſtis quomodo Dauid introiuit in domum Dei ſub Abiathar principe ſacerdotum, & panes propoſitionis manducauerit? 116.1
6. Præcepit eis ne quid tollerent in via niſi virgam tantùm; non peram, nòn panem, neque in zona æs; ſed calceatos ſandaliis, & ne induerentur duabus tunicis. 457.1
6. Noluit illos contriſtare propter ſimul diſcumbentes. 157.1
7. Baptiſmata calicum & vrceorum, & æramentorum. 179.1
9. Veſtimenta eius facta ſunt ſplendentia & candida nimis velut nix, qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere. 335.2
9. Quomodo ſcriptum eſt in filium hominis. 247.1
13. Nemo aſſumentum panni rudis aſſuit veſtimento veteri. 355.2
14. Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum amictus ſindone ſuper nudum. 371.1
15. Maria Magdalene, & Maria Ioſeph aſpiciebant vbi poneretur. 466.2
15. Ioſeph autem mercatus ſindonem, & deponens eum inuoluit ſindone, & poſuit eum in monumento. 483.2
16. Emerunt aromata vt venientes vngerent Ieſum. 527.2
16. Viderunt reuolutum lapidem, & Angelum ſedentem ſuper eum. 512.2

Lucæ.

1. Benedicta tu inter mulieres; & benedictus fructus ventris tui. 262.2
2. Aſcendit à Galilæa de ciuitate Nazareth, &c. eò quòd eſſet de domo, & familia Dauid. 20.1
2. Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco. 99.1
4. Et ſtans ſuper illam, imperauit febri. 203.1
5. Alioquin & nouum rumpit, & veteri non conuenit commiſſura à nouo. 356.1
6. Virtus de illo exibat & ſanabat omnes. 137.1
7. Quia dignus eſt, vt hoc illi præſtes; diligit enim gentem noſtram, & ſynagogam ipſe ædificauit nobis. 21.1
7. Cùm appropinquaret Ieſus portæ ciuitatis; ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ. 486.2
7. Acceſſit Ieſus, & tetigit loculum: hi autem qui portabant ſteterunt. 492.1
7. Oleo caput meum non vnxiſti. 41.1
7. Aquam pedibus meis non dediſti. 378.2
9. Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam. 64.1
10. Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta. 378.2
12. Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. 365.2
12. Amen dico vobis quòd præcinget ſe & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. 447.1
15. Proferte citò ſtolam primam & date annulum in manu eius. 392.1
19. Et Ieſus ait ad eum; Quia hodie ſalus huic domui facta eſt. 247.1
19. Videns ciuitatem fleuit ſuper illam. 476.1
22. Domine ſi percutimus in gladio? 138.1
23. Subſecutæ mulieres viderunt monumentum, & quemadmodum poſitum erat corpus eius. 466.2
23. Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete. 476.1

Ioannis.

Index locorum S. Scripturæ.

Ioannis.

1. Quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. 137.1
1. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. 137.1
1. Et gratiam pro gratia. 328.1
3. Hoc eſt iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt magis homines tenebras quàm lucem. 340.1
4. Ieſus ergo fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem. 118.1
4. Venite & videte hominem, qui dixit mihi quæcunque feci. 137.1
4. Alium cibum habeo manducare quem vos neſcitis: Meus cibus eſt vt faciam voluntatem Patris mei. 40.1
4. Nonne vos dicitis quòd adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit? 55.2
5. Si ergo teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum verum non eſt. 61.1
7. Nolite ſecundùm faciem iudicare, ſed verum iudicium iudicate. 37.1
8. Tu de temetipſo teſtimonium perhibes: teſtimonium tuum verum non eſt. 61.1
8. Semen Abrahæ ſumus. 3.1
9. Hic autem vnde ſit, neſcimus. 158.2
10. Ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet. 86.1
11. Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos. 538.1
11. Et facies illius ſudario erat ligata. 485.2
11. Ecce quem amas infirmatur. 135.1
11. Nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc. 135.2
11. Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis. 455.2
11. Erat autem ſpelunca & lapis ſuperpoſitus erat ei, & ait Ieſus tollite lapidem. 507.2. & 508.1
11. Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? 95.2
18. Domine tu ſcis quia amo te. 287.2
19. Inconſutilis deſuper contexta per totum. 353.1
19. Et ligauerunt eum linteis cum aromatibus. 370.2
19. Venit Nicodemus ferens mixturam myrrhæ & aloës quaſi libras centum. 468.1. & 470.1
19. Acceperunt ergo corpus Ieſu & ligauerunt illud linteis cum aromatibus ſicut mos eſt Iudæis ſepelire. 466.2
19. Erat autem in loco vbi crucifixus eſt hortus & in horto monumentum nouum, in quo nondum quiſquam poſitus erat. Ibi ergo poſuerunt Ieſum. 503.2
19. Acceperunt corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus; ſicut mos eſt Iudæis ſepelire. 484.1.& 497.2
20. Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina poſita, & ſudarium quod fuerat ſuper caput eius, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim inuolutum in vnum locum. 485.2
21. Cùm audiſſet quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe; erat enim nudus. 370.2

Actorum.

1. Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël. 138.1
1. Tu Domine qui corda noſti omnium. 38.2
1. Omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Ieſus. 86.2
5. Surgentes autem iuuenes amouerunt eum, & efferentes ſepelierunt. 487.1.& 2
5. Ecce pedes eorum qui ſepelierunt virum tuum ad oſtium, & efferent te. 487.1
7. Et cum hoc dixiſſet, obdormiuit in Domino. 462.2
9. Factum eſt autem vt infirmata moreretur, quam cum lauiſſent poſuerunt in cœnaculo. 465.1
9. Oſtendentes Petro veſtes quas faciebat illis Dorcas. 488.2
9. Eiectis omnibus foras, Petrus ponens genua orauit, & conuerſus ad corpus dixit: Tabitha ſurge: at illa aperuit oculos ſuos, & viſo Petro reſedit; dans autem illi manum erexit eam. 484.1
19. Iudæi, atque Gentiles qui habitabant in Aſia, audierunt verbum Dei. 21.2
11. Ergo & gentibus dedit pœnitentiam Deus ad vitam. 21.2
12. Præcingere & calcea te caligas tuas. 457.1. 379.1
12. Veſtitus veſte regia ſedit pro tribunali. 316.1
13. Deſtruens gentes ſeptem in terra Chanaan, ſorte diſtribuit eis terram eorum. 16.1
25. Dauid enim dicit in eum: Prouidebam Dominum. 247.1
4. Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna. 76.2.& 77.2

Ad Romanos.

6. Quòd autem mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel. 180.1
6. Stipendia peccati mors. 160.1
8. Certus ſum, quod neque mors, neque vita, neque profundum, &c. poterit nos ſeparare à charitate Dei. 76.2
9. Propter vaſa miſericordiæ quæ præparauit in gloriam, 54.2
11. Inueſtigabiles viæ eius. 333.2
11. Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit. 333.2
12. Si eſurierit inimicus tuus ciba illum, ſi ſitierit, potum da illi; hoc enim faciens prunas ignis congeres ſuper caput eius. 244.1

I. Ad Corinthios.

10. Non patietur tentari vos ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum. 136.1
12. Quæ inhoneſta ſunt noſtra abundatiorem honeſtatem habent. 365.2

Ad Galatas.

2. Qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circunciſionis, operatus eſt mihi inter gentes. 21.2
6. Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet. 135.2

Ad Epheſios.

1. Vt notum faceret nobis ſacramentum voluntatis

tatis ſuæ ſecundùm beneplacitum eius quod propoſuit in eo in diſpoſitione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto, ſiue quæ in cælis, ſiue quæ in terris in ipſo. 442.2

3. Flecto genua mea ad Patrem Domini mei Ieſu Chriſti ex quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur. 20.1

Ad Philippenſes.

1. Si aliquid nocuit tibi, mihi imputa. Ego reddam. 163.2
2. Rapinam non arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens. 78.1
3. Noſtra conuerſatio in cælis eſt. 445.1

Ad Colloſſenſes.

3. Induite nouum hominem qui renouatur in agnitionem ſecundùm imaginem eius qui creauit illum: vbi non eſt Gentilis & Iudæus, &c. 21.1
3. Vinculum perfectionis. 76.1

Ad Theſſalonicenſes I.

4. Hæc eſt voluntas Dei, vt abſtineatis vos à fornicatione, vt ſciat vnuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore, & non in paſſione deſiderij ſicut gentes, quæ ignorant Deum. 21.2.& 119.2
4. Nolumus vos ignorare de dormientibus vt non contriſtemini ſicut & cæteri qui ſpem non habent. 538.2

Ad Timotheum I.

2. Vult omnes homines ſaluos fieri. 137.2
2. Non in tortis crinibus, auro, aut argento, aut margaritis, aut veſte pretioſa. 429.1.& 430.1

Ad Timotheum II.

4. Penulam quam reliqui Troade apud Carpum affer tecum. 458.1

Ad Titum.

2. Tu autem loquere quæ decent ſanam doctrinam, &c. anus in habitu ſancto, non criminatrices, &c. vt prudentiam doceant adoleſcentulas, vt viros ſuos ament, filios ſuos diligant, 444.2

Ad Hebræos.

1. Et ad Angelos quidem dicit. 247.1
1. Et velut amictum mutabis eos. 351.1
4. Ad quem nobis ſermo. 247.1
4. Diſcretor cogitationum, atque intentionum cordis. 37.1
6. Statutum eſt hominibus ſemel mori. 180.1
11. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis. 313.2

Iacobi.

1. Si quis auditor eſt verbi, & non factor; hic comparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo. Conſiderauit enim ſe & abiit. 408.2
2. Si introierit in conuentum veſtrum vir aureum annulum habens in veſte candida, &c. 327.1. & 336.1
4. Deus ſuperbis reſiſtit. 70.2

I. Petri.

3. Mulierum non ſit extrinſecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus. 415.1. & 429.1.& 430.1

I. Epiſt. Ioannis.

3. Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo? 77.2

Apocalypſis.

1. Vidi in medio ſeptem candelabrorum aureorum ſimilem filio hominis, veſtitum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea. 446.2
3. Ambulabunt mecum in albis quia digni ſunt. Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis. 334.1
4. De throno procedebant fulgura, & voces & tonitrua, & ſeptem lampades ardentes ante thronum. 475.2
4. Ceciderunt viginti quatuor ſeniores habentes phialas plenas odoramentorum. 475.2
4. Dignus es Domine accipere librum quoniam occiſus es. ibid.
5. Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum Agnum ſtantem tanquam occiſum. ibid.
14. Beati mortui qui in Domino moriuntur. 462.2
14. Amodo iam dicit ſpiritus vt requieſcant à laboribus ſuis. 485.2
15. Exierunt ſeptem Angeli, habentes plagas, de templo, veſtiti lino mundo & candido. 337.2
18. Et flebunt, & plangent ſe ſuper ipſam Reges qui cum ipſa fornicati ſunt. 477.1
19. Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & iam non erit amplius neque luctus, neque clamor, neque dolor, quia prima abierunt. 532.2
19. Et habet in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum: Rex regum, & Dominus dominantium. 352.1.& 354.1

SVMMA
TOTIVS VOLVMINIS.

ANNOTATIO Prooemialis,	*De Origine Populi Iudaici,* &c.
Commentarius	*In geſta Dauidis*
Digreſſio Prima	*De re Veſtiaria Iudæorum.*
Digreſſio Secunda	*De ritibus in Hebræorum funere ſeruatis*
Digreſſio Tertia	*De publico & priuato eorundem luctu.*

AD COM

Digitized by Google

AD COMMENTARIVM DAVIDIS

ANNOTATIO PROEMIALIS.

DAVIDIS geſta, & Regni Iudaici adminiſtrationem expoſiturus operæpretium me facturum exiſtimaui ſi priùs de Hebræo Populo cognoſcerem, quis eius auctor extiterit qui progreſſus, quas incoluerit ſedes & quam regiminis formam ad Regum vſque tempora ſeruauerit. Ordiar igitur à cognomentis, quibus in ſacris, & prophanis litteris Iudæa gens eſt appellata.

Iudaici Populi nomen, ortus, & progreſſus.

CAPVT PRIMVM.

POPVLVS hic primò *Hebræus* dictus eſt, quod ipſius nomen antiquiſſimum fuit, & notiſſimum; adeò vt à Gentilibus, & externis aliter fermè non ſoleat in ſacris litteris appellari. Cùm enim Scriptura de hoc Populo loquens, ipſum vel *Iſrael*, vel *Iacob* appellet; vbi tamen inducit Gentiles loquentes, hi ferè ſemper *Hebreum* illum nuncupant, vt 1. Reg. 4. 6. Philiſthini faciunt. *Quæ nam eſt hæc vox*, inquiunt, *in Caſtris Hebræorum?* Et paulò poſt [a]: *Confortamini, & eſtote Viri Philiſthiim, ne ſeruiatis Hebræis*; Et infrà iterum in hoc eodem [b] libro iidem Philiſthiim: *Ecce Hebræi egrediuntur à cauernis ſuis*; Et poſtea denique Palæſtini Principes conſpecto Dauide cum turma ſua: *Quid*, inquiunt [c], *ſibi volunt Hebræi iſti in caſtris Philiſthiim?* longè verò antè hæc tempora, cùm adhuc in Ægypto degeret, Vxor Putipharis Ioſepho calumniam ſtructura, non aliter illum, quàm Hebræum nuncupat; *En*, inquit [d], *introduxit virum Hebræum vt illuderet nobis.*

[a] 1. Reg. 4. 9.
[b] 14. 11.
[c] lib. 1. Reg. cap. 26.
[d] Gen. 39. 14.

Vnde igitur hæc illius appellatio tam propria, tam antiqua, tam omnibus vſurpata? fuerunt olim qui ab Abraham dictos Hebræos putarunt, quaſi Abrahæos; In qua opinione fuit aliquando Diuus Auguſtinus [e]. Sed perſpicuè falluntur, & poſſunt è ſcriptura clarè conuinci. Si enim hoc Gentile cognomentum longè fuit antiquius Abrahamo, non potuit ab illius vocabulo deriuari; Antiquius autem fuiſſe conſtat ex ſcriptura quæ Abrahamum *Hebræum* ex veteri inſtituto, & iam recepto cognomento denominat: *Et ecce*, inquit [f], *vnus, qui euaſerat, nunciauit Abraham Hebræo, qui habitabat in conualle Mambre.* Adde, ab Abraham, Hebræos non ſolùm, ſed Iſmaëlitas, & Idumæos extitiſſe, iſtos per Eſau, illos per Iſmaëlem propagatos. Non igitur ab Abraham Hebræi dicti ſunt, ab illo ſcilicet ortus originem trahentes, quod non Hebræi ſolùm, ſed hoſtes perpetui Hebræorum ab Abraham fuerint procreati.

[e] lib. 1. de conſenſu Euangeliſtarũ cap. 14. lib. 16. de Ciuit. cap. 3. quam tamen retractauit lib. 2. cap. 14. Retractat.
[f] Gen. 14. 13.

Duplex igitur alia huius appellationis origo traditur, vtraque probabilis: altera quòd Hebræi ſint ab *Heber* appellati, qui fuit quintus à Sem, primo Noëmi filio, & auus Abraham; de quo ſic ex libro [g] Geneſis Auguſtin. [h] Explicans enim quomodo ſcriptura dicat, Sem patrem fuiſſe omnium filiorum Heber: *Non ſanè*, inquit, *ipſum Heber genuit Sem; ſed ab illo quintus in progenitorum ſerie reperitur. Sem quippè inter alios filios genuit, Arphaxad, Arphaxad genuit Cainam, Caina genuit Sala, Sala genuit Heber*; inde ſubdit quod quæſtioni reſpondet, quam verſamus. *Non itaque fruſtrà ipſe Heber primus nominatus in progenie veniente de Sem, & prælatus eſt etiam filiis, cùm ſit quintus nepos; niſi quia verum eſt quod traditur, ex illo Hebræos eſſe cognominatos, tanquam Hebræos.* Et in hac vocis *Hebræus* ab Heber deriuatione plures alij cum Auguſtino conſentiunt, tam veteres [i], quàm recentiores [k].

[g] cap. 10.
[h] lib. 6. de Ciuit. c. 3.
[i] Hieronymus, Beda, Iſidorus Geneſ 10. idem Auguſt. de Ciuit. lib 39.
[k] Liran Eugubin Pererius. Delrio, Fernand Cordub. Gen. 10. & 14.

Altera deriuatio eſt non ab vllo proprio vocabulo, ſed ab Hebræa voce *Habar*, vel vt alij [l] pronunciant, *Haber*, quæ propriè ſignificat *tranſire*; vt Hebræus inde appellatus ad verbum ſit *tranſitor*, aut *qui tranſit*, vel *tranſiens*, vt expreſsè vocem hanc ſeptuaginta, & Aquila verterunt. Pro eo enim quod in noſtra [m] eſt: *Et ecce nunciauit*

[l] Sigon. de Repub. Hebr. lib. 1. cap. 2.
[m] Gen. 14. 13.

uit *Abraham* הָעִבְרִי *Hebræo*, ipſi legunt τῷ περάτῃ tranſitori. Duplex autem deriuationis huius ratio traditur: altera litteralis: altera myſtica eſt, quia populus hic *Hebræus* poſtea cognominatus, antea in Meſopotamia Tigrin inter, Euphratémque degebat, vbi Sem, Arphaxad, Caina, & alij ipſius progenitores habitauerant; inde verò Duce Alphaxado, Euphrate pertranſito, proximis locis inſederat, ex quo ab his, qui remanſerant, appellari cœpti *tranſitores*, aut *qui tranſierant*, vel vt Auguſtinus [n] illos cum aliis [o] appellat, *tranſfluuiales*. Quia enim, Euphrate traiecto, trans illum remanſerant, inde *Tranſamnani* dicti ſunt; vt olim à Romanis Hebræi dicebantur, *Tranſtyberini*, quòd Trans Tyberim ſedes incolerent; & ſicut nos Tranſmontanos, Tranſalpinos, & Tranſmarinos dicimus, à quibus Montibus, Alpibus, & Mari ſeiungimur. Et hanc Hebrææ vocis ethymologiam hiſtoricam, & litteralem plerique ex veteribus [p], & recentioribus ſequuntur.

n quæſt. 29. in Geneſ.
o Cornel. Geneſ. 14.
p Orig. Chryſoſt. Diodor. Theodoret. Ruper. in c. 14. Geneſ. Aug. q. 29. in Geneſ.

Altera nominis origo myſtica eſt; vt inde ſciatur, Dei Populum, quem proprium ille ex omni gente elegiſſet, & lecturus eſſet, *non habere hîc ciuitatem permanentem, ſed futuram inquirere: nec Inquilinum hîc eſſe ſed hoſpitem, & tranſitorem.* Ad quod alluſiſſe Dauid videri poteſt ad Deum preces fundens: *Ne ſileas quoniam aduena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes Patres mei*; qui fuerunt ſcilicet viatores, tranſitores, & hoſpites vbicumque fuerunt. Nam etiam in Palæſtina, & terra Chananitide, licèt illam iam diu, pulſis habitatoribus, incolerent, à circumuicinis Populis hoſpites, & peregrini dicebantur; quòd illuc ex alia terra migraſſent, & veteres incolas expuliſſent. Et id, vt dicebam, vt ſcirent ipſi, & omnes intelligerent, qui Dei Ciuitatem conſtituunt, & illius Ciues ſunt Hebræos in hoc mundo ſe eſſe, tranſitores ſcilicet & peregrinos. Et hanc vocis huius vſurpationem myſticam aut afferunt, aut inſinuant plerique etiam Veterum [q], & recentiorum [r]. Hæc igitur huic Populo Hebræi cognominis origo.

q Vide D. Hieron. epiſt. 129 & c. 7. & 16. Ezec. & cap. 1. Ioel. & c. 10. Zachar. & c. 1. Sophon. cap. 26. Iſaiæ Auguſtin. lib. 16. c. 3. de Ciuit.
r Burgen. ad poſtil. Lyran. Gen. 14. Rib. Ioan. 1.

Secundò dictus eſt *Iſraël, Iſraëliticus, domus Iſraël & filij Iſrael.* Et 3. *Iacob, domus Iacob, & filij Iacob*; quo vtroque vocabulo rarò, vel nunquam ab externis; paſſim autem in ſacris litteris Hebræi deſignantur. Vtriuſque ratio, & origo notiſſima eſt. Quod enim Iacob, filius Iſaac primus auctor extiterit, à quo Populus hic in immenſum cœperit propagari, duodecim filiis ex variis vxoribus ſuſceptis, ab illo tota poſteritas, *Domus, & filij Iacob*, & ſimpliciter *Iacob* eſt appellata; qui poſtea cognomentum *Iſraëlis* ſortitus, itidem ſemini ſuo nuncupationem eandem de ſuo nomine mutuauit.

Porrò circa hoc vtrumque nomen *Iſraël*, & *Iacob* cùm pro Populo, non pro Patriarcha ipſo ſumitur, obſeruandum eſt, illa dupliciter vſurpari. Primò vt vtrumque totam illius poſteritatem ſignificat, & vniuerſum Populum Hebræorum, in quem ſenſum ferè ſemper accipitur Iſraëlis appellatio priuſquam decem Tribus à duabus reliquis ſepararentur; non ita frequenter, ſed aliquando tamen vocabulum *Iacob*. De *Iſraele* ſuperfluum eſſet exempla proferre. De *Iacob* illa notiſſima ſunt [ſ]: *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt: quia comederunt Iacob, & locum eius deſolauerunt. Benedixiſti* [t] *Domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob. Diligit* [u] *Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob.* In quibus omnibus, & ſimilibus locis nomine *Iacob* Populus vniuerſus accipitur Hebræorum. Secundò ſumitur vtrumque, non pro toto Populo, ſed pro parte dumtaxat; *Iſraël* quidem pro decem Tribubus: Iacob verò pro duabus tantùm; Vt apud Nahum: *Quia reddidit Dominus ſuperbiam Iacob, ſicut ſuperbiam Iſraël.* Per *Iacob* enim hîc Tribus Iuda, & Beniamin intelliguntur, in quibus Dauidis poſteritas regnauit poſt Salomonem: per *Iſraël* decem reliquæ, quæ Ieroboamum ſequutæ ſunt.

ſ Pſal. 68. 6.
t Pſal. 84. 2.
u Pſalm. 86.

Quartum, & notiſſimum huius Populi cognomentum, eſt *Iudæorum*. Hoc in ſacris litteris frequenter: ab externis verò ſcriptoribus, Latinis præſertim, ferè ſemper Gens Hebræa, nec aliter appellatur. Dixi *frequenter in ſacris litteris*; quia *Iudæi*, & *Iuda* vocabulum bifariam in illis vſurpatur. Primò vt vniuerſum Populum ſignificat ex duodecim Tribubus conflatum; in quem ſenſum accipitur aliquando antè diuulſionem decem Tribuum à poſteritate Dauidis; vt cùm Saul ad ſuos loquitur de Dauide perdendo: *Conſiderate*, inquit [a], *& videte omnia latibula eius, in quibus abſconditur, & reuertimini ad me, ad rem certam, vt vadam vobiſcum; quòd ſi etiam in terram ſe abſtruſerit, perſcrutabor eum in cunctis millibus Iuda.* Ponitur hîc enim *Iuda* pro vniuerſa terra Iſraëlitarum, & toto Populo Iſraëlitico. Per Babylonios verò, Regno Iſraëlitico deleto, reſtitutiſque poſtea ex captiuitate, qui ex Hebræorum Populo ſuperfuerant, omnes *Iudæi* ſine diſcrimine dicti ſunt. In quo non immeritò quempiam mouere poſſit vnde fuerit, vt vnius Tribus appellatio, nempè *Iuda*, totum Populum, qui etiam ex reliquis conſtabat Tribubus, deſignaret; Ad quod tamen facilis eſt reſponſio: Tribum Iuda ſemper inter alias excelluiſſe; primò quidem gloria armorum, fortitudine, nempè bellica, & numero pugnatorum; vt plures ex illis verbis obſeruant, quæ in libro Iudicum referuntur, mortuo Ioſuë, Tribus Iſraël conſuluiſſe Dominum: *Quis aſcendet ante nos contra Chananæum, & erit Dux belli? Et dixit illis Dominus: Iudas aſcendet. Ecce tradidi terram in manu eius.* Per Iudam enim plerique [z] hîc intelligunt non certum hominem, ſed vniuerſam Tribum ab illo Patriarcha propagatam, cui prærogatiuam deferri Dominus in re militari voluerit ob inſignia facta, quæ fortiter aliàs in bello patrauerat. Hinc igitur non mirum ſi Tribus alias præcellens omnibus etiam nomen daret, vt *Iuda* nomine cenſerentur. Et hoc indicat expreſsè Lactantius, cauſam nominis huius exquirens: *Amiſerunt*, inquit [a], *vetus nomen Hebræi: & quoniam Princeps examinis eorum Iudas erat, Iudæi ſunt appellati.* Et hoc, vt dicebam, antè Regnum in Republica conſtitutum: poſt illud verò longè magis. Nam cùm in hac Tribu ſceptrum ſemper viguerit, vt ob id Tribus Regia meruerit appellari, Regio honori conceſſum eſt, vt Hebræi omnes, quacumque tandem ex Tribu eſſent, *Iudæi* dicerentur. Et hæc de prima vocis huius acceptione. Secunda eſt, vt Iudæi tantùm, qui ex Tribu *Iuda, & Beniamin* dicerentur, quod frequentiſſimum eſt, in duo Regna totius Populi Imperio diuiſo: nonnunquam tamen etiam ante illud, in iis locis præſertim, vbi *Iuda*, & *Iſraël* ſimul coniunguntur; Tunc enim *Iuda* duas illas tantùm Tribus amplectitur: Iſraël verò reliquas decem. Sic illud intelligendum, vbi agitur de

a 1. Reg. 23. 23.
z Ioſeph lib. 5. cap. 1. & 2. antiq. Procop. Arias Ser-var. Iud. 1. 1. Maſius in Ioſuë 11. Cornel. Num. c. 2. 1.
a lib. c. 4. 10.

Dauidis

b 1.Reg.17. 5. Dauidis victoria contra Goliam[b]: *& conſurgentes viri Iſraël, & Iuda vociferati ſunt, & perſequuti ſunt Philiſthæos.* Exemplis aliis ſuperſedeo, quòd infinitum eſſet illa congerere nullo inde operæpretio, cùm res notiſſima ſit. Et hæc de Gentis huius nominibus in ſacris litteris; Apud exteros, vt iam diximus, tarò *Hebræi* dicuntur, nunquam *Iſraelitæ*; ferè ſemper *Iudæi*, maximè apud Latinos; vt videre eſt apud Iuſtinum, Tacitum, & alios, quorum paulò poſt verba referemus.

His ſic explicatis, ea quæ de hoc Populo quærenda præmiſimus, facilè deciduntur: vnde ortus, vbi primùm conſtiterit. Ortus enim eius eſt à Noë per Sem primogenitorum eius, per cuius filios, & nepotes Arphaxad, Heber, & Abraham principium ſui generis agnoſcit. Primæ verò eius ſedes fuerunt Chaldæa primùm, vnde emigrantes in Meſopotamia conſederunt: tum per vicina Syriæ loca vagati, terram Chananitidem tenuerunt, ex qua cibariorum inopiâ excedere compulſi in Ægyptum migrarunt; vnde Diuino iuſſu profecti, eiuſdem ope, præſidióque Chananitidas iterum ſedes tenuerunt, Incolis aut fugatis, aut exciſis: & inde *Iudæa* appellari cœpta, quæ priùs *Chananæa*.

Sed contra hæc ſic ſtatuta nonnulla ſunt, quæ videntur difficultatem non exiguam facere. Et primò de Gentis ortu, & primis auctoribus: deinde de ſedibus. De ortu, ſalebra duplex occurrit: altera ex ſacris litteris: altera ex prophanis Auctoribus. Ex ſacris litteris: quomodo Hebræi Heber, & Abraham poſteri dicuntur, & hoc quaſi cognomento à reliquis aliis gentibus ſecerni volunt; cùm plures aliæ gentes ab Heber, & Abraham fuerint propagatæ, non ſolùm cultu, habitu, lingua, Regionibus; ſed longè magis animorum auerſione ab Hebræa gente diuerſæ? Ex prophanis verò Auctoribus, ortus hic, quem ſtatuimus, & gentis initia grauiùs adhuc impugnantur; Vno enim conſenſu omnes longè diuerſa referunt, quam quæ tradidimus. A quibus itidem, ſedes, quas primùm Hebræi incoluerint, aliæ, & longè diuerſæ ponuntur.

Ordiamur igitur à prima difficultate ſoluenda; quæ vt ex ſacris litteris nectitur, ita facilè poteſt ex ſacris litteris expediri. Quæritur quomodo Hebræi ab Heber appellentur? quomodo filij Abraham dicantur, & eo quaſi cognomento glorientur? Ambigendi cauſa; quia plures aliæ gentes ab *Heber* propagatæ. Cur igitur non & illæ Hebrææ appellatæ? Similiter plures Populi ſtirpem ſui generis ab Abraham repetunt; Iſmaëlitæ, Saraceni, & Agareni per Iſmaëlem; Idumæi per Eſau, quorum alterius Abraham Pater fuit, alterius Auus; Vnde igitur Hebræi petunt ab aliis populis ſeiungi, quòd filij Abrahæ ſint? Vnde in eo cognomento quaſi proprio tantoperè gloriantur; cùm Idumæi, & Iſmaëlitæ perpetui eorum hoſtes, non minùs quàm ipſi Abrahæ filij ſint, & auctorem illum ſui generis agnoſcunt?

c Ioan.8.37. *Semen*, inquiunt[c], *Abrahæ ſumus.* Et id iactanter admodum, & vt proprium nobilitatis titulum

d Matt. 3.9. prædicantes; vnde ad illos Ioannes[d]: *Nolite dicere intra vos* (id ſcilicet quaſi proprium iactantes) *patrem habemus Abraham.* Facilis ad hæc reſponſio. Non enim omnes, qui ab *Heber*, & *Abraham* ſanguinis ſtirpem trahunt, hi filij vtriuſque dicuntur; ſed illi tantùm, qui cum ſanguine mores etiam traxerunt. Qui igitur ab *Heber*, & *Abraham* ita procreati, vt ſimul etiam vtriuſque vitæ cultum; & inſtitutum retinuerint, eandem linguam habuerint, eundem Deum religioſè coluerint, hi propriè filij, & poſteri vtriuſque dicuntur; alij non item. Tales tantùm fuerunt Hebræi. Nam Iſmaëlitæ, Agareni, Idumæi ab vtriuſque moribus planè deſciuerunt, alia lingua, alio vitæ cultu perpetuò vſi. Quod ab Auguſtino[e] fuſius explicatũ. Paulus[f] Apoſtolus ad Galatas preſſius indicauit. Et hæc de prima obiectione ex ſacris litteris. Altera ex externis ſcriptoribus non operoſiorem, ſed fuſiorem explicationem poſtulat, quam ſeorſim aggrediemur.

e lib. 6. c. 3. de Ciuit.
f cap. 3.

Hebrææ Gentis origo mille figmentis ab Ethnicis ſcriptoribus inuoluta, & vnde illis erroris occaſio.

§. VNICVS.

Libet hîc accuratius afferre quæ ſcriptores Ethnici de hoc argumento delirant, vt inde facile conſtet quanta ſit illis in reliquis fides habenda, quæ ſunt ab illis de Chriſto, Chriſtianorúmque moribus litteris conſignata. Ordiamur ab Auctore omnium grauiſſimo Cornelio Tacito, qui cùm de Chriſto, & eius ſectatoribus loquitur, aliter illos poſteris non obiicit, quàm vt homines impiè ſceleſtos, & turpiſſima ſuperſtitione deluſos. In quo falli illum, & fallere ex iis Tertullianus conuincit, quæ de Regionum moribus, & Religione tradit, adeò perſpicuè falſa, vt ob ea meritò Tertullianus[g] Tacitum *mendaciorum loquaciſſimum* appellet. Illum ergo audiamus: *Quia*, inquit[h], *famoſæ Vrbis ſupremum diem tradituri ſumus, congruens videtur primordia eius aperire. Iudæos Creta Inſula profugos, nouiſſima Lybiæ inſediſſe memorant, qua tempeſtate Saturnus vi Iouis pulſus ceſſerit Regnis. Argumentum è nomine petitur. Inclytum in Creta Idam montem, accolas Idæos, aucto in barbarum cognomento, Iudæos vocitari. Quidam regnante Iſide exundantem per Ægyptum multitudinem, Ducibus Ieroſolymo, ac Iuda proximas in terras exoneratam. Plerique Æthiopum prolem, quos Rege Cepheo metus, atque odium mutare ſedes perpulerit. Sunt qui tradant, Aſſyrios Conuenas, indigum agrorum populum, parte Ægypti potitos, ac mox proprias Vrbes, Hebræáſque terras, & propiora Syriæ coluiſſe. Clara alij Iudæorum initia. Solymos carminibus Homeri celebratam gentem conditæ Vrbi Ieroſolymam nomen è ſuo feciſſe. Plurimi auctores conſentiunt, orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, Regem Occhorim, adito Hammonis oraculo, remedium petentem, purgare Regnum, & id genus hominum, vt inuiſum Diis alias in terras auehere iuſſum. Sic conquiſitum, collectúmque vulgus, poſtquam vaſtis locis relictum ſit, cæteris per lacrymas torpentibus, Moſen, vnum exulum monuiſſe, ne quam Deorum, hominúmve opem expectarent, ab vtriſque deſerti; ſed ſibimet vt Duci cæleſti crederent (primo cuius auxilio credentes, præſentes miſerias pepuliſſent) aſſenſere, atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil æquè quàm inopia aquæ fatigabat, iámque haud procul exitio totis campis procubuerant; cùm grex aſinorum agreſtium è paſtu in rupem nemore opacam conceſſit. Sequutus Moſes coniectura herbidi ſoli, largas aquarum venas aperit.*

g Apolog. cap. 16.
h Tac. lib. 5. Hiſtor.

Id leuamen; & continuum ſex dierum iter emenſi; ſeptimo, pulſis cultoribus, obtinuere terras, in quibus Vrbs, & templum dicata ſunt. Moſes quò ſibi in poſterum gentem firmaret, nouos ritus, contrariósque ceteris mortalibus indidit. Prophana illic omnia, quæ apud nos ſacra. Rurſum conceſſa apud illos quæ nobis inceſta. Effigiem animalis, quo monſtrante, errorem, ſitimque depulerant, penetrali ſacrauere, cæſo ariete, velut in contumeliam Hammonis. Bos quoque immolatur, quem Ægyptij Apin colunt. Sue abſtinent, memoria cladis, quod ipſos ſcabies quondam turpauerat, cui id animal obnoxium. Longam olim famem crebris adhuc ieiuniis fatentur. Et raptarum frugum argumentum, panis Iudaicus nullo fermento detinetur. Septimo die otium placuiſſe ferunt; quia is finem laborum tulerit. Dein blandiente inertia, ſeptimum quoque annum ignauiæ datum. Alij honorem eum Saturno haberi: ſeu principia Religionis tradentibus Idæis, quos cum Saturno pulſos, & conditores gentis accepimus: ſeu quòd è ſeptem ſyderibus, queis mortales reguntur, altiſſimo orbe & præcipua potentia ſtella Saturni feratur: ac pleraque cæleſtium vim ſuam, & curſum ſeptimos per numeros conficiant. Hi ritus quoquo modo inducti, antiquitate defenduntur. Cetera inſtituta ſiniſtra fœda prauitate valuere. Nam peſſimus quiſque, ſpretis Religionibus patriis, tributa, & ſtipes illuc congerebant. Vnde aucta Iudæorum res; Et quia apud ipſos fides obſtinata, miſericordia in promptu; ſed aduerſus omnes alios hoſtile odium. Separati epulis, diſcreti cubilibus, proiectiſſima ad libidinem gens alienarum concubitu abſtinent: inter ſe nihil illicitum. Circumcidere genitalia inſtituêre, vt diuerſitate noſcantur. Tranſgreſſi in morem eorum idem vſurpant: nec quidquam prius imbuuntur, quàm contemnere Deos, exuere patriam: parentes, liberos, fratres vilia habere. Augendæ tamen multitudini conſulitur; Nam & necare quemquam ex agnatis nefas: animáſque prælio, aut ſuppliciis peremptorum æternas putant. Hinc generandi amor, & moriendi contemptus. Corpora condere, quàm cremare è more Ægyptio. Eadémque cura, & de Infernis perſuaſio: cæleſtium contra. Ægyptij pleraque animalia, effigiéſque compoſitas venerantur: Iudæi mente ſola, vnúmque Numen intelligunt: Prophanos, qui Deûm imagines mortalibus materiis in ſpecies hominum effingant. Summum illud, & æternum, neque mutabile, neque interiturum. Igitur nulla ſimulachra Vrbibus ſuis, nedum Templis ſunt. Non Regibus hæc adulatio, nõ Cæſaribus honor. Sed quia ſacerdotes eorum tibia, tympaniſque concinebant, hedera vinciebantur, vitiſque aurea templo reperta, Liberum Patrem coli, domitorem orientis quidam arbitrati ſunt, nequaquam congruentibus inſtitutis; quippè Liber feſtos, lætóſque ritus poſuit: Iudæorum mos abſurdus, ſordidúſque.

Hæc Tacitus; in quibus tot deliramenta, quot verba; præcipuè tamen obiter in illis ſunt obſeruanda, quæ faciunt ad ea magis intelligenda, quæ dicturi ſumus.

Primum eſt: Hebræos Aſini caput coluiſſe; quod infame figmentum ſic illis adhæſit, vt poſtmodum etiam Chriſtiani, qui ab Ethnicis Iudæorum ſoboles, aut portio cenſebantur, id quoque monſtrum numinis coluiſſe crediti ſint: vnde tam Iudæis, quàm Chriſtianis Aſinarij cognomen adhæſerit, quo paſſim ab Ethnicis appellatos Tertullianus affirmat. Aduersùs enim illos agens: *Somniaſtis*, inquit[1], *caput aſininum eſſe Deum noſtrum*. Inde ſubdit: vnde ſuſpicio hæc portentoſa gentilibus, & cui debeant illam acceptam referre. *Hanc, inquit, Cornelius Tacitus ſuſpicionem eiuſdem inſeruit. Is enim in quinto Hiſtoriarum ſuarum bellum Iudaicum exorſus ab origine gentis, etiam de ipſa tam origine, quàm de nomine, & Religione gentis, quæ voluit argumentatus, Iudæos refert Ægypto expeditos; ſiue, vt putauit, extorres in vaſtis Arabiæ locis aquarum egentiſſimis, cùm ſiti macerarentur, onagris, qui fortè de paſtu potum petituri æſtimabantur indicibus, fontibus vſos: ob eam gratiam conſimilis beſtiæ ſuperficiem conſecraſſe.* A quo mendacio, ſecundum obſeruandum, quòd fontes miraculo reſeratos, & à Moſe tactu virgæ manare iuſſos, aſinis ſyluestribus Tacitus adſcribit.

1 Tertull. in apolog. c. 16.

Tertium quod dicit de Libero Patre, qui idem Bacchus Ethnicis erat, à Iudæis culto, confirmat quæ pluribus à nobis traduntur, vbi Iudæorum idololatriam, & quæ falſa numina ſuperſtitioſè coluerint, enarramus.

Quartò nunquam à Tacito *Hebræos* hoc cognomento nuncupari, quod erat illorum proprium, & antiquiſſimum. Quia, vt dixi, ſcriptoribus Ethnicis hæc gens alio non nota nomine, quàm Iudæorum.

Quintò propter hæc, quæ de Iudæis à Tacito traduntur, illum plerique non ſolùm vt dubiæ in reliquis fidei; ſed vt mendaciorum loquaciſſimum haberi volunt. Et Tertullianus obliquè cauſam ſubindicat; quòd illius ingenium eſſet, non quæ geſta tantùm narrare, ſed quæ quiſque ſecum cogitaſſet, quas ſpes aluiſſet, quo fine conſilia temperaſſet, ex ſuo capite ſoleret arguere; ad quod totum verbo illo Tertullianus alluſit, dum dixit: *illum de Religione gentis quæ voluit argumentatum*. Planè enim Taciti ingenium hoc eſt arguendo, coniectando, argutando, quæ fieri poſſunt, vt facta ſomniando proponere, non ſimplici, & aperta fide quæ geſta compererit enarrare. Vnde rectè Tertullianus colligit minus mirum eſſe ſi tam impiè de Chriſto loquutus fuerit, ſolitus aliorum omnium vel facta, vel dicta ſemper in deterius inuertere. Sed Lipſius conatur acriter auctorem ſuum ab omni mendicitatis crimine defendere; quod mirum non ſit, nec illi vitio dandum, ſi qua longinqua, & procul locis, & temporibus diſſita perinde prodere, vt aliorum narratione didicerat; Immeritò verò mendaciſſimum Tacitum audire, quod hæc de Iudæis euulgauerit; cùm longè grauiora de illis aut finxerint, aut ab illis conficta retulerint Plutarchus, Strabo, Trogus, Iuſtinus; qui tamen ob id vt mendaciorum loquaciſſimi non accuſantur.

Sextò igitur obſeruandum, non minora ab his, & aliis Auctoribus in Iudæorum narratione peccari: Tacitum tamen inter alios acrius reprehendi. Primò, quòd Romæ cùm ſcripſerit, originem gentis abundè doceri potuerit, ſi qui conſulendi erant voluiſſet adire, & non ſomnia potius de ſuo capite prodere, vel alienos conſulere. Secundò, quòd quæ tradit, omnia felle malignitatis aſpergit: ita quæ narrat admittens, vt in Iudæorum probrum ab aliis tradita, pro oraculis videatur accipere. Tertiò, quòd omnia tantum, quæ vitio verti poſſunt, ſtudioſè collegerit, eorum nihil commemorans, quæ Iudæorum cum laude dici poſſent. Quartò, denique quòd ſi quæ præclara, & ſancta Iudæorum refert, ea ipſa vt anilia, & ſuperſtitioſa condemnat.

Contra verò ſcriptores alij licèt in multis, &

fere

ferè omnibus allucinentur, quæ ſpectent ad originem gentis Hebrææ, ita tamen orationem ſuam temperant: vt quæ tradunt non pro certis, & indubitatis inculcent, ſed vt ab aliis accepta, & vulgò iactata, quorum velint apud alios eſſe fidem, non ipſi veritatem præſtare. Deinde ſi quæ carpenda referunt, etiam laudanda non reticent. Denique ſi quæ ſancta inſtituta apud illos agnoſcunt, ea ipſi laudant, non vt impij condemnant. Meritò igitur quamuis non leuiora alij, quàm Tacitus in hoc argumento peccauerit; ille præ aliis meritò tamen mendaciſſimus habetur; quia mendacitatis vitium non ex re, quæ narratur, ſed ex animo narrantis arguitur; qui deprehenditur in Tacito deprauatus, ſincerus in aliis. Qui iſti tres præcipui, Iuſtinus ex Latinis, Strabo, & Dio Caſſius ex Græcis; quorum non pigebit hîc verba proponere, quando non minimum conferunt ad multa intelligenda, quæ de Iudæa gente, eiuſque moribus ſparſim in Ethnicis ſcriptoribus reperiuntur.

k lib. 36. c. 2.

De iis igitur hæc Iuſtinus [k] ex Trogo.

Iudæis origo Damaſcena, Syriæ nobiliſſima Ciuitas: vnde & Aſſyriis Regibus genus ex Regina Semirami fuit. Nomen Vrbi à Damaſceno Rege inditum: in cuius honorem Syrij ſepulchrum Arathis vxoris eius pro templo coluere, Deámque exinde ſanctiſſimæ Religionis habent. Poſt Damaſcenum Azelus, mox Adores, & Abraham, & Iſraël Reges fuere. Sed Iſraëlem felix decem filiorum prouentus maioribus ſuis clariorem fecit. Itaque Populum in decem Regna diuiſum filiis tradidit, omnéſque ex nomine Iudæ, qui poſt diuiſionem deceſſerat, Iudæos appellauit: colíque eius memoriam ab omnibus iuſſit: cuius portio omnibus acceſſerat. Minimus ætate inter fratres Ioſeph fuit cuius excellens ingenium veriti fratres, clam interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt; à quibus deportatus in Ægyptum, cùm magicas ibi artes ſolerti ingenio percepiſſet, breui ipſi Regi percarus fuit. Nam & prodigiorum ſagaciſſimus erat & ſomniorum primus intelligentiam condidit; nihilque diuini Iuris, humanique ei incognitum videbatur; adeò vt etiam ſterilitatem agrorum ante multos annos prouiderit: periſſétque omnis Ægyptus fame, niſi monitu eius Rex edicto ſeruari per multos annos fruges iuſſiſſet: tantáq; experimenta eius fuerunt, vt non ab homine, ſed à Deo reſponſa dari viderentur. Filius eius Moſes fuit, quem præter paternæ ſcientiæ hereditatem, etiam formæ pulchritudo commendabat. Sed Ægyptij cùm ſcabiem, & vitiliginem paterentur, reſponſo moniti, eum cum ægris, ne peſtis ad plures ſerperet terminis Ægypti pellunt. Dux igitur exulum factus, ſacra Ægyptiorum furto abſtulit, quæ repetentes armis Ægyptij, domum redire tempeſtatibus compulſi ſunt. Itaque Moſes, Damaſcena antiqua Patria repetita, Montem Sinam occupat, quo ſeptem dierum ieiunio per deſerta Arabiæ cum populo ſuo fatigatus cùm tandem veniſſet, ſeptimum diem more gentis Sabbathum appellatum in omne æuum ieiunio ſacrauit; quoniam illa dies famem illis, erroréınque finierat. Et quoniam metu contagionis pulſos ſe ab Ægypto meminerant, ne eadem cauſa inuiſi apud incolas forent, cauerunt, ne cum peregrinis communicarent; quod ex cauſa factum paulatim in diſciplinam, religionémque conuertit. Poſt Moſen, etiam filius eius Arnas ſacerdos ſacris Ægyptiis, mox Rex creatur: ſempérque exinde hic mos apud Iudæos fuit, vt eoſdem Reges, & Sacerdotes haberent; quorum iuſtitia religione permixta, incredibile quantum coaluere.

Hæc ex Iuſtino fuſiùs; in quibus de Iudæis quindecim mendacia referuntur, ſi quæcunque falſa de re aliqua narrantur, rectè mendacia dicuntur. Primum eſt circa primum natale ſolum, quod Damaſcenam Syriæ Ciuitatem dicit; à Damaſco conditam. Secundum, circa primos generis auctores, quos Damaſcum, Azelum, & Adorem numerat, omnes ignoti nominis. Tertium, eſt circa primos Reges, quos Abrahamum, & poſtea Iſraëlem facit. Quartum, circa Principes Tribuum, Iſraëlis filios, quos decem tantùm ponit. Quintum, circa nomen, & auctorem nominis Iudæos enim vult ab Iſraële ſic appellatos in gratiam Iudæ, Principis inter reliquos filios. Sextum; quòd Ioſephum filiorum minimum recenſet. Septimum, quòd illum aſſerit in Ægypto magicis artibus imbutum, quarum ope futura prænouerit. Octauum, Moſen Ioſephi filium fuiſſe. Nonum, ſcabie & vitiligine Moſen, reliquóſque Iudæos infectos ab Ægyptiis metu contagionis expulſos. Decimum, Moſen exulum Ducem creatum, ſacra Ægyptiorum ſecum abſtuliſſe. Vndecimum, Ægyptios, cùm Iudæos perſequerentur; tempeſtate redire coactos. Duodecimum, Damaſcenam, antiquam Iudæorum Patriam, à Moſe d m ex Ægypto migraret, repetitam. Decimumtertium, ſeptimum quemque diem ab illo ieiunio ſacratum, quòd in illo finis erroris, & ediæ fuiſſet Decimumquartum, Arnam Moſis filium in imperio illi ſucceſſiſſe Decimumquintum, Reges omnes Iudæorum fuiſſe eoſdem etiam ſacerdotes, & quidem ritu Ægyptio conſecratos. Et hęc à Iuſtino, vel errore, vel malitia de Iudæorum genere narrantur.

Audiamus Strabonem: *Fama aſſerit*, inquit [l]; *Ægyptios fuiſſe eorum progenitores, qui nunc Iudæi appellantur. Nam Moyſes vnus ex Ægyptiis ſacerdotibus, cùm partem quandam Regni haberet, ac moleſtè ferret eorum inſtituta, hinc eò commigrauit. Diſceſſère cum eo multi, quibus diuina curæ erant. Docebat enim ille, quomodo Ægyptij non rectè ſentirent, qui ferarum ac pecorum imagines Deo tribuerent; nec Græci, qui Deos hominum figuris inſignirent: & quòd id ſolum Deus eſſet, quod nos contineret, terram, ac mare; quod Cælum, & mundum; & rerum omnium naturas appellamus; cuius profectò imaginem nemo ſanæ mentis; noſtra ſimilem audeat effingere Oportere itaque relicta omni ſimulacrorum effigie, & digno ei fano, ac templo conſtituto, ſine forma colere, ac ſemper bonum aliquod, & donum, & ſignum à Deo expectare; eos præſertim qui caſtè, integréque, & cum iuſtitia viuerent; cæteros verò nequaquam. Ille hæc dicens hominibus bonis, non ſanè paucis id perſuaſit: & in eum locum deduxit, vbi nunc condita ſunt Ieroſolyma.* Hæc ille ſine dubiò longè modeſtiùs, quàm vel Tacitus, vel Iuſtinus de Iudæorum genere mentitur. *Fama*, inquit, *aſſerit Ægyptios fuiſſe*. Nihil ipſe quaſi de ſuo certò audet aſſeuerare. Tum verò quæ falſa de Moſe narrat, ſunt omnia cum laude coniuncta. Vbique illum vt verè pium proponit, & impiæ ſuperſtitionis oſorem; quam cùm ferre non poſſet, ex Ægypto dicit ſponte profectum; non vitiligine, ſcabiéve fœdatum cum ſuis migrare compulſum. Denique quæ de eo, totâque gente falſa enarrat, omnia ſunt in gentis gloriam, non in opprobrium. Si igitur in hoc argumento Strabo mentitus, ſanè verecundè mentitus; At illo modeſtius

l lib. 16. Geograph.

adhuc Dio Caſſio ſe geſſit; qui de Iudæis narrationem aggreſſus quæ ad eorum ortum, progenitores, inſtituta faciunt, ingenuè ſe dixit ignorare. Quod ſi Tacitus obſeruaſſet, à Tertulliano *mendaciorum loquaciſſimus* meritò non audiſſet; At pudebat acerrimo ingenio virum, & Romanum Conſulem ſuam inſcitiam fateri. Cur igitur mentiri non puduit, & non potius res tota ſilentio tranſmiſſa?

Sed quæret aliquis: Vnde Viris alioquin accuratiſſimis tanta ignoratio rerum Iudaicarum? Reſponſio in promptu eſt. Gentilibus enim nec Iudæorum litteræ patebant: & à pleriſque, ſi illarum copia fuiſſet, etiam ſpernebantur. Ab illis igitur nihil eorum doceri poterant, quæ ad primam gentis originem pertinerent: nec vlla rurſus inter Iudæos, & Ethnicos conſuetudo, vt illorum colloquio poſſent illa cognoſcere. Tantùm igitur ariolando quædam de illis ſuſpicabantur, quæ malè digeſta litteris tradiderunt, & ob id in illis tam multa peccarunt.

De Imperio Hebræorum quàm latè patuerit, & quas terras vario tempore quo iure poſſederit.

CAPVT II.

VISO de nominibus, & prima origine Populi Iudaici; priuſquàm de forma Reipublicæ dicamus, ordo poſtulat, vt vbi conſtiterit, & quæ terrarum loca poſſederit, explicemus. Id nunc aggredimur, occaſione ſumpta ex verbis propoſitis, in quibus Iſraëliticæ terræ fines quàm paterent, latiſſimè proponuntur. *Vniuerſus*, inquit, *Iſraël à Dan vſque Berſabee audiuit, quòd fidelis Samuël propheta eſſet Domini.* De regione hac igitur duobus his terminis intercepta primò quæramus, quæ illa fuerit, & quàm variè appellata, quàm latè porrecta, quàm fertilis: quibus priùs à gentibus inſeſſa: quo iure ab Hebræo Populo vendicata: tum præter illam; num latius Hebræi Imperij ſui fines extenderint; quando, & per quos: & denique quamdiu ſedes illas ipſi tenuerint; & inde quando, & cur expulſi.

Quæ terra fuerit, & quàm variè appellata, quam Hebræi vt propriam poſſeſſionem tenuerunt.

§. I.

ISraëlitica Regio, quam totus Iſraëliticus Populus aliquando poſſedit, à noſtris ſcriptoribus, eo quod Dei promiſſo ſit ab illis obtenta, proprio quaſi vocabulo *terra promiſſionis* appellatur: In ſacris verò [m] litteris, & à Ioſepho [n] primò terra Chanaam dicitur, ſiue Chananæa; quòd in illa filius Cham, & illius poſteritas habitaſſet, ex hoc Chananitidem dicunt, quibus cordi eſt blandius barbaras appellationes inflectere. Secundò, dicitur [o] terra Iuda, & Iſraël, & terra filiorum Iuda, & Iſraël: & id frequentiſſimè in ſacris litteris, notiſſima ratione cognominis. Tertiò, in iiſdem per ſynecdochen totum à parte appellando, nuncupatur aliquando vno aliquo ſeptem illarum gentium nomine, quas inde Deus expulit, vt Hebræos induceret. Ad Ioſuë Deus: *Omnis terra Hethæorum*, inquit [p], *vſque ad mare magnum circa ſolis occaſum erit terminus veſter.* Hîc enim terra Hethæorum, vt probabiles [q] Interpretes obſeruant eſt tota Chananæa: ſicut [r] alibi terra Amorrhæorum, eandem terram deſignat; licèt Hethæi, & Amorrhæi vnus in ea populus ex ſeptem eſſent, non totam ſibi tenerent. Quartò, appellatur [ſ] *terra Domini, pars, & hereditas illius*; cuius appellationis ratio infrà pluribus ediſſeretur. Quintò, ab illuſtri fluuio, qui illam vel alluit, vel interſecat, appellatur [t] *terra Iordanis*. Sextò, à ſitu, & collocatione, quam reliquas inter orbis partes ſortita *medium terræ* dicitur [u]. Præter hæc aliis ſubinde cognominibus in ſacris litteris deſignatur, quæ nunc omittentur, quòd potius epitheti vicem gerunt, quàm iuſti vocabuli.

m Gen. 10. Pſal 73.
n lib. 1. antiquit. & li. 1. de bello Iudaico.
o 1. Reg. 12. Ioſuë 11.
p cap. 1. 4.
q Andr. Maſ. in Ioſuë c. 1.
r Gen. 15. 16.
ſ Pſal. 84. 1. 2. Reg 20. 19.
t Pſal 41. 4.
u Pſal. 73. 8.

At verò apud alios ſcriptores, ſi de noſtris loquamur, præter receptiſſimam appellationem *terra promiſſionis*, etiam nec minùs frequenter, *terra ſancta* dicitur [x]. Ab externis verò *Iudæa*, & *Palæſtina* ſimpliciter appellatur; vt videre eſt apud Ptolomæum, & alios Geographos [z], quos recentiores deinde ſequuti ſunt.

Vbi igitur hæc terra ſita? difficultas in eo præcipua; num in medio terreni globi? Plerique affirmant. Primò ex verbis Dauidis, ex quibus appellationem factam diximus Iſraëlitico ſolo, vt *medium terræ* diceretur. *Deus*, inquit [a], *noſter ante ſecula operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Vbi, inquiunt, hoc alibi, quàm in Iudæa? Secundò, ex Ezechiele: *Ita*, inquit [b], *eſt Ieruſalem; in medio gentium poſui eam, & in circuitu eius terras.* Si enim Ieruſalem in medio Iudææ ſita eſt, vtique Iudæa medium mundi teneat neceſſe eſt, ſi Ieruſalem in Orbis ſit medio locata. Tertiò, ex Patribus. Hieronymus in hunc locum Ezechielis apertè dicit Ieruſalem *in medio mundi ſitam*, rectè *terræ vmbilicum* dici: Dauidem verò per ea verba *paſſionis Chriſti locum ſignificaſſe*; quem medium eſſe mundi ſic probat: *Quia*, inquit, *à partibus Orientis Aſia cingitur; ab Occidentis, Europa; à Meridie, Auſtro, Lybia, & Africa; à Septentrione, Scythis Armenia, Perſide, & cunctis nationibus Ponti.* Tum ſubdit: *In medio gentium propterea poſitam; vt quia notus* [c] *erat in Iudæa Deus, & in Iſraël magnum nomen eius, omnes in circuitu nationes illius ſequerentur exempla.* Similia his alij Patres habent. Hilarius [d] locum Crucis, & in medio orbis poſitum dicit; & ob quod poſitum? *Tamquam*, inquit, *in vertice huius vniuerſitatis inſtitit, vt ad capeſſendam Dei cognitionem vniuerſis gentibus eſſet æqualis.* At Germanus Conſtantinopolitanus vlteriùs etiam progreditur. Id enim non ſolùm affirmat ipſe; ſed hunc omnium fidelium ſenſum eſſe teſtatur; in cuius rei ſignum dicit [e] in omnibus Eccleſiis: *ciborio, quod æquè à toto templi circuitu abſiſtit, laqueaream ſuperponi, & circum quatuor ſtatui columnas, quaſi quatuor mundi partes, inter quas medium crucis ſymbolum collocatur.* Denique receptam hanc planè fuiſſe ſententiam, reliquorum id aſſenſus oſtendit, qui Golgota, & Ieruſalem medium mundi dicunt [f]; quod eſſe non poteſt, quin idem etiam de Iudæa aſſeratur, in cuius medio Ieruſalem. Vnde Cyprianus [g], aut Victorinus; cuius etiam in hoc teſtimonium Beda producit.

Eſt locus ex omni medium, quem cernimus orbe
Golgota Iudæi patrio cognomine dicunt.

x Chriſtian. Adrichom. in theatro præfat.
z Maſius in Ioſue c. 1. & 13. Ibidem Serrar q 12. in c. 1. & q. 1. in c 13.
z Strabo lib. 10. Plin. lib. 5. Tacit. lib. 5. Iuſtin. lib 36.
a Pſal 73. 12.
b cap 5. 5.
c Pſal. 75. 2.
d Can. vlt. in Matth.
e in Theoria de reb Eccl.
f Cyrill. Catech. 13. Anaſtaſ. quæſt. 136. Andr. Crenſ. orat. de exaltat. Beda de locis cap. 3. Ariſtæas lib. de 70. Interp. Ioſeph. lib. 1. de bello. c. 2. D. Thom. Pſal. 73. Pet. Damian. ſerm 57.
g Hymn. de Paſcha.

Et

Et Tertullianus [b].

Golgota locus eſt capitis Caluaria quondam
Lingua paterna prior ſic illum nomine dixit,
Hic medium terræ eſt.

b Carm. 2. contra Marcionem.

Verùm id apud alios magna in controuerſia verſatur primò quia non Iudæa, ſed Delphi medium terreni globi tenere [i] crediti ſunt, adiuncta fabula, quia certo experiméto eſtiterit eos in medio műdi ſitos: Duas enim aquilas ab Oriéte, Occidentéque dimiſſas æquali volatu, Delphis tandem pariter conſediſſe. Secundò, quia vt nec Delphi medij ſint, certè Iudæos eſſe non poſſe ratio conuincit, ea Sphæræ diſpoſitione deſumpta; quam, quia pluribus ab aliis [k] explicatur, conſultò dimittimus, lectoris ſtudio parcentes.

i Plato 4. de legib. Pauſan. in focai. Varro 6. de ling. Latin. Cic. 2. de diuinat. Strabo lib. 9.

k Daniel Maur. de fig. ſacr. ſynd. c. 20. n. 15.

At ſacræ litteræ, terræ medio, Iudæam aſſignant, & claré Patres, quos adduximus, id atteſtantur. Duæ ad hoc reſponſiones. Primò, non abſolutè totius terræ, ſed habitabilis [l] medium Iudæam eſſe. Alij medium orbis olim cogniti volunt [m], affirmantes; ſi quis in terreſtri globo pedem alterum circini Ieroſolymæ figat, alterum in vltimos Africæ fines portendat, & circumducat circulum deſcripturum, qui partes omnes orbis olim cogniti comprehendat. Et adiungunt id ſibi velle, quod iuxta verſionem dicitur à Dauide [n]; *In omnem terram exiuit linea eorum*, pro quo noſter Interpres *ſonum* vertit. Longè tamen probabilius [o] alij putant, medium mundi Iudæam, & Ieruſalem non ſitu, & locatione, ſed ob excellentiam, & dignitatem. Quod fortaſſe vult etiam lapis ille, quem in Eccleſia ſancti ſepulchri legiſſe ſe Georgius Venetus affirmat [p] in quo ſcriptum: *Hic eſt medium mundi.* Quòd verò à Dauide dicebatur; *operatum eſſe ſalutem in medio terræ*, non locum ſignificat, in quo ſalus allata, ſed modum, quo allata [q]: palàm nimirum, conſpicuè, & in omnium oculis. Id enim in ſcriptura non ſolùm, ſed apud alios auctores eſſe in medio quid facere, vel operari. Quare *Deum ſalutem in medio terræ operatum* non aliud ſignare, quàm *in omnium conſpectu*, cunctiſque videntibus. Quod factum, quando Deus ex Ægypto populum liberauit.

l Salmer. proleg. 41. Genebrar. Pſal. 73. 12.

m Vilarpand. Ezechiel tom. 3. p. 1. c. 4.

n Pſal. 18.

o Lorin. Pſalm 73. Serrar. Ioſuë c. 13. q. 3.

p Tom. 3. ſeſſ. 3. probl. 178.

q Chryſoſt. Theodor. Euthim. Pſalm. 73.

Terra Hebræorum quanta; quibúſve terminis definita.

§. II.

DVæ hîc quæſtiones à Rabbinis agitantur: Altera quantum terræ datum ſit à Deo populo Iudaico: Altera, quanta terra, non ſolùm data, ſed poſſeſſa fuerit: Primam quæſtionem ſic definiunt, vt velint, nullis terminis definitum quod eſt à Deo Iudaico populo tributum: *Audi*, inquiunt, *quid cum Ioſue loquatur, & quid illi, & vniuerſo Populo promittat* [r]: *Omnem locum, quem calcauerit veſtigium pedis veſtri, vobis tradam, ſicut loquutus ſum Moſi.* Nihil hîc vllis terminis definitur; quocunque Ioſuë, quocunque Populus, & illius poſteri ſunt perrecturi, id illis Deus in poſſeſſionem dicit addicturum. Quia ergo poterat Ioſuë partes in omnes orbis terrarum ſe ſuóſque mouere, & eas veſtigio calcare, totum quam latè patet orbem volunt illi, & eius poſteris dono conceſſum. Ita [f] illi more ſuo ea ſcriptura ridiculè intellecta vel ludunt, vel nugantur. Erit igitur, ſi Deo placet, Orbis terrarum poſſeſſio Iudæorum, quando iam nullus ſit angulus, quem ipſi veſtigio ſuo non calcent, ſulphura vendituri. Quis autem non videt, non quidquid terræ calcaturi erant, nec quocunque tempore calcaturi; ſed eius tantùm, quam Deus Abraham, Moſique promiſerat; & eo tempore, quo Ioſuë cum ſuis actutus hanc promiſſionem intelligendam? Hæc ergo deliria mittamus, & de terræ, cuius ipſi poſſeſſionem adepti, magnitudine, & laxitate quæramus.

r Ioſuë 1. 3.

f Abulenſ. q. 22. in 1. Ioſuë.

Prima hîc de illa quæſtio confuſa, & generalis expedienda. Quæſtionem hanc in vniuerſum tractandam Diuus olim Hieronymus propoſuit, indignatus ex iactantia Iudæorum, qui nihil aliud quam terræ promiſſæ magnitudinem in ſuæ gentis gloriam prædicabant. Tota quæſtio igitur; num terra hæc, vt aliis nominibus inclyta: ita etiam ob magnitudinem, qua longè, latéque prolatis finibus extenderetur.

Affirmant Rabbini, negat Hieronymus: immenſam illi dicendam volunt: hic anguſtam, & exiguam. Vnde probant? Primò, quia in Exodo [t] appellatur antonomaſticè, *ſpatioſa*. Secundò, quia in Ioſuë [u] dicitur *latiſſima*. Tertiò, probant ex dimenſione, qua maxima prorſus ea terra deprehenditur. Volunt enim illam quadringenta milliaria Germanica in latitudinem, & totidem in longitudinem patuiſſe; quæ magnitudo prorſus immenſa eſt, ſi admittatur. Totus enim circuitus illius terræ pluſquàm octo millia Italicorum milliarium complecteretur. At vnde colligunt illam quadringenta פרסאות *parſahot* (ſic enim illi menſuram vocant, quæ germanicis milliaribus maioribus reſpondet) in longitudinem patuiſſe? *Quia*, inquiunt [x], *exploratores ad illam luſtrandam miſſi quadrageſimo demum die reuerſi ſunt*; ergo cùm in ſingulos dies dena parſahot, ſiue Germanica milliaria conficiantur quadringenta parſahot, progreſſi in ea terra ſunt, in quot illa protendebatur. O acumen Rabbinicum: itáne verò? quadrageſimo demum die [y] reuerſi ſunt exploratores: Quid inde? totos ne dies nihil ipſi aliud egerunt, niſi quod recto itinere pergentes, ad fines vſque terræ penetrarunt, nuſquàm deflectentes? Annon erant illis ſubinde montes aſcendendi, concaua vallium circumeunda: terra circumquaque oculis luſtranda: interdum ad occurſum fluminum hærendum? Et eſto, ſemper, interrupto nunquam curſu perrexerint, an ſemper in directum, & nunquam retrò quod iam emenſi fuerant repetendo? Denique totos quadraginta dies in pergendo poſuerint; an tantùm terra Chanaam ab illis luſtrata, & non etiam finitimæ regiones; vt ex illarum vicinia ſcirent quid turbidi, pacatiuè Chananææ cultoribus ſpectandum?

t cap. 3. 8.

u cap. 13.

x Vi Arias in Caleb c. 2. Genebr lib. 1. Chro. Serrar. Ioſue c. 3. q 4.

y Num. 13.

Rabbinis igitur, & eorum ſomniis omiſſis, abſolutè dicendum, anguſtam admodum fuiſſe, nec vllo modo ab amplitudine commendandam. Quod conſtat, quia tota in circuitu, maiori ſpatio non claudebatur [a], quàm quod Italica milliaria trecenta ſupra duodecim circiter contineret. Ob quod meritò Guilielmus [b] Poſtellus Chananæorum regionem nequaquam Galliam Ciſalpinam æquare etiam cum montuoſis locis affirmauit. Vt verò Rabbinis, & illorum fautoribus os obſtruatur, libet totam quæſtionem verbis, & auctoritate Diui Hieronymi definire, cui vt oculato teſti, qui ſæpiùs illam terram luſtrauerit, ante

a Broccard. in deſcript. Terra Sacta. Adricomius in Theat. præfat.

b in Coſmograph.

alios omnes eſt fides adhibenda. Proponit igitur alicubi Doctor ille ſanctiſſimus quæſtionem; quænam terra ſit intelligenda nobis poſt Chriſti paſſionem, & reſurrectionem promiſſa, & illius merito poſſidenda: Reſpondet autem, intelligendam Terram Cœleſtem, terram viuentium; terram verò melle manantem, quòd nullus attactus degeneris amatoris exaſperet, non verò terram illam terrenā, quam Chanaam poſſederat & in qua Dauid, dum eſſet, hanc veram terram ſuſpirabat, dum diceret [c]: *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Et id cur? Quia, dicit Hieronymus, terra illa Chanaam non ampla, non ſpatiis latè diffuſa; ſed anguſta prorſus, & arctis erat finibus circumſcripta. Quare quæ de terra hac repromittendo dicuntur, non poſſe de terra terrena intelligi. Sic igitur ibi Hieronymus [d]: *Reſpondeant*, inquit, *mihi, qui hanc terram, quæ nunc nobis Christi paſſione, & reſurrectione terra repromiſſionis effecta eſt, poſſeſſam putant à Populo Iudæorum, poſtquam reuerſus eſt ex Ægypto, quantam poſſederit? utique à Dan vſque Berſabee, quæ vix centum ſexaginta millium in longum ſpatio tenditur.* (Loquitur hîc de milliaribus Italicis, vt ab [e] aliis obſeruatur; quorum tria ſingulis horis confici poſſunt) inde paulò poſt: *Pudet dicere latitudinem terræ promiſſionis, ne Ethnicis occaſionem blaſphemandi dediſſe videamur: ab Ioppe vſque ad viculum noſtrum Bethleem quadraginta ſex millia ſunt, cui ſuccedit vaſtiſſima ſolitudo, plena ferocium barbarorum. Hæc eſt Iudæe tuarum longitudo, & latitudo terrarum, in his gloriaris: ſuper his te per diuerſas Prouincias ignorantibus iactitas.*

c Pſal. 26. 13.

d Epiſt. 129. ad Dardan.

e Adricom. Theat. terræ ſancta Serrar q. 4. in c. 13. Ioſue.

Ad populū phaleras ego te intus, & in cute noui.

Recte hoc vltimum; totam enim ipſe promiſſionis terram peragrauerat, vt ad Dominionem, & Rogatianum teſtatur. Poſt quæ ad eamdem terræ illius anguſtiam confirmandam: *lege*, inquit [f], *librum Ioſuè & iudicum, & quantis poſſeſſionum anguſtiis ſit coarctatus intelliges.* Abſolutè igitur Iudaica terra, non ampla, non magna, ſed anguſta dicenda; quæ, ſecundùm Diuum Hieronymum, non amplius, vt diximus, toto circuitus ſui ambitu complectebatur, quam duodecim ſupra trecenta milliaria ex noſtris Italicis.

f Ead. epiſt. 129. ad Dardan.

Cur igitur ea ab amplitudine extollitur, & ſpatij laxitate, vt inde ſpatioſa dicatur? Ex Diuo Hieronymo facile nodus hic ſoluitur. Vt enim modò vidimus, quæcumque de terra promiſſionis paulò exaggeratiùs dicuntur, non de *terrena* vult accipi; ſed de *Cœleſti*. At alij ſpatioſam, & latiſſimam dici [g] volunt etiam *terram* illam *terrenam* reſpectu habito ad Gurguſtula, & Ergaſtia Ægyptiorum, ex quibus modò prodierāt Hebræi, cùm hæc illis de terra promiſſa narrabantur. Vrgebis: Quorſum igitur tot Patriarchæ, tot ſacri Vates, Deus ipſe terram iſtam tantopere commendabant, illius poſſeſſionem cùm populo promittebant? An non illis ſingulis id quod promittebant extollentibus, exaggerantibus, in Cœlum ferentibus, illud accepta poſſeſſione cecini poterat.

g Maſ. Ioſuè 13. Serrar. ibi q. 4.

Quid dignum tanto dedit hic promiſſor hiatu?

Duplex huic obiectioni ſolutio. Prima, quam iam dixi ex Diuo Hieronymo, promiſſa illa tam magnifica ad cœleſtem terram referenda, non ad terrenam. Altera etiam de terrena, promiſſa illa veriſſima fuiſſe; non quòd eſſet ampliſſima; ſed quòd fertiliſsima, & innumeris aliis opportunitatibus abundans. Hoc igitur maneat in vniuerſum de magnitudine terræ ſanctæ loquendo, non inter amplas illam Regiones cenſendam, quæ ſpatiorum laxitate commendantur; ſed inter anguſtas admodùm computandam.

Iam verò propiùs videamus, qui illius fines eſſent. Et loquor hîc non de vniuerſo Imperio, quo Iudaicus vnquam Populus ſub ſuis Regibus poſitus eſt; ſed de terra propria illius, quæ *ſancta*, & *repromiſſionis* appellatur. Eius igitur fines dupliciter in ſcriptura traduntur, intrinſecè, & extrinſecè. *Intrinſecè*, cùm per celebriores Vrbes, & Oppida, quæ longiſsimè ſecundùm longitudinem, & latitudinem diſtabant, illa deſcribitur. *Extrinſecè*, cum vicina loca traduntur, quibus Iudaica Regio quatuor ex Orbis partibus copulatur. Primo modo, loco iſto Regum deſcribitur. *A Dan*, inquit, *vſque Berſabee*, quibus duobus terminis, in Meridiem ab Aquilone, Chananitidis longitudo patebat. Erat enim Dan Ciuitas aquilonaris ad radices Montis Libani ſita: Paneas, & Cæſarea Philippi poſtea dicta [h]; Berſabea autem Ciuitas in Tribu Simeon contra deſertum magnum, centum ſexaginta milliaribus Italicis à Cæſarea diſiuncta, quorum tria vnius horæ ſpatio conficiuntur. Intrinſeci verò termini latitudinis erant, vt ex Diuo [i] Hieronymo vidimus, Ioppe, & Bethleem, quadraginta ſex inter ſe milliaribus (Italica ſemper intelligendo) mutuò diuiſa.

h Adricom. in Theat. præfat.

i Epiſt. 129.

At extrinſeci termini variè variis in locis in ſcriptura tradūtur. Notiſsimum eſt in libro Ioſuë, vbi cum illo Deus loquitur vltra Iordanem cum Populo conſiſtente: *Tranſi*, inquit [k], *Iordanem iſtum tu, & omnis populus tecum in terram, quam ego dabo filiis Iſrael. Omnem locum, quem calcauerit veſtigium pedis veſtri, vobis tradam, ſicut locutus ſum Moyſi. A Deſerto, & Libano vſque ad fluuium magnum Euphratem omnis terra Hethæorum, vſque ad fluuiū magnum contrà ſolis occaſum erit terminus veſter.* Hæc Deus; In quibus, terræ, quam ipſe promittit, à quatuor mundi plagis, vt Geographi ſolent, termini quatuor deſignantur. Primus terminus eſt à meridie *Deſertum*. Secundus à Septentrione, *Libanus*, & vltra Libanum, Orientem versùs, *Euphrates*. Tertius ad Occidentem, *Mare magnum*. Quartus ab Oriente tacitè *Iordanus* innuitur, in ſacris litteris omnium fluuiorum decantatiſſimus. Dicamus aliquid de ſingulis.

k Ioſuè c. 1.

Primus à meridie terminus Deſertum eſt: A Deſerto inquit, & Libano; inter quos duos fines, à meridie ad Septentrionem promiſſa terra patebat. Quod hoc Deſertum? id videlicet, quod ex Ægypto profectus, annos iam quadraginta populus peragrauerat, antonomaſticè ſic appellatum, quod ex recenti facto notiſſimum Hebræis, & in omnium memoria eſſet. Alibi non ſimpliciter, vt hîc; ſed cum adiuncto deſignatur, vt ab aliis diſcerni poſſit; & dicitur [l] Deſertum *Sin*, & *Cades*, vulgò nunc Alhis & appellari Maſius [m] obſeruat.

Poſſet hîc turbare quod ab aliis auctoribus hic terræ promiſſæ terminus aliter ſtatuatur. A Ptolomæo [n] enim ponitur *Arabia Petrea*; à Tacito, *Ægyptus* [o]; à Scriptura etiam ipſa, aliquando *Berſabee* [p], aliquando *fluuius* [q] *Ægypti*. Sed nihil diſſenſionis eſt; Nam Deſertum, quod intelligit hoc loco Scriptura, eſt, vt dicebam, per quod Hebræi vagati poſt egreſſum ex Ægypto: in

l Num. 33. 34.

m Ioſuè 1. 3.

n lib. 5. Geograph.

o lib. 5. Hiſt.

p 1. Reg. 4. 2. Reg. 3. 3. Reg. 4. 4. Reg. 23. 1. Paralip. 21. 2. Paral. 3.

q Geneſ. 15.

in eo autem Arabia Petrea, vel propè illud. Vnde meritò à Ptolomæo Petrea Arabia poſita eſt aliis notior, quàm Deſertum, quod tantùm Hebræis notum experientia malorum, quæ in illo exantlauerant. Et quia Deſertum id Ægyptum pertingebat, non iniuria Tacitus Ægyptum terminum nominauit. At Berſabee, vt diximus, eſt terminus intrinſecus, non extrinſecus, de quibus nunc agimus. Quòd autem fluuius Ægypti alibi memoretur, nihil iſtis repugnat; quia de terminis ibi ſermo totius Imperij Iudaici, non terræ ſanctæ ſolius, vt paulò poſt.

Secundus terminus huic oppoſitus à Septentrione *Libanus* eſt. De quo primò quæri poteſt, vnde dictus. Maſius [r], à Thure vult, cuius ille feraciſſimus ob copiam cedrorum, atque aliarum arborum reſinoſarum. Alij [ſ] à niuibus affirmant, quibus ille ferè ſemper abundat; ad quod Ieremias videtur alludere, dum niues proprias quaſi facit huius montis: *Numquid*, inquiens [t], *deficiet de petra agri nix Libani*; & Tacitus [u] de illa regione loquens: *Libanum*, inquit, *erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum, fidumque niuibus*. Alij [x] non à niuibus, nec à thure, ſed ab albo colore, quo mons ille latè conſpicuus, vndecunque id illi ſit, aut à copia thuris, quod ibi candicat, aut à niuibus in illo perpetuis; à quo candore ſunt qui non improbabiliter adſtruant, Ieroſolymitani templi appellationem deriuatam, qua ſubinde in ſacris litteris Libanus appellatur [y]. Id enim aliundè non eſſe, niſi quòd tam templum, quàm Libanus longè, latéque fulgebant; hic ex thure, vel niuibus: illud verò ob marmorum cruſtas, & candidiſſimos [z] lapides, quibus intectum.

r Ioſuë 1.
ſ Habacuc. 2.
t Ierem. 18. 14.
u lib. 5.
x Serrar. Ioſue cap. 1. q. 7.
y Iſai. 35. Ierem. 22. Zachar. 11. Habac. 2.
z Ioſeph. lib. 6. de captiu.

Secundò quæri poteſt: quotuplex Libanus fuerit, vt ſcire poſſimus quis illorum propriè terræ promiſſæ terminus ſtatuatur. Sunt qui duplicem ponunt, vnum Auſtraliorem: alterum magis Aquilonarem; quorum vnus propriè Libanus, alter Antilibanus dicatur. Id ſi detur, aliquid hîc eſt quod obturbat. Nam ſeptuaginta hoc [a] loco, & alibi, terminum ab Aquilone terræ promiſſæ Antilibanum ponunt, qui, ſi à Libano diſtinctus eſt, quomodo non inter ſe pugnant Hebraica veritas, & editio noſtra cum ſeptuaginta, ſed dicendum, vnum tantùm montem eſſe, qui Libanus eſt; eius verò quia duo iuga ſunt, inter quæ media vallis intercurrit, duorum vicem apud vtroſque gerit; quorum alter Libanus, alter Antilibanus dicatur [b]. Vtrumque verò iugum, & vallem, quæ per illa diſcurrit, noſter Interpres abſolutè Libani nomine deſignat, à quo Septentrionem versùs terminum ponit aquilonarem terræ promiſſæ.

a Ioſue c. 1.
b Vi. Plin. lib. 5. cap. 20. Strab. lib. 16.

Sed tunc dubitari tertiò poteſt: à qua parte Libanus illam definiat, aut à quo iugo; Cùm enim mons ille latiſſimè porrigatur, laxè nimis terminus hic definiri videtur, ſi tantùm Libanus dicatur. Sed dicendum Libanum qua parte Auſtralior eſt, & Antilibanus propriè dicitur, intelligi, cùm terminus aſſignatur terræ promiſſæ. Propterea ſeptuaginta, vbi de his terminis agitur, ad ambiguitatem tollendam *Antilibanum* diſertè vertunt [c], qui, vt dicebam, alterum iugum eſt totius Libani, inter quod, & alterum magis aquilonare; vallis interiacens tres nobiles habebat vrbes, Helìopolim, Alilam, & Damaſcum; fluuios verò, Adonium, & Chryſorroham [d].

c Ioſuë c. 1.
d Vi Serrar. Ioſue c. 1. q. 7.

Quartò quæri poteſt: cur aquilonaris terminus terræ ſanctæ Libanus hîc dicatur, qui tam frequenter alibi *Dan*, ſed ex dictis iam conſtat, Libanum terminum eſſe *extrinſecum*. Dan verò, ciuitatem Libano auſtraliori adiacentem, terminum eſſe intrinſecum, cui Berſabee ex altera parte reſpondet.

Tertius terminus ad Orientem *Iordanis* eſt, vltra quem ſtabat Ioſuë, cùm Dominus illum alloquutus dicebat [e]: *Tranſi Iordanem iſtum tu, & populus iſte*. Ad partem enim orientalem terræ promiſſæ tunc erant Hebræorum Caſtra locata, quam, versùs Occidentem mouentes, mox erant ingreſſuri Iordane traiecto.

e Ioſue c. 1. 2.

De hoc flumine plura nobis hîc eſſent ediſſerenda, quòd nihil ſit illo vulgatius in ſacris litteris; quæ tamen, eò quòd accuratè ſatis ab [f] aliis tractata ſint, leuiter tantùm libabimus, hac eorum cura, labore leuati. Hæc igitur de illo quæremus: Vnde appellatus: ex quo fonte fluat: quantus: quam longo decurſu: & demùm de eius amœnitate.

Nomen illi ſui fontes dedere, qui duo: Alter יור *Iar*: Alter דן *Dan*, ex quibus, alueo diuerſo ſcaturiens, inde aquis confluentibus, vnus effectus ex iunctis fontium nominibus, ירדן *Iardan* Hebraicè dictus eſt, vnde *Iordanus* [g]. Alij tamen aliam nominis originem aliunde deriuant: quòd *Iordan* ſit, quaſi à Dan deſcendens; & hoc, quòd illius vnicum tantùm fontem agnoſcant, quem Ioſephus [h] alicubi in Traconitide ponit: alij [i] in Dan. Sed hæc facilè conciliantur. Primus enim Iordanis ortus ab ipſa vſque Traconitide rectè repetitur, vbi lacu rotundo ſcaturit, & excipitur, à figura [k] Phyala nuncupata. Inde verò aliquantulum fluens poſtea reconditur, & iterum paulò poſt, duos per fontes ad Libani radices emergit, qui, vt dicebam, *Ior*, & *Dan*; & à quo Ciuitati nomen, quam Cæſaream Philippi, & Paneadam diximus appellatam.

f Maſius, & Serrar. in Ioſue c. 1. 13. Adricom. Theatr. in Nephtali. num. 57. Ioſeph. lib. 3. de bello. c. 18. Tyrius de bello ſacro lib. 21. c. 8. Brocard. itiner. 2.
g Rabbini in Thalm. apud Maſium in c. 1. Ioſue.
h lib. 3. de bello c. 18.
i Plin. lib. 5. c. 20 Hier. de locis.
k Maſius ibi.

Illius igitur curſus à Paneade incipit, à qua vbi quindecim circiter per milliaria profluxit ad Auſtrum, diffunditur in locum paluſtrem, Samechonitim, dictum, in quo ita reſtagnat, quo præſertim tempore niues ex vicinis montibus ſoluuntur, vt paludis potiùs, quàm fluminis ſpeciem reddat. Sed hoc ſtagnum æſtu creſcente ſiccatum, & obſitum denſa fruticum materie, feras occultat; à quo deinde Iordanis longius emenſus ſpatium, in lacum Genetſaret exoneratur, Euangelica Hiſtoria inclytum: à Genetſaret verò non longè progreſſus, torrentem Iaboc excipit, Patriarchæ Iacob memoria nobilitatum, à ſiniſtris Galaaditidis montibus manantem. Tandem in mare mortuum, ſiue Aſphaltitem receptus laudatas ſuas aquas bituminatis, & peſtilentibus, vt ait Plinius [l] immiſcet, à quibus etiam impeditus fluere deſinit, & concurſu nomen amittit; At de eius alueo ſi quæratur quàm latè patuerit, dubium non eſt, vno modo non perpetuò fluxiſſe: alicubi tamen ita diffuſum plerique volunt, vt eius latitudo bina cubitorum millia funderetur, in eo loco præſertim, vbi inaudito prodigio, ſuſpenſis aquis, à Ioſuë cum toto populo, ſicco veſtigio tranatus eſt; quæ ſpatij latitudo, quomodo & quàm rectè à Maſio [m] colligatur, apud illum facilè cognoſci poteſt.

l lib. 5. c. 15.
m cap. 3. in Ioſue.

Nec hîc de Iordane plura; De cuius amœniſſima fertilitate Ioſephus, & Plinius adeundi, ex quibus accuratè recentiores [n].

n Adricom. in Nephtali. Maſius, & Serrar in Ioſue c. 1. & 3. & 19.

Quartus terræ promiſſæ terminus ab occidente

Mare

Mare magnum ſtatuitur, quod nos Mediterraneum dicimus; Tacitus [o], verò, Iudaïcum; illi *magni* cognomentum inditum ex conſuetudine Hebræorum, quibus omnis aquarum paulò maior Aggeſtio, *Mare* nuncupatur; ob id in terra Iſraëlitide tria Maria celebrantur, qui verè non aliud, quàm lacus erant. Primum *Mare Aquarum Meromi*, de quibus in Ioſuê [p]. Secundum *Mare Tiberiadis*, ſiue *Genezareth*. Tertium *Mare mortuum* in quo Iordanis immoritur, *Aſphaltites* aliis ſcriptoribus; de quo Tacitus Iordanis curſum deſcribens: *Pelago*, inquit [q], *nec accipitur, ſed vnum atque alterum lacum integer perfluit; tertio retinetur, (hic eſt Aſphaltites) lacus immenſo ambitu, ſpecie maris, ſapore corruptior, grauitate odoris Accolis peſtifer; neque vento impellitur, neque piſces, aut ſuetas aquis volucres patitur.* Horum igitur trium lacuum comparatione, qui Iudæis Maria dicuntur, Mare mediterraneum, quod ab occidente terram promiſſam alluit, Mare Magnum appellatur. Et hæc de terminis huius terræ, quibus in ſacris litteris à quatuor mundi partibus Geographorum more finitur; ex quibus facilè quoque eſt Iudæorum vanitatem arguere in illius immenſitate iactanda.

o lib. 5. Hiſtor.
p Cap. 11.
q lib. 5. Hiſt.

An Terra promiſſa tam anguſta fuerit vt vno proſpectu potuerit tota luſtrari.

§ III.

FAcit hoc & ad illius terræ ſpatium explicatius noſcendum, de quo nunc agimus, & ad loca plura in ſacris litteris illuſtranda. Cùm enim aliquando cum Deo Abraham ageret, illi ſe ſuaque commendans, in alta montis ſpecula conſtitutus dixit [r] ad illum Deus: *leua oculos tuos, & vide à loco, in quo nunc es ad Aquilonem, & Meridiem, & Orientem, & Occidentem omnem terram, quam conſpicis, tibi dabo, & ſemini tuo vſque in ſempiternum.* Totam igitur terram promiſſionis illi ſub vno aſpectu propoſuit; & id iterum cum Moſe fecit, de quo legimus [s], in Phaſgam verticem, Hebo montis eductum terram omnem monſtrante Deo, vidiſſe quam populus illius ductu erat poſſeſſurus. Ex quo vtroque loco, quem hic verſamus, nodus innectitur: an adeò anguſta fuerit terra promiſſa, vt tota potuerit vna ex aliqua ſpecula luſtrari. Cui quæſtioni non meis, ſed Auguſtini verbis libet occurrere: *Quæritur* inquit [t] *quomodo intelligatur tantum terræ promiſſum eſſe Abrahæ, & ſemini eius, quantum ille poterat oculis ſuis circumſpicere per quatuor cardines mundi. Quantum eſt enim, quod ad terram conſpiciendam acies corporalis viſus poſſit attingere? Sed nulla eſt quæſtio, ſi aduertamus non hoc ſolum eſſe promiſſum; non enim dictum eſt: tantum terræ tibi dabo, quantum vides; ſed tibi dabo terram, quam vides; Cùm enim & vlterior vndique dabitur, profectò hæc præcipuè dabitur quæ videbatur. Deinde attendendum eſt quod ſequitur; Nam, ne putaret etiam Abraham hoc tantum ſibi terrarum promiſſum, quod ipſe oculis aſpicere, vel circumſpicere poſſet, dixit ei Deus: Surge, & perambula terram in longitudine eius & latitudine, quia tibi dabo eam: vt perambulando perueniret ad eam, quam vno loco ſtans oculis ſuis videre non poterat. Significatur autem ea terra, quam populus accepit Iſraël, ſemen Abrahæ ſecundum carnem; non autem illud latius ſemen ſecundum fidem; quod ne terreretur, mox adiungit, futurum ſemen eius, ſicut arenam maris, vel ſicut puluerem terræ, ſecundùm hyperbolem quidem, ſed tantum tamen, quod numerare nullus poſſit.* Sic ad hanc quæſtionem Auguſtinus. Ex quibus duo habemus: alterum, quomodo ſub vnum aſpectum vniuerſa promiſſionis terra venire potuerit: alterum: licèt in vno loco non conſiſteret Abraham, ſed ſe ſubinde permoueret, exiguam nihilominus terram dicendam, quam paululùm promotus totam ſimul circumſpiciendo luſtrauerit. *Totam* cùm dico, non intelligo valles illius omnes, & campos, interiectos montes, & quidquid in illa denique quoquo modo contineretur. Nec enim id poterat; ſed ſpatium, quo porrigebatur certis ad quatuor cœli cardines terminis definitum. Hoc enim pacto dicitur campus aliquis, aut Ciuitas vno aſpectu videri, cuius tamen omnes anguli non vno poſſunt aſpectu luſtrari.

r Geneſ. 13.
ſ Deut. 34.
t quæſt. 28. ſup. Geneſ.

Quo iure terram promiſſam Iudæi inuaſerint, & iuſtè poſſederint?

§. IV.

DVo quæri poſſunt, inter ſe tamen ita connexa, vt vnius explicatio ſit alterius cum explanatione coniuncta. Primum, cur veteres coloni ſint ab illa terra depulſi. Secundum quo iure Iudæi in illam immiſſi. De primo duæ cauſæ feruntur. Prima, iniuſtus titulus, quo terram illam Chananæi poſſidebant. Secunda, præter hoc, alia crimina grauiora. Vtramque cauſam tangit Auguſtinus [u], & alij cum illo. Primam quidem his verbis: *Tradunt maiores noſtri, quòd quando filij Noe omnem terram inter ſe inuicem diuiſerunt, terra iſta, quæ dicitur Chananæorum in diuiſione orbis Seniori filio Noë, id eſt Sem in poſſeſſionem obuenerit, & eam tempore non paruo poſſederit. Poſteà verò increſcentes Populi Chananæi, de illo vtique filio, qui à Patre fuerat maledictus, venerunt ad loca illa, & per violentiam expulſis fratribus ſuis, id eſt filiis Sem, terram eorum more barbarico poſſederunt.* Hic igitur erat iniuſtus titulus poſſeſſionis; quia terram illam legitimis Dominis exturbatis, per iniuriam violenter inuaſerant Chananæi; quod ipſum Caſſianus [x] : *Quantum docuit,* inquit, *vetus traditio, has euſdem terras Chananæorum, in quas introducuntur filij Iſraël, filij Sem fuerunt olim in orbis diuiſione ſortiti; quos deinde per vim, atque potentiam poſteritas Cham peruaſionis iniquitate poſſedit.* Altera cauſa, alia ſcelera fuerunt, quæ huic violentæ inuaſioni magis in dies accumulabant. *Quia*, inquit Auguſtinus [y], *excepto illo peccato, quòd poſſeſſionem alienam inuaſerant, multa nefanda, & inaudita crimina committebant in tantum, vt quando Dominus Sodomum, & Gomorrhum ſubuertebat, dixiſſe legatur: nec dum completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum; & expectabat Dominus, vt aut conuerterentur, & agerent pœnitentiam, aut certè ſi conuerti nollent, criminia criminibus cumulantes, & peccandi menſuram implentes, iuſtiſſimam Dei ſententiam ſuſtinerent; quia ergo dupliciter inuenit eos reos, diuinæ*

u Serm. 105. de tempore. Epiphan. lib. 1. Hæreſ. 9. Anaſtaſ. lib. 1. de Parad. Caſſian. collat. 5. c. 24.
x loco citato.
y Ibidem.

cenſura, pro eo quod & terras alienas inuaſerant, & poſtea ſcelera, & crimina inaudita commiſerant, iuſto iudicio puniuntur.

At cur hanc in poſſeſſionem Iudæi miſſi: vel quo eam iuſto titulo tenuerunt? Primò titulo donationis à vero, & abſoluto Domino [a]: *Ipſius eſt enim terra, & plenitudo eius, & vniuerſi, qui habitant in ea.* Qui quidem inter ſe comparati, terræ, quam iuſtè poſſident, ſic verè Domini ſunt, vt inde, niſi per iniuriam, non poſſint ab aliis exturbari. At ad Deum ſi ſpectetur, nihil aliter quàm precario poſſident: à quo quoties, & quando vult Coloni veteres expelli poſſint, & recentes induci. Et hinc Manichæi, ſectatorúmque vox blaſphema compeſcitur; ob id Deum accuſantium, quòd ex ſuis ipſorum ſedibus Chananæos eiecerit, vt in illas ſuos clientes induceret: *An enim dicebant iniuſtitia hæc ſumma non eſt, quam ſi Rex quiſpiam patraret, illicò non Rex, ſed Tyrannus audiret?* Hæ inquàm, blaſphemæ voces, quas Auguſtinus [a] pluribus redarguit, non aliundè, quàm ex ignoratione Diuinæ Maieſtatis exiſtunt. Eſto enim quòd nulla Chananæorum ſcelera præceſſiſſent, quibus in iuſtum ſupplicium exterminatio ſuis è ſedibus deberetur: an non ex ſuo Deus poteſt in quamcunque partem diſponere, quod ita concedit hominibus vtendum, vt precario tantùm habeant, & eouſque tenendum, donec illi libuerit, qui conceſſit? Aſt hic vt dicebam, non abſolutum tantùm Dominum egit Deus, & id, quod poterat ex incircumſcripta ſupremi dominij poteſtate; ſed etiam vt iuſtum ſe iudicem geſſit; quadringentos per annos, ſceleſtiſſimos, vt reſipiſcerent [b], præſtolatus, eorum tandem ſcelera vindicauit, à ſuis illos ſedibus exturbando.

a Pſal. 23.

a lib. cont. Fauſtum.

b Gen. 15. Ad Rom. 14.

At cur hoc, quod illis iuſtiſſimè Deus abſtulit, in Hebræos contulit? Hoc enim quærimus: an alio iuſto titulo, quàm donationis, has illi terras poſſederint. Eſt igitur alius titulus, & congruens ratio, cur hoc illis Deus maluerit. Quia terra hæc vetus erat poſſeſſio Patrum ſuorum; ideo iure quaſi poſtliminij, & iuſtæ recuperationis, in illam vt iniuſtè, ſpoliatos decebat, immiſſi ſunt. *Quia* inquit Auguſtinus [c], *Abraham de genere Sem legitur fuiſſe, filij eius, id eſt populi Iſraëlita, non alienam terram tradente Domino, peruaſerunt; ſed ſuam propriam, quam per violentiam patres eorum perdiderant, receperunt.* Et hanc cauſam cur Chananæis expulſis Hebræi ſucceſſerint, ibi veriſſimam dicit Auguſtinus, & veterum traditione receptam: Cuius vetuſtæ famæ opinionem ſemper in Syria viguiſſe, teſtatur apud Anaſtaſium [d] magni illius Ephrem Magiſter Iacobus Ediſſenus: adiungens etiam Noë ante Diluuium in ea Regione quæ poſtea Chananæa dicta eſt, habitaſſe, eamque poſt Diluuium filio ſuo Sem hæreditatis loco tribuiſſe. Quod etiam poſt illum Moſes Barcepha tradidit in opere de Paradiſo [e].

c Ibid. ſerm. 105.

d lib. 1. de Paradiſo.

e lib. 1.

Qualis hæc terra fuerit, & quanta ſalubritatis, & vbertatis.

§. V.

PRæſtantiſſimam omninò fuiſſe, dubium non eſt. Id enim indicant elogia paſſim illi in Scriptura tributa. Simpliciter alicubi, & quaſi antonomaſticè [f] appellatur *bona*: & [g] alibi, *bona valdè, valdè*; quod indicat exceſſum, & excellentiam quandam bonitatis, in tribus maxime conſtitutam, aëris ſalubritate, vbertate ſoli, & hominum, animaliumque illis vtilium multitudine, & fœcunditate. Quæ tria ſupra quam de alia quacunque regione tradantur, in hac terra maximè commendantur.

f Exodi 3. 8.

g Num. 14. 7.

Et primò Cœli, aërisque ſalubritas (quod primum, ſummumque eſt eorum omnium, quæ in regione aliqua captanda quæruntur [h]) dubium non eſt, quin huic ſolo fuerit omni ex parte maxima [i], & præſtantiſſima; At fertilitatem pluta ſunt, quæ teſtantur, & experimento certo conuincunt fuiſſe mirandam. Primò enim ad illam deſignandam perpetuo fermè epitheto dicitur *terra* [k] *lacte, melleque fluens*; quo modo loquendi ſumma rerum omnium ſignatur vbertas in aliquo ſolo; tum quòd lac, & mel omnium primi, & ſimpliciſſimi fructus ſunt, ex brutis animantibus ad hominis alimoniam prouenientes; tum quòd eximiam ſoli, cœlique bonitatem perſpicuè demonſtrant; Vnde enim lactis copia, & ſapor, niſi à bono, & vberi gramine? Mellis autem copia, & præſtantia vnde, niſi è floribus plurimis, & fruticum gramine pinguiſſimo [l], & mundiſſimo? Cùm tantum igitur lactis, & mellis hac ex terra ſuppeteret, vt dici poſſet lacte, melléque manare, meritò fœcundiſſima dicenda, & iis omnibus inſtructiſſima, quæ ſunt ad pacatè, iucundéque viuendum. Hac enim ratione ſimiliter etiam externi Poëtæ terras illas laudarunt; quas ab vbertate ſoli ſuper alias extollebant. Horatius [m].

h *Vitruu. lib. 1. c. 4.*

i *Ioſeph. li. 3. antiqu. c. 8. lib. 2. de Captiu.*

k Exod 3. 84. & 135. Leuit. 20. 24. Num. 14. 8. & 16. 14. Deut. 6. 3. & 32. 2. Baruchi 20. Ezech. 20. 64.

l *Ioſeph. li 2. captiu. c. 4. Plin. lib. 21. c. 12 13 14.*

m *Epod. Ode 16.*

Mella caua manant ex ilice, montibus altis
Leuis crepante lympha deſilit pede.
Illic iniuſſæ veniunt ad mulctra capellæ,
Refértque tenta grex amicus vbera.

Virgilius itidem [n].

n *Eglog. 4.*

Iam dura quercus ſudabunt roſcida mella
Ipſæ lacte domum referent diſtenta capellæ
Vbera.

Et [o] Tibullus.

o *lib. 1. Eleg. 3.*

Ipſa mella dabant quercus, vltróque ferebant
Obuia ſecuris vbera lactis oues.

Denique Ouidius [p] de aureo ſæculo.

Flauaque de viridi ſtillabant ilice mella.

p *lib. 1. Metamorph. Vi. Marc. Delrio. ſacr. allag. tom. 1.*

Tertiò, nec ſolùm contenta epitheto ſacra Scriptura, quo quaſi ſermonis compendio terræ huius fertilitatem deſignat, illam verbis ampliſſimis ob oculos explicatè ponit, vt per Moſem in ſuo Cantico [q]: *Conſtituit eum ſuper excelſam terram, vt comederes fructus agrorum, & ſugeret mel de petra, oleúmque de ſaxo duriſſimo: butyrum de armento, & lac de ouibus, cum adipe agnorum, & arietum filiorum Baſan: Et hircos cum medulla tritici, & ſanguinem vuæ biberes meraciſſimum.* Quare Diuus Hieronymus alicubi rectè concludit [r]: *Re vera nihil terra repromiſſionis pinguius; ſi non montana quæque, atque deſerta; ſed omnem illius latitudinem conſideremus, à riuo Ægypti, vſque ad flumen magnum Euphratem, contra Orientem, & Zephyrium Ciliciæ, quod mari imminet.* Denique quando alia deeſſent, præſentes ſunt, qui noſtro tempore, luſtrata terra, ſummam illius vbertatem teſtantur; in quibus Illuſtriſſimus Raziuilius: *Terra,* inquit [ſ], *Galilæa initio ſaxoſa, & rupibus, vt Syria caua abundans: ſed duobus milliaribus peractis, tanta eſt in hac regione ſiluæ amœnitas,*

q Deut. 32. 13.

r in Eſai. c. 9.

ſ *Epiſt. 2. de ſua in Terr. ſanct. peregr.*

nitas, vt difficulter deſcribi, ac verbis explicari poſſit. Soli fertilitas inſignis hinc apparet, quòd licèt propter incurſiones Arabum, agri non excolantur, optimarum tamen herbarum vim maximam producit: roſmarini præſertim frutcta condenſata virent.

Tantæ verò ſoli fertilitati hominum fœcunditas, & reliquorum animantium multitudo congruebat, quibus illi in vita traducenda iuuantur. Quanta porrò hæc erat? immenſa prorſus; vt ex triplici capite facilè colligitur. Primò ex ingenti numero militarium virorum, qui in aciem educi poterant, aut aliquando educti ſunt. Vix nunc ex Italia tota, magno cum molimine centum poſſunt armatorum millia conflari; at ex Iudæa ſola ſubinde videmus, ſupra ſexcenta millia, nullo fermè negocio conflata, in acie ſtetiſſe; quod infrà ſuo loco pluribus. Secundum caput, vnde hæc multitudo non hominum ſolùm, ſed animalium reliquorum colligitur, eſt ex celebritate Paſchali; in qua, narrat Ioſephus [t], vno, eodémque die myriadas vigintiquinque, & 5600. agnos in Sacrificium mactatos; qui numerus eſt ducentorum quinquaginta quinque millium agnorum ſupra ſexcentos. Iam verò cùm ad agni cuiuſlibet comeſtionem Viri dumtaxat, & illi ab omni labe puri conuenirent, ad minimum numero quindecim, ſi tota ſumma paſchalibus epulis veſcentium colligatur, erit fermè myriadum ducentarum, & ſeptuaginta, quæ ſunt vicies centena, & ſeptingenta millia Virorum; duo nempè milliones [u], & dimidiũ ſupra millia quinquaginta. Et hæc tanta multitudo in vna Vrbe Ieruſalem ſolemnitate Paſchali, præterquam, quot erant immundi, qui labe aliqua præpediti, Paſchalia non comedebant? Quot fœminæ, quot puetulæ? Tertium caput huius multitudinis colligendæ, eſt ex numero Vrbium, & Vicorum, & Incolarum in ſingulis, frequentia. Narrat Ioſephus [x], in ſola Galilæa quatuor & ducentas Vrbes, & Vicos extitiſſe. At erant iſti fortaſſe Incolis infrequentes? Quorum inquit ille [y] alibi: *Minima Vrbs, aut Vicus habet pluſquam quindecim millia capitum.* Quanta igitur hinc hominum multitudo conflatur, ſi numerus Incolarum reliquarum Iudææ regionum ex hac Galilææ frequentia computetur?

t lib. 6. c. 43.
u Vi. Serrar. Ioſuë c. 13. q. 2.
x In lib. de vita ſua.
y lib. captiu. c. 4.

Aduerſus hæc tria obiici poſſunt, vnde terræ huius ſalubritas, & fertilitas oppugnetur. Primò frequens fames, qua ſæpiùs [z] oppreſſa. Secundò fontium, aquarumque penuria, quæ in illa regione ſumma; præſertim circa Ieruſalem, & in illa. Siccitatis autem in reliquis illius terræ partibus argumento ſunt crebræ [a] contentiones Abrahami, & Iſaac cum Chananæis de fontibus, & aquarum ſcatebris eruendis; & inſuper quòd Caleb, vt in immenſum filiæ ſuæ dotem augeret, ius illi deriuandæ aquæ in ſua prædia ex certo fonte conceſſit [b]; quæ profectò liberalitas digna non erat tantoperè commendari, & attentè adeò poſteris tranſmitti; niſi terra tota ſiccior fuiſſet, & ob id ſemper indigna pluuialium [c] aquarum. At de Ieruſalem ipſa, & aquarum in illa penuria, & terræ aſperitate Hieronymus [d]: *Totum*, inquit, *Prouincia ſiccißima eſt, & ſaxoſis montibus aſperatur, & penuriam patitur ſitis; ita vt cœleſtibus vtatur pluuiis, & raritatem fontium ciſternarum extructione ſoletur.*

z Gen. 12. 26. & 47. & 42. Ruth. 1. 2. Reg. 21. 3. Reg. 18. 4. Reg. 1. Actorum 11.
a Gen. 31. 36.
b Ioſuë c. 15.
c Gen. 31. & Deuter. 11. 11.
d In Eſai. c. 49.

Sed hæc nihil illa mouent, quæ ſunt à nobis de terræ huius vbertate ſtatuta. Non primum; quia fames illa non à malignitate ſoli, ſed à Deo vindice proueniebat. Non ſecundum; quia non ita dicimus hanc terram ſalubrem, & vberi rerum prouentu fœcundam, nulla vt in ea loca ſaxoſa, aſpera, inculta, ſed totam ſimul Regionem dicimus intuendam. Ad Ieroſolymam verò quod attinet, licet aquarum inopia premeretur ex ſolo ſcaturientium, aliunde tamen habebat, vnde ſuæ inopiæ ſubueniret, in tempore pluuias è cœlo demiſſas, quæ frequentibus ciſternis, & piſcinis exceptæ, terram irriguam reddebant. Ad terrarum rectè Genebrardus [e], totũ terræ ſanctæ decorem, & felicitatem terræ ſanctæ vnà cum templo dicit concidiſſe. Quòd verò de præſenti ſoli illius vbertate dicendum, conſtat ex Raziuilio, cuius modò verba protulimus.

e lib. 2. chronolog.

An vltrà terram promißionis, quæ propriè ſancta, Iudaïci fines Imperij ſint aliquando propagati.

§. VI.

SIne dubio fueruot. Vt enim vidimus, Terra propriè promiſſionis dicta in longitudinem à Dan vſque Berſabeam pertinebat: in latitudinem Ioppe, & Bethleem claudebatur. At imperium Hebræorum ita prolatum fuit aliquando, vt à fluuio Ægypti vſque ad Euphratem extenderetur. Quod conſtat primò ex Dei promiſſo ad Abrahamum. Secundo ex eiuſdem promiſſi *impletione* tempore Dauidis, & Salomonis. Dei promiſſum habetur in Geneſi [f]: *In illo die*, inquit, *pepigit Dominus fœdus cum Abraham, dicens: ſemini tuo dabo terram hanc à fluuio Ægypti vſque ad fluuium magnum Euphratem.* Quod ipſum Moſi poſtea repetitur [g], & confirmatur, & poſt Moſen ipſi Ioſuë [h]. Promiſſi verò repræſentatio, Dauide regnante facta eſt, & eius filio Salomone poſt ipſum. Dauid enim is fuit, qui fines illuc vſque produxit Deo duce, & auſpice Deo Salomon, qui productos pacatè poſſedit. Itaque de Dauide diſtinctè narratur [i], ipſum profectum vt dominaretur ſuper fluuium Euphratem ſubegiſſe Philiſthæos, Idumæos, Moabitas, Ammonitas, & vtramque Syriam cum Amalecitis; vnde poſt de Salomone adhuc diſtinctius habetur [k]: *Salomon erat in ditione ſua habens omnia Regna ſecum à flumine vſque ad terminum Ægypti offerentium ſibi munera, & ſeruientium cunctis diebus vitæ eius.*

f cap. 15. 18.
g Exodi 23.
h cap. 1.
i 2. Reg 8. & 1. Paralip. 18.
k 3. Reg 4.

Iam verò de hoc Imperio, & ditione Hebræorum duo quærenda ſunt. Primum, quibus finibus terminatum, & quàm latè pateret. Scriptura dicit: *Ab Ægypti flumine ad Euphratem vſque productum.* Quod igitur hoc *Ægypti flumen?* Multi multa [l]: Rabbini quidam volunt, eſſe Nilum. Sed quis non videt, hoc admiſſo, concedendum quoque, magnam Ægypti partem Iſraëlitarum fuiſſe? Quod cùm non fuerit, illud etiam eſt abnuendum. Eſt igitur hic fluuius riuus ex Nilo deriuatus, qui per latiſſimam ſolitudioem inter Peluſium, & Palæſtinam decurrens, in mare mediterraneum influit, *Ægyptiacum*, ſiue *Phœnicum* appellatum. Vocatur autem fluuius is aliis pluribus nominibus in ſacris litteris. Primò

l Vi Perer Geneſ. 15. diſp. 9.

Riuus

Riuus [m] *Ægypti: Riuus*, quòd exiguus; *Ægypti*, quòd à Nilo celeberrimo totius regionis effunditur. Secundo appellatur *Torrens* [n] *Ægypti*, non quod iuſtus fluuius non ſit, aut aliquando ſiccetur; ſed quòd in more Torrentis, ob ſubita aquarum incrementa, aut ex imbribus aut ex liquatis niuibus intumeſcat. Tertio dicitur *Torrens* [o] *Occidentis*, eo quod in mare mediterraneum influit ad occidentem terræ Iudaicæ ſitum. Quartò dicitur *fluuius* [p] *turbidus*, eò quod aquas inuoluat lutulentas, originem ſuam prodens. Nilus enim totus limoſus, ob quod Hebraicè שיחר *ſicher* id eſt turbidus appellatur: & Græcè μελας *Melas*. id eſt niger, quòd aquas inuehat cœnoſo gurgite nigricantes [q]; vnde illi vis ad agros Ægypti fœcundandos. Quinto appellatur à ſeptuaginta, *Rhinocolura*; quod enim nos apud Iſaiam [r] legimus: *In illa die percutiet Dominus ab alueo fluminis vſque ad torrentem Ægypti*; Ipſi vertunt: *A foſſa fluminis, vſque ad Rhinocoluram*. Eſt autem *Rhinocolura* Ægypti Ciuitas, vt ſcribit Hieronymus [ſ]; propè quam, quia fluuius ille decurrit, à ſeptuaginta de illius nomine eſt appellatus: De qua Vrbe quid Diodorus cum Strabone [t] referat, hic non pigebit adſcribere: *Actiſanes*, inquit [u], *Æthiopum Rex Ægypto occupata, partim vi, partim Ægyptiorum voluntate latrocinia nouo more compeſcuit, ſontes neque morte plectens, neque dimittens impunitos. Eorum quippe conſtituto iudicio, omnes qui conuicti erant, in vnum coactos miti ſupplicio affecit; Amputatis enim naribus in vltima deſerti compulit: ibique Ciuitatem condidit, ab exciſis naribus Rhinocoluram appellatam. Hæc vrbs in Ægypti, Arabiaque finibus, non procul a mari ſita, omnibus vitæ commodis caret. Omnis enim vicina Regio ſalſa eſt; & intra mœnia puteus tantùm vnicus eſt, iſque inutilis, vt potè aquis amaris ſcatariens.* Hæc Diodorus; ex quibus habetur, qualis hæc Vrbs, vbi ſita, & vnde ſic appellata. Ab hac ergò Vrbe, ſeu fluuio propè illam fluente, Iudæorum incipiebat Imperium illis à Deo promiſſum, & per Dauidem poſtea paratum.

Quantum autem ab hoc termino protendebatur? *Ad Euphratem* vſque. Qui fluuius elogio *Magni* in Scripturis inſignitur; vt etiam apud externos. Lucanus [x].

Quique caput rapido tollit cum Tigride magnus
Euphrates.

Alibi ſine vllo adiuncto *fluuius* [y] appellatur, antonomaſticè ſatis eo generali nomine deſignatus. De quo Strabo Geographorum diligentiſſimus: *Eſt*, inquit, *Euphrates Tigride maior, pluſque terra peragrat, ex iis tauri partibus, quæ ad Aquilonem vergunt, orta confrageſo promanans; vnde ad Occidentem verſus per maiorem, quam vocant, Armeniam fluit vſque ad minorem: & hac à dextris, Liſcena verò à ſiniſtris relicta, ſe deinde ad meridiē inflectit, & Cappadociæ montes attingens, Comagenam, Soffenemque maioris Armeniæ regiones præterlabitur; inde in Syriam, & repetito curſu Babyloniam verſùs reflexus, in ſinum Perſicum exoneratur* [z]: Hæc de Euphrate fuſiùs quòd illius frequentiſſima mentio in ſacris litteris; ex quibus Imperij totius Hebræorum, & illius terræ tantùm quæ ſancta propriè dicitur, fines optimè diſtingui poſſunt. Quòd ſi quem fortaſſe mouet quod paulo antè terram ſanctam finientes, eoſdem quaſi terminos illi ſignauimus [a], quos hic adſcripſimus imperij totius, intelligat aliter id vtrobique præſtari. Nam cùm terræ ſanctæ fines adſcribuntur verſus Ægypti fluuium, ad Euphratem vſque protendi dicuntur, non illucuſque pertingere. Cùm verò totius fines Imperij, non tantùm illuc ſpectare, & verſus tendere, ſed planè peruenire dicuntur: ita vt à Meridie, Ægypti fluuium, quem deſcripſimus, attingeret, à Septentrione verò, Euphratem.

Secunda quæſtio de modo poſſeſſionis eſt; an ſcilicet par fuerit vtriuſque ditionis ratio; & ita reliquas Hebræi terras poſſederint, vt terram ſanctam. Et omninò negandum. Nam terra ſancta poſſeſſa eſt ab Hebræis, vt *hereditas*; reliquæ verò ditiones, vt *vectigales*. Sic Auguſtinus [b] immeritò ab aliis [c] in hoc oppugnatus, aut deſertus. At quomodo poſſidere terram aliquam in hereditatem, aut vt vectigalem tantùm, inter ſe diſtinguuntur? quod erat vt *hereditas* ab Hebræis poſſidendum, id eliminatis veteribus incolis, ab illis habitabatur, ibi ſedes figebant, fundos, agros, prædia colebant, aliis externis non admiſſis. Quod verò tantùm vt *vectigale*, erat illis obnoxium, in eo ſolo retentis priſtinis habitatoribus, iuſtas inde tributorum penſiones exigebant, & alia capiebant emolumenta, quæ poſſunt ex ſubactis Populis in legitimum Dominum prouenire.

Tertiò hîc eſſet explicanda quæſtio; Qui, & quot eſſent iſti Populi Iudæorum imperio ſubiecti, & illis vectigalia ſoluentes. Sed de hac re nonnulla paulò poſt: fuſius verò cùm de Dauidis, & aliorum Regum magnitudine diſſeretur.

Cur hanc terram Iudæi perpetuò non poſſederint; & quamdiu illam tenuerint.

§. VII.

GRauis hæc, aſpectu primò; quæſtio videri poſſet: ex vna parte videmus indè Populum Iudaicum exterminatum alienas per Regiones profugum quaſi vagari: ex alia ſonat in auribus diuinum promiſſum paulò antè propoſitum, quo ſpondet Abrahamo, & illo ſtipulante poſteris eius omnibus huius terræ poſſeſſionem illis perpetuam futuram: *Omnem terram hanc, quam conſpicis* (loquitur ad Abraham Deus) *tibi dabo, & ſemini tuo vſque in ſempiternum.* Nil poterat clarius. Abrahamo, & eius Poſteris æterna terræ illius poſſeſſio ſpondetur, & hoc à Deo: Quomodo igitur tanti promiſſoris fides hîc non vacillat, cuius promiſſa tanto iam temporis ſucceſſu, deſtituta cernuntur?

Huic nodo ſcindendo varius à variis cuneus adhibetur: Diuus Auguſtinus [d] legit, non in ſempiternum; ſed in ſæculum: *Quod dictum eſt*, inquit, *tibi dabo terram hanc, & ſemini tuo vſque in ſæculum, poteſt mouere nonnullos, ſi vſque in ſæculum intelligant in æternum. Si autem ſæculum hoc loco ſic accipiant, quemadmodum fideliter tenemus, initium futuri ſæculi à fine præſentis incipere; nihil eos mouebit. Quia etſi expulſi ſunt Hebræi de Ieroſolymis, manent tamen in aliis Ciuitatibus terræ Chanaan, & vſque in finem manebunt; & vniuerſa terra illa cùm à Chriſtianis habitatur, etiam ipſum ſemen eſt Abraham.* Sed hæc reſponſio

[m] Gen. 15. 18. Exodi 23. 3. Reg. 8.
[n] Num. 34. Ioſue 13.
[o] Septuag. Amos 6. Ribera ibid.
[p] Ioſuè 13.
[q] Ierem. 2.
[r] cap. 27.
[ſ] De locis Hebr.
[t] lib. 16. Geogr.
[u] Diod. lib. 2. Bibl. Hiſt.
[x] lib. 3. Pharſal.
[y] Exod. 23. Ioſuè 24.
[z] Vi. Plin. lib. 5. cap. 24. Maſius c. 1. Ioſue.
[a] et Ioſuè 1. 1. Sopran. in Dauid.
[b] q. 21. in Ioſuè.
[c] Vi. Perer. Geneſ. 15. q. 10. Maſ. Ioſue 1. Serrar. ibi q. 8.
[d] lib. 16. c. 20. de Ciuit.

nodum non ſoluit ex duplici capite. Primò quòd non *in ſempiternum*, ſeu in æternum, vt noſtra vulgata legit, ſed vſque *in ſaculum*. Secundò quòd illud, *Tibi dabo*, quod poſſeſſionem, & dominatum ſonat, de ſimplici incolatu interpretatur, quod diuinum promiſſum infringit. Nec enim Deus habitationem tantùm Chananææ pollicetur Abrahamo, ſed dominatum.

e lib. 16 de Ciuit. c. 27. & q. 31. Gen. & con. Priſcill. ad oroſ. c. 3.

Eſt igitur eiuſdem alia reſponſio [e], qui lectione *æternæ poſſeſſionis* admiſſa, dicit *æternum* ſumi, non pro duratione interminata, ſed pro longiſſima. Sed nec hoc difficultate caret; Nam quis dicat æternam etiam in hoc ſenſu Iudæis hanc poſſeſſionem fuiſſe, quòd non amplius durauerit, quàm quod paulò pòſt oſtendemus? Expeditiſſima igitur ad hunc locum, & alios ſimiles reſponſio eſt; hoc Dei promiſſum non abſolutum fuiſſe, ſed cum conditione; conditionem autem; quæ nonnunquam exertè proponitur, aliàs intelligenda tacitè, concipitur fuiſſe Diuinæ legis ſeruandæ. Sempiternam ergo, & perpetuam hanc illi Deus poſſeſſionem ſpopondit; ſi legem Poſteri ſeruarent; præcipuè quæ ſpectat ad cultum veri Dei retinendum, & alterius cuiuſcunque repudiandum. Et hæc reſponſio, vt dicebam, non ſolùm in hoc; ſed in aliis promiſſis, & denunciationibus eſt ſimiliter admittenda, quæ videntur aliter effectum ſortitæ, quàm verba proferant. Omnes enim non abſolutè, ſed aliqua ſub conditione ſemper intelliguntur; vt ante nos [f] alij obſeruarunt.

f Abulen. c. 13. Geneſ. quæſt. vlt. Perer. ibi. diſp. 10. in fi. Serrar. & Maſ. in Ioſuë c. 1.

Quomodo igitur huic diuino promiſſo de terra poſſidenda eſt adiecta conditio? Dupliciter, vt dicebam; tacitè nempè, & expreſsè. *Tacitè*, hoc loco Geneſis. *Expreſsè*, dupliciter: Indirectè, & directè: *Indirectè*, cùm Deus legem tranſgredientibus, inter alia comminatur exterminationem à terra promiſſa. Per hoc enim obliquè ſignificatur; licèt expreſsè promiſſum de terra danda, & eius poſſeſſione fuiſſe ſub conditione ſeruandæ legis. Sic igitur ad hoc Moſes [g] habet. *Abominabitur vos anima mea, ait Dominus, in tantum, vt Vrbes veſtras redigam in ſolitudinem, & deſerta faciam Sanctuaria veſtra: diſperdamque terram veſtram, & ſtupebunt ſuper ea inimici veſtri, cùm habitatores illius fuerint: Vos autem diſpergam in gentes, & euaginabo poſt vos gladium; eritque terra veſtra deſerta, & Ciuitates veſtræ dirutæ.* Qui igitur hæc legem tranſgredientibus comminatur, vtique ſub ea conditione, ſe illis terram perpetuam daturum, intelligendus eſt promiſiſſe, ſi legem ſeruarent; vt expreſsè iterùm, non obliquè ſolùm, ſed etiam directè proponit. *Ponite*, inquit [h], *verba mea* (mandata ſcilicet, quæ vobis ſeruanda propono) *in cordibus, & in animis veſtris: docete filios veſtros, vt illa meditentur: quando ſederis in domo tua, & ambulaueris in via, & accubueris, & aſſurrexeris; vt multiplicentur dies tui, & filiorum tuorum in terra, quam iurauit Dominus Patribus tuis, vt daret eis quamdiu Cælum imminet terræ. Si enim cuſtodieritis mandata, quæ ego præcipi vobis, diſperdet Dominus omnes gentes iſtas ante faciem veſtram, & poſſidebitis eas, qui maiores, & fortiores vobis ſunt. Omnis locus, quem calcauerit pes veſter, veſter erit.* Eatenus igitur hoc illis promiſſum Deus erat ſeruaturus, quatenus illi viciſſim mandata ſeruarent; vt adhuc clariùs in eodem [i] libro Moſes; *Cùm dilatauerit*, inquit, *Deus terminos tuos, ſicut iurauit Patribus tuis: & dederit tibi cunctam terram, quam eis pollicitus eſt; ſi tamen cuſtodieris mandata eius, & feceris quæ hodie præcipio tibi, vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius omni tempore.* Et rurſus id ipſum repetens: *Conſidera*, inquit [k], *quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam, & bonum, & è contrario mortem, & malum; vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & viuas, & multiplicet tè Deus, & benedicat tibi in terra, ad quam ingrederis poſſidendam. Si autem auerſum fuerit cor tuum, & audire nolueris, atque errore deceptus adoraueris Deos alienos, & ſeruieris eis; prædico tibi hodie, quòd pereas, & paruo tempore moreris in terra, ad quam, Iordane tranſmiſſo, ingrederis poſſidendam.* Denique clariſſimè cuncta concludens idem Moſes: *Ponite*, inquit [l], *corda veſtra in omnia verba, quæ teſtificor vobis hodie, vt mandetis ea filiis veſtris cuſtodire, & facere, & implere vniuerſa, quæ ſunt legis huius; quia non incaſſum præcepta ſunt vobis; ſed vt ſinguli in eis viuerent: quæ facientes longo perſeueretis tempore in terra, ad quam, Iordane tranſmiſſo, ingredimini poſſidendam.* Bifariam igitur Deus hanc legis ſeruādæ conditionem attexuit promiſſo ſuo. Primò, quod terræ promiſſæ, quam iam ingrediebantur, poſſeſſionem retinerent. Secundò vt Imperium, quod latiùs propagandum promittebatur, obtinerent. Nam & in hac, quam iam ingreſſi, & mox ingreſſuri tamdiu permanſuri dicuntur, quoad vſque Dei non obliuiſcantur: & illud latius Imperium non aliter obtenturi, quàm ſi in officio durabunt.

g Leuit. 26.

h Deut. 11. & 20. 21. 22. 23. 24.

i Deut. 19. 8.

k Deut. c. 30.

l Deut. 32. 46. 47.

Cùm igitur hæc ſit conditio interpoſita diuino promiſſo, mirum non eſt, ſi cùm poſtea Iudæi conditioni non ſteterint, locum non habuerint diuina pollicita. Et hæc in ſenſu litterali, de terra, & Imperio terreno loquendo. Cæterùm in ſenſu myſtico, cuncta de cœleſti terra, vt plerique Patres exponunt, intelligendo, eadem conditio diuinis verbis incluſa ſemper accipitur, quoties nobis Deus illius æternam poſſeſſionem pollicetur; qua de re plura Pererius [m] ex Hieronymo Lyrano, & aliis. Reſtat iam, vt quamdiù terra hæc à Iudæis poſſeſſa fuerit, videamus. Et rem, hominum more pendentibus, eſſet inexpedita reſponſio: tam diu nimirum, donec ab illis in conditione ſeruandæ legis perſeueratum. Sed non ita factum eſt longè enim prius ipſi deſciuerunt, & diutius in diuinæ legis tranſgreſſione perſeuerarunt, quàm Deus illos è terra proiecerit, quam non niſi ſub conditione tradiderat legis cuſtodiendæ. Vix extremum diem Ioſuë clauſerat; & illi conuentionis obliti, legem non ſolum, ſed auctorem legis deſeruerunt: & inde toto tempore Iudicum variè iactati; nunc Aſtartem; nunc Baal; nunc aliud monſtrum numinis colentes ad Regum Imperium peruenerunt; in quo nihilo meliores effecti, ſub Salomone primùm, ſub aliis deinde Regibus impia ſuperſtitione polluti, falſis [n] Diis adhæſerunt, vero deſerto; donec in duo Regna populo diuiſo, primum Regnum Iſraëliticum decem tribuum à vero cultu ad Idola planè defecit; in quo cùm per plures annos perſeueraſſent, & fruſtrà, Deo ſubinde vocante, nunquam reſipuiſſent, à terra tandem eiecti ſunt, cuius poſſidendæ conditio, diuinus cultus erat ſincerè ſeruandus. Inde pars altera populi, quæ in tribu Iuda, & Beniamin Regnum Iuda conflauerat, impietate cognati Regni potius ad ſimilia pellecta, quàm ſupplicio deterrita; cùm peius adhuc ipſa peccaſſet in Deum ſuum;

m Gen. c. 13. diſp. 4.

n Vi. lib. de Idololatria.

diuque

diuque pariter illam Deus ad pœnitentiam tolerаſſet, & ipſa quoque ex poſſeſſis finibus eſt exturbata. Quod totum quia in ſacra Hiſtoria quomodò contigerit, enucleatè narratur, operæpretium erit id ex illa cognoſcere. Vbi enim narraſſet, Regnum Iſraëliticum euerſum, & illius Incolas anno nono Oſee Regis è ſuis eiectos ſedibus, aliò migrare coactos; hæc ſubdit, occurrens quaſi tacitæ obiectioni: cur ab ea poſſeſſione Populus eiectus, quàm illi perpetuam Deus olim fuerat ſtipulatus.

Factum eſt, inquit [o], *cùm peccaſſent filij Iſraël Domino Deo ſuo, qui eduxerat eos de terra Ægypti, de manu Pharaonis Regis Ægypti, coluerunt Deos alienos, & ambulauerunt iuxtà ritum gentium, quas conſumpſerat Dominus in conſpectu filiorum Iſraël, & Regum Iſraël, quia ſimiliter fecerant. Et offenderunt filij Iſraël verbis non rectis Dominum Deum ſuum: & ædificauerunt ſibi excelſa in cunctis Vrbibus ſuis, à turre cuſtodum vſque ad Ciuitatem munitam; feceruntque ſibi ſtatuas, & lucos in omni colle ſublimi, & ſubter omne lignum nemoroſum: & adolebant ibi incenſum ſuper aras in more gentium, quas tranſtulerat Dominus à facie eorum; feceruntque verba peſſima, irritantes Dominum Et coluerunt immunditias, de quibus præcepit eis Dominus, ne facerent verbum hoc: Et teſtificatus eſt Dominus in Iſraël, & in Iuda per manum omnium Prophetarum, & Videntium, dicens: Reuertimini à viis veſtris peſſimis, & cuſtodite præcepta mea, & ceremonias iuxta omnem legem, quam præcepi Patribus veſtris, & ſicut miſi ad vos in manu ſeruorum meorum Prophetarum. Qui non audierunt, ſed indurauerunt ceruicem ſuam, iuxta ceruicem Patrum ſuorum, qui noluerunt obedire Domino Deo ſuo. Et abiecerunt legitima eius, & pactum, quod pepigit cum Patribus eorum, & teſtificationes, quibus conteſtatus eſt eos: ſecutique ſunt vanitates, & vanè egerunt: & ſecuti ſunt gentes, quæ erant per circuitum eorum, ſuper quibus præceperat Dominus eis, vt non facerent, ſicut & illa faciebant. Et dereliquerunt omnia præcepta Domini Dei ſui: feceruntque ſibi conflatiles duos vitulos, & lucos, & adorauerunt vniuerſam militiam Cœli: ſeruieruntque Baal, & conſecrauerunt filios ſuos, & filias ſuas per ignem; & diuinationibus inſeruiebant, & auguriis: & tradiderunt ſe vt facerent malum coram Domino, vt irritarent eum. Iratuſque eſt Dominus vehementer Iſraëli, & abſtulit eos à conſpectu ſuo, & non remanſit, niſi Tribus Iuda tantummodò. Sed nec ipſe Iuda cuſtodiuit mandata Domini Dei ſui; verumtamen ambulauit in erroribus Iſraël, quos operatus fuerat. Proiecitque Dominus omne ſemen Iſraël, & afflixit eos, & tradidit eos in manu diripientium, donec proiiceret eos à facie ſua.*

[o] lib. 4 Reg. c. 17. v. 7. & deinceps.

Poſt hæc verò cùm Deus miſericordiæ non oblitus, iterum reſtituiſſet, non Iudæos vniuerſos, ſed tribum tantum Iudaicam cum parte maiore Beniaminicæ, decem aliis tribubus in alieno ſolo relictis ad perpetuò ſeruiendum; illi ſic reſtituti, non iam amplius in ſeruos; ſed in *Dominum vineæ* inſanierunt; id eſt non in Moſen tantùm, & eius legem peccauerunt; ſed in eum, qui Moſen fecerat, *Dominum gloriæ* crucifigentes. In cuius omnium grauiſſimi ſceleris ſupplicium, grauius etiam quàm aliàs vnquam vexati; tandem Adriani tempore, ex terra ſancta vniuerſa, vel certè ex omni illius poſſeſſione deiecti ſunt; vt non immeritò poſſint conueniri, & de Diuino promiſſo interrogari: cur eam terram non poſſideant, quam Deus olim æternam illis promiſerat poſſidendam? Et cùm peccaſſe ſe dicerent cum Patribus ſuis, & propterea poſſeſſione depulſos; hoc nobis peccatum quale ſit, aut fuerit, oſtendant. Aliud enim ſine dubio non poterunt aſſignare, quàm quòd impias manus iniecerint in legis auctorem; cuius hactenus cùm tantùm præcepta violaſſent, in eum demùm conuerſo furore, vitam etiam auſu ſacrilego eripuiſſent. Sed hoc alias.

Quæ Gentes ante Iudæos, illorum terras inſederint: ſeu qui Populi Chananitidem tenuerint, antequàm ab Hebræis occuparetur.

§. VIII.

DIſtinguendum nobis eſt; & prius de colonis terræ, quæ propriè ſancta, dicendum: deinde de Populis aliis in illo latiori Imperio comprehenſis, quo Dauidis, & Salomonis tempore Iudæos indicauimus eſſe potitos.

De primis igitur. Nota res eſt, gentes, quas Hebræi Dei ductu cæſas ex terra promiſſa eiecerunt, ſeptem illas fuiſſe, frequenti Patrum, & aliorum Interpretum allegoria nobilitatas; de quibus in Deuteronomio Moſes: *Cum introduxerit* inquit [p], *te Dominus Deus tuus in terram, quam* [p] Deut. c. 7. 1.
poſſeſſurus ingrederis, & deleuerit gentes multas coram te, Hethæum, & Gergeſæum, & Amorrhæum, Chananæum, & Heuæum, Pherezæum, & Iebuſæum, ſeptem gentes multò maioris numeri, quàm tu es & robuſtiores te, inibis cum eis fœdus; nec miſereberis earum. Circa quas quærendum primò de ſeptenario illarum numero. Secundò de ſingulis, quales eſſent. Tertiò quomodo Chananæi reliquis adnumerentur, vt ab aliis diſtincti; cùm eſſent omnes pariter Chananæi. Quartò quare Philiſthiim prætermittantur, & qui iſti. Ordiamur à primo.

Septenarius hic harum gentium numerus labare videtur. Alibi enim, quæ gentes à terra promiſſa per Hebræos expulſæ, vel expellendæ, plures, alibi pauciores quàm ſeptem numerantur. *Plures* in Geneſi, vbi Deus ad Abraham: *Semini tuo*, inquit, *dabo terram hanc à fluuio Ægypti, vſque ad fluuium magnum Euphratem: Cinæos, & Cinezæos, Cadmonæos, & Hethæos, & Pherezæos, Raphaim quoque & Amorrhæos, & Chananæos, & Gergeſæos, & Iebuſæos*; quæ gentes omnes ſi numerentur, vt in noſtra vulgata leguntur, decem ſunt, non ſeptem tantùm; vt in aliis verſionibus etiam vndecim. Græci enim codices, & cum illis Diuus Auguſtinus [q] *Heuæos* adiungunt; At alibi [q] quæſt. 14. in Ioſue
pauciores habentur, & ſex tantùm referuntur; [r] Exod. 3. 17.
vt in Exodo ſemel & iterùm. Educam, inquit [r], vos de afflictione Ægypti in terram Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, Pherezæi, & Heuæi, & Iebuſæi, ad terram fluentem lacte, & melle. Quas eaſdem, immutato licèt ordine, rurſus [s] enumerat; at alibi [t] in eodem libro vna minùs ponuntur, & quinque tantùm populi numerantur, Chananæus, Hethæus, Amorrhæus, Heuæus, Iebuſæus. Non igitur ſeptenarius numerus, quem ponimus, exploratæ veritatis eſſe videtur.

[s] Exod. 23. 23. & c. 33. 2.
[t] cap. 13. 5.

Reſpondeo, dubitari non poſſe, terræ promiſſæ

gentes, in quarum locum Hebræi ſucceſſerunt, ſeptem fuiſſe, quod diſertè Diuus Paulus atteſtatur: *Viri*, inquit [u], *Iſraelitæ, & qui timetis Deum audite: Deus plebis Iſraël elegit Patres noſtros, & plebem exaltauit, cum eſſent Incolæ in terra Ægypti, & in brachio excelſo eduxit eos ex ea; & per quadraginta annorum tempus mores eorum ſuſtinuit in deſerto: & deſtruens gentes ſeptem in terra Chanaan, ſorte diſtribuit eis terram eorum.* Septem, inquit, deſtruxit & totidem, non adducto ſolùm Deuteronomij loco; ſed etiam alibi numerantur; vt à Ioſuë Populum alloquente: *In hoc*, inquit [x], *ſcietis, quòd Dominus Deus viuens in medio veſtri eſt, & diſperdet in conſpectu veſtro Chananæum, & Hethæum, & Amorrhæum, Heuæum, & Pherezæum, Gergeſæum quoque, & Iebuſæum.* Et iterùm ab eodem Ioſuë Populum itidem conteſtante [y]: *Pugnaueruntque contra vos viri Ciuitatis eius Amorrhæus, & Pherezæus, & Chananæus, & Hethæus, & Gergeſæus, & Heuæus, & Iebuſæus.*

u Actor. 13. 19.
x Ioſuë cap. 3. 10.
y Ioſuë cap. 24. 11.

Cur ergo plures alibi, vel potiores recenſentur? De loco Geneſis, vbi decem, vel vndecim, ſecundùm alios, ponuntur, varij varia. Putat Abulenſis, ibi numerari non ſolum gentes ab Hebræis exturbandas; ſed ab Idumæis etiam, & Ammonitis: At apertè refellitur ex iſto textu; in quo diſertè gentes illæ debellandæ ab Abrahæ ſemine dicuntur. Hoc autem aliud non eſt, quàm Populus Hebræus. Malè igitur Abulenſis, quas gentes Idumæi debellarunt, eas ab Abrahæ ſemine debellatas intelligit. Ad hæc; quomodo Moabitæ, & Ammonitæ in Abrahæ ſemine computati, qui poſteri Lot fuerunt, ex filiarum inceſtu propagati? Propter hoc [z] alij volunt, Abrahæ tempore, quando Deus has ab illius ſemine gentes expugnandas edicebat, eas decem fuiſſe, poſtea verò ad pauciores redactas, aliis vel extinctis, vel ab aliis ſubactis; aut certè cùm decem, vel vndecim numerantur, ad qualeſcunque Populos reſpici; cùm verò ſeptem, tantùm ad illos, qui multitudine, robore, ditione, diuitiis aliis præſtarent. Sed nec hæc reſponſio nodum ſoluit; Primò enim diſertè dicit Deus Abrahamo: *Dabo tibi terram hanc, Cinæos, & Cinezæos*, & deinde reliquos vſque ad denarium numerum adiungit; quorum ſi aliquis prius, quàm verè in Hebræorum poteſtatem venirent, extincti ſunt, profectò tota Dei pronunciatio vacillabit. Secundò quod adiungitur, enumeratas tantùm præſtantiores, cùm ſeptem cenſentur, etiam refellitur. Vnde enim ſequitur, Cinæos, Cinezæos, Cadmonæos aliis ſeptem longè tenuiores fuiſſe; Cur ergo primo loco numerantur, cùm terram, & eius Incolas ab Hebræis Deus promiſit expugnandos? Eſt igitur expedita ſolutio, quam video Auguſtino probatam, diſtinguendo de terra, & Imperio Hebræorum; Nam ſi loquamur de terra propriè ſancta, & promiſſionis, gentes in ea debellatas, & inde depulſas ſeptem fuiſſe; ſi verò de tota ditione, & Imperio, quod latius, quàm terra ſancta, prolatum, tempore tantùm Dauidis, & Salomonis, ab Hebræis obtentum eſt; in eo gentes deuictas longe plures, quàm ſeptem fuiſſe. De hoc autem Deum Abrahamo, non de illo primo Imperio loquutum; cùm plures quàm ſeptem gentes illius ſe ſemini traditurum promittit. At cur aliquando cùm illæ primæ numerantur, pauciores, quàm ſeptem dicuntur? Quia tunc non abſolutè; ſed aliqua cum reſtrictione, aut reticentia numerantur; vt, in Ioſuë cùm ſex ponuntur, non de iis agitur in vniuerſum; ſed quæ ad Libanum vergebant. Hi quoque, inquit [a], qui habitabant iuxta Libanum Hethæus, & Amorrhæus, Chananæus, Pherezæus, & Heuæus, & Iebuſæus. Et in 3. Regum [b], vbi quinque tantum gentes habentur, eæ tantùm memorantur, quarum adhuc reliquiæ ſupereſſent: *Vniuerſum*, inquit, *Populum, qui remanſerat, de Amorrhæis, & Hethæis, & Pherezæis, & Heuæis, & Iebuſæis fecit Salomon tributarios.* Ambigi non igitur debet, hos omnes abſolutè ſumptos, ſeptem fuiſſe; qua in ſumma myſticè Patres [c], & Interpretes obſeruant ſeptenarium capitalium vitiorum numerum ſignari, quæ prius ab vnoquoque ſunt ſuperanda, quàm *terram noſtram* pacatè poſſideamus; quorum omnium dictis omiſſis, vnius ad hoc Prudentij verſus adducam, quibus elegantiſſimè ſeptem illis in gentibus ſeptem vitia docet intelligi, quæ non minus homines oppugnant, quàm illi quondam Populi Iudæos:

z Perer. in Gen. cap. 15. diſp. 9. in fin.
a Ioſuë c. 9. 1.
b cap. 9. 21.
c Caſſia. col. 5. c. 10. 19. 12. 19. Mag. ſent. l. 2. diſt. 42. Chryſoſt. & Greg. apud illum. Antonin. 1. part. tit. 7. c. 2. §. 5. & 6. Vgo, & Arguanus Pſal. 77. Adelm. 1. de laud. Virginitat. c. 6.
d Prudent. in Hamartig. v. 407.

Heu [d] quantis mortale genus premit improbus hoſtis
Armigeris: quanto ferrata ſatellite ductor
Bella gerit; quanta victos ditione triumphat.
Surgit in auxilium Chananæus, atque agmina denſat
Caſſide terribilis, ſetarum pondere mento
Concutiens, dextramque grauis cum cuſpide quaſſans.
Aſt alia de parte furens exercitus ardet
Regis Amorrhæi; tum millia Gergeſæorum
Effundunt aciem toto volitantia campo
Eminus hi feriunt, configunt cominus illi.
Ecce Iebuſaica feruens ad prælia turma
Aurea tela quibus, de ſanguine tincta Draconis
Mortifero ſplendore micant, radiantque, necantque.
Necnon terrificas Filiis armare cateruas
Te Cethæi iuuat: ſed Gens Pherezæa ſagittis
Inſultat, virtute pari, ſed diſpare ferro.
Poſtremum cuneum Rex promouet Heuæorum,
Squammoſum thoraca gerens de pelle colubri.
His ſubmixta viris ſcelerum peruerſa poteſtas
Edomat inualidas mentes, quas ſimplicitate
Indociles, belliqueʼ rudes ſub fœdere falſo
Triſtis amicitiæ primum ſocia agmina credunt;
Mox faciles ad vincla rapi, iuga dura volentes
Addictas ſubeunt ceruicibus.

Et hæc de toto numero; Nunc de ſingulis Populis, & quis eſſet vnuſquiſque, quærendum, eo ordine, qui ſeruatur à Ioſuë [e] Populum alloquente; vbi primo loco ponit *Amorrhæos*. Horum ſub hoc nomine tenuis apud externos vmbra: ſolus, quod meminerim, Ptolomæus Amorrhæi Montis meminit [f] Ortus illis ab Amorrhæo [g], filio Chanaam: ſedes in Chananææ finibus habuerunt ab *Arnon* vſque *Iaboc*: inde à ſolitudine vſque ad Iordanem terminabātur [h]. Horum Rege cum omni Populo ad interneccionem cæſo, filij Gad in eorum Regionem totam paſcuis vbertimam miſſi [i] ſunt. Amorrhæos autem fuiſſe præ reliquis in terra Chananitide Populis numeroſiſſimos, argumento eſt, quòd in ſua tantùm Regione non habitarunt, ſed per Chananæam totam diffundebantur; vnde factum, vt in ſacris litteris, Amorrhæorum nomine, ſeptem omnes Populi deſignentur, qui terram Chananæam

e Ioſuë c. 14.
f lib. 5. c. 17. Geograph.
g Geo. 10. 14.
h Nu. c. 21. 32. Deut. c. 3.
i Ioſuë 13. Iud. 11.

næam incolebat; vt cùm Deus dixit [k] Abrahæ, nondum completas eſſe iniquitates Amorrhæorum. Similiter Ioſuë, cum cladem accepiſſet ab habitatoribus Hai, vereretur que, ne reliquæ in ſe geores inſurgerent, ad Deum conuerſus: *Heu*, inquit [l], *Domine Deus, quid voluiſti traducere populum iſtam in Iordanem fluuium, vt traderes eos in manus Amorrhæi?* Non enim hic Ioſuë ſolis ab Amorrhæis timebat; ſed alias etiam gentes Chananæorum, quas omnes Amorrhæorum nomine comprehendit; quòd ob ſuam multitudinem, in omnibus finibus illi vagarentur; ob quod etiam factum, & eorum copiis cæſis, Rege ſublato, & Populo ſuis è ſedibus expulſo: nihilominus tamen adhuc Amorrhæi ſuperfuerint alio tempore debellandi: Fuiſſe porrò præ ceteris impios, & inhumanos, ex Ezechielis verbis licet conijcere, quibus ad exagerandam Hebræorum impietatem: *Pater*, inquit [m], *tuus Amorrhæus, & Mater tua Chetea*; qua eadem figura dicendi Poëtæ quoque externi vſi ſunt ad immanitatem horum in aliquo exprimendam, vt Virgilius [n]:

Nec tibi diua parens, generis nec Dardanus auctor
Perfide; ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus: hyrcanaque admorunt vbera tigres.

Enotmem verò eorumdem proceritatem, & robur corporis Amos Propheta non potuit exageratius exprimere, quàm verbis illis hyperbolicis vtens: *Ego* inquit [o], *exterminaui Amorrhæum, cuius altitudo, cedrorum altitudo eius, & fortis ipſe quaſi quercus.*

Secundo loco erant Pherezæi; de quibus nonnulla quæſtio; cur inter filios, & poſteros Chanaam non numerentur, cùm tamen vnus ex ſeptem populis fuerint, qui ex illius ſanguine terram Chananitidem poſſederunt; inde cum reliquis Hebræorum armis eiecti, aut deleti. Non cenſeri autem in poſteris Chanaam, conſtat ex libro Geneſis, vbi illi referuntur: *Chanaam*, inquit [p], *genuit Sidonem primogenitum ſuum, Hethæum, Iebuſæum, Amorrhæum, Gergeſæum, Hethæum, Aracæum, Sinæum, Aradiam, Samaræum, & Amathæum; & per hos diſſeminati ſunt Populi Chananæorum.* Sic ibi, vbi nulla Pherezæorum mentio; Quomodo igitur hi inter ſeptem Chananæorum gentes? Pererius huic nodo duas ſolutiones aptat. Primam, eoſdem fuiſſe Pherezæos cum Samaræis: Alteram, Pherezæos appellationem ſortitos à Pherez, qui non ipſe proximus filius Chanaam; ſed filij alicuius filius; ob id eo loco Geneſis omitti Pherezæos, vbi tantùm filij Chanaam numerantur, ab ipſis proximè procreati; alibi verò Chananæis reliquis accenſeri; quia verè Chanaam poſteri fuerunt. Maior aliqua controuerſia eſt de loco, & eorum ſedibus in terra Chananitide: & cui Iſraëliticæ Tribui ceſſerit illorum poſſeſſio. Adricomius in Theatro terræ ſanctæ Pherezæis locum nullum aſſignauit [q]. Maſius videtur agreſte genus hominum facere, qui nuſquam certas ſedes incolerent, viuere ſoliti, graſſatorum more, procul ab Vrbibus, & Oppidis mœnibus cinctis. At negari non poteſt, hos quoque certas habuiſſe ſedes, & certas Vrbes, à quibus erant exturbandi, vt in illas Hebræi mitterentur: & probabile eſt Tribui Simeon in ſortem ceſſiſſe, à qua ſimul & Iudaica fuerant debellati; quod initio libri Iudicum ſignificatur; vbi Tribus Iuda Tribum Simeonis alloquens: *Aſcende*, inquit [r], *mecum in ſortem meam, & pu-*

S. pran. in Dauid.

k Geneſ. 15.
l Ioſue c. 7. 7.
m cap. 16.
n lib. 4. Æn.
o Amos. c. 2.
p Gen. 10. 16.
q Ioſuë cap. 13. 15.
r Iud. c. 1. 3.

gnemus contra Chananæum: & mox: *Aſcenditque Iudas, & tradidit Dominus Chananæum, ac Pherezæum in manus eorum, & percuſſerunt in Bezech decem millia virorum: inueneruntque Adonibezech in Bezech, & pugnauit contra eum, & percuſſit Chananæum, & Pherezæum.* Non ergo Pherezæi ruſticum genus erant, nullis certis ſedibus huc, illucque vagantes; ſed vt reliquæ gentes portionem terræ ſanctæ tenebant, à qua duarum illarum Tribuum armis expulſæ ſunt.

Tertio loco ſunt Chananæi; de quibus ante omnia dicendum, nomen hoc in Scripturis dupliciter ſumi. Primò, vt eſt certæ gentis appellatio. Secundò, vt eſt commune nomen ad poſteros Chanaam: & hoc iterum dupliciter; Primò vt ſignificat omnes illius poſteros quicunque eſſent, & vbicunque degerent: quo pacto de progenie Chanaam agitur in Geneſi [s], adducto loco; vbi Samaritæ, Sidonij, Aradij, Amathæi, Chanaam poſteri dicuntur, vt omnes proinde Chananæi. Secundò vt eſt tantùm commune nomen ad illius poſteros, qui terram inſederunt, quæ propriè Chananæa dicta eſt; in qua ſeptem hi Populi, quos explicamus, omnes hac generali notione Chananæi dicuntur. At propriè *Chananæi ſumpti*, Populus vnus erant ex illis ſeptem: cui quare vt proprium cognomen adhæſerit, quod erat illi commune cum reliquis, longinqua tantùm coniectura poſſimus diuinare. Pererius [t] exiſtimat, aut pietatis, aut honoris cauſa: *Pietatis*, quam gens illa magis, quam aliæ profiteretur in Patrem, & auctorem generis: *Honoris* alicuius prærogatiuæ, quam huic Populo propter aliquod fortaſſe meritum alij conceſſerunt. Vbi igitur hic Populus in terra ſancta, & quas ſedes habuit, & quis ille? Placet hac in re mihi Maſij [u] obſeruatio, qui Chananæos Hebræis eoſdem putat fuiſſe, qui Græcis Phœnicij fuerunt. Vt enim apud Hebræos *Chananæi* commune nomen erat, & certi præterea Populi peculiare: ſic apud iſtos Phœnicij, qui latè ſumpti Palæſtinos omnes includunt vſque ad Ægyptum: propriè verò tantùm eam Regionem, quæ Mari adiacet Palæſtino: ſic etiam Chananæi latè, Philiſthijm quoque complectuntur Hebræis [x]: preſſe verò ſunt ij tantùm, qui maritima terræ ſanctæ colebant; de quibus exploratores ad Moſen: *Chananæus*, inquiunt [y], *habitat iuxta Mare*, de qua gente mulierem illam fuiſſe non dubium, quæ *Chananæa* à Matthæo [z] dicitur: à Marco [a] ſytophœniſſa; quòd nempè Chananæi Hebræis idem ſint, qui Græcis Phœnires. In ſacris litteris huic Populo fraus, & vaſrities in commerciis præſertim, vt propriæ tribuuntur. Vnde Oſeas [b]: *Chananæus in manu habet ſtateram fallacem: amat iniuriam facere*; Et Salomon mulierem frugi laudans: *Sindonem*, inquit [c], *fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo*; Nimirum tantæ ſagacitatis illam ſignificans, vt nec etiam cum Chananæo contrahere vereretur; ab illius vaſritie nihil timens.

Quarto loco cenſentur *Hethæi*; quorum Parens, & auctor, ſanguinis, & nominis Hethæus inter Chanaam filios ſecundo loco relatus [d]. Incolebant illi loca, quæ circa Berſabeam, & ad Hebron latè porriguntur; vt ex Hiſtoria conſtat ſpeluncæ duplicis ab Abrahamo [e] pretio paratæ. Fuiſſe verò reliquarum gentium in terra Chananitide militari robore præſtantiſſimos, duo argumento ſunt: alterum, quòd paſſim *Hethæi* mole

s Gen. 10. 16.
t Tom. 1. in Geneſ. l. 15. n. 126.
u in Ioſuë c. 5. 1.
x Ioſuë c. 5. 1.
y Num. 13. 3.
z cap. 15. 22.
a cap. 7. 26.
b cap. 12. 7.
c Prouerb. c. vlt.
d Gen. c. 10. 16.
e Gen. 23.

Num. 13. 30. gigantea in ſacris litteris celebrantur [f]: alterum, quòd audientes Syrij fuiſſe contra ſe Hethæos ab Iſraëlitico Rege conductos, illico viribus, & animo conciderunt; tanta nempè fama de gentis illius robore ferebatur. Et hæc cauſa fuit; cur Deus in ingreſſu Chananitidis Populum confirmans, ante omnes alios, Hethæos memorauit: eoſque ſignanter dixerit, in illius manus ceſſuros: quòd ij ſcilicet eſſent aliorum omnium fortiſſimi, &

g Ioſue c. 1. 4. maximè formidandi: *A Deſerto*, inquit [g], *& Libano vſque ad flumen magnum Euphratem omnis terra Hethaeorum vſque ad mare magnum contra ſolis occaſum erit terminus veſter*. Sic Deus ad Ioſuë, & ad omnes Iſraëlitas in illo: *Omnis*, inquit, *terra Hethaeorum*, vel quod per illos omnes incolas intelligeret Chananitidis; aut certè, quod cùm antea relatu exploratorum, Iſraëlitarum animi in Hethæorum immani proceritate maximè concidiſſent; hos ante omnes alios expreſſit Deus, qui nullo eſſent, negotio debellandi. Ex quibus etiam colligimus, in qua terræ Chananææ parte ſuas Hethæi ſedes haberent. Iordane enim tranſmiſſo, ab Orientali parte venientibus illi primi occurrebant.

h Gen. 10. 15. Ioſeph. 1. Antiqu. 12.

Sequuntur *Gergeſæi* à Gergeſæo [h], quinto Chanaam filio appellati. Sedes iſtis prima *Geraſa*, quæ & *Gergeſa* Ciuitas in diſtributione terræ Manaſſe Tribus effecta; porcorum poſtea præcipitatione litteris in Euangelica Hiſtoria tranſmiſſa, à qua poſtea *Geraſeni* dicti, quorum mentio apud

i cap. 8. k Vi Salian. an. 1951. num. 75. Lorin. Deut. 7. 1.

Matthæum [i], putantur [k] ob id *Gergeſæi* Decapolim tenuiſſe; ibi enim *Geraſa*; quòd verò ab Amorrhæis oppreſſi cum illis in vnam quaſi gentem coaluerint, appellationem amiſiſſe, & nomine Bethſamitarum etiam deſignatos.

l c. 10 v. 15.

Heuæi ſexto loco cenſentur; ab Heuæo filio itidem Chanaam appellari. Sunt qui illos eoſdem putant cum *Raphaim*; de quibus in Geneſi [l], ſæpiùs adducto loco. Cùm enim ibi Populi fermè omnes Chananæi numerentur, Heuæi tantùm omittuntur, illorum loco *Raphaim* ſubſtitutos. Vnde nonnullis ſuſpicio, *Raphaim* cognomentum fuiſſe *Heuaeorum*, & pro illis intellectos. Sic

m Vi Maſ. Ioſuë 11. 4. Salian. an. 1931 n. 77. Lorin. Deut. 7. 7. Perer. Geneſ. tom 2. l. 15. n. 117. n Ioſuë 11.

autem [m] appellatos *Heuaeos*, quòd eorum ſedes cauernæ maximæ eſſent; vtcunque tamen iſta ſe habeant, illud eſt exploratum ad radices Hermon in Maſpha *Heuaeos* habitaſſe [n]. Nec mouere debet in libro Iudicum referri in monte Libano de monte Baal Hermon incoluiſſe. Quia mons idem eſt Hermon, & Baal-Hermon; alio etiam nomine *Sanir & Saron*, & *Syron* appellatur.

Iebuſæi denique ſeptimo loco ponuntur; & ipſi de Iebuſæo dicti, qui filius Chanaam; inter Chananæos populos omnium notiſſimi, quòd Ieroſolymam primi poſſederint; & ex illa non niſi poſt diuturnam concertationem penitus exturbari potuerint; vt fuſiùs in libro Regum; vbi Dauidis in illos expeditio, & Ieroſolymæ expu-

o 2. Reg. c. 5. gnatio refertur [o].

Contra hæc, quæ diximus opponi nonnulla poſſunt, quibus explanatis, exploratius illa conſtabunt, & ea ſimul intelligentur, quæ de Philiſthiim inueſtiganda propoſuimus.

Primum eſt; cur inter alios Chananæorum Populos Philiſthiim quoque non numerentur? Ambigendi iuſta ratio videtur. Primò, quòd & ipſi Chananæi verè fuerunt. Secundò, quòd eorum terra ſorte quoque diuiſa eſt inter filios Iſraël.

p cap. 13. 3. Vtrumque Ioſuë [p] liber oſtendit; vbi Deus illum alloquens de terra, quæ reſtabat adhuc adeunda, & ſubigenda: *Senuiſti*, inquit, *terraque latiſſima derelicta eſt, qua nec dum ſorte diuiſa eſt, omnis videlicet Galilaea*. Et paulò poſt: *Terra Chanaam*, quæ in quinque Regulos diuiditur, Gazæos, Azotios, Aſcalonitas, Gathæos, & Accaronitas. Erant igitur Philiſthiim Chananæi, & eorum terra ſimul cum reliqua inter Hebræos diuidenda.

Adhæc dicendum. Primo Philiſthiim verè Chananæos non fuiſſe. Cõſtat ex libro Geneſis [q];

vbi Philiſthiim non inter Chanaam; ſed inter Meſraïm filios computãtur, qui frater illius fuit, & Chami filius. Qui iſti igitur? *Philiſthiim* Hebraicè פלשתים *Peliſtiim* à ſeptuaginta Ἀλλόφυλοι *Allophyli*, ſeu Alienigenæ, & externi generis dicuntur; à Græcis, & Latinis *Palaſtini*. Terra illorum propria maritimam Chananææ partem includebat, ab Hebræis *Pelleſeth* appellata. Cur non igitur Chananæi? quia non omnes, qui terram Chananitidem tenuerunt, illicò Chananæi; Nam & hoc pacto ipſi quoque Iudæi, Chananæi fuiſſent: ſed qui Chanaam progenies erant, quales non erant Philiſthiim. At cur non inter alios Populos ab Hebræis expulſos numerantur? quia, licèt illi in terra Chanaam, non tamen in ea parte fuere, quæ terra *ſancta & promiſſionis* eſt antonomaſticè dicta; ſed in illo tractu, qui latè nomine Chanaam cenſebatur; quem ſuprà diximus ad Ægyptum vſque pertinuiſſe: & Phœniciam à Græcis auctoribus appellatum. At eorum quoque Regio Iudæis in hereditatem ceſſit: verum hoc eſt; quia non tantùm ſeptem illi Populi, qui terram *Chananitidem* propriè nuncupatam incolebant; ſed & alij extra illam Iudæis quoque in poſſeſſionem tributi ſunt; inter quos Philiſthiim, qui meritò ceſſerunt illis in ſortem; quod vt

alij [r] obſeruarunt, licèt illi non eſſent ex ſemine Chanaam, in terram tamen illius inuaſerunt, veris Chanaam poſteris inde deiectis; At vnde id ipſi colligunt? coniectura ſanè longinqua. Quia, inquiunt, כפתרים *Caphtorim*, qui noſtro Interpreti ſubinde *Cappadoces* appellantur [ſ]: Gentiles Philiſthinorum ſunt; vt apertè dicatur in Geneſi [t], vbi ſex Meſraïm filiis enumeratis adiungitur: *de quibus egreſſi ſunt Philiſthiim, & Caphtorim*; At *Caphtorim* terram Chanaam inuaſerunt, ex illius parte pulſis Heuæis, qui, vt vidimus, vera Chanaam progenies erant. Itidem igitur de Philiſthiim exiſtimandum: inuaſiſſe ipſos Chananæam, & inde populos aliquos expuliſſe. Sed hæc aliis [u] etiam poſt Maſium probata longè nimis accerſuntur ad id, quod ipſi volunt perſuadendum. Caphtorim Cappadoces ſunt; ab illis Philiſthiim propagati, vel certè ſimul vterque Populus ex alio, vt Gentiles fuerint: audio hæc omnia, & admitto; quid inde? Caphtorim Heuæos eiecerunt, veriſſimum: ergo & Philiſthiim, vel eoſdem, vel aliquem alium ex ſeptem etiam expulerunt. Id vnde fit? an quia Philiſthiim cognati Cappadocum, quidquid ab his factum, illi quoque fecerunt; aut ſi non idem, ſimilem aliquam expeditionem tentarunt? Maneat igitur Philiſthiim non quidem Chananæos fuiſſe; quod dubitari non poteſt; in terra tamen Chanaam habitaſſe; non quæ ſeptem gentium fuerit, aut vnios illarum, ſed illis finitimam. Rectè autem ceſſiſſe Iudæis ſimul cum reliqua Chananitide in poſſeſſionem: quia non illis tantùm terra Chanaam tributa eſt ſeptem gentium propria; ſed quæ etiam extendebatur: in qua

q cap. 10. 13.

r Maſius in Ioſue 13. 2.

ſ Deut. 2. 1. Amos c. 9. t c. 10. v. 13.

u Perer. to. 2. in Gen. li. 15. n. 108.

cum

cùm Philiſthæi eſſent, inde quoque erant exturbandi; vt etiam fuerunt in eorum poſſeſſionem Tribu Simeon, & Iuda ſuccedentibus; & hac in primis, à qua Philiſthiim magna ex parte debellati.

Secundum quod ambigi poteſt, eſt; quia pleræque ex iſtis ſeptem gentibus à Ioſuë deletæ dicuntur: & nominatim, vt dicebamus, Heuæos, etiam ante Ioſuë Cappadoces exterminarunt: *Heuæos*, inquit [x], *qui habitabant in Haſarim vſque Gazam, Cappadoces expulerunt, qui egreſſi de Cappadocia deleuerunt eos, & habitauerunt pro illis.* Quomodo tunc igitur iſti deleti, & alij deinde à Ioſuë ſublati, poſtmodum reperiuntur vſque ad Dauidis, & Salomonis tempora perdurаſſe; quos illi leguntur [y] vectigales ſibi feciſſe, quod eos penitus delere non poterant? Reſpondeo, cùm deleri dicuntur, id de maiori parte, non de ſingulis, & omnibus intelligitur; quorum aliqui potuerunt poſtmodum ſimul iterum coire, & varias inde ſedes occupare; ex quibus tandem eiecti, vel in quibus iugum penitus ſubire coacti.

x Deut. 2.
y 2. Paralip. c. 8.

Tertiũ poteſt obiici, quod ſeptem iſtæ gentes Chananæorum in plures adhuc diuiſæ fuiſſe videntur; Nam ſingulæ non ſingulis Regibus, ſed pluribus parebant. Perſpicue enim non *Rex Amorrhæorum*, ſed *Reges Amorrhæorum* in Scriptura commemorantur. Non igitur Amorrhæorum gens, vna tantùm, ſed planè plures; & idem quoque de reliquis dicendum: *Poſtquam*, inquit [z], *audierunt omnes Reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Iordanem, & cuncti Reges Chanaam, quòd ſiccaſſet Dominus fluenta Iordanis.* Sed ad hoc dicendum, non quòd eſſent plures Amorrhæorum Reges, ſimiliter & Hethæorum, & Pherezæorum, & reliquarum, colligi debere plures fuiſſe gentes Amorrhæorum, ſed plures Ciuitates tantùm. Antiquitus enim (quod ante nos [a] alij obſeruarunt) Reges dicebantur quicunque vni dumtaxat Vrbi cum Imperio præſidebant. Erant igitur plures Amorrhæorum Reges; quia plures erant illorum Ciuitates; vt etiam ibidem quinque Reges Philiſthiim nuncupantur, qui quinque terræ Philiſthinorum Ciuitatibus imperabant.

z Ioſuë 2. 5.
a Maſ. Ioſue c. 19.

Quartò denique contra ſeptenarium gentium iſtarum numerum obiici poteſt indicta terræ diuiſio in duodecim partes totidem Tribubus aſſignandas. In ſacris enim litteris perſpicuè ſignificatur, totidem fuiſſe Populos, quot fuerunt portiones diuiſæ: *Quando*, inquit [b], *diuidebat Altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos Populorum iuxta numerum filiorum Iſraël.* Tot hic dicuntur Populi conſtituti, quot Iſraël filij fuerunt; hi verò duodecim: duodecim ergo & illi, non ſeptem.

Reſpondeo in hoc loco ſacros Interpretes in diuerſa diſcedere. Quidam legunt; non *filiorum Iſraël*; ſed *iuxta numerum Angelorum Dei*. Sic ſeptuaginta, quos plerique Veterum [c] ſequuntur. Quis autem ex ea lectione ſenſus eliciatur: inter ſe non minus diuiſi ſunt, quàm qui noſtram ſequuntur. Hac igitur admiſſa, quam cum illa Græcorum nonnulli [d] conciliare nituntur; quòd *Angeli* pro *filiis Iſraël* appellentur, expedita reſponſio eſt, vt alias expoſitiones omittamus, hîc ſermonem non eſſe de ſola terra ſancta, & eius diuiſione; ſed de terra Chanaam, quàm latè patebat, quæ tota Iudæis promiſſa, & in qua duodecim Chananæorum Populi priùs habitarunt; vt ex libro Geneſis [e] à pleriſque [f] colligitur; vel certè dicendum, illud *pro numero filiorum Iſraël* non accipi propriè, vt duodecim Iſraelis filios ſignificat; ſed vt numerus hic eſt tota multitudo poſteriorum Iacob: iuxta quam ſignificatur à Deo terram præparatam; vt nimirum tot gentes in Chananæa Deus permitteret, quot ſufficerent ad Iſraëlitarum deinde multitudinem excipiendam; & tantum terræ, quantum illis congrueret excolendum. Deus enim quaſi ruſticos operarios alios Populos in terra Chananitide locauerat; vt illam ſubigerent, & vndique iam cultam Iudæis traderent; vt de illis poſtmodum Dauid [g] cecinit: *Et dedit illis regiones gentium, & labores populorum poſſederunt: vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius requirant.* Nihil hinc igitur contra ſeptenarium illum numerum colligitur, cùm tantùm ſignificetur, tantum ſpatij gentibus illis tradidiſſe Deus, quantum poſtmodum ſufficeret Iſraëlitarum multitudini capiendæ. Adiungunt aliam expoſitionem Abulenſis & [h] alij, quæ non improbanda; Non eſſe ſermonem hic de duodecim Iacobi filiis; ſed de illis, & eorum tota progenie quæ Ægyptum ingreſſa eſt. Ea enim, vt habetur in Geneſi, ſeptuaginta capitibus conſtabat. *Omnes*, inquit [i] Moſes, *animæ Domus Iacob, quæ ingreſſæ ſunt Ægyptum, fuere ſeptuaginta*: iuxta quem numerum gentes ante diuiſas dicit in Cantico Moſes; quia cùm confuſæ linguæ ſunt, in ſeptuaginta Populos vniuerſum genus hominum eſt diſtributum.

b Deut. 32. 8.
c Areopag. cœleſt. Hierar. c. 9. Orig. l. 4. & 5. in Celſ. homil. 11. 28. Num. S. Epiphan. Hæreſ. 31. Chryſoſtom. hom. 3. ad Coloſſ. Iuſtin dial. cum Triph. Hieron. 2. Mich. & ad Epheſ. 1. Greg. homil. 34. Ruff. in Symbol.
d Abul. Deu. 32. q. 4.
e Gen. 10. 16 & 17.
f Hieron. Ioſeph. alij cum Perer. tom. 2. c. 13. n. 112.
g Pſal. 104. 42.
h Abul. Deut. 32. q. 4. Lyran. Ianſen. Magayl. ibi.
i Gen. c. 46.

De vario ſtatu pro vario tempore Populi Iudaïci, & quando primùm in Rempublicam erectus fuerit.

CAPVT III.

ORTV Iudaïci Populi explicato, & terra breuiter dicta, in qua variè prius agitatus, tandem conſedit; Ratio nobis adminiſtrationis eſt exponenda, qua vario tempore ſub diuerſis Principibus in vita ciuili directus eſt. Hoc vt planius exequamur, omnium primum diuerſa nobis Hebraici Populi tempora ſunt diſtinguenda, quæ poſſunt omnia ad duodecim potiſſimum reuocari. Si enim quod primo loco poſuimus retinemus, Hebræum Populum ab *Heber* appellatum; ab eoque originem traxiſſe ſanguinis, & nominis. Primum eius tempus ſtatuere poſſumus ſub ipſo *Heber* vſque ad Abraham. Secundum ſub Abraham vſque ad Ioſephum. Tertium poſt hunc, tempus commorationis in Ægypto. Quartum egreſſionis ex Ægypto ſub Moſe, & Ioſuë. Quintum tempus ſub Iudicibus vſque ad Saulem. Sextum ſub Saule, & reliquis vtriuſque Regni Regibus, vſque ad captiuitatem Babylonicam. Septimum tempus captiuitatis, & commorationis in illa. Octauum reuerſionis in Patriam ſub Zorobabele, & aliis deinceps poſt illum vſque ad Machabæos. Nonum ſub Machabæis, vſque ad Aſſamonæos. Decimum ſub his, vſque ad Herodem. Vndecimum ſub Herode, & filiis vſque ad Romanos. Duodecimum denique ſub Romanis vſque ad Gentis excidium: in

quibus omnibus Iudaïci Populi, quaſi diuerſis ætatibus, cùm non vno ſemper, & eodem iure ſit vſus, videndum nobis de ſingulis eſſet: & explicandum in tam multiplici varietate, qualem ſtatum quo tempore ſeruauerit; ſi rem omnem complecti animus eſſet; ſed quia non faciunt ſingula ad inſtitutum noſtrum, hæc quinque tantùm diſtinctè proſequemur.

Primum eſt, quando genus Hebræum fuerit familia tantùm. Secundum quando gens. Tertium quando verè Populus. Quartum quando liber, & ſui iuris; alieno tamen Imperio ſubiectus. Quintum quando extra omnem alterius poteſtatem ſe ipſe per ſuos Duces, & Principes gubernauerit. Ordiamur à primo.

Hebræi quando familia tantùm fuerint.

§. I.

SVnt qui putent, Hebræos ante egreſſum ex Ægypto *familiam* tantùm fuiſſe; Populum verò tunc effectos, cùm Moſis auſpiciis per deſertum in terram Chananitidem perducti ſunt. Id dictum cùm ſit ambiguæ veritatis; vt hæc exploratè conſtet, quædam breuiter de notione familiæ præmittemus.

Familiæ nomen in ſacris, & externis litteris, ſumitur multipliciter. Primò, vt eſt idem, quod *Domus*, & *Poſteritas*, & omnes maſculini ſexus ſignificat, qui ex aliquo certo ſtipite ſanguinis origine deſcendunt. In iure ciuili *Agnati* dicti; vt eorum inter ſe coniunctio appellatur *Agnatio*: & hoc tam de præſentibus tantùm, quàm de mutuò ſibi ſuccedentibus, & decedentibus. Ex eadem enim familia, & agnatione, tam ſunt, & eſſe dicuntur, qui certa ſerie ex eodem ſanguine, aliis poſt alios ſubinde naſcentibus propagantur, quàm qui præſentes ex eodem ſtipite deſcendunt. In hoc ſenſu *familia* nomen Beatus [k] Lucas accepit, cùm de Ioſepho dixit: *Aſcendiſſe à Galilæa de Ciuitate Nazaret in Ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem, eò quod eſſet de Domo, & Familia Dauid.* Hic enim *Domus & familia* non vt diſtincta ponuntur, ſed vt vnum ad alterius explorationem facit; vt clari nominis Interpretes [l] obſeruarunt; in qoem ſignificatum ſumpta *familia*, & *Domo*, nec in ſacris, nec in prophauis litteris de familia eſſe fœminæ dicuntur; quia non inter agnatos, ſed conſanguineos tantùm, & cognatos cenſentur; cùm non eandem domum, familiamque conſtituant; ſed diuerſam, in quam nubendo migrarint; vt de Iudæorum fœminis ex Hieronymo [m] cōſtat; & de Romanis ex iure [n] ciuili. Nec omiſerim ab Interprete noſtro pro *familiæ* voce hoc ſenſu ſumptæ *paternitatis* aliquando nomen vſurpari; quòd nimirum *familia* vox, vt diximus intellecta, ſignificat omnes, qui ab eodem patre deſcendunt; vnde tota procreatorum ſeries *paternitas* dicitur, ab eodem quaſi Patre propagata cognatio; quo ſenſu *paternitatis* ab Apoſtolo ſumitur, cùm dicit [o]: *Flecto genua mea ad Patrem Domini mei Ieſu Christi; ex quo omnis paternitas in Cœlo, & in terra nominatur.* Hic enim *paternitas* eadem vox eſt Græcè, quæ alibi *familia*; vertit nempè πατριὰ, de qua Hieronymus hæc in eum locum Pauli: *Paternitatem, quæ in Græco πατριὰ, cognatio, vel familia dicitur*: legimus & in Numeris: *Tollite*, inquit [p], *ſummam omnis ſynagogæ Iſrael iuxta cognationes, & populos ſecundùm domos Paternitatum, iuxta numerum nominum eorum*; & poſt paululum: *Hi ſunt electi ſynagogæ Principes Tribuum, iuxta paternitates ſuas Duces Iſraël*, & quæ ſequuntur; vbi oſtendit idem eſſe *paternitatem*, & *familiam*. Alibi verò notat [q] poſſe quoque eandem vocem, quæ Latinè redditur *paternitas*, & *familia*, reddi *parentelam*; quæ vox à parente deducitur; vt à cliente, clientela. Verborum verò Pauli ſenſum ex hac vocis notione colligimus: vt *à Deo paternitatem omnem eſſe* nihil aliud ſit, quàm ab ipſo, vt à primo ſatore, parente, & conditore generationem omnem eſſe, & ſeriem cognatorum, ſpirituum, & naturarum, quæcunque in Cœlis, aut in terris reperiuntur; aut intelligi poſſunt.

k cap. 2. 2.

l Maldon. Luc. 2.

m Matth. 1. & Num. 27. 1. vbi Loren.

n Vlpian. l. 195. ff. de verb. ſignif. & ibi Alciat. Rebuff. Brechaus.

o ad Epheſ. 3. 14.

p Num. 1. iux. ſeptuag.

q Aduerſus Heluidium.

Secundò ſumitur etiam *familia* pro toto eorum corpore, qui ſiue ſerui, ſiue liberi ſint, cuipiam famulantur; in quo ſenſu accipitur in Iure ciuili frequenter; vt in titulo *ſi familia furtum feciſſe dicatur*; aut cùm alibi [r] familia diuiditur in *ruſticam & vrbanam*, vel in *priuatam* [s], & *publicam*, & [t] alibi ſæpius. At in ſacris litteris apud Matthæum perſpicuè vbi Chriſtus dicit [u]: *Quis putas eſt fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis cibum in tempore.*

r l. 67. ff. de legat. 3. Conan. lib. 4. c. 10.

ſ l. 1. ff. de off. Praf. Vig.

t l. 9. ff. de iuriſd. l. 32. ff. ad l. aquil. l. 32. ff. de dolo. l. 5. ff. de pet. hered.

u cap. 24. 2.

Tertiò *familia* ſignificat omnes, qui ſunt in domo, præter Virum, & Vxorem, qui Pater, & Mater familias dicuntur; in qua notione familiæ vocabulo filij quoque, & filiæ, non tantùm ſerui, & famuli continentur. Hac ſignificatione frequentiſſimè familia ſumitur in vtroque [x] iure. In ſacris verò litteris in Hiſtoria Tobiæ: *Apprehenderunt*, inquit [y], *parentes Saram filiam ſuam, oſculati ſunt, & dimiſerunt ire: monentes eam honorare ſoceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & ſeipſam irreprehenſibilem exhibere*; ſine dubio enim hîc *familia* quam regendam monent, etiam liberos amplectitur, quos non minus Vxor regere debet, licèt modo non ſimili, quàm ſeruos, & famulos.

x l. 40. §. familia. l. 195. §. 2. ff. de verb. ſignif. l. 23. ff. de adopt.

y Tob. c. 10.

Quartò *familia* propriè eſt primus hominum conuictus, & ſocietas, duce naturæ ſimul in eorum communione degentium, quæ neceſſaria ſunt ad vitam traducendam. In quo ſenſu ſumpta familia, ex Ariſtotelis [a] ſententia, & iam vulgò apud omnes opinione recepta, præter virum, & vxorem, liberi quoque, & famuli continentur, in quantocunque vtrique numero ſint; licet enim ſexcentos quis liberos habeat, quot Hierotimus Parthorum Rex dicitur [b] ab vxorum multitudine ſuſtuliſſe; & ſuprà quingentos ſeruos alat, quot in cenſum Caru maior retuliſſe narratur [c]: non aliud tamen omnes ſunt, quàm familia vna. Hac notione familiæ vox frequenter in ſacris litteris occurrit; frequentiſſimè tamen, vbi de Paſchali celebritate præcipitur. Quod enim lege cauebatur [d], vt in eo feſto per ſingulas familias agnus immolaretur; de alia familia, quàm in hac notione ſumpta non intelligitur.

a lib. 1. Polit.

b Iuſt. lib. 4. Hiſtor.

c Plutar. in Catone.

d Exod. 12. Deut. 16. Leuit. 16.

His in vniuerſum de familiæ vocabulo præmiſſis, quæ paulò poſt etiam enucleatius diſſerentur, an genus Iſraëliticum ante egreſſum ex Ægypto, familia tantùm fuerit, diſpici poteſt; Nam ſi de familia in ſecunda & tertia notione loquamur,

Digitized by Google

loquamur, clara eſt Iſraëlitas ante egreſſum ex Ægypto, familiam tantum non fuiſſe. Nec enim in cuiuſquam ſeruitio, & famulatu erant, vt ita familia dici poſſent; quemadmodum ruſtica, & vrbana familia nuncupatur: nec rurſus vnquam ante id tempus Hebræum nomen tantùm liberos, & famulos vni Patrifamilias ſubiectos complectebatur, vt ſic Hebræi familia dici poſſent; vt ea vox à Tobia [e] ſumebatur, cùm filiam familiam regere præmonebat. Poteſt igitur eſſe dubitatio de familia in prima, & quarta notione.

e Tob. 10. 13.

De qua ſic accepta dicendum Hebræos ante tempus egreſſionis ex Ægypto ſpectatos, aliquando familiam tantùm fuiſſe: aliquando nequaquam. Familia tantùm fuerunt ſub Heber, & deinceps vſque ad Abraham, Iſaac, Iacob, & Ioſeph; at non iam amplius familia cùm Ioſeph extincto, in Ægypto ſunt commorati. Dicti vtriuſque ratio in promptu eſt. Tempore enim Heber, & deinceps ab illo aliorum Patriarcharum vſque ad Ioſeph, adhuc Hebræi non erant externo ſanguine permixti; ſed omnes ex eodem genere prognati, externis tantùm ad famulitium aſſumptis, in commune viuebant; omnes igitur ex eadem familia erant, & eandem proinde familiam conflabant; At in Ægypto Ioſeph extincto, plurimos in ſocietatem generis admiſerunt, illis circumciſione impartita; qui deinde communi quoque Hebræorum nomine cenſebantur. Non igitur tunc Hebræum nomen omnes tantùm eiuſdem generis, & ſanguinis amplectebatur; ac proinde falſum eſt ante egreſſum ex Ægypto familiam tantùm fuiſſe, & non populum; vt deinceps clarius conſtabit.

Quo ſenſu dicantur Hebræi antè egreſſum ex Ægypto, Gens tantùm, & non Populus fuiſſe.

§. II.

QVi volunt, Hebræos Populum tantùm eſſe cœpiſſe vbi primùm ex Ægypto dimiſſi ſunt, adiungunt [f] etiam illos toto tempore, quod anteceſſit, ſiue priuſquam in Ægyptum ingrederentur, ſiue cùm ex illa migrarunt; aut *familiam*, aut ad ſummum *Gentem* tantùm fuiſſe. De familia proximè diximus: de Gente nunc ediſſerendum. Sunt igitur qui contra volunt, Hebræis ante egreſſum non ſolùm; ſed nullo vnquam tempore Gentis appellationem potuiſſe congruere; & id ſiue Gentis vocabulum in ea notione ſumatur, qua in ſacris litteris accipitur, ſiue vt apud Latinos, & Romano more. Illud probant; quia in ſacris litteris, quæ vox ab Interprete noſtro *Gens* vertitur, Hebraicè גוי *Goi* Græcè verò ἔθνος *Ethnos* tantùm infideles amplectitur; & hos non qualeſcunque; ſed qui nunquam fuerint cultu veræ Religionis imbuti. Ad quod probandum teſtimonia infinita congeſſunt, in quibus apertè tam in veteri, quàm nouo teſtamento *Gentis* vocabulo nationes aliæ non ſignantur, quàm veræ Religionis extorres? *Quare*, inquit Dauid [g], *Fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania?* Quid hic *Gentes*, & quid *Populi?* *Gentes* Infideles, exteri, alienigenæ: *Populi*, Iudæi ipſi ex variis nationibus congregati; vt ibi notat Hilarius. Et idem Dauid in vno, &

f Vi. Ianſen. Genebrard. Agellium, Lorin. Pſal. 113.

g Pſal. 2. v. 1.

eodem Pſalmo ſæpius [h]: *Increpaſti gentes, & periit impius.* Et infra: *Annunciate inter gentes ſtudia eius.* Et rurſus: *Infixæ ſunt gentes in interitu, quem fecerunt.* Et mox: *Conuertantur peccatores in infernum omnes gentes, quæ obliuiſcuntur Deum.* Denique concludens: *Exurge Domine non confortetur homo, iudicentur gentes in conſpectu tuo: conſtitue legiſlatorem ſuper eos, vt ſciant gentes quoniam homines ſūt.* In quibus omnibus locis nulli dubiū, quin Infideles gentiū appellatione ſignētur. Vnde & alicubi, gentium proprium dicitur *ignorare Deum*; Ex ignorantia nimirum, quæ neglectum continet eius rei, quam quis neſcit, quia contemnit addiſcere. Tobias ad vxorem ſuam: *Sara*, inquit [i], *exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras: filij quippè ſanctorum ſumus, & non poſſumus ita coniungi, ſicut gentes, quæ ignorant Deum.* Similiter Diuus Paulus [k]: *Hæc eſt voluntas Dei, vt abſtineatis vos à fornicatione, vt ſciat vnuſquiſque veſtrûm vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore, & non in paſſione deſiderij, ſicut gentes, quæ ignorant Deum.* Ex his igitur, & aliis ſimilibus concludunt, gentis vocabulum dici tantùm de Infidelibus in ſacris litteris; & qui ſint extorres à vero Deo; quare nullo modo poſſe Hebræos gentem appellari. Quod inde confirmant; quia in ſacris, & Eccleſiaſticis litteris adeò Iudæi gentis nomine non deſignantur, vt apud illos omne genus hominum; quaſi ex oppoſito, in gentes, & Hebræos diuidatur. De ſacris litteris conſtat. Inde enim primò eſt, quod Petrus *Apoſtolus* dicitur *circumciſionis*, ſiue *hominum circumciſorum*, nempè Hebræorum, Paulus autem *Apoſtolus gentium.* *Cùm vidiſſent*, inquit [l], hic, *quòd mihi creditum eſt Euangelium præputij, ſicut Petro circumciſionis. Qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatu circumciſionis, operatus eſt mihi inter gentes.* Quid clarius, quàm præputium, & circumciſionem, gentes, & Hebræos: aut ex æquo duo inter ſe oppoſita diſtingui? Secūdò ob id Chriſtus Dominus in primo egreſſu ad Euangeliū promulgandū, ne aliis quàm Hebræis prædicarent, Apoſtolis interdicens: *In viam*, inquit [m], *gentium ne abieritis.* Tertiò ob id etiam cùm vellet ſignificare Chriſtus quorum manibus eſſet periturus: *Tradetur*, inquit [n] de ſe loquens, *gentibus ad illudendum, & conſpuendum, & flagellandum, & crucifigendum.* Quartò inde eſt, quòd cùm alij præter Iudæos, fidem Chriſti ſacro lauacro abluti ſuſciperent, primi fideles inuicem gratularentur, *& glorificauerint* [o] *Deum, dicentes: Ergo & gentibus dedit pœnitentiam Deus ad vitam?* Quintò denique hinc eſt, quòd ex aduerſo *Gentiles*, & *Hebræos* inter ſe ſacræ litteræ diſtinguunt. Sicut igitur nulli dubium, quòd Hebræi, Gentiles appellari non debeant: ita nec *gentes* appellari poſſe fatendum: quando Gentiles iidem dicuntur qui Gentes appellantur; à qua voce Gentilis quoque vocabulum deriuatur. Nec opinor opus eſt, vt oſtendam, Gentiles ex aduerſo Iudæis opponi. Quid enim notius, ſacras Eccleſiaſticas litteras intuenti? *Iudæi*, inquit [p], *atque Gentiles*, qui habitabant in *Aſia, audierunt verbum Dei.* Et Diuus Paulus: *Induite*, inquit [q], *nouum hominem, qui renouatur in agnitionem ſecundùm imaginem eius, qui creauit illum: vbi non eſt Gentilis, & Iudæus, circumciſio, & præputium, Barbarus, & Scytha, ſeruus, & liber.* Et hæc ex ſacris litteris: At apud Eccleſiaſticos tractatores, ea duas inter voces oppoſitio clarius reperitur. Illis enim Iudæi, & Chriſtiani, & vno verbo

h Pſalm. 9.

i Tob. 1. 8. 5.

k ad Teſſalon. c. 4. 3.

l Ad Galat. 2. 8.

m Matt. 10. 5.

n Matth. 20. 19.

o Actorum 11. 18.

p Actorum 19. 10.

q Ad Coloſ. 3. 12.

verbo quicunque verè fideles à gentibus planè ex oppoſito ſecernuntur, vt conſtat ex ipſa primitiua voce,& iis,quæ ex ea deriuantur. Primitiua enim vox *Gens* eſt Latinè: Græcè, vt dixi *ἔθνη* quam adeò propriam Infidelium noſtri Doctores agnoſcunt; vt hinc Tertullianus Apologeticum ſuum contra hoſtes Hebraici, & Chriſtiani nominis, alio titulo non prænotanerit, quam *contra gentes:* & ipſum ſequutus Arnobius eiuſdem argumenti opus, *Diſputationes* itidem *contra gentes* inſcripſerit. At de vocibus ab hac deriuatis id adhuc clarius apparet: A Græco enim *ἔθνη* Ethnicus eſt,& à Latino *Gens* Gentilis. Quid autem notius,quàm Iudæos, nec Ethnicos, nec Gentiles à noſtris Doctoribus adeò non appellari; vt ex aduerſo etiam inuicem opponantur? Vt igitur in ſacris litteris vſus vocis huius habetur, Hebraico Populo,ne dum antè egreſſum ex Ægypto; ſed nec vllo vnquam tempore poteſt aptari.

Sed ſi more Romano, & vt à Latinis vſurpatur,id non minùs contendunt. Gentis [t] enim vocabulo Romani Latinè loquentes eos tantùm complectebantur,qui ab eodem ſtipite procreati, varias in familias tributi ſunt; vt erat gens Cornelia; ſub qua variæ familiæ Balborum, Scipionum. Sed Hebræi priùs quàm ingrederentur Ægyptum, vel certè orto tempore, quo in illo morati,non ij tantùm dicebantur, qui ex eodem genere varias erant in ſtirpes propagati. Sed inſuper alij plures,qui licet ex Abrahæ ſemine non eſſent, in Hebræorum iura tranſierant, ad circumciſionem admiſſi, qui *proſelyti* dicebantur. Non igitur Hebræum nomen tantum *gentis* erat, quando eos etiam continebat,qui diuerſa ſanguinis origine cenſebantur. Et hæc iſti, quòd Hebraico nomini *gentis* appellatio non poſſit aptari. Quid ergo dicendum? multa ſunt hinc inde libata, ex quibus vt aliquid certi decidi poſſit, omnia ſic componenda videntur.

t *Alcia. Rebuf. Brecher. l. 195. §. 1. ff. de verb ſig. Conan. lib. 1. c. 4. Alij ex Cic. in Bruto & 1. de Orat. Liu. lib. 1. Sueton. in Neron. c. 4.*

Primò *gentium nomine* plurali numero, nunquam fermè Iudæos in ſacris litteris nuncupari: *Gentis* verò frequenter. Illud exempla prolata docent: iſtud alia, quæ non minus id apertè demunſtrant: *Faciam*, inquit [f] Deus ad Abraham *te in gentem magnam*. Quæ hæc magna gens? Populus Hebraicus. *Non dixit*, ait Rupertus [s], *gentem quidam, ſed gentem magnam; ſiquidem gens Hebræa exigua fuit in comparatione aliarum. Audi Moſem ita loquentem Hebræis: Non* [u] *quia contra gentes numero vincebatis; elegit vos Dominus, cum omnibus ſitis Populis pauciores; ſed quia dilexit nos Dominus, & cuſtodiuit iuramentum, quod iurauit Patribus veſtris. Non igitur multa gens Hebræi, ſed magna, & verè magna, cuius Dominus Deus eius quam magnificauit, & honorauit magnus Dominus, de qua magnos Patriarchas, & Reges, ac diuerſorum meritorum magnos Viros habemus; per quos veri Dei magnitudinem cognouit mundus. Ergo magna gens futura dicitur Hebræa gens magnitudine opum, honorum, virtutum, illuſtrium virorum, rerum geſtarum, & prærogatiuarum, quibus à Deo præter alias gentes, nobilitata eſt.* Hebræi ergo in ſcriptura non ſolùm *gens* appellantur, ſed *magna*. Et in nouo teſtamento optimè. de ſe loquentes, ita Centurionem Chriſto commendant [x]. *Quia dignus eſt, vt hoc illi præſtes, Diligit enim gentem noſtram, & ſynagogam ipſe ædificauit nobis.* Et omnes vno ore in Concilio contra Chriſtum coacto: *Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem.* In quo eodem Concilio Caiphas congruenter ad iſta: *Expedit vobis, vt vnus homo pro Populo moriatur, & nõ tota gens pereat:* Hebræorum ſcilicet. Gens ergo Hebræi; & quidem antonomaſticè dicuntur, vt potè magna, inclyta, ſancta.

f Gen. c. 12. 2.

s *De operibus Trinit. in Geneſ. c. 12.*

u Deuter. 7.

x Luc. 7. 5.

Vnde ergo factum, vt gentium in plurali numero vocabulo, tantùm infideles ſignentur? In promptu reſponſio. Hebræi *gens* dicebantur; quia ex vno tantùm genere prognati; proinde *gens* vna ſolùm,& non in diuerſas effuſi ſtirpes; quorum primum caput non poſſit agnoſci; ſed aliæ nationes quæque ſuas origines repetebant, alias ab aliorum genere diuerſas: Inde *gentes* dictæ, cùm plures eſſent, & non *gens*, vt Hebræi erant; omnes ab vno ſtipite originem repetentes. Nec aliud hic myſterium exculpi poteſt; At cur *gentilis* à gente,& Ethnicus ab *ἔθνη* tantùm idololatras ſignant; aut alios aliter à cultu veræ Religionis extorres? Aliud hic dici non poteſt, quàm nominum vſum ex placito Populi deriuari; vel aliorũ, penes quos ius eſt,& norma loquẽdi; quibus viſum, duo iſta nomina tantùm ad Infideles aſtringere; licèt ea vnde veniunt, etiam fidelibus tribuãtur, Si tamen huius vſus aliqua ratio quærenda. Sunt qui putent [z], gentiles dictos, qui ſine lege viuerent; & hoc ſunt, quòd geniti fuerunt; id eſt ſub peccato ſeruientes Idolis [a]. Alij modicum ab hoc abeuntes, in Iure ciuili,& apud ſanctos Patres, infideles quoſque, gentiles appellatos volunt, quòd omnes alterius legis extorres, alio iure, quàm gentium non vtantur. Vero tamen ſimilius eſt ad ingentem infidelium multitudinem notandam,& fidelium paucitatem; illos, & *gentes*, & *gentiles* appellatos: iſtus verò vt gens vna tantùm erant, ita gentiles non appellatos, vt nec gentes. Vnde poſtea factum eſt, vt impietate ab orbe Romano depulſa, cùm late iam Euangelij lux mortalium animis eſſet infuſa, pauci, qui remanſerant impij, non iam gentiles, ſed pagani dicerentur; vt eorum ſcilicet & exiguus numerus, & ignobilitas notaretur. Et hoc eſt, quod in Eccleſiaſticis litteris Idololatræ, nuſquàm ante Pagani dicti reperiuntur, quàm Romani Cæſares, Chriſti fide ſuſcepta, templa in veri Dei cultum toto terrarum orbe iuſſerunt aperiri. Tunc enim qui in impietate manſerunt, quod pauci eſſent, quòd ignobiles, quòd procul ab Vrbibus in Pagis agerent, appellari cœpti ſunt in contemptum, *Pagani*; quaſi tantùm Incolæ *Pagorum*. Quæ pagani nominis origo mihi magis arridet, quam quæ magnis ab auctoribus [b] aſſertur, operoſe nimis,& longinquè quæſita. Vno verbo igitur Infideles, qui in anguſtum, vera religione compulſa (ſiue cum ante Chriſtum notus erat tantùm in Iudæa Deus; ſiue cùm poſt illum, in Cryptis, & in angulis occulta latebat) ad eorum ſplendorem,& multitudinem deſignandam; gentes, nationes, Ethnici gentiles appellantur; poſtmodum rerum vice mutata, *Pagani* dicti ſunt; quod non iam amplius orbem terrarum occuparent; ſed in anguſtum coacti, Pagis tantùm continerentur.

z *Barnab. Briſſon. de verb ſignif.*

a *Brech. Lita compertum. ff. de verb. ſignif.*

b *Vi. Conan. lib 9 cap. 5. Z ſiũ tract. de Iuſt. c. 5. Baron. Martyrolog. 6. Ianuar. Deſid. Erald. in l. 1. Arnob.*

Et hoc de *gentis* appellatione, vt in ſacris litteris accipitur,& idem fermè quod natio eſt. Idem enim de vtraque voce dicendum; vt quemadmodum *gens*, & non *gentes* Hebræi dicuntur: ſic intelligamus illos, *nationem*, non *nationes* appellatos; quo nomine ſicut & *gentium*, tantùm

Ethnici

Ethnici deſignantur. Dixi, *nationem fermè idem eſſe, quod gentem*; quia licet idem plerumque ſignificent; vtriuſque tamen diſcrimen ſubtilius inuenienti: *natio ſolum patrium quarit: gens ſeriem maiorum*; vt ait Cornelius [e] Fronto ex Grammaticorum veterum auctoritate. De eadem verò *gentis* voce, Latinè, & Romano more loquendo, vt ad familiam refertur; an, & quomodo Iudæis conueniat, antequàm ex Ægypto dimiſſi, tria dicenda ſunt.

e l. de ling. Latina.

Primò verè potuiſſe gentem appellari, ſub Iacob; cùm iam ille duodecim filios ſuſcepiſſet, & ex illis varios nepotes. Tunc enim Patriarchæ ſinguli, ſuis vxoribus ſociati, totidem familias conſtituebant, ſub vno gentis Iſraëliticæ nomine contentas: haud ſecus, quàm variæ familiæ Lentulorum, Catilinarum, Balborum ſub vna gente Cornelia continebantur.

Secundò ante Patriarchas vix eſt, vt dici poſſit, eos gentem fuiſſe: quia vna tantùm familia nomen tunc Hebraicum ſub Abraham, Iſaac, & Iacob complectebatur.

Tertiò denique ingreſſi Ægyptum, quicunque nomine hoc cenſebantur, *Hebræi* appellati, gens vna dici non poterant: quia plerique in illis, vt antè dicebatur, Proſelyti erant, ex aliena ſtirpe ad Hebraica iura tranſlati; quod quomodo fieret, & quod eſſet propriè ius Proſelytorum, infra ſuo loco, pluribus.

Hebræi quando verè Populus eſſe cœperint.

§. III.

OMnis Societas [d] eſt aliquorum conuentio ad aliquid participandum; quare in omni ſocietate tria ſpectanda ſunt; qui conueniunt: ad quid: & quomodo; ratione quorum variæ deinde formæ Societatis exiſtunt. Ex parte enim *conuenientium*: alia Societas eſt plurium: alia duorum tantùm; illa *multitudo* fermè dicitur: hæc nomen generis retinet, & Societas appellatur. Ex parte verò modi conueniendi; alia Societas temerè contrahitur: alia certa ratione, & cauſa: temerè, ſi duorum, vel paucorum ſit, certum nomen non habet: ſi plurium, nomen generis retinet, & *multitudo* dicitur; aut *numerus*, aut *turba*; propterea quod omnia miſcere, & perſtrependo turbare, multitudini maximè conueniat temerè confluenti. Cauſa verò aliqua, & certa ratione cooflata coitio, alia eſt communione ſanguinis, alia conſenſu voluntatis. *Communione ſanguinis* eorum eſt, qui ab vno generis Principe deſcendunt; qui ſi proximum agnoſcant, *familiam* conſtituunt: ſi remotius repetant, *gentem*, & *ſtirpem*: Conſenſione verò voluntatum, alij quicunque cœtus exiſtunt, qui varias per appellationes, varias eorum formas ſignantes, diuiduntur. At ratione eius, ad quod participandum conuenitur, omnis coitio bifariam diuiditur; ratione eius, quod quæritur, & ratione modi, quo quæritur. *Id, quod quæritur* multiplex eſſe poteſt, vt varia ſunt hominum commoda, quæ neceſſaria, vel vtilia, vel iucunda ſunt vitæ degendæ; ratione quorum omnium dubium non eſt, poſſe inter ſe homines conuenire, vt ope mutua ſuffulti, ſimul omnes aſſequi poſſint, quod per ſe ſinguli nequeunt. Poſſunt tamen hæc omnia commoda ad tria ſumma capita reduci. Primum, generis propagandi. Secundum vitæ ſuſtentandæ. Tertium iuſtitiæ ſeruandæ, & ſua tuendi. Ratione primi, prima conſurgit conuentio. Viri, & vxoris. Ratione ſecundi, ſocietates aliæ, quæ mutuò contrahuntur; vt alter alterius ope iuuetur in domo conſtruenda, agro colendo, victu parando: & denique malis arcendis, & commodis procurandis; quorum omnium contractuum primus eſt, dùm quis opes, alter operam præſtat; Hi enim conueniunt, vt alter ab altero iuuetur; in quo qui maior eſt facultates exponit: minor, corporis vires; vt eſt inter maiores, & minores amicos, qui Domini, & famuli dicuntur. Ratione verò iuſtitiæ tuendæ, cœtus alij ſurgunt, in id initi; vt quod iam obtentum eſt, in propagatione generis, & vita ſuſtentanda pacatè retineatur. At ratione modi, quo hæc quæruntur, conuentio diuiditur in iuſtam, & iniuſtam. Si enim rectè, ritéque quærantur, iuſta conuentio eſt: ſi contra, iniuſta. Iuſta conuentio ad propagandum genus, matrimonium dicitur. Iniuſta, Mœchia, ſcortatio, concubinatus. Iuſta conuentio ad ſuſtentandam vitam, ſpecies innumeras habet. Inde enim ſunt tot Collegia, tot ſocietates, tot ordines, & corpora Ciuium. Iniuſta, non pauciores, præcipuè tamen eius formæ, conſpirationes, conciliabula, factiones appellantur.

d l. 1 ff. quid cuius vniuerſ. nom. l. 1. 2. 3. ff. pro Soc. Inſtit. de Societ. D. Auguſt. l. 1. de diuerſ. quæſt. ad Simpl.

His per ſumma capita ſic prælibatis, quæ non ſolùm ad hoc, quod nunc agimus, explicandum; ſed ad alia plurima viam ſternunt, quæ deinceps dicturi ſumus, vt exploratò conſtet, *quando primùm Hebræi verè Populus eſſe cœperint*, videndum nobis eſt, quid ſit Populus, & inde quod quæritur, exponendum. Cùm igitur certum ſit, omnem Populum ſocietatem quamdam eſſe hinc exordiamur.

Diximus, tria in omni ſocietate ſpectari, *qui conueniunt: ad quid: & quomodo.* Populus ergo quid ſit inquirenti tria hæc attendenda ſunt; & ante omnia accuratè exponendum, qualia ſingula in Populo reperiantur; vt ab aliis hominum cœtibus diſtinguatur.

Primò igitur *vt Populus eſſe poſſit qui conueniunt*, eſſe plurimi debent, in quo Populi coitio à paucorum, vel duorum tantùm ſocietate diſtinguitur. Secundò cauſa quaſi efficiens conueniendi, non eſt in Populo ſanguinis communio; ſed conſenſio voluntatis; in qua Populus à familia, gente, ſtirpe, natione diſtinguitur, vt hæc ſtrictè accipiuntur, non vt cum Populo ſolent aliquando confundi. Licet enim iidem, qui gens, & familia, & natio ſunt, etiam Populi eſſe poſſint: non tamen eadem ratione, qua *gens*, etiam Populus dicuntur; Nam *gens* appellantur, vt ſanguine iuncti ſunt: Populus, vt voluntate ſociati. Tertiò id, ad quod participandum conueniunt qui Populum conſtant, omnia commoda ſunt, aut neceſſaria, aut vtilia vitæ ſuſtentandæ; in quo Populus ab omnibus aliis cœtibus differt qui non vniuersè omnia, ſed certa tantùm vitæ commoda proſequuntur; & ob id non Populi, ſed aliter appellantur; vt Collegia, Tribus, Curiæ, Societates, &c. Modus verò, quo Populus hæc commoda quærit, eſt, vt ius, & æquum poſtulat; in quo ab aliis cœtibus diſtinguitur; qui non iure ſociantur; & vniuersè non Populi, ſed *latrocinia* dicuntur. His ſic explicatis; quid ſit Populus haberi poteſt; quod à nobis paulò ſubtilius expoſitum placet

Auguſtini

Auguſtini verbis oſtendere, quæ noſtra clarius confirmant.

Ille enim Populum, non è ſua tantùm ſententia; ſed ex Veterum auctoritate definiens: *Scipio*, inquit [g], *dicis Rempublicam, rem eſſe Populi: Populum verò, non omnem cætum multitudinis, ſed iuris conſenſu, & vtilitatis communione ſociatum.* Alibi verò, non ex ſua, ſed ex aliorum ſententia, eundem definiens: *Populus*, inquit [h], *eſt cætus multitudinis rationabilium creaturarum, eorum quæ diligit concordi communione ſociatus.* Ex quibus definitionibus hæc poſterior vſquequaque non congruit: illa prior ex omni parte probanda eſt. Ob id Auguſtinus hanc, vt dicebam, non vt ſuam proponit, ſed vt ab aliis probatam, quam ipſe non aliter laudat, niſi quod in totum abſurda non eſt. Et meritò; quid enim, ſi quæ plures diligunt, iniuſtè diligant; an in eorum concordi communione ſociati Populus erunt? Lattones igitur Populus, & quicumque concordi voluntate in vitæ ſibi commodis procurandis aliorum cum iniuria graſſantur. Quòd ſi iſti Populus non ſunt, ſed factio, ſed conſpiratio, ſed latrocinium. Non igitur rectè Populus definitur *plurium, cætus, eorum, quæ diligit communione ſociatus.* Quid igitur deeſt? eorum, quæ diligit honeſtas, aut in diligendo rectitudo. Quare ſi dicatur: *Eſſe Populus multitudinis cætus eorum, quæ iuſtè diligit communione ſociatus*, aliud fortaſſe non requireretur ad Populi naturam, & eſſentiam more philoſophico definiendam: quam tamen numeris omnibus, illa prior enucleatè ſignat, omnia complectens, quæ ſubtilius in Populo diximus reperiri, & illum ab omni alia hominum communione diſtinguunt.

g lib. 2. de Ciuit. c. 21.

h lib. 19. de Ciuit. c. 24.

Primò enim ſignatur *qui conueniant*, & *plurimi* ſunt. Vnde dicitur eſſe Populus multitudinis cœtus. In quo verbo non indicatur quæcunque *pluralitas* (vt cum Grammaticis loquamur) ſed numeroſa. Quia Populum faciunt, non quicunque *plures* appellari poſſunt; ſed qui *multi*. Qua in re controuerſia non leuis exiſtit de numero hominum, qui ſufficiunt ad Populum conſtituendum. Et quidem certa res eſt, vt aliqui *plures* dici poſſint [i], ad minimum duos eſſe debere: at, vt *multi* [k] ſint, ſaltem tres opus eſſe; quare cùm Populus non plures, ſed multos requirat, ad minimum tres eſſe debebunt qui Populum conſtant. At hoc incongruum eſt. Nec enim videtur in tanta paucitate Populi notio ſeruari. Quot igitur erunt? Apuleius ex Veterum conſenſu quindecim perſonis Populum conſtare videtur: & hoc Recentiores [l] admittunt, inde ratione ducta: quod ſi Collegium [m] tres ad minimum perſonas requirit; Populus tres ad minimũ familias continebit; at ſingulæ familiæ quinque [n] ſaltem conſtant, Patre nempe, Matreque familias, & tribus præterea. Populus ergo minimùm quindecim conſtabit. Verùm hæc vtcunque ſe habeant, quæ ſubtilius inueſtigare non vacat; dubium non eſt, longè plures in Populo conſtituendo requiri; quod ex vſu linguæ Hebraicæ, Latinæ, & cuiuſque generis propriæ apertè colligitur.

i Vlpian. l. vbi numerus ff. de teſt.
k l. 1 § hoc reſcripto ff. ad S.C. Tertull.
l. Prætor. 4. num 1. ff de vi bon. rapt. vbi Bart.
l Bodinus damnat. Auct. l. 1. de Repub. c. 2.
m l. Neratius. ff. de verb ſignif.
n l familia. ff. de verb. ſignif.

Ex Hebræa quidem: quia in illa Populus עם *Ham* appellatur, à verbo עמם *Hamam*; quod eſt operire, contegere, obruere; quaſi Populus [o] tot complectatur, qui poſſint terræ ſuperficiem, & locum, quem inſederint, obtegere ſuo numero, & operire. Secundò ex vſu Latinæ linguæ probatur idem, in qua *Populus*, *Populoſus*, & apud Auctores deterioris æui *Populoſitas*, pro ingenti multitudine nuncupatur. Hinc *amicorum Populus* Senecæ [p]: & Apuleio [q] *Populus cupidinum*, & *aſtrorum Populus* Martiano [r]: & Arnobio [ſ] *Numinum Populus*: & eidem, ſiue alteri nominis [t] eiuſdem *Populus Martyrum*. & *Populus Deorum*; Zenoni [u] Veronenſi, qui itidem ad ingentem plagarum numerum ſignandum, quibus B. Iob à Diabolo percuſſus, eadem *vlcera populoſa* dixit; quam formam etiam Sidonius [x] ſequutus: *facinorum continuatione miſer eò neceſſitatis acceſſi, vt is pro peccato Populi nunc orare compellar, pro quo Populus innocentum vix debeat impetrare, ſi ſupplicet.* Denique ex vſu cuiuſque linguæ non minus id conſtat. In omnibus enim *Populi* vocabulo, non aliud quàm ingens aliqua multitudo notatur, quæ ſine dubio non quindecim tantùm; ſed longe maiore hominum numero continetur: quot autem, præciſè ſignare non poſſumus; cùm facilius ſit, quot ad id non ſufficiant oſtendere, quàm quot exigantur.

o Vi. Pagnin. Mercer. Marin. in Lexic.

p lib. 6. de Benef.
q lib. 2 Metamorph.
r lib. 7. Philolog.
ſ lib. 4 con. gentes.
t Arnob. Pſal 105.
u Serm. de Iuda.
x lib. 6. ep. 8.

Et hoc de numero. At operoſior eſt inquiſitio de qualitate conuenientium, quales nempè eſſe debeant ex quorum ſociatione Populus conſtatur; & in eo tota controuerſia ſita eſt: an poſſint omnes cælibes eſſe, omnes mares, omnes fœminæ. Qui putant, Populum familiis neceſſariò conſtare debere, negant [y] etiam ſolos mares, aut fœminas, aut omninò cælibes, aptos eſſe ad Populum conſtituendum, ea ratione ducti: quòd Populus omnis ex ſe ſpectatus immortalis eſt; vt in iure [z] ciuili ſignificatur. At id eſſe non poteſt, niſi qui ſubinde decedunt, noua ſobole reparentur; at familiarum numero opus eſt, in quibus Viri, & Vxores ſufficiant, qui decedentibus ſuccedant: Verùm eſto id, quòd Populus omnis immortalis ex ſe ſit, oporteat; & talis, qui niſi extrinſeca vis accedat, perpetuò perſeueret; vnde colligunt iſti aliundè ſuffici non poſſe, qui locum ſuppleant decedentium, niſi maris, & fœminæ coniunctione gignantur, qui ſimul etiam pars Populi ſint, noua ſobole reparari: an non poſſunt alij poſt alios ſubinde ſuffici, qui ſimili conſenſu voluntatis in paria ſtudia conueniant, & decedentibus ſubrogentur? Sine dubio negari non poteſt: vnde dicendum, vt Populus conſtituatur, congruentiſſimum quidem eſſe pluribus illum familiis conſtare; non tamen id omninò requiri. Mitto tot Religioſorũ Populos in Chriſtiana Republica, qui familiæ dicuntur; quòd veri Deo famulandi cauſa, ſint inſtitutæ, quæ perpetuæ ſunt, & immortales magis, quàm Populi quicunque; niſi vis aliqua maior illas euertat; Adducam tantùm quod de Gente Eſſenorum Plinius commemorat, in qua nulla connubia; nullo tamen tempore deficiebant, qui decedentibus arrogarentur; Aſphaltite enim lacu deſcripto, ſubdit [a]: *ab occidente littora Eſſeni habitant vſquequaque, gens ſola, & in toto orbe præter ceteras mira; ſine vlla fœmina, omni Venere abdicata: ſine pecunia, ſocia palmarum. In diem ex æquo conuenarum turba renaſcitur, largè frequentantibus, quos vita feſſos, ad mores eorum fortunæ fluctus agitat: ita per ſeculorum millia (incredibile dictu) gens æterna eſt, in qua nemo naſcitur. Tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia eſt.* Et hæc de iis, qui conueniunt in Populo conflando.

y Bodinus damn. Auct. lib. 1. de Repub. c. 2.

z l. an vſusfructus. ff. de vſufr. vbi DD.

a lib. 5. c. 17.

Secundò adiungitur à Diuo Auguſtino *ad quid participandum conueniant*; & indicatur vnum tantùm genus rerum non eſſe, ſed omnia

complecti,

complecti, quæ poſſunt vnilia eſſe vitæ traducendæ; *cùm enim dicitur eſſe cœtus vtilitatis communione ſociatus*, nullum genus vtilitatis excipitur, nulla certa commoda deſignantur: in quo Populus à reliquis ſocietatibus diſtinguitur; quæ non ad omnia, ſed certæ vtilitatis gratia parantur; vt ex eodem Auguſtino Diuus [b] Thomas obſeruauit. Tertiò modus exprimitur vtilitatis huius quærendæ, qui iuſtus, & honeſtus eſt, vt exigentia poſtular iuris, & æqui. Vnde dicitur *Cœtus vtilitatis quidem gratia*, non tamen quomodocunque; ſed iuris conſenſione ſociatus: in quo Populus à publicis latrociniis, & aliis huiuſmodi coitionibus ſeparatur. Et hoc eſt Populus.

b part. 2. q. 31. art. 2.

Quando ergo Hebræi Populus eſſe cœperunt? Caietanus [c] quem ſequuntur ex noſtris Lorinus [d], & Salianus [e], vt ante etiam indicaui, putant ab egreſſu tantùm ex Ægypto, & nunquàm antea potuiſſe Hebræos *Populum* appellari, quod plerique volunt à Dauide [f] ſignificari dum canit: *In exitu Iſrael de Ægypto, domus Iacob de Populo barbaro, facta eſt Iudaa ſanctificatio eius, Iſrael poteſtas eius.* Vnde verò id probant? *quia* inquiunt [g], *antequam in Ægyptum Hebrai deſcenderent, tam pauci erant, vt Populus dici non poſſent. In Ægypto verò multiplicati, primùm peregrini, deinde etiam ſerui miſeram ſeruitutem ſeruierunt; At egreſſi, libertatem ſtatim conſequuti, ſuo iure, ſuo Principe, ſuiſque mox legibus, & moribus vtentes, etiam proprium anni ordinem diuinitus habuerunt; vnde tunc verè Populus.* Et hoc illi. At ego contra puto; licèt enim facilè concesſerim, Hebræos ante ingreſſum in Ægyptum familiam potius, gentemque fuiſſe, quàm Populum; & id ob eorum paucitatem: in Ægypto tamen verè Populum conſtituiſſe dicendi ſunt. Primò quia Ioſeph mortuo, tantam in multitudinem excreuerunt, quæ ſine dubio Populo conſtituendo ſufficeret. *Fily*, inquit [h], *Iſrael creuerunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt, ac roborati nimis impleuerunt terram.* Secundo quia ſuas in Ægypto terras, ſuas Vrbes habebant. In terra enim Geſſe, quam iuſſu Pharaonis acceperant [i], inter alias, Remeſſem ædificarūt [k]. Tertio quia ſuis ibi moribus, & ſuis legibus viuebant; vt argumento ſunt Circumciſio, ſacrificia, Conuentus, & reliqua vitæ munia, in quibus iuris conſenſione, & voluntatis communione ipſi inter ſe iungebantur, ab Ægyptiorum moribus abiuncti. Si enim Conuentus non habuiſſent, Moſes, & Aaron, illos non conuocaſſent, vt quod à Deo iuſſi fuerant, illis nunciarent; ſi præterea ſtata ſua ſacrificia de more non habuiſſent, Moſes ad Regem ſuos liberaturus, iis verbis vſus non eſſet [l]: *Dimitte nos vt ſacrificemus in deſerto Deo noſtro.* Populus ergo verè Hebræi in Ægypto; quando *cœtus erant multitudinis Iuris conſenſione, & vtilitatis communione ſociatus.* Quare Populum illos appellat Pharao: *Ecce*, inquit [m], *Populus filiorum Iſraël multus eſt, & fortior nobis eſt: venite ſapienter opprimamus eum*; & paulò poſt Moſes ipſe: *Benè* inquit [n] *fecit Deus obſtetricibus, & venit Populus*, (Hebraicus ſcilicet) *confortatuſque eſt nimis.* Denique Populum etiam illos appellat ipſe Deus: *Induratum* inquit [o] *eſt cor Pharaonis, & non vult dimittere Populum meum.* At in Ægypto Iudæi ſeruitute premebantur. Id nihil intereſt. Nec enim ob id gens aliqua Populus eſſe deſinit, quòd alteri genti iure, vel iniuria ſubiecta ſit; alioquin Romani nullis aliis Populis imperaſſent. Eſto igitur, quod tyrannicâ dominatione gens hæc in Ægypto miſerè affligeretur; ob id tamen, Populum illum fuiſſe, negari non debet quia aliud eſt eſſe Populum ſui iuris, & dominantem: aliud alieno Imperio, vel tyrannidi ſeruientem. Vtrobique enim Populus eſt; in vno tamen ſtatu, aut liber, aut Dominus: in alio, aut ſubiectus aut etiam famulus. An autem in vera ſeruitute ratio Populi ſeruetur, mox declarabitur.

c Exodi 12.
d Pſal. 113. v. 1.
e Ann. 2544. n. 42.
f Pſal. 113. v. 1.
g Salianus ibi.
h Exodi 1. 7.
i Gen. 47. 6.
k Hieron. de loc. Hebraicis.
l Exodi 7. 8.
m Exod. c. 1. 9.
n Ibid. v. 20.
o Exodi 14.

Gens Hebræa quam regiminis formam habuerit vſque ad Regum tempora?

§. IV.

POpuli ſtatus, ſicut & cuiuſlibet hominis duplex eſt, liber, & ſeruilis. *Liber* duplex: aut in imperio, aut obnoxius alteri. *Seruilis* etiā duplex: aut iure gentium, vt eſt in illis, qui iuſto bello in hoſtium poteſtatem venêre: aut oppreſſione violenta; quales ij, qui à prædonibus capti, vel à Tyrannis oppreſſi, iugo ſæuæ dominationis tenentur. Hebræa gens igitur in hoc triplici, vel quadruplici ſtatu, pro vario tempore variè iactata eſt; & id ſiue cum familia tantùm, vel gens propriè dici poterat.

Et primò ſub Heber, & aliis deinceps ab illo vſque ad Abraham, Iſaac, & Iacob, quo toto tempore *familia* vel ad ſummum *gens* tantùm potuit appellari, liberum ſtatum habuit; nullo iugo ſeruitutis oppreſſa. Quod enim dubitari poſſet de tempore, quo Abraham in Ægypto peregrinatus eſt; an tunc Hebræi ſerui, an liberi fuerint, facilem reſponſionem habet. Omninò enim liberi fuiſſe dicendi ſunt, cùm Pharao Rex Ægypti non ſolùm illos non oppreſſerit; ſed Abraham, & illius familia benè vſus fuerit in gratiam Saræ, cuius pulchritudinem adamauerat [p].

p Geneſ. 12.

Poſſet tamen hic dubium eſſe; num ad hoc vſque tempus ita liberi fuerint Hebræi, vt etiam dominatum aliquem, & imperium habuerint; quod eſt quærere: Num tunc fuerint liberi, vt libertas à ſeruitute diſtinguitur: an ita liberi, vt etiam aliis imperarent. Et dicendum, antequàm Abraham ex Chaldæa diſcederet, fortaſſe Hebræos in aliquo Imperio fuiſſe; non quòd ipſi tūc Regnum, aut Populum regnantem conſtituerent; Nec enim tot erant, vt huic appellationi ſufficerent: ſed quia erant ipſi familia regnatrix. Heber enim primogenitus cùm eſſet, ex iure quod tunc vigebat etiam in alios imperium obtinebat; qua de re pluribus infrà, vbi de primogenitorum prærogatiuis apud Hebræos. At cùm ex Chaldæa Thare cum Abraham migrauit, num etiam in Meſopotamia, quam inſederunt, regnatrix familia fuerint, ambigi poteſt; & veriſimilius eſt, non fuiſſe nec tunc, nec vnquam toto tempore vitæ Abraham, Iſaac, & Iacob. Quod inde facilè conſtat; quia migrando terras ab aliis iam iuſto dominio poſſeſſas, inſederunt. In illas igitur vbi deuenêre, nullo ipſi cum imperio fuerunt, ſed eius dominio ſubiecti, cui terra patebat, pari cum reliquis iure in ſuprema iuſtitiæ adminiſtratione vtebantur. Et ſic fieri oportuiſſe valida ratione conſtat; Nam quiſque alteri ſubiicitur, aut ratione natiuitatis, aut domicilij, aut vtriuſque ſimul. Licèt igitur Abraham, & ipſius familia nati, ſubditi non eſſent eorum, quorū in terras migrauerant; donec

tamen in eorum ditione viuebant, illis ſubeſſe debebant. Quia qui terræ Dominus abſolutus eſt, in omnes illos dominatuιo habet, qui domicilium in illa fixerunt, aut aliter hoſpitantur. Ita autem cum Abraham factum eſſe, & deinceps ab illo, cum Iſaac, & Iacob in Chananitide degentibus, antequam inde cum filiis in Ægyptum deſcenderent, ex duplici coniectura conſtat. Prima, quia Deus Abraham, & deinde Iſaac, & Iacob eo tempore ſæpiùs apparens, ſæpius etiam promiſit illis ſe certo poſt tempore terram illam perpetuam daturum, quam tunc incolebant: *Cum veniſſent*, inquit [q], *Abraham, & Lot in terram Chanaã, apparuit Dominus Abraham, & dixit ei: ſemini tuo dabo terram hanc.* Iterum verò ad Iſaac eamdem promittens: *Ne deſcendas*, inquit [r], *in Ægyptum, ſed quieſce tibi enim, & ſemini tuo dabo vniuerſas Regiones has, complens iuramentum, quod ſpopondi Abraham Patri tuo*; quando daturus quadrigentos poſt annos; vt ad eundem Abraham Deus iterùm [ſ] explicatè ſpondet. Non igitur adhuc illam terram poſſidebat Abraham, non Iſaac, non Iacob; ſed ſuo tempore poſſeſſuri, vt ipſemet ad Deum loquens teſtatur: *Domine Deus*, inquiens [t], *vnde ſcire poſſum, quod poſſeſſurus ſum eam?* Si ergo poſſeſſurus, nondum poſſidebat; ac proinde tunc in ea degebat Abraham, vt in terra non ſua. Nulla ergo ratio, cur illi Principi non ſubeſſet, cui terra parebat. Altera coniectura, vel potius firma ratio non oſtendit tantùm id oportuiſſe fieri, ſed etiam factum eſſe; Nam inter Paſtores Abraham, & Lot orto diſſidio*, dixit Abraham ad Lot: *Ne quæſo ſit iurgium inter me, & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuos: fratres enim ſumus.* Antè verò proximè ſcriptura præmiſerat: *Eo autem tempore Chananæus, & Pherezæus habitabant in terra illa.* Ad quid, oro, verba hæc; & in cuius rei cauſam afferuntur? Afferri enim dubium non eſt, cùm tacitæ quaſi dubitationi occurrens, illa ſcriptura reliquæ narrationi latenter interſerat: *facta eſt*, inquit, *rixa inter paſtores gregum Abraham, & Lot*: & ſtatim: *Eo autem tempore Chananæus, & Pherezæus habitabant in terra illa.* Quid inde? Dixit ergo Abraham ad Lot: *Ne ergo ſit iurgium inter me & te*, Cauſam ergo tacitè reddi, cur hanc Abraham optionem fratris filio detulerit, dubium non eſt. Quæ ergo hæc cauſa? Quia nimirum non erat adhuc Abraham illius terræ Dominus, [u] ſed inquilinus. Quare ſi quidpiã iurgij inter ſuos, & Lotti familiares exarſiſſet, opus erat externorum Tribunal adire, & litem apud illos componere. Ne ergo cogeretur alienos à vero Deo implorare, aut etiam illis occaſionem ne daret in ſe, & Lot inuadendi, maluit ipſe de ſuo iure remittens, Lot omnia tribuere. Quod totũ manifeſtè conuincit, Abrahã in ea terra non Dominum fuiſſe, ſed ſubditum, nec æquo fortaſſe cum aduenis iure; ſed paulo deteriore, quali cenſentur peregrini in aliena terra; ob id enim manſio Patriarcharum in Chananitide, priuſquam Ægyptum ingrederentur, peregrinatio nuncupatur, vt Deus ipſe illam nuncupat in iis verbis; ad Iſaac: *Ne deſcendas*, inquit [x], *in Ægyptum; ſed quieſce in terra, quam dixero tibi, & peregrinare in ea.*

Quo ergo iure, quibus legibus, & moribus agebant Hebræi toto tempore, quo liberi quidem erant; ſed in alieno ſolo; & ratione domicilij ſoli Domino ſubiecti? Reſpondeo iure, quod appellatur gentile, familiare, ac priuatum; de

q Gen. 15. 6.
r Gen. 26. 3.
ſ Gen. 15. 17.
t Gen. 15. 8.
* cap. 13. 7.
u Vi. Perer. c. 13. Gen. to. 3. diſp. 1. n. 3.
x Gen. 26. 3.

quo plura Doctores [y] noſtri, tam cùm ciuiles leges, quàm cùm Eccleſiaſticas interpretantur. Nec hoc dixerim, quaſi tunc hæ ſubtilitates argutiarum ingruerint, quibus nunc in iure dicendo, qui negotium aliquod habeor, mille per ambages à Cauſidicis diſtrahuntur: ſed quod illud ius, quo tunc Abraham cum ſuis agebat, huic perſimile, & geminum erat, quod poſtmodum *familiare* nuncupatum eſt; ſic dictum, quòd in aliquo Populo non omnium commune ſit, ſed certæ gentis in illo proprium, aut aliquarum familiarum, quæ illo conceſſu Principis vtantur. Exemplum iuris *familiaris* habemus paſſim in Saxonia, Gallia, Bauaria, & aliis Regionibus [z]; At quod eſt magis ad id, quod agimus, nullum vitæ inſtitutum afferri poteſt, quod maiorem habeat affinitatem cum ratione viuendi, qua tunc Hebræi ſub Abraham, Iſaac, & Iacob agebant in alieno ſolo, quàm quod cum pleriſque ſeruatur Turcarum Imperio parentibus. Admittunt enim illi ſubinde, non in Regiones modò, ſed in Vrbes ipſas; alienas gentes, quibus ad habitandum certas Vrbis partes concedunt: inſuper illud annuentes, vt ſuis inter ſe moribus, & legibus viuant: & modò res inter ipſos agatur, vt ipſi ſibi ius dicãt, cauſas diſceptent, crimina puniant, etiam pœnam capitis exequendo. Hoc iure plures Venetorum, Genuenſiumque Coloniæ diu Turcarum ſub imperio vixerunt, illis ſine dubio ſubiecti, liberi tamen, vt libertas opponitur ſeruituti, & iure viuentes ſuæ gentis proprio. Non diſſimiliter ergo de Abraham, & Iſaac, Iacobque dicendum: gentili iure, id eſt ſuæ gentis, & familiæ proprio inter illos vixiſſe, quorum in terris agebant: illis alioquin ſubiecti, quòd in illorum ſolo domicilium fixiſſent. Et hæc de ſtatu Populi Iudaici extra ſeruitutem.

Reſtat ſtatus in Imperio, & captiuitate; Quo in vtroque breuiter explicandum, quam formam Hebræi tenuerint in publica re, vel priuata adminiſtranda.

In *Imperio* Hebræi, quando iam Populus, & non tantum gens, aut familia dici poterant, eſſe cœperunt, mox vt ab Ægypto digreſſi ſunt: quod fortaſſe voluerint qui ſimpliciter ab eo tantùm tempore, Populum eos appellari poſſe dixerunt. Putarunt enim Populum non eſſe, qui ſui Iuris non ſit, & extra omnem alterius dominatum, & cum imperio in alios, quos moderetur, ſiue per ſe, vt in *Democratia*, ſiue per optimates ſuos, vt in *Ariſtocratia*, ſiue per ſuos Reges, vt in *Monarchia*: in quo cum perſpicuè fallantur: in altero veri ſunt, quòd ab hoc egreſſus tempore Populus Hebraicus, Populus non ſolùm fuerit, ſed liber, & cum imperio; in quo ſtatu ſine vlla controuerſia ſemper egit vſque ad captiuitatem Aſſyricam, & Babylonicam; & id per tria tempora, Ducum, Iudicum, & Regum. Sub quibus omnibus dubium poteſt eſſe, quam Reipublicæ formam tenuerint Tres enim, vt innuebam, omnium conſenſu Reipublicæ ſpecies ſunt (ſic appello Principatum, quo Populus ipſe regitur) Ariſtocratia, Democratia, Monarchia. *Ariſtocratia* cùm non vniuerſus Populus, ſed Optimates præſunt. *Democratia*, cùm totus Populus. *Monarchia*, cùm vnus ex omnibus. Qua de re Diuus Auguſtinus ex Ciceronis, & ante illum Scipionis, & veterum omnium ſententia: *Dicunt*, inquit [a], *Rempublicam rem Populi, cùm bene, ac iuſtè geritur, ſiue ab vno Rege, ſiue à paucis Optimatibus, ſiue ab vniuerſo Populo. Cùm verò*

y Bart. l. omnes populi ff. de iuſt. & iu. Bald. l. cùm omnes de Epiſcop. & l. 2. de conſtit. pecun. Imola, & Cuman. l. 3. de teſtam. Andr. ad ſpeculat. tit. de teſtam. §. compendiosè. Innoc. c. cùm acceſſiſſet de conſtit.
z Bodin. damn. auct. lib. 1. de Repub. c. 2.
a lib. 2. de Ciuit. c. 21.

verò iniuſtus eſt Rex, aut iniuſti Optimates, aut iniuſtus ipſe Populus, non iam vitioſam, ſed omninò nullam eſſe Rempublicam; quoniam non eſſet res Populi, cùm Tyrannus eam factione capeſſeret; nec ipſe Populus iam Populus eſſet, ſi iniuſtus eſſet; quoniam non eſſet multitudo iuris conſenſu, & vtilitatis communione ſociata, ſicut Populus fuerat definitus. Tres igitur hæ Reipublicæ formæ cùm ſint, dubium eſt, quam ex illis Hebræi tenuerint, vbi primum Populus abſolutè liber, & cum imperio fuerunt.

Dicendum eſt, duas tantùm ſequutos, Ariſtocratiam, & Monarchiam: *Ariſtocratiam*, ſub Ducibus, & Iudicibus: *Monarchiam* ſub Regibus. De qua vtraque ſufficiat hic tantummodò leuiter hoc delibaſſe.

At Populo in captiuitatem abducto; dubium non leue eſt, qoomodo ſe in illa habuerit quò ad publicam rem gerendam. Tota verò ratio ambigendi prouenit ex Prophetia Iacob, qua prædicit; non auferendum ſceptrum de Iuda, donec Chriſtus naſcarut. *Non auferetur*, inquit [b], *ſceptrum de Iuda, & Dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Per hanc enim Prophetiam denunciari pleriqué [c] volunt Regnum Iudæorum, ex quo ſemel ex Tribu Iuda Reges habere cœpiſſet [d], nunquam deuenturum in poteſtatem Regum, qui non eſſent Iudæi, ſed alienigenæ, quouſque promiſſus Meſſias aduenirer. Hoc igitur admiſſo, controuerſia ſurgit, quæ videtur ineluctabilis eſſe difficultatis; Nam vel veri ſerui Iudæi fuerunt, vel non in captiuitatem abducti: Non fuiſſe. Primò eſt contra manifeſta ſcripturæ teſtimonia, quæ nihil frequentius inculcat, quàm Iudaïci populi clades ab Aſſyriis, & Babyloniis inferendas, & ex illis captiuitatem, & ſeruitutem, quam vtramque, ni reſipiſcant, ſeriò comminatur; & quia non reſipuerunt, vt denunciatæ fuerunt, eueniſſe teſtatur; vt enucleatè traditur in libris Regum [e] & plurium Prophetarum [f]. Secundò quia certum eſt, Hebraïcum Populum ab Aſſyriis, & Babyloniis debellatum in poteſtatem veniſſe victoris, qui cùm poſſet omnes è medio tollere iure belli in poteſtatem redactos, ſeruare maluit. Fuerunt ergo verè ſerui; quod conſtat ex Augoſtino: *Origo*, inquit [h], *vocabuli ſeruorum in Latina lingua inde creditur ducta, quòd ij, qui iure belli poterant occidi à victoribus cùm ſeruarentur, ſerui fiebant, à ſeruando appellati. Quod etiam ipſum ſine peccati merito non eſt. Nam cùm iuſtum geritur bellum, pro peccato contrario dimicatur: & omnis victoria, cùm etiam malis prouenit, diuino iudicio victos humiliat, vel emendans peccata, vel puniens.* Inde ſubdit: *Teſtis eſt homo Dei Daniel, cùm in ea captiuitate poſitus, peccata ſua, & peccata Populi ſui confitetur Deo; & hanc cauſam illius captiuitatis pro dolore teſtatur.* Ex quibus Auguſtini verbis habemus, Hebræos & verè ſeruos fuiſſe, & rationem quare fuerint. *Verè ſerui fuerunt*; quia iuſto Dei iudicio bello deuicti, & in poteſtatem victoris adducti, cùm poſſent occidi, ſeruati ſunt, vnde verè ſerui. *Cauſam* verò cur fuerint, eorum peccata fuiſſe, propter quæ tantùm ſeruitus inducta eſt in Orbem terrarum. Vnde [h] alibi idem: *Hæc eſt ſine vlla dubitatione iuſta ſeruitus, & iuſta dominatio; cùm pecora homini ſeruiunt, & homo pecoribus dominatur. Sic enim dictum eſt cùm crearetur* [i]: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & habeat poteſtatem piſcium maris, & volatilium Cœli, & omnium pecorum, quæ ſunt ſuper terram. Vbi inſinuatur, rationem debere dominari irrationabili vitæ. Seruum autem hominem homini, vel iniquitas, vel aduerſitas fecit: Iniquitas quidem, ſicut dictum* [k] *eſt: Maledictus Chanaam erit ſeruus fratribus ſuis; Aduerſitas verò, ſicut accidit ipſi Ioſeph, vt venditus à fratribus, ſeruus alienigenæ fieret. Itaque primis ſeruis, quibus hoc nomen in Latina lingua inditum eſt, bella fecerunt. Qui enim homo ab homine ſuperatus iure belli poſſet occidi; quia ſeruatus eſt, ſeruus eſt appellatus: inde & mancipia, quia manu capta ſunt.* Nihil igitur exploratius, quàm Hebræos ab Aſsyriis, & Babyloniis bello deuictos, ab illis in captiuitatem abducti cùm fuerint: quia cùm occidi poſsent, à victoribus ſeruati ſunt, illorum ſeruos effectos, in vera ſeruitute fuiſse.

b Gen. 49. 10.
c Tribuitur Iuſtino Apolog. 2. & Dial. cum Triphone, Orig. Euſeb. lib. 5. demonſtr. c. 2. & lib. 8. c. 1. Epiph. lib. 1. con. Erodian. Athanaſ. de Incarn. fine. Chryſoſtom. homil. 67. in Gen. Theodoret. q. vlt. Niceph. lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 6. & 9. Ambroſ. de bened. Patriarc. c. 4. Auguſt. 18. de Ciuit. 45. & Præfat. Pſalm. 75. Rupert. lib. 9. Gen. c. 29. & 3. de Victor. Dei c. 9.
d Vi. Perer. de benedict. Patriar. diſp. 1. 2. Suar. 3. part. diſp. 1. ſeſſ. 1. Barrad. li. 3. concord. 10. 1. c. 2.
e 3. Reg. 17. 4 Reg. 24. & 25
f Ierem. cap. 31. & 52. & 52. Thren. c. 1. Baruch c. 2.
g lib. 19. de Ciuit. c. 15.
h in Geneſ. q. 154.
i Gen. 2.
k Geneſ. 9.

At hoc admiſso; nullum non ſolùm ſceptrum, nullum Imperium; ſed nequidem vllum veſtigium libertatis in illis potuit remanere; quod ſic oſtendo. Quia quoad hoc eadem [l] ratio eſt hominis vnius, & integri Populi; cùm vtrique ſerui verè facti ſunt. Sed homo quilibet verè ſeruus effectus amittit omnia iura, & quidquid antea poſſidebat, & ius omne quidquam vlterius acquirendi, niſi libertate [m] donetur; ergo ſimiliter & Populus quilibet. Quin etiam ſicut homo ſeruus effectus deſinit eſse Ciuis: ita Populus captiuus, Populus amplius non eſt, ſi non tantùm ſubditus; ſed etiam ſeruus efficiatur. Adde; ſi ſinguli ſerui ſunt, conuenire ſimul non poſse ſic, vt Populum conſtituant; Quia multitudo, quæ iuris conſenſu, & vtilitatis communione non ſociatur, Populus appellari non poteſt; vt ex allata definitione conſtat ab Auguſtino; ſed qui ſerui ſunt, nulla iura, nullas leges habent, nulla commoda, quæ poſſint inuicem participare, cùm nihil habeant in ſua poteſtate. Populus ergo, etiam ſi conueniant, eſse non poſſunt. Quomodo igitur ſceptrum habere poterunt; quo ipſi rem ſuam publicam gerant, & adminiſtrent? Relinquitur igitur, Hebræos aut verè ſeruos non fuiſſe captiuos abductos; quod eſt contra tot apertas teſtificationes Prophetarum, & contra notionem veræ ſeruitutis ab Auguſtino explicatam; vel certè ſi ſerui fuerunt, nullum in captiuitate ſceptrum, nullum imperium habuiſſe.

l lib. 7. ff de captiu. & poſtlim. reu. & ibi DD.
m l. 4. § 1 di iur. perſ. l. 239. de verb. ſignif. l libertas. §. ſerui ex ſtat. hom. l. & ſemper eod. §. fin de iur. perſon. inſtit.

Quomodo ergo Iacob vera prædixit: *Non defuturum Iudæa ſceptrum, donec Chriſtus naſceretur?* Varij varia. Sunt qui velint etiam in captiuitate Iudæos proprios habuiſſe Reges. Nam inquiunt [n]; Manaſſes etiam in compedibus, Rex legitimus remanſit [o]: ſicut Franciſcus primus Galliæ Rex Madriti captiuus, Rex permanſit: Ioachin quoque Regem Iuda ad ſolium Regni ipſe Euilmerodach captiuum ſubleuauit [p]. Statim quoque à captiuitate Zorobabel, & alij Duces Populo præfuerunt vſque ad Machabæos. Ex quo colligunt, illo tempore captiuitatis Regnum, & ſceptrum Hebraicum non penitus defeciſſe; ſed aliquando decreuiſſe, aliquando refloruiſſe; ſicut vnius anni dies quidam innubes, alij turbidi decurrunt.

n Delrio Geneſ. 49. n. 38.
o 4. Reg. 21. 2. Paralip. 33.
p 4. Reg. vlt.

At hoc alterum ex illis duobus euertit quæ ſuprà poſuimus omnium conſenſu firmata: Iudæos in captiuitate verè ſeruos fuiſſe; & ſeruorum proprium eſſe nullum veſtigium libertatis habere. Peto enim quid, hac reſponſione poſita, ſentiant; an in vera ſeruitute fuiſſe Iudæos; ſi negant; apertis ſcripturæ teſtimoniis conuincuntur: ſi annuunt; an igitur cùm vera ſeruitute

volunt dominium poſſe coniungi, cum qua nec vlla poteſt vmbra libertatis hærere? Dicuitt igitur alij, captiuitatis tempore ſceptrum omne, & Regiam dignitatem in Iudæa gente defeciſſe, *facto*, non *iure* Sed hoc ſi detur, profectò nec Herode regnante, dicendum erit ablatum ſceptrum de Iuda; quia non minùs Herodes iniuſtè regnabat, quam quicunque alij antè ipſum Regum Aſſyriorum, aut Babyloniorum. Quare ſi regnantibus illis ſceptrum nihilominus Iuda nun defecit, quia iure perſeuerabat, nec etiam dici poterit ablatum, Herode regnante; ac proinde via præcluditur ad probandum Chriſtum veniſſe; Dicent enim Iudæi, nondum ſceptrum ablatum; quia qui regnant, nón iure regnant, ſed de facto tantùm.

Quid hîc ergo dicendum? Duo petit propoſita difficultas: alterum quod huc propriè ſpectat, alterum ex occaſione accerſitum: *Huc ſpectat* quomodo ſe in captiuitate Populus Hebræus habuerit in re ſua communi adminiſtranda: an vlli Principes illi ex ſua gente fuerint, vlli Reges, aut Duces. *Ex occaſione verò accerſitum* eſt vaticinium Patriarchæ Iacob, cuius ſenſus inquiritur. Quod ad illud primum ſpectat; interim damus omnem tunc Principatum in Iudaica gente extinctum; quod alibi an verum ſit, altius excutietur. Ad alterum quod ſpectat huc accerſitum; hoc admiſſo.

Dicendum ſenſum Prophetiæ Iacobi eſſe non *poſitiuum*, ſed *negatiuum*. Clarius hoc ediſſero. Non ſignificat in Iudæa gente ſemper, & nunquam interruptum Regnum futurum ab eo tempore, quo Prophetiam hanc promebat, vſque ad aduentum Meſſiæ; hoc enim perſpicuè falſum eſt: quia nec in Ægypto, nec in terra Chanaam toto tempore Iudicum vſque ad Saulem, Gens Hebræa in Regnum electa eſt; Quare falſum eſt, ab eo tempore perpetuum ſemper, & abſque vlla interruptione ſceptrum in Iudæa duraturum. Quis ergu ſenſus horum verborum? Nunquam futurum in Iudæa ſceptrum, ſiue Regem, & Principem, qui non ſit ex Iudaica ſtirpe, dunec Meſſias naſcatur. Et ita factum eſt; Nam primus, qui Rex Iudææ dictus eſt, ex alia ſtirpe, quàm Iudaica Herodes fuit, ſub quo Chriſtus natus eſt; Aſſyrij enim, & Chaldæi Reges, item Ægyptij, & ipſi Romani Principes, licet Hebræos ſubegerint, & in captiuitatem abduxerint, & ſplendorem Regni ſuſtulerint, non tamen illos ita ſubdiderunt, vt Reges ob id appellari voluerint Iudæorum. Eſto igitur, quòd nullus fuerit in Populo captiuo, qui verè Princeps potuerit appellari; non tamen inde ſequitur, ab illo ſceptrum in aliam Gentem tranſlatum. Qua de re hæc nunc tantùm ſufficiat delibaſſe.

IN

IN DAVIDEM COMMENTARIVS.

LIBRI PRIMI. REGVM

CAPVT XVI.

ARGVMENTVM.

SAVLE abiecto Samuëlis luctus ægrè nimis amici Regis caſum ferentis, diuina increpatione compeſcitur: ſimúlque illi mandatur vt in Bethlehem rectà contendat vnum ibi ex Iſai filiis ſacrâ inunctione Regem Iſraëliticum deſignaturus. Paret ille mandatis; & per ſpeciem ſacrificij peragendi Bethlehem ingreditur; Iſai, filioſque aduocat, ſingulos luſtrat, diuino examini ſubiicit; nullum diuino ſuffragio parem reperit: niſi quem Pater natu minimum ad gregem tuendum caulis affixerat; & hic DAVID *erat; tantus iam apud Deum, & maximus apud homines deinde futurus, nullo tunc numero inter ſuos. Properè ergo ab ouili reducitur: Prophetæ ſiſtitur; inungitur, Sauli ſufficitur: non niſi tamen poſt eius mortem Iſraelitico ſceptro potiturus. Sequitur porrò munera ſua Deus, & poſt ſacrum Chriſma adoleſcentem numine ſuo complet, robore firmat, viribus inſtruit. Dignos illi ſpiritus ſuggerens, & Rege, & Regno. At contra Sauli retro omnia ferri cœpta: non priſtinus in eo vigor; non militaris audacia; non animi virtus impauida; non domi, non foris quicquam pro voto: cuncta ſimul cum numine, quod illum reliquerat, abſceſſere. Quin etiam mali dæmonis permiſſus arbitrio, ab illo intemperiis agitatus, laruati in morem furere cœpit. Nec inuentus quiſquam eſt, qui morbum leuiorem redderet, præter Dauidem. Qui canere ſuetus, ob id inter regios miniſtros adſumptus eſt; vt Regis inſaniam cantu, & fidibus deliniret.*

℣. 1.) Dixitque Dominus ad Samuëlem, vſquequo tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum, ne regnet ſuper Iſraël? imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Iſai Bethlehemitem: prouidi enim in filiis eius mihi Regem.

V*Squequo tu luges Saul*] Agit hoc loco Deus cum Samuële beneuolè admodum, ac peramanter; neque enim illi quidquam ſeueriùs præcipit: ſed tantummodò quæ ſibi ſententia ſederit de Saule demonſtrat: vt ex eo ipſe intelligat quid ſibi in hoc deinceps ſequendum, aut omittendum. Agit igitur cum illo non ex ſupremo iure dominij: ſed ex æquis mutuæ amicitiæ legibus, quæ ſunt in primis, vt amicorum omnia ſint communia; communes hoſtes; communes amici; communia gaudia; communes denique voluntates [a]; *Eadem enim velle, & eadem nolle*, veteri prouerbio, *ea demum firma amicitia eſt.* Quare cùm Saulem Deus eraſerit ex albo amicorum ſuorum; Samuëli tantùm oſtendit illius vicem, & calamitatem tamquam amici vlteriùs non eſſe lugendam: Quia cum arctiſſimo amicitiæ vinculo Deo ſociatus communes debet cum illo hoſtes habere; communes amicos.

[a] Saluſt. in Catilin.

Quid ergo dicet aliquis? opúſne eſt ſemper adeò & vbique noſtram voluntatem diuinæ accommodare: nihil vt velle poſſimus, quod ipſe nolit: nihil vt nolle quod ipſe velit? Antiqua quæſtio, & quæ haud ſcio an inter ſcholaſticos tractatores vlla alia fuerit actiùs exagitata: nec immeritò. Nulla enim alia eſt quæ ex vmbratili, & otioſa diſputatione in vſum magis, conſuetudinémque deſcendat. Quod ſanè vnicuique in ſe ipſo quotidiana experientia comprobatur: cùm incertus eſt, quatenus ſibi liceat dolere in amiſſione carorum; angi in fruſtratione votorum; in quotidianis caſibus vel aduerſa deprecari, vel precari proſpera; Multa itaque vltrò citróque à pluribus diſputantur; quæ nunc referre nec otium eſt, nec voluntas. Multa enim diſtinguunt [b] in Deo de voluntate beneplaciti; de voluntate ſigni; multa *de volito formali*; de *volito materiali*; de eo quod volumus, & de

[b] Scholaſt. d. 48. lib. 1.

tatione volendi. Et tandem cum multa diſtinxerint plerique illorum omnia confundunt. Quarum ergo huic loco congruit ſumma eorum, quæ mihi vera videntur, hæc eſt. Aliud eſſe, id quod vult alius; *Nolle*; aliud *non velle*; aliud *velle*. *Nolle* eſt repugnantis; *Velle* eſt conſentientis: *Non velle* eſt patienter quodammodo ſcientis. Exiſtimo itaque numquam licere nolle abſolutè, quod Deus abſolutè vult: licere non velle aliquando quod ipſe vult: perfectæ verò virtutis eſſe omnia perinde velle vt ipſe vult: Nolle non licet quod Deus vult, & è contra, quod cum hoc, ſalua amicitia non ſit: porrò cui cum Deo amicitia non eſt malè omnino ſit neceſſe eſt. Ergo impatientius ferre mortes carorum; itaut illos nolimus extingui, quos videmus Deum velle defungi; planè non licet: Neque enim nunc ob aliud lacrymis Samuëlis, cùm amica obiurgatione modus imponitur: niſi quia quem Deus vult abiici ille dolet abiectum; hoc eſt, id vult, & amplectitur quod Deus auerſatur. Quæ res integro, & incolumi amicitiæ iure admitti non poteſt. Vnde præclarè concludit D. Leo [c]. *Si inter homines ea demum firma amicitia eſt, quam morum ſimilitudo ſociauit: cùm tamen paritas voluntatum ſæpè in reprobos tendat affectus, quantum in nobis optandum, atque nitendum eſt, vt in nullo ab iis, quæ Deo ſunt placita diſcrepemus?* & iterum [cc]. *Si enim humanæ amicitiæ pares animos, & ſimiles expetunt voluntates: nec vnquam diuerſitas morum ad firmam poteſt venire concordiam; quomodo diuinæ particeps erit pacis, cui ea placent, quæ Deo diſplicent; & iis appetit delectari, quibus illum nouit offendi?* Hæc B. Leo. Si ergo pacem cum Deo non habet, qui eo delectatur, quod illi diſplicet: quomodo amicus illi eſſe poterit, qui ea vult, quæ Deus auerſatur: cùm idem ſit velle, quod alter nolit, ac eo delectari, quo alter offenditur.

c Serm. 1. de ieiun. 10. menſis.

cc Serm. 6. de Natiuit.

At dicet aliquis. Fas eſt, & æquum parentes amiſſos lugere; communes clades lamentari; propria infortunia deplorare: quod aliud non eſt, quàm illa nolle, quæ certum eſt Deum velle. Reſpondeo, cum iſta omnia incommoda dolemus; non ea abſolutè nolumus quæ Deus vult; ſed ad ea ingemiſcimus, quæ nollemus; niſi Deo aliter viſum, cui paremus. Nam & qui merces proiicit mari extremum naufragium intentante; dolet ſine dubio de illarum iactura: quam tamen ſi nollet, merces non proiiceret; vnde conſtat & de eo nos quoque poſſe dolere; quod volumus accidiſſe; ac proinde non eſſe argumentum quod ea nolimus, quæ vult Deus: ſi de iis dolemus, & ingemiſcimus, quæ immittit Deus. Sed de his ſatis, quæ parum opportunè inter anguſtias commentarij concluduntur. Reliqua ergo in diſputationes omittantur.

Cornu tuum.] An vas fuerit ex cornu confectum: vel in figuram tantùm corneam conformatum; & in modum cornu recuruum incertum eſt. Vas enim fuiſſe non dubitant Abulenſis, & Lyranus, quos ſequuntur reliqui. Quod verò non qualecumque; ſed ſignanter ipſius Samuelis proprium requiritur, dum adiungitur; *Cornu tuum.* Argumento eſt fuiſſe non vulgare, ac promiſcuum vas; ſed in certum tantùm vſum, & fortè in quem nunc adſumitur attributum.

Oleo.] Sacrum appellat Ioſephus; Regium Seuerus Sulpitius: quod quale eſſet, & ſi quæ alia ad ritum hunc Reges olim inungendi ſpectant fusè ſatis explanauimus *cap. 10.*

Veni.] Quò, & vnde, aut ad quem nunc veniat Samuel iuſſu Dei, incerti ſunt Interpretes. Ideò alij vt Vatablus exponunt *Veni*, id eſt, *Vade*. Quod eſt meo iudicio interpretari pro cothurno ſuniam, & togam pro pallio. Si enim *Veni* eſt *Vade*, cur non etiam *ride* eſt *plora*? Alij vt Dionyſius intelligunt de ſpirituali acceſſu ad Deum: *per promptitudinem*, (vt ipſe loquitur) *obediendi*. Alij aliter: ſed vera expoſitio eſt vel eſſe vocem blandientis, & conſolantis, & luctum detergentis, vt indicat Gregorius [d]. *Ad literam*, inquit, *Samueli venire à Domino dicitur: vt à reprobi, & abiecti Regis compaſſione reuocetur. Qui enim luctu aſſiduo lapſi reſtitutionem poſcebat ei venire fuit à tali intentione quieſcere.* Vel certè *veni* eſt Hebraiſmus, quo frequenter apud Hebræos huiuſmodi imperatiuum vſurpatur pro notis adhortandi; quales ſunt Eia, age, agite; Geneſ. 11. 3. *Dixitque alter ad proximum ſuum: Venite faciamus lateres pro ſaxis, & bitumen pro cæmento.* Quid eſt *venite*? aut quò illi venire deberent? & ad quid, aut ad quem? ad nullum ſcilicet, ſed eſt vox adhortantis poſita pro *Eia, age*. Similiter in eodem capite paulò poſt verſ. 7. *Venite igitur deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum*, &c. Venite id eſt, agite iam deſcendamus. Vt benè notant in illum locum Geneſis Caietanus, & Lippomanus. *Veni* igitur non eſt vox ad ſe vocantis Samuelem: ſed adhortantis, & excitantis, vt nulla interpoſita mora ad id ſe accingat, ad quod vocatur; non nego tamen ſignificari etiam hoc modo loquendi *immenſitatem* Dei vtique præſentis, ex qua eſt vt quocumque aliquem vocat, ad ſe vocet.

d lib. 6. cap. 3. in 1. Reg.

℣. 2.) **Et ait Samuel, quomodo vadam? audiet enim Saul, & interficiet me. Et ait Dominus. Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices ad immolandum Domino veni.**

Quomodo vadam? audiet enim, & interficiet me.] Quis timet, quid, à quo? Samuel timet, mortem timet, à Saule timet. *Penſemus*, inquit, Gregorius [e], *eius animum quantus ardor charitatis incenderet, qui & illum flebat à quo timebat occidi.* Cæterum cur ſi id Sauli compertum fuiſſet meritò potuiſſet ſibi ab illo Samuel malum timere; clarior res eſt, quàm vt de ea ambigi, & quæri debeat. Si enim quolibet vel leui ſermone de ſucceſſore, viuentis adhuc Principis maieſtas læditur, aut lædi putatur: quantò magis cùm id agitur; vt illi viuenti adhuc, alius, & extraneus ſubſtituatur? Notum enim illud eſt de Herode, qui cum neſcio quid de nouo Rege inaudiſſet, exclamauit amens nuntio,

e Hom. 14. in Ezech.

Succeſſor inſtat, pellimur,
Satelles i, ferrum rape
Perfunde cunas ſanguine.

Illud potiùs mirum ſit, & explicatione dignum; cur Samuel, qui toties ante hunc diem Saulis animum in ſe irritauerat, monendo, comminando, obiurgando; nunc tantum ſibi ab illo timeat, & vitæ ſuæ? Sed reſponſio etiam in promptu eſt. Licèt enim alias Reges officium vel fictè, vel verè colant, quædam diſſimulent; alia tranſeant, nonnulla etiã patienter tolerẽt: vbi tamen de Regno agitur, & ius dominationis attingitur; tunc

omnem

omnem laruam deponunt; nihil iam amplius diſſimulant; omnium neceſſitudinum vincula diſſoluunt; omnis denique alterius iuris obliuiſcuntur; vt hoc vnum regnandi ius, quà iure, vel iniuria tueantur. Eſto igitur quod impune hactenus tulerit Samuel libertatem monendi, & obiurgandi: vel quod in eo Saul varis officium reuereretur: vel quod ficta, hac larua virtutis Samuelem ipſum, & per illum reliquos ſibi vellet demereri; certè vbi ſeriò agi vidiſſet, & non tantùm minis, & vanis terroribus ab irato Deo denunciatis ſceptrum ipſum in diſcrimen vocari; omnem prorſus perſonam pietatis abieciſſet. Et qui tulerat Regni *abſciſſionem* denunciantem; Regni ius non tuliſſet in alium transferentem. Declarauit ergo propheta hoc iuſto, nec inconſulto timore; qua in re nulla ſit à Regibus ſperanda venia; ſi quid contra illos peccetur; quantumuis alioquin mites & ad parcendum vel ſponte ſua proni ſint; vel ſimulatione probitatis.

Vitulum de armento tolles in manu tua.] Clariſſimum eſt; illud, *in manu tua,* Hebraiſmum eſſe. Quomodo enim in manu vitulus geſtari, præſertim tam longo itinere, & à propheta poterat, annis iam curiſque confecto? Quid tamen per illum propriè ſignificetur & qua ratione ſit Latinè reddendus, non ita clarum. Abulenſis interpretatur *in manu tua*, id eſt *coram te*. Dionyſius *tecum*. Alij aliter. Omnes tamen in eo conueniunt vt vitulum propheta debeat ſecum per viam agere. Quod mihi veriſimile non eſt; quorſum enim id? quod aduentum prophetæ per totam fermè Iudæam diuulgaſſet; ac proinde etiam Sauli ſuſpicionem aliquam mouiſſet? an periculum erat ne vituli non reperirentur in Bethlehem; vt propterea illuc aliunde debuerint à ſacrificantibus comportari? Vt omittam quod ſi præ ſe egiſſet propheta ipſe, aut famuli vitulum, ſacro paratum; non fuiſſet cur tam ſollicitè ad illum occurrerent Ciuitatis principes; cauſam aduentus anxiè percunctarentur; num ſaluæ res eſſent admirantes exquirerent; ſtatim enim ipſi per ſe vidiſſent ſacrificatum veniſſe, qui victimam ſacrificandam circumducebat. Denique non id colligitur ex hac phraſi, & modo loquendi. *Tolles in manu tua.* Sed tantummodo ſignificatur quid propheta per ſe, aut comitatum, & famulos ſuos facere debeat, vbi primum in oppidum peruenerit. Itaque illud *tolles* non eſt neceſſariò referendum ad locum vbi Prophetam nunc Deus alloquitur; ſed ad eum, quò illum vocat: vt non hic vbi nunc eſt, & hoc tempore debeat *tollere*, ſed ibi vbi paulò pòſt futurus. Illud autem in *manu* nota res eſt ſignificare operam, & miniſterium: vt *in manu tua* idem ſit ac *per te ipſum*. Siue te hoc agente, ſiue famulis iuſſu tuo. In quem ſenſum decantatiſſimus etiam eſt Hebraiſmus ille toties repetitus; cum dicitur *Deus quidpiam* [f] *locutus, aut executus in manu ſeruorum, aut Prophetarum ſuorum.* Idem enim eſt *loqui, facere, mittere in manu Prophetarum, & ſeruorum, ac per illos loqui*, &c. Ergo *in manu tua tolles* idem erit ac ipſe tibi tolles & curabis vitulum; ipſe inquam ſiue per te; ſiue per famulos tuos.

[f] *Vt 4. Reg. 17. Ierem. 27. & 37. Baruch. 2. & alibi.*

Vatablus alium ſenſum ſequi videtur, putátque præcipi Prophetæ, vt vitulum geſtet, aut manibus contrectet, quod ſi intelligat etiam inter eundum, vt toto itinere quo ad Oppidum perget hoc faciat Samuel, audiendus non eſt. Si verò tantùm velit, vt vbi primùm in oppidum peruenerit, ferri poteſt: licet minus ſit ad ſenſum Hebraicæ phraſis.

Dices ad immolandum Domino veni.] Locus iſte prius eſt nobis à Gentilium calumnia vindicandus: tum ex eo nobis ſunt quidam non boni Catholici corrigendi: poſtremo etiam Hæreticorum inde inſania caſtiganda. Gentiles olim, & inter eos, qui acerbiores erant veritatis hoſtes, ex hoc loco occaſionem ſumebant crimen ſacris literis inferendi: quaſi non ſolùm mendacium permitterent: Sed inſuper etiam docerent, & artem illud concinnandi traderent. Refellit eos breuiter Theodoretus, qui tamen mihi non tam refutatione digni, quàm riſu videntur. Homines enim toti ex mendaciis compacti; quid mendacium ipſum eſſet ignorabant; & ex ea ignoratione hoc impegerunt. Ita enim fit, vt nulli magis quæ ſit natura vitij alicuius ignorent; quàm qui eo maximè laborant. Quod enim hîc mendacium aut a Deo Prophetæ ſuggeritur; aut à Propheta Betlehemitis dicitur? an cum ſe ad ſacrificandum veniſſe dicit, non id quod facturus eſt, dicit; aut contra quàm velit facere, quidpiam dicit? nihil ſanè. Nam & hoc fecit quod dixit ſe facturum; & hoc quod facturus erat priùs deſtinauerat animo quàm faceret. Vt verè vtrumque dicere potuerit & velle ſe ſacrificare, & vt hoc perageret adueniſſe. Nihil ergo eſt Propheta mentitus; qui nihil contra quam deſtinauerat, eſt elocutus. Vt verò tota res liquidò conſtet ſemel id obſeruetur. Aliud eſſe falſum dicere; aliud verum tegere: falſum ſcienter dicere numquam licet: at verum conſultò tegere plerumque licet: Illud eſt mentiri; illud nequaquam. Ideo illud non egit Propheta, nec auctore Deo agere potuit; hoc egit quia iure potuit. Dixi, *falſum ſcienter* dicere numquam licere; quid falſum tantùm dicere non eſt mentiri; eſt enim mendacium, cùm quid loquimur; contra quàm ſentimus, & exiſtimamus. Hoc autem non eſt falſum loqui; ſed falsò loqui: quod eſt falſum ſcienter dicere, id eſt ſalſum quod ſcis, aut putas, pro vero pronunciare. Poſſumus ergo aliquando decepti falſum dicere ſine crimine quod eſt errantis: nuſquam, & numquam poſſumus falsò loqui quod eſt errantis: nuſquam, & numquam poſſumus falsò loqui quod eſt mentientis. Spectat illud ad infœlicitatem generis deplorandam: ſpectat hoc ad animi vitium corrigendum: ideò illud ſi non ſemper vitamus, miſerandi ſumus: In hoc ſi aliquando labimur, puniendi.

Nullum ergo in his verbis veſtigium eſt mendacij, aut falſitatis ex quo etiam non boni quidam Catholici corriguntur; qui non vt Deo, aut ſacris literis calumniam ſtruerent (quod Gentiles ſpectabant) ſed vt patrocinium ſibi mentientibus pararent, hic mendacium aliquod agnouerunt in hoc etiam Gentilibus peiores; quod illi odio fortè mendacij, & falſitatis ſacras literas, in quibus aliqua mendacij ſpecies apparebat, accuſabant: Iſti autem mentiendi ſtudio, & mendacia, quæ nulla in ſacris literis ſunt, comminiſcuntur. Pariter itaque vtrique ex dictis confutantur; cùm nihil oſtenſum ſit in his verbis, quod affine ſit mendacio contineri. Inſuper autem mali iſti Catholici vel corriguntur, vel corrigi poſſunt; edocti nullum eſſe in ſacris literis exemplum; vnde etiam vel leuiſſimè mentientes excuſentur.

Reſtant tertio loco ex his iiſdem verbis hæretici nonnulli refellendi, qui non ita pridem in Anglia priſtinis ſuis erroribus nouam hanc inſaniam addiderunt; vt contenderent perinde eſſe perplexè loqui; & æquiuocatione in loquendo vti; ac mendacium dicere: proinde numquam illud, & nuſquam licere; vt hoc numquam licet. Id cum audiui, venerunt mihi in mentem verba D. Ioannis Euangeliſtæ, qui cùm retuliſſet murmur, & indignationem Iudæ de vnguento, Domini ſuper caput effuſo, *quod dari pauperibus potuiſſet*, illud adiunxit. *Hoc autem dicebat non quia ad illum de pauperibus pertinebat, ſed quia fur erat.* Simile quid mihi de iſtis dicendum videtur. Damnant ſuſpenſa verba, perplexas ſententias, dubias orationes, & in plures ſenſus ambiguas. Vociferantur, clamant, eſſe hoc contra candorem animi, deſtruere chriſtiani pectoris ſimplicitatem. Et hæc omnia tanto ſtudio; Non quod ad ipſos veritatis cura pertineat: ſed quia mendaces ſunt, & hoſtes veritatis. Itaque quod mirum fortaſſe ſit, negotium falſitatis apud illos agitur, dum candoris, & veritatis cauſa defenditur. Quò id fit? quia cùm toti, quanti ſunt, mendaciſſimi ſint, quanto plures poſſunt aggregare ſibi ſocios mentiendi ſtudent, vt minus ipſi, cùm non ſoli mentiri fuerint, erubeſcant. Itaque hoc dixerunt, *æquiuocare*; (vt hoc verbo vtamur) quod mentiri; vt cum plures ex Catholicis illique ſanctiſſimi Viri ſuas nonnumquam ſententias ambiguo ſignificatu ſuſpendant; ipſi illico clamare poſſint eſſe mentitus, quos conſtiterit perplexè; & tamen cum *æquiuocatione* locutos.

Cæterùm quid illi afferant ad hoc malè conſarcinatum dogma fulciendum, alibi videbimus: nūc tantummodo ex hoc loco illi occurremus; qui planè ipſorum inſcitiam arguit, & vanitatem; nam ſi exempla Abrahami, Iacobi, Dauidis afferremus, poſſent ſtatim excipere homines fuiſſe, qui in aliis etiam lapſi; non mirum ſi etiam in hoc labi potuerint. At hoc loco propheta non nutu, & ſponte ſua: ſed Dei admonitu æquiuocatione vtitur, perplexè loquitur, ambigua verba dubio ſermone ſuſpendit; & ita percunctatores ſuos eludit; vt vnam tantùm ſibi fuiſſe cauſam in oppidum veniendi; nempè ſacrificium putent. Ergo non tantùm æquiuocatione vſus eſt: ſed per illam decepit, & cum fraude decepit, ſed tamen pia; quod non meis verbis dicam, ſed B. Gregorij [g] *Quid hic*, inquit, *oſtenditur; niſi quia tyrannorum verſutia, atque ſæuitia interdum eſt pia fraude deludenda? præcepto namque Domini de armento vitulus tollitur; immolatio ſimulatur; & ad regiam vnctionem peruenitur, quia dum nocere tyranni cupiunt, obiicienda ſunt eis quædam, quæ credant; vt nocendi aditum non inueniant.* Hæc ille, quæ ſatis eſſe poſſunt ad locum, quem tractamus luculenter explanandum; & ad hanc nouam hæreticorum inſaniam refellendam.

g lib.6.c.3.in 1.Regum.

℣. 3) Et vocabis Iſai ad victimam, & ego oſtendam tibi quid facias, & vnges quemcumque monſtrauero tibi. Fecit ergo Samuel ſicut locutus eſt ei Dominus,

℣. 4.) Veniſque in Bethlehem, & admirati ſunt ſeniores Ciuitatis occurrentes ei; dixerúntque. Pacificúſne eſt ingreſſus tuus? & ait, pacificus: ad immolandum Domino veni: ſanctificamini, & venite mecum, vt immolem.

℣. 5.) Sanctificauit ergo Iſai, & filios eius, & vocauit eos ad ſacrificium.

Et vocabis Iſai ad victimam.] Alij ad *ſacrificium* vt 70. Caietanus Vatablus. Vnde poteſt eſſe dubium quò vocandus ſit Iſai, & ad quid. Vtrùmne; vt adſit tantùm Samueli ſacrificanti; an potius veſcatur ipſa hoſtia oblata. Sed hoc ſecundum ſine dubio dicendum eſt. Nam vt adeſſent ſacrificio omnes promiſcuè Bethlehemitæ inuitandi erant; vt illos inuitauit Samuel verſu 5. dicens omnibus. *Venite mecum, vt immolem*; & certè vt tutò poſſet vngi ex filiis Iſai, qui vngendus erat: nec palam id omnibus fieret: non ſatis erat ipſum cum ſuis adeſſe tantùm ſacrificio, quo omnes confluxerant: ſed ab aliis ſeducēdus erat: ita tamē, vt nullus de priuato prophetæ congreſſu quidpiam ſuſpicaretur: quod non cōmodiùs fieri poterat; quam ſi ipſum vt ſimul veſceretur peracto ſacrificio inuitaſſet. Quod totum clarè indicat hoc loco Chaldæus, *Inuitabis Iſai ad conuiuium.* Ergo vocabis ad victimam, id eſt vt tecum ex victima ſacrificata veſcatur, cum filiis ſuis. Ex quo etiam intelligitur ſacrificium offerendum *pacificum* fuiſſe: in quo nimirum non omnia inter immolandum conſumebantur; ſed quibuſdam tantùm partibus in Dei honorem flammis abſumptis; cætera in vſum offerentis; ſacrificantis, & aliorum cedebant, qui ad conuiuium aduocabantur.

Unges quemcumque monſtrauero tibi.] Verba ſunt ſemper iis ante oculos habenda; quorum eſt alios ad munus aliquod eligere; aut dignitatem Eccleſiaſticā promouere. Vngere debent non quem priuatus affectus ſuggerit, non quem aliorum gratia commendat; non quem amici obtrudunt; non qui ſeipſum importune, & ambitiosè inſinuat, ſed tantùm quem Dominus oſtenderit vngendum. Quàm præclarè ageretur cum rebus humanis, ſi qui aliis præficiuntur; non aliter eligerentur. Quam tunc verè liceret, & liberet exclamare de Chriſti Eccleſia.

Felix heu nimium felix.

Vocabis, inquit, *ad victimam, & vnges quem monſtrauero tibi*: quibus verbis tria in eo, qui eligit, requiruntur. Primum eſt ſedula inquiſitio, & accurata inſpectio eligendorum. *Ibis*, inquit, *in Bethlehem; vocabis ad victimam; vocatos luſtrabis, conſiderabis, excuties.* Gregorius hoc loco, *Cum ad culmen ſacerdotij perſona quæritur, cum magna ſubtilitate eſt requirenda*, & D. Bernardus [h]. *Non inconſideratè eligendi quique, ſeu colligendi ſunt: tuum eſt vndecumque euocare, & aſciſcere, an non eligendi de toto orbe orbem iudicaturi?* Secundum quod requiritur eſt priuatorum affectuum depoſitio. *Et vnges quem monſtrauero.* His verbis inquit Gregorius, *Ordinatoribus Eccleſiarum in electione aliorum nihil ſuum relinquitur?* Non aliud præcipuè ſpectare poſſunt; quàm Dei cauſam, quæ tota agitur in hac cauſa. Ex quo D. Bernardus ibidem colligit, nihil hic debere valere preces; nihil aliorum commendationes. *Sunt*, inquit, *quæ neceſſario à nobis rogantium aut extorquet importunitas, aut neceſſitas metetur: at iſtud in his, quæ noſtra ſunt: vbi autem non licet quod volo facere quis locus rogandi? conſilio hic non prece agendum*

h lib.4 de Conſider.ad Eug.c.4.

agendum eſt. Ergo cùm alius pro alio; alius fortè & pro ſeipſo roget; pro quo rogaris ſuſpectus ſit; qui verò ipſe pro ſe rogat iam iudicatus eſt. Et paulò pòſt; *Itaque non volentes, neque currentes aſſumito; ſed cunctantes, ſed renuentes.* Hæc ille; quæ omnia vno hoc verbo clarè clauduntur; *Vnges quem monſtrauero tibi*, id eſt non qui à ſe, vel ab aliis, ſed qui à Deo commendabitur. Tertiò denique in eligente requiritur, vt non ſolùm priuatis affectibus non ducatur; ſed vt diuinis rationibus obtemperet, quod eſt in hac deliberatione malos conſiliarios excludere; & bonos accerſere: peſſimi enim hîc conſiliarij ſunt, Caro, ſanguis, cognati, Amici, cum ſuis importunis precibus, & blanditiis; ideo illis ab hac curia eſt indicendum. Optimus porro Conſilius quem non tantùm audire, ſed ſequi debemus, diuina lex. Hanc ergo primùm omnium conſulere debet, qui eligit: ſi tamen vult illum eligere quem monſtrat Deus. *Quod fit*, inquit Gregorius, *cùm non promouetur, niſi qui dignus tanto ordine ſcripturarum ſanctarum laude decernitur. In iis enim Dominus loquitur: ibi qualis, & quantus debeat eſſe magiſter Eccleſiæ demonſtratur. Ille ergo monſtratus à Domino eligitur, qui per ſacrum elogium commendatur.* At qualem requirunt eligendum ſacræ literæ? Re-
i loco cit. ſpondet [i] Bernardus, *Viros probatos oportere deligi, non probandos.* Rectè ſanè. Honor enim quilibet, & dignitas facilius bonos recipere, quàm facere conſueuit. Ergo ſi qualem ſcripturæ exigunt, talis eſt eligendus, *eligatur*, vt ſubdit ibi Bernardus, *qui Regibus Ioannem exhibeat, Ægyptiis Moyſem, Petrum mentientibus, Paulum blaſphemantibus, negantibus Chriſtum.*

Quæ omnia idcirco à Diuo Bernardo ſic commemorantur, vt oſtendat nullam eſſe rectæ gubernationis formam, quæ non in ſacris literis exprimatur. *Vngat* ergo, cuicumque ea cura incumbet, *quem Dominus monſtrauerit.* Dominus inquã, non caro, & ſanguis; vt de illo nõ tantùm verbis fidem profitente: ſed & factis exhibente dicere poſſit Chriſtus, *Beatus es, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi.* Lege quæ hic plura ha-
k lib. 4. ad Eugen. cap. 4. bet D. Gregorius & Bernardus [k] poſt illum.

Et admirati ſunt.] Quos noſter Interpres ſimpliciter dicit tantùm admiratos: volunt alij vehementiori affectu eſſe commotos. Itaque ex Hebræo vertunt. *Trepidauerunt, & obſtupuerunt*, vt Vatablus, Nonnulli. *Tremuerunt*, vt Caietanus 70. habent, *expauerunt ſeniores Ciuitatis.* Nulla tamen eſt in noſtro Interprete ab Hebraica veritate diſſenſio; tum quia illi perſæpè idem eſt admirari, quod timere, tum quia *expauiſſe* optimè colliguntur ex ſollicita percontatione, dum dicunt. *Pacificus ne eſt aduentus tuus?* Vnde vt vtrumque conſtaret, *& expauiſſe, & admiratos*; hoc clarè voluit exprimere. Vtroque ergo affectu tacti, & admirationis, & timoris. Sed quid illis nouum, & inſolitum accidit; vel quod malum imminens conceperunt; vt ſimul ſtuperent ad prophetæ aduentum, & trepidarent? Admiramur enim noua, & mala timemus. Reſpondet Gregorius, inſolitum, & nouum fuiſſe ipſum Samuelis aduentum: idcirco admiratos. *Ad hiſtoriam*, inquit, *ſignatur, quia illuc venire propheta non erat ſolitus.* Et ſubdit deinde more ſuo, quod mores inſtruat. *Quo in loco fortaſſe ſignatur, quia electi Doctores vix aliquando videri in publico debent; frequentes in ſecreto; negotiis ciuilibus vacui, ſpiritualibus plene; Miraculum ergo fit populi in publico viſa perſona Paſtoris. Mirantur, quod exeat, quem ſecreti cultorem ſciebant.* Hæc ille. Aptè non minùs ad hiſtoriam, quàm ad doctrinam. Addo egò cum Abulenſi; non ſimplicem tantùm aduentum, vt nouum, & inſolitum admiratos: ſed talem; omnino ſubitum, repentinum, ſine comitatu, ſine famulitio, & reliquo alio apparatu, qui virum totius Iudææ principem decebat. Inde ergo admirati. At cur, & quid trepidarunt? quid illis imminentis mali obiectum ex aduentu prophetæ? Ex hoc ipſo vnde mirati, orta illis etiam eſt cauſa timoris. Nam quia præter ſolitum, & id quod res poſcebat ſolitudinem circa prophetam videbant: Fugientem fortaſſe ſuſpicati ſunt. Inaudierant enim iam illi cum Saule non conuenire: hunc grauiter ab illo obiurgatum, & verbis malè acceptum etiam in conſpectu populi; iratum deinde ab ipſo ſe prophetam ſubduxiſſe. Fortaſſe ergo Saulem nunc ipſum vrgere, & perſequi, prophetam verò fugere; & latebras quærere. Malum ergo hoc prophetæ expauerunt, & indignam tali viro calamitatem: Malum deinde quod ex hoc ſibi, & oppido impendere videbant; ſi hoſtem Regis intra ſua mœnia recepiſſent. Ita Caietanus, Abulenſis, Lyranus, Dionyſius. Ex quo minus illud eſſe probandum conſtat, quod Vatablus tradit; timuiſſe, ne fortaſſe veniret grauiſſimè in quemquam eorum animaduerſurus. In quem enim tunc propheta animaduerteret, aut de quo ſupplicium ſumeret? quo iure, & qua poteſtate? cùm iampridem Magiſtratu omni ſe abdicaſſet; imperio in Saulem tranſlato!

Seniores] Seniores hic accipio non annis, ſed dignitate; penes quos erat oppidi, & publicæ rei adminiſtratio. Reſpondebant autem decurionibus, & aliis Ciuitatis principibus in Romana Republica.

Occurrentes ei.] Cùm enim iam proximus vrbi propheta eſſet, latere non potuit eius aduentus. Itaque re ad primores Ciuitatis delata. Illi obuiam honoris cauſa prodierunt, excepturi cùm publica gratulatione virum, & geſtis honoribus, & ſua virtute clariſſimum. Fuit igitur hic non fortuitus, nec vulgaris occurſus: ſed ſolemnis, & cùm feſta exceptione coniunctus. Minùs ergo aptè alij vertunt ex Hebræo; *tremuerunt ad occurſum eius, vel occurſum eius.* Vt Caietanus. Hic enim modus dicendi ſignificare videtur occurſum fuiſſe ſubitum, & improuiſum, quod falſum eſt, vt res ipſa poſtulat, & noſter Interpres expreſſit, & cum illo Chaldæus Paraphraſtes qui habet, *congregati ſunt in occurſum eius*, id eſt ex compoſito ei obuiam proceſſerunt honoris cauſa.

Pacificúſne eſt ingreſſus tuus?] Pacis nomine apud Hebræos fauſta omnia, ac læta ſignificantur. Ex qua ſignificatione hoc loco quid ſit *pacificus ingreſſus* intelligi poteſt; neque enim incerti ſunt, vtrúmne pacem an bellum in ſinu propheta gerat: neque hoc ambigunt, aut quærunt: ſed tantùm ſolliciti ſunt, & percontantur: num rectè cum illo agatur; an ſalua ſint illi omnia; an quid turbatum ſit in Republica: vnde & in oppido aliquid ſit in communi periculo prouidendum; & illi noua hæc occaſio inciderit præter ſolitum in Bethleem veniendi. Ideo Vatablus vertit. Senſum magis, quàm verba reſpiciens, *Saluúſne aduenis?* Hebraiſmum verò magis retinent 70: *Si pax introitus tuus.* Ex hac porrò interpretatione quod ad inſtitutionem

noſtram

Digitized by Google

noſtram pertinet, hoc elicit D. Gregorius: *Vtinam*, inquit, *& nos quoties ſanctos viros cernimus, inquirere de pacis noſtræ ſecuritate ſtudeamus; & diligenter ab eis ſcire quales à Deo cernamur, qui cognitionis noſtræ oculos non habemus.* Aptiſſimè ſanè ad myſticum ſenſum; ſed non minùs ad literalem. Indicat enim perindè fuiſſe interrogare. *Pacificúſne eſt ingreſſus tuus?* ac: ſecurine ſumus & agere poſſumus, an quidquam nobis impendet, & timendum eſt?

Sanctificamini.] Sunt qui ex hoc loco colligant, eos, qui ſacrificio aderãt, ſanctificari priùs, ac purificari oportuiſſe. *Sanctificationem* enim, legalem purificationem intelligunt. Ita Dionyſ. & ante illũ B. Gregorius, qui ex his vlteriùs infert. *Si intereſſe ſacrificiis non audent niſi ſanctificati, quid de ſacrificantibus cenſendum eſt? Sanctificare enim purgare eſt.* Alij verò *ſanctificandi* verbum poſitum putant, vt ſignificat *præparare*: ideò vertunt *præparate vos, vt veniatis.* Sic Abulenſis, & Vatablus. Vtrumque probabile, & hoc ſecundum magis, quia non exiſtimo opus fuiſſe, vt quicumque interterant ſacrificio, ſancti eſſent, & purgati legaliter: niſi qui ſimul etiam ex oblatis veſci debebant, quales non puto fuiſſe omnes Bethlehemites: nec Gregorius contrarium docet, qui tantùm huius verbi myſticum ſenſum ad mores formandos exponit, & non literalem.

Sanctificauit Iſai.] Dubitari non poteſt quin ſanctificandi verbum hic accipiendum ſit de purgatione, & mundatione legali ſatis enim ex adiunctis colligitur. Nam reliquis edixerat propheta; vt ipſi ſe *ſanctificarent* quod ambiguum poteſt eſſe ad ſimplicem præparationem, & purgationem. At nunc cum dicatur propheta ipſe ipſos ſanctificaſſe, commodè accipi, niſi de aliqua purgatione non poteſt; Idcircò autem Iſai ſpeciali ratione ſanctificauit: quia cùm filiis veſci ex oblata victima debebat. Oblata enim non potuiſſe niſi ſanctificatis, & mundis in cibum cedere, certa res eſt; vt conſtat ex facto Abimelec, ad quem cùm perueniſſet Dauid, nihil aliud habentem præter ſanctificatos panes primum omnium eſt interrogatus, *Num pueri eſſent ſanctificati.*

Vocauit Iſai ad ſacrificium.] Aliter ſine dubio, quàm reliquos inuitauerat: alioquin Deo non obtemperaſſet; qui tantùm præceperat *vocabis Iſai ad victimam.* Ergo cum propheta inuitauit Bethlehemitas ad ſacrificium; inuitauit vt adeſſent; cùm verò Iſai etiam vt veſceretur.

℣. 6.) Cúmque ingreſſi eſſent, vidit Eliab, & ait, num coram Domino eſt Chriſtus eius?

℣. 7.) Et dixit Dominus ad Samuelem; Ne reſpicias vultum eius, neque altitudinem ſtaturæ eius; quoniam abieci eum. Nec iuxta intuitum hominis ego iudico. HOMO enim videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor.

℣. 8.) Et vocauit Iſai Abinadab, & adduxit eum coram Samuele, qui dixit. Nec hunc elegit Dominus.

℣. 9.) Adduxit autem Iſai Samma, de quo ait etiam hunc non elegit Dominus.

℣. 10.) Adduxit itaque Iſai ſeptem filios ſuos coram Samuele; & ait Samuel ad Iſai. Non elegit Dominus ex iſtis.

℣. 11.) Dixítq; Samuel ad Iſai: Numquid iam completi ſunt filij? Qui reſpondit: adhuc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues. Et ait Samuel ad Iſai: Mitte, & adduc eum: nec enim diſcumbemus priuſquam ille veniat.

Cúmque ingreſſi eſſent.] Quò ingreſſi? Lyranus, & Abulenſis putant in priuatam domum, locúmque ab arbitris, extraneiſque ſecretum, quam domum fuiſſe volunt ipſius Iſai. Negant igitur hæc, quæ nunc geruntur, in eodem loco peracta, vbi rem ſacram fecerant: ſed inde digreſſos Samuelem cum Iſai, ſe in ipſius Iſai domum contuliſſe: Reliquis, qui ſacrificio interfuerant, in ſua quibuſque abeuntibus. Conſentire videtur ex parte Caietanus, dum hæc, quæ nunc narrantur de filiis Iſai, ſingulis de Samueli ſiſtentibus in *aula* contigiſſe dicit; quæ tamen *aula* cuius, & vbi eſſet, non explicat. Mouentur verò ad hoc; quia vnctio, quam tantopere celatam cupiebat propheta; & cui occultandæ ſacrificium Deus ipſe prætenderat; non erat in omnium oculis peragenda: fuiſſet autem ſi ibidem, vbi ſacrificatum fuerat, peracta fuiſſet. Probabilis expoſitio, & cui nihil opponerem: ſi paulò poſt propheta non diceret. *Num coram Domino eſt Chriſtus eius!* qui modus loquendi aliter commodè interpretari non poteſt; quàm vt intelligamus Samueli adhuc in loco ſacrificij perſiſtenti, & coram Altari, in quo ſacrificauerat (quod dicebatur antiquitus *eſſe coram Domino*) oblatos deinceps ordine quemque ſuo omnes filios Iſai. Quòd ſi ſequamur, dicere poſſemus peracto ſacrificio diſceſſiſſe reliquos; remanſiſſe tantùm Iſai, & filios; qui in interiori aliqua parte loco ſacrificij proxima (ſiue iam olim extructa; ſiue tum ſubitario opere excitata) cum propheta, veſci ſacrificatis epulis debebant, ſic enim ſi res explicetur, omnia conueniunt; & clarè conſtat, quomodo nimirum, & quò iſti ingreſſi fuerint; qua ratione vnctio in occulto peracta, & cur *coram Domino* abſoluta dicatur.

Quod totum adhuc vlterius confirmatur ex hoc, quod dicitur. Cúmque *ingreſſi eſſent*, quæ verba non de Iſai; & Samuele intelliguntur, ſed de filiis ipſius Iſai, ſe Samueli ordine ſiſtentibus. Vnde ex Hebræo alij propriè vertunt; *Et fuit venientibus ipſis*, id eſt filiis Iſai, & ad Samuelem ingredientibus. Erat igitur iam Samueli in loco ſecreto, & remoto; in quem peracto ſacrificio ſe contulerat. Conſentaneum enim eſt exiſtimare re diuina abſoluta, & illum ſe ab aliis ſubduxiſſe in aliquam interiorem partem ſalutato populo: & alios ne ſe importunè conuiuio non vocati ingererent, diſceſſiſſe. Eo igitur, quò conceſſerat Samuel ingreſſi ſunt filij; & quia locus ille proximus erat altari ex more veteri Iudæorum, qui ſua conuiuia *coram Domino* peragebant, idcirco dixit propheta, *Num coram Domino eſt Chriſtus eius?*

Num coram Domino eſt Chriſtus eius?] Duplex hîc dubium. Alterum de modo, quo hæc prolata: alterum de ſenſu, quem continent. De modo. An clarè, & cui, aut quibus ea pronunciauerit propheta. Et conſentiunt omnes tacitè

hæc

hæc ſecum dixiſſe nullo audiente. Quod licet certiſſimum non ſit: probabiliſſimum tamen eſt, quia non erat prophetæ interrogatio ad alios directa: ſed tantummodo per illam ipſemet ſe, vel potiùs intrà ſe Deum conſulebat. Vnde non erat cur clarè id proferret, quod exquirebat, & percõctabatur. Maior aliqua dubitatio eſt de ſenſu. Laborant in eo, qui nolunt hæc peragi in loco ſacrificij, vel circa illum. Et difficultas in eo eſt, vt explicent quid ſit *coram Domino*. de quo alij alia: Abulenſis ad minimè literalem interpretationem dilabitur. *Coram Domino* hæc dici, & fieri; quia fiunt iubente Domino; & quia eius nunc cauſa agitur ſecundùm quod dicitur Matthæi 18. *Quando fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo in medio eorum ſum.* Caietanus obſcurè loquitur Dionyſius *coram Domino* exponit, *coram Deo*: quaſi id eſſet ignotum. Quid autem ſit *coram Deo* non addit. Alij, vt noſter Delrio [a] videntur exponere *coram Domino* pro *verè* vt ſit,

a Adag. 13.

Num verè hic eſt, qui vngendus eſt? Quæ explanatio recipi poteſt, nam & hoc aliquando ſignificat *coram Domino*, ſimpliciſſima tamen expoſitio mihi videtur; ſi *coram Domino* ſit ante ipſum altare, & in proſpectu victimæ ſacrificatæ. Nam coram Domino, vt ſuprà docui, dicebantur fieri apud Hebræos, quæ in conſpectu Arcæ, & ante ipſum ſanctuarium fiebant. Itaque ſenſus eſt. Num hic, qui primus adſtitit ante locum ſacrificij, altaris, & hoſtiæ Domino immolatæ: ac proinde qui eſt *coram Domino*, is eſt, quem elegit Dominus?

Et dixit Dominus ad Samuelem.] Quomodo dixerit, intelligi poteſt ex iis, quæ in vniuerſum docentur de multiplici ratione, qua olim Deus hominibus loquebatur.

Ne reſpicias vultum eius.] Samuel ita dubitauerat, an Eliab vngendus eſſet; vt in partem affirmantem potiùs propenderet. Quod benè obſeruarunt Caietanus, & alij. Cur autem id exiſtimauerit, multæ cauſæ eſſe potuerunt. Clarè in textu vna refertur, in corporis pulchritudinem, & formam dignam imperio ipſius Eliab. Propterea enim Deus dicit ne hæc reſpiciat; quia iam Samuel ad illa reſpexerat: illis adeo motus, vt quantum in ipſo erat iam deferret Eliabo prærogatiuam ſuffragij ſui. Factum eſt hic igitur in Eliab, quod Dauid dixit [o] *Specie tua, & pulchritudine tua procede, & regna.* Proceſſit enim, & pulchritudine ſua, & ſpecie ita in animum Samuelis illapſus eſt, vt niſi aliunde arbitrium penderet quantum in Samuele erat iam Eliab regnaret.

o Pſal. 44.

Aliæ cauſæ ab aliis afferuntur; vt quod Eliab primogenitus eſſet; cuius erant apud Hebræos; vt & apud alias nationes omnes, eximia iura, de quibus nos alibi. Poſuit igitur Samuel (vt plerique volũt [p]) cum vnum ſciret ex Iſai filiis eligendum, hunc putare præ reliquis electum, qui iure primigenij cæteris eminebat. Probabilis ratio; vt & aliæ plures quæ afferri poſſent. Tantùm tamen illa certa eſt, quæ ex dignitate formæ allata eſt; quia nulla alia præter ipſam in ſacro contextu inſinuatur.

p Abulenſ. Lyran. Dionyſio.

Porrò quod noſter *vultum*, alij ex Hebræo vertunt *aſpectum*, vt Caietanus, & 70. Alij *formam* vt Vatablus: conſultò vitantes vocem *vultum*, quæ in malum ferè ſolet vſurpari in ſacris, & in profanis literis. Vnde illa ſunt Pſalmo 33. *Oculi Domini ſuper iuſtos: vultus autem Domini ſuper facientes mala.* Et apud alios *facies vultuoſa*, quæ neſcio quid contumax, & truculentum ſpirat. Noſter tamen Interpres, licet hic ſermo ſit de pulchritudine oris ipſius Eliab: maluit tamen vocabulum *vultus* vſurpare. Quod Deo minùs probata fuerit illius ſpecies: ac proinde voce minus probabili deſignanda. Cæterùm ex hac Samuelis propenſione in Eliab; ea quoque confirmari poſſunt, quæ alibi diximus de corporis pulchritudine, & de regno, quod illa blandè exercet in animis hominum; nullibi enim Eliab, & numquam antea viſus: primo tamen aſpectu ita Samueli commendatur, vt ſuffragium ipſius pro ſe ad Regnum ferat.

Abieci eum.] Abiicere, proiicere, repudiare, reprobare, ſpernere, odiſſe, in ſacris literis duplicem ſignificationem habent; *negatiuam*, quam dicunt, & *poſitiuam*. Negatiuam cum pro eodem ponuntur; ac non amare, & negligere, aut minus amare. Poſitiuam cum non tantum bonum ſignificant, quod alicui non optamus; ſed malum inſuper quod illi ex animo cupimus. Deo ergo in ſacris litteris hæc verba ſæpè tribuuntur modò in vna, modò in altera ſignificatione. In hoc autem loco, *Abiicere*, negatiuè eſt accipiendum; vt colligitur clarè ex ſequentibus. Idem enim dicit nunc de Eliab Deus; quod de aliis fratribus præter Dauid deinde pronunciat: quos ſingulos clarè fatetur ſe non elegiſſe. Ergo hic *abieci Eliab*, vel vt D. Gregorius, *proieci* vel vt Caietanus, & Vatablus, *reprobaui*, vel vt 70. *Spretus* eſt: *ipſum non elegi*, quod perpensè hic obſeruari velim; vt ex eo confirmetur doctrina, quæ in ſcholis traditur, de duplici diuina reprobatione *negatiua, & poſitiua*, quam more ſuo rident Hæretici, & Caluinus in primis: ipſi ridendi potiùs; vel lugendi: ſi tamen licet reprobos lugere; cum hoc capite luctum Samuelis ob reprobatum Saulem compeſcat Deus.

Nec iuxta intuitum hominis ego iudico.] Celebris ſententia de diſcrimine diuini, & humani iudicij: Cuius duplex poteſt eſſe ſenſus, ortus ex duplici acceptione; quam poteſt habere dictio illa *intuitus*. Tam enim ad homines poteſt referri iudicantes; quàm ad iudicandos. Si ad illos ſenſus eſt. Non ita iudico, vt ſolent homines iudicare. Si ad iſtos, ſignificat non externam rerum ſpeciem conſidero, dum iudico. Ex conſequentibus autem videtur potiùs intuitus *actiuè* accipiendus, id eſt de hominibus iudicantibus. Nam ſubditur *Homo enim videt ea, quæ parent.* Quæ ratio eſt, cur non iuxta intuitum, quo intuentur homines, iudicet Deus: quia illi intuentur palam tantùm expoſita; Deus non item. Vnde & 70. clarè hunc ſenſum inſinuant legentes, *quoniam non ſicut aſpiciet homo, aſpicit Deus.* Et D. Ambroſius [q] *aliter vident homines, aliter videt Deus.* Verùm ſiue intuitus *paſſiuè* pro facie, & externa ſpecie iudicandorum; ſiue *actiuè* accipiatur pro intuitu hominum iudicantium. Vterque tandem ſenſus in idem recidit: quia cùm homines ſoleant ex iis, quæ patent, ſuas proferre ſententias, conſequens eſt; vt qui eam iudicandi formam non tenent; neque etiam iuxta externam rerum ſpeciem ſententiam ferant. Huc ergo tota ſumma reducitur: non capi Deum iis tantùm, quæ foris produntur; non ſuam ex illis attemperare ſententiam; non arbitrium ſuſpendere: non iudicium moderari: non denique ex illis quemquam probare, aut reiicere; damnare, aut abſoluere; ac proinde longè admodum ab humanis

q In Luc. cap. 2.

diuina

Digitized by Google

diuina iudicia diſtare. Senſus ergo eſt. Non iudico ſecundùm intuitum hominum, quod Italicè dicimus. *Non guardo la bella faccia. Nec enim in tibiis viri beneplacitum eſt Deo.*

Hoc autem cùm veriſſimum ſit, difficultatem tamen aliquam habet; quia alibi Deus quoſdam probat, vel improbat; admittit, vel reiicit ex externa tantùm ſpecie, & corporis conformatione [e]. *Locutus*, inquit, *eſt Dominus ad Moyſem dicens loquere ad Aaron, homo de ſemine tuo per familias, qui habuerit maculam non offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium eius. Si cæcus fuerit, ſi claudus, ſi vel paruo, vel grandi, vel torto naſo, ſi fracto pede, ſi manu, ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi iugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore. Omnis qui habuerit maculam de ſemine Aaron non accedet offerre hoſtias Domino*, &c. Cùm hæc ergo Deus quaſi edicto proponat; & vetet ſibi ſacrificaturos adſtare, qui deformes fuerint: iubeat autem conquiri, & eligi, qui omni deformitate caruerint: quomodo nunc vniuersè pronunciat. *Nec ſecundùm intuitum hominum ego iudico?* Quomodò externam Eliabi ſpeciem negat hic perpendendam & prophetam arguit, qui ad probitatem oris illius reſpexerat, & ſtaturæ proceritatem? An dignitas formæ Regi minùs quàm ſacerdoti congruit; & magis decet ſacris operantem, quàm populis præpoſitum, & imperantem? Cur ergo Saul *ſuprà electus ex millibus eſt* toto corpore *ab humero, & ſurſum* reliquis ſupereminens? cur de illo Samuel, & illius corporis proceritate illa protulit diuinitus afflatus? *Certè videtis quem elegerit Dominus, quod non ſit ei ſimilis in cunctis tribubus Iſraël?* Probauit ergo tum Deus externam ſpeciem, & ſecundùm illam pronunciauit: vt ſimiliter in Leuitico deformes reiecit. Et tamen nunc edicit. *Non reſpicies ſtaturam eius, quia non ſecundùm intuitum, & externam rerum ſpeciem ego iudico.* Quomodò hæc igitur concilianda?

e Leuit. 21.

Duæ ſunt expoſitiones; altera myſtica, altera propria, & literalis. Myſticam plerique tradunt [f] ex hoc loco Regum illud Leuitici præceptum interpretantes quod ſit figuratè accipiendum de deformitate interiori, non exteriori. *Itaque cor*, inquit Iſichius, *ſcrutatur Deus, ſi maculam habeat, vnde dicit: nec iuxta intuitum hominis iudico: homo enim videt ea, quæ patent; Deus intuetur cor. Ergo eos, qui immaculati ſunt animo hos electos iudicat: eos autem qui maculas in anima habent reprobat*, &c. Deinceps verò qui ſint ſpirituales cœci, qui claudi, qui lippi, qui obtortis naribus, pluribus explicat: oſtendens per ſingulas deformitatum ſpecies certa animi vitia deſignari; quibus qui capti ſint Deo exoſi ſint, & ab ipſo repudiati. Quod idem argumentum Gregorius, Radulphus, Hugo, & alij fusè etiam proſequuntur. Hoc ergo velle videntur: cùm Deus indicat duci ſe externa ſpecie, & ſecundùm illam ita iudicare; vt deformes reiiciat, formoſos admittat; *externam ſpeciem* accipiendam tranſlatè; vt per illam mores animi deſignantur. Cùm verò eâdem ſe capi negat, aut ſecundum illam iudicare, accipiendam propriè pro corporis pulchritudine. Sed vereor, vt hæc reſponſio perinde ad locum, quem tractamus, ſit accommodata, vt apta eſt ad vitam inſtituendam. Verè enim negari non poteſt, quin Deus in Leuitico deformes ab altari reiiciat, & dignitatem quamdam oris in ſuis requirat; Certúmque eſt, qui ea corporis vitia habebant, ab altari repulſos; quemadmodum etiam qui certa nunc deformitate laborant à ſacris miniſteriis arcentur. Non ergo ſpiritualiter tantùm pulchritudo hæc, vel deformitas eſt interpretanda. Quid ergo hi patres aliud velle videntur? videntur; ſed verè aliud nolunt: niſi ita Deum corporalem ſpeciem requiſiſſe; ita corporalem deformitatem reiecisſe: vt voluerit tamen per id omnes cognoſcere, in iis non ſiſtendum: ſed per eas altius quid, & occultius intelligendum; Quod ad animi vel vitia, vel virtutes ſpectaret. Itaque hoc vt conſtaret, alibi Deum negare externa ſe ſpecie duci; ſecundùm eam iudicare; iuxta eam pronunciare. Alibi verò affirmare, prout vnuſquiſque in corpore affectus fuerit, ita ſe de illo iudicium laturum; num miniſterio altaris ſit aptus ſit, vel ineptus. Et hæc myſticè.

f Greg. lib. 6. Reg. cap. 3. Iſichius, Radulfus, Hugo Victorinus, in Leuit. c. 21.

Quod ad literalem conciliationem attinet horum locorum. Sunt qui duplex iudicium diſtinguant. Alterum de meritis vniuſcuiuſque; alterum de aptitudine ad aliquod munus: De illo iudicio loqui Deum, cùm negat ſe in eo externam vnam ſpeciem, aut deformitatem ſpectare: de iſto verò cùm vtramque perpendit. Quæ ſi vera ſunt, vt videntur eſſe, quomodo huic loco congruant, non ſatis exponunt. Quid enim hîc agitur? de Eliab pro meritis pœna, vel præmio afficiendo: an de illo ad Regnum promouendo? Hoc opinor agitur. Rex enim Iſraëlis quæritur, non quid cuique ſit pro meritis tribuendum, diſceptatur. At cùm ad munus quis aliquod quæritur ſpecies etiam ipſius externa requiritur: vt iſti dicunt. Cur ergo illam nunc Deus repudiat; cur vetat prophetam illam reſpicere; cur iuxta illam ſententiam non profert?

Puto ergo rem totam facilè poſſe componi, ſi dicamus in his, & ſimilibus negantibus propoſitionibus; cùm negat Deus ſe iuxta externam ſpeciem iudicare; ſemper ſubintelligendam eſſe particulam *tantùm* vt ſit ſenſus: non tantùm iſta ſpectare Deum: licèt illa requirat; cùm quis ad munus aliquod eligitur, & deſtinatur: cùm verò de alio iudicio ſermo eſt, quod de meritis ſit vniuſcuiuſque; de quo iudicio nec hoc loco agitur, nec in Leuitico: tunc veriſſimum eſt, quod proximè ab iſtis dicebatur, formam, & deformitatem, & quamcumque aliam externam rerum ſpeciem nihili à Deo fieri, & ſimiliter apud homines nihili fieri debere. Iſtos tamen plerumque ab illa duci, & decipi; Sic, vt iuxta illam pronuncient; Deum verò nec capi vmquam illis, nec capi poſſe. Quod cùm Dei adeò proprium ſit, iccircò Christo quoque, apud Iſaiam tribuitur, vt diuinitatis argumentum, vbi dicitur [t] de Meſſia. *Non ſecundùm viſionem oculorum iudicabit, nec ſecundùm auditum aurium arguet.* Quod eſt aliis verbis *non ſecundùm intuitum hominum iudicabit.* Propterea 70. ibi verterunt non *ſecundùm gloriam iudicabit*, id eſt non reſpiciet externum hunc rerum ſplendorem qui fucum facit oculis ſpectantium; quoniam ipſe Deus eſt; iſti verò homines ſunt.

t Iſai. 11. 3.

Homo enim videt ea, quæ parent.] Gregorius. *Homo videt in facie.* Quo etiam modo legunt Cyprianus [u] Tertullianus [x]. Et Ambroſius [y] ſecuti 70. qui habent, *Homo aſpicit in faciem.* Iſichius [z] verò ſimul cum noſtro legit. *Homo videt quæ parent.* Quæ lectio magis cum Hebræo congruit, vt poſt videbimus. Dubium autem eſt quid per ea, *quæ parent*, intelligatur; & num propoſitio accipienda

u Serm. de lapſis & li. 3. ad Quirin. cap. 56.
x De praeſcr. aduerſ. haeret.
y In Luc. c. 1.
z In cap. 21. Leuit.

accipienda ſit de eo,quod ſolet fieri , & plerumque accidit : an de eo, quod neceſſariò ſit, & vitari non poteſt: id eſt,an ſit ſenſus ; homines ſolere videre , & attendere ea , *quæ parent* : an verò hæc tantùm videre. De primo ea,*quæ parent* accipienda ſunt,quæ ſenſibus ſunt expoſita : Vnde Caietanus ex Hebræo vertit *quæ patent oculis*. Poſitis nimirum oculis communi tropo pro quibuſcumque ſenſibus. Quia verò quæ in vnoquoque patent , & primum in oculos incurrunt ad faciem ipſius ſpectant : idcircò 70. & alij Patres dixerunt. *Homo videt in facie* : quod idem eſt ac in externa rerum ſpecie aſpectum ſiſtit. Et hoc appoſitè ad id quod ſequitur, *Deus autem in corde*. Vt enim cor illud eſt , quod intimum in vnoquoque eſt, & penitùs abditum : ita vniuſcuiuſque facies prima omnium conſpicua eſt. Vndè vt antitheſis appareret illuſtrius;quemadmodum occulta omnia,& latentia,*cordis* appellatione declarata ſunt : ita apertaquæque , & expoſita per faciem ſunt deſignata.

Alibi verò alia Antitheſi vtitur ſcriptura in ſimili argumento. Vt enim nunc opponit *faciem cordi* : ita aliàs *carnem ſpiritui* : & vt nunc per *faciem* quæcumque patent , intelligit : ita per *carnem* quæcunque ſic in conſpicuo ſunt ; vt tangi poſſint : & denique vt nunc *facies* cognitionem, homini tribuit,& *cordis* Deo ; ſic alibi *carnis* intuitum homini ; & Deo inſpectionem *ſpiritus*. Moyſes , & Aaron in faciem cadentes. *Fortiſſime*
a Num.16. 22. *Deus*,inquiunt [a], *ſpirituum vniuerſa carnis* , id eſt
inſpector cogitationum omnium , quorumcum-
b Cap.27. 16 que hominum,& iterum [b]. *Prouideat Deus ſpirituum omnis carnis*. Quæ ſententia eadem cum illa
c Cap.4. 12. eſt ad Hebræos [c]. *Diſcretor cogitationum ; atque*
d Cap.8. 15. *intentionum cordis*. Apud Ioannem [d] verò Chriſtus ipſe Iudæos alloquens *vos*, inquit,*ſecundùm carnem iudicatis*. Quod eſt vos vt homines non iudicatis , niſi ex ſenſibus , & ex iis, quæ ſenſibus ſubiiciuntur. Quæ eſt ipſiſſima ſententia huius loci Regum. *Homo videt in facie , aut ea quæ foris parent.*

Ex his igitur conſtat.Per ea *quæ parent*,ſiue vt 70. per faciem , non eſſe hoc loco quæcumque obuia,& ſenſibus expoſits intelligenda:ſed dumtaxat ea , quæ ex oppoſito reſpondent *cordi & ſpiritui* : Hæc autem ſunt in homine , quæ clarè produntur. Vt externæ illius actiones, ſtudia,& quicquid denique in ipſis,& ex ipſis cognoſcitur ope ſenſuum ; & *carnis* appellatione in ſacris literis continetur. Vnde cùm dicitur. *Homo videt ea quæ parent* ; ſubintelligendum eſt *in homine*. De hoc enim ſermo nunc eſt , non de pratis virentibus , agris vernantibus,aut apricis collibus vel ſi quæ alia ſunt,quæ oculos demulcent. Quomodo ergo hæc videt homo ? itáne vt alia non videat ; nec videre poſſit : an potiùs quia licèt poſſit , plerumque tamen non videt ? & quid eſt nunc *videre* ? Ratio autem dubitationis eſt : quia ſi nihil homo videt in homine , quod ſit hominis , niſi tantùm quæ foris produntur , obiecta ſenſibus. Fruſtrà ergò Deus præcipit apud Ioan-
e Cap.7. 24. nem [e]. *Nolite ſecundùm faciem iudicare , ſed verum iudicium iudicate*. Fruſtrà queritur Ioann. 8. de iis,qui *faciem* accipiunt. Fruſtrà , & immeritò reprehendit Iudæos , qui *ſecundùm faciem iudicant*. Si enim nihil aliud hominis videt homo niſi faciem hominis : quomodo aliter , quàm ſecundum faciem iudicet homo ? Sunt ergò , qui propter hæc ſententiam iſtam intelligant de eo,

Sopran. in Dauid.

quod plerumque fit , non quod ſemper:quod ſolet fieri ; non cuius contrarium non poſſit fieri. Et exponunt. *Homo videt in facie* id eſt ſolet aſpicere ea ; quæ oculis obuerſantur. Ita Vatablus,cuius expoſitionem iuuant 70.legentes. *Homo aſpiciet in facie*. nam *aſpiciet*,eſt ſolet aſpicere. Reprehendendum ergò eſſe, quia non tantùm ibi figere debet aſpectum mentis , vbi defigitur intuitus oculorum.Sed ex iis,quæ patent,occulta debet inueſtigare,& perpendere,& ſecundùm illa iudicium ferre. Probabilis expoſitio : ſi clarè explicetur, quomodo homo videre etiam poſſit occulta hominis. nam,*cordis* , *& ſpiritus* cognitio Deo ſemper,& hìc , & alibi vti ipſius propria reſeruatur. Puto ergo videre hominem in *facie*, non ſolùm quod ita ſoleat , ſed quod alia videre nequeat,ſi enim aliud videt hominis ; cor iſtud erit; hoc enim faciei ita opponitur : vt quidquid *facies,& caro*,non ſit, *cor*,& *ſpiritus* ſit. At *cor* videt Deus, non homo : alioquin quod diſcrimen inter Dei intuitum , & hominis ? Cur ergo vult nos Deus non ſecundùm faciem iudicare;ſi hanc tantùm poſſumus intueri ? Reſpondeo:*faciei* appellatio quantum huc ſpectat , duplicem ſignificatum habet in ſacris literis. Ponitur enim aliquando pro externo apparatu , & pompa rerum; aliquando pro eo,quod *cordi* opponitur, & eſt in homine aliis hominibus manifeſtum ; cum Deus vetat nos *ſecundùm faciem iudicare* : facies accipitur primo modo : in quo ſenſu idem eſt *ſecundùm faciem accipere* ; ac *accipere perſonam in iudicio*. Quod toties in ſcripturis reprehenditur,& damnatur. Id autem contingit , cùm non pro meritis cauſa diſcutitur ; ſed ex iis , quæ nihil ad rem pertinent,lis tota decernitur. Vt cùm damnatur innocens ; quia pauper, deſpectus humilis, deformis : abſoluitur nocens ; quià diues,formoſus,nobilis, & gratioſus. Hoc enim propriè eſt *perſonam accipere,& ſecundùm faciem* , id eſt ſecundùm externam rerum ſpeciem iudicare. Quod iudicium iniquiſſimum eſt. Et proinde Chriſtus , *Nolite*,inquit,*ſecundùm faciem iudicare,ſed iuſtum iudicium iudicate* ; quia *iudicare iuſtè*, & *ſecundùm faciem* ſibi ex oppoſito pugnant. At verò cùm alibi dicuntur homines *in facie tantùm videre*,vt hoc loco , ſecundo modo facies accipitur,vt eſt explicatum. Numquam ergo (dicet aliquis) licebit homini ferre iudicium de homine ; cùm nihil ſit hominis notum, niſi facies ho-
minis. Reſpondeo non meis , ſed Auguſtini [f] f *Propoſit. 71.ad Rom. tom.4.*
verbis. *Quæcumque facta ita manifeſtantur ; vt non poſſint dici bono animo fieri , iudicanda ſunt à nobis: quæcumque autem ita ſunt,vt quomodo fiant, incertum ſit ; non ſunt iudicanda , ſed reſeruanda iudicio Dei ; ſicut ſcriptum eſt : quæ occulta ſunt Deo,quæ autem palam ſunt nobis , & filiis noſtris*.
Breuius autem idem alibi reſpondet [g]. *De mani-* g *lib.2.de ſerm.Dom.in monte c.6.*
feſtis iudicemus; de occultis : verò iudicium Deo relinquamus.

Deus autem in corde.] Quod adeò verum eſt, vt gentiles quoque philoſophi id agnouerint , & prædicauerint. Seneca contron.2. *Aliter Dei numini ſacroſancto ſubiecta eſt conſcientia noſtra ; aliter hominum æſtimationi : hi tantùm quæ palam ſunt,videre poſſunt ; ille etiam quæ ſecreta ſunt*. D. Gregorius ſecutus eſt 70.Sic enim legit. *Dominus autem intuebitur cor*.70. autem , *Deus autem adſpiciet ad cor*. Ex quo intelligitur modum hunc loquendi per *futurum* non exponendum de eo, quod ſolet fieri ; ſed quod ſemper fit.Quid autem

per *cor* iotelligatur hoc loco, & per ſe ſatis, & clarè conſtat ex proximè dictis. Occulta enim hominis, quæ ſunt in homine ſignificantur, *quæ nemo nouit hominum, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt*: quales ſunt non ſolùm cogitationes, affectiones,& profundæ voluntates, quæ à Theologis *electiones* dicuntur: ſed ipſæ in primis *intentiones*. Hæ enim adeò occultæ ſunt, vt ne quidem ſi homo ipſe velit eas alteri prodere, poſſit id ita facere,vt planè illi in aperto,& conſpicuo ſint. Quis enim certò, & exploratè, & quibus argumentis noſcat quid, alius, & propter quid moliatur & velit? Cùm & ipſe homo nonnumquam ſit incertus ſui & plerumque ambigat ea, quæ certò ſcit ſe ſpectare, & velle propter quid velit? Propterea enim *cor hominis prauum, & inſcrutabile* dicitur apud Ieremiam [h] [h Cap.17. 19.] eiuſque cognitio omnibus prorsùs hominibus denegatur. *Prauum*,inquit,*cor hominis,& inſcrutabile,& quis cognoſcet illud?* & ſubiicit, *Ego Deus ſcrutans renes, & cordis*. Hebraicè propriè habetur. *Fraudulentum eſt cor præ omnibus*, id eſt, nihil eſt omnium rerum quod æquè fallax ſit, atque cor hominis. Quid ita? quia non ſolùm alienos fruſtratur, & decipit: ſed ipſummet aliquando deludit,& fallit poſſeſſorem ſuum; non vt quiſquam ignorare poſſit voluntates ſuas; ſed quia nonnumquam falluntur homines in finibus actionum ſuarum diiudicandis. Propter quod [i In Pſalm. 147. & lib. de Paſtor. cap.12.] D. Auguſtinus tantùm abeſſe dicit [i], vt poſſimus ſecurè de aliis iudicare, vt nec de nobis ipſis aliquando poſſimus. Propter quod,& alibi etiam ad [k Prou. 20.] id illud interpretatur [k]. *Quis glorіabitur caſtum ſe habere cor?* Quia nimirum qua quiſque quid mente faciat; nec ipſi planè conſtet qui facit. Hæc ergo mentis intentio adeò latens, & abdita, *cordis* nomine nunc appellatur, eiuſque perfecta, & explorata cognitio Dei tantùm propria prædicatur. [l 1.Paralip. 28. 9. 2.Paralip. 30. Ierem. 7. 10. Ad Roman. 8.27. 1.Ad Cor.2.10.] Tum hoc loco,tum alibi [l] ſæpiùs. Verùm hoc per ſe ſatis clarum, & nemini dubium; *quod Deus ſit inſpector cordis, & diſcretor cogitationum*. Quorſum nunc cum de electione Iſraëlitici Regis agitur? quaſi importune ingeratur, dubitari poteſt. Et inde magis dubitatio vrgetur, quod ferè ſemper vbi de electione aliqua agitur, id inculcetur. Sed reſponſio in promptu eſt ex proximè dictis. Nullibi enim faciliùs à nobis poteſt,& maiore cum periculo peccari, quam in hominum electione; ideò numquam & nuſquam magis æquum eſt ex Dei nos arbitrio pendere; noſtram illi cauſam commendare; precibus illum nobis demereri, quàm cum id agitur. Nos enim qui falli tam grauiter poſſumus ad aliuю accurrere tunc nec debemus, nec poſſumus, niſi qui falli non poteſt. Falli poſſumus,& ſæpè fallimur; quia quæ penitus in hominis corde latent, non inſpicimus. Ad Deum ergo accurrendum, quem obliqui cogitationum anfractus,& ſinuoſæ cordis latebræ non effugiunt. Suſpectum eſſe vnicuique debere quem quiſque priuatis rationibus eligit; ſuſpectum inquam, non ſolùm in publica cauſa, ſed in priuatis commodis. Quoties enim nobis infidos experimur,quos noſtri amantiſſimos putabamus; & præterea noſtri prærogatiua ſuffragij reliquis præferendos? Quid ita? quia incertæ ſunt cogitationes noſtræ; maximè cùm de alienis ingeniis & voluntatibus æſtimamus; quia tantùm *videmus in facie,& ea, quæ parent*: quid ergo hîc faciendum? Deo totum eſt arbitrium permittendum & orandum; vt illum nobis ſuggerat,quem ipſe maximè nouit priuatis noſtris,& publicis vtilitatibus conſulturum. Cùm ſufficiendus eſſet in locum Iudæ nouus Apoſtolus orantes reliqui dixerunt [m]. *Tu Domine, qui* [m Act.1.24.] *corda noſti omnium*: Græcè vnico verbo καρδιο-γνῶστα *Kardiognoſtu* quem diceremus nos vno vocabulo *Cordiſcium,& Cordiſpicem*,id eſt *cordis inſpectorem*. Similiter cùm de electione agitur eius,qui Moyſi ſit ſucceſſurus, ſic orat [n] Moyſes. [n Num.27. 16.] *Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc*. Deus ſpirituum omnis carnis eſt cognitor, & inſpector omnium affectioοum, quæ ſunt in homine: ſiue vt loquitur D. Paulus [o]. *diſcretor cogitationum, & intentionum cordis*. [o Ad Hebr. 4.12.] Denique hoc loco vbi Rex Iſraëliticus eſt eligendus; idem de ſeipſo encomium Deus prædicat dicens *Homo videt in facie; Deus autem intuetur cor*.

Atque ex his perſpicere optimè poſſumus; quàm meritò vnicuique dicatur,cui alios ad munus aliquod incumbit eligere: à Deo inquam dicatur, *Vnge quemcumque monſtrauero tibi*. Si enim non hunc eligit; eliget ergo quem ipſe ſibi *monſtrauerit*. At cùm homo in facie tantùm, *Et carne videat*, non poteſt alium ſibi monſtrare: niſi quem caro, & ſanguis ſuggeret eligendum. De [p lib.6. in 1. Reg.c.3.] quibus hæc præclarè D. Gregorius [p]. *Qui ſunt, qui vngunt, quos non monſtrat Deus: niſi qui carnali affectu ad Eccleſiarum culmen ordinandos ducunt? Iſti quidem Reges vngunt; ſed non qui à Deo monſtrantur, quod ſuum eſt faciunt, quod Dei eſt, tollunt. Dei quidem perſonam monſtrare eſt; ordinatoris præbere vnctionem. Dum ergo ipſi ſibi monſtrant, quos vngant, habere Deum cooperatorem nolunt*.

Adduxit itaque Iſai ſeptem filios ſuos] Si nunc ſeptem adducuntur; & adhuc vnus ſupereſt adducendus. Omnes ergo Iſaij filij octo erant, qui tamen alibi [q] Septem tantùm fuiſſe dicuntur, nimirum *Eliab, Amnadab, Samma Nathanael*, [q 1.Paral. cap.2.14.] *Raddai, Aſom, Dauid*, ſorores autem duæ, *Saruia, & Abigail*. Reſpondet Abulenſis hanc eſſe conſuetudioem ſcripturæ: vt cùm ſæpiùs numerum aliquem repetit; non ſemper eumdem referat; ſed nunc integrum exprimat, nunc minorem: propterea hoc loco octo fuiſſe filios Iſai ſignificari: in Paralip. verò ſeptem tantùm cenſeri; quia qui octo habuit, veriſſimum quoque erat ſeptem habere. Optima ſcilicet ratio, qua controuerſiæ ſedentur omnes, & ſcripturæ maieſtas ab obtrectatoribus vindicetur: dicere tantùm *hanc eſſe illius conſuetudinem*. Itáne verò hoc ſolet ſcriptura? pugnantia loqui, & ſecum ipſa diſſidere, & ore bilingui narrare, quæ narrat? Si hoc ſolet, malè ſolet. Et propterea abſit, vt hoc illam dicamus ſolere. Dicendum ergo hoc loco filios omnes Iſai recenſeri; tam naturales, quàm adoptiuos. In libro verò Paralip. naturales tantùm. Erat autem adoptiuus filius Ionathan, qui naturalis filius erat Samma. Vnde nulla diſſenſio nec detruncatio veritatis; vt hoc loco integer numerus referatur; in Paralipomenon mutilatus: ſed vtrobique totus,& integer proponitur, quia non de eiſdem filiis ſermo eſt. Ita Lyranus, Hugo, Dionyſius, Caietanus, alij.

Non elegit Dominus ex iſtis.] Si hæc clarè protulit Samuel, vt probabiliſſimum eſt protuliſſe, & omnes ſentiunt: Ergo Iſai, & ipſius filij prophetæ voces perceperunt: Ergo ad quid Samuel

Digitized by Google

Samuel veniſſet; & quorſum nunc ſingulos diſpiceret,& luſtraret, cognouerunt: Ac proinde id, quod tantoperè occultum volebat Samuel, illis eſt diuulgatum. De qua re quid ſit dicendum verſu 13. vberiùs exponemus.

Numquid iam completi ſunt filij.] Quonam diuino conſilio factum ſit: vt cum vnus, iſque minimus natu ex filiis Iſai vngendus eſſet: tandiu tamen propheta ambiguus haberetur; eiuſque inquiſitio per ſingulos fruſtrata quaſi in incerto penderet, meritò quæri poteſt; & quærunt Theodoretus, & Gregorius, duaſque rationes afferunt; moralem alteram; alteram literalem; Moralem ſuo more Gregorius; *Vt*, inquit, *ſubtile diſcretionis ſacrarium ingrediendum ſibi ſciat alios ordinaturus: vt quærendum ſibi intelligat, & inquirendum: nec ante ab inquiſitione quieſcendum, quàm mereatur inuenire.* Quod illud eſt ab Apoſtolo tantoperè commendatum, *Nemini citò manus impenas*: numquam enim minùs eſt propetandum, quam cùm per abrupta inceditur, & feſtinationi lapſus eſt proximus. Diu ergo priùs eſt inquiſitio extendenda: nec niſi ſuſpenſo gradu, & prætentato itinere gradiendum: quod vt conſtaret voluit Deus prophetam ſuum incertum relinquere; vt cum inquirat ille eligendum, cui Deus loquebatur: intelligant alij quantoperè ſibi in hoc vigilandum ſit, quibus Deus tam apertè non loquitur. Alteram rationem literalem affert Theodoretus: in hac ignoratione, & animi incertitudine relictum prophetam, vt omnibus planè conſtaret non humano conſilio; ſed diuina voluntate ad Regnum Dauidem fuiſſe vocatum. Si enim rectà Samuel ad Dauidem perrexiſſet illum inuncturus in Regem; ſuſpicandi locum dediſſet, id ſe ex animi ſui ſententia, non diuino iuſſu feciſſe. Nunc autem hunc delectum tanta cum animi hæſitatione inſtituens; planè declarat nihil hîc ſe; niſi ex diuino arbitrio decernere, & moderari. Ratio probabilis, niſi quod omnibus vult conſtitiſſe de hac Dauidis ad Regnum inauguratione. Quod verúmne ſit, paulò pòſt videbimus.

Adhuc reliquus eſt paruulus.] Scripſit Dauid Pſalmum 26. de argumento, quod toto hoc capite continetur; quæ eſt inunctio ipſius in Regem. Ob id Pſalmus inſcriptus eſt, *Pſalmus Dauid antequam liniretur.* In eo Pſalmo præcipuè hoc commemorat, quod nunc agitur, gratiaſque Deo in primis habet; quod cùm à parentibus fermè eſſet obliuioni traditus loco parentum ſuorum, ſibi ipſe ſuccedere voluerit. *Quoniam*, inquit, *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem aſſumpſit me.* Neque enim nunc aliud narratur; niſi à Patre, & matre derelictum à Domino fuiſſe ſuſceptum. Quomodo derelictus? An non derelictus, qui cùm filios ſuos pater producere iuſſus eſſet, ſolus omiſſus eſt; aliis omnibus in medium adductis, & conſtitutis? An non derelictus, cuius penè memoriam pater abiecerat? Vix enim à propheta admonitus, & excitatus, illius recordatus eſt Iſai. *Adhuc*, inquit, *reliquus eſt paruulus.* Verè ergo derelictus, qui *reliquus* appellatur. *Quid eſt reliquus*, inquit Gregorius, *niſi abiectus?* Abiecerat enim illum pater; at aſſumpſit Deus: vt veritas ex omni parte diuini oraculi clariùs conſtaret. *Non ſecundum intuitum hominum videre Deum.* Non enim tantùm, quem primum pater ſtatuerat, abiecit Deus: ſed etiam quem vt poſtremum omnium abiecerat, elegit Deus. Abiectus ergo Dauid, & derelictus à patre, quia cæteris adductis prætermiſſus: abiectus, quia penè ex memoria obliteratus: abiectus quia ruri quodammodo relegatus, ouium cuſtodiæ attributus. C. Rabirium olim exiſtimatum eſt odio fuiſſe Patri: quia cùm duos hic filios haberet, alterum ſecum omni tempore volebat eſſe: Rabirium verò in prædia ruſtica relegarat, vt habemus à Cicerone [e] pro C. Rab. Quid ergo nunc de Dauide dicendum non ſolùm in prædia ruſtica à parentibus relegato; ſed ouibus ſeruandis inſuper affixo? nihil aliud certè quàm quod ipſe dixit. *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me.* Non odium hîc vllum parentum agnoſcimus, quia nec Dauid agnoſcit: ſummam tamen in illis incuriam, & neglectum filij negare non poſſumus; quia id quoque filius ipſe fatetur.

e Orat. pro Caio Rabir. perduel. reo.

Sopran. in Dauid.

Et paſcit oues.] Quomodo paueric, incertum eſſe non poteſt. Pauit enim vt opilio, pauit vt bubulcus; pauit denique non vt gregis, ſtabuliſque magiſter, cui reliqua paſtorum manus ſubiecta eſſet: ſed vt qui oues ipſe duceret, & reduceret, & ducendo ſeruaret. Hoc ſignificant in capite ſequenti [f] verba maioris fratris illum obiurgantis. *Quare*, inquit, *veniſti, & quare reliquiſti pauculas illas oues in deſerto?* Certè enim ſi magiſter ipſe tantùm, & ſupremus ouilis cuſtos fuiſſet, non ob hoc neglecta eſſet ouium cuſtodia: quod tantiſper abeſſet, dum patres inuiſeret. Similiter Deus ipſe hoc clarè demonſtrat, dum ſæpiùs commemorat magnitudinem beneficentiæ ſuæ erga illum, quod à ducendis ouibus ad regendos homines euexiſſet [t]. *Ego tuli te de paſcuis ſequentem gregem.* Et alibi [u] de hoc ipſo: *Suſtulit illum de gregibus ouium, de poſt fætantes accepit illum.* Qui enim *poſt fætantes* incedit, & qui oues *ſequitur* alius non eſt, quàm opilio, & bubulcus ouibus affixus obſeruandis. Meritò ergo Dauid diuina in ſe beneficia recenſens, illud in primis decantat [x]. Quod *ſuſcitaueris de terra inopem, & de ſtercore erexeris pauperem.* Prorsùs enim de ſtercore erectus eſt, qui de poſt fætantes aſſumptus eſt.

f Verſ. 11.

t 2 Reg. 7.
u Pſal. 77.

x Pſal. 112.

Non enim priùs diſcumbemus.] Non ergo longè admodum hæc paſcua abeſſe ab oppido poterant; quando in ipſo articulo diſcumbendi, & omnibus iam paratis: vult tamen Samuel conuiuium adhuc differri; donec accerſatur Dauid. Cæterùm quæ cauſa prophetæ fuerit hoc tam inſtanter vrgendi, meritò quæri poteſt; commodius enim & ipſi, & aliis fuiſſet, & ad rem quoque cælandam magis opportunum, ſi peracto prandio vocari quoque, & adeſſe Dauidem iuſſiſſet: quaſi cùm alios omnes Iſai filios officiosè appellaſſet: ipſum quoque cum reliquis vellet agnoſcere. Cur ergo id eouſque non diſtulit? Multæ ſunt coniecturæ. D. Gregorius *non vult*, inquit, *diſcumbere; priuſquàm veniat quem requirit, quia in obſeruatione ieiunij celebranda ſunt ſacramenta vnctionis.* Simile quid habet Lyranus *in reuerentiam inungendi Regis voluiſſe* (vt ipſe loquitur) *Samuelem ieiunum miniſterium iſtud obire.* Aliud affert Abulenſis; ſed ad mores inſtituendos magis accommodatum: eſſe diuina mandata rebus aliis omnibus præuertenda, inſtanter iis inſiſtendum, nec quieſcendum; donec quæ ille iuſſerit, effecta reddantur, etiam neceſſariam ipſam corporis refectionem negligendam. Quia viris

piis epulum ſit ſuauiſſimum, & iucundiſſimum; non dapibus lautiſſimis accumbere; *ſed Dei facere volantatem.* Sic Chriſtus Dominus rogatus [y] à Diſcipulis vt manducaret; cùm iam hora prandij præteriiſſet, & eibi eſſent appoſiti, & omnia iam parata quæ erant paranda; reſpondet; *Alium cibum habeo manducare quem vos neſcitis.* Et poſt adiecit. *Meus cibus eſt, vt faciam volantatem patris mei.* Similiter ergo hic Samuel nihil prætertēdum putauit diuino mandato, & ob id prandiū remorari voluit; vt à diuino mandato mora omnis abeſſet. Probabiliter ſanè omnia, doctè, & piè: ſed ad tropologiam potiùs ſpectantia, quàm ad hiſtoriam. In qua probabiliſſimum puto ideirco ante prandium voluiſſe Samuelem vocari Dauidem; vt magis alios celaret, quod erat acturus: ad quod occaſione illa celebrioris conuiuij vſus eſt. Quia durum nimis, & inhumanum videbatur, in communi paternæ domus lætitia minimum natu filium ſimplicem, & innocentem ſolùm deſiderari. Illum ergo quoque vocari iuſſit: in quo & pudori patris conſuluit; qui forte puerum in paſcuis occupatum non audebat eidem cum propheta conuiuio adhibere; reuerentia quadam retentus. Er Samuel etiam ipſe officium humani hoſpitis eſt expertus; patrem blande cogendo, vt filios omnes adduceret, & nullum indignum putaret, qui ſecum in eadem menſa veſceretur. Non ergo cùm dixit. *Prius non diſcumbemus quàm ille veniat.* Suſpicionem vllam dedit Propheta; eius quod facturus erat: nec nimia hac feſtinatione ſe prodidit: ſed potiùs & patri, & maioribus fratribus beneuolentiam ſuam commendauit: dum tam officiosè etiam minimum filium in ipſorum gratiam (vt ipſi credebant) requiſiuit.

[y] Ioan. 4. 30.

℣. 12.) Miſit ergo, & adduxit eum: Erat autem rufus, & pulcher aſpectu, decoraque facie. Et ait Dominus. Surge, vnge eum, ipſe eſt enim.

℣. 13.) Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius: & directus eſt ſpiritus Domini à die illa in Dauid, & deinceps: ſurgenſque Samuel abiit in Ramatha.

Surge.] Si propriè verbum accipiendum eſt, intelligere debemus Samuelem, & alios, interim dum accerſeretur Dauid conſediſſe. At cur ſedens non poterit vngere paruulum; vt propterea dictum illi fuerit, *Surge*, meritò quærit Gregorius. *An*, inquit, *tantus erat paruulus, vt ſedendo vngi non poſſet?* Reſpondet. *Sedendo tangere alta non poſſumus. Magna eſt enim virtus, magna celſitudo humilium: ſi ad eorum ſumma nec propheta pertingunt. Surgit ergo propheta, cùm ſe Pontifex in miram electi prædicatoris venerationem erigit. Nam foris humilem quaſi videndo conſpicit: ſed interius eius meritum: niſi ſe in interna contemplatione erigat, non agnoſcit.* Hæc ille myſticè. Ex quibus tamen literalem etiam aliquam cauſam eruimus, cur propheta ſurrexit. Surrexit enim officij cauſa; ſurrexit veneraturus; ſurrexit vt quem Deus iam Regno deſtinauerat; illum ipſe quo par erat honore, proſequeretur. Nec mirati ſunt alij rantùm honoris, à tanto viro tantulo exhiberi; quia enim nullus alius expectabatur; ad cómodū ipſo viſo ſurgere propheta potuit: non tam quaſi illi occurſurus honoris gratia; quam etiam accubiturus. Et hæc ſi ſurgendi verbum propriè ſumatur. Nam probabile etiam eſt quod hic alij [z] obſeruant. Vacare hoc nonnumquam, & ſimilia verba in Hebraico ſermone: Nec retinere ipſa per ſe propriam ſui ſignificationem: ſed illam augere verbi, cui adiunguntur: & niſi fallor illud volunt de hoc, quod ſuprà diximus de verbo *veni*, & aliis ſimilibus imperatiuis; quæ pro aduerbiis excitantis ponuntur, vt eia, age, &c. Hoc ergo loco perinde eſſe, *Surge, & vnge, ac incipe vngere: en age, vnge.*

[z] Lyr. Abul. Dion. Vatab.

Vnxit eum in medio fratrum eius.] Ergo in conſpectu fratrum, ipſis videntibus, & cernentibus vnctus eſt. Vnde quæſtio oritur, quam conſultò hucuſque diſtulimus; vt multa ſimul dubia complexi vno contextu omnia explicaremus. An Pater, & fratres, & familia tota Iſai cognouerint Dauidem nunc à Samuele regno Iſraelitico inaugurari. Theodoretus [a], affirmat, & videtur conſentire Chryſoſtomus [b]. Refert enim Samuelem ad Iſai dixiſſe. *Miſit me Deus ad te, vt ex filiis tuis vngam tu Regem*; & probabile fit; quia maiores filij clarè à Samuele reiecti ſunt, pronunciante ad ſingulos, *nec hunc elegit Dominus.* Et omnibus iam adductis conuerſus ad Iſai, clarè etiam pronunciauit: *nullum ex his elegit Dominus.* Sine dubio audiente, & intelligente Iſai de qua electione propheta loqueretur. Præterea ad quid Deus voluit hæſitationem illam prophetæ omnibus eſſe conſpicuam: niſi vt quem ille demum vngeret, omnibus conſtaret electum diuino nutu, vt dicit Theodoretus? Denique quid clariùs dici poterat, quàm *vnctum* ipſum *in medio fratrum*; vt ſignificaretur videntibus, & cernentibus inauguratum? Nam vt benè docet hoc loco D. Gregorius, *qui in medio ponitur, ab omni parte videtur, vt hunc omnes aſpiciant, & ab eo lucis exemplum ſumant.*

[a] Hic & Pſal 26.
[b] Homil. 5. Pſalm. 5.

Mihi tamen probabilius omninò eſt, vidiſſe quidem fratres inungi Dauidem; ignoraſſe tamen quorſum inungeretur. Fratres dico; quia de Iſai paulò pòſt. Indicat hoc Chryſoſtomus [c], & ſimul cauſam cur id ignorauerunt volente Deo. Ne ſcilicet idipſum pateretur à fratribus Dauid, quod olim Ioſeph a ſuis paſſus fuerat. *Sicut enim*, inquit, *illi addiſcentes futurum ſibi Regem inſidiati ei ſunt, & poſt multas iniurias vendiderunt: ſic timendum erat, ne & iſti hæc eadem perpetrarent. Omnium ergo ignoratione ſaluti Dauidis cautum eſt.* Er ſanè ſi tantoperè propheta ſollicitus erat; ne electio iſta ad Saulem aliqua ex parte manaret; veriſimile non eſt illum tot hominum conſcientias non formidaſſe. At erant omnes fratres, & illorum quoque negotium agebatur; plurimumque etiam intererat vitæ illorum, ne id vulgaretur. Vera ſunt iſta; ſed nihilominus ſollicitudine prophetam non liberaſſent. Eſto enim quod id ipſi non diuulgaſſent: quid de illorum amicis; quid de mulieribus; quid denique de aliis; quibus amicitiæ cauſa id ipſi communicaſſent? Er certè ſi ſequentia attendantur, nullum omninò veſtigium apparet; vnde probabilis coniectura fiat, hoc illos de Dauide cognouiſſe. Quid enim? Inunctus in Regem debebat illicò ad greges iterum cuſtodiendos amandari? debebat aſpera illa obiurgatione excipi à fratre maiore, qua excipitur ſequenti capite [cc]. *Quare veniſti, & reliquiſti pauculas illas oues in deſerto?* Sunt ne verba iſta ad deſignatum Regem, aut quem quis pro

[c] Homil. 10 Pſal 5.
[cc] Verſ. 8.

tali

tali habeat : an potiùs quem quis nullo in numero ducat ? At viderunt omnes ipſum inungi : fateor ; nec negare poſſumus , & ſatis clarè id textus,& apertè ſignificat : non tamen omnes intellexerunt quorſum inungeretur. Vt enim benè obſeruat Caietanus ſacra vnctio pluribus olim in populo Iudaico adhibebatur.Itaque non ſoli Reges,ſed etiam prophetæ, & ſacris initiandi inungebantur. Quin etiam Reges inungi nouum erat inuentum,& recens vſurpatum volente Deo. Vnde quidlibet aliud potiùs, quàm quod agebatur , poterant ex illa Dauidis iounctione fratres ſuſpicari.Vt interim omittam,caput oleo vngere, antequam accumberent Hebræos conſueuiſſe : vt colligitur ex verbis Chriſti ad Phariſæum [d]. *Oleo caput meum non vnxiſti.* Potuere ergo fratres vnctiooem illam,vt ſignum Samuelis beneuolentiæ in adoleſcentulum, & penè puerum interpretari. Cum præſertim propheta nulla verba protulerit,ex quibus quidquam certi deprehendi poſſet ; vt olim cum Saule fecerat. Hunc enim ſimul inunxit,& illa verba protulit [e]. *Ecce vnxit te Deus in hereditatem ſuam in principatu.* At quid de Iſai dicendum ? etiámne ad illum cælatum habuit propheta ? non puto. Neque enim vlla huiuſmodi cauſa ſuberat , quamobrem celaretur. At cur deinde iterum miſit in paſcua deſignatum Regem ? Fortè ne quidquam alij ſuſpicarentur.

[d] Ioan. 14.
[e] Cap. 10.

Spiritus Domini.]Ex multiplici ſignificatione, quam vocabulum *Spiritus* habet in ſcripturis ; in qua nunc potiſſimum ſumatur , inter expoſitores non conuenit. Qui minùs probabiliter loquuntur *gratiam*,quam *iuſtificantem* dicunt,interpretantur,vt Dionyſius.Alij pro dono *prophetia* poſitum volunt,vt Hieronymus [f],& Ioſephus [g]. Similiter enim prophetandi donum *ſpiritum Domini* nuncupatum ſupra [h] vbi de Saule dicitur,*Et inſiliet in te ſpiritus Domini,& prophetabis.* Dauidem porrò ante hanc diem diuinitus afflatum non fuiſſe inde conſtare ; quod alioquin non adeò deſpectus patri,& fratribus fuiſſet, vt gregi cuſtodiendo in paſcua ablegaretur. Alij *ſpiritum Domini* diuinos impulſus, motiones , inſpirationes interpretantur ; vt ſit ſenſus cœpiſſe ab ea die Dauidem diuinis impulſibus agi, & gubernari. Quem fortaſſe ſenſum præfert verſio Vatabli, *Spiritus Domini ab illa die,& deinceps agitare cæpit Dauid.* Alij peculiarem numinis adſiſtentiam exponunt ; qua factum deinceps ſit ; vt omnia Dauidi ex voto ſuccederent , & feliciſſimè curſum tenerent. Quem ſenſum inſinuat verſio Caietani. *Et proſperatus eſt ſpiritus Iehoua à die illa in Dauid.* Alij aliter. Mihi probabiliſſimum eſt; *ſpiritum Domini* hoc loco, robur, & animi fortitudinem ſignificare : non quamcumque;ſed conſpicuam ; ſed inſignem ; ſed magna molientem; & nulla pericula formidantem. Spiritum enim frequenter in ſacris,& prophanis literis pro vigore hoc, & animi alacritate appellari nota res eſt. Cæſar [i]. *His rebus tantum fiducia & ſpiritus Pompeianis acceſſit , vt non de ratione belli cogitarent,ſed viciſſe iam ſibi viderentur.* Cùm verò hæc animi fiducia,& vigor in bonam , & malam partem accipi poſſit : quando *ſpiritus Domini* nuncupatur , certum eſt in bonam omninò partem accipi debere. Et ex adiuncto illo *Domini* inſignem protsùs fortitudinem ſignificare. In quem ſenſum hoc loco nomen ſpiritus accipiendum, clarum ſatis fit ex antecedentibus , & conſequentibus ; licèt non negemus probabiliter quoque exponi poſſe de dono prophetiæ ; aut diuino patrocinio,quod Dauidi cunctis in rebus deinceps adfuit.

[f] Hie. in Tradition.
[g] lib. 7. c. 10.
[h] Cap. 10.
[i] lib. 3. de bel. ciu.

Directus eſt.] D. Gregorius videtur interpretari Saule relicto ad Dauidem ſe *ſpiritum* recepiſſe, vt directus in eam partem ſpiritus à ſe ipſo intelligatur. *Conuerſus*,inquit,*ſpiritus dicitur, vt conuerſus à Rege ſuperbo ſentiatur Se ergo ſpiritus in alterum dirigit ; quando eiuſdem ſpiritus gratia ſuperbos,ac fictos fugit.* Aptè hæc ille ad inſtitutum ſuum mores inſtruendi ; Qui literalem expoſitionem ſequuntur,non vno modo exponunt. Alij *directum ſpiritum*,id eſt inſiluiſſe,inuaſiſſe,vt 70. qui legunt *inſiluit in eum ſpiritus.* Alij interpretantur,*inſedit*, vt Abulenſis. Vatablus minus appoſitè vertit,*agitare cæpit.* Ego in verbo *dirigendi* exiſtimo à noſtro interprete perpetem manſionem ſignificatam ; vt intelligamus non per vices,& ſubinde; ſed continenter,& per modum *habitus* , vt Theologi loquuntur , ſpiritum hunc fortitudinis in Dauide viguiſſe. Atque ideo ſecum illum quocumque pergeret circumtuliſſe; nam & de bonis artibus ſimile quid Cicero alicubi pronunciauit,*nobiſcum illas cum ſemel poſſeſſa à nobis fuerint,peregrinari,& ruſticari.* Præterea per idem verbum *dirigendi* fortaſsè noſter interpres ſignificare voluit gratiam hanc Dauidi collatam fuiſſe conſpicuam ; & omnibus ab illa die fortibus factis proditam,& conteſtatam. Vtrumque enim hoc verbo clauditur. *Et ſtabilitas , & conſpicuitas :* tranſlatione ducta à ſimulachris; & columnis,quæ ad libellam eriguntur , firmantur, diriguntur, & ſtatuuntur. Quaſi ergo columna quædam ſpiritus hic fortitudinis in Dauide conſtitutus,& *directus* eſt. Ad quod alibi noſter interpres vſurpat verbum proprium *ſtatuendi.* Vt obſeruat Ambroſius [k] ad id. *Statue ſeruo tuo eloquium tuum. Sicut enim,* inquit,*ſimulachrum aliquod in baſi ſtatuitur,& tunc maiorem habet gratiam,cùm in baſi fuerit collocatum.Sic undique accipit firmitatem : ita verbum Dei in timore ſancto meliùs ſtatuitur.*

[k] Pſal. 118. Oct. 3.

A die illa & deinceps.] D.Gregorius *& in reliquum.* Quod exponit de dono perſeuerántiæ electorum proprio, qualis erat Dauid. Aptè ſuo more ad mores.Abulenſis valde ſolicitus eſt quomodo verum hoc ſit ; Nam ſiue de ſpiritu fortitudinis ; ſiue de ſpiritu prophetandi ; ſiue etiam de proſpero rerum ſtatu & felici curſu,hic ſermo ſit ; palam eſt hæc omnia deinceps Dauidi ſinè vlla interruptione perpetua non contigiſſe. An fortis ab iſta die, & deincèps,qui ſeptuagenarius factus adeò viribus defectus eſt ; vt calore penè extincto noua argumenta, quibus caleſieret, ingenioſè excogitata fruſtra illi fuerint admota ? an ſemper prophetiæ ſpiritu afflatus,qui homicidio, ac adulterio perpetrato non ſolum occulta, & incerta diuinæ ſapientiæ ; ſed ne illa quidem quæ ante pedes habebat,prouidebat ? an denique ſemper fœlix ; qui fugatus à filio,deſertus à ſuis, ab intimis proditus , èxul à Regia procul per inuia vagari coactus eſt,acerbiſſima ſuſtinens,acerbiora paueſcens ? Hæc ergo quomodo cùm hoc conſentiant,quod nunc dicitur *ab illa die , & deinceps , vel in reliquum* , non ſine cura diſputat Abulenſis. Nec illo minùs anxij debent eſſe Dionyſius , & alij , qui *ſpiritum in Dauide directum*, gratiam ſanctificantem interpretantur; In quibus etiam Gratianus [l] eſt ſacrorum Canonum compilator.

[l] Cap. ut cognouit de pœnit. diſt. 1.

pilator. Quomodo enim hæc directa in Dauid, qui fœdiſſimè lapſus duplici ſe grauiſſimo ſcelere contaminauit? Si enim *directus dicitur ſpiritus* poſt vnctionem; quia tunc primum Dauid eſt gratiam conſecutus; ergo antea iuſtus non erat, qui tamen adeo *oculis Domini placebat*. Si ergo *directus*, quia confirmatus, quomodo id verum, cùm deinde ceciderit? Nam vt bene Boëtius.

Qui cecidit ſtabili non erat ille gradu.

Dicendum ergo hanc, & ſimiles propoſitiones in ſcriptura, populariter accipiendas; in ſenſu, quem vulgò habere ſolent cum paſſim vſurpantur: non autem ad ſcholaſticam normam ſeuerè exigendas. Itaque *ab illa die, & deinceps* interpretandum, non quaſi in reliquum omne tempus ſine vlla interruptione hic ſpiritus, quicumque ille accipiatur, Dauidi ſemper affuerit; ſed quòd maiori ex parte.

ỳ. 14.) Spiritus autem Domini receſſit à Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam, à Domino.

ỳ. 15.) Dixeruntque ſerui Saul ad eum: Ecce ſpiritus Dei malus exagitat te.

ỳ. 16) Iubeat Dominus noſter, & ſerui tui, qui coram te ſunt, quærent hominem ſcientem pſallere cithara, vt quando arripuerit te ſpiritus Domini malus, pſallat manu ſua, & leuiùs feras.

Spiritus autem Domini receſſit à Saul.] Ille ſine dubio ſpiritus, qui in Dauide *directus* poſt vnctionem; idem nunc à Saule dicitur receſſiſſe. Quod per ſe ſatis conſtat, vt bene D. Gregorius obſeruauit. Ex quo intelligimus *ſpiritum Domini*, qui reſedit in Dauid propriè non eſſe donum prophetiæ: quia nec de dono prophetiæ ſpiritus hic eſt accipiendus, qui nunc à Saule recedit. Neque enim propheta fuit hactenus Saul, vt nunc primùm de illo dici poſſit, ſpiritu vaticinandi cœpiſſe deſtitui. Neque rurſus ſpiritum hunc eſſe gratiam ſanctificantem; propter eamdem cauſam; quia nimirum non primum nunc Saul illam amiſit. Quid ergo eſt *hic ſpiritus?* vel fortitudo animi, & mentis alacritas. Ab hac enim die Saul timidus præter ſolitum effectus eſt. Quod ſatis declarant quæ in ſequenti capite de illo dicuntur [m]. *Audiens autem Saul, & omnes Iſraëlitæ ſermones Philiſthæi huiuſcemodi ſtupebant, & metuebant nimis.* Ad vnius hominis vocem trepidauit Saul cinctus vndique agminibus armatorum: qui antea ſolus hoſtiles turmas inuadere non formidabat. Cur hoc? quia *ſpiritus Domini* receſſit ab eo, & vigore illo animi, & alacritate deſtitutus eſt, quæ ſolet eos comitari, quibuſcum Deus eſt, & præſens adeſt numine ſuo. Hi enim ſunt, qui dicunt [n], *Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum.*

m Verſ. 11.

n Pſal. 26.

Vel certè *Domini ſpiritum* poſſimus Dei patrocinium interpretari; quod ita Sauli ab hac die clarè deeſſe cœpit, vt adeſſe Dauidi. Vnde ſicut Dauidi cuncta deinceps indies magis, & magis feliciter ſuccedebant, ita è contra Sauli cœperunt omnia

In peius ruere, & retro ſublapſa referri.

Quod ſi præter hanc duplicem expoſitionem tertiam libet adiungere ex coniectura ductam; non omittam hoc loco, quod mihi ſemper probabile viſum eſt: hanc vocem *ſpiritus* in ſacris literis inter alias ſignificationes hanc etiam habere; vt pro eo ponatur, quod Itali ſolent appellare *Gran ſpirito*. Inde illæ ſunt locutiones. *Homo di ſpiriti grandi: Homo di poco ſpirito. Di gran cuore: & di poco cuore.* Ita etiam Hebraiſmo perſimili dici *ſpiritum Domini* præſtantem hanc ſublimis animi magnitudinem; quam vno verbo Latini magnanimitatem appellant. Vnde hoc loco vtroque tam cum de Dauide; quàm cum de Saule agitur; cœpiſſe Dauidem ab eo die, & deinceps ingentes iſtos ſpiritus gerere, qui digni prorſus eſſent imperio, cui deſtinabatur. Contra verò Saulem animum magis quotidie deſpondere; ſeipſo ſemper minorem.

Quæret aliquis an poſt Dauidem inunctum Sauli adhuc regia dignitas integra permanſerit. Gratianus [o], negare videtur. *Dauid*, inquit, *erat vir mitis, & humilis Sauli à Domino ſubſtitutus; per Samuelem vnctus in Regem.* Conſentire etiam videtur Ambroſius [p]. *Saulis conſulit Deus Regnum; ſed quia mandatum non cuſtodiuit, & regnum amiſit & ſpiritum.* Et ſatis clarè videtur ex ſcriptura ipſa colligi. Apertè enim dicit Deus [q]. *Quouſque tu luges Saul, cum ego abiecerim eum, ne regnet ſuper Iſrael?* Dicendum tamen eſt Saulem ſemper verum Regem fuiſſe, dum vixit: Dauidem verò inunctum in Regem; non vt ipſo adhuc viuente regnaret: ſed vt ius tantùm poſt illum ſucceſſionis haberet: illo dumtaxat mortuo regnaturus.

o Cap. plerumque 2. q 7.

p lib. de Naboth. cap. 16.

q Hic ver. 1.

Itaque Dauid ipſe infra [r] cũ Saulis clamydem præcidiſſet, grauiter indoluit, quod *Chriſtum Domini* auſus fuiſſet attingere, & maieſtatem regiam violare. Amiſſum autem ab illo, Regnum, dicit Ambroſius; non quod vmquam ipſe ab illo, depulſus fuerit; ſed quia proles eius poſt ipſum In quo ſenſu Gratianus quoque dixit Dauidem Sauli ſubſtitutum; non cui viuenti ſuccederet; ſed cui ſufficeretur extincto. Sed de his infra [ſ] pluribus.

r Cap. 24.

ſ Cap. 24. 8.

Spiritus nequam.] Patres, & antiquiores omnes Interpretes *ſpiritum nequam* malum dæmonem interpretantur, quo obſideri cœperit, & infeſtari ab hac die Saul. Ita Ioſephus [t] & poſt illum Chryſoſtomus [u] *dæmon*, inquit, *cùm ab eo affligeretur Saul expulſus eſt à Dauid.* Ambroſius [x], ſiue quis auctor, *Saul*, inquit, *prophetauit, cùm iam inobedientiæ cauſa ſpiritu malo fuiſſet repletus.* Et clariùs adhuc ad illud [y] *Cantabiles mihi erant.* Clariſſimè Nazianzenus [z]. *Saulis*, inquit, *cùm à prauo dæmone ſtrangularetur, medicinam fecit Dauid.* Conſentiunt Theodoretus, Gregorius, Iſidorus, Beda, Hugo Victorinus, Rupertus; quos deinde ſequuti ſunt Magiſter hiſtoriæ, Lyranus, Abulenſis, Dionyſius, Hugo Cardinalis, & veteres fermè omnes enarratores. Recentioribus tamen nonnullis viſum eſt ab hac recepta opinione diſcedere. Caietanus enim non malum Dæmonem; ſed morbum melancolicum, quam maniacam affectionem appellant, interpretatur. Nec nulla ratione ducitur ad id aſſerendum. Primò enim *ſpiritus bonus*, qui in Dauide *directus* à Saule diſceſſit, non eſt bonus Angelus: cur ergo *ſpiritum hunc malum* malum angelum interpretemur? deinde ſpiritus melancolicus morbus maniacus à medicis appellatus, in ſcripturis *ſpiritus malus* dicitur, & *nequam ſpiritum quidem* in libro Prouerbiorum [a]. *Animus hilaris ætatem floridam facit;*

t lib. 6 cap. 9.

u Pſal. 8.

x 1. Ad Corinth. 13.

y Pſal. 118. Oct. 7.

z Orat. 4. in Iulian.

a Cap. 22.

facit; ſpiritus triſtis exiccat oſſa. Nequam verò in Eccleſiaſtico [b]. *Expelle*, inquit, *triſtitiam; multos enim occidit; & non eſt vtilitas in ea.* Quid eſt non eſt vtilitas in ea? Ad nihil vtilis eſt: quod eſt idem ac *nequam eſt.* Hoc eſt enim propriè *nequam.* Quod frugi opponitur, & nequicquam eſt. Auguſtinus [c]. *Etenim ipſam nequitiam matrem omnium vitiorum, ex eo quod nequicquam ſit, id eſt ex eo quod nihil ſit, veteres dictam eſſe voluerunt; cui vitio quæ contraria virtus eſt, frugalitas nominatur. Vt igitur hæc à fructu, propter quamdam animorum fœcunditatem; ita illa à ſterilitate, id eſt à nihilo nequitia nominatur.* Meritò ergo triſtitia *ſpiritus nequam* quia ad nihil vtilis, & omnibus importuna. Triſtitia, inquam, quæ ſecundùm Deum non eſt. Præterea non ſunt in ſcriptura noua admittenda miracula; niſi valida nos ratio vrgeat. At ſi malum dæmonem hunc *ſpiritum nequam* interpretemur; miraculum ſine dubio in eo fatendum erit, quod cithara, & cantu Dauid ipſum expulerit. Quod miraculum nullum eſt; ſi ſolus affectus maniacus intelligendus eſt. Denique id etiam videntur conuincere ſeruorum conſilia; qui nullam aliam Sauli medicinam proponunt; niſi quæ triſtitiæ expellendæ ſit aptiſſima: aliud ſine dubio medicamenti genus prouiſuri: ſi malo illum obſideri dæmone exiſtimaſſent.

b Cap. 30.
c De beata vita diſp. 1. quæſt. 1.

Verùm hæc, & ſimilia licèt non exiguam ſpeciem probabilitatis habeant; non tamen tanti eſſe debent, vt veterum omnium expoſitio ſit propter illa penitus deſerenda. *Penitùs*, inquam; Nam ex parte repudianda eſt. Quatenus nimirum Abulenſis, Lyranus, & alij clarè affirmant Saulem verè ab hac die fuiſſe energumenum, & arreptitium. Quod omninò falſum puto. Vexatum enim tantùm exiſtimo à malo dæmone; non qui illum inuaſerit, & propriè obſederit: ſed qui illi inſtiterit, & adhæſerit, vt carnifex, & Dei tortor: pœnas ab arroganti & ſuperbo Rege exigens contumacis animi. Præcipuè autem illum vexaſſe, immiſſo morbo maniaco, quem facile fuit dæmoni excitare; humoribus, vnde ille ſolet exiſtere, perturbatis.

Hac ratione poſſunt fortaſsè recentiores cum Patribus conciliari. Qui clarè non aſſerunt fuiſſe Saulem ab hac die à dæmone obſeſſum; ſed tantùm vexatum. Vtrumque igitur verum eſt, & morbo melancholico laboraſſe; & malo deinceps dæmone exagitatum.

Nequam à Domino.] Sancti Patres à Marcionis, & Manichæi inſidiis ſibi timentes valde hic ſolliciti ſunt, vt explicent: quomodo hæc duo coniungantur. *Nequam, & à Domino. Si enim nequam*, inquiunt, *quomodo à Domino? Si à Domino quomodo nequam?* Reſpondet Gregorius, & ſecuti deinde ſunt Iſidorus, Eucherius, Rupertus, Angelomus. *Nequam fuiſſe hunc ſpiritum per deſiderium voluntatis iniuſtæ: à Domino per licentiam poteſtatis iuſtæ.* Quod eſt à Domino non nequam factum; ſed vitio propriæ voluntatis effectum; ad ſui ſimiles exagitandos immiſſum. Vnde *à Domino*; non conſtruendum eſt cum *nequam*; ſed cùm *exagitabat.*

Exagitabat.] Quæ erat iſta exagitatio? Alij *ſuffocationem* interpretantur, vt Eucherius, & Ioſephus ſecuti 70. qui legunt, *& ſuffocabat eum.* Alij *mentis conſternationem*: vt Vatablus, & Caietanus, qui legunt ex Hebræo *terrebat, aut turbabat eum*: intelligendo per id vexatum Saulem occultis terroribus per varia, & horribilia ſpectra, quæ cogitationibus obuerſarentur. Noſter Interpres verbo *exagitandi* vſus; cùm nullum certum genus vexationis expreſſerit, nullum excluſit; qui ſuffocationem exponunt, inde magnitudinem agitationis oſtendunt, quæ talis erat, vt ipſum aliquando ſpiritum interciperet. Hoc enim voluerunt per verbum *ſuffocandi* 70. & alij Patres. Qui de terroribus, & agitatæ mentis conſternatione interpretantur, magis exprimunt, in quo vexatio ipſa ſita fuerit, & propiùs attingunt rationem, quam malus dæmon ſequitur in vexandis hominibus. Spiritus enim maximè dirus, & triſtis, ipſam arcem animi mille terroribus oppugnat, & curis moleſtiſſimis excruciat. Quod de ſe fatetur B. Iob [d]. *Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum, & terrores Domini militant contra me.* A dæmone enim permittente id Deo ad coronam; ita vexatus eſt Iob; vt nunc Saul ad pœnam. *Sagittas* ergo *Domini* dicit quæ contra ſe mala, à dæmone fuerant immiſſa. Sicut enim quod Diabolus abſtulerat, à Deo ablatum dixerat [e]. Ita nunc quibus ſagittis configitur, *Domini ſagittas* appellat. Puto autem per has ſagittas, moleſtiſſimas ipſum curas, & turbidas cogitationes intellexiſſe. Hæ enim & à bonis auctoribus *aculeata* appellantur & ſpinoſæ: & ſagittæ ſimilitudinem habent; quatenùs quæ longiſſime à nobis ſunt, & quæ numquam erunt per vana terriculamenta nos pungunt, & vellicant. His porrò dicit *ſpiritum ſuum ebibitum*: Quod idem eſt, ac ſe illis adeò cruciatum; vt ſpiritu penè, & anima deficeretur; ac *ſuffocaretur.* Addit deinde more ſcripturæ clariùs, quæ eſſent iſtæ ſagittæ. *Et terrores Domini militant contra me.* Terrificæ cogitationes, & amariſſima ſpectra iugiter mihi animo obuerſantia, *ſagittæ Domini* ſunt. Curæ ſpinoſæ, & vndique hamatæ, & aculeis acutiſſimis horrentes, ſagittæ ſunt, quibus non corporis membra; ſed ſpiritus ipſe, & anima configitur. Aptè autem dicit terrores iſtos *militare contra ſe* Iob, quia in modum aciei diſpoſitæ, terrificæ illæ laruæ morbo melancolico correptum vrgent, & obſident.

d Cap. 6. v. 4.
e Cap. 2.

Et hoc pacto excruciabatur Saul à Dæmone, de quo iuxta Hebræum dicitur, quod *ſpiritus malus ipſum exterrebat.* Aduertendum autem huiuſmodi terrores ab immundis ſpiritibus immiſſos; ab antiquis; & externis ſcriptoribus etiã agnitos fuiſſe, & in triplicem differentiam diſtinctos, Lymphationem, Laruationem, & Faunorum agitationem *Lymphatos appellabant, quaſi nympharum ſpiritu correptos*, ait Varro. Credebant enim nymphas iratas ſi conſpicerentur homines furore mulctare, vt docent Feſtus [f]; & Heſichius [g], quæ ab Antiquis potentes Diuæ dicuntur, Vnde ſunt *Lymphationes* morbi, de quibus Plinius non vno loco [h]. *Laruatos verò, vel Cereos appellabant*, inquit Nonius, *quod Cereris, aut laruarum incurſione vexarentur*; at à Faunis agitati dicebantur qui medio die ex occurſu mali dæmonis exterriti, de poteſtate mentis exibant, de quibus omnibus terroribus illud cecinit Ouidius [i].

Nec Dryadas, nec nos videamus labra Dianæ,
Nec Faunum medio cum premit arua die.

f Verbo Lympho.
g Verbo Nympholepti.
h lib. 25. c. 5. lib. 28. cap. 6. lib. 34. c. 15. lib. 37. c. 3. 4.
i lib. 4. faſtorum.

Sanè nocturna, & diurna hæc dæmonia ſcriptura etiam videtur agnoſcere: dicente Dauid [k]. *A ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano*: quem

k Pſal. 90.

incurſum meridianum etiam Panicum terrorem veteres dixerunt à Pane Faunorum præſide immiſſum. De quibus omnibus Politianus[l] & alij[m]. Saul ergo ex hoc triplici genere non *laruatus*, nec *lymphatus*; ſed planè diurno terrore agitatus: quales veteres à *Faunis* vexatos putauere, qui aliud non erant, quàm mera dæmonia meridiana. Et hæc non omiſerim, quia recentioribus quibuſdam, qui elegantiùs loqui ſtudent Saul appellatur laruæ furore correptus, vt à Ludouico Pariſeto[n] de Diuina in homines beneficentia. Quod quàm verum ſit, ex his, quæ diximus facilè diiudicabitur.

l Cap. 28. Miſcellan.
m Martin. Delrio Hæc. OEtor, Act. 2. Polien. 2. ſtratag. Serrar. Ioſue 2.
n Orat. 2.

Dixeruntque ſerui Saul.] Seruos iſtos medicos Saulis fuiſſe dicit Ioſephus; & credibile eſt, de Regis valetudine reparanda non alios magis laboraſſe, quàm medicinæ peritos.

Ecce ſpiritus Dei malus.] Si malus quomodo *Dei?* ſi Dei quomodo *malus?* Quærunt hoc iterum iidem auctores paulò antè adducti Gregorius, Eucherius, Iſidorus, Angelomus, Rupertus, & alij. Et mirum quantum in hoc nodo clarè ſoluendo ſoliciti ſint. Scilicet id modis omnibus præcauebant; ne cuiquam in mentem veniret, Deum auctorem eſſe peccati. Propterea omnia etiam tuta timebant; omnibus occurrebant; & ſi quæ loca erant, quæ vel leuiſſimè ſpeciem aliquam eius rei viderentur habere in iis exponendis tori erant. Ne peruerſi homines iis abuſi, ſimplicioribus ad ſuos errores firmandos illuderent. Diceres Lutherum, Caluinum, Melanthonem, & huiuſmodi alias hominum peſtes ab illis prouiſas, qui pleno ore iactaturi erant: *mala omnia eſſe à Deo:* Ideo cautè ſe vndique aduerſùs illos muniiſſe; nunquam intecto latere proceſſiſſe; adeo vt ibi etiam nonnumquam trepidauerint, *vbi non erat timor*; vt hoc loco fecerunt. Neque enim ſi inſidiæ Hereticorum abeſſent quidquam hic difficultatis eſſet. At *ſpiritus malus* dicitur, & *Dei* dicitur. Si hunc ſpiritum morbum melancholicum intelligamus à dæmone immiſſum volente Deo; iam clarum eſt, quomodo *malus*, & quomodo *Dei*. Et modo nimirum, quo *nullum eſt in ciuitate malum, quod non fecerit Dominus*. Si verò per *ſpiritum malum* dæmonem exponamus; clarum etiam eſt, quantus ipſe eſt, totum Dei eſſe; non per quem, aut à quo malus ſit; ſed cuius in poteſtate etiam malus ſit. *Malo enim vitio propriæ voluntatis effecto Deus bene vtitur; ad vindictam*, inquit Eucherius, *malorum, & diſciplinam bonorum. Et ideo ſpiritus malus eſt; quia nocere appetit; ſpiritus Dei eſt; quia ſine illo nocere non poteſt.*

Serui tui, qui coram te ſunt.] Quid ſibi vult hæc circumlocutio; aut qui potius ſerui, quàm alij denotantur per hoc, quod dicitur. *Serui tui qui coram te?* Serui Regis proprio vocabulo, vt infrà[o] dicam Milites prætoriani in ſcriptura dicuntur? vel qui propriè Regij corporis cuſtodiæ inuigilabant; niſi tamen aliud ex adiunctis inſinuetur. Tunc enim cum antecedentia, & conſequentia aliud poſtulant; ita etiam pro re, de qua agitur, *ſeruorum vocabulum* eſt accipiendum. Cùm ergo paulò ante dictum eſt. *Dixerúntque ſerui Saul ad eum.* Seruorum nomen non de militibus; ſed de medicis à Ioſepho accipitur: quod medicorum proprium, & non militum videatur, ægris conſulere quid ſit agendum, aut omittendum: Coniectura, vt diximus, ſatis probabilis, non tamen firmiſſima. Nam nihil vetat homini

o lib. 2. c. 11. 12.

ſemper ad illam diem inter arma verſato; & quacumque incederet militibus cincto, qualis erat Saul; milites etiam laboranti adfuiſſe, & pro ſe quemque ſollicitum ſuggeſſiſſe (vt moris eſt) quod morbum leuaret. At hi ſerui, qui *coram Saule*, quibus ea cura mandanda eſt, qui propriè ſunt? Exiſtimo eos intelligi, qui erant Sauli à domeſticis lautitiis, & miniſteriis; à potione, à triclinio, à cubiculo. Iſti enim propriè Regi apparebant accumbenti, quieſcenti, ceſſanti, præſto ad omnes nutus, & ſi quæ vellet, imperata facturi. Propterea autem illis demandandum dicitur, vt muſicum hominem conquirant: quia hi maximè ſerui norunt, quid ad Domini palatum faciat; quibus ille oblectamentis, quibus deliciis capiatur: quia iſti ſunt aulicæ elegantiæ arbitri, & erudito luxu omnia voluptatum ingenia didicerunt. Non ergo militibus; Non medicis ipſis; non prætorianis aliis; ſed iis, *qui coram Saule ſunt*; qui comptuli, ornatuli, comatuli, lautitias omnes callent & delicias aulæ, cura demandatur egregium aliquem cythàredum perquirendi.

Quærant hominem ſcientem pſallere.] Ergo in tota Saulis Regia nulli adhuc cantores erant, nullæ cantatrices. Ex quo duo diſcimus; alterum ad hiſtoriam ſpectans; alterum ad mores. Ad hiſtoriam: toto ferè tempore, quo Saul regnauit, lautitias iſtas, & voluptatum illecebras ignotas fuiſſe; quibus aulæ paſſim Principum ſcatere ſolent. Nondum enim erat illi aula in regium ſplendorem, & luxum planè compoſita: nec vndique infeſtis hoſtium armis obſeſſo otium erat delitias vllas quærere: quæ deinde Salomonis tempore finitimis populis bello, victoriiſque perdomitis, non in aulam modò ipſam; ſed in vrbem quoque reliquam pleno ſe agmine intulerunt. Salomon enim eſt, qui ſe dicit, *paraſſe ſibi cantores, & cantatrices*; nihilque omnino neglexiſſe eorum, quæ illecebram aliquam voluptatis haberent. Contrà verò Saul militare potiùs viuendi inſtitutum ſecutus, procul à luxu, ignarus luxuriæ, priſca frugalitate contentus, in vita illa durabat, cui ante Regnum aſſueuerat. Inde ergo nunc eſt, quod ſerui iſti, aliquem, qui cantu, muſico turbas animi poſſit à Saule depellere, non inter aulicos in ipſa Regia: ſed procul ab illa conquirendum putant. Et hoc ad hiſtoriam. Illud verò ad mores: Saul Rex Iſraël, & firmata Regni maieſtate iam inclytus ſeuerè adeo, frugaliterque viuebat; vt ne vnum quidem haberet in Regia, qui ſciret ad numerum voces inflectere, & organa muſica artificiosè pulſare. Et tamen hic ſeuerus, & rigidus voluptatis oſor, deliciarum in Regia opulentia fugitans, à Deo reiectus eſt. Quid ergo nobiſcum fiet? quid cum illis, qui viuere ſe poſſe non putant, niſi vndique domus illorum cantibus perſtrepant, & modulatis vocibus circumſonent: nec ſine Perſicis delitiis poſſunt viuere, qui debent eſſe parati pro Chriſto cum voluptate mori?

Arripueris.] Aptiſſimo verbo noſter expreſſit id, quod in Hebræo eſt. *Et erit exiſtente ſuper te ſpiritu Elohim malo.* Exiſtere enim ſuper aliquem eſt hoc loco impetum in illum facere, inuadere, & vires in illum ſuas exercere. Quod totum cum de malignis ſpiritibus ſermo eſt, Eccleſiæ Doctores verbo *arripiendi* complexi ſunt. Vnde & apud illos dæmoniaci *Arreptitij* dicuntur; qui eadem ſignificatione Græco vocabulo

etiam

Digitized by Google

etiam à Latinis *Energumeni* nuncupantur. Energumenus autem idem eſt, ac in quo energiam ſuam alius oſtendit: qui alterius energiæ ſubiectus eſt: operationi; & efficacitati; quod eſt idẽ ac queẽ alius arripuerit. Origenes [p]. *Manifeſtè*, inquit, *ex multis indiciis monſtratur, quod humana anima dum eſt in corpore, accipere poteſt diuerſas energias, id eſt operationes ſpirituum diuerſorum bonorum, & malorum*, &c. Hoc ergo quod eſt *recipere operationes, & energias ſpirituum*; quicumque illi ſint; Hebraicè dicitur *fieri ſpiritum exiſtere, aſcendere ſuper aliquem*. Eccleſiaſtici verò auctores dixerunt *arripere*: & cum poſſit id intelligi tam de bono, quàm de malo ſpiritu vt dicebat Origenes: vſus tamen obtinuit, vt *arreptus, arreptitius* [q], *energumenus*; non niſi in malam partem accipiatur. At fortaſsè ex hoc deducet aliquis à malo dæmone afflatum fuiſſe Saulem: itaut *Energumenus* fuerit: & id etiam ipſum; id ſeruos ipſius omnes cognouiſſe. Falſum ergo omnino eſſe, quod Caietanus contra veteres omnes de affectione melancholica interpretatur. Reſpondeo: clarum, & certum eſſe ab immundo ſpiritu correptum fuiſſe Saulem: non ita tamen, vt ab illo obſeſſus eſſet. Sed tantùm vt immiſſo morbo dæmoniaco afflictus, & exagitatus. Aliud eſt enim ab immundo ſpiritu vexari, & arripi; aliud totum poſſideri, & obſideri. Hoc negauit probabiliter Caietanus nec contrarium aut ſcriptura indicat, aut Patres docent: At hic clarè dicitur. *Cum ſpiritus Dei malus te arripuerit*. Quod non poteſt de morbo melancholico interpretari. *Spiritus* enim *Dei malus* non eſt maniacus furor, nec hoc qui laborant *Arreptitij* dicuntur. Reſpondeo; Saulem & à dæmone, & à morbo fuiſſe vexatum: à dæmone vt ab immittente; à morbo, vt ab inſidente: ab illo vt à cauſa effectrice; ab iſto vt à forma afficiente. Optimè ergo cum morbus illum grauius exagitabat, potuit dici à malo ſpiritu exagitatus. At morbus propriè non arripit, ſed dæmon, & immundus ſpiritus; vnde Arreptitij: Verum hoc eſt: ſed non ſemper qui arreptus eſt, totum à dæmone poſſideri neceſſe eſt. Vt omittam phraſim iſtam, vel perſimilem vſurpari etiam in ſcriptura; cùm de ſpiritu immundo ſermo non eſt: ſed de quacumque violenta impreſſione. *Si ſpiritus*, inquit [q] Sapiens *poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te*; hic enim *aſcenderit ſuper te*, idem eſt, quod nunc Hebraicè dicitur de Saul, *Cùm ſpiritus extiterit ſuper te*. Et noſter vertit, *arripuerit*. Et tamen poteſt eo locò *ſpiritus* exponi, vel de impetu iracundiæ, vt Ambroſius [r]. Vel de faſtu, & arrogantia Tyrannorum, vt Hugo Cardinalis Bonauentura, Carthùſianus, & alij.

p Lib. 3. Periarch. cap. 3.

q Aug. lib. 2. de Ciuit. c. 4. & in Viues.

q Eccleſ. cap. 10. 4.

r Ambr. offic. 1. c. 21.

Vt pſallat manu ſua.] Pſalmus Græcis *cantus eſt fidium in cythara*: vnde pſallere eſt fides in cythara numeroſè tangere. Quod obſeruant Heſichius in Lexico, & Ariſtophanis interpres in Auibus. Caietanus monet hoc loco, quod in noſtra verſione eſt *Pſallere, & pſallens* poſitum eſſe pro *ſonare*, & *ſonans*, ſic ille barbarè vſio verbo explicat, quod Latini dicunt *fidibus canere*. Et ferri poterat, ſi vt clarè loqueretur barbariſmo vſus eſſet omnibus noto: Nunc autem *ſonare cytharam* quid ſit. Tantùm Itali, illiſque finitimi norunt, à quibus barbariſmus ille deſumptus eſt.

Et leniùs feras.] Quod nunc ſerui iſti Sauli conſulunt, ipſiſſima imago eſt eorum, quæ quotidie apud homines huius ſæculi contingunt. Ecce enim Saul Dei offenſionem incurrerat; Samuelem eius internuntium, & vatem ſanctiſſimum contempſerat; ſe ipſum grauiſſimis ſceleribus obſtrinxerat: indè in contumacis animi pœnam, morbum fœdiſſimum contraxerat: peſſimè cùm afflictaretur, & iactaretur. Quid opus facto ſit, inter ſuos agitur. In omnem partem inquiſitio extenditur, varia hinc inde promuntur, multa mouentur: tandem eò omnia recidunt, vt cytharœdus quæratur: de Deo autem placando verbum nullum. Sic etiam nunc paſſim. Quid dico nunc? Et rerrù ſemper per elapſa ſæcula. Morbo corripitur filiusfamilias, quem morbum quomodo contraxerit Deus ſcit, & ipſi ſciunt parentes: & ipſe ſcit qui laborat. Quis eſt, illi qui ſuggerat quò primùm accurrendum ſit? quis iratum Deum, ſordes animi, & præterita crimina præſens æternæ mortis periculum in mentem reuocat? Nullus omnino. Sed idem prorſus cum ipſo fit, quod nunc cum Saul: ad illum accedunt, ſic compellant. *Ecce ſpiritus Domini malus exagitat te.* Quid tum quid ſequitur? *Voca ergo*, inquiunt, *hominem ſcientem pſallere cythara.* Itáne verò? quid morbo cum cythara, aut muſicæ cum luctu? Expectabam, vt conſulerent quod olim Eliphaz Iobo grauiſſimè laboranti conſulebat [qq]. *Voca ergo ſi eſt qui tibi reſpondeat, & ad aliquem ſanctorum conuertere.* Iſti tamen Cytharis mihi, cantúque importunè perſonant: & quod peius eſt, hoc dum faciunt ſummo ſe ſtudio, & amore teneri illius iactant, cui ſic conſulunt. Si qui verò alia volunt, & verbum vllum faciunt de ſalute animi procuranda, de Deo placando; de ſacerdote accerſendo; hos inimiciſſimos iudicant. Atque vtinam ſaltem quando illis fixum eſt cytharas aduocare (nos enim aliqua etiam oblectamenta concedimus, vt leuetur morbus) Cytharam, qui illis pulſat, Dauides aliquis eſſet, aut Dauidis ſimilis. Ferri enim poſſet, ſi quæ ritè fiunt, vt exhilaretur æger, ſanctè fierent. Nunc autem illis ita conſtitutum eſt, nullum riſum putare, niſi cùm ſcelere, aut nugis nugaciſſimis coniunctum. Quod non noſtris, ſed Saluiani [t] diſertiſſimi, & ſanctiſſimi viri verbis deplorabo. *Nobis autem ridere, & gaudere non ſufficit niſi cum peccato, atque inſania gaudeamus: niſi riſus noſter impuritatibus; niſi flagitiis miſceatur. Quis rogo error hic eſt? quæ ſtultitia? numquid lætari aſſiduè, & ridere non poſſumus; niſi riſum noſtrum atque lætitiam ſcelus eſſe faciamus? an fortè infructuoſum putamus gaudium ſimplex; nec delectat ridere ſine crimine? quod rogo hoc malum eſt, aut quis furor? Rideamus quæſo quantumlibet immenſuratim; lætemur quamlibet iugiter, dummodò innocenter. Quæ vecordia eſt, & amentia; vt non putemus riſum, & gaudium tanti eſſe; niſi Dei in ſe habeat iniuriam?*

qq Cap. 5. 1.

t lib. 6. de Prouid.

℣. 17.) Et ait Saul ad ſeruos ſuos. Prouidete ergo mihi aliquem bene pſallentem, & adducite eum ad me.

℣. 18.) Et reſpondens vnus de pueris ait. Ecce Dauid filium Iſai Bethlehemitem ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore & virum bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus eſt cum eo.

℣. 19.)

℣.19.) Miſit ergo Saul ad Iſai dicens. Mitte ad me Dauid filium tuum, qui eſt in paſcuis.

℣.20.) Tulit itaque Iſai aſinum plenum panibus, & lagenam vini, & hædum de Capris vnum; & miſit per manum Dauid filij ſui Sauli.

℣.21.) Et venit Dauid ad Saul, & ſtetit coram eo: at ille dilexit eum nimis, & factus eſt eius armiger.

℣.22.) Miſitque Saul ad Iſai dicens. Stet Dauid in conſpectu meo: inuenit enim gratiam in oculis meis.

℣.23.) Igitur quandocumque ſpiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat cytharam, & percutiebat manu ſua. & refocillabatur Saul, & lenius habebat, recedebat enim ab eo ſpiritus malus.

Vnus de pueris.] Quis iſte fuerit, curioſum ſit fortaſsè quærere; quando id ſcriptura non exprimit, nec aliunde certò conſtare poteſt. Quæſierunt tamen Rabini, ex quorum traditione Hieronymus refert fuiſſe Doëch Idumæum; perpetuum Dauidis æmulum, & obtrectatorem. Quem etiam adiungunt hæc omnia malignè locutum; non vt Dauidis laudibus faueret: ſed vt iiſdem immodicè oneratus, in altum eueheretur; vnde grauior illum caſus elideret. Placuit mirè tanta ſubtilitas Lyrano; qui inde etiam colligit, & confirmat laudes iſtas in Dauidem malignè congeſtas, quod appellatus ſit *vir bellicoſus.* Id enim in Dauidem non conuenire, qui puer adhuc erat, & ad eam diem greges inter, & ſyluas educatus. Non probat hoc Abulenſis, Lyranum ſimul, & hanc totam Rabinicam diuinationem pluribus refellens. Mihi refutatione non indiget, quod ita dicitur, vt nulla coniectura probetur.

Virum bellicoſum.] Non quod bellis aſſuetus; ſed quod bellis aptus, militari indole, & firma totius corporis habitudine videretur, vt bene Abulenſis, & Caietanus obſeruant.

Et Dominus eſt cum eo]Hac clauſula complectitur quidquid ad extollendum, & commendandum Dauidem afferri poterat. Nullum enim bonum ab eo abſit neceſſe eſt, cum quo Deus eſt. Qua de re, quia plura in diſputationibus; nihil hic aliud adiungo.

Tulit Iſai aſinum plenum panibus.] Hoc aliud eſt quod ſeruus ille comicus iniquè comparatum lamentabatur, *vt hi qui minus habent ſemper aliquid addant ditioribus.* Scilicet *habenti datur,* iuxta verbum Chriſti; *& non habenti id quod habet etiam, aufertur ab eo.* Abundat Saul, Eſurit Iſai: Rex ille; paſtor eſt iſte: & tamen munera tantùm dat Iſai, recipit Saul. Et quæ munera? Eſculenta tantùm, & poculenta; quæ etiam vniuerſa, ne quis ob magnitudinem pretioſa putet vnius aſini iuſtam ſarcinam non excedebant. Verùm ex iſtis riuulis ſimul confluentibus ingens ille torrens, & fluuius, deinde redundat regiarum opum. Tantæ iſtæ non eſſent: ſi magnorum tantùm magna dona principum expectarentur. Flumen Tyberim extra alueum ſupra ripas agit, non fluuius alter; ſed exiguæ guttæ, quæ multiplicatæ dum cadunt, denſantur in imbrem. Ea ergo cauſa eſt, cur aſinus hic onuſtus panibus; & alia ſimilia paſſim exigua munera non indigna cenſeantur Regia magnitudine.

Cæterùm hoc loco obſeruandum eſt; Orientalium perpetuam conſuetudinem fuiſſe, vt inter honoris, ac reuerentiæ ſigna, quæ tenuiores maioribus exhibebant, primum locum munera obtinerent. Quod adeo religioſè ſemper eſt, & vbique ab illis ſeruatum; vt ne quidem cum Reges ab infimis ſalutarentur, eam conſuetudinem negligi fas eſſet. Itaque auctor eſt Herodotus [f]. Perſarum Regem abſque munere adire nemini licuiſſe. Illos verò tenuiorum donaria, & quæcumque pro viribus offerrentur ſumma facilitate excipere conſueuiſſe: quod idem de Parthorum Regibus Seneca [t] affirmauit *Reges Parthos*, inquit, *non poteſt quiſquam ſalutare ſine munere.* A quo more illa ſunt, quæ Ælianus [u] ſcribit. Agricolas, & opifices ſua etiam munera Regibus obtuliſſe: donaſſe autem neque magnifica nimis, & pretioſa; neque vilia nimis & exilia: ſed alios boues aut oues; alios fruges, aut vinum: tenuiores verò lac: caſeum, poma, denique & fructus, quibus crudis etiam veſci licet. Quin etiam memoriæ proditum eſt à Plutarcho [x], & eodem Æliano [y] adeò vacuos Regi ſuo ſe ſiſtere refugiſſe; vt cum nihil aliud, quod offerret, haberet, Sinatas quidam Perſa hauſtam manibus aquam è proximo profluente Artaxerti lætus obtulerit; egregiam pauperis voluntatem miris laudibus extollenti, & gratulanti. A qua eadem conſuetudine qui Magi ab Oriente venerunt non niſi prolatis muneribus recens natum Deum adorarunt: Et nunc Iſai, filium ad Regem miſſurus primum omnium munera expedit, quo ſuam in Regem, & ſuorum omnium obſeruantiam conteſtetur.

f lib. 1. Hiſt.
t Epiſt. 17.
u lib. 1. c. 9. de variar. Hiſt.
x In Artaxerſe.
y lib. 1. c. 32.

Et hædum de capris vnum.] Munera hæc ſine dubio fidem amplam facere poſſunt tenuitatis, & paupertatis Iſai: vt meritò ſeipſum Dauid appellare ſæpius potuerit *egenum, & pauperem.* A qua tamen egeſtate, & paupertate ad ſummum Regni faſtigium euectus exemplo ſuo docuit Dei eſſe. *Suſcitare [z] de puluere egenum, & de ſtercore erigere pauperem; vt ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat.* Ne quis verò miretur, cur Saul ſe indignas non exiſtimauerit ruſticas illas lautitias; quales erant pauculi panes; vini laguncula, & hœdus capratum, faciunt quæ proximè a nobis dicta ſunt de conſuetudine Orientalium in ſuis Regibus adeundis.

z lib. 1. Reg. cap. 2.

Aſinum plenum panibus.] Hebraicè eſt *Aſinum panis*, vt obſeruat Caietanus, & Vatablus. Vt hinc diſcamus quid ſibi velit Dauid cum vocat alicubi [a] *diuites viros diuitiarum.* Sicut enim hoc loco *Aſinus panis* eſt onuſtus panibus, ita ibi *viri diuitiarum* ſunt onuſti diuitiis, & ſub illis, quaſi ſub graui ſarcina, vt Aſini gementes. Non deſunt tamen qui in noſtra verſione *Aſinum plenum panibus* interpretentur Aſini corium in modum ſacculi conſutum, quod panibus Iſai repleuerit. Nimirum non intelligentes quomodo Aſinus aliter panibus repleri poſſet.

a Pſal. 75. 6.

Stetit coram Rege.] State in conſpectu Domini eſt illi miniſtrare, & inſeruire vt de tribus pueris [b] *Steterunt in conſpectu Regis*, & alibi de Ioſepho [c]. *Stetit in conſpectu Regis Pharaonis.* Latini dicerent, (inquit Delrio [d]) ſtare ad pedes, & huiuſmodi vocabant ſeruos à pedibus, vel vnico vocabulo

b Dan. 1. 19.
c Gen. 41. 46.
d In hunc loc. Gen.

vocabulo circumpedes. Sed melius Maldonatus in Danielem loco citato, *ſtare in conſpectu*, interpretatur admitti, & cooptari ad ſecretius Regis; & Domini miniſterium, & magis familiare: cuiuſmodi ſunt honotarij ephæbi, & quos vulgò *principum cubicularios* appellant. Suetonius *intimos principis*. Similis Hebraiſmus eſt, *videre faciem alicuius*. Idem enim hoc valet, quod *ſtare coram illo*: nec aliud ſibi vult illud apud Matthæum[c]. *Angeli eorum ſemper vident faciē Patris*.

c Cap.18. 10.

Fecit illum armigerum ſuum.] 70. *Et factus eſt ei portans vaſa eius.* Sunt autem *vaſa*, arma in ſacris litteris; vnde aptè noſter *armigerum* vertit.

Tollebat cytharam, & refocillabatur Saul.] qua ratione per cytharæ cantum vel immundus à Saule ſpiritus expelleretur: vel affectio melancholica ſedaretur, longa eſt nobis diſputatione quærendum; quæ pro amplo commentario erit reliquis, quæ in hoc capite continentur.

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT XVII.

ARGVMENTVM.

CVM bello flagraret Iudæa tellus, & ex aduerſo Allophylorum, & Hebræorum acies conſtitiſſent; Golias quidam miræ magnitudinis vir, ordines prætergreſſus, verbis ferocibus probra in Hebræos iaciens, ſingularem pugnam ciebat. At Iudæos territos inuſitata ſpecie proceritatis; & apertè certamen abnuere vetabat pudor; nec in certum periculum deſcendere permittebat metus. Interim ille geſtu, voce, ludibrio, ſilentibus vt victis inſultabat. Nec tamen per 40. dies ſtolidè ferox, & latus, quemquam vnquam potuit ex castris Hebræorum educere, qui ſecum ſingulari certamine dimicaret. Fruſtra ille conuicia, fruſtra exaggerabat probra; fruſtra hinc Rex ingentia præmia, & filiæ nuptias, prouocatoris ſpolia referenti promittebat. Nemo enim ex tanto agmine inuentus eſt: qui vitam nomini, aut Regiæ affinitati poſthaberet. Cùm ecce tibi indignatus Dauid probro ſuorum, quo etiam Dei nomen temerari putabat; quod omnes facere detrectant, ſolus aggreditur; & vt furenti belluæ arrogantiam frangat, ſolus audet ruentis impetum ſuſtinere. Igitur vix dum adoleſcens, & penè puer, projectis armis, quorum inſolito pondere grauabatur; virga tantùm; ac quinque lapidibus inſtructus procedit ad pugnam. Adeſt militi ſuo Deus; & in ſe vno fidenti audaciam inſpirat, vires ſuggerit, dirigit ictus. Primo enim iactu lapidis è funda dimiſſi Gigas in fronte percutitur, ſternitur; ſtrato & in mortem anhelanti caput abſcinditur. Tam triſti pugnæ præſagio Palæſtini trepidi, in fugam vertuntur. Fugientibus Hebræi inſtant, & plenam de hoſtibus victoriam conſecuti, victorem Dauidem in caſtra cum plauſu, & militari gratulatione proſequuntur.

℣.1.) Congregantes autem Philiſthiim agmina ſua in prælium conuenerunt in Socho Iudæ: Et caſtrametati ſunt inter Socho, & Azeca in finibus Dommim.

℣.2.) Porrò Saul & filij Iſraël congregati venerunt in Vallem terebinthi, & direxerunt aciem ad pugnandum contra Philiſthiim.

℣.3.) Et Philiſtiim ſtabant ſuper montem ex parte hac, & Iſraël ſtabat ſupra montem ex altera parte: valliſque erat inter eos.

IN Vallem terebinthi.] Hebraicè eſt; *In Vallem* האלה *Ela.* Qua voce certum eſt ſignificari arborem; quam autem propriè; non ita certum. Alibi noſter interpretatur *quercum*; vt cùm Abſalonem [a] capillis circumplicatum ad quercum hæſiſſe refert. Hebraicè enim ibi eſt האלה *Ela.* Hic tamen maluit pro terebintho accipere. Vatablus hoc loco; *In Vallem quercus*, ſecutus Complutenſes.

a lib.2.Reg. 18.

Et direxerunt aciem ad pugnandum contra Philiſthiim.] Narrat Ioſephus ita Iudæos ſuperueniſſe Palæſtinis, vt illos coëgerint prima caſtra deſerere, & aliò transferre; quod ſine dubio de ſuo adiungit; & ipſum ſecutus Sabellicus diuinando potiùs, quàm certa vlla coniectura duci. Si enim pulſi à primis caſtris Allophyli, tutiori in loco tendere coacti ſunt; ergo ante binos vtrinque montes occupatos; iam diu contra ſe exercitus inuicem ex aduerſo ſteterant. Cur ergo Golias tunc in medium non proceſſit prouocaturus ad pugnam? Nihilque aduersùs Iudæos fortiter fecit in propugnatione ſuorum? An nondum in caſtra venerat; ſed poſtea adfuit, ſuis iam primo loco cedere compulſis? Ita oportuit. Sed vnde hoc habemus? Non aliùnde certè quàm diuinando; nihil enim in ſcriptura eſt, quod vel tenuem ad id coniecturam aperiat. Refellendum ergo non eſt, quod ita aſſeritur, vt non probetur. Simile iudicium fieri debet de iis, quæ Zonaras, Glycas, & Cedrenus afferunt, præterea, quæ in ſacro textu de hoc certamine

certamine commemorantur. Vnde enim potuerunt hæc illi accipere, vt certam fidem debeant obtinere?

℣.4.) Et egreſſus eſt vir ſpurius de caſtris Philiſtinorum nomine Goliath, de Geth, altitudine ſex cubitorum & palmi.

℣. 5.) Et caſſis ærea ſuper caput eius, & lorica ſquamata induebatur. Porro pondus loricæ eius quinque millia ſiclorum æris erat.

℣. 6.) Et ocreas æreas habebat in cruribus: & clypeus æreus tegebat humeros eius.

℣.7)Haſtile autem haſtæ eius erat quaſi liciatorium texentium. Ipſum autem ferrum haſtæ eius ſexcentos ſiclos habebat ferri: & armiger eius antecedebat eum.

Quatuor iſti verſus abundè erunt expoſiti, ſi hæc de Golia explicemus, quis fuerit, qua corporis proceritate, quibus & qualibus armis inſtructus. Quis fuerit; nobis quærendum eſt, non quod id magni referat; ſed vt quæ ab aliis diuinando afferuntur, non ignorentur. Sunt enim qui illum Dauidis cognatum faciunt. Itaque apud Pſeudophilonem in libro antiquitatum biblicarum ſic Dauid Gigantem alloquitur, antequam armis congrediatur. *Et profectus eſt Dauid ad Goliam, & dixit ei, Audi verbum priuſquam moriaris: Nonne ſorores erant duæ mulieres, vnde natus es tu & ego? Et erat mater tua Orpha, & mater mea Ruth. Et elegit ſibi Orpha Deos Allophilorum, & abiit poſt eos: Ruth autem elegit ſibi vias fortiſſimi, & ambulauit in illis, & nunc nati ſunt de Orpha tu, & fratres tui,* &c. Nec diſſimilia habet Rupertus [a]. *Golias,* inquit, *de progenie Orpha, Dauid erat de progenie Ruth: quæ veraque nurus fuerat Noemi. Nam Orpha oſculata eſt ſocrum, & reuerſa eſt: Ruth adhæſit ſocrui ſuæ, de cuius radice germinauit Dauid; qui nati ex Orpha Philiſtæi ſuperbiam peruerteret.* Sed quod magis mirum eſt, idem admittitur à Prudentio, cuius illa ſunt in Hamartigenia.

a lib. 2. c. 4. Com. in lib. Reg.

Sed priſtinus Orpha
Fanorum ritus, præputia barbara ſuaſit
Malle; & ſemiferi ſtirpem propagare Golia.

Ex iſtis deinde narrationem attingunt recentiores. Serrarius noſter in Ruth, Bochius in Pſalmos, vbi contexit Dauidis hiſtoriam, & plures alij. Hæc an vera ſint; diiudicare difficile eſt. Illud certum eſt non potuiſſe Orpham eſſe matrem Goliæ, ita vt illum pepererit. Nam vel Golias tunc cum aduersùs Dauidem decertauit, Neſtore ſenior fuiſſet; vel certè illum Orpha eſſet enixa pluſquam 300. annos nata; quod vtrumque ridiculum eſt. De Orpha ergo natus intelligendus eſt, quod ex eius ſtirpe fuerit propagatus; quemadmodum Dauid ad Ruth etiam ſpectabat, non vt ab illa editus, ſed vt à qua ſtirpem ducebat. Portò hoc ipſum (quod ſi aliquid ex his eſt, ſolùm admittendum eſt) an verum ſit; affirmare non auſim. Fabula enim illa Pſeudophilonis commentum mihi Rabinicum redolet: ac proinde omnia, quæ huc ſpectant, ſuſpecta facit. Exiſtimo autem inde iſta manaſſe, quod in ſacris litteris gigantes dicuntur eſſe ex genere *Arapha* [a], quod alij legunt *Arpha*, & nonnulli *Orpha*. Vnde factum eſt, vt gigantes putauerint ex ſtirpe Orpha propagatos; ac proinde ex illa quoque Goliam ſuum genus traxiſſe. Sed nos ſuo loco quid ſit; *de genere Arpha*; & cur de illo gigantes eſſe dicantur; exponemus infrà [b]. Hoc igitur de Golia an Dauidi fuerit cognatione coniunctus; ambiguum eſt. At extra controuerſiam eſt idolulatram fuiſſe, & incircumciſum: addit ſcriptura etiam *ſpurium*. Quod ſi propriè accipiatur, & vt incerto patre natum ſignificat; meritò dubitari poteſt cur ſignanter id à ſcriptura adiungatur. Sunt enim qui impropriè accipiunt, & poſitum putant pro *Ethnico & gentili*; qui ſpurij, à Iudæis appellabantur, *& filij alieni*; vnde & *alienigena*, vt habetur [c] libro II. & Pſalmo XVII. & alibi ſæpiùs. Ratio autem appellationis quod falſum patrem, falſos ſcilicet deos ethnici ſequûtur, nati eſt gentilitate quæ legitimo Deo, quaſi viro, relicto, adulteris adhæret. Ac proinde *filij, alieni*, id eſt alieni viri; *adultera genimina, & ſpuria vitulamina*: quo etiam nomine Iudæi in ſcriptura appellantur, quando à vero Deo deſciſcunt. Sed vt concedam *filios alieni viri* nonnunquam ethnicos appellari in ſcriptura [d], non tamen memini vnquam *ſpurios* illos dici. Et ſi dicerentur; cur hic peculiariter de Golia exprimatur, quod de omnibus qui in caſtris Paleſtinorum militabant, certum erat? Caietanus ex Hebræo pro *ſpurio*, vertit *de medio*, ſic legens; *Et egreſſus eſt vir de medio de caſtris Palæſtinorum*. Notat autem ſignificari per hoc, quod non ex latere, & angulo quopiam caſtrorum; ſed ex medio omnibus ſpectantibus ac proinde prouocationem illius approbantibus egreſſus eſt. Alij, vt Vatablus, vertunt; *Egreſſus eſt intermedius*; vt ſignificetur locus, vbi inter duas acies conſiſtebat, dum prouocaret ad pugnam. Quæ vt probabiliter dicantur ad textum Hebraicum; certè quid ſit *ſpurius* in noſtra verſione; ita non explicant, vt etiam illam reiiciant. Puto ergo *ſpurium* hoc loco propriè accipiendum: & ſic accipiunt Auguſtinus, Beda, Eucherius, Angelomus, & alij. Quod autem in Hebræo propriè eſt; *Egreſſus eſt vir de medio*; puto optimè in hanc ſententiam à noſtro vulgato acceptum; vt de ſpurio intelligeretur. Sicut enim fœminæ proſtituti pudoris; omnibus expoſitæ, & publicæ libidinis victimæ dicuntur; ita qui de huiuſmodi naſcuntur, *de medio* Hebraicè honeſto vocabulo nati dicuntur, quaſi omnium filij; quia nullius certo ſunt.

a lib. 2. Reg. cap. 20.
b lib. 2. c. 21.
c Cap. 22.
d lib. 2. c. 22.

At cur Prudentius *Goliam* ſemiferum appellat? Hoc enim ad id etiam ſpectat; vt quis tandem ille fuerit intelligatur. An ex fera ſimul & homine compactus, & prodigioſè formatus Golias? Fortè *ſemiferum* dixit propter truculentiam & ferinos mores; forte etiam propter enormem corporis magnitudinem. Paulinus [e] Nolanus Goliam *ſedigitum* appellat. Quod vnde hauſerit; ignoro. Et ſi fuit; non propterea ſemiferus potuit appellari. Neque enim manus vno digito auctior, feræ quidpiam habere cenſenda eſt.

e Ad Seuerum.

Iam de eius proceritate. Scriptura clarè exprimit altitudinis fuiſſe *ſex cubitorum, & palmi*. Variant LXX. & Complutenſes, qui dicunt; *Quatuor cubitorum & palmi*. Et ipſos ſequutus Ioſephus; *Quatuor*, inquit, cubitos vno palmo ſuperabat. Admiſſa autè noſtra vulgata lectione,

quæ

quæ veriſſima eſt & certiſſima, dubium eſt quantus hic cubitus fuerit. Ea de re quia à nobis alibi differendum eſt propria diſputatione *de cubito ſacro* expoſituris, nunc breuiter illud tantum afferemus, quod habet D. Auguſtinus [f], *non impoſſibile eſſe, vt cum de cubito ſermo eſt in ſacris litteris, geometricum intelligamus. Ex his autem verum*, inquit Auguſtinus, *quantum fex noſtra valere aſſeuerant.* Quod ſi verum eſt (an autem verum ſit, nunc non diſcutio) certè poteſt vnuſquiſque apud ſe perpendere quantus Golias fuerit, qui quadraginta noſtros cubitos ſtaturæ proceritate fermè expleuerit.

f lib. 15. de ciuit. cap. 27.

Supereſt vt de armis. De quibus breuiter dicendum quanti ponderis fuerint, & ex qua materia confecta. Ioſephus [g] de iis in vniuerſum hæc habet; *Vaſtos artus conuenienti armatura protectus erat.* Et addit deinde de ſingulis. *Thorax*, inquit, *quinque millia ſiclorum pendebat*; thoracem appellant eum L X X. quod noſtra vulgata *loricam hamatam*: Ad cuius pondus quod attinet; nulla diſſenſio eſt. Omnes enim verſiones habent *quinque millia ſiclorum æris* fuiſſe. Porro ſiclus erat Hebræis & nummus & pondus; hic ſine dubio, pondus eſt; quantum autem; conſtat etiam inter omnes ſemunciale fuiſſe, vt nos alibi fuſius. Atque adeo *quinque millia ſiclorum*, vncias reddidiſſe bis mille quingentas; quod paulo minus libras conficit decem ſupra ducentas. Ex quo calculo quanti etiam ponderis fuerit ferrum haſtæ colligi poteſt. *Sexcentos*, inquit, *Siclos habebat ferri*. ideſt 300. vncias, quæ ſunt libræ ipſæ 25. Si autem ex his quæ clarè à ſcriptura ponuntur; de iis etiam coniectura fiat, quæ ſubticentur vt de *galea, ſcuto, ocreis, haſtili*; nihil à vero aberrauerit, qui arma omnia libras 500. exceſſiſſe dixerit. Vnde etiam quantæ vires huius belluæ fuerint, exiſtimare licet; quem hæc omnia nihil grauabant: nam arma miles non magis oneri computat, quam membra. Iam de materia. Hæc omnia ex ære fuiſſe dicuntur. Ad quod obſeruandum frequentiorem apud antiquos fuiſſe vſum æris, quàm ferri, heroicis maximè temporibus; teſtatur id in communne de omnibus Poeta [h] philoſophus.

g lib. 6. c. 10

h Lucret. lib. 5.

Et prior æris erat, quam ferri cognitus vſus.

Et reddit rationem.

Quo facilis magis eſt natura, & copia maior
Ære ſolum terra tractabant; Æreque belli
Miſcebant fluctus, & vulnera vaſta ſerebant

De antiquiſſimis autem Græciæ populis & aliis Orientalibus Pauſanias [h] hæc inter alia. *Ex ære*, inquit, *heroum temporibus arma fuiſſe teſtatur Homerus, cum ſecurim Piſandri, & Memnonis ſagittam deſcribit. Argumento etiam eſt Achillis haſta Mineruæ templo poſita; & apud Nicomedienſes in Æſculapij Memnonis enſis totus ex ære.* Vnde Homerus [i] ipſe

h In Laconic.

i Iliad. 3.

Sortes in galea confecta ex ære mouebant,
Quis prior ingentem contra hoſtem mitteret haſtam.

Ad quæ tempora reſpexit Virgilius [k].

k lib. 2.

——Primoque limine Pyrrhus
Exultat telis & luce coruſcus ahena.

Et iterum.

Ardentes clypeos, atque æra micantia cerno.

Et hæc apud Orientales. De Romanis idem etiam tradunt alij [l].

l Ouid. Faſt. lib. 4.

Æs erat in pretio.

Liuius [ll] in Seruio Tullio. *Arma his impera-*

ll Libro primo.

ta galea, clypeus, ocrea, lorica, omnia ex ære. Similia de ocreis, & præterea de enſibus ſunt apud Athenæum [m] & alios [n]. Non mirum ergo ſi legamus hic Goliæ [o] arma ex *ære* fuiſſe; quando nullum armorum non erat ex ære; etiam enſis, & ſagittæ ipſæ. Neque tamen exiſtimandum eſt infirmiora fuiſſe illorum temporum arma, aut minus valida ruſtica inſtrumenta ad terram findendam. Nam, vt auctor eſt Tert. æs ipſum quod alioquin natura ſua ferro mollius eſt, tali temperatura denſabant, vt rigorem, duritiemque ferri prorſus indueret. Et hæc de Golia, genere ipſius, & armis in vniuerſum.

m lib. 14.

o Plin. lib. 34. cap. 7. Dionyſ l. 4.

Lorica.] quam Latinè *loricam*, Græco etiam vocabulo *θώρακα thoraca*, & *thoracem* dicimus. Et ſic appellant hanc Goliæ Ioſephus, Theodoretus, Suidas, alij Græci. Eius proprium munus armos, dorſum, & pectus in primis tegere. Formam deſcribit Pauſanias [n], de veterum loricis & thoracibus agens. *Duæ*, inquit, *erant illis æreæ partes: illa quidem pectori, & iis quæ circa ventrem apta; hæc vt dorſo tegmen eſſet: illam antrorſus, hanc retrorſus induebant; deinde fibula vtramque cingebant.* Qua eadem forma fuiſſe iſtam Goliæ, dubium non eſt; & colligitur ex verbo *induendi* quo noſter vtitur. Induimus enim propriè, quæ pectori, armis, & humeris ſuperinjicimus.

n lib. 1.

Squamata.] L X X. habent thoraca alij ſidotin, quod ad verbum eſſet, *thoracem*, vel *loricam catenatam*. In antiqua tranſlatione Latina *hamatam* legimus: in emendata verò, *ſquamatam*; aptius omnino, & ex priſco ritu. Prius enim in vſu fuerunt ſquameæ loricæ, quam hamatæ; quas certum eſt inter ſe fuiſſe diſtinctas. Erant autem *ſquameæ*, totæ laminis contextæ, aliis ſuper alias impoſitis *ad eam ſpeciem, vt quid tergori draconis adſimile referrent*, vt ait Pauſanias [o], *vel piſcium ſquamis, vel auium plumis, vel certè nucis pineæ lacunatis ſornlis.* Hamata vero lorica longe erat diuerſa: tota n. annulis ferreis, vel æreis innectebatur, ad eam formam, quam etiam nunc milites noſtri ſeruant in genere illo armorum, quod Italis *Giacco* nuncupatur. Hæc longè poſt vſurpari cœpta, quam ſquamea. Itaque apud Homerum non niſi ſquamatæ loricæ leguntur; ſtantes & *ſolida* appellatæ ab Euſtatio, quod totæ rigêrent; cum contra hamatæ in ſeipſæ ſubſidentes in modum laneæ veſtis conuoluerentur. Licet ergo vir eruditus noſtri temporis, ſi bene illum intelligo, hamatã à ſquamea nõ diſtinguat, audiendus non eſt. Prorſus n. differunt, vt quæ noſtro tempore Italis dicuntur, *Piaſtra è Maglia.*

o lib. 1.

p Lipſ. lib. 3. de mil. c. 17.

Quinque millia ſiclorum æris erat.] Æreas fuiſſe laminas, quibus lorica hæc contexebatur, intelligimus. Nam etiam antiquitus aliæ ex alia materia erant. Legimus enim ex *pellibus* legimus ex *cornibus*, legimus ex *vngulis* ſiue equorum ſiue aprorum legimus etiam, quod mirum, ex *lino*. De lineis apud Homerum habemus; *Aiacem lino thoracem*; id eſt lineo thorace indutum; & teſtis Plinius [q] eſt. De ſcorteis etiam certa res eſt; & ſine dubio antiquiſſimas fuiſſe puto, cum ſegmenta nimirum indurati, & denſati corij in circulum acciſa; alia aliis modico exceſſu, certa ſemper ſerie ſupponebantur in modum, vt dixi, operis plumarij. Quid enim priſcis illis tẽporibus veriſſimile eſt magis in vſu fuiſſe ad corpora ab externis iniuriis tegẽda, quàm eorum animalium exuuias, quorum carnibus ad eadem corpora ſuſtentanda veſcebantur

q lib. 3. c. 17.

bantur? Itaque armenta illis omnia ſuppeditabant; victum, veſtes, arma, tubas: ad *victum carnes*; pelles ad *veſtes*, & *arma*; cornua ad *tubas*. Vnde apud Varronem habemus *loricam à locis* eſſe appellatam. *Quod*, inquit, *de crudo corio pectoralia milites faciebant; poſtea ſucceſſerunt. Galli ex ferro, ſub idem vocabulum ex annulis ferream tunicam.* At illud magis mirum *de lorica linea*. Quomodo n. ea apta ictibus ſuſtinẽdis, & repellendis? Et tamen non ſolum rudi illo heroum ſæculo; ſed etiam longe poſt, eam legimus vſurpatam Macedonibus, Græcia omnibus, Hiſpanis quoque & Italis. Puto autem fuiſſe fila, & linamenta plura ſimul dẽſata, & in funiculos triplices contorta; qui deinde funiculi inter ſe confertim plicati aliique ſuper alios in eandem ſquamarum ſpeciem aſſuti firmiſſimum corpori munimentum præbebant: hoc etiam ſtabilius, quod non ita onere grauaret, nec aſperitate læderet artus. Ad ictus autem repellendos nihilominus idoneum; quia vt eſt in prouerbio, *funiculus triplex difficile rumpitur*. De equinis vero vngulis, & cornibus in id etiam aſſumptis teſtis

z lib. 17. Marcellinus. [z] *Sarmatis*, inquit, *& Quadis haſta ſunt lõgiores; & lorica ex cornibus raſis, & leuigatis*

f lib. 1. *plumarum ſpecie linteis indumentis innexa.* [f] Pauſanias de eiſdem Sarmatis; *Vngulas equorum colligunt, & purgant; ex iis vero diſſectis conficiunt quiddam draconum ſquamis perſimile; aut ſi quis draconem non viderit, vidit autem nucis pineæ fructum viridem, iis è nuce ſegmentis. Has autem ſquamulas perforantes, & neruis equinis, aut bubulis conſuentes, loricas ad vſum habent: neque decore, neque firmitate Græcis hoc armorum genere inferiores.*

At dubitare non poſſumus quin ferreæ & æreæ ſemper firmiores fuerint qualibet alia materia confectis; ideo ſignanter adiunctum *loricam Goliæ fuiſſe æream*. Ne quiſquam putaret virib. immenſi corporis confiſum externa tegumenta reſpuiſſe. Vatablus *loricam* & alia Goliæ arma non *ærea*, ſed *chalybea* facit; quod plures alij recentiores volunt, dum non ſolum hoc loco, ſed alibi in ſacris litteris *chalybem* pro ære interpretantur. Qui merito omnes reprehenduntur à

t Pſalm. 17. Genebrardo ad illud; [t] *Poſuiſti vt arcum æreum brachia mea.* Non ſolum n. ſine cauſa à vulgata diſcedunt; ſed etiam à LXX. & Hebræo; eo ipſo etiam priſcorum temporum conſuetudinem ſe neſcire fatentur; quibus in vſu armorum non chalybs, aut ferrum, ſed æs aſſumebatur.

Pondus erat quinque millia ſiclorum.] Hinc quanta grauitas loricæ ſoli ineſſet conijci poteſt. Apud Plutarchum in Demetrio legimus duas in medium allatas loricas, quæ ponderis eſſent quadraginta librarum: vnde alterutram ſeorſim viginti tantum libras pendiſſe oportet. Ex quo fit loricam Goliæ communibus loricis cuplo, & eo amplius grauiorem fuiſſe.

Haſtile haſtæ quaſi liciatorium texentium.] Veteres gigantum ſuorum haſtas ſimiles dicere antennis, aut malis nauticis. Lucillius in fragmentis.

Multa hominum portenta, in Homero verſificata
Monſtra putant: quorum in primis Polyphemù ducentos
Cyclops longù pedes; huic porro maiù bacillum
Malus maximus ſit, quàm in naui, aut corbita in vlla.

Ipſum vero ferrum lanceæ eius.] Cuſpidem intelligit, vt bene Ioſephus. *Haſtam*, inquit, *geſtabat ſexcentorum ſiclorum ferro cuſpidatam.* Vnde malè Vatablus hic pro ferro *laminas* interpretatur. Vt quid n. laminæ in haſtili? Quæ ſi vllæ erant, tanti ponderis eſſe non poterant.

Clypeus æreus.] Dubium eſt quomodo clypeus dicatur à Golia geſtatus, & tergo pene humeros reiectus; quem paulo poſt armiger ipſius dicitur ante ipſum tuliſſe. Sic n. ſequitur. *Et armiger ipſius antecedebat eum, ſcutum*, inquit Caietanus, *illi daturus*. In Hebræo n. ad verbum eſt: *Et geſtator ſcuti vadens ante eum.* Num ergo duplici ſcuto vſus Golias? Aut ſi non; quid hic eſt *clypeus*? Sunt qui pro clypeo *haſtam* interpretantur; alij *clauam*; alij *tegumentum aliud ad armos obtegẽdos*; alij *certum genus teli*. Ad quod obſeruandum eſt *pro clypeo*, Hebraicè eſſe, כידן chidon. Qua voce certum eſt genus armorum ſignificari; quod autem propriè; incertum. D.

Hieronymus aliquando [u] vertit *clypeum*, aut *ſcu-* u Ioſ. 8. 18.

tum; aliquando [x] vertit *haſtam*. Similiter LXX. Ierem. 6. 23. & 50. 42. & hoc loco.

variè eam vocem reddunt: vnde incertum eſt

quid propriè per *chidon* ſit intelligendum. Quod x Iob 41. 21.

igitur ad hunc locum attinet; qui illa difficultate de duplici ſcuto premuntur, ea iis volunt eſſe *haſtam*, aut teli genus, puta *clauam*, vel quid ſi- y lib. 6. c. 10.

mile, vt Caietanus, cui fauere videtur Ioſephus [y] tradens, *haſtam à Golia, non dextera, ſed humeris ſuſtentatam.* Et LXX. qui habent hoc loco

geſon; quod teli genus eſſe indicat Seneca. [z] Fa- z In Hippol.

uet etiam Chaldæus, qui loco illo Ioſue, [a] *Chi-* a Cap. 8.

don, haſtam interpretatur. Nec deſunt qui non ſimplicem haſtam, aut telum exponant; ſed ex quo etiam vexillum ſuſpenſum eſſet, vt Rabi

Dauid,[b] & Rabi Mardochai. At Lyranus, & Va- b In Ioſue.

tablus *laminam* interpretantur; quæ ab extrema & poſteriori parte caſſidis ſuper humeros deſcenderet protectura collum; qua inter iunc̃turam ad thoracem caſſidis patebat: & ob id à noſtro interprete *clypeum* appellatam, quod vicem clypei protegendo præberet. Ego vero puto nihil à noſtro interprete diſcedendum; qui clarè ſatis de *clypeo* proprie dicto ſe loqui oſtendit. At LXX. aliud volunt. Minimè verò: nam *geſon* illis clypeus, & ſcutum eſt, vt docet Theodore-

tus; [c] & Procopius eam vocem dicit ambiguam c q. 10. in Ioſue.

ad ſcutum, & acontum, ſiue contum. At ſcutum Goliæ, non ipſe, ſed armiger ferebat: nec etiam hoc admittendum eſt; nèque ſcriptura dicit; ſed tantum quod *armiger ipſius antecedebat eum, ſiue geſtator ſcuti*. Scutiferi autem ſunt non tantum qui ferunt; ſed qui ſolent, & debent ſcuta ex officio ferre; ſicut apud latinos *armiger eſt*, qui ſolet arma ante alium geſtare, etiam cum non geſtat. Hoc ergo quod nunc dicitur in noſtro, poſitum eſt ad ſignificandum ex omni parte armis tectum, & protectum, & totum vndique ferreum, & æneum proceſſiſſe Goliam.

℣. 8.) Stanſque clamabat aduerſus phalangas Iſraël, & dicebat eis; Quare veniſtis parati ad prælium? Numquid ego non ſum Philiſtæus, & vos ſerui Saul. Eligite ex vobis virum, & deſcendat ad ſingulare certamen.

℣. 9.) Si quiuerit pugnare mecum, & percuſſerit me; erimus vobis ſerui. Si autem ego præualuero, & percuſſero eum; vos ſerui eritis, & ſeruietis nobis.

℣. 10.) Et aiebat Philiſtæus; Ego exprobraui agminibus Iſraël hodie. Date mihi virum; & ineat mecum ſingulare certamen.

℣. 11.) Audiens autem Saul, & omnes Iſraëlitæ ſermones Philiſtæi huiuſcemodi, ſtupebant, & metuebant nimis.

Plures alias perſimiles pugnas legimus ex prouocatione decertatas apud externos ſcriptores; in quibus omnib. non diſſimilem ferme inſolentis animi arrogantiam in iis, qui prouocabant; & iiſdem ferme verbis conceptam prouocationem licet aduertere, ac nunc in Golia. Apud
a lib.9.c.11. Gellium [a] hæc habentur de ſingulari certamine Coruini aduerſus Gallum. *Eo tempore copia Gallorum ingentes Agrum pontinum inſederant, inſtruebanturque acies à Conſulib. de vi ac multitudine hoſtium ſatagentibus. Dux interim Gallorum vaſta & ardua proceritate, armiſque auro præfulgentibus grattia dimicandi ingrediens, & manu telum reciprocans incedebat; perque contemptum & ſuperbiam circunſpiciens, deſpicienſque omnia venire, & congredi, ſi quis pugnare ſecum ex omni Romano exercitu auderet, &c.* Simile factum æque memorabile, & huic quod nunc tractamus pene
b lib.9.c.13. etiam genuinum apud eundem Gellium [b] habemus ex Claudio Quadrigario antiquiſſimo annalium ſcriptore, & mitæ ſuauitatis pleniſſimo. *Cum interim Gallus quidam nudus præter ſcutum, & gladios duos, torque, atque armillis decoratus proceſſit; qui & viribus & magnitudine, & adoleſcentia, ſimulque virtute cæteris anteſtabat. Is maxime prælio commoto, atque vtriſque ſummo ſtudio pugnantib. manu ſignificare capit vtrique vt quieſcerent pugnare. Pugnæ facta pauſa eſt: extemplo ſilentio facto, cum voce maxima clamabat; ſi quis ſecum depugnare vellet; vti prodiret. Nemo audebat propter magnitudinem atque immanitatem faciei. Deinde. Gallus irridere capit, atque linguam exertare. Id ſubito perdolitum eſt cuidam Tito Manlio ſummo genere nato, tantum flagitium ciuitati accidere; & è tanto exercitu neminem prodire. Is, vt dico, proceſſit, neque paſſus eſt virtutem Romanam à Gallo turpiter ſpoliari;* & quæ ſequuntur quæ plurib. conſulto proſequutus ſum, quia pugnæ huic, quæ nunc cum Golia à Dauide ſuſcipitur, penè, vt dixi, genuina ſunt. Idem enim in prouocatoribus faſtus, eadem arrogantia, eadem prouocationis inſolentia, cum eâdem vocis contentione, cum eâdem timoris exprobratione, cum eâdem quaſi victæ partis inſultatione. Idem vero vtrobique laceſſitis, & prouocatis timor; idem ſilentium, ſtupor idem. Eadem denique in tribus adoleſcentib. ex tantis agminib. virtus, niſi quod apud Romanos cæteris inter metum pudoremque ambiguis, Coruinus, & Torquatus proceſſere; apud Hebræos vero, reliquis non tantum trepidis; ſed plane certamen detrectan-

tib. Dauid ſolus iam collapſum Iſraëlitici nominis decus reparauit.

Stanſque clamabat.] Modum quem hic in prouocatione iſta Golias obſeruat; inter duas acies progrediendo, ſtando, clamando, vociferando, irridendo; pariter etiam cum ſimili arrogantia ab aliis pluribus ſeruatum legimus tum in pugna Coruini, & Torquati; tum in aliis. Vide c lib.7.
de illis præter Gellium, Liuium, [c] Valerium [d] d lib.2.c.3.
Maximũ, Virgilium, [e] Plinium, [f] ſiue Cornelium e lib.6. in fine.
nepotem. De Scanderbecbi vero ſingulari certa- f Cap.28.29. de vir. illuſtr.
mine initu ex ſimili prouocatione viri vaſtiſſimi, & arrogantiſſimi, & Deum hominesque præ g lib.1.
ſe vno contemnentis, lege Marinum Becicchemum Seodrenſem de vita Scanderbechi.

Quare veniſtis parati ad prælium.] Summa omnium verborum hæc eſt. Spectent alij, & quieſcant Allophylorum arma, & Hebræorum; duorum tantum ſanguine dirimatur bellum: ſtabo ego pro meis; prodeat ex vobis quicunque inter vos fortiſſimus habetur. Hunc ſenſum paraphraſticos paucis Ioſephus amplectitur, ſic in- h lib.6.c.10.
ducens Goliam vociferantem; *Hic*, inquit, *cum inter duas acies conſtitiſſet, immani voce ſublata; Quid opus eſt, inquit, Hebræi ancipitem Martis aleam vobis ſubire? Date mihi aduerſarium; & duorum periculo decernatur penes viros victoria futura ſit: vt quorum miles ſuccubuerit, ij alterius partis iugum ex pacto ſuſcipiant. Præſtat n. vnum aliquem, quam totum exercitum in periculum adducere.* Hoc eſt ergo; *Quare veniſtis parati ad prælium?* id eſt; quid tanta hominum multitudo mortis certo diſcrimini obiicitur?

Ego exprobraui.] Probro affeci, & ignominia, & ponitur hîc pro eo quod ſolet alibi ſcriptura explicare per verbum *confundendi*: cum enim nullus contra progredi, ac ne loqui quidem auderet ex caſtris Hebræorum; merito dicere Golias poterat, confuſos illos omnes fuiſſe timore certaminis.

Stupebant, & metuebant nimis.] De reliquis mirum non eſt; ſed de Saule quis non miretur? virum fortiſſimum, & bellicoſiſſimum non ſolum contra non eſſe progreſſum (quod forte ne regiam dignitatem pollueret, prohibebatur) ſed timore & pauore ingenti correptum, animo concidiſſe? quis, inquam, hoc non miretur in viro alias impauido; & tot victoriis iam inclyto? Nimirum hoc illud eſt, quod in ſuperiori capite dicebatur; *Spiritum Domini receſſiſſe à Saule.* Vt enim cui numen adeſt, nihil is timet, etiam ſi contra ſe caſtra videat armatorum; ita à quo numen abeſt, intra ipſa ſuorum caſtra, cinctus licet vndique agmine ſtipatorum, etiam non timenda timebit. Qua de re alibi. Quod attinet ad verba; quid ſtupebant? Alij ex Hebræo propriè vertunt; *Fracti ſunt, & timuerunt valde*, vt Caietanus. LXX. *Expauerunt & timuerunt.* Vatablus, *perculſi ſunt pauore.* Ioſephus cum noſtro dicit Saulem *obſtupuiſſe.* Hunc autem ſtuporem ego interpretor confuſam illam animi agitationem, qua pudorem inter, & metum hærebant ambigui; & quam explicat in ſimili prouocatione Li-
uius [i] de pugna Torquati. *Tum eximia corporis* i lib.7.
magnitudine in vacuum pontem Gallus proceſſit; & quantum maxima voce potuit; Quem nunc, inquit, Roma fortiſſimum virum habet? Procedat agedum ad pugnam; vt noſter duorum euentus oſtendat, vtra gens bello ſit melior. Diu inter primores iuuenum Romanorum ſilentium fuit; cum & ab-

nuere certamen vererentur, & præcipuam ſortem periculi petere nollent. Hoc ergo ſilentium, ex ancipiti animorum motu prouemens, noſter *ſtuporem* appellat. Hærent enim defixi, qui ſtupent; & qui ſic hærent, viciſſim ſtupere dicuntur.

℣. 12.) Dauid autem erat filius viri
a li.1.c.16.1 Ephrathæi, de quo ſupra[a] dictum eſt, de Bethlehem Iuda, cui nomen erat Iſai, qui babebat octo filios, & erat vir in diebus Saul ſenex, & grandæuus inter viros.

℣. 13.) Abierunt autem tres filij eius maiores poſt Saul in prælium: & nomina trium filiorum eius, qui perrexerunt ad bellum, Eliab primogenitus, & ſecundus Abinadab, tertiuſque Samma.

℣. 14.) Dauid autem erat minimus. Tribus ergo maioribus ſecutis Saulem,

℣. 15.) Abiit Dauid, & reuerſus eſt à Saul vt paſceret gregem patris ſui in Bethlebem.

℣. 16.) Procedebat ergo Philiſtæus mane, & veſpere, & ſtabat quadraginta diebus.

Hæc quæ ſequuntur vſque ad verſum 31. non habentur in pleriſque codicibus apud LXX. ſunt tamen in latinis omnibus, & apud Complutenſes, & agnoſcuntur à D. Auguſtino,[b] à D. Chryſoſtomo,[c] à Gregorio, Beda, Eucherio, Iſidoro, & alijs antiquis Patribus.

b *Ser.197. de temp. & homil. 31. ex 50.*
c *To.1. Hom. de Sau. & Dauid.*

Erat vir in diebus Saul ſenex, & grandæuus inter viros.] Vt quid hoc adiungitur de ſenectute Iſai, & ſignanter adeo inculcatur? Deerantne in Iſraël alij ſenes, aut ſenior omnibus alijs Iſai, vt propterea id reticendum non fuerit? Chaldæus Paraphraſtes pro eo quod nos habemus; *Et grãdæuus inter viros*; legit; *enumeratus inter electos*; id eſt, *inter fortes & inclytos.* Quod quorſum nunc dicatur, aut quam connexionem habeat cum noſtra vulgata, non apparet. Vatablus, & Caietanus ex Hebræo legunt; *Et veniebat inter viros.* Quod etiam & per ſe ſatis obſcurum, & longe diuerſum à noſtra editione ſenſum facere videtur. Quid eſt enim *veniebat inter viros?* Explicat Vatablus *annumerabatur ſenibus, eratque de numero ſenum, ac debilium.* Quod ſi ita eſt; aptior noſtra lectio eſt, quæ hoc ipſum exprimit, & vitata obſcuritate Hebraicæ phraſis, clarius etiam & latinè reddit. At cur, vt dicebam, nunc de hac graui ætate Iſai? Propter duo exiſtimo. Primo vt conſtaret cur cæteris ad bellum proficiſcentibus, ipſe Iſai vacaret. Miſſionem enim honeſtam, & vacationem ab omni munere dabat ætas emerita. Deinde vt intelligeremus cur Dauid ad illum remiſſus ſit. Tribus enim maioribus fratribus in caſtra profectis, æquum viſum non eſt, vt minimus natu Dauid abſens à patre adeo grandæuo inter bellica pericula detineretur. Remiſſus ergo ad patrem eſt reliquorum fratrum abſentiam ſolaturus. Et hoc illud eſt
b Ver.15. quod clarè etiam ſignificatur verſu ſequenti.[b] *Tribus ergo maioribus ſecutis Saulem, abiit Dauid, & reuerſus eſt à Saul.*

Stabat quadraginta diebus.] Mirum ſanè videri poſſet; quomodo per 40. dierum ſpatium ea prouocatio tenuerit; nullo ex tanto agmine prodeunte, qui congredi auderet. Et fortaſſe cuipiam in mentem veniat curioſè inquirere, quid interim vtrinque binæ hoſtium acies compoſitæ rerum agerent? An otioſæ ſpectabant inuicem ſeſe, depoſitis armis? & tantum erant intentæ omnium aures, & oculi in exultantis prouocatoris audaciam? aut quid tandem rerum ab illis agebatur? Si congrediebantur, & manus conſerebant, vt videtur ſignificare Ioſephus; quis ergo locus erat, vt poſſet ſingulis diebus mane & veſpere Golias in medium procedere, & ad ſingulare certamen prouocare? ſi intra vallum ſe Hebræi tenebant; cur non illos Allophyli aggrediebantur, & expugnabant? Verum quid horum potiſſimum factum ſit; quieuerint ne ſemper, an aliquando pugnauerint; incertum eſt. Certum illud eſt iſtos 40. dies ſibi mutuo oppoſita caſtra, & acies conſtitiſſe. Qui dies quid myſticè ſignificent; ſignificat Auguſtinus,[c] & ex
illo iiſdem pene verbis, & ab ipſo deſumptis, Eucherius, Angelomus, Iſidorus, Rupertus, alij.

c *Serm. 4. de verb. Dom. Serm.197. Hom.31. ex 50.*

℣. 17.) Dixit autem Iſai ad Dauidem filium ſuum; Accipe fratribus tuis ephipolentæ, & decem panes iſtos: & curre in caſtra ad fratres tuos.

℣. 18.) Et decem formellas caſei has deferes ad Tribunum: & fratres tuos viſitabis ſi rectè agant: & cum quibus ordinati ſunt diſce.

℣. 19.) Saul autem, & illi, & omnes filij Iſraël in Valle terebinthi pugnabant aduerſum Philiſtiim.

Ephipolenta.] Ephi, *trium modiorum menſura eſt*, inquit Auguſtinus.[d] *Polenta* autem grana d *Serm. 197. de temp.*
erant frumenti, ad ignem modicè torrefacta. Matureſcentes enim ſpicas Hebræi igni admouebant, hactenus vt non comburerentur; mox manibus confricantes, excuſſis ariſtis & paleis, grana ipſa trito & attrito cortice, nuda colligebant. Quem cibum ſacra lingua קָלִי *Kalu* nuncupatum, alij ſimpliciter *toſtum*, alij *grana toſta* appellarunt; noſter Interpres *polentam*. Eius autem conficiendi ratio quaſi deſcribitur in Leuitico.[e] *Si obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino de ſpicis adhuc virentibus; torrebis eas igni, & confringes in morem farris, & ſic offeres primitias tuas Domino.* Quod enim hic per plura verba deſcribitur, noſter vnico verbo *polentam* e Cap. 2.
nuncupat & hoc loco Regum, & infra, libro[f] f Cap. 16.
ſecundo, & Ioſue,[g] & alibi. Vbi quod ipſe *polen-* g Cap.5.11.
tam, Vatablus, Oleaſter, Pagninus, Caietanus alij ex Hebræo, & LXX. habent *toſtum*, aut *grana toſta*.

Fuiſſe autem cibum promiſcuum Hebræis, quo tenuiores præſertim vterentur; certa res eſt, & colligitur ex locis adductis. Vnde in Leuitico;[h] *Panem & polentam, & pultes non comedetis* h Cap. 23. 14.
ex ſegete vſque ad diem, qua offeratis ex ea Deo veſtro. Cum enim polenta pani connumeretur; indicatur in eodem ferme vſu fuiſſe. Nobiliores verò etiam ea vtebantur; ſiue iter agentes; ſiue in expeditione caſtrenſi. Propterea Abigail[i] i Infrà c.25.
Dauidi & ſociis eius à Saule profugis, & incerta ſede vagantibus, *polentam* inter alia offert. Et

Betz

k lib. 2. c. 16. Berzelai,[k] & alij Reguli Dauid, & eius militib. in deſerto degentibus eamdem ſubmiſere. Erat enim cibus geſtari facilis, expeditus ad vſum, & ad plenè nutriendum maxime idoneus; ac proinde militibus in caſtris, & aliis iter agentibus aptiſſimus. Vnde nunc etiam ab Iſai ſubmittitur filiis, & inter alia cibaria, prima *polenta* ponitur, vt præcipuas obtinens in annona caſtrenſi. Viliſſimum autem cibi genus fuiſſe; etiam apud

l Epiſt. 18. alios, indicant iſta Senecæ.[l] *Non horrenda res eſt aqua, & polenta, aut fruſtum hordeaceæ panis; ſed ſumma voluptas eſt poſſe capere etiam ex his voluptatem.* Ex hoc verò cibi genere apud Hebræos vſitato, facile intelligere poſſumus quid ſit, quod

m Matt. 12. 1. Apoſtoli[m] ambulantes cum Chriſto per ſata ſabbatho, ſpicas vellerent, & manducarent. Quod non mirati ſunt Phariſæi; ſed calumniati: nimirum quia inuſitatum non erat Hebræis granis ipſis, excuſſa ſpica, veſci; frequentius quidem toſtis; nonnunquam tamen crudis, & virentibus.

Carro.] Hoc dicitur vel ad ſignificandam propinquitatem caſtrorum; non enim longe aberant à finibus Bethlehem, cũ tam caſtra, quam Bethlehem eſſent in tribu Iuda, vt conſtat ex principio huius capitis: vel certè per id tacite commendat pater Dauidi feſtinatum reditum.

Decem formellas caſei.] Panis, polenta, caſeus merus cibus eſt, & commeatus militaris. At cur Tribunum lautius accipit, & munificentius quam filios? Illis polentam, & panes; huic mittit caſeos. Proditur in hoc nimirum paterna ſollicitudo, in omnia intenta, quæ poſſint prodeſſe filiis. Itaque non ſolum curat Iſai ne quid iis non deſit; ſed etiam vt bene à Tribuno, benè à commilitonibus, benè ab aliis omnibus habeantur. De Tribuno ergo quantum poteſt, ſtudet benè mereri, muneribus afficit, ſe illi inſinuat: certus totum in filios rediturum quod illi benefecerit. *Tribunum* vero, quem noſter vocat, *Chiliarchum* LXX. appellant, id eſt, mille præfectum militibus.

Cum quibus ordinati ſunt diſce.] Non ſolum ſollicitus pater eſt vt bene erga filios ſe Tribunus habeat; ſed etiam vt alij; æquales præſertim & commilitones. Hoc indicat noſtra vulgata lectio. Senſum longe diuerſum alij nobis proponunt ex Hebræo ad verbum vertentes; *Et pignus eorum tolle*; vt Vatablus & Caietanus: quam eamdem lectionem adducit Hieronymus in traditionibus & dicit nomine *pignoris* Hebræos libellum repudij intelligere. Ex quorum ſententia hæc ſubdit. *Secundum vſum gentis illius fecerunt; vt quando ibatur ab eis ad pugnam, libellum repudij vxoribus ſuis darent; vt ſi contigiſſet virum in prælio capi, & in captiuitatem duci, mulier eius expectatis tribus annis, ſi vir eius non rediſſet, alium duxiſſet virum.* Hieronymum tranſcribit more ſuo Angelomus; non tamen (ſicut nec Hieronymus ipſe, aut quis autor) id probat, quod ex Rabbinis affert; ſed tantum malè conſarcinatum gloſſema proponit; quo nihil ad hunc locum ineptius. Quo enim libellos repudij vel ad eos ferret, vel à fratribus referret Dauid? Sed quid eſt in Hebraico fonte *pignus*? Caietanus propriè exponit, & intelligit datam etiam pecuniam Dauid à patre, vt ſi (quod ſolet in bello plerumque accidere) fratres quid mutuum, dato pignore, accepiſſent; pignus ipſe redimeret, ſoluta pecunia. Eodem fere modo Vatablus interpretatur. Chaldæus Paraphraſtes habet; *Negotia eorum diſces:* ea quo habemus nomine *pignoris, vel commiſtionis*, vt alij ex Hebræo vertunt, intelligi fœderatam conſociationem inter milites in caſtris; quam Itali dicimus *Camerata*. Cum plures ſcilicet milites eodem vtuntur contubernio in commune veſcentes: & *contubernales* Latinè propriè dicuntur; à noſtro interprete forte *inter ſe ordinati*; ex pacto nimirum ſimul conuiuentes, & ſimbolam quiſque ſuam conferentes; quam fortaſſe etiam Hebræi *pignus*, vocant vt etiam Itali. Hoc ergo ſi ita eſt, multo magis commendandus paternus affectus in Iſai. id requirebat in filiis tam natu grandioribus, quod nunc parentes, plerique omnes negligunt in pueris: quibus amicis ſcilicet, & ſociis vtantur. Doctus nimirum longa rerum experientia erat; perinde proſpera & aduerſa omnibus, præſertim militibus euenire, prout bonorum, aut improborum contubernio vſi fuerint: proſperè agere qui cum bonis degunt; infeliciſſimè vero qui cum peruerſis & improbis.

℣. 20.) Surrexit itaque Dauid mane, & commendauit gregem cuſtodi: & onuſtus abiit, ſicut præceperat ei Iſai. Et venit ad locum Megala, & ad exercitum, qui egreſſus ad pugnam vociferatus erat in certamine.

℣. 21.) Direxerat enim aciem Iſraël: ſed & Philiſthim ex aduerſo fuerant præparati.

Et onuſtus abiit.] Intelligendum ne eſt hæc omnia ipſum geſtaſſe; an iumentum, in quod illa impoſuerat, præ ſe egiſſe? Hoc ſecundum putat Abulenſis. Neque enim exiſtimat Dauidem tanto oneri ferendo fuiſſe. Primum tamen clarè dant nobis intelligi verba ſcripturæ, *Et onuſtus abiit*; quæ nullam aliam interpretationem patiuntur. Neque enim rectè dici quis poteſt, *onuſtus*, quod aſinum tantum præ ſe agat onuſtum; licet poſſit quis dici ea ferre, & accipere ſecum, quæ non ipſe, ſed iumentum fert. At pondus nimis inſuſtum erat, & iumento dignum, non puero, aut adoleſcentulo. Primum eſto; ſarcina hæc omnia fuerint ingentis ponderis; geſtare tamen potuit ea Dauid, & virium in eo ſuarum experimentum dare: ob quod ſignanter id etiam ſcriptura commemorandum putauit; vt quemadmodum inter alia Sampſonis fortitudinis argumenta fuerunt inſoliti oneris ſarcinæ; vt cum valuas oppidi ſolus à cardinibus reuulſas longe in verticem montis aſportauit; ita etiam de Dauide ſimile quid intelligeremus. In vtroque enim *ſpiritus Dei directus* dicitur. Deinde nego viro forti, & generoſæ indolis hæc omnia, quæ nunc portantur à Dauide, graue onus fuiſſe. Facile hoc concedet, qui ſciet veterum Romanorum conſuetudinem; de quibus Cicero hæc in ſecunda Tuſculana. *Quis labor & quantus agminis? ferre plus dimidiati menſis cibaria: ferre, ſi quid ad vſum velint: ferre vallum. Nam ſcutum, gladium, galeam in onere noſtri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus.* Hæc omnia Romanus miles; & quidem vt ſub illo faſce iter faceret gradu militari. Quid ergo mirum, ſi Dauid non cuilibet gregario militi comparandus; ſed fortiſſimis, & robuſtiſſimis, hæc omnia ferre potuerit? An maius onus ſunt *ephi*, id eſt tres modij polentæ, decem panes, & decem formellæ

rent Iſraeliticum nomen probris affici; nullumque eſſe ex tot millibus, qui ingentibus etiam præmiis propoſitis progredi contra Goliam auderet? Itaque hoc inter ſe conferebant; dolentes alij; alij mirantes: omnes tamen deplorantes, Hebræorum res eò recidiſſe.

℣. 26.) Et ait Dauid ad viros, qui ſtabant ſecum dicens; Quid dabitur viro, qui percuſſerit Philiſtæum hunc, & tulerit opprobrium de Iſraël? Quis enim eſt hic Philiſtæus incircuncisſus, qui exprobrauit acies Dei viuentis?

℣. 27.) Referebat autem ei populus eundem ſermonem dicens; Hæc dabuntur viro, qui percuſſerit eum.

Ad viros, qui ſtabant ſecum] Ioſephus refert Dauidem hæc dixiſſe ad fratres ſuos: quod perſpicuè eſt contra ea quæ in vulgata narrantur. Clarè enim ſignificatur Dauidem iis auditis de Regiæ filiæ nuptiis, de domus immunitate, & de aliis præmiis, propoſitis percuſſori Goliæ, diuertiſſe paululum à fratribus & ſerio ſciſcitari cœpiſſe; num vera hæc eſſent omnia, quæ iactari audierat. Interim autem dum hæc ille exquireret, & indignabundus, plenuſque cuiuſdam generoſi ſpiritus, animum cum Golia congrediendi præferret; ſuperueniſſe Eliabum, & fratris audiſſe proteſtationem. Hæc porro Ioſephi à ſacra hiſtoria diſſenſio; licet in tenui videatur, ac non magni referre; omittenda tamen non fuit. Quia nullum ſine errore eſt, quamuis leuiſſimum, à veritate diſſidium: & vt ex hoc, & aliis eius erroribus intelligamus; ita Ioſepho fidem in aliis habendam eſſe, vt non vſquequaque vera & explorata ſciamus eſſe quæ dixit.

Quid dabitur viro.] Quorſum nunc id interroget clara res eſt. Audierat Dauid (vt mos eſt vulgi) vario ſermone iactari tot, & tanta eſſe in caput Goliæ pronunciata: videbantur propoſita præmia maiora veris: Regia affinitas, ingentes opes, familiæ nomen, ab omni publico onere libertas. Hæc ergo ad examen num vera eſſent, reuocabat Dauid, certus ſi fama ſibi conſtaret, de iis dubitandum non eſſe. At quid illi curæ, quæ præmia eſſent propoſita, vt tantopere illa explorata habere vellet? Num tantum propter illa pugnaturus? Exiſtimo occaſionem per id quærere voluiſſe, qua ſe proderet. Si enim ex abrupto aliis ſuperueniendo proclamaſſet velle ſe Goliæ arrogantiam frangere; nimis ſtolidè, & ſuperbè ferox apparuiſſet; ac proinde cum irriſione reiectus. Et fortaſſe etiam aliorum odium incurriſſet: quaſi qui clarè nimis omnibus ignauiam, & timiditatem exprobraret. Quærenda ergo opportunitas fuit, qua ſe placide inſinuaret; qua, ſine cuiuſquam offenſione paratum ſe poſſet offerre certamini; qua denique ipſius ſponſio diuulgaretur, & ad Saulem tandem dimanaret. Hæc porro opportunitas quæſita interrogando, percunctando, ſciſcitando. Commodè enim incidebat, vt cum alij præmia illa ingentia pronuntiata narrarent; ipſe quaſi illorum cupiditate ductus magis quam aliorum contemptu; aut propriæ virtutis confidentia certamen ſuſcipere crederetur.

Quis enim eſt hic incircumciſus.] Hac oratione modestè David illum ſe eſſe inſinuat, qui cum Golia congredi velit, ſi permittatur; in hunc enim ſenſum has illum voces emiſiſſe, & in eundem, qui audierant, interpretatos conſtat; quia cum nulla alia verba protulerit huc ſpectantia; delatus tamen ad Saulem eſt, quaſi qui conditionem dimicandi accipere paratus eſſet; & id palam omnibus eſſet conteſtatus. Nec id ipſe Sauli adſiſtens, & ab illo interrogatus, detrectauit: ſed ratum habuit, claraque iterum, & aperta oratione profeſſus eſt, vt paulo poſt refertur.

℣. 28.) Quod cum audiſſet Eliab frater eius, loquente eo cum aliis, iratus eſt contra Dauid, & ait; Quare veniſti, & quare dereliquiſti pauculas oues illas in deſerto? Ego noui ſuperbiam tuam, & nequitiam cordis tui: quia vt videres prælium deſcendiſti.

℣. 29.) Et dixit Dauid; Quid feci? Numquid non verbum eſt?

℣. 30.) Et declinauit paululum ab eo ad alium: dixitque eundem ſermonem: & reſpondit ei populus verbum ſicut prius.

Iratus eſt contra Dauid.] Vnde hic motus animi maioris fratris in Dauidem; An ex zelo, & liuore; an potius ex illius ſalutis ſtudio, cui timebat, & fauebat, vt natu maximus, minimo inter alios, incertum eſt. D. Auguſtinus [a] ſiniſtrè accipit, & ex inuidia indignatum putat. *Per malitiam*, inquit, *increpauit.* Et iterum, *Malo & ſuperbo animo* increpauit. Similiter Chryſoſtomus, [b] *Fratres*, inquit, *non ferentes Dauidis fortitudinem, in inuidiam commoti ſunt, & hæc ad illum dixere.* At quæ cauſa maiori fratri inuidendi Dauidi, & obtrectandi? Forte quia iam ſciebat ipſum in Regem inunctum, ac proinde maiora audere, quam per ætatem, ac vires poſſet. Similia habent Theodoretus, Beda, & Iſidorus. At Ioſephus in bonam partem omnia interpretari videtur; quaſi nimirum Eliabus de fratris incolumitate ſollicitus totus exarſerit, cum comperiſſet tam aperto vitæ periculo proximum eſſe. Vtrumque probabile. Secundum tamen, meo iudicio, probabilius: quia non puto quicquam adhuc fratribus de Dauidis inunctione ſuboluiſſe.

a Serm. 197. de temp.

b Hom. 45 ad popul.

Quare veniſti.] Amara hæc, & ſtomachi plena obiurgatio duo nobis dat intelligi. Primùm id, quod ſæpius monui, paternam Dauidis domum non admodum opibus affluxiſſe. Neque enim ſollicitudo hæc maximi fratris aliud nobis demonſtrat. Timebat ouibus; & illis pauculis; timebat ne abſente Dauide, quicquam domi turbaretur, quod nulli alij ſupereſſent cuſtodes, ipſo diſcedente, quæ omnia ſine dubio anguſti animi ſunt, aut in rei familiaris anguſtia conſtituti. Secundò colligimus Dauidem longè ætate inferiorem fuiſſe Eliabo; ac proinde puerum; vel in primo limine adoleſcentiæ. Oratio enim hæc ſummam in illo auctoritatem, & in Dauide teneram admodum ætatem fuiſſe conuincit. Tota patruum ſapit, & indigna omnino, quæ ad alium, quam ad adoleſcentem dirigatur. Vtrumque verò hîc obſeruandum eſt, vt confirmentur quæ diximus, & dicturi ſumus de Iſai tenuitate, & de Dauidis ætate, cum aduerſus Goliam dimicauit.

Quare veniſti.] Vel ad exercitum & caſtra,

vel

vel ad locum certaminis. Æque enim propter vtrumque potuit Eliab indignari, vt bene obſeruauit Abulenſis.

Ego noui.] Aliorſum interpretatur aduentum Dauidis, quam ſuſcepros fuerat; vt inde etiam habeat maiorem occaſionem obiurgandi. Per ſpeciem ergo veniſſe ait, quaſi fratres eſſet inuiſurus; re vera autem ex improbo ſtudio caſtra viſendi, & ea quæ in caſtris & exercitu gererentur. Hanc illum cauſam patri prætexuiſſe, qui ea captus pietatis imagine, facilè illi indulſerit, vt fratres adiret. Itaque Eliab aduentum hunc Dauidis non in patris ſollicitudinem refert; ſed in cupiditatem Dauidis, qui cum aliud vellet, aliud ſimularet patrem ad hoc impulerit.

Superbiam tuam.] Quam hic ſuperbiam arguit in Dauide? Quod maiora viribus audeat; quod regiam affinitatem ambiat; quod vnum ſe omnibus præferat, certamen ſuſcipiens, quod omnes detrectauerint. Ita qui volunt Dauidis animum pugnandi perſpectum Eliabo fuiſſe, vt Ioſephus, Chryſoſtom. Auguſtin. Theodoret. Beda. Alij non admittunt hoc; tantum enim indignatum volunt Eliabum ad curioſam Dauidis inquiſitionem, & curſitationem in locum certaminis, & armatorum militum. Si enim certò comperiſſet conditionem pugnandi ab illo ſuſceptam; aliter & aſperius increpaſſet. Nunc autem malam tantum curioſitatem in illo carpit. *Vt videres*, inquit, *prælium veniſti.* Superbiam ergo volunt illi obiectam, quod minus æquo animo cuſtodiendis ouibus incumberet, dum alij ſcilicet fratres nomen ſibi & patriæ pararent fortiter agendo. Propterea queſtus de *relictis ouibus*, ſtatim ſubdit; *de ſuperbia*, quaſi in hoc tantùm illa conſiſteret; quod cuſtodiam ouium ſe indignam putaret: ac propterea modis omnibus illam excutere niteretur. Angelomus vult ſuperbum Dauidem appellatum, quod ex iunctione Samuelis ſpiritus extuliſſet, & ad regnum aſpiraret. Quod quam probabile ſit; ſupra vidimus cum de iracundia Eliabi aduerſus Dauidem.

Nequitiam.] LXX. *improbitatem.* Caietanus & Vatablus *malitiam.* Sed in quo ſita hæc Dauidis malitia, & improbitas Quia (vt Eliab exiſtimabat) cùm maximè cuperet intereſſe certamini; nec aliter poſſet, fraternam curam ſimulauit. Fratres ergo inuiſendos patri ſuggerens; ſub latua pietatis negotium curioſitatis agebat; ac per hoc nequam & mala malitia improbus.

Numquid non verbum eſt.] Interciſa oratio, ac proinde obſcura. Senſus autem eſt. Numquid aliud; niſi tantùm loquutus ſum? An loqui non licet? Et mihi crimini datur, ſi tantum loquor? Ita Chryſoſtomus, [c] qui putat *verbum hoc* eſſe intelligendum de interrogatione, quam fecerat David: quaſi dicat; *Numquid num aliud quam interrogans?* Alij, vt Abulenſis, Dionyſ. Lyran. Vatabl. *Verbum hoc* intelligunt de profeſſione Dauidis, & acceptatione certaminis; vt ſenſus ſit. Quid hactenus feci? Res adhuc inter verba conſtitit. Et ſi quid ſupra vires auſus; verba tantum fuere; quorum cauſa argui non debeo, factorum innocens. Probabilior tamen prior expoſitio; quam indicant etiam aliæ verſiones. Caietanus ex Hebræo; *Quid feci? an non verbum ipſum?* & ſubintelligit; *liberum eſt.* Quaſi dicat; An neque etiam mihi liberum eſt audire, & reddere voces; aliorum ſermonibus intereſſe; & ſi quid volo, alios interrogare? Similem ſententiam habet Chaldæus paraphraſtes, qui vertit; *Nonne verbum fuit, quod dixi?* ſcilicet interrogando. Verum in hoc ſenſu explicata, videri poſſet reſponſio acris nimis, & libera; ac proinde non digna Dauidis manſuetudine, & ſuauitate; non illius reuerentia & obſeruantia erga fratrem natu maximum, quem loco parentis venerari debebat. Sed non video quid in ea ſit aſperitatis, aut arrogantiæ. Acerbe enim increpitus, & amariſſimis verbis acceptus, vt peius accipi non potuerit in flagranti crimine deprehenſus, moderationis fines non exceſſit; ſi tantum modeſtè dixit nihil ſe tale commiſiſſe, quod vehementem illam obiurgationem mereretur: ſe enim tantum loquutum alios interrogando, & reſponſa reddendo. Excuſatio ergo iſta modeſta fuit, non repercuſſio.

c Hom. 45. in Geneſ.

℣. 31.) Audita ſunt autem verba, quæ loquutus eſt Dauid, & annuntiata in conſpectu Saul.

℣. 32.) Ad quem cum fuiſſet adductus, loquutus eſt ei; Non concidat cor cuiuſquam in eo. Ego ſeruus tuus vadam, & pugnabo aduerſus Philiſthæos.

℣. 33.) Et ait Saul ad Dauid; Non vales reſiſtere Philiſthæo iſti, nec pugnare aduerſus eum: quia puer es; hic autem vir bellator eſt ab adoleſcentia ſua.

Audita ſunt autem verba, quæ loquutus fuerat David. Quid loquutus? Nihil adhuc affirmatè dixerat; nec ſe certamini clarè adhuc obtulerat; & tamen ad Regem defertur (vt ex contextu colligitur, & Ioſeph affirmat) quaſi pugnandi animum clarè profeſſus. Tale eſt ingenium famæ omnia in maius augentis, fucantis omnia; præſertim cum Regibus & Principibus viris quidpiam nunciatur. His enim rarum eſt vt ſincerum quicquam, ac ſimplex, perinde vt res eſt, afferatur. Non nego tamen potuiſſe ad Saulem ea tantum deferri, quæ Dauid interrogando, & alios audiendo protulerat: quæ ſi non claram pugnæ profeſſionem continebant; magnam certè ſignificationem dabant animi ad id parati. Vnde vt in re trepida, & in qua omnes ſuſpenſi erant, non defuere ſtatim, qui ardorem generoſi adoleſcentis ad Principes deferrent; à quibus illico Saulem admonitum, adeſſe iuſſiſſe, & ſibi ſiſti. Atque ita factum, vt Dauid iam ea dicto fratris maximi patrem petens, ad Saulem reduceretur. Summa enim obiurgationis Eliab huc ſpectauerat vt quàmocius reuerteretur vnde diſceſſerat.

Et annuntiata in conſpectu Saul.] In conſpectu alicuius aliquid dicere, Hebraiſmus eſt pro eo quod Latini dicunt; *Coram*, in *os alicuius aliquid dicere*, vel coram aliquo præſente loqui. Cicero; [d] *Commodius feciſſent Tribuni plebis, Quirites; ſi qua apud vos de me deferunt, ea coram me potius dixiſſent.* d 3. agrar.

Adductus loquutus eſt ei. Orationem, qua veriſſimile eſt vſum Dauidem, his verbis Ioſephus proponit. *Non eſt*; inquit, *Rex*, *cur abiiciamus animum, aut formidemus. Ego congreſſus cum hoſte, inſolentiam eius compeſcam; & elatum & ferocientem proſternam, & ex terribili deridendum reddam*

dam,tantoque erit tua ſimul, & tuorum gloria illuſtrior;quod a puero,non a viro debellatus videbitur.

Non concidat cor cuiuſquam.] Cor fortitudinis & audaciæ ſedes eſt? ideo ipſo ſtante, intrepidi ſumus,cùm vero vacillat,& nutat,omnia perturbantur. Ea cauſa eſt cur ingens timor per *caſum cordis* in ſacris, & profanis litteris ſignificetur. Quæ loquutio non ſolum metaphorica eſt, & hiperbolica; ſed propria etiam, & ducta ex ipſa natura rerum. Timentibus enim maximè cor palpitat;& eo vehementius,quo maior eſt timor. Ea autem palpitatio caſus quidam, & ſubſultus cordis videtur; ac proinde ad ingentem timorem ſignificandum vſurpatur. Eſt igitur hoc loco,*Non concidat cor cuiuſquam*; nemo quidquam timeat: nullus animum deſpondeat. Pro quo obſeruandum eſt in ſacris litteris frequentiſſimum eſſe (quemadmodum alias docui) vt pro animi affectionibus variis,affectiones eæ corporis appellentur,quæ ſolent animi motus illos comitari. Sic quia impatientia correpti, & indignantes ægrè conſiſtunt,pedibuſque ſolum ſupplodunt,motus pedum pro impatientia dicitur.

e Pſalm. 72. Sic Dauid,[e] *Mei autem penè moti ſunt pedes: penè effuſi ſunt greſſus mei.* Similiter quia iraſcentibus præcordia feruent,rubor ſuffunditur, pinguntur genæ, ſanguis exæſtuat, ſpiritus denſus efflatur è naribus; ira ipſa *fumus* dicitur; & irati *fumare*

f Cap.12. dicuntur,vt pluribus in libro ſecundo.[f] Eadem igitur ratione timor in Scripturis ex iis deſcribitur, quæ ſolent ipſum in corpore aut comitari, aut conſequi. Et quia nihil eſt quod tam timori coniunctum ſit, quàm cordis motus vehementior,& palpitatio; ab iſta nunc ille intelligitur. Latini ab eadem figura dixere, vt timorem exprimerent,*cor micare,& ſalire*. Et apud Plautum

ff In Pſeud. [ff] ridiculè quis proponens timorem ſuum dicit *cœpiſſe ſibi cor ſuum facere artem ludicram*;ſaliendo nimirum. Alibi vero in ſacris litteris pauor ingens,per *liquationem cordis* ſignificatur; quod ex eodem fonte ductum eſt. Cor enim trepidantibus dum ſalit, huc illuc quodammodo fluctuare videtur: ac proinde inſtar metalli, aut ceræ, ri-

g Pſal.21.17 gore depoſito, emolleſcere Dauid de ſeipſo;[g] *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei.* Vbi Chaldæus figuratam loquutionem, & ſimilitudinem explicans; *Factum eſt cor meum palpitans in medio ventris mei.* Hoc eſt ergo *liqueſcere, & cadere cor*, quod *palpitare*:

h Cap.2.11. quod habetur in Ioſue;[h] *Hac audientes pertimuimus, & elanguit cor noſtrum.* Hebraicè eſt, *liquefactum eſt cor noſtrum.* Et infrà;[i] *Pertimuitque cor*

i Cap.7.5. *populi,& ad inſtar aquæ liquefactum eſt.* Quia vero contrariorum effectuum contrariæ quoque ſunt rationes;inde eſt quod animus fiducia nixus, firmus,& conſtans dicitur: quemadmodum pauore ſolutus,deiectus appellatur,& mollis. Vide

k Cap. 16. lib. ſecundo,[k] in Oratione Cuſai.

In eo.] Vel in Golia, id eſt propter Goliam, vel *in eo* reciprocum eſt; vt ſit ſenſus bis repetitus;*non concidat cor cuiuſquam in ſemetipſo.* Nemo vllum in ſe pauorem admittat. Priorem ſenſum amplectitur Caietanus; poſteriorem Vatablus qui legit;*Non concidat* cor vllius in ſeſe. Vtrumque verò probabiliter Abulenſis.

Quia puer es.] Qua ætate tunc Dauid fuerit; fusè diſceptabitur in propria hac de re diſputatione,vbi etiam alia, quæ huc ſpectant, explicabuntur.

℣. 34.) Dixitque Dauid ad Saul;Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo, vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis.

℣. 35.) Et perſequebar eos,& percutiebam, eruebamque de ore eorum, & illi conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos.

℣. 36. Nam & leonem,& vrſum interfeci ego ſeruus tuus: erit igitur & Philiſthæus hic incircunciſus quaſi vnus ex eis: nunc adam, & auferam opprobrium populi: quoniam quis eſt iſte Philiſtæus incircunciſus, qui auſus eſt maledicere exercitui Dei viuentis?

℣. 37. Et ait Dauid; Dominus, qui eripuit me de manu leonis, & de manu vrſi, ipſe me liberabit de manu Philiſtæi huius. Dixit autem Saul ad Dauid; Vade, & Dominus tecum ſit.

Et dixit David ad Saul.] Quæ verba Dauid dixerit,Saulem alloquens, ea nobis non improbabiliter proponit & explicat Ioſephus.[l] *Admirante Saule generoſum Dauidis animum; nec tamen audente rem tantam tam teneræ ætati committere; Non eſt,inquit David, quod dubites: nam hæc Deo fretus polliceor, cuius fauorem expertus ſum. Cum enim paternos greges paſcerem, raptum agnum ex ore leonis recepi;ipſamque feram in me impetum vertentem, cauda correptam, ſoloque afflictam occidi: neque mitius tractaui vrſum greges inuadentem & hanc quoque belluam nihilo pluris facio; qui cum in Deum,atque homines conuitia euomat, non patietur cæleſte numen hoc illum impune auferre;ſed meis manibus perdomabit.* l lib.6.c.10.

Veniebat leo] Quam vocem noſter interpres hoc loco,& alibi frequenter, immo fere ſemper *leonem* vertit; ea voce nonnulli ſignificari quidem volunt genus animantis immanis admodum, & agreſtis;quam tamen propriè planè ſciri non poſſe: qua ſimili difficultate obſeruant in aliis nominibus laborari;lapidum,herbarum,colorum, gemmarum, medicamentorum; quæ ſi cum nominibus & appellationibus noſtri temporis conferantur,vt ad vſum redigi poſſint; diuinatione opus eſt. Vt autem hic *leonem* ſignificari non putent, mouentur tum quod id genus in Lybia,& Africa frequens ſit, non item in Syria; tum quia inſolitum eſt leones gregibus inſidiari; tum denique quia incredibile eſt Dauidem pene puerum leonem fugaſſe, comprehendiſſe, ſtrangulaſſe: & ad miraculum recurrere non eſt neceſſe. Satis eſt ergo ſi genus aliquod feræ intelligamus; non tamen *leonem* propriè exiſtimemus. Sic iſti,recentiores ſcilicet, & nouatores. Sed perſpicuè falluntur. Certum enim debet eſſe ארי *Ari*; quæ vox in textu Hebræo hoc loco habetur, nomen eſſe leonis proprium. Sic enim ſemper à noſtro interprete redditur; ſic à LXX, ſic à Rabinis omnibus,quos credibile non eſt in proprio vocabulo notiſſimæ belluæ hallucinatos. Obſeruandum porro eſt ex Aria m Num. 327

[m] Montano de naturæ hiſtoria, Pineda [n] noſtro n Cap.4.10.

in

In Iob, Serrario in Iudices vbi de Sampſone,
a lib. 10 Obſeru c. 4. Druſio [o] damnato authore, quinque eſſe voca-
bula apud Hebræos, quæ certum eſt ſpectare om-
nia ad leonis ſpeciem ſignificandam; quo verò
ætatis, ſexus, aut alio formæ diſcrimine; non ita
certum. Sunt autem iſta ארי *Ari* שחל *Sabhal*
כפיר *Cephir*, ליש *Lais* & לביא *Lebi*. Ariech
fere ſemper, vt diai, *leo* vertitur à noſtro inter-
prete, & à LXX. & notat Rabbi Kimki ſigni-
ficare *leonem* mediç ætatis, cùm robuſtiſſimus eſt,
& in flora iuuentæ. *Sabhal* verò nonnunquam
etiam leo vertitur; ſed frequentius *leana*, quod ea
voce exiſtiment Hebræi ſignificari inter varias
leonum formas ferociſſimum & immaniſſimum:
& quia fœminæ in hac ſpecie maribus ſæuiores
ſunt, præſertim cum catulos educunt; noſter
interpres pro leæna eſt interpretatus. At *Cephir*
& *Cephirim* licet propriè ex Aria Montano ſi-
gnificent ferarum fœtus, & catulos cum adhuc
ſe inter luſtra continent; nec libere prodire aut
ſinuntur, aut audeot; noſter tamen interpres fre-
quentius pro *leunculo* accepit, & *leunculus*; catulis
nimirum, ſed in *leonis* ſpecie. *Lebi* vero *leonis* no-
men eſt deductum ab intrepiditate cordis. De-
nique *Lais* certam etiam formam in hoc genere
animantis ſignificat; & putant nonnulli vaſtiſſi-
mos, & maiori reliquis leonibus membrorum
mole ſic appellari. Addunt alij Græcos forte, &
Latinos vocabulum *leonis* ab eo deriuaſſe, quod
improbabile non eſt, Omnes porto iſtæ appella-
p Cap. 4. 10. tiones in vna Iobi ſeutentia continentur. [p] *Ru-
gitus leonis, & vox leana. & dentes catulorum leo-
num contriti ſunt, tigris periit, eo quod non haberet
pradam, & catuli leonum diſſipati ſunt.* Ex iſtis
quinque nominibus, quibus diuerſæ leonum dif-
ferentiæ & formæ ſignificantur, Græcis, vel La-
tinis ignotæ, vel vocabulorum inopia confuſæ;
licet aliqua ad alia quoque animalia transferan-
tur, אריה Ariech tamen nunquam niſi pro leone
accipitur. De aliis facilè conſtare poteſt. Dauid;
q Pſalm. 90. [q] *ſuper aſpidem, & baſilicum ambulabis.* Hebraicè
r Cap. 4. 11. ſuper שחל *Sabhal* & פתן *pethen*. Iob; [r] *Tigris
periit, eo quod non haberet pradam.* Hebraicè ליש
ſ Cap. 30. *Lais periit.* Et tamen in Prouerbiis; [ſ] *Leo fortiſſi-
mus beſtiarum ad nullius pauebit occurſum.* Hebrai-
cè; ליש *Lais fortiſſimus beſtiarum.* Vox ergo
Sabhal licet *leo*, & *leana* frequenter vertatur;
etiam pro aſpide accepta eſt; & *Lais* pro tigre.
At *Ariech* quoties in Hebræo occurrit; *Leo* per-
petuo & conſtanter in Græcis, & Latinis reddi-
tur. Vnde dubitari non poteſt, quin hoc loco
etiam *Leo* ſit intelligendus. At leo fera Lybica
eſt, & Africana: quaſi verò quia Aſini Reatini
celebrantur apud Varronem; non alibi etiam
aſini naſcantur. Sunt in Lybia leones & fre-
quentes, & feroces & multiformes; ſed ſunt
etiam ſui in Syria; & quidem ita frequentes, vt
t lib. 8. c. 16. iter agentibus ſæpiſſimè occurrant. Plinius; [t]
*Mentor Syracuſanus in Syria leone obuio, ſuppli-
citer volutante, attonitus pauore, cum refugienti vn-
dique fera opponeret ſeſe, & veſtigia lamberet adu-
lanti ſimilis, animaduertit in pede eius tumorem,
vulnuſque, & extracto ſurculo, liberauit cruciatu.*
u lib. 8. Similiter apud Curtium; [u] *Adiecit, Alexander
tam à ſe, quam à Lyſimacho leonem interfici poſſe.
Lyſimachus enim quondam cum venaretur in Syria
occiderat eximia magnitudinis feram ſolus.* Sunt er-
x Cap. 16. go in Syria leones, & frequenter obuij, vt con-
y Cap. 23. ſtat etiam præter externos ſcriptores ex hiſtoria
z Cap. 13. & 20. [x] Iudicum, & ſecundo [y] Tertio, [z] & Quarto

[a] Regum. At nouum & mirum ſit leonem pro- a Cap. 17.
priè maieſtatis oblitum, lupinos mores induere:
luporum enim eſt ouibus, & gregibus inſidiari,
non leonum, quorum generoſitate indignum eſt
vires exercere in tam imbelle pecus. In leones
enim illud maximè conuenit.

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

At quid magis ſubiectum, & omnium iniuriæ
expoſitum; quam greges ouium & agnorum?
Certè illa verè à Plinio [b] referuntur; *Leoni tan-* b lib. 8. c. 16.
*tùm ex feris clementia in ſupplices: proſtratis parcit;
& vbi ſauit, in viros prius, quàm in fœminas fremit;
in infantes non niſi magna fame.* Quæ quomo-
do nunc cum iſta noua venatione conueniant;
non apparet. Sed dicendum veriſſima hæc eſſe,
ſeruarique à leone omnia, præterquam vrgente
fame. Si enim auri fames, quæ libera & volun-
taria eſt, tantum poteſt in homine, vt merito
Poëta cecinerit;

— *Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?*

Quid poterit in omnibus animalibus fames non
habendi, ſed edendi? cupiditas prorſus violentiſ-
ſima, & quam fruſtra quis tentet excutere non
expleam? Certè nihil non poterit. Itaque vide-
mus cum iſta premit & vrget, nihil eſſe quod
quiſpiam indignum ſe putet, aut maieſtate ſua;
tunc enim illud vſurpatur. [c] *Qua prius nolebat* c Iob 6. 7.
tangere anima mea; nunc pra anguſtia cibi mei ſunt.
Ergo vt aliàs non ſoleant leones hoc genus ve-
nationis exercere, ouibus inſidiari, paſtorum cau-
las obſidere; cum tamen fame vrgentur, ſolent.
Et ita experientia ipſa docet, vt obſeruant Ari-
ſtoteles, [d] Plinius, [e] & Ælianus, [f] illud inſuper d Hiſt. anim. li. 2. c. 1. & 5.
addentes cum iam incipiunt leones ad ſenium e lib. 8 c. 16.
vrgere; tunc maximè ad hoc deſcendere. Viribus f lib. 6. de
enim deficientibus, impediuntur ne alias agreſtes anim. c. 63.
feras inſequi poſſint. Quod tamen argumento ex quib. Rod.
non eſt leones hos, de quibus Dauidi ſermo, aut lib. 13. cap. 8.
inbecilles fuiſſe, aut ætate confectos: quia non & 19.
ſolum ab ætate; ſed à fame etiam, vt diximus, huc
impelluntur: qua non ſolum non infirmiores
fiunt; ſed multò etiam ferociores, vtpotè in ra-
biem efferati. At miraculum eſt potuiſſe feram
fortiſſimam & immaniſſimam tam facilè vnius
adoleſcentis manibus elidi. Hac de re quid di-
cendum ſit; deinceps conſtabit.

Vel vrſus.] Propriè in Hebræo eſt דוב *dob.*
per quam vocem certum eſt apud omnes *vrſum*
ſignificari. Quod animal ſolertiſſimè ſtolidum,
mirum non eſt, ſi inſidias frequenter gregibus
moliatur. Dummodo enim ventrem paſcat, ad
omnia ſe demittit. Itaque quæ ſe indigna leones
putant, ac maieſtate ſua, ac proinde nec attin-
gunt, nec læduot; ab iis vrſi non abſtinent; nihil
turpe ducentes, quod ventrem farcire poſſit. Vi-
de quæ lib. 2. cap. 16. vbi de voce, *Dob.*

Tollebat arietem de medio gregis.] Quid eſt de
medio gregis? Aut cur *arietem* potius, quam
aliud quoduis in caulis ouium? Noſter fortè vo-
luit exprimere maximè prædæ patuiſſe, qui in
grege ſunt magis iniuriæ expoſiti, ij autem ſunt
arietes, qui greges ipſi ducunt, cuiuſmodi arie-
tem Hebræi appellant כבש אלוף *Chebes aluph,
arietem diſciplinatum.* Quem noſter apud Iere-
miam vertit [e] *agnum manſuetum.* Hic porro *de* e Cap. 16.
medio gregis rapitur; non quod ſemper in medio
verſari ſoleat, cum in agmine plerumque præce-
dat; ſed quia certatim ad ipſum quantum poteſt
reliquos grex agglomeratur. In Hebræo verò
ad verbum

dam, tantoque erit tua ſimul, & tuorum gloria illuſtrior; quod à puero, non à viro deuictus videbitur.

Non concidat cor cuiuſquam.] Cor fortitudinis & audaciæ ſedes eſt: ideo ipſo ſtante, intrepidi ſumus; cùm vero vacillat, & nutat, omnia perturbantur. Ea cauſa eſt cur ingens timor per *caſum cordis* in ſacris, & profanis litteris ſignificetur. Quæ loquutio non ſolum metaphorica eſt, & hiperbolica; ſed propria etiam, & ducta ex ipſa natura rerum. Timentibus enim maximè cor palpitat; & eo vehementius, quo maior eſt timor. Ea autem palpitatio caſus quidam, & ſubſultus cordis videtur; ac proinde ad ingentem timorem ſignificandum vſurpatur. Eſt igitur hoc loco; *Non concidat cor cuiuſquam*; nemo quidquam timeat: nullus animum deſpondeat. Pro quo obſeruandum eſt in ſacris litteris frequentiſſimum eſſe (quemadmodum alias docui) vt pro animi affectionibus variis, affectiones eæ corporis appellentur, quæ ſolent animi motus illos comitari. Sic quia impatientia correpti, & indignantes ægrè conſiſtunt, pedibuſque ſolum ſupplodunt; motus pedum pro impatientia dicitur.
e Pſalm. 72. Sic Dauid,[e] *Mei autem pene moti ſunt pedes: penè effuſi ſunt greſſus mei.* Similiter quia iraſcentibus præcordia feruent, rubor ſuffunditur, pinguntur genæ, ſanguis exæſtuat, ſpiritus denſus efflatur è naribus; ira ipſa *fumus* dicitur; & irati *fumare*
f Cap. 22. dicuntur, vt pluribus in libro ſecundo.[f] Eadem igitur ratione timor in Scripturis ex iis deſcribitur, quæ ſolent ipſum in corpore aut comitari, aut conſequi. Et quia nihil eſt quod tam timori coniunctum ſit, quàm cordis motus vehementior, & palpitatio; ab iſta nunc ille intelligitur. Latini ab eadem figura dixere, vt timorem exprimerent, *cor micare, & ſalire.* Et apud Plautum
ff In Pſeud. [ff] ridiculè quis proponens timorem ſuum dicit *cœpiſſe ſibi cor ſuum facere artem ludicram*; ſaliendo nimirum. Alibi vero in ſacris litteris pauor ingens, per *liquationem cordis* ſignificatur; quod ex eodem fonte ductum eſt. Cor enim trepidantibus dum ſalit, huc illuc quodammodo fluctuare videtur: ac proinde inſtar metalli, aut ceræ, ri-
g Pſal. 21. 17 gore depoſito, emolleſcere Dauid de ſeipſo;[g] *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei.* Vbi Chaldæus figuratam loquutionem, & ſimilitudinem explicans; *Factum eſt cor meum palpitans in medio ventris mei.* Hoc eſt ergo *liqueſcere, & cadere cor*, quod *palpitare*:
h Cap. 2. 11. quod habetur in Ioſue;[h] *Hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor noſtrum.* Hebraicè eſt, *lique-*
i Cap. 7. 5. *factum eſt cor noſtrum.* Et infrà;[i] *Pertimuitque cor populi, & ad inſtar aquæ liquefactum eſt.* Quia vero contrariorum effectuum contrariæ quoque ſunt rationes; inde eſt quod animus fiducia nixus, firmus, & conſtans dicitur: quemadmodum pauore ſolutus, deiectus appellatur, & mollis. Vide
k Cap. 16. lib. ſecundo,[k] in Oratione Cuſai.

In eo.] Vel in Golia, id eſt propter Goliam, vel *in eo* reciprocum eſt; vt ſit ſenſus bis repetitus; *non concidat cor cuiuſquam in ſemetipſo.* Nemo vllum in ſe pauorem admittat. Priorem ſenſum amplectitur Caietanus; poſteriorem Vatablus qui legit; *Non concidat* cor vllius in ſeſe. Vtrumque verò probabiliter Abulenſis.

Quia puer es.] Qua ætate tunc Dauid fuerit; fuſe diſceptabitur in propria hac de re diſputatione, vbi etiam alia, quæ huc ſpectant, explicabuntur.

℣. 34.) Dixitque Dauid ad Saul; Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo, vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis.

℣. 35.) Et perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum, & illi conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos.

℣. 36. Nam & leonem, & vrſum interfeci ego ſeruus tuus: erit igitur & Philiſthæus hic incircuncifus quaſi vnus ex eis: nun[c] [v]adam, & auferam opprobrium populi: quoniam quis eſt iſte Philiſtæus incircunciſus, qui auſus eſt maledicere exercitui Dei viuentis?

℣. 37. Et ait Dauid; Dominus, qui eripuit me de manu leonis, & de manu vrſi, ipſe me liberabit de manu Philiſtæi huius. Dixit autem Saul ad Dauid; Vade, & Dominus tecum ſit.

Et dixit Dauid ad Saul.] Quæ verba Dauid dixerit, Saulem alloquens, ea nobis non impro-
babiliter proponit & explicat Ioſephus.[l] *Admi-* l lib. 6. c. 10.
rante Saule generoſum Dauidis animum; nec tamen audente rem tantam tam teneræ ætati committere; Non eſt, inquit Dauid, quod dubites: nam hæc Deo fretus polliceor, cuius fauorem expertus ſum. Cum enim paternos greges paſcerem, raptum agnum ex ore leonis recepi, ipſamque feram in me impetum vertentem, cauda correptam, ſoloque afflictam occidi: neque mitius tractaui vrſum greges inuadentem & hanc quoque belluam nihilo pluris facio; qui cum in Deum, atque homines conuitia euomat, non patietur cæleſte numen hoc illum impune auferre; ſed meis manibus perdomabit.

Veniebat leo] Quam vocem noſter interpres hoc loco, & alibi frequenter, immo fere ſemper *leonem* vertit; ea voce nonnulli ſignificari quidem volunt genus animantis immanis admodum, & agreſtis; quam tamen propriè planè ſciri non poſſe: qua ſimili difficultate obſeruant in aliis nominibus laborari; lapidum, herbarum, colorum, gemmarum, medicamentorum; quæ ſi cum nominibus & appellationibus noſtri temporis conferantur, vt ad vſum redigi poſſint; diuinatione opus eſt. Vt autem hic *leonem* ſignificari non putent, mouentur tum quod id genus in Lybia, & Africa frequens ſit, non item in Syria; tum quia inſolitum eſt leones gregibus inſidiari; tum denique quia incredibile eſt Dauidem pene puerum leonem fugaſſe, comprehendiſſe, ſtrangulaſſe: & ad miraculum recurrere non eſt neceſſe. Satis eſt ergo ſi genus aliquod feræ intelligamus; non tamen *leonem* propriè exiſtimemus. Sic iſti, recentiores ſcilicet, & nouatores. Sed perſpicuè falluntur. Certum enim debet eſſe ארי *Ari*; quæ vox in textu Hebræo hoc loco habetur, nomen eſſe leonis proprium. Sic enim ſemper à noſtro interprete redditur; ſic à LXX, ſic à Rabinis omnibus, quos credibile non eſt in proprio vocabulo notiſſimæ belluæ
hallucinatos. Obſeruandum porro eſt ex Aria m Num. 387
[m] Montano de naturæ hiſtoria, Pineda[n] noſtro n Cap. 4. 10.
in

in Iob, Serrario in Iudices vbi de Sampſone, a lib.10 Obſeru c.4. Druſio [a] damnato authore, quinque eſſe vocabula apud Hebræos, quæ certum eſt ſpectare omnia ad leonis ſpeciem ſignificandam; quo verò ætatis, ſexus, aut alio formæ diſcrimine; non ita certum. Suut autem iſta ארי *Ari* שחל *Sabhal* כפיר *Cephir*, ליש *lais* & לביא *Lebi*. Ariech fere ſemper, vt dixi, *leo* vertitur à noſtro interprete, & à LXX. & notat Rabbi Kimki ſignificare *leonem* medię ætatis, cùm robuſtiſſimus eſt, & in flore iuuentæ. *Sabhal* verò nonnunquam etiam leo vertitur; ſed frequentius *leana*, quod ea voce exiſtiment Hebræi ſignificari inter varias leonum formas ferociſſimum & immaniſſimum: & quia fœminæ in hac ſpecie maribus ſæuiores ſunt, præſertim cum catulos educunt; noſter interpres pro leæna eſt interpretatus. At *Cephir* & *Cephirim* licet propriè ex Aria Montano ſignificent ferarum fœtus, & catulos eum adhuc ſe inter luſtra continent; nec libere prodire aut ſtuuntur, aut audent; noſter tamen interpres frequentius pro *leanculo* accepit, & *leuncalis*; catulis nimirum, ſed in *leonis* ſpecie. *Lebi* vero *leonis* nomen eſt deductum ab intrepiditate cordis. Denique *Lais* certam etiam formam in hoc genere animantis ſignificat; & putant nonnulli vaſtiſſimos, & maiori reliquis leonibus membrorum mole ſic appellari. Addunt alij Græcos forte. & Latinos vocabulum *leonis* ab eo deriuaſſe, quod improbabile non eſt, Omnes porto iſtæ appella-
p Cap. 4. 10. tiones in vna Iobi ſententia continentur. [p] *Rugitus leonis, & vox leana. & dentes catulorum leonum contriti ſunt, tigris periit, eo quod non haberet pradam, & catuli leonum diſſipati ſunt.* Ex iſtis quinque uominibus, quibus diuerſæ leonum differentiæ & formæ ſignificantur, Græcis, vel Latinis ignotæ, vel vocabulorum inopia confuſæ; licet aliqua ad alia quoque animalia tranſferantur, אריה Ariech tamen nunquam niſi pro leone accipitur. De aliis facilè conſtare poteſt. Dauid;
q Pſalm. 90. [q] *ſuper aſpidem, & baſilicum ambulabis*. Hebraicè
r Cap. 4. 11. ſuper שחל *Sabhal* & פתן *pethen*. Iob; [r] *Tigris periit, eo quod non haberet pradam.* Hebraicè ליש
ſ Cap. 30. *Lais periit*. Et tamen in Prouerbiis; [ſ] *Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pauebit occurſam.* Hebraicè; ליש *Lais fortiſſimus beſtiarum.* Vox ergo *Sabhal* licet *leo*, & *leana* frequenter vertatur; etiam pro aſpide accepta eſt; & *Lais* pro tigre. At *Ariech* quoties in Hebræo occurrit; *Leo* perpetuo & conſtanter in Græcis, & Latinis redditur. Vnde dubitari non poteſt, quin hoc loco etiam *Leo* ſit intelligendus. At leo fera Lybica eſt, & Africana: quaſi verò quia Aſini Rearini celebrantur apud Varronem; non alibi etiam aſini naſcantor. Sunt in Lybia leones & frequentes, & feroces & multiformes; ſed ſunt etiam ſui in Syria; & quidem ita frequentes, vt
t lib. 8. c. 16. iter agentibus ſæpiſſimè occurrant. Plinius; [t] *Mentor Syracuſanus in Syria leone obuio, ſuppliciter volutante, attonitus pauore, cum refugienti vndique fera opponeret ſeſe, & veſtigia lamberet adulanti ſimilis, animaduertit in pede eius tumorem, vulnuſque, & extracto ſurculo, liberauit cruciatu.*
u lib. 8. Similiter apud Curtium; [u] *Adiecit, Alexander tam à ſe, quam à Lyſimacho leonem interfici poſſe. Lyſimachus enim quondam cum venaretur in Syria occiderat eximia magnitudinis feram ſolus.* Sunt er-
x Cap. 16. go in Syria leones, & frequenter obuij, vt con-
y Cap 23. ſtat etiam præter externos ſcriptores ex hiſtoria
z Cap. 13. & 20. [x] Iudicum, & ſecundo [y] Tertio, [z] & Quarto

a Cap. 17. [a] Regum. At nouum & mirum ſit leonem propriè maieſtatis oblitum, lupinos mores induere: luporum enim eſt ouibus, & gregibus inſidiari, non leonum, quorum generoſitate indignum eſt vires exercere in tam imbelle pecus. In leones enim illud maximè conuenit.

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

At quid magis ſubiectum, & omnium iniuriæ expoſitum; quam greges ouium & agnorum?
b lib. 8. c. 16. Certè illa verè à Plinio [b] referuntur; *Leoni tantùm ex feris clementia in ſupplices: proſtratis parcit; & vbi ſæuit in viros prius, quàm in fœminas fremit; in infantes non niſi magna fame.* Quæ quomodo nunc cum iſta noua venatione conueniant; non apparet. Sed dicendum veriſſima hæc eſſe, ſeruarique à leone omnia, præterquam vigente fame. Si enim auri fames, quæ libera & voluntaria eſt, tantum poteſt in homine, vt merito Poëta cecinerit;

— Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Quid poterit in omnibus animalibus fames non habendi, ſed edendi? cupiditas prorſus violentiſſima, & quam fruſtra quis tentet excutere non expletam? Certè nihil non poterit. Itaque videmus cum iſta premit & vrget, nihil eſſe quod quiſpiam indignum ſe putet, aut maieſtate ſua;
c Iob 6. 7. tunc enim ilud vſurpatur. [c] *Qua prius nolebat tangere anima mea; nunc pra anguſtia cibi mei ſunt.* Ergo vt aliàs non ſoleant leones hoc genus venationis exercere, ouibus inſidiari, paſtorum caulas obſidere; cum tamen fame vrgentur, ſolent.
d Hiſt. anim. li. 2. c. 1. & 3. Et ita experientia ipſa docet, vt obſeruant Ariſtoteles, [d] Plinius, [e] & Ælianus, [f] illud inſuper
e lib. 8 c. 16. addentes cum iam incipiunt leones ad ſenium
f lib. 6. de anim. c. 63. vrgere; tunc maximè ad hoc deſcendere. Viribus
ex quib Rod. lib 13. cap 8. & 19. enim deficientibus, impediuntur ne alias agreſtes feras inſequi poſſint. Quod tamen argumento non eſt leones hos, de quibus Dauidi ſermo, aut inbecilles fuiſſe, aut ætate confectos: quia non ſolum ab ætate; ſed à fame etiam, vt diximus, huc impelluntur: qua non ſolum non Infirmiores ſiunt; ſed multò etiam ferociores, vtporè in rabiem efferati. At miraculum eſt potuiſſe feram fortiſſimam & immaniſſimam tam facilè vnius adoleſcentis manibus elidi. Hac de re quid dicendum ſit; deinceps conſtabit.

Vel vrſus.] Propriè in Hebræo eſt דוב *dob.* per quam vocem certum eſt apud omnes *vrſum* ſignificari. Quod animal ſolertiſſimè ſtolidum, mirum non eſt, ſi inſidias frequenter gregibus moliatur. Dummodo enim ventrem paſcat, ad omnia ſe demittit. Itaque quæ ſe indigna leones putant, ac maieſtate ſua, ac proinde nec attingunt, nec lædunt; ab iis vrſi non abſtinent; nihil turpe ducentes, quod ventrem farcire poſſit. Vide quæ lib. 2. cap. 16. vbi de voce, *Dob.*

Tollebat arietem de medio gregis.] Quid eſt de medio gregis? Aut cur *arietem* potius, quam aliud quoduis in caulis ouium? Noſter fortè voluit exprimere maximè prædæ patuiſſe, qui in grege ſunt magis iniuriæ expoſiti, ij autem ſunt arietes, qui greges ipſi ducunt, cuiuſmodi arietem Hebræi appellant כבש אלוף *Chebes aluph*, *arietem diſciplinatum.* Quem noſter apud Iere-
e Cap. 16. miam vertit [e] *agnum manſuetum.* Hic porro *de medio gregis rapitur*; non quod ſemper in medio verſari ſoleat, cum in agmine plerumque præcedat; ſed quia certatim ad ipſum quantum poteſt reliquus grex agglomeratur. In Hebræo verò

ad verbum

dam, tantoque erit tua ſimul, & tuorum gloria illuſtrior, quod a puero, non a viro debellatus videbitur.

Non concidat cor cuiuſquam.] Cor fortitudinis & audaciæ ſedes eſt: ideo ipſo ſtante, intrepidi ſumus; cum vero vacillat, & nutat, omnia perturbamur. Ea cauſa eſt cur ingens timor per *caſum cordis* in ſacris, & profanis litteris ſignificetur. Quæ loquutio non ſolum metaphorica eſt, & hyperbolica; ſed propria etiam, & ducta ex ipſa natura rerum. Timentibus enim maximè cor palpitat; & eo vehementius, quo maior eſt timor. Ea autem palpitatio caſus quidam, & ſubſultus cordis videtur; ac proinde ad ingentem timorem ſignificandum vſurpatur. Eſt igitur hoc loco, *Non concidat cor cuiuſquam*; nemo quidquam timeat: nullus animum deſpondeat. Pro quo obſeruandum eſt in ſacris litteris frequentiſſimum eſſe (quemadmodum alias docui) vt pro animi affectionibus variis, affectiones ex corporis appellentur, quæ ſoleot animi motus illos comitari. Sic quia impatientia correpti, & indignantes ægrè conſiſtunt, pedibuſque ſolum ſupplodunt; motus pedum pro impatientia dicitur. e Pſalm. 72. Sic Dauid;[e] *Mei autem penè moti ſunt pedes: penè effuſi ſunt greſſus mei.* Similiter quia iraſcentibus præcordia feruent, rubor ſuffunditur, pinguntur genæ, ſanguis exæſtuat, ſpiritus denſus efflatur è naribus; ira ipſa *fumus* dicitur; & irati *fumare* f Cap. 12. dicuntur, vt pluribus in libro ſecundo.[f] Eadem igitur ratione timor in Scripturis ex iis deſcribitur, quæ ſolent ipſum in corpore aut comitari, aut conſequi. Et quia nihil eſt quod iam timori coniunctum ſit, quàm cordis motus vehementior, & palpitatio; ab iſta nunc ille intelligitur. Latini ab eadem figura dixere, vt timorem exprimerent, *cor micare, & ſalire*. Et apud Plautum ff In Pſeud. ff ridiculè quis proponens timorem ſuum dicit *cœpiſſe ſibi cor ſuum facere artem ludicram*; ſaliendo nimirum. Alibi vero in ſacris litteris pauor ingens per *liquationem cordis* ſignificatur; quod ex eodem fonte ductum eſt. Cor enim trepidantibus dum ſalit, huc illuc quodammodo fluctuare videtur: ac proinde inſtar metalli, aut ceræ, rig Pſal. 21. 17 gore depoſito, emolleſcere Dauid de ſeipſo;[g] *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei.* Vbi Chaldæus figuratam loquutionem, & ſimilitudinem explicans; *Factum eſt cor meum palpitans in medio ventris mei.* Hoc eſt ergo *liqueſcere, & cadere cor*, quod *palpitare*: h Cap. 2. 11. quod habetur in Ioſue;[h] *Hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor noſtrum.* Hebraicè eſt, *lique-* i Cap. 7. 5. *factum eſt cor noſtrum.* Et infrà;[i] *Pertimuitque cor populi, & ad inſtar aquæ liquefactum eſt.* Quia vero contrariorum effectuum contrariæ quoque ſunt rationes; inde eſt quod animus fiducia nixus, firmus, & conſtans dicitur: quemadmodum pauore ſolutus, deiectus appellatur, & mollis. Vide k Cap. 16. lib. ſecundo,[k] in Oratione Cuſai.

In eo.] Vel in Gulia, id eſt propter Goliam, vel *in eo* reciprocum eſt; vt ſit ſenſus bis repetitus; *non concidat cor cuiuſquam in ſemetipſo.* Nemo vllum in ſe pauorem admittat. Priorem ſenſum amplectitur Caietanus; poſteriorem Vatablus qui legit; *Non concidat* cor vllius in ſeſe. Vtrumque verò probabiliter Abulenſis.

Quia puer es.] Qua ætate tunc Dauid fuerit; fuſe diſceptabitur in propria hac de re diſputatione, vbi etiam alia, quæ huc ſpectant, explicabuntur.

℣. 34.) Dixitque Dauid ad Saul; Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo, vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis.
℣. 35.) Et perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum, & illi conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos.
℣. 36. Nam & leonem, & vrſum interfeci ego ſeruus tuus: erit igitur & Philiſthæus hic incircunciſus quaſi vnus ex eis: nun[illegible] adam, & auferam opprobrium populi: quoniam quis eſt iſte Philiſtæus incircunciſus, qui auſus eſt maledicere exercitui Dei viuentis?
℣. 37. Et ait Dauid; Dominus, qui eripuit me de manu leonis, & de manu vrſi, ipſe me liberabit de manu Philiſtæi huius. Dixit autem Saul ad Dauid; Vade, & Dominus tecum ſit.

Et dixit Dauid ad Saul.] Quæ verba Dauid dixerit, Saulem alloquens, ea nobis non improbabiliter proponit & explicat Ioſephus.[l] *Admi-* l lib. 6. c. 10. *rante Saule generoſum Dauidis animum; nec tamen audente rem tantam tam teneræ ætati committere; Non eſt, inquit Dauid, quod dubites: nam hæc Deo fretus polliceor, cuius fauorem expertus ſum. Cum enim paternos greges paſcerem, raptum agnum ex ore leonis recepi, ipſamque feram in me impetum vertentem, cauda correptam, ſoloque afflictam occidi: neque mitius tractaui vrſum greges inuadentem & hanc quoque belluam nihilo pluris facio; qui cum in Deum, atque homines conuitia euomat, non patietur cæleſte numen hoc illum impune auferre; ſed meis manibus perdomabit.*

Veniebat leo] Quam vocem noſter interpres hoc loco, & alibi frequenter, immo fere ſemper *leonem* vertit; ea voce nonnulli ſignificari quidem volunt genus animantis immanis admodum, & agreſtis; quam tamen propriè planè ſciri non poſſe: qua ſimili difficultate obſeruant in aliis nominibus laborari; lapidum, herbarum, colorum, gemmarum, medicamentorum; quæ ſi cum nominibus & appellationibus noſtri temporis conferantur, vt ad vſum redigi poſſint; diuinatione opus eſt. Vt autem hic *leonem* ſignificari non putent, mouentur tum quod id genus in Lybia, & Africa frequens ſit, non item in Syria; tum quia inſolitum eſt leones gregibus inſidiari; tum denique quia incredibile eſt Dauidem pene puerum leonem fugaſſe, comprehendiſſe, ſtrangulaſſe: & ad miraculum recurrere non eſt neceſſe. Satis eſt ergo ſi genus aliquod feræ intelligamus; non tamen *leonem* propriè exiſtimemus. Sic iſti, recentiores ſcilicet, & nouatores. Sed perſpicuè falluntur. Certum enim debet eſſe ארי *Ari*; quæ vox in textu Hebræo hoc loco habetur, nomen eſſe leonis proprium. Sic enim ſemper à noſtro interprete redditur; ſic à LXX, ſic à Rabinis omnibus, quos credibile non eſt in proprio vocabulo notiſſimæ belluæ hallucinatos. Obſeruandum porro eſt ex Aria m Num. 5. 27 [m] Montano de naturæ hiſtoria, Pineda [n] noſtro n Cap. 4. 10.
in

in Iob, Serrario in Iudices vbi de Sampſone,
o lib.10 Obſeru c.4. Druſio [p] damnato authore, quinque eſſe voca-
bula apud Hebræos, quæ certum eſt ſpectare om-
nia ad leonis ſpeciem ſignificandam; quo verò
ætatis, ſexus, aut alio formæ diſcrimine; non ita
certum. Sunt autem iſta אריה *Ari* שחל *Sabhal*
כפיר *Cephir*, ליש *lais* & לביא *Lebi*. Ariech
fere ſemper, vt dixi, *leo* vertitur à noſtro inter-
prete, & à LXX. & notat Rabbi Kimki ſigni-
ficare *leonem* mediç ætatis, cùm robuſtiſſimus eſt,
& in flora iuuentæ. *Sabhal* verò nonnunquam
etiam leo vertitur; ſed frequentius *leana*, quod ea
voce exiſtiment Hebræi ſignificari inter varias
leonum formas ferociſſimum & immaniſſimum:
& quia fœminæ in hac ſpecie maribus ſæuiores
ſunt, præſertim cum catulos educunt; noſter
interpres pro leæna eſt interpretatus. At *Cephir*
& *Cephirim* licet propriè ex Aria Montano ſi-
gnificent ferarum fœtus, & catulos cum adhuc
ſe inter luſtra continent; nec libere prodire aut
ſinuntur, aut audent; noſter tamen interpres fre-
quentius pro *leunculo* accepit, & *leunculis*; catulis
nimirum, ſed in *leonis* ſpecie. *Lebi* vero *leonis* no-
men eſt deductum ab intrepiditate cordis. De-
nique *Lais* certam etiam formam in hoc genere
animantis ſignificat; & putant nonnulli vaſtiſſi-
mos, & maiori reliquis leonibus membrorum
mole ſic appellari. Addunt alij Græcos forte, &
Latinos vocabulum *leonis* ab eo deriuaſſe, quod
improbabile non eſt, Omnes porro iſtæ appella-
p Cap. 4. 10. tiones in vna Iobi ſententia continentur. [p] *Ru-
gitus leonis, & vox leana, & dentes catulorum leo-
num contriti ſunt, tigris periit, eo quod non haberet
prædam, & catuli leonum diſſipati ſunt.* Ex iſtis
quinque nominibus, quibus diuerſæ leonum dif-
ferentiæ & formæ ſignificantur, Græcis, vel La-
tinis ignotæ, vel vocabulorum inopia confuſæ;
licet aliqua ad alia quoque animalia transferan-
tur, אריה Ariech tamen nunquam niſi pro leone
accipitur. De aliis facilè conſtare poteſt. Dauid;
q Pſalm. 90. [q] *ſuper aſpidem, & baſilicum ambulabis.* Hebraicè
r Cap.4. 11. ſuper שחל *Sabhal* & פתן *pethen*. Iob; [r] *Tigris
periit, eo quod non haberet prædam.* Hebraicè ליש
ſ Cap.30. *Lais periit.* Et tamen in Prouerbiis; [ſ] *Leo fortiſſi-
mus beſtiarum ad nullius pauebit occurſum.* Hebrai-
cè; ליש *Lais fortiſſimus beſtiarum.* Vox ergo
Sabhal licet *leo*, & *leana* frequenter vertatur;
etiam pro aſpide accepta eſt; & *Lais* pro tigre.
At *Ariech* quoties in Hebræo occurrit; *Leo* per-
petuo & conſtanter in Græcis, & Latinis reddi-
tur. Vnde dubitari non poteſt, quin hoc loco
etiam *Leo* ſit intelligendus. At leo fera Lybica
eſt, & Africana: quaſi verò quia Aſini Reatini
celebrantur apud Varronem; non alibi etiam
aſini naſcantur. Sunt in Lybia leones & fre-
quentes, & feroces & multiformes; ſed ſunt
etiam ſui in Syria; & quidem ita frequentes, vt
t lib.8. c. 16. iter agentibus ſæpiſſimè occurrant. Plinius; [t]
*Mentor Syracuſanus in Syria leone obuio, ſuppli-
citer volutante, attonitus pauore, cum refugienti vn-
dique fera opponeret ſeſe, & veſtigia lamberet adu-
lanti ſimilis, animaduertit in pede eius tumorem,
vulnuſque, & extracto ſurculo, liberauit cruciatu.*
u lib.8. Similiter apud Curtium; [u] *Adiecit, Alexander
tam à ſe, quam à Lyſimacho leonem interfici poſſe.
Lyſimachus enim quondam cum venaretur in Syria
occiderat eximia magnitudinis feram ſolus.* Sunt er-
x Cap.16. go in Syria leones, & frequenter obuij, vt con-
y Cap 13. ſtat etiam præter externos ſcriptores ex hiſtoria
z Cap. 13. [x] Iudicum, & ſecundo [y] Tertio, [z] & Quarto
& 20.

[a] Regum. At notum & mirum ſit leonem pro- a Cap.17.
priè maieſtatis oblitum, lupinos mores induere:
luporum enim eſt ouibus, & gregibus inſidiari,
non leonum, quorum generoſitate indignum eſt
vires exercere in tam imbelle pecus. In leonea
enim illud maximè conuenit.

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

At quid magis ſubiectum, & omnium iniuriæ
expoſitum; quam greges ouium & agnorum?
Certè illa verè à Plinio [b] referuntur; *Leoni tan-* b lib.8. c. 16.
*tùm ex feris clementia in ſupplices: proſtratis parcit;
& vbi ſæuit, in viros prius, quàm in fœminas fremit;
in infantes non niſi magna fame.* Quæ quomo-
do nunc cum iſta noua venatione conueniant;
non apparet. Sed dicendum veriſſima hæc eſſe,
ſeruarique à leone omnia, præterquam vrgente
fame. Si enim auri fames, quæ libera & volun-
taria eſt, tantum poteſt in homine, vt merito
Poëta cecinerit;

— *Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?*

Quid poterit in omnibus animalibus fames non
habendi, ſed edendi cupiditas prorſus violentiſ-
ſima, & quam fruſtra quis tentet excutere non
expletam? Certè nihil non poterit. Itaque vide-
mus cum iſta premit & vrget, nihil eſſe quod
quiſpiam indignum ſe putet, aut maieſtate ſua;
tunc enim illud vſurpatur. [c] *Quæ prius nolebat* c Iob 6.7.
tangere anima mea; nunc præ anguſtia cibi mei ſunt.
Ergo vt aliàs non ſoleant leones hoc genus ve-
nationis exercere, ouibus inſidiari, paſtorum cau-
las obſidere; cum tamen fame vrgentur, ſolent.
Et ita experientia ipſa docet, vt obſeruant Ari-
ſtoteles, [d] Plinius, [e] & Ælianus, [f] illud inſuper d Hiſt.anim. li.2. c.1. & 3.
addentes cum iam incipiunt leones ad ſenium e lib.8 c.16.
vrgere; tunc maximè ad hoc deſcendere. Viribus f lib.6. de
enim deficientibus, impediuntur ne alias agreſtes anim. c. 63.
feras inſequi poſſint. Quod tamen argumento ex quib. Rod.
non eſt leones hos, de quibus Dauidi ſermo, aut lib.13. cap 8.
imbecilles fuiſſe, aut ætate confectos: quia non & 19.
ſolum ab ætate; ſed à fame etiam, vt diximus, hoc
impelluntur: qua non ſolum non infirmiores
fiunt; ſed multò etiam ferociores, vtpotè in ra-
biem efferati. At miraculum eſt potuiſſe feram
fortiſſimam & immaniſſimam tam facilè vnius
adoleſcentis manibus elidi. Hac de re quid di-
cendum ſit; deinceps conſtabit.

Vel vrſus.] Propriè in Hebræo eſt דוב *dob.*
per quam vocem certum eſt apud omnes *vrſum*
ſignificari. Quod animal ſolertiſſimè ſtolidum,
mirum non eſt, ſi inſidias frequenter gregibus
moliatur. Dummodo enim ventrem paſcat, ad
omnia ſe demittit. Itaque quæ ſe indigna leones
putant, ac maieſtate ſua, ac proinde nec attin-
gunt, nec lædunt; ab iis vrſi non abſtinent; nihil
turpe ducentes, quod ventrem farcire poſſit. Vi-
de quæ lib. 2. cap. 16. vbi de voce, *Dob*.

Tollebat arietem de medio gregis.] Quid eſt de
medio gregis? Aut cur *arietem* potius, quam
aliud quoduis in caulis ouium? Noſter fortè vo-
luit exprimere maximè prædæ patuiſſe, qui in
grege ſunt magis iniuriæ expoſiti, ij autem ſunt
arietes, qui greges ipſi ducunt, cuiuſmodi arie-
tem Hebræi appellant כבש אלוף *Chebes aluph*,
arietem diſciplinatum. Quem noſter apud Iere-
miam vertit [e] *agnum manſuetum*. Hic porro *de* e Cap.16.
medio gregis rapitur; non quod ſemper in medio
verſari ſoleat, cum in agmine plerumque præce-
dat; ſed quia certatim ad ipſum quantum poteſt
reliquus grex agglomeratur. In Hebræo verò
ad verbum

nnere certamen vererentur, & præcipuam ſertem periculi petere nollent. Hoc ergo ſilentium, ex ancipiti animorum motu prouenient, noſter *ſtuporem* appellat. Hærent enim defixi, qui ſtupent; & qui ſic hærent, viciſſim ſtupere dicuntur.

℣. 12.) Dauid autem erat filius viri
a li.1.c.16.1 Ephrathæi, de quo ſupra[a] dictum eſt, de Bethlehem Iuda, cui nomen erat Iſai, qui habebat octo filios, & erat vir in diebus Saul ſenex, & grandæuus inter viros.

℣. 13.) Abierunt autem tres filij eius maiores poſt Saul in prælium: & nomina trium filiorum eius, qui perrexerunt ad bellum, Eliab primogenitus, & ſecundus Abinadab, tertiuſque Samma.

℣. 14.) Dauid autem erat minimus. Tribus ergo maioribus ſecutis Saulem,

℣. 15.) Abiit Dauid, & reuerſus eſt à Saul vt paſceret gregem patris ſui in Bethlehem.

℣. 16.) Procedebat ergo Philiſtæus mane, & veſpere, & ſtabat quadraginta diebus.

Hæc quæ ſequuntur vſque ad verſum 32. non habentur in pleriſque codicibus apud LXX. ſunt tamen in latinis omnibus, & apud Complutenſes, & agnoſcuntur à D. Auguſtino,[b] à D. Chryſoſtomo,[c] à Gregorio, Beda, Eucherio, Iſidoro, & aliis antiquis Patribus.

b Ser. 197. de temp. & homil. 32. ex 50.

c To. 1. Hom. de Sau. & Dauid.

Erat vir in diebus Saul ſenex, & grandæuus inter viros.] Vt quid hoc adiungitur de ſenectute Iſai, & ſignanter adeo inculcatur? Deerant ne in Iſraël alij ſenes, aut ſenior omnibus aliis Iſai, vt propterea id reticendum non fuerit? Chaldæus Paraphraſtes pro eo quod nos habemus; *Et grãdæuus inter viros*; legit; *enumeratus inter electos*; id eſt, *inter fortes & inclytos.* Quod quorſum nunc dicatur, aut quam connexionem habeat cum noſtra vulgata, non apparet. Vatablus, & Caietanus ex Hebræo legunt; *Et veniebat inter viros.* Quod etiam & per ſe ſatis obſcurum, & longe diuerſum à noſtra editione ſenſum facere videtur. Quid eſt enim *veniebat inter viros?* Explicat Vatablus *annumerabatur ſenibus, eratque de numero ſenum, ac debilium.* Quod ſi ita eſt; aptior noſtra lectio eſt, quæ hoc ipſum exprimit, & vitata obſcuritate Hebraicæ phraſis, clarius etiam & latinè reddit. At cur, vt dicebam, nunc de hac graui ætate Iſai? Propter duo exiſtimo. Primo vt conſtaret cur cæteris ad bellum proficiſcentibus, ipſe Iſai vacaret. Miſſionem enim honeſtam, & vacationem ab omni munere dabat ætas emerita. Deinde vt intelligeremus cur Dauid ad illum remiſſus ſit. Tribus enim maioribus fratribus in caſtra profectis, æquum viſum non eſt, vt minimus natu Dauid abſens à patre adeo grandæuo inter bellica pericula detineretur. Remiſſus ergo ad patrem eſt reliquorum fratrum abſentiam ſolaturus. Et hoc illud eſt
b Ver. 15. quod clarè etiam ſignificatur verſu ſequenti.[b] *Tribus ergo maioribus ſecutis Saulem, abiit Dauid, & reuerſus eſt à Saul.*

Stabat quadraginta diebus.] Mirum ſanè videri poſſet; quomodo per 40. dierum ſpatium ea prouocatio tenuerit; nullo ex tanto agmine prodeunte, qui congredi auderet. Et fortaſſe cuipiam in mentem veniat curioſè inquirere, quid interim vtrinque binæ hoſtium acies compoſitæ rerum agerent? An otioſæ ſpectabant inuicem ſeſe, depoſitis armis? & tantum erant intentæ omnium aures, & oculi in exultantis prouocatoris audaciam? aut quid tandem rerum ab illis agebatur? Si congrediebantur, & manus conſerebant, vt videtur ſignificare Ioſephus; quis ergo locus erat, vt poſſet ſingulis diebus mane & veſpere Golias in medium procedere, & ad ſingulare certamen prouocare? ſi intra vallum ſe Hebræi tenebant; cur non illos Allophyli aggrediebantur, & expugnabant? Verum quid horum potiſſimum factum ſit; quieuerint ne ſemper, an aliquando pugnauerint; incertum eſt. Certum illud eſt iſtos 40. dies ſibi mutuo oppoſita caſtra, & acies conſtitiſſe. Qui dies quid myſticè ſignificent; ſignificat Auguſtinus,[c] & ex illo iiſdem pene verbis, & ab ipſo deſumptis, Eucherius, Angelomus, Iſidorus, Rupertus, alij.

c Serm. 4. de verb. Dom. Serm. 197. Hom. 31. ex 50.

℣. 17.) Dixit autem Iſai ad Dauidem filium ſuum; Accipe fratribus tuis ephipolentæ, & decem panes iſtos: & curre in caſtra ad fratres tuos.

℣. 18.) Et decem formellas caſei has deferes ad Tribunum: & fratres tuos viſitabis ſi rectè agant: & cum quibus ordinati ſunt diſce.

℣. 19.) Saul autem, & illi, & omnes filij Iſraël in Valle terebinthi pugnabant aduerſum Philiſtiim.

Ephipolenta.] Ephi, *trium modiorum menſura eſt*, inquit Auguſtinus.[d] *Polenta* autem grana
d Serm. 197. de temp. erant frumenti, ad ignem modicè torrefacta. Matureſcentes enim ſpicas Hebræi igni admouebant, hactenus vt non comburerentur; mox manibus confricantes, excuſſis ariſtis & paleis, grana ipſa torto & attrito cortice, monda colligebant. Quem cibum ſacra lingua קָלִי *Kalui* nuncupatum, alij ſimpliciter *toſtum*, alij *grana toſta* appellarunt; noſter Interpres *polentam.* Eius autem conficiendi ratio quaſi deſcribitur in Leuitico.[e] *Si obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino de ſpicis adhuc virentibus; torrebis eas igni, & confringes in morem farris, & ſic offeres primitias tuas Domino.* Quod enim hic per plura verba deſcribitur, noſter vnico verbo *polentam* nuncupat & hoc loco Regum, & infra, libro[f] ſecundo, & Ioſue,[g] & alibi. Vbi quod ipſe *polentam*, Vatablus, Oleaſter, Pagninus, Caietanus alij ex Hebreo, & LXX. habent *toſtum*, aut *grana toſta.*

e Cap. 2.

f Cap. 16.

g Cap. 5. 11.

Fuiſſe autem cibum promiſcuum Hebræis, quo tenuiores præſertim vterentur; certa res eſt, & colligitur ex locis adductis. Vnde in Leuitico;[h] *Panem & polentam, & pultes non comedetis ex ſegete vſque ad diem, qua offeratis ex ea Deo veſtro.* Cum enim polenta pani connumeretur; indicarunt in eodem ferme vſu fuiſſe. Nobiliores verò etiam ea vtebantur; ſiue iter agentes; ſiue in expeditione caſtrenſi. Propterea Abigail[i] Dauidi & ſociis eius à Saule profugis, & incerta ſede vagantibus, *polentam* inter alia offert. Et

h Cap. 23. 14.

i Infrà c. 25.

Betz

k lib.2.c.16. Berzelai, [k] & alij Reguli Dauid, & eius militib. in deſerto degentibus eamdem ſubmiſere. Erat enim cibus geſtari facilis, expeditus ad vſum, & ad plenè nutriendum maxime idoneus; ac proinde militibus in caſtris, & aliis iter agentibus aptiſſimus. Vnde nunc etiam ab Iſai ſubmittitur filiis, & inter alia cibaria, prima *polenta* ponitur, vt præcipuas obtinens in annona caſtrenſi. Viliſſimum autem cibi genus fuiſſe; etiam apud alios, indicant iſta Senecæ. [l] *Non horrenda res eſt aqua, & polenta, aut fruſtum hordeacei panis; ſed ſumma voluptas eſt poſſe capere etiam ex his voluptatem.* Ex hoc verò cibi genere apud Hebræos vſitato, facile intelligere poſſumus quid ſit, quod Apoſtoli [m] ambulantes cum Chriſto per ſata ſabbatho, ſpicas vellerent, & manducarent. Quod non mirati ſunt Phariſæi; ſed calumniati: nimirum quia inuſitatum non erat Hebræis granis ipſis, excuſſa ſpica, veſci; frequentius quidem toſtis; nonnunquam tamen crudis, & virentibus.

l Epiſt. 18.

m Matt. 12. 1.

Curre.] Hoc dicitur vel ad ſignificandam propinquitatem caſtrorum; non enim longe aberant à finibus Bethlehem, cũ tam caſtra, quam Bethlehem eſſent in tribu Iuda, vt conſtat ex principio huius capitis: vel certè per id tacite commendat pater Dauidi feſtinatum reditum.

Decem formellas caſei.] Panis, polenta, caſeus merus cibus eſt, & commeatus militaris. At cur Tribunum lautius accipit, & munificentius quam filios? Illis polentam & panes; huic mittit caſeos. Proditur in hoc nimirum paterna ſollicitudo, in omnia intenta, quæ poſſint prodeſſe filiis. Itaque non ſolum curat Iſai ne quid iis non deſit; ſed etiam vt bene à Tribuno, benè à commilitonibus, benè ab aliis omnibus habeantur. De Tribuno ergo quantum poteſt, ſtudet benè mereri, muneribus afficit, ſe illi inſinuat: certos totum in filios rediturum quod illi benefecerit. *Tribunum* vero, quem noſter vocat, *Chiliarchum* LXX. appellant, id eſt, mille præfectum militibus.

Cum quibus ordinati ſunt diſce.] Non ſolum ſollicitus pater eſt vt bene erga filios ſe Tribunus habeat; ſed etiam vt alij; æquales præſertim & commilitones. Hoc indicat noſtra vulgata lectio. Senſum longe diuerſum alij nobis proponunt ex Hebræo ad verbum vertentes; *Et pignus eorum tolle*; vt Vatablus & Caietanus: quam eandem lectionem adducit Hieronymus in traditionibus & dicit nomina *pignoris* Hebræos libellum repudij intelligere. Ex quorum ſententia hæc ſubdit. *Secundum vſum gentis illius fecerunt; vt quando ibatur ab eis ad pugnam, libellum repudij vxoribus ſuis darent; vt ſi contigiſſet virum in prælio capi, & in captiuitatem duci, mulier eius expectatis tribus annis, ſi vir eius non rediſſet, alium duxiſſet virum.* Hieronymum tranſcribit more ſuo Angelomus; non tamen (ſicut nec Hieronymus ipſe, aut quis autor) id probat, quod ex Rabbinis affert; ſed tantum malè conſarcinatum gloſſema proponit; quo nihil ad hunc locum ineptius. Quo enim libellos repudij vel ad eos ferret, vel à fratribus referret Dauid? Sed quid eſt in Hebraico fonte *pignus*? Caietanus propriè exponit, & intelligit datam etiam pecuniam Dauid à patre, vt ſi (quod ſolet in bello plerumque accidere) fratres quid mutuum, dato pignore, accepiſſent; pignus ipſe redimeret; ſoluta pecunia. Eodem fere modo Vatablus interpretatur. Chaldæus Paraphraſtes habet; *Negotia eorum diſces:* ex quo habemus nomine *pignoris, vel commiſtionis*, vt alij ex Hebræo vertunt, intelligi fœderatam conſociationem inter milites in caſtris; quam Itali dicimus *Camerata*. Cum plures ſcilicet milites eodem viuunt contubernio in commune veſcentes: & *contubernales* Latinè propriè dicuntur; à noſtro interprete forte *inter ſe ordinati*; ex pacto nimirum ſimul conuiuentes, & ſimbolam quiſque ſuam conferentes; quam fortaſſe etiam Hebræi *pignus*, vocant vt etiam Itali. Hoc ergo ſi ita eſt, multo magis commendandus paternus affectus in Iſai. id requirebat in filiis iam natu grandioribus, quod nunc parentes, plerique omnes negligunt in pueris: quibus amicis ſcilicet, & ſociis vtantur. Doctus nimirum longa rerum experientia erat; perinde proſpera & aduerſa omnibus, præſertim militibus euenire, prout bonorum, aut improborum contubernio vſi fuerint: proſperè agere qui cum bonis degunt; infæliciſſimè vero qui cum peruerſis & improbis.

Sopran. in Dauid.

℣. 20.) Surrexit itaque Dauid mane, & commendauit gregem cuſtodi: & onuſtus abiit, ſicut præceperat ei Iſai. Et venit ad locum Magala, & ad exercitum, qui egreſſus ad pugnam vociferatus erat in certamine.

℣. 21.) Direxerat enim aciem Iſraël: ſed & Philiſthiim ex aduerſo fuerant præparati.

Et onuſtus abiit.] Intelligendum ne eſt hæc omnia ipſum geſtaſſe; an iumentum, in quod illa impoſuerat, præ ſe egiſſe? Hoc ſecundum putat Abulenſis. Neque enim exiſtimat Dauidem tanto oneri ferendo fuiſſe. Primum tamen clarè dant nobis intelligi verba ſcripturæ, *Et onuſtus abiit*; quæ nullam aliam interpretationem patiuntur. Neque enim rectè dici quis poteſt, *onuſtus*, quod aſinum tantum præ ſe agat onuſtum; licet poſſit quis dici ea ferre, & accipere ſecum, quæ non ipſe, ſed iumentum fert. At pondus nimis inſuſtum erat, & iumento dignum, non puero aut adoleſcentulo. Primum eſto; ſarcina hæc omnia fuerint ingentis ponderis; geſtare tamen potuit ea Dauid, & virium in eo ſuarum experimentum dare: ob quod ſignanter id etiam ſcriptura commemorandum putauit; vt quemadmodum inter alia Sampſonis fortitudinis argumenta fuerunt inſoliti oneris ſarcinæ; vt cum valuas oppidi ſolus à cardinibus reuulſas longe in verticem montis aſportauit; ita etiam de Dauide ſimile quid intelligeremus. In vtroque enim *ſpiritus Dei directus* dicitur. Deinde nego viro forti, & generoſæ indolis hæc omnia, quæ nunc portantur à Dauide, graue onus fuiſſe. Facile hoc concedet, qui ſciet veterum Romanorum conſuetudinem; de quibus Cicero hæc in ſecunda Toſculana. *Quis labor & quantus agminis! ferre plus dimidiati menſis cibaria: ferre, ſi quid ad vſum velint: ferre vallum. Nam ſcutum, gladium, galeam in onere noſtri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus.* Hæc omnia Romanus miles; & quidem vt ſub illo faſce iter faceret gradu militari. Quid ergo mirum, ſi Dauid non cuilibet gregario militi comparandus; ſed fortiſſimis, & robuſtiſſimis, hæc omnia ferre potuerit? An maius onus ſunt *ephi*, id eſt tres modij polentæ, decem panes, & decem formellæ

caſei; quam arma omnia, quam commeatus quindecim dierum, quam vtenſilia, quam vallum? Non puto.[a]

a Vide Lipſii cad. 1. lib. 5. de milit.

Ad locum Megala.] Noſter vt nomen propriũ loci accepit, quod magis veriſimile eſt. Alij appellatiuè accipiunt, & intelligunt de foſſis, quibus caſtra erant circundata, ad quas primum omnium Dauid acceſſerat. Ita Caietanus, Vatablus, & plures Rabbini apud Abulenſem. Qui omnes optimè inde refelluntur, quod ridicula circumlocutio fuiſſet pro caſtris, & exercitu ponere *foſſam*; & pro foſſa *circulum*; ob id tantum quod in circularem figuram caſtra ducta eſſent.

Egreſſus ad pugnam.] Hinc intelligimus per illos quadraginta dies, quibus Goliæ prouocatio tenuit; non otioſè planè ſe mutuo ſpectantes deſediſſe, ſed ſæpius ex vtriſque caſtris acies eductas, directas, diſpoſitas, ſub ſignis habitas. An vero vel leuibus ſaltem pugnis conflixerint; incertum eſt: veriſimile tamen eſt non conflixiſſe; ſed nemo eum prouocante Golia ex Hebræorum agmine ſe illi contra ſiſteret, vtroſque ab armis in caſtra diſceſſiſſe; nullis alteros laceſſere auſis. At cur Palæſtini in Hebræos quieſcentes non irruebant? Forte in honorem Goliæ; forte in maiorem contemptum Iudæorum, clarius vt conſtaret ab vno Palæſtino totam plane hoſtium nationem conturbatam; forte etiam ambæ acies diſpoſitæ ſteterant, vt vtra prior alteram laceſſeret; illi deinde foret ſumma cum loci iniquitate pugnandum.

Vociferatus erat in certamine.] Quis vociferatus? & quæ hæc vociferatio? Exercitum dicit vociferatum; ſed quem? Hebræorum ne, an hoſtium, an ſimul vtrumque? Hebræorum puto. Is enim exercitus vociferatus dicitur, ad quem Dauid miſſus, quem petebat, ad quem acceſſit. Quæ ergo hæc vociferatio, & ad quid? neſcio enim ſolemne quid, & ſeruari, & vſurpari ſolitum ſignificatur eo modo loquendi. *Egreſſus ad pugnam vociferatus erat in certamine.* Duo dici poſſunt. Primum, exprimi per hoc militarem conſuetudinem, Orientalium præſertim propriam; quæ erat vt quamprimum hoſtiles exercitus vtrinqua ſtetiſſent, ingentem clamorem, & vociferationem tollerent, ad alacritatem animi reſtandam, & concitandam, & vt eo ſe pacto mutuo prouocarent ad pugnam, & admitterent prouocationem. Itaque non ſolum vociferabantur congredientes, & incurſantes mutuò, ſed ante congreſſum in ipſo occurſu diſpoſitarum acierum. Chryſoſtomus.[b] *Conſueuerunt hoc facere, qui inſtructa acie prælio ſunt decertaturi. Iubilare, inquam, & manibus maximos plauſus edere ad hoſtes perterrendos.* Clarè autem id de Orientalibus & ſignate de Macedonibus & Perſis refert Curtius.[c] *Iam in conſpectu; ſed extra teli iactum vtraque acies erat; cum priores Perſæ inconditum & trucem ſuſtulere clamorem: redditur & à Macedonibus maior; exercitus impar numero, ſed iugis montium, vaſtiſque ſaltibus repercuſſus.* Diſpoſita ergo acie Hebræorum, commodum dicitur ſuperueniſſe Dauid; cum clamorem illi militarem ſuſtuliſſent ad conſpectum mutuum Palæſtinorum, qui & ipſi acies ſuas inſtruxerant. Secundò, vociferatio hæc accipi poteſt de ſonitu ſtrepituque tubarum; dum acies diſponerentur claſſico perſonante. Et ita accipit Vatablus, hæc ſic paraphraſticos reddens. *Egreſſus erat exercitus, vt acies inſtrueret, claſſicumque canebat.* Sed durum eſt vt noſter per vociferationem, claſſicum intelligere voluerit. Probabilius ergo eſt vt de primo illo clamore vociferationem iſtam intelligamus.

b Pſalm. 46.

c lib. 3.

In certamine.] Non quod certantes vociferati fuerint; ſed quod in loco certaminis, & quaſi certaturi.

℣. 22.) Derelinquens ergo Dauid vaſa, quæ attulerat, ſub manu cuſtodis ad ſarcinas, cucurrit ad locum certaminis: & interrogabat ſi omnia rectè agerentur erga fratres ſuos.

Vaſa quæ attulerat.] Quæ iſta vaſa? Vatablus arma videtur interpretari. Sic enim vertit ex Hebræo. *Dauid ergo abiectis armis à ſe in manu cuiuſdam cuſtodientis arma.* Notum enim eſt in ſacris litteris *vaſorum* nomine arma ſignificari, cuiuſcumque generis ea ſint: vnde & qui Latinis *Armiger*, Hebraicè propriè *vaſa geſtans* dicitur, vt ſupra[a] obſeruauimus. Sed hoc loco, quæ arma aut Dauid attulerit, aut abiecerit, & cuſtodienda reliquerit, non apparet: quin potius ſi vlla hucuſque geſtaſſet, nunc maximè ea expedire opus erat, cum ad locum certaminis accedebat, vbi feruebant iræ, & animi accendebantur ad pugnam. *Vaſa* ergo non hoc loco arma ſunt; ſed ea omnia, quæ iuſſus Dauid fuerat à patre accipere, & fratribus, Tribunoque deferre. *Vaſis* enim nomine in ſacris & profanis litteris ſignificantur nonnunquam res mobiles cuiuſcunque hæc generis ſint, & cuicunque vſui attributæ. Quam eandem vim, & amplitudinem ſignificatus habet Hebraica vox כלים *chelim*, & Græca σκεῦος *ſcheuos*, & σκευή *ſcheui* merito ergo hæc, quicquid erant, quæ à Dauid fuerant allata, vaſa dicta ſunt. D. Auguſtinus in illud;[b] *Propter vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam;* notat vas Latinis, & ſcheuos σκεῦος Græcè appellari aliquando non vas propriè liquori excipiendo paratum; ſed quodcunque pertinens ad vſum domeſticum. Qualia ſunt quæ nos Itali in itinere *Bagaglie*; domi vero *Maſſaritie* nuncupamus. Perſpicuè in eam ſignificationem vaſis appellatio ſumitur apud Matthæum.[c] *Quomodo quiſquam poteſt intrare in domum fortis, & vaſa eius diripere; niſi prius alligauerit fortem, & tunc domum illius diripiet.* Diripere enim vaſa, idem eſt quod domum diripere; ea nimirum quæ ad quotidianum vſum domi ſunt. Sciendum porro quod Latinis auctoribus *vaſis* appellatio non tam ample ſumitur vt à noſtro interprete vſurpatur. Illis enim ſignificat inſtrumentum omne caſtrenſe, & viatorium; quicquid nimirum vel in caſtris habetur à militibus; vel ſecum deferunt iter agentes ad quotidianum vſum. Quod vtrumque genus rerum *ſupellectilis* nomine propriè antiqui ſignificarunt; quod ſub pellibus haberentur. Milites enim in tentoriis; atque adeo ſub pellibus agebant: iter agentes ea in Vidulis ex pellibus confectis circumferebant: ac proinde ſuppellex id omne dicebatur, quod ſub illis pellibus aſſeruabatur. Hinc illæ locutiones ductæ; *Vaſa colligere, conclamare vaſa, conuaſare.* Quibus frequenter Liuius & alij hiſtorici, & ipſe quoque non raro Cicero vtitur, cum ſermo eſt de exercitu caſtra mouente, vel diripiente. At noſter interpres, vt dicebam, non ſolum hæc; ſed & vrbanam omnem, & domeſticam ſupellectilem

a Ver. 7.

b Ad Rom. 9

c Cap. 12. 29.

lem vaſis appellatione complectitur; eandem generalitatem in eo retinens, quæ eſt in Hebræo כלים Chelim, & in Græco σκεύος Sebeuos. Itaque non ſolum vaſa appellat militaria impedimenta, & viatorium inſtrumentum; ſed omnia quæ quoquo modo mobilia ſunt, & vſui domi foriſque eſſe poſſunt ad ornatum, aut neceſſitatem. Sic homines omnes tam bonos, quam ma-
d Ad Rom. 9 los *vaſa Dei* appellauit Apoſtolus, [d] quod Itali diceremus, *maſſaritie di Dio*, & *la guardarobba*.
e Actor. 9. Sic idem Paulus *vas electionis* dicitur; [e] & vas
f Actor. 10. oſtenditur [f] Petro ſimile linteo. In libro verò
g Cap. 7. 11. Ioſue [g] ſumitur propriè & latiniſſimè pro ſarcinis, aut ſupellectili caſtrenſi. *Tulerunt*, inquit, *filij Iſraël de anathemate, & furati ſunt, atque mentiti, & abſconderunt inter vaſa ſua*; id eſt inter ſarcinas, & militaria impedimenta; quæ barbarè,
h Cap. 43. 11 *Bagalia* nuncupantur. At libro Geneſeos [h] *vaſa*, ſunt ſarcinæ viatoriæ. *Sumite*, dicit Iacob ad filios ſuos, *de fructibus terræ in vaſis veſtris*. Quod Itali *ne' voſtri ſacchi, e ſomo, ò carriaggi*. Vaſa ergo, quæ nunc Dauid deponit, ſimilis ſarcina fuit, qua erat onuſtus.

Quæ attulerat.] Præcipuè ex Hebræo; *dereliquit vaſa, quæ deſuper ſe*. Quo ſignificatur clarè quomodo attulerit; non in iumentum ſcilicet impoſita; ſed ſuppoſitis humeris, ipſe oneri ſuccedens.

Sub manu cuſtodis.] Manus appellatio, quæ latiſſimè in ſacris litteris extenditur, etiam pro cura, regimine, cuſtodiaque vſurpatur. Libro ſe-
i Cap. 12. 24 cundo Regum, [i] *Quæ genuit filium & vocauit nomen eius Salomon, miſitque in manum Nathan prophetæ*; id eſt illum curæ Nathanis commiſit ab illo tegendum, inſtituendum; cuſtodiendum. Sic hic *ſub manu cuſtodis*, eſt ſub ipſius cura, ſollicitudine, onere, ipſi curanda, & aſſeruanda. Ab hac ſignificatione alius modus loquendi in ſacris litteris ducitur, quo quid *de manu alicuius* requiri dicitur, cum rei cuiuſpiam adminiſtratæ ab illo
k Cap. 43. 9. ratio exigitur. Geneſi, [k] *Ego ſuſcipio puerum: de manu mea require illum*: id eſt mecum tibi, & cum nullo alio res erit: & eorum omnium, quæ circa ipſum fuerint, erit à me tantum reddenda, & exigenda ratio. Porro Latini *ſub manu eſſe* aliter vſurpant pro eo quod eſt *in promptu*; & aliter *ad manum*. Vnde apud Senecam eſt, *ſub manu conſilium naſci*. Et Plautus.

Si quam rem accures ſobriè & frugaliter,
Solet illa rectè ſub manus ſuccedere.

Ad ſarcinas.] Locus erat in caſtris, in quo impedimenta totius exercitus, quæ communiter omnibus vſui erant, aſſeruabantur. Is nunc propriè appellatur *ad ſarcinas*, & cuipiam hic inter alios aſſeruanti, quæ attulerat, commiſiſſe Dauidem ſignificatur; vel certè eorum præfecto, qui cuſtodiendis impedimentis erant deſtinati.

Interrogauit.] Non alios, quam fratres. Ipſos enim conueniſſe primum, appellaſſe, mutuaque cum illis ſalutationis officia peregiſſe ex Hebræo ſatis colligitur, in quo ad verbum habetur. *Et interrogauit fratres ſuos in pace.*

℣. 23.) Cumque adhuc ille loqueretur eis, apparuit vir ille ſpurius aſcendens, Goliath nomine, Philiſtæus de Geth, de caſtris Philiſtinorum: & loquente eo hæc eadem verba audiuit Dauid.

℣. 24.) Omnes autem Iſraëlitæ, cum vidiſſent virum, fugerunt à facie eius, timentes eum valde.

℣. 25.) Et dixit vnuſquiſpiam de Iſraël; Num vidiſtis virum hunc, qui aſcendit? Ad exprobrandum enim Iſraëli aſcendit. Virum ergo, qui percuſſerit eum, ditabit Rex diuitiis magnis, & filiam ſuam dabit ei, & domum patris eius faciet abſque tributo in Iſraël.

Loqueretur eis.] Quibus eis? Fratribus inquit Ioſephus, cuius hæc ſunt; [a] *Interim Goliathus* a lib. 6. c. 10.
ex more egreditur, & iam inſolentior exprobrat, ne vnum quidem eſſe inter Hebræos, qui in ſingulare certamen deſcendere audeat. Fortè tum Dauid cum fratribus colloquebatur de patre, & rebus domeſticis.

Loquente eo hæc eadem verba] Quæ ſupra relata ſunt. Simili reticentia, &, compendio ſermonis ſæpius vti ſcripturam, alibi docuimus: cuius generis illud eſt notiſſimum. *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat*, qua oratione conſueta iurandi formula Hebræis vſitata, aut alia datur intelligi quam is, de quo ſermo eſt, in deierando adhiberet.

Dixit vnuſquiſpiam.] Hebraiſmus eſt, quo ſignificatur id, quod tunc omnium ſermone iactabatur, quod inter ſe alter ad alterum mirabundi conferebant. Itaque perinde eſt, *dixit vnuſquiſpiam*. Ac *inter ſe dicebant*. Similis Hebraiſ-
mus eſt in Geneſi. [b] *Dixitque alter ad proximum* b Cap. 11. 3.
ſuum; Venite faciamus lateres, & coquamus eos igni. Alter ad proximum ſuum, id eſt, omnes inter ſe dixerunt. Ad quod obſeruandum eſt, quod Latini efferunt per verbum impersonale paſſiuum, *ferebatur, dicebatur*, &c. Hebræus vario modo exprimere: aliquando per tertiam perſonam pluralem, ſine ſuppoſito, vt *dicunt*, & *dicebant*: id eſt, *dicitur*, & *dicebatur*. Quo modo loquendi non ſignificatur vnus, aut plures aliquid dicere; ſed multis audientibus aliquid efferri. aliquando per tertiam perſonam ſingularem vagi ſuppoſiti, vt hoc loco. Eſt enim idem, *Dixit vnuſquiſpiam*; ac; *dictum eſt*. Alias etiam per tertiam perſonam pluralem cum ſuppoſito, vt, *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Aliquando denique per ſecun-
dam perſonam pluralē, vt apud Ioannem; [c] *Non-* c Cap 4. 35.
ne vos dicitis quod adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit? Quid eſt, *Nonne dicitis*? Ad Apoſtolos enim loquebatur Chriſtus, qui nihil tale dixerant, aut cogitauerant. Eſt ergo, *Nonne dicitis*; idem quod; *Nonne dicunt*; nonne vulgo dici ſolet?

Num vidiſtis.] Antiqua lectio habebat; *Num vidiſti*. Et ſic legunt Abulenſis, Dionyſius, & alij; per id intelligentes ſermonem ad Dauidem tantum dirigi, cui vt tunc primum in caſtra aduentanti, & ignaro eorum, quæ ſuperioribus diebus acciderant; meritò hæc noua videbantur. Sed in emendata editione habetur; *Num vidiſtis?* Et ſic legendum conſtat ex Hebræo, vt obſeruant Caietanus, & Vatablus. Alij autem vim Hebraiſmi non perpendentes, ſermonem putarunt eſſe ad Dauidem; quia non videbant quorſum, & à quo, & quibus diceretur; *Num vidiſtis?* vnde mutarunt orationem, vt ad Dauidem tantum referretur. Verùm, vt dicebam, per hoc nihil aliud ſignificatur, niſi inter ſe paſſim milites hac de re collocutos. Quid enim tunc aliud omnium ſermonibus crebrius iactaretur; aut qua de re alia magis inter ſe colloquerentur? cum vide-

rent Iſraeliticum nomen probris affici; nullumque eſſe ex tot millibus, qui ingentibus etiam præmiis propoſitis progredi contra Goliam auderet? Itaque hoc inter ſe conferebant; dolentes alij; alij mirantes: omnes tamen deplorantes, Hebræorum res eò recidiſſe.

℣. 26.) Et ait Dauid ad viros, qui ſtabant ſecum dicens; Quid dabitur viro, qui percuſſerit Philiſtæum hunc, & tulerit opprobrium de Iſraël? Quis enim eſt hic Philiſtæus incircuncisſus, qui exprobrauit acies Dei viuentis?

℣. 27.) Referebat autem ei populus eundem ſermonem dicens; Hæc dabuntur viro, qui percuſſerit eum.

Ad viros, qui ſtabant ſecum.] Ioſephus refert Dauidem hæc dixiſſe ad fratres ſuos: quod perſpicuè eſt contra ea quæ in vulgata narrantur. Claré enim ſignificatur Dauidem iis auditis de Regiæ filiæ nuptiis, de domus immunitate, & de aliis præmiis propoſitis percuſſori Goliæ, diuertiſſe paululum à fratribus & ſerio ſciſcitari cœpiſſe, num vera hæc eſſent omnia, quæ iactari audierat. Interim autem dum hæc ille exquireret, & indignabundus, plenuſque cuiuſdam generoſi ſpiritus, animum cum Golia congrediendi præſeferret; ſuperueniſſe Eliabum, & fratris audiſſe proteſtationem. Hæc porro Ioſephi à ſacra hiſtoria diſſenſio; licet in tenui videatur, ac non magni referre; omittenda tamen non fuit. Quia nullum ſine errore eſt, quamuis leuiſſimum, à veritate diſſidium: & vt ex hoc, & aliis eius erroribus intelligamus; ita Ioſepho fidem in aliis habendam eſſe; vt non vſquequaque vera & explorata ſciamus eſſe quæ dixit.

Quid dabitur viro.] Quorſum nunc id interroget clara res eſt. Audierat Dauid (vt mos eſt vulgi) vario ſermone iactari tot, & tanta eſſe in caput Goliæ pronunciata: videbantur propoſita præmia maiora veris: Regia affinitas, ingentes opes, familiæ nomen, ab omni publico onere libertas, Hæc ergo ad examen num vera eſſent, reuocabat Dauid, certus ſi fama ſibi conſtaret, de iis dubitandum non eſſe. At quid illi curæ, quæ præmia eſſent propoſita; vt tantopere illa explorata habere vellet? Num tantum propter illa pugnaturus? Exiſtimo occaſionem per id quærere voluiſſe, qua ſe proderet. Si enim ex abrupto aliis ſuperueniendo proclamaſſet velle ſe Goliæ arrogantiam frangere; nimis ſtolidè, & ſuperbè ferox apparuiſſet; ac proinde cum irriſione reiectus. Et fortaſſe etiam aliorum odium incurriſſet: quaſi qui claré nimia omnibus ignauiam, & timiditatem exprobraret. Quærenda ergo opportunitas fuit, qua ſe placidè inſinuaret; qua, ſine cuiuſquam offenſione paratum ſe poſſet offerre certamini; qua denique ipſius ſponſio diuulgaretur; & ad Saulem tandem dimanaret. Hæc porro opportunitas quæſita interrogando, percunctando, ſciſcitando. Commodè enim incidebat, vt cum alij præmia illa ingentia pronuntiata narrarent; ipſe quaſi illorum cupiditate ductus magis quam aliorum contemptu; aut propriæ virtutis confidentia certamen ſuſcipere crederetur.

Quis enim eſt hic incircuncisſus.] Hac oratione modeſtè Dauid illum ſe eſſe inſinuat, qui cum Golia congredi velit, ſi permittatur; in hunc enim ſenſum has illum voces emiſiſſe, & in eundem, qui audierant, interpretatos conſtat; quia cum nulla alia verba protulerit huc ſpectantia; delatus tamen ad Saulem eſt, quaſi qui conditionem dimicandi accipere paratus eſſet; & id palam omnibus eſſet conteſtatus. Nec id ipſe Sauli adſiſtens, & ab illo interrogatus, detrectauit: ſed ratum habuit, claraque iterum, & aperta oratione profeſſus eſt, vt paulo poſt refertur.

℣. 28.) Quod cum audiſſet Eliab frater eius, loquente eo cum aliis, iratus eſt contra Dauid, & ait; Quare veniſti, & quare dereliquiſti pauculas oues illas in deſerto? Ego noui ſuperbiam tuam, & nequitiam cordis tui: quia vt videres prælium deſcendiſti.

℣. 29.) Et dixit Dauid; Quid feci? Numquid non verbum eſt?

℣. 30.) Et declinauit paululum ab eo ad alium; dixitque eundem ſermonem: & reſpondit ei populus verbum ſicut prius.

Iratus eſt contra Dauid.] Vnde hic motus animi maioris fratris in Dauidem; An ex zelo, & liuore; an potius ex illius ſalutis ſtudio, cui timebat, & fauebat, vt natu maximus, minimo inter alios, incertum eſt. D. Auguſtinus [a] ſiniſtrè accipit, & ex inuidia indignatum putat. *Per malitiam*, inquit, *increpauit*. Et iterum, *Malo & ſuperbo animo* increpauit. Similiter Chryſoſtomus, [b] *Fratres*, inquit, *non ferentes Dauidis fortitudinem, in inuidiam commoti ſunt, & hæc ad illum dixere.* At quæ cauſa maiori fratri inuidendi Dauidi, & obtrectandi? Forte quia iam ſciebat ipſum in Regem inunctum, ac proinde maiora audere, quàm per ætatem, ac vires poſſet. Similia habent Theodoretus, Beda, & Iſidorus. At Ioſephus in bonam partem omnia interpretari videtur; quaſi nimirum Eliabus de fratris incolumitate ſollicitus totus exarſerit, cum comperiſſet tam aperto vitæ periculo proximum eſſe. Vtrumque probabile. Secundum tamen, meo iudicio, probabilius: quia non puto quicquam adhuc fratribus de Dauidis inunctione ſuboluiſſe.

Quare veniſti.] Amara hæc, & ſtomachi plena obiurgatio duo nobis dat intelligi. Primùm id, quod ſæpius monui, paternam Dauidis domum non admodum opibus affluxiſſe. Neque enim ſollicitudo hæc maximi fratris aliud nobis demonſtrat. Timebat ouibus; & illis pauculis; timebat ne abſente Dauide, quicquam domi turbaretur, quod nulli alij ſupereſſent cuſtodes, ipſo diſcedente, quæ omnia ſine dubio anguſti animi ſunt, aut in rei familiaris anguſtia conſtituti. Secundò colligimus Dauidem longè ætate inferiorem fuiſſe Eliabo; ac proinde puerum; vel in primo limine adoleſcentiæ. Oratio enim hæc ſummam in illo auctoritatem, & in Dauide teneram admodum ætatem fuiſſe conuincit. Tota patruum ſapit, & indigna omnino, quæ ad alium, quam ad adoleſcentem dirigatur. Vtrumque verò hic obſeruandum eſt, vt confirmentur quæ diximus, & dicturi ſumus de Iſai tenuitate, & de Dauidis ætate, cum aduerſus Goliam dimicauit.

Quare veniſti.] Vel ad exercitum & caſtra,

vel

a *Serm. 197. de temp.*

b *Hom. 45. ad popul.*

Digitized by Google

vel ad locum certaminis. Æque enim propter vtrumque potuit Eliab indignari, vt bene obſeruauit Abulenſis.

Ego noui.] Aliorſum interpretatur aduentum Dauidis, quam ſuſceptus fuerat; vt inde etiam habeat maiorem occaſionem obiurgandi. Per ſpeciem ergo veniſſe ait, quaſi fratres eſſet inuiſurus; re vera autem ex improbo ſtudio caſtra viſendi, & ea quæ in caſtris & exercitu gererentur. Hanc illum cauſam patri prætexuiſſe, qui ea captus pietatis imagine, facilè illi indulſerit, vt fratres adiret. Itaque Eliab aduentum hunc Dauidis non in patris ſollicitudinem refert; ſed in cupiditatem Dauidis, qui cum aliud vellet, aliud ſimularet patrem ad hoc impulerit.

Superbiam tuam.] Quam hic ſuperbiam arguit in Dauide? Quod maiora viribus audeat; quod regiam affinitatem ambiat; quod vnum ſe omnibus præferat, certamen ſuſcipiens, quod omnes detrectauerint. Ita qui volunt Dauidis animum pugnandi perſpectum Eliabo fuiſſe, vt Ioſephus, Chryſoſtom. Auguſtin. Theodoret. Beda. Alij non admittunt hoc; tantum enim indignatum volunt Eliabum ad curioſam Dauidis inquiſitionem, & curſitationem in locum certaminis, & armatorum militum. Si enim certò comperiſſet conditionem pugnandi ab illo ſuſceptam; aliter & aſperius increpaſſet. Nunc autem malam tantum curioſitatem in illo carpit. *Vt videres*, inquit, *prælium veniſti.* Superbiam ergo volunt illi obiectam, quod minus æquo animo cuſtodiendis ouibus incumberet, dum alij ſcilicet fratres nomen ſibi & patriæ pararent fortiter agendo. Propterea queſtus de *relictis ouibus*, ſtatim ſubdit; *de ſuperbia*; quaſi in hoc tantùm illa conſiſteret; quod cuſtodiam ouium ſe indignam putaret: ac propterea modis omnibus illam excutere niteretur. Angelomus vult ſuperbum Dauidem appellatum, quod ex inunctione Samuelis ſpiritus extuliſſet, & ad regnum aſpiraret. Quod quam probabile ſit; ſupra vidimus cum de iracundia Eliabi aduerſus Dauidem.

Nequitiam.] LXX. *improbitatem.* Caietanus & Vatablus *malitiam.* Sed in quo ſita hæc Dauidis malitia, & improbitas Quia (vt Eliab exiſtimabat) cùm maximè cuperet intereſſe certamini; nec aliter poſſet, fraternam curam ſimulauit. Fratres ergo inuiſendos patri ſuggerens; ſub larua pietatis negotium curioſitatis agebat; ac per hoc nequam & mala malitia improbus.

Numquid non verbum eſt.] Interciſa oratio, ac proinde obſcura. Senſus autem eſt. Numquid aliud; niſi tantùm loquutus ſum? An loqui non licet? Et mihi crimini datur, ſi tantum loquor? Ita Chryſoſtomus, [c] qui putat *verbum hoc* eſſe intelligendum de interrogatione, quam fecerat Dauid: quaſi dicat; *Numquid num aliud quàm interrogaui?* Alij, vt Abulenſis, Dionyſ. Lyran. Vatabl. *Verbum hoc* intelligunt de profeſſione Dauidis, & acceptatione certaminis; vt ſenſus ſit. Quid hactenus feci? Res adhuc inter verba conſtitit. Et ſi quid ſupra vires auſus; verba tantum fuere; quorum cauſa argui non debeo, factorum innocens. Probabilior tamen prior expoſitio; quam indicant etiam aliæ verſiones. Caietanus ex Hebræo; *Quid feci? an non verbum ipſum?* & ſubintelligit; *liberum eſt.* Quaſi dicat; An neque etiam mihi liberum eſt audire, & reddere voces; aliorum ſermonibus intereſſe; & ſi quid volo, alios interrogare? Similem ſententiam habet Chaldæus paraphraſtes, qui vertit; *Nonne verbum fuit, quod dixi?* ſcilicet interrogando. Verum in hoc ſenſu explicata, videri poſſet reſponſio acris nimis, & libera; ac proinde non digna Dauidis manſuetudine, & ſuauitate; non illius reuerentia & obſeruantia erga fratrem natu maximum, quem loco parentis venerari debebat. Sed non video quid in ea ſit aſperitatis, aut arrogantiæ. Acerbe enim increpitus, & amariſſimis verbis acceptus, vt peius accipi non potuerit in flagranti crimine deprehenſus, moderationis fines non exceſſit; ſi tantum modeſtè dixit nihil ſe tale commiſiſſe, quod vehementem illam obiurgationem mereretur: ſe enim tantum loquutum alios interrogando, & reſponſa reddendo. Excuſatio ergo iſta modeſta fuit, non repercuſſio.

c Hom. 45. in Geneſ.

℣. 31.) Audita ſunt autem verba, quæ loquutus eſt Dauid, & annuntiata in conſpectu Saul.

℣. 32.) Ad quem cum fuiſſet adductus, loquutus eſt ei; Non concidat cor cuiuſquam in eo. Ego ſeruus tuus vadam, & pugnabo aduerſus Philiſthæos.

℣. 33.) Et ait Saul ad Dauid; Non vales reſiſtere Philiſthæo iſti, nec pugnare aduerſus eum: quia puer es; hic autem vir bellator eſt ab adoleſcentia ſua.

Audita ſunt autem verba, quæ loquutus fuerat Dauid. Quid loquutus? Nihil adhuc affirmatè dixerat; nec ſe certamini clarè adhuc obtulerat; & tamen ad Regem defertur (vt ex contextu colligitur, & Ioſeph affirmat) quaſi pugnandi animum clarè profeſſus. Tale eſt ingenium famæ omnia in maius augentis, fucantis omnia; præſertim cum Regibus & Principibus viris quidpiam nunciatur. His enim ratum eſt vt ſincerum quicquam, ac ſimplex, perinde vt res eſt, afferatur. Non nego tamen potuiſſe ad Saulem ea tantum deferri, quæ Dauid interrogando, & alios audiendo protulerat: quæ ſi non claram pugnæ profeſſionem continebant; magnam certè ſignificationem dabant animi ad id parati. Vnde vt in re trepida, & in qua omnes ſuſpenſi erant, non defuere ſtatim, qui ardorem generoſi adoleſcentis ad Principes deferrent; à quibus illico Saulem admonitum, adeſſe iuſſiſſe, & ſibi ſiſti. Atque ita factum, vt Dauid iam ex dicto fratris maximi patrem petens, ad Saulem reduceretur. Summa enim obiurgationis Eliab hoc ſpectauerat vt quàtocius reuerteretur vnde diſceſſerat.

Et annunciata in conſpectu Saul.] In conſpectu alicuius aliquid dicere, Hebraiſmus eſt pro eo quod Latini dicunt; *Coram, in os alicuius aliquid dicere*, vel coram aliquo præſente loqui. Cicero; [d] *Commodius feciſſent Tribuni plebis, Quirites; ſi quæ apud vos de me deferunt, ea coram me potius dixiſſent.*

d 3. agrar.

Adductus loquutus eſt ei. Orationem, qua veriſimile eſt vſum Dauidem, his verbis Ioſephus proponit. *Non eſt*; inquit, *Rex, cur abiiciamus animum, aut formidemus. Ego congreſſus cum hoſte, inſolentiam eius compeſcam; & elatum & ferocientem proſternam; & ex terribili deridendum reddam*

dam

dam,tantoque erit tua ſimul , & tuorum gloria illuſtrior;quod à puero,non a viro debellatus videbitur.

Non concidat cor cuiuſquam.] Cor fortitudinis & audaciæ ſedes eſt ? ideo ipſo ſtante , intrepidi ſumus;cùm vero vacillat,& nutat,omuia perturbantur. Ea cauſa eſt cur ingens timor per *caſum cordis* in ſacris , & profanis litteris ſignificetur. Quæ loquutio non ſolum metaphorica eſt , & hiperbolica ; ſed propria etiam , & ducta ex ipſa natura rerum. Timentibus enim maximè cor palpitat;& eo vehementius,quo maior eſt timor. Ea autem palpitatio caſus quidam , & ſubſultus cordis videtur ; ac proinde ad ingentem timorem ſignificandum vſurpatur. Eſt igitur hoc loco;*Non concidat cor cuiuſquam* ; nemo quidquam timeat : nullus animum deſpondeat. Pro quo obſeruandum eſt in ſactis litteris frequentiſſimum eſſe (quemadmodum alias docui) vt pro animi affectionibus variis,affectiones eæ corporis appellentur,quæ ſolent animi motus illos comitari. Sic quia impatientia correpti , & indignantes ægrè conſiſtunt,pedibuſque ſolum ſupplodunt;motus pedum pro impatientia dicitur. e Pſalm. 72. Sic Dauid,[e] *Mei autem penè moti ſunt pedes : penè effuſi ſunt greſſus mei.* Similiter quia iraſcentibus præcurdia feruent,rubor ſuffunditur, pinguntur genæ, ſanguis exæſtuat, ſpiritus denſus efflatur e naribus; ira ipſa *fumus* dicitur ; & irati *fumare* f Cap.22. dicuntur,vt pluribus in libro ſecundo. [f] Eadem igitur ratione timor in Scripturis ex iis deſcribitur , quæ ſolent ipſum in corpore aut comitari, aut conſequi. Et quia nihil eſt quod tam timori coniunctum ſit , quàm cordis motus vehementior,& palpitatio ; ab iſta nunc ille intelligitur. Latini ab eadem figura dixere , vt timorem exprimerent,*cor micare,& ſalire*. Et apud Plautum ff In Pſeud. [ff] ridiculè quis proponens timorem ſuum dicit *cœpiſſe ſibi cor ſuum facere artem ludicram*;ſaliendo nimirum. Alibi vero in ſacris litteris pauor ingens,per *liquationem cordis* ſignificatur ; quod ex eodem fonte ductum eſt. Cor enim trepidantibus dum ſalit, huc illuc quodammodo fluctuare videtur : ac proinde inſtar metalli, aut ceræ , rig Pſal.21.17 gore depoſito , emolleſcere Dauid de ſeipſo; [g] *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei.* Vbi Chaldæus figuratam loquutionem, & ſimilitudinem explicans ; *Factum eſt cor meum palpitans in medio ventris mei.* Hoc eſt ergo *liqueſcere , & cadere cor* , quod *palpitare:* h Cap.2. 11. quod habetur in Ioſue; [h] *Hæc audientes pertimuimus , & elanguit cor noſtrum.* Hebraicè eſt , *lique-* i Cap.7.5. *factum eſt cor noſtrum.* Et infrà ; [i] *Pertimuitque cor populi,& ad inſtar aquæ liquefactum eſt.* Quia vero contrariorum effectuum contrariæ quoque ſunt rationes;inde eſt quod animus fiducia nixus, firmus,& conſtans dicitur : quemadmodum pauore ſolutus,deiectus appellatur,& mollis. Vide k Cap. 16. lib. ſecundo,[k] in Oratione Cuſai.

In eo.] Vel in Gulia , id eſt propter Goliam, vel *in eo* reciprocum eſt ; vt ſit ſenſus bis repetitus;*non concidat cor cuiuſquam in ſemetipſo.* Nemo vllum in ſe pauorem admittat. Priorem ſenſum amplectitur Caietanus ; poſteriorem Vatablus qui legit;*Non concidat* cor vllius in ſeſe. Vtrumque verò probabiliter Abulenſis.

Quia puer es.] Qua ætate tunc Dauid fuerit; fuſe diſceptabitur in propria hac de re diſputatione,vbi etiam alia, quæ huc ſpectant , explicabuntur.

ỹ. 34.) Dixitque Dauid ad Saul;Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem , & veniebat leo , vel vrſus , & tollebat arietem de medio gregis.

ỹ. 35.) Et perſequebar eos,& percutiebam , eruebamque de ore eorum , & illi conſurgebant aduerſum me , & apprehendebam mentum eorum , & ſuffocabam , interficiebamque eos.

ỹ. 36. Nam & leonem,& vrſum interfeci ego ſeruus tuus : erit igitur & Philiſthæus hic incircunciſus quaſi vnus ex eis : nunc vadam , & auferam opprobrium populi : quoniam quis eſt iſte Philiſtæus incircunciſus , qui auſus eſt maledicere exercitui Dei viuentis ?

ỹ. 37. Et ait Dauid ; Dominus , qui eripuit me de manu leonis, & de manu vrſi , ipſe me liberabit de manu Philiſtæi huius. Dixit autem Saul ad Dauid ; Vade , & Dominus tecum ſit.

Et dixit Dauid ad Saul.] Quæ verba Dauid dixerit,Saulem alloquens , ea nobis non improbabiliter proponit & explicat Ioſephus.[l] l lib.6.c. 10. *Admirante Saule generoſum Dauidis animum ; nec tamen audente rem tantam tam teneræ ætati committere; Non eſt,inquit Dauid , quod dubites : nam hæc Deo fretus polliceor , cuius fauorem expertus ſum. Cum enim paternos greges paſcerem , raptum agnum ex ore leonis recepi;ipſamque feram in me impetum vertentem , cauda correptam , ſoloque afflictam occidi: neque mitius tractaui vrſum greges inuadentem & hanc quoque belluam nihilo pluris facio ; qui cum in Deum,atque homines conuitia euomat , non patietur cæleſte numen hoc illum impune auferre;ſed meis manibus perdomabit.*

Veniebat leo] Quam vocem noſter interpres hoc loco,& alibi frequenter, immo fere ſemper *leonem* vertit ; ea voce nonnulli ſignificari quidem volunt genus animantis immanis admodum, & agreſtis;quam tamen propriè planè ſciri non poſſe : qua ſimili difficultate obſeruant in aliis nominibus laborari;lapidum,herbarum,colorum , gemmarum , medicamentorum ; quæ ſi cum nominibus & appellationibus noſtri temporis conferantur,vt ad vſum redigi poſſint ; diuinatione opus eſt. Vt autem hic *leonem* ſignificari non putent , mouentur tum quod id genus in Lybia,& Africa frequens ſit , non item in Syria ; tum quia inſolitum eſt leones gregibus inſidiari ; tum denique quia incredibile eſt Dauidem pene puerum leonem fugaſſe , comprehendiſſe , ſtrangulaſſe : & ad miraculum recurrere non eſt neceſſe. Satis eſt ergo ſi genus aliquod feræ intelligamus ; non tamen *leonem* propriè exiſtimemus. Sic iſti,recentiores ſcilicet , & nouatores. Sed perſpicuè falluntur. Certum enim debet eſſe ארי *Ari* ; quæ vox in texto Hebræo hoc loco habetur, nomen eſſe leonis proprium. Sic enim ſemper à noſtro interprete redditur; ſic à LXX, ſic à Rabinis omnibus,quos credibile non eſt in proprio vocabulo notiſſimæ belluæ hallucinatos. Obſeruandum porro eſt ex Aria m Num. 38? [m] Montano de naturæ hiſtoria,Pineda [n] noſtro n Cap. 4.10. in

in Iob, Serario in Iudices vbi de Sampſone, *a lib. 10 Obſeru. c. 4.* Druſio [a] damnato authore, quinque eſſe vocabula apud Hebræos, quæ certum eſt ſpectare omnia ad leonis ſpeciem ſignificandam; quo verò ætatis, ſexus, aut alio formæ diſcrimine; non ita certum. Sunt autem iſta אריה *Ari* שחל *Sabbal* כפיר *Cephir*, ליש *lais* & לביא *Lebi.* Ariech fere ſemper, vt dixi, *leo* vertitur à noſtro interprete, & à LXX. & notat Rabbi Kimki ſignificare *leonem* mediæ ætatis, cùm robuſtiſſimus eſt, & in flore iuuentæ. *Sabbal* verò nonnunquam etiam leo vertitur; ſed frequentius *leana*, quod ea voce exiſtiment Hebræi ſignificari inter varias leonum formas ferociſſimum & immaniſſimum: & quia fœminæ in hac ſpecie maribus ſæuiores ſunt, præſertim cum catulos educunt; noſter interpres pro leæna eſt interpretatus. At *Cephir* & *Cephirim* licet propriè ex Aria Montano ſignificent ferarum fœtus, & catulos cum adhuc ſe inter luſtra continent; nec libere prodire aut ſinuntur, aut audent; noſter tamen interpres frequentius pro *leunculo* accepit, & *leunculis*; catulis nimirum, ſed in *leonis* ſpecie. *Lebi* vero *leonis* nomen eſt deductum ab intrepiditate cordis. Denique *Lais* certam etiam formam in hoc genere animantis ſignificat; & putant nonnulli vaſtiſſimos, & maiori reliquis leonibus membrorum mole ſic appellari. Addunt alij Græcos forte, & Latinos vocabulum *leonis* ab eo deriuaſſe, quod improbabile non eſt, Omnes porro iſtæ appella-

p Cap. 4. 10. tiones in vna Iobi ſententia continentur. [p] *Rugitus leonis, & vox leanæ. & dentes catulorum leonum contriti ſunt, tigris periit, eo quod non haberet prædam, & catuli leonum diſſipati ſunt.* Ex iſtis quinque nominibus, quibus diuerſæ leonum differentiæ & formæ ſignificantur, Græcis, vel Latinis ignotæ, vel vocabulorum inopia confuſæ; licet aliqua ad alia quoque animalia transferantur, אריה Ariech tamen nunquam niſi pro leone accipitur. De aliis facilè conſtare poteſt. Dauid;

q Pſalm. 90. [q] *ſuper aſpidem, & baſilicum ambulabis.* Hebraicè

r Cap. 4. 11. ſuper שחל *Sabbal* & פתן *pethen.* Iob; [r] *Tigris periit, eo quod non haberet prædam.* Hebraicè ליש

ſ Cap. 30. *Lais periit.* Et tamen in Prouerbiis; [ſ] *Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pauebit occurſum.* Hebraicè; ליש *Lais fortiſſimus beſtiarum.* Vox ergo *Sabbal* licet *leo*, & *leana* frequenter vertatur; etiam pro aſpide accepta eſt; & *Lais* pro tigre. At *Ariech* quoties in Hebræo occurrit; *Leo* perpetuo & conſtanter in Græcis, & Latinis redditur. Vnde dubitari non poteſt, quin hoc loco etiam *Leo* ſit intelligendus. At leo fera Lybica eſt, & Africana: quaſi verò quia Aſini Reatini celebrantur apud Varronem; non alibi etiam aſini naſcantur. Sunt in Lybia leones & frequentes, & feroces & multiformes; ſed ſunt etiam ſui in Syria; & quidem ita frequentes, vt

t lib. 8. c. 16. iter agentibus ſæpiſſimè occurrant. Plinius; [t] *Mentor Syracuſanus in Syria leone obuio, ſuppliciter volutante, attonitus pauore, cum refugienti vndique fera opponeret ſeſe, & veſtigia lamberet adulanti ſimilis, animaduertit in pede eius tumorem, vulnuſque, & extracto ſurculo, liberauit cruciatu.*

u lib. 8. Similiter apud Curtium; [u] *Adiecit, Alexander tam à ſe, quam à Lyſimacho leonem interfici poſſe. Lyſimachus enim quondam cum venaretur in Syria occiderat eximiæ magnitudinis feram ſolus.* Sunt er-

x Cap. 16. go in Syria leones, & frequenter obuij, vt con-

y Cap. 23. ſtat etiam præter externos ſcriptores ex hiſtoria

z Cap. 13. & 10. [x] Iudicum, & ſecundo [y] Tertio, [z] & Quarto

[a] Regum. At nouum & mirum ſit leonem propriè maieſtatis oblitum, lupinos mores induere: *a Cap. 17.* luporum enim eſt ouibus, & gregibus inſidiari, non leonum, quorum generoſitate indignum eſt vires exercere in tam imbelle pecus. In leones enim illud maximè conuenit.

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

At quid magis ſubiectum, & omnium iniuriæ expoſitum; quam greges ouium & agnorum? Certè illa verè à Plinio [b] referuntur; *Leoni tantùm ex feris clementia in ſupplices: proſtratis parcit; & vbi ſæuit, in viros prius, quàm in fœminas fremit; in infantes non niſi magna fame.* *b lib. 8. c. 16.* Quæ quomodo nunc cum iſta noua venatione conueniant; non apparet. Sed dicendum veriſſima hæc eſſe, ſeruarique à leone omnia, præterquam vrgente fame. Si enim auri fames, quæ libera & voluntaria eſt, tantum poteſt in homine, vt merito Poëta cecinerit;

— *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri ſacra fames?

Quid poterit in omnibus animalibus fames non habendi, ſed edendi cupiditas prorſus violentiſſima, & quam fruſtra quis tentet excutere non expletam? Certè nihil non poterit. Itaque videmus cum iſta premit & vrget, nihil eſſe quod quiſpiam indignum ſe putet, aut maieſtate ſua; tunc enim ilud vſurpatur. [c] *Quæ prius nolebat tangere anima mea; nunc præ anguſtia cibi mei ſunt.* *c Iob 6. 7.* Ergo vt aliàs non ſoleant leones hoc genus venationis exercere, ouibus inſidiari, paſtorum caulas obſidere; cum tamen fame vrgentur, ſolent. Et ita experientia ipſa docet, vt obſeruant Ariſtoteles, [d] Plinius, [e] & Ælianus, [f] illud inſuper addentes cum iam incipiunt leones ad ſenium vrgere; tunc maximè ad hoc deſcendere. Viribus enim deficientibus, impediuntur ne alias agreſtes feras inſequi poſſint. *d Hiſt. anim. li. 2. c. 1. & 3. e lib. 8 c. 16. f lib. 6. de anim. c. 63. ex quib. Rod. lib. 13. cap. 8. & 19.* Quod tamen argumento non eſt leones hos, de quibus Dauidi ſermo, aut imbecilles fuiſſe, aut ætate confectos: quia non ſolum ab ætate; ſed à fame etiam, vt diximus, huc impelluntur: qua non ſolum non infirmiores fiunt; ſed multò etiam ferociores, vtpote in rabiem efferati. At miraculum eſt potuiſſe feram fortiſſimam & immaniſſimam tam facilè vnius adoleſcentis manibus elidi. Hac de re quid dicendum ſit; deinceps conſtabit.

Vel vrſus.] Propriè in Hebræo eſt דוב *dob.* per quam vocem certum eſt apud omnes *vrſum* ſignificari. Quod animal ſolertiſſimè ſtolidum, mirum non eſt, ſi inſidias frequenter gregibus moliatur. Dummodo enim ventrem paſcat, ad omnia ſe demittit. Itaque quæ ſe indigna leones putant, ac maieſtate ſua, ac proinde nec attingunt, nec lædunt; ab iis vrſi non abſtinent; nihil turpe ducentes, quod ventrem ſaturare poſſit. Vide quæ lib. 2. cap. 16. vbi de voce, *Dob.*

Tollebat arietem de medio gregis.] Quid eſt de medio gregis? Aut cur *arietem* potius, quam aliud quoduis in caulis ouium? Noſter fortè voluit exprimere maximè prædæ patuiſſe, qui in grege ſunt magis iniuriæ expoſiti, ij autem ſunt arietes, qui greges ipſi ducunt, cuiuſmodi arietem Hebræi appellant כבש אלוף *Chebes aluph, arietem diſciplinatum.* Quem noſter apud Ieremiam vertit [e] *agnum manſuetum.* Hic porro *de medio gregis rapitur*; *e Cap. 16.* non quod ſemper in medio verſari ſoleat, cum in agmine plerumque præcedat; ſed quia certatim ad ipſum quantum poteſt reliquus grex agglomeratur. In Hebræo verò

ad verbum

ad verbum ſimpliciter eſt; *Abripuit pecudem de grege*, vt Vatablus; vel vt Caietanus, *agnum de grege*. LXX. habent, *ouem*: ex quorum lectione ceſſat omnis dubitatio.

Perſequebar eos.] De Dauidis velocitate in
f lib.2. c.22. curſu, & pedum pernicitate alibi. [f] Eam autem quando alia argumenta deeſſent; ex hoc loco facilè probare poſſemus fuiſſe ſummam. Licet enim leones tanto effuſo curſu fugere ſoleant; attamen cum captam prædam auertunt, & alio auehunt, perniciſſimam fugam arripiunt. Illa igitur inſtitiſſe, & fugientes apprehendiſſe, quantæ pernicitatis fuit? At verò multo illuſtrius argumentum ex hoc eodem loco duci poteſt fortitudinis, & audaciæ ipſius Dauidis planè ſingularis. Etenim cum leone congredi neceſſitate compulſum; in illum, ne opprimaris, irruere; reluctari, fortiter etiam aduerſus illum facere ne perimaris; fortitudinis, ſine dubio, non vulgaris, & eximiæ: at non nouum eſt, non inſolitum. Nullum enim animal eſt, licet ignauiſſimum, quod in ſuprema neceſſitate, ſui, viriumque ſuarum periculum non faciat, cum alieno periculo. Quanto ergo magis homines, ſi ſubito præoccupentur; & ex improuiſo leonem in ſe videant irruentem, animos ex ipſa diſperatione ſument; & inuaſorem ſuum alacres aggredientur,
g lib 2. c.29. natur. quæſt. etiam cum ſucceſſu? Seneca; [g] *Ignauiſſima animalia*, inquit, *quæ natura ad fugam genuit; vbi exitus non patent, tentant corpore imbelli. Nullus pernicioſior hoſtis eſt; quam quem audacem anguſtiæ faciunt.* Si itaque Dauid cum leone & vrſo pugnaſſet, ſed vt ſe tutaretur, ſed ab ipſis peritus, ſed ne ab illis perimeretur, & ipſos deinde peremiſſet; omnino inter fortiſſimos numerandus eſſet: at longè fortior cenſendus eſt, quando non ex deſperatione ipſos inuaſit; ſed ex voluntate. Summæ fortitudinis erat irruentes audacter excipere; quid vltro in illos incurrere? Vt vilem prædam ab ipſis verteret, vltro illos aggreſſus eſt: & ab agnis, & ouibus in ſe ipſum conuertit. Hoc illud eſt, quod ipſe ſignificat, dum dicit; *Perſequebar eos, & percutiebam.* Non caſu in illos incidi; ſed vltro, & ſtudioſè cõquiſiui, & aggreſſus ſum. Porrò ex hoc facilè intelligi poterit
h Cap.43. a. quod in Eccleſiaſtico [h] legitur, vbi de hac Dauidis pugna agitur cum leonibus & vrſis. *Quaſi adeps ſeparatus à carne; ſic Dauid à filiis Iſraël: cum leonibus luſit, quaſi cum agnis; & cum vrſis ſimiliter fecit, quaſi cum agnis ouium in iuuentute ſua.* Quæſo enim quis iſte luſus? An luſus eſt leonem apprehendere, & ita arctè conſtringere, vt faucibus eliſis ſpiritus illi intercludatur? Et ita cum agnis luditur, præſertim à paſtore? Cur ergo appellatur hic luſus? Luſiſſe dicitur Dauid dum pugnauit? quia perinde illos laceſſiuit, inuaſit, irritauit; ac ſi ſibi non cum leonibus, & vrſis, ſed cum agnis & ouibus res eſſet. Luſus ergo iſte non ad *ſuffocationem*; ſed ad facilitatem victoriæ referendus eſt. At dicet aliquis; Quæ iſta laudanda fortitudo cum tanta temeritate coniuncta? An non temerarium, ne vilis præda pereat, tantum, & tam certum ſubire periculum? Fortè temerarium; ſed in aliis, non in Dauide, in quo cum *Spiritu Dei directus eſſet* à die vnctionis; mirum non eſt ſi cum hæc facere potuerit, facere quoque poſſe ſe ſenſerit: ac proinde temerè nihil aggrediebatur, illa audendo, quibus ſe parem conſcius ſuarum virium intelligebat.

Apprehendebam mentum eorum & ſuffocabam.] De modo, quo Dauid illos interfecerit, perſpicuè Ioſephus, & alij à ſcriptura diſſentiunt. Ioſephus enim, vt vidimus, ſic Dauidem inducit loquentem. *Agnum ex ore leonis recepi; ipſamque feram in me impetum vertentem, cauda correptam, ſoloque afflictam occidi.* Quod non ſolùm ab illo diuerſum eſt, quod ſcriptura tradit, ſed protſus etiam incredibile. Qua enim ratione tam immanis fera cauda apprehendi, circumuerſari, & agi, ſoloque poteſt allidi? Ioſephum tamen ſequuntur recentiores, erroris ſocij errandi magiſtrum. At Scriptura non hoc pacto; ſed per faucium eliſionem, intercluſo ſpiritu dicit extinctos. S. Chryſoſtomus [i] luctam quandam quaſi i In Pſal.43.
concipere videtur inter Dauidem, & leonem; hunc verò inſurgentem ſub ala capite compreſſo, couſque à Dauide detentum, donec facultate ſpirandi intercluſa, ſuffocaretur. Quod totum clare inſinuant LXX. pro eo quod nos habemus; *Apprehendebam mentum*, legentes; *tenui guttur*; quæ eſt quaſi explicatio noſtræ lectionis. Idcirco enim mentum apprehendebat, vt guttur eliderer. Vatablus neſcio quam barbam hic repetit, ſic vertens; *Apprehendique vi fortiter barbam cum mandibula.* Caietanus verò tantùm ex Hebræo; *Inualui in mentum eius.* At mirum ſine dubio videri poſſet; quomodo Dauid à leonis vnguibus dilaceratus non fuerit. Sed de hoc poſtea fuſius. Interea illud obſeruandum, quod hinc manifeſtè colligitur, fuiſſe omnino Dauidem tunc temporis inſigni ſtaturæ altitudine, & proceritate. Vtrumque enim hoc animal, *leo*, & *vrſus* hoc habent, vt toto corpore erecti ſummis pedibus inſiſtant, cum impetum in aliquem faciunt. Quod ſignificanti verbo expreſſit Dauid dicens; *Et ipſi conſurgebant in me.* Propriè enim hoc; quia erigebantur: illis tamen erectis par erat quodammodo Dauid; & ex æquo pugnabat, & colluctabatur. Quod argumentum protſus eſt inſignis proceritatis, & vltra communem omnium hominum menſuram. Qui enim leonem erectum, & inſurgentem amplectebatur, & à ſummo capite inter alas compreſſum ſtrangulabat; hunc ſine dubio omnes viros Iſraelitas ab humero ſupereminere neceſſe fuit; quæ vera fuit Dauidis ſtatura, vt infra pluribus eſt oſtendendũ.

Erit igitur hic quaſi vnus ex eis.] Comparatio ad tria, referenda eſt; ad mores, ad vires, ad exitum. *Ad mores*; quia vir incircumciſus, & impurus, hominum Deique contemptor, non alio loco habendus eſt, quàm bellua quæpiam, & immanis fera. *Ad vires*; quia quamuis fortiſſimus Golias, non magis tamẽ poteſt inter ſuos excellere, quam leo & vrſus inter reliquas feras. *Ad exitum* denique; quia vt illi à Dauide occiſi ſunt; nihil illos iuuante inſita virium ferocia; ita iſte occidetur. Ex qua triplici comparatione, prima & ſecunda ita nectuntur, vt tertiam inferant, quæ maxime facit ad id, quod nunc agitur. Qui enim & ferocitate virium, & morum inſolentia ſit ſicut leo, vel vrſus; improbabile non eſt ab eo occiſum iri, qui aſſuetus ſit interficere leones, & vrſos. Theodoretus comparationem hanc; *Quaſi vnus ex eis*; ad mores maximè refert. *Nihil*, inquit, *differt à beſtia, qui viuit in impietate.* Similiter Ioſephus, qui ſic facit loquentem Dauidem. *Hanc quoque belluam nihilo pluris facio, qui in Deum, hominesque conuicia euomit.* Negandum tamen non eſt, quod Dauid maximè his verbis reſpicit, eſſe ſimilem Philiſthæi, & ferarum exitum:

quia

quia quorum mores illa imitetur, vires autem non excedat; mirum non ſit ſimilem quoque exitum ſortiturum.

Nunc vadam, & auferam opprobrium populi.] In omni pugna, quæ ſuſcipitur: quin potius non in omni pugna duntaxat; ſed in omni eo, quiequid illud ſit, quod aggredimur, duo maximè ſpectanda ſunt; cauſa, & vires. *Cauſam*, ob quam id agredimur; *vires* quibus id inſtructi ſuſcipimus. Vtrumque hoc erat in Dauide, quale prorſus eſſe debebat, cum paratum ſe obtulit ad certandum. *Cauſa* quidem optima diuinus cultus & honor. *Vires* aptiſſimæ fiducia numinis. Vtroque contra laborabat Golia: *cauſa* quidem, quia vt exprobraret agminibus Dei viuentis, ac propterea ipſi Deo; *viribus* verò; quia ſuis tantum fidebat. Cauſam Dauid huius à ſe ſuſcepti certaminis, & prouocationis admiſſæ, non aliam ſemper oſtendit, niſi diuini numinis vindicandi.
k Ver. 26. Paulò ſuprà; [k] *Quis eſt iſte Philiſthæus, qui exprobrauit acies Dei viuentis?* Nunc iterum; *Auferam opprobrium populi: quoniam quis eſt iſte incircumciſus, qui auſus eſt maledicere exercitui Dei viuentis?* Illud enim quod non dicit tantum *exercitum Iſraël*; ſed adiungit; *exercitum & acies Dei viuentis*; clare oſtendit non tangi illum probris, quibus fuerat populus affectus, niſi quatenus illa in verum Deum redundabant. Et hæc cauſa certaminis iuſtiſſima ſine dubio, & honeſtiſſima. Non ergo præmia à Saule pronunciata, non gloria triumphi, non patriæ decdecus, non vltionis ſtudium illi fuere propoſita; ſed Dei nomen, & decus ab omni contumelia vindicandum. At vires quales? Dignæ prorſus tali cauſa: cauſa propter Deum; vires ex Deo. Et propterea ſubdit; *Dominus, qui eripuit me de manu leonis, & vrſi, ipſe me liberabit de manibus Philiſthæi huius.*

Vade, & Dominus tecum ſit.] Vnde tam facilè Saul, & reliqui Principes Dauidi aſſenſi ſunt, tam mira de ſe, peneque ſupra fidem narranti? Prouerbium erat in Iſraël, nullius de ſeipſo teſtimonium verum eſſe, aut admittendum: vnde apud
l Cap. 8. 13. Ioannem Scribæ; [l] *Tu de temetipſo teſtimonium perhibes: teſtimonium tuum verum non eſt.* Et ipſe
m Cap. 5. 31. Chriſtus; [m] *Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum verum non eſt*, Prouerbium item apud Latinos; *Vnique teſti, nec Catoni creditum.* Quid ergo nunc Saul, & omnis exercitus tam facilè dubitationem omnem abiiciunt, & fidem dictis mira adeo de ſe predicantis accommodant? & id quod ipſi ſi ſuis oculis vidiſſent, vix credere debuiſſent; tam facilè credunt de ſe ipſo narranti? Patres agnoſcunt hîc tacitum numinis inſtinctum; quo Saul, & reliqui permoti, neſcio quid in Dauide conſpicati ſunt altius humano faſtigio.
l Hom. 31. ex 50. Auguſtinus; [l] *Non abnuit Rex, non recuſauit: intellexit cum videret audentem puerum aliquid in eo diuinitatis eſſe.* Similia habent
m Hom. 15. ad pop. Chryſoſtomus, [m] & Athanaſius. [n] Ego & hoc
n Homil. de ſemen. exiſtimo; & ne totum miraculo demus, fortiſſimam quoque totius corporis indolem, & egregiam membrorum omnium firmitatem, dictorum fidem abundè confirmaſſe puto. Erat enim tunc Dauid, vt paulo poſt, & iterum ſuo loco pluribus, militari quadam ſpecie eum venuſtate conſpicuus; vtpote qui ſtaturæ altitudine omnes quotquot erant in Saulis exercitu, præter ipſum Saulem, ſuperaret: erant præterea lacertorum tori robuſtiſſimi; erat totius corporis agilitas admiranda: quæ ſimul omnia dum ipſe loqueretur, oculis ſpectantium ſubrecta gratiſſimum ſui ſpectaculum præbebant. Non ergo ſoli Dauidi de ſeipſo teſtificanti creditum eſt, ſed & aliis teſtibus qui erant, corporis proceritas, membrorum compago firmiſſima, robuſtiſſima indoles, eminens oculis, voce, geſtu emicans pulcherrimi adoleſcentis.

Sopran. in Dauid.

Vade.] *Vade* Hebraiſmus eſt hominis concedentis quod rogatur. in libro Iudicum filia
Iephte; [o] Dixitq; ad patrem; *Hoc ſolum mihi præſta, quod deprecor cui ille reſpondit; Vade, & dimiſit eam duobus menſibus.* [p] lib. 2. Reg. *Dauid ad mulierem qua vitæ veniã filio poſtulauerat; Vade inquit in domum tuam, & ego iubebo pro te* Idem repetitur apud Marcum, [q] Lucam, [r] Ioannem. [ſ] Similem phraſim ſeruant Itali etiam, & Hiſpani, Galli, & aliæ nationes cùm quid precibus poſcentium concedunt. Itali enim dicimus; *Va, te ſia fatta la gratia.* Similiter; *Vado, & vadam*, vox eſt apud Hebræos aliquid poſcentis. Abſalon ad Dauidem; *Vadam*, [t] *& offeram vota mea in Ebron.* Et Abner ad eundem; *Vadam*, [u] *& auferam caput eius.* Et hoc capite; [x] *Vadam, & auferam opprobrium populi.* Reſpondet ergo *vado*, & *vadam*; ad id quod Latinè dicimus *quæſo, amabo, permitte, da, concede, licent mihi. Vade* autem eſt, *annuo, concedo, permitto.* Vnde ſæpius hæc coniunguntur; *Vade, & fiat tibi ſicut vis.*

o Cap. 11. & 37.
p Cap. 14. 8.
q Cap. 5. 34
r Cap. 7. 5. 8. 48.
ſ Cap. 4. 50.
t Cap. 15.
lib. 2. Regum
u Cap. 16.
ibid.
x Ver. 36.

℣. 38.) Et induit Saul Dauid veſtimentis ſuis, & impoſuit galeam æream ſuper caput eius, & veſtiuit eum lorica.

℣. 39.) Accinctus ergo Dauid gladio eius ſuper veſtem ſuam, cœpit tentare ſi armatus poſſet incedere: non enim habebat conſuetudinem. Dixitque Dauid ad Saul; Non poſſum ſic incedere, quia non vſum habeo.

℣. 40.) Et depoſuit ea, & tulit baculum ſuum, quem ſemper habebat in manibus: & elegit ſibi quinque limpidiſſimos lapides de torrente, & miſit eos in peram paſtoralem, quam habebat ſecum: & fundam manu tulit, & proceſſit aduerſum Philiſthæum.

Induit veſtimentis ſuis.] Hoc tertium, & quidem certiſſimum argumentum eſt proceritatis Dauidis. Primum enim ducitur ex lucta cum leonibus & vrſis & eorum ſuffocatione. Secundum ex aſſenſu Saulis & totius exercitus; qui tam facilè illi de ſe dicenti crediderunt; non credituri ſi paruulum puſionem ante ſe illa iactantem vidiſſent: tertium vero ex hoc ducitur, quod hic agitur. Saul enim Dauidem *induit armis & veſtimentis ſuis*, id eſt ipſius Saulis. Erat ergo Dauid æqualis Sauli ſtaturæ proceritate, vel exiguum tantum inter illos diſcrimen erat: alioqui luſus fuiſſet atellana dignus, non illa re quæ tunc agebatur, ſi viri magnitudine, & proceritate corporis eximij, qualis erat Saul, veſtes & arma paruulo fuiſſent oblata. Ad quid enim quæſo, vt in illis videndus aliis obiiceretur, quaſi in cothurno ſimia; an potius vt pugnaret? Si hoc; exiſtimatum ergo probabiliter à Saule & aliis omnibus eſt parum admodum intereſſe inter

Dauidis,& Saulis proceritatem;ac proinde poſſe commodè alterius arma,& veſtes alteri congruere. At Saul tantus erat, vt *ab humero & ſurſum* reliquos omnes in populo Iſraelitico ſuperaret: non minor ergo erat Dauid. Video quid hic dici poſſit; arma induta Dauidi non dici in Scriptura fuiſſe Saulis. Verum eſt id non exprimi in textu: exprimit tamen Ioſephus: *Miſit*, inquit, *in pugnam,inſtructum prius thorace regio.ſimul enſe; & galea.* Intelliguntur præterea vno conſenſu omnes Patres; Auguſtinus,Hieronymus,Ambroſius, Gregorius, Chryſoſtomus, Nazianzenus, Theodoretus, Beda, Eucherius,Iſidorus, & alij; qui etiam in eo myſterium agnoſcunt. Denique quod clarè non dicitur in textu de armis,clariſſimè exprimitur de veſtimentis. *Induit*, inquit, *illum Saul veſtimentis ſuis.* Cuius *ſuis?* Saulis ſcilicet. Vnde & idem argumentum ducitur, & idem de armis aſſerendum eſſe conuincitur. At non neceſſe eſt, dicet quiſpiam, vt veſtimenta Saulis interpretemur,quibus ille vteretur. Sunt enim veſtimenta alicuius tam quæ geſtat & induit,quam quæ poſſidet. Poterant ergo hæc veſtimenta dici Saulis,quia ipſius erant; quia ipſo iubente prolata,adducta, & ab ipſo donata. Ridicula omnino euaſio. Quaſi vero pileus meus, & tunica mea rectè dicantur,quibus ſeruus meus vtatur;quod à me poſſideantur,licet non geſtentur. Atque ita dum cubitum it ſeruus meus,poſſit dici deponere tunicam meam. Ridicula hæc, inquam ſunt;& non niſi ridendo debent refutari. Certum igitur eſt Dauidem non potuiſſe à Saulis ſtatura admodum abire: ac proinde vel ipſo maiorem, vel certè non multo inferiorem. Quod vtrumque eximiæ proceritatis ipſum fuiſſe conuincit.

Veſtimentis ſuis.] LXX. non habent *ſuis*; habent tamen Complutenſes,& cum noſtra vulgata aliæ verſiones, & Patres omnes adducti. Eſt etiam in fonte Hebraico apertiſſimè; vnde omnes, qui ad verbum ex Hebreo vertunt, legunt *veſtimenta ſua*,id eſt Saulis, vt Caietanus, Vatablus,Pagninus. Aufertur ergo omnis tergiuerſandi ratio, vitare volentibus vim argumenti à nobis adducti de Dauidis proceritate.

Gladio eius.] Cuius *eius*? Saulis ſcilicet. Et mirum quomodo cum reliqua arma, iis grauatus, abiecerit, gladium ſaltem non retinuerit. Significatur autem omnia Saulis arma Dauidi fuiſſe induta, adeo vt & ipſius quoque gladio fuerit præcinctus;vt rectè Ioſephus.

Super veſtem ſuam.] Sicut etiam LXX. *ſuper veſtimenta ſua.* Complutenſes verò, *ſuper thoracem.* Ex quo ſuſpicari poſſumus *veſtem* hic à noſtro poſitam pro lorica.

Cœpit tentare num armatus poſſet incedere.] Inter reliquas Dauidis laudes, hæc fuit præcipua; quod cum ſumma fortitudine ſingularem quoq; prudentiam coniunctam ſemper habuerit: ab ea laudatus eſt capite præcedenti; ab ea pluribus à D. Ambroſio commendatur. *Prudentiam*,inquit, *fortitudinis comitem habuit*: & ab ea nunc priuſquam progrediatur ad pugnam, periculum ſui facit; num cum inſolito armorum pondere expeditè poſſit incedere. Quod autem hic noſter habet; *Cœpit tentare,&c.* eleganter exprimit quod eſt apud LXX. *Et laborauit cum ambulaſſet ſemel, & bis.* Vel,vt legunt Complutenſes; *& laborauit circumambulans Dauid cum ambularet in eis.* Hic enim *laborauit*,non ſignificat defatigatus eſt, & laſſatus: ſed propriè idem valet, quod conatus, & niſus eſt. Et noſter expreſſit Latinè admodum per verbum tentandi propius accedens ad Hebræum,in quo eſt,vt vertit Caietanus; *Et voluit ire, quia non habebat vſum*; id eſt tentauit, periculum fecit,& experiri voluit an eum illis agilis eſſet, & expeditus ad pugnam. Vatablus; *Conatuſque eſt incedere, quandoquidem periculum nunquam fecerat.* Ex quibus omnibus conſtat in quo ſenſu,vt dixi,verbum *laborandi* apud LXX. accipiendum ſit. Incredibile enim eſt Dauidem, qui vt Mulus Marianus onuſtus ad caſtra venerat, ſolo armorum pondere grauatum, ad vnam deambulationem feſſum ſubſtitiſſe. Et præterea infirmaſſet id dictorum fidem apud Saulem, & adſtantes alios: ſi qui vrſum;& leonem ſtrangulauerat, armorum ponderi tam citò ceſſiſſet. Eſt itaque *laborauit*; idem quod periculum fecit: ſtudioſè voluit experiri. In qua ſignificatione laborandi verbum ſumitur etiam à noſtro interprete apud Hieremiam; [y] *Vt iniquè agerent, laborauerunt*; id eſt vias omnes ſtudioſè exquiſierunt; in omnem ſe partem verterunt; nihil non tentarunt, vt iniquè agerent. Sed & apud bonos Latinitatis auctores frequenter etiam in eadem ſignificatione obuium eſt: vt videre licet apud Ciceronem,Quintillianum,& alios.

y Cap. 9. 5.

Non poſſum incedere.] Hic iterum dubitatio illa recurrit, quam nos in proxima annotatione euitaſſe putabamus,aut certè ſoluiſſe. Quomodo enim Dauid qui onuſtus tam graui ſarcina tantum iter confecerat;nunc ita armis grauatur, vt illis non onuſtus, ſed indutus ingredi nequeat? Quomodo Saul & reliqui tunc fidem illius dictis non abrogarunt,cum ſimile vero non eſſet,quem arma grauarent,ab eo vrſos,& leones tam facile trucidatos? Abulenſis hîc multa mouet, vt exitum aliquem reperiat. Mihi tamen omnia in expedito videntur,ſi oratio tota Dauidis expendatur. Neque enim inceſſus, de quo loquitur, ſimpliciter accipiendus eſt, quaſi non poſſit gradum tollere, aut difficilè ſic poſſit armatus; ſed inceſſus, relatus ad pugnam eſt accipiendus, vt ſit ſenſus. Non habere ſe liberum & expeditum ingreſſum, quale ipſe requirit in hac pugna: & hoc, non quia armis grauetur; ſed quia propter inſuetudinem impediatur. Auguſtinus; [z] *Abiecit*,inquit,*arma Dauid,& onera dixit eſſe; quia implicabant eum: & expeditiſſimus eſſe cupiebat.* Clarè autem hoc Dauid ipſe ſubiungit. *Non poſſum ſic incedere,quia vſum non habeo.* Non dixit; quia ſub hoc iniquo pondere fatiſco: non quia ob imbecillitatem ætatis oneri ſuccumbo: ſed *quia vſum non habeo.* Conſuetudinem ergo excuſauit, non vires. Ex quo conſtat quod dixit Eucherius; *Arma per ætatem, & paruam corporis ſtaturam portare non valuit*; nihil probabilitatis habere; tum quia præcipuè contra illud eſt, quod oſtendimus de proceritate Dauidis, & viribus; tum quod aliam omnino cauſam affert depoſitionis armorum, quam Dauid ipſe. Melius ergo Ioſephus,qui appoſitè ſanè ad ea, quæ in Scriptura habentur, ſic Dauidem loquentem facit. *Tum Dauid, qui armis geſtandis non aſſueuerat, grauari his magis ſe,quam muniri ſentiens; Tuus inquit, ſit hic ornatus,ô Rex, qui geſtare eum ſis idoneus: mihi famulo tuo permitte arbitratu meo pugnam capeſſere: & cum dicto arma deponit.*

z Hom. 31. ex 50.

Quia non vſum habeo.] Propterea tanti momenti eſt exercitatio in re militari;vt non aliud

ſit

ſit diſcrimen inter turbam hominum, & exercitum; niſi quod hic eſt multitudo exercitata, illa non item. Ab *exercitio* enim *exercitus* nomen accepit, vt tradit Vegetius. [a] Itaque quatenus copiæ conflatæ, & ſimul coactæ ſint, exercitus non eſt; ſi exercitati milites non ſint; & qui fortiſſimus ſit, ſi exercitatus non ſit, miles non erit. Idem Vegetius; [b] *Poſt quantacunq; ſtipendia inexercitatus miles ſemper eſt tyro.* Cicero; [c] *Adduc pari animo inexercitatum militem; mulier videbitur.* Quod ergo nunc Dauid dicit, nihil derogat illius viribus. Fortiſſimus enim poterat eſſe, & validiſſimus; quia tamen exercitium aberat, armis impediebatur potius, quam iuuabatur. Inter prima enim exercitia militaria, præcipua erat armorum geſtatio; quibus vſque eo exercebatur Romanus miles, & aſſueſcebat, donec illi arma non magis oneri eſſent, quàm veſtes & membra. Cicero; [d] *Nam ſcutum, gladium, galeam noſtri milites in onere non plus numerant; quam humeros, lacertos, manus. Arma enim membra eſſe militis dicunt: quæ quidem ita geruntur aptè, vt ſi vſus foret, abiectis oneribus, expeditis armis, vt membris pugnare poſſit.* Et hoc quia in antiqua militia, & rep. religioſè ſeruatum eſt; ſeruauit etiam non ſolùm, ſed inuictam fecit Romanam virtutem. Cùm autem labare cœpit, & armorum geſtandorum vſus paulatim imminui; retro etiam cœpit ferri Romana res. Vegetius [e] clades acceptas à Gothis, Alanis, & Hunnis, quæ grauiſſimè fuere, refert omnes in hanc deſuetudinem geſtationis armorum. *Cum enim*, inquit, *grauia cœpiſſent arma videri militibus, illa deprecati ſunt, & obtinuerunt vt deponerent: grauia autem videri cœpta, quia campeſtris exercitatio geſtandi arma, interueniente negligentia, ceſſauerat. Vnde grauia*, inquit, *videri arma cœperunt, quæ rarò milites induebant.* Hinc autem quid ſequutum? ſubdit; *Vt noſtri milites vix viſo hoſte funderentur. Nam non de pugna, ſed de fuga cogitant. qui nudi in acie exponuntur ad vulnera.* Liquet igitur ex his omnibus quantæ vires ſint exercitationis in omnem partem; quando Dauid fortiſſimus, quia non aſſuetus, arma geſtare non poteſt. Exercitatio enim conſuetudinem parit, qua nihil eſt in rebus humanis potentius, & efficacius. Propterea D. Ambroſius [f] exemplo militum, & huius exercitationis geſtandorum armorum admonet vt frequentes ſimus in exercitatione virtutum: quia *ſicut non eſt miles ſine armis; ita nec virtus ſine exercitatione.*

a lib. 2. c. 23.
b Ibidem.
c 2. Tuſc.
d 2. Tuſcul.
e lib. 5. c. 20.
f lib. 1. de Abel. cap. 4.

Et tulit baculum ſuum.] Qualis hic baculus & ad quid? Poſſet fortè quiſpiam ſuſpicari fuiſſe fuſtibalum, de quo Vegetius; [g] *Fuſtibalus fuſtis eſt longus pedibus quatuor, cui per medium ligatur funda de corio, & vtraque manu impulſus propè ad inſtar onagri dirigit ſaxa; quo qui vtebantur, fundibulatores ſunt appellati; ſicut funditores, funda.* Poſſemus ergo exiſtimare Dauidem non ſola funda, ſed fuſtibalo vti voluiſſe. Verùm ſi ea, quæ ſubiiciuntur, attendamus, id dici non poteſt. Licet enim fuſtibali iactus validiſſimus eſſet, ac propterea magis vtilis aduerſùs hoſtes, quam ſola funda; eo tamen non vſum Dauidem conſtat: quia fuſtibalus vtraque manu & in directum impellitur; at funda ad caput circunducitur, quod feciſſe ſubditur Dauid. *Circunducens*, inquit, *percuſſit Philiſthæum.* Ad quid ergo hic baculus, & qualis? Non improbabiliter Sabellicus, & alij recentiores putant fuiſſe *ſparum*, quod Seruius [h] dicit eſſe *telum ruſticum in modum pedis recuruum.* Saluſtius de eo; *ſed ex omni copia circiter quarta pars militaribus armis inſtructa, cæteri vt quemque caſus armauerat ſparis, aut lanceis: alij peracutas ſudes portauerant.* Qui locus manifeſtè conuincit fuiſſe ſparum rude genus armorum, & facilè obuium; quale paſtores & bubulci ſibi parare poſſunt ex arborum truncis, aut alia materia. Improbabile ergo non eſt aliter accipiendum non eſſe nunc Dauidis baculum. Conſentit coniecturæ ex recentioribus etiam Perionius, qui dicit pro enſe, & gladio baculum hunc à Dauide fuiſſe aſſumptum. Rectè: non enim paſtores aliis gladiis ſuccinguntur, quam agreſtibus ſparis vt indicat Virgilius. [hh]

g lib. 3. c. 14.
h 11. Æneid.
hh lib. 11.

Agreſteſque manus armat ſparus.

Poſſet his obiici quod Golias communem tantùm exiſtimare viſus eſt: quo ſcilicet paſtores canes abigere ſolent, vagumque pecus reducere cùm dixit; *Nunquid canis ſum, quòd venis ad me cum baculo?* Sed hoc potiùs coniecturam firmat: ſignificauit enim hoc verbo Golias, non aliis contra ſe armis inſtructum Dauidem procedere, quam quibus paſtores vti ſolent dum pugnas miſcent. Hæc autem arma ſunt lapides, ſparus, & id genus tela quæ rudia & agreſtia naſcuntur in ſyluis. Quod autem de hoc baculo adiungitur; *Quem ſemper habebat in manibus*; ſine dubio ſignificat, illum non vulgarem baculum, aut promiſcuum fuiſſe; ſed quem ipſe Dauid pro telo geſtaret.

Limpidiſſimos lapides.] Propriè ex Hebræo *laues*, id eſt non aſperos, ſed perpolitos; quales maximè ſunt habiles ad vſum fundæ: ſi enim ſcabri, & inæquales eſſent, aut aliqua ſui parte prominentes; facilè fieret vt à lino fundæ, cui circumplicati adhærent, retinerentur in iactu. Quod ad numerum verò eorum attinet; Scriptura clarè loquitur fuiſſe quinque. In quo numero conſentiunt omnes editiones; Hebræa, LXX. Complutenſes, & Patres etiam omnes; qui in hoc numero Myſterium agnoſcunt. Mirandum ergo eſſet vnde nonnulli *tres* tantùm affirmarint; niſi memoriæ lapſus facillimus eſſet. Elias Cretenſis ad iſta Nazianzeni verba; *Dauid* [i] *ſuperbum illum, & arrogantem Goliam myſticis lapidibus proſtrauit.* Quærit cur iſti lapides à Nazianzeno myſtici appellentur. Reſpondet; Quia *cum tres eſſent, Trinitatem indicabant.* Petrus Bleſenſis [k] dicit *ſacram Scripturam eſſe peram, in qua Dauid tres limpidiſſimos lapides poſuit, quibus Goliat proſtrauit.* Denique Gloſſa [l] dicit *quod quemadmodum Dauid occidit Goliam tribus lapidibus; ſic Chriſtus Diabolum tribus tentationibus.* Horum errorem alij deinde ſequuti ſunt minoris nominis: quorum lapſus nos admonere debet ne nimium fidamus riuulis relicto fonte: & vt in iis, quæ ex ſacra Scriptura afferuntur, non ſimus tantum contenti aliorum conſarcinatas rapſodias euoluere: ſed ipſi per nos ſcripturam adeamus, & conſulamus.

i Orat. 4. in Iulianum.
k Epiſt. 25.
l Matth. 4.

In peram paſtoralem.] Auguſtinus, [m] quem ſequuntur Eucherius, Iſidorus, Beda, Rupertus, & alij; id in quo Dauid lapides repoſuit, *Vas paſtorale* appellat, in quo lac *mulgeri ſoleret*; quod longè diuerſum eſt à *pera*, quam noſter Interpres agnoſcit. Apud Chaldæum fit mentio & *peræ*, & *vaſis paſtorum*. Qui ex Hebræo ad verbum transferunt, alij aliud habent. Caietanus legit, *Vas paſtoris.* LXX. & Complutenſes; *& poſuit eos in peram, quæ erat illi ad collectionem.* Ex quo fortè D. Auguſtinus & alij interpretati ſunt; *Vas ad*

m hom. 31. ex 50.

mulgendum;accipientes illud ad *collectionem* referris ad lac,quod ex ouibus Dauid mulgendo colligeret. Vatablus vtrumque ſimul poſuit & *Vas paſtoris, & peram*, ſequutus Chaldæum. *Poſuit*, inquit *lapides in inſtrumentum paſtorale quod habuit, inque peram.* Ex qua lectione quis ſenſus commodè elici poſſit;non ſatis apparet; niſi dicamus *peram* poni interpretatiue, vt inſtrumentum paſtorale ſit pera. Nam quòd aliqui indicant immiſiſſe in *peram*,& hanc in alium deinde ſacculum coniecisse,quem etiam geſtabat; diuinatio eſt magis ridenda,quam refutanda. Ad quid enim Dauid lapides,quos maximè paratos, & ad manum habere debebat,tot integumẽtis inuolueret? Numquid cum feriendus erat Golia, & lapis expediendus dicturus illi erat vt tantiſper expectaret,dum ſacculum aperiret, peram excuteret, inde lapidem acciperet? Si ergo vtrumque ſimul & *vas,& pera* legantur;non aliter intelligi poteſt; niſi vt ſequens ſit expoſitio præcedentis, & hoc ſit *Vas*, quod *pera*. Quod verò Auguſtinus & alij legunt;non video quomodo ſit accipiendum,aut cum noſtra vulgata conciliandum. Clara enim res eſt eiuſmodi vas,in quo lac mulgeatur,peram propriè non eſſe. Eſt enim pera ex corio,aut ſimili alia materia confecta: lac autem in vaſe ligneo,aut fictili mulgeri ſolet. Quomodo ergo hoc aptum, vt in eo commodè lapides aſſeruarentur, & ad manum faciles & in promptu eſſent? Fuit igitur ſine dubio pera, qua maximè in Paleſtina vtebantur Paſtores, & qui ſimili cum paſtoribus conditione cenſentur, iter agentes,& præſertim pedites.

Erat autem ſacculus ſcorteus, in quo ad Zonam ex latere appenſo geſtabant,quæ vſui in itinere, aut campeſtri illa vita futura erant. Noſtrates,Eſcarium, marſupium, & itali *Carniero* appellant. De qua pera illud accipiendum eſt [a Cap.4. 42.] quod habetur quarto Regum; [a] *Vir autem quidam venit de Baalſaliſa, deferens viro Dei panes primitiarum viginti panes hordeaceos, & frumentum* [o Cap.13.11] *nouum in pera ſua.* Item in libro iudith; [o] Iuſſit ancillæ vt mitteret caput Holophernis in *peram ſuam.* Ex quibus ſatis colligitur quod Chriſtus [p Lucæ 9. 3.] Dominus præcepit Apoſtolis. [p] *Nihil tuleritis in via;neque virgam,neque peram, neque panem,neque pecuniam.* Peræ enim nomine continens pro contento accipiens,intelleait, quæ ſecum deferre ſolent iter agentes ad quotidianum vſum. Vn- [q Hom.13.in Matth.] de D. Chryſoſtomns [q] dicit hoc præceptum eſſe [r Cap. 6. 34.] expoſitionem alterius,quod eſt apud Matthæum. [r] *Nolite eſſe ſolliciti in craſtinum dicentes; Quid manducabimus?* Quia enim pera erat maximè ad cibaria,& alia aſſeruanda;idcirco prohibens ſollicitudinem in craſtinum; peram prohibet. In hanc ergo peram Dauid lapides poſuit. Vt paſtor enim,& qui recens de via venerat,illa adhuc erat accinctus,vtpote cultu ruſtico, & viatorum proprio.

Fundam manu tulit.] De funda quam validus eius eſſet iactus,quanto cum impetu feriret, quam certo ictu; in Dauidis cum gigante congreſſu manifeſtum eſt. Quid autem ea ſit ſi quis explicare tentet; ſuperuacuam operam ſumet: quando nullæ fermè gentes ſint,apud quas fundæ vſus aliquis non agnoſcatur. Hieronymus [n De ar.lib.2. gymn.c.12.] [n] Mercurialis fortè vt ingenium experiretur, rem notiſſimam, & omnium oculis expoſitam conatus eſt his verbis deſcribere;quam fœliciter alij viderint. *Funda*,inquit,*funiculus eſt, qui duobus capitibus manu capitur; altero cum anſula, ne exeat;altero ſine, vt dimitti poſſit;atque in medio latior eſt, vt ibi lapis contineatur. Hunc circumacto validè funiculo,& ab vno capite demiſſo,vehementer proiiciebant funditores, &c.*

℣.41.) Ibat autem Philiſthæus incedens, & appropinquans aduersùm Dauid, & armiger eius ante eum.

℣.42.) Cumque inſpexiſſet Philiſthæus, & vidiſſet Dauid, deſpexit eum. Erat enim adoleſcens, rufus, & pulcher aſpectu.

℣.43.) Et dixit Philiſthæus ad Dauid: Numquid ego canis ſum, quod tu venis ad me cum baculo? Et maledixit Philiſthæus Dauid in diis ſuis.

℣.44. Dixitque ad Dauid: Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cæli, & beſtiis terræ.

Ibat autem Philiſthæus incedens, & appropinquans.] Hinc quartum argumentum colligitur proceritatis Dauid. Philiſthæus enim non deſpexit,neque contempſit Dauidem;nec imparem omnino pugnæ exiſtimauit;niſi poſtquam ad illum propius admotus imberbem adoleſcentem aduertit;& in tenero ætatis flore, imbellem planè indolem præſeferentem. Cur autem tam diu dubius fuit,& hæſit ambiguus;Niſi quia à longè poſitus; cum primum vltra Hebræorum ordines progreſſum ad ſe tendere vidit, iudicauit ex externa ſpecie iuſtum bellatorem? Erat ergo Dauid tunc non puſio,non pumilio, non tantulus, quantus nobis à pleriſque deſcribitur; ſed iuſta ſtatura miles, ac fortaſsè etiam maior communi modo. Alioqui,ſi vidiſſet Philiſthæus puſionem neſcio quem ex caſtris Hebræorum ſe ferentem, quidlibet potius exiſtimaſſet;quam pugnatorem, qui ſecum congrederetur,egreſſum. Caduceatorem fortè,internuncium, pacis interpretem; vel quid ſimile potius putaſſet: proinde tacitus ipſum præſtolatus eſſet,quid afferret,cogniturus. At nunc alia omnia fiunt. Statim enim Dauide etiam à longè viſo,ſe pugnaturus accingit,aſſurgit,expedit,& contra tendit. Quid hoc;niſi quia quem vidit, ex externa ſpecie habilem pugnæ iudicauit? Hoc autem totum clarè Scriptura ſignificat dum deſcribit lentum inceſſum, & acceſſum Goliæ: tandémque ab illo deſpectum Dauidem, cùm propiùs admotus adoleſcentem deprehendit; rubicundulum, & oris venuſtate formoſum. *Ibat*,inquit,*accedens,& appropinquans*; neque deſpexit,niſi poſtquam inſpexiſſet, & vidiſſet Dauidem. Et ſubdit quare contempſerit. *Erat enim adoleſcens,rufus,& pulcher aſpectu.* Quod quia propior factus tantùm deprehendit Philiſthæus;tunc tantùm contempſit.

Inſpexiſſet, & vidiſſet.] Inſpicere, & videre; hîc non ſuperuacuè coniunguntur: ſed ad ſignificandam intentionem in rem obiectam; aut illam contuendo; aut admirando; aut luſtrando. Senſus ergo eſt; Cùm vidiſſet, & intentè Dauidem,& cum cura conſideraſſet;tunc deſpexit.

Numquid ego canis ſum.] Ioſephus vult hæc tantùm per ludibrium; quaſi ridentem, & irridentem dixiſſe Goliam; cui cum Dauid annuiſſet; & non tantùm canem illum ſibi eſſe; ſed &

caue

Digitized by Google

cane viliorem reſpondiſſet; tunc ſeriò in iras exarſiſſe. Scriptura tamen, & res ipſa indicat rabie & furore percitum in hæc illum prorupiſſe. At vnde illi tanta indignatio? Clara res eſt. Vidit propius admotus non alium contra ſe progredi auſum; quam quem ex ruſtico ornatu, opilionem, & bubulcum exiſtimauit: ludibrio ergo ſe habitum à Iudæis, quem non cum principe aliquo, aut ductore ordinum; ſed cum calone, & lixa compoſuiſſent. Hoc illi doluit; hoc malè habuit, & non tantùm leuiter pupugit; ſed penitus ad ima viſcera deſcendit: vnde indignatus infremuit. Omnibus enim ſemper perſuaſum fuit, & nunc, & retro per elapſa ſæcula eo ipſo duos æquari cum in campum deſcendunt, certaturi. Ac proinde nobilitatis conditionem deteriorem fieri, ſi cum inferiore congrediatur.

o lib. 2. de tranq. c. 14.

Propterea monet Seneca [o] viros magnos ne proni ſint ad iram, ne faciles in contentiones; vt verbis abſtineant, quibus alius in ſe prouocent; ne denique cum aliis rixentur. Eo enim ipſo quod duo contendunt, pares fiunt. *Facit*, inquit, *ſe aduerſarium qui contendit, & vt vincat par fit*. Et alter Seneca.

p Theb. extremo.

——— [p] *Exæquat duos.*

Licet impares ſint, gladius.

Hinc factum eſt vt pugnaturi dicantur in æquum deſcendere.

q Stat. lib. 11 Theb.

[q] *Tandem ſcis ſaue fidem, & deſcendis in æquum.*

Vnde eſt & illa Aiacia querela de Vlyſſe ſecum contendere auſo.

r Ouid. lib. 13 Metam.

[r] *Iſte tulit pretium iam nunc certaminis huius,*

Quod cum victus erit, mecum certaſſe feretur.

Et paulò pòſt.

Præmia magna peti fateor; ſed demit honorem

Æmulus Aiaci.

Si ergo Aiax indignè ferebat ſecum conferri Vlyſſem, & ea re indignabatur, & æſtuabat; quanto putamus incendio arſiſſe Goliam, cùm vidit aduersùm ſe productum vilem adoleſcentulum gregibus tantùm paſcendis aſſuetum?

Et maledixit Philiſthæus Dauid in diis ſuis.] Quid eſt, *In diis ſuis?* vel à diis ſuis dira omnia precatus. *Te Iupiter, & quicquid eſt deorum perdat*: vel, *in diis ſuis*, id eſt, ſimul cum diis ſuis: quaſi nimirum tanto fuerit furore percitus, vt ne quidem diis ſuis pepercerit; ſed in eos etiam linguam impiam mouerit; & ore ſacrilego diris & imprecationibus deuouerit. Impius enim qui quos putat deos; licet non ſint, verbis audet procacibus laceſſere, & proſcindere maledictis. Cæterùm deſpectus iſte & maledicentia Goliæ, bonum omnino nobis dant omen vniuerſæ pugnæ. Primò quidem in omni pugna nihil eſt perniciosius, quàm aduerſarium contemnere, cum quo decertandum. Mater eſt negligentiæ fluxa ſecuritas: à quo autem quis ſibi non cauet, nihil eſt quod pati non poſſit. Rectè ille [ſ] dixit; *Nihil tutò in hoſte deſpicitur; quem enim ſpreueris, valentiorem negligentia feceris.* Deſpexit Golias Dauidem; nihil ſibi ab illo timuit; nihil timendo, & omnia contemnendo, factus eſt ipſe, qui prius omnes terrebat, omnibus ludibrium. Deinde nihil eſt, quod magis cauere debeat pugnaturus; quàm vires aduerſario ſuo adiungere; cui ſi poſſet vigorem animi deberet adimere. Stultè ergo facit qui maledictis, qui probris, qui contumeliis aduerſarium ſuum laceſſit; qui verbis procacibus extimulat, incendit, in rabiem agit. Nunquam enim magis formidandus eſt hoſtis; quàm cùm

ſ Q. Curt. lib. 6.

iracundia feruet, cum ſit iracundia fomes audaciæ, & iratis quantumuis imbellibus vires in immenſum creſcant. Quid ergo ſperandum hîc cùm Golias Dauidem non ſolùm ſpernit, & deſpicit; ſed deſpectum maledictis inſequitur: vt à quo ſibi non cauet, eum etiam magis ferocem reddat, & ad omnia pericula impauidum? Denique maledicens Dauidi, non poterit ipſe non eſſe maledictus, & execrandus. Olim enim Deus ſic promiſit; [t] *Qui benedixerit tibi, erit & ipſe benedictus: qui maledixerit tibi, in maledictionem reputabitur.* Cui hoc, an quibus promittitur? Vniuerſo Iſraëli; aut omnibus quicunque ex Adami ſtirpe erant propagandi? Minimè verò. Quot enim ex illa gente, & olim, & nunc maledictis inceſſuntur, & factis peioribus mulctantur; cùm tamen qui eis maledicunt, maledictionem nullam incurrant? Quibus ergo id promittitur? Probis tantùm; qualis Dauid. Huic ergo cum maledicat Philiſthæus, bona ſpes eſt, vt retro acta, quaſi ex ſcopulo, ſagitta, maledictio iſta auctorem ſuum petat, & feriat. Et ita factum cernimus. In fronte enim mox percuſſus diris re vera ſubiacuit; quibus Dauidem loquendo deuouerat. t Num. 24.

Et dabo carnes tuas volatilibus cæli.] Hoc non tantùm inſepultum Dauidem abiiciendum; ſed inſuper fruſtatim dilacerandum ſignificat; vt nec colligi reliquiæ poſſint. Sic Ioſephus, & probabiliter.

℣. 45) Dixit autem Dauid ad Philiſthæum; Tu venis ad me cum gladio, & haſta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Iſraël, quibus exprobraſti hodie.

℣. 46.) Et dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te: & dabo cadauera caſtrorum Philiſthiim hodie volatilibus cæli, & beſtiis terræ: vt ſciat omnis terra, quia eſt Deus in Iſraël.

℣. 47.) Et nouerit vniuerſa Eccleſia hæc, quia non in gladio, nec in haſta ſaluat Dominus: ipſius enim eſt bellum, & tradet eos in manus noſtras.

Hanc Dauidis orationem ſic Ioſephus enarrat, & paucis complectitur? [u] Tum Dauid; *Tu me*, inquit, *inuadis haſta tua confiſus, ac thorace, & gladio: mihi verò pro armatura Deus eſt, qui te ac tuos omnes noſtris manibus eſt deleturus. Auferam enim caput tuum, & reliquum truncum tui ſimilibus canibus laniandum relinquam: Et diſcent omnes quòd Deus curam Hebræorum habet; eiuſque prouidentia vires ſimul nobis, atque arma ſuggerit; ſicut contra, vbi eius fauor deeſt, nullus apparatus prodeſt. Hæc ille.* Porrò circa hanc Dauidis orationem in vniuerſum, quinque ſunt nobis explicanda. Primum in quo dicat ipſe fidere aduerſarios; tum, cui ipſe innitatur; deinde, quid minando denunciet Philiſthæis; tum quæ ipſe ſuo Deo fretus ſibi, ac ſuis promittat in hoc congreſſu; denique, propter quid hæc omnia ſiue mala inimicis eroganda ſint, ſiue bona ſuis conferenda. u lib. 6. c. 10.

Quod ad primum. *Tu*, inquit, *venis ad me cum gladio, & haſta, & clypeo.* Hæc erant quæ animos

Philiſthæo dabant; his ille fidebat; his attolle-
batur; & inde alia omnia diuina, humanáque
præſidia contemnebat. Meritò ergo arrogantiſ-
x Or. 4. in Iulian. ſimus Golias à Nazianzeno,[x] Athanaſio,[y] Chry-
y Or. de ſemen. ſoſtomo,[z] & aliis ſanctis Patribus appellatur.
Meritò impius ab iiſdem dicitur, qui quos deos
z Hom. in 3. c. Iſa. falsò putabat, non in iis, ſed in propriis tantùm
viribus fidebat. Tales plerumque illi ſunt, qui
caſtris aſſueti ſunt: talis Mezentius ille Deum,
hominúmque contemptor; cui nullus alius deus,
niſi dextera, & telum. Prorſus vt hoc loco Go-
lias non alio numine fidens tendebat in hoſtem;
quàm gladio, enſe, & clypeo: vnde illum ſic lo-
a lib. 10. quentem inducit Virgilius.[a]

Dextra mihi Deus, & telum quod miſſile libro
Nunc adſint.

Nec abſimilis arrogantia Capanei apud Statium
b lib. 2. Theb. [b] ſic loquentis;

——— Virtus mihi numen, & enſis,
c lib. 10. *Quem teneo.* Et[c]
——— Ades ô mihi dextera tantùm
Tu præſes belli, & ineuitabile numen,
Te voco; te ſolum superùm contemptor adoro.
Sic ait, & voti ſeſe facit ipſe potentem

Huius generis diuum contemptor Aiax ille Te-
lamonius, qui patri hæc apud Sophoclem bene
monenti cum ad Troiam proficiſceretur,

———————— Fili, bellica
Virtute fac vincas; Deo ſed auſpice.

Sic ſtolidè nimis arrogantérque reſpondit.

——— Adiuuante, mi pater, Deo
Victoria potitur ignauiſſimus.
At deſtitutus etiam ope deorum ſcio,
Bellique me confido adepturum decus.

d lib. 5. Sic etiam Conſul. ille apud Silium[d]

——— Diuus, ſed magnus in hoſtem
Augur adeſt enſis,

Inter hos ergo recenſendus Golias, qui non in-
uocabat aliud numen, quam quæ gerebat arma.
Cæterùm obſeruandum eſt ſæpiſſimè in ſacris
litteris, inimicis populi Dei hoc tribui; vt in hu-
manis tantùm præſidiis fidant, nullo reſpectu ha-
bito cæleſtium. Hoc de ſingulis, hoc de vniuerſis
aſſeritur. Et ſinguli dicuntur *in fortitudine ſua, &*
viribus gloriari. In viribus, inquam, quas innatas
habeant; vel quas extrinſecùs aſciuerint armis, &
vſu paratas. Vniuerſi verò in multitudine mili-
tum, equorum & curruum. Et mirum eſt cur
nunquam, aut rarò tribuat ethnicis, & gentilibus
Scriptura fiduciam in falſis diis; cum tamen cer-
tum ſit illorum quoque fidem implorare ſolitos,
& illis niti. Sed cùm nulli illi eſſent, qui in illis
ſimul & humanis præſidiis fidebant, in his tan-
tùm fidebant. Hoc porrò diſcrimen inter pios,
e Pſal. 19. 8. & impios clarè notatur in Pſalmo.[e] *Hi in cur-*
ribus & hi in equis: nos autem in nomine Dei noſtri
inuocabimus. Hoc inter illos intereſt; his notis,
his vexillis diſcernuntur piorum & impiorum
acies; illi enim *in curribus, & equis;* iſti *in nomine*
f Cap. 4. 13. *Domini gloriantur.* Item in libro Iudith;[f] *Me-*
mores eſtote Moyſi ſerui Domini, qui Amalech con-
fidentem in virtute ſua, & in potentia ſua, & in
exercitu ſuo, & in clypeis ſuis, & in curribus ſuis, &
in equitibus ſuis; non ferro pugnando, ſed precibus
g Cap. 9. 6. *ſanctis orando deiecit.* Et infrà[g] de Ægyptiis Iu-
dæos perſequentibus dicitur. *Poſt ſeruos tuos ar-*
mati currebant, confidentes in quadrigis, & in equi-
tatu ſuo, & in multitudine bellatorum.

Ex his autem ſecundum explicatur, quod pro-
poſueram: in quo, contra, Dauid fiduciam om-
nem animi, certa cum ſpe auxilij collocarit. *Ego,*
inquit, *in nomine Domini exercituum, Dei agmi-*
num Iſrael. Tu in armis tuis, & viribus; ego in
Deo vero. Porro autem quid ſit *in nomine Domi-*
ni venire, aut fiduciam habere; & an idem ſit ac ſim-
pliciter Deo ipſi fidere; & vnde orta loquutio;
propriam diſputationem exigit, demus. Interim
ſatis eſt ſi intelligamus eos in nomine Domini
ſpem collocare ſuam, qui ſolo ipſius inclamato
nomine, putant poſſe inimicorum acies profli-
gari, & diſiici; & idem etiam ſunt experti, quo
ſignificatur celeritas, opportunitas, facilitas hu-
ius præſidij. Quid enim facilius, quam Dei no-
men inclamare; quid magis promptum, quid op-
portunius? Itaque alij triplici armatura pectus
& membra muniant, ſimul & grauent: ſatis eſt
ſeruis Dei ſi hoc in pectore geſtent nomen; quo
ſolo prolato hoſtes diſperdantur. In horum nu-
mero fuit ſemper Dauid; quin potius eorum
Dux & anteſignanus, qui hoc genere auxilij fiſi h Pſalm. 17.
ſunt. *Inuocabo,*[h] inquit, *Dominum, & ab inimicis*
meis ſaluus ero. Nimium enim illi eſt, ſi aſpectu
ſolo, & voce Deus hoſtes ſuos terreat; vult etiam
ad ſolum illius nomen prolatum turbari, & fun-
di.[i] *In nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nos;* i Pſal. 43.
id eſt vt notat Chryſoſtomus, *tantùm quod per*
labia quis ſua memor ſit nominis Dei. Memor, in-
quam, cum religione, & pietate. Ergo dicet ali-
quis nihil in funda, nihil in baculo, nihil in la-
pidibus fiduciæ collocauerat Dauid, qui in ſolo
Dei nomine veniſſe ſe dicit? Hoc volunt, qui
contendunt omnia in hac pugna à Dauide, &
Saule humana præſidia fuiſſe neglecta. Verum
dicendum eſt nec lapidibus nec funda confiſum
tanquam diſtinctis ab ope, quam in Deo collo-
cauerat; iis tamen confiſum quando fidebat Deo:
quia per illa putauit certo ſe poſſe vincere, iu-
uante Deo. Neque enim Deus vult ita nos diui-
na præſidia ſpectare, vt humana omnia abiicia-
mus; ſed iſta ita parare, vt quicquid ſpei in illis
reponimus, in Deum referatur.

Tertio loco explicandæ ſunt Dauidis minæ.
Percutiam te, inquit, *& auferam caput tuum à te, &*
dabo cadauera caſtrorum Philiſthiim hodie volati-
libus cæli. Qua in oratione primum quod occur-
rit eſt arrogantiæ ſpecies, & inſolentia verborum
indigna Dauide. Contumeliis enim & probris
ab aduerſario laceſſitus hæc nunc reponens, vi-
detur ſtomacho indulgere ſuo, & bilem quam
conceperat in eum euomere, qui prouocauerat.
An honeſta res eſt certare maledictis, velitari
probris; & prius lingua confligere, quam manus
conſerere? Non puto. Ob id enim maximè ab
externis etiam ſcriptoribus laudatus eſt Torqua-
tus ille; quod cùm Gallus prouocator procaci-
bus verbis exerta lingua, minacibus geſtibus om-
nes, & omnia rideret; ipſe tamen Torquatus con-
tra tacitus tenderet, ferocia omni conſultò in
pugnam dilata. Verba ſunt Liuij. *Armatum,* k lib. 7.
adornatumque Torquatum aduerſùs Gallum produ-
cunt ſtolidè lætum, & linguam etiam ab irriſu exe-
rentem: duo in medio armati deſtituuntur nequa-
quam viſu & ſpecie æſtimantibus pares: corpus Gal-
lo magnitudine eximium, verſicolori veſte, pictiſque
& auro cælatis refulgens armis: media in altero
ſtatura, modicaque in armis habilibus magis quam
decoris ſpecies: non cantus, non exultatio, armorum-
que agitatio vana; ſed pectus animoſum, iraque tacita
plenum, omnem ferociam in diſcrimen ipſum certami-
nis diſtulerat. Cur non ergo ſimiliter Dauid ver-

bis

bis omnibus abſtinuit ſuperbis, probroſis, minacibus? Cur non ferociam omnem tempus in
l lib. 17. ipſum certaminis diſtulit? Tacitus [l] probro datum memorat duobus Imperatoribus Othoni, & Vitellio; quod prius verbis conflixerint, quam armis, & enſibus: & quidem.

Nec doctis dictis certames, ſed maledictis.

Quid ergo nunc Dauid imitatus Goliæ intemperantiam, ab eodem ſe æſtu abripi ſiuit? Sed dicendum omnem ab hac Dauidis oratione ſpeciem procacitatis abeſſe. Primò quidem, quia non contumelioſè appellat, non iacit vlla ſcurrilia dicta, nec vllum commoti animi ſignum prodit: ſed tantum pacatè, & ſedatè quid illi ſit timendum denunciat; ſibi verò, ac ſuis quid ſit ſperandum. Deinde nulla ibi eſt arrogantiæ ſpecies, vbi quicquid audemus, Deo freti audemus. *Dabit*, inquit, *te Deus in manus meas.* Non ego te vincam; ſed ipſe te deiicier, contra quem ſuperbus inſurgis. Denique cum noſtra cauſa agitur, & nos tantum probris afficimur; ſumma tunc laus eſt, ſi muti ſimus; qualem ſe Dauid præſtitit aduerſus Semei; quo conſiſtente aduersùs ſe, &
m Pſal. 38. 3. contumelias euomente, *obmutuit* [m] *humiliatus, & ſiluit à bonis.* At cum Dei cauſa vertitur, tunc diſſimulandum non eſt, ſed verbis & factis acerbioribus contra Dei hoſtes eſt inſurgendum. Vſurpo hic quod in re non diſſimili paucis immutatis,
n Ep. 61. D. Hieronymus ad Pamachium ſcribens, [n] *Nolo in contumeliam creatoris quemquam eſſe patientem; ne apud eos, qui rerum momenta iuſta lance non ponderant, diſſimulatio conſcientiæ iudicetur.*

Alterum; quod in his verbis Dauid occurrit, illud eſt quod Goliæ denunciat. *Amputabo*, inquit, *caput tuum.* Vnde iſta Dauid fiducia; & quomodo id ſibi promittebat, qui nec gladium quidem ſecum attulerat, quo id tentare poſſet? Dubitant ergo nonnulli; an prophetico hæc ſpiritu dixerit; an ex pia tantum fiducia. Nam quod non ſola fuerit glorioſa iactatio, indicauit euentus. Lyranus vult Dauidem hoc diuinitus præſagiſſe, ac vt certum vatem quod futurum certo nouerat pronunciaſſe. Non videtur Abulenſi id vſquequaque neceſſarium; ac proinde non temerè aſſerendum. Si enim hæc ex pia animi fiducia, qua diuini ope præſidij nitebatur, dicta intelligantur omnia; nihilominus ſibi conſtabunt; Cur ergo ad miraculum recurratur occultæ reuelationis?

Quarto loco videndum erat quæ ſibi, ac ſuis ſpondeat Dauid in hac oratione; hæc autem coniuncta ſunt iis, quæ denunciando hoſtibus euentura minatur, vt vix ſeiungi poſſint: ſeiungantur tamen. Sunt igitur iſta. *Dabo*, inquit, *cadauera caſtrorum Philiſthiim volatilibus cæli.* Per quæ certam & abſolutam victoriam præſumit animo, & pollicetur ſuis. Dubitatio autem ſimilis in iis occurrit, ac in præcedentibus; vaticinetur ne in his Dauid, an tantum quid ſperet enunciet. Deinde, digna ne vox Dauidis manſuetudine ſit. Dabo cadauera Philiſthiim volatilibus cæli. Videtur enim potius eadem verba cum ſtomacho regerere, quæ Golias contumelioſè protulerat; quam quod modeſtè ex fiducia numinis conceperat, enunciare. Dixerat ille; *Dabo carnes tuas volatilibus cæli.* Eadem nunc Dauid, & multo maiora reponit; Non tuas, inquiens, ſolius; ſed tuorum omnium carnes volucribus dabo. Dicendum ad vtramque quæſtionem: ad primam quidem non videri vaticinium; ſed fidentis animi certum votum. Ad ſecundum autem modeſtiſſimè orationem ſuam temperare Dauidem, quando quicquid, ſibi ſpondet à Deo ſuo, & non aliunde promittat. *Ille*, inquit, *dabit te mihi, & omnes tuos in manus meas.*

Quinto loco, quorſum, & ad quem finem hanc cladem ſit Philiſthæis Deus illaturus, & Iſraelitico pupulo victoriam conceſſurus, iis verbis aperit Dauid, *Vt ſciat omnis terra quia eſt Deus in Iſraël.* Per quæ duplicem finem nobis proponit alterum ſubiectum alteri. Proximus eſt, vt de Golia iuſtum ſupplicium ſumatur: altior & ſublimior, vt nomen veri Dei laudibus ab omnibus celebretur. Ille prior iis verbis explicatur; *Venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Iſrael, quibus exprobraſti hodie.* Opprobria enim quibus Golias Iſraëliticas acies affecerat, in ipſum etiam reciderant Iſraelis Deum. Inde de illo pœna repoſcenda. Altior ille finis, præſtantior, in quem etiam hæc Goliæ pœna dirigitur, celebratio eſt diuini nominis. *Vt ſciat*, inquit, *vniuerſa Eccleſia hæc, quia eſt Deus in Iſraël.* Ergo non ſolum eſt contentus Dauid hæc omnia in diuinam benignitatem referre, quæ ſibi, ac ſuis proſperè ceſſura ſunt; ſed inſuper vult nullis ea ſuis, aut ſuorum benemeritis deberi. Magnus vbique, vt ait Auguſtinus, diuinæ gratiæ prædicator: ſed iam ſi quid in verbis ipſis obſeruandum ſit, aduertamus.

Cum gladio, & haſta, & clypeo.] Per hæc dubium non eſt, quin voluerit Dauid complecti vniuerſam Goliæ armaturam, & ea omnia quibus ille fidebat. Quod autem dicitur de *clypeo*, dubitationem habere poteſt; num propriè ſit accipiendus. Ratio ambigendi; quia Ioſephus pro *clypeo, thoracem*, ſeu *loricam* habet. Et Caietanus ex Hebræo vertit *ſpiculum*, & intelligit telum illud, ſiue claua fuerit, ſiue quid aliud, quod ſupra dictum eſt texiſſe humeros Goliæ. Præterea mirum videri poſſit, ſi Golias vndique armatus, & adeo viribus ſuis fidens, inſuper etiam clypeum obtenderit contra Dauidem, inermem, adoleſcentulum; & à ſe deſpectum; vt verè ille dicere potuerit; *Tu venis ad me cum clypeo?* Probabiliter ergo exiſtimari poteſt clypeum ſumptum hoc loco non propriè; ſed in laxa ſua ſignificatione. Clypeus enim à tegendo, & defendendo dicitur: vnde lorica ipſa, ac thorax merito hoc nomine potuit à noſtro interprete appellari, quo maximè corpus tegitur, & contra omnem iniuriam defenditur. Nec dubium eſt ſæpiùs in Scriptura poni clypei, & ſcuti nomen pro vniuerſa armatura, & quicquid ad tegendum, & protegendum
alteri, induitur; vt, [o] *Scuto circumdabit te veritas* o Pſal. 90.
eius: non enim ſcutum propriè dictum circundat, ſed lorica, & thorax. Cæterùm ſi propriè clypeus ſumatur, & ſtrictè, diſtinguitur etiam à ſcuto propriè ſumpto, licèt nonnunquam ſine vlla cura diſcriminis confundatur. Si enim nihil
differrent; non dixiſſet Liuius, [p] *ſcuta pro clypeis* p lib. 8.
fecere. Erat autem clypeus rotundus, & forma in orbem relata: ſcutum vero in longum exibat. Et hac nota quicunque ſignatè, vt propriè loquuti, alterum ab altero ſeiungunt. Virgilius orbem clypeo tribuit.

Clypeique ſub orbe teguntur.

Idem. Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis inſtar: at ſcuta oblonga fuiſſe notius eſt, quàm vt exemplis confirmari debeat.

Ego venio ad te in nomine.] *Venire*, aut *aliquid*

facere in aliquo, hebraiſmus eſt ſignificans illius ope, & præſidio fretum aliquid moliri & agere; Petrus ad Chriſtum q *Præceptor*, inquit, *per totam noctem laborantes nihil cæpimus: in verbo autem tuo laxabo rete*: tuo iuſſu fidens iactum iterum experiar, cum bona ſpe fore, vt voto ſuccedat euentus.

q Luc. 5.

Quibus exprobraſti.] Quibus contumelioſè inſultaſti. Theodoretus legit; *Quem exprobraſti*: & intelligit Deum: ſed in idem redit. Probra enim exercitus Iſraelitici in Deum recidebant. Quomodo hoc? Quia inculcabat Golias vſitatum illud vſurpari ſolitum ab hoſtibus populi Dei, cum ille graui aliquo infortunio premebatur. r *Vbi eſt Deus eorum?* Per quam orationem nil aliud volebant gentiles; niſi traducere Iudæos. & verum illorum Deum irridere, quaſi fictitium & nullum; quando qui illi tantopere fidebant, nihil tamen opis ab eo in extremo rerum ſuarum diſcrimine referebant. Hæc porrò cum dicit Dauid, cauſam demonſtrat quam propoſitam habet in hac pugna. Non enim vt laudem, & militare aliquid decus conſequatur; non vt propoſita præmia referat; non vt fortiter faciens, fortis ab omnibus habeatur; non denique vt ſe vel ſuos vlciſcatur; ſed tantum ne Dei nomen ab impuris incircunciſis polluatur, in certamen deſcendit, vt bene obſeruauit Theodoretus.

r Pſal. 41.4. & 78. 10. & 113 10. Iudith 7.21. Ioel 2.17.

Et tradet.] LXX. Theodoretus, Complutenſes, propriè *intercludet*, vel concludet, de qua phraſi libro ſecundo.

s Cap. 17.

In manu mea] Nonnunquam noſter interpres ablatiuis pro accuſatiuis vtitur, vt hoc loco. Dicendum enim erat, *In manum meam*, & in Pſalmo, t *In nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis*. Pro quo Auguſtinus, Ambroſius, Caſſiodorus, Pſalterium Romanum latinius legunt, *Inſurgentes in nos*. Sic apud Oſeam t dicitur, *furor iratus in eis*: & alibi ſæpiùs *iraſci in aliquo*, pro in aliquem.

t Pſal. 43.
t Cap. 85.

Percutiam.] Percutere pro occidere frequentiſſimè dicunt Hebræi; ſicut etiam Latini u *percuſſorem* dicunt interfectorem: licet autem Latinis percuſſor pro interfectore appelletur; non tamen idem illis eſt percutere, quod occidere.

u C. de ſicar. l. ſi quis percuſſor. & ff. l. ſi percuſſor.

Omnis terra.] *Prophetat*, inquit Theodoretus, *in ipſo articulo pugnæ conſtitutus, prædicitque Deum verum in vniuerſa terra cognoſcendum.* Interpretatio magis allegorica, quam litteralis: ſermo enim propriè de vniuerſa terra Iudæorum & alienigenarum, & vtriuſque regionis incolis, Regula eſt Hieronymi x ad illud Iſaiæ; *Dominus præcepit, vt diſperdat omnem terram. Idioma, inquit, ſacræ Scripturæ, vt omnem terram illius ſignificet prouincia de qua ſermo eſt. Quod quidam non intelligentes, ad omnem terrarum ſubuerſionem trahunt.*

x Cap. 14.

Quia Deus eſt in Iſraël] Ne ſcilicet amplius dicant hoſtes; *Vbi eſt Deus eorum?* malo ſuo experti nobis adeſſe Deum.

Eccleſia hæc.] Caietanus, Vatablus, Pagninus, & alij ex Hebræo vertunt, *Congregatio*: fortè veriti ne Eccleſiæ nomen pollueretur, ſi in tam laxa ſignificatione vſurparent. At nihil timere debebant. Eccleſiæ enim vox in ſcripturis ex eo genere eſt, quas Latini medias dixere, & ancipitis ſignificationis, cum aliquando in bonam, aliquando in malam partem ponantur: & perſæpè etiam ita vſurpentur, vt vtrinque abſiſtant, & communem tantum ſignificationem capiant, vt hoc loco. *Eccleſia* enim hic neque populum gentilium, neque Hebræorum cœtum; ſed omnem illam multitudinem ſignificat, quam duorum pugna ad ſui ſpectaculum euocauerat. Notum eſt diſcrimen ab Auguſtino y obſeruatum inter nomen *Eccleſia* & *ſynagoga*: illud ab euocando, hoc à congregando dictum: Propterea quia euocari tantùm propriè eſt hominum, & ratione vtentium; congregari etiam pecudum, & eorum qui more pecudum aliquò coguntur; factum eſſe vt *Eccleſia* propriè Chriſtianorum cœtus appelletur; *ſynagoga* verò Hebræorum. Quod tamen diſcrimen non eſſe perpetuum in ſcripturis; tum ex hoc loco, tum ex aliis pluribus conſtare poteſt. Vnde monet Cyrillus z nos in ſymbolo habere, *In ſanctam Eccleſiam catholicam.* Quod aliæ quoque ſint Eccleſiæ a malignantium, & Ambroſius b obſeruat propterea toties ab Apoſtolo appellari *Eccleſias* Chriſti, quia aliæ ſint non Chriſti, ſed ſatanæ. Quod attinet ad etymologiam vtriuſque vocis allatam; veriſſima illa eſt & ab ea *Eccleſia* Latinè euocatio, aut conuocatio dicitur, & proprio vocabulo, *Concio*. Synagoga verò propriè *Congregatio*. Fere ſemper autem in ſcripturis Chriſtiani, *vocati*, aut *euocati* dicuntur, præſertim in nouo teſtamento, in quo toties D. Paulus Chriſtianos appellat non aliter: quàm vocatos, Græcè κλητοὺς clitus; quam eandem vocis originem hoc loco retinet nomen *Eccleſia*. Appellauit enim Dauid *Eccleſiam*, vt dixi, omnes qui ſpectandi ſtudio ab vtriuſque caſtris aduenerant, & quos tam ancipitis certaminis fama concierat. Euocati igitur omnes erant; & tota multitudo euocatorum; ac propterea, conuocatio, concio. & Eccleſia rectè potuit appellari, ſi vim tantùm vocabuli ſpectemus. Nam alioquin vſus obtinuit, vt non iam profanum, ſed ſacrum nomen ſit, & in bonam tantùm partem accipiatur.

y in Pſal. 81. & in Epiſt. 1 ad Rom.
z Catech.
a Pſal. 25 & 51.
b Cap. vlt. ad Rom.

Nec in gladio, nec in haſta.] Gladius, & haſta; ſiue *gladius & arcus*, prouerbiali formula in Scriptura pro omni bellicoſo inſtrumento, atque etiam pro ipſa arte, & militari diſciplina vſurpantur. Itaque ſenſus eſt hoc loco, non indigere Deum, vt hoſtes ſuos conficiat, militibus vllis, & armis; ſed ipſum per ſe nutu ſolo poſſe omnes profligare & perdere. Similis loquutio habetur in Ioſue; c *Eiecit*, inquit, *Deus è locis ſuis duos Reges Amorrhæorum non in gladio, nec in arcu tuo.* Et quarto Regum; d *Neque enim cepiſti eos gladio & arcu tuo, vt percutias*: ſic in Iudith; e *Vbicunque ſine arcu & ſagitta, & abſque ſcuto & gladio Deus eorum pugnauit pro eis, & vicit.* Et Dauid f *Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram.* Quorum omnium idem ſenſus eſt, qui & hoc loco; non viribus illos ſuis, neque militari diſciplina; ſed Dei ope, & auxilio hoſtes profligaſſe.

c Cap. 24.12
d Cap. 6.22.
e Cap. 5.16.
f Pſal. 43.

Domini enim eſt bellum.] Duplicem hæc ſenſum habere poſſunt: vel bellum quod geritur, contra Dominum geritur, & ipſius non noſtra cauſa agitur: vel bellorum omnium exitus in illius eſt poteſtate. In Hebræo propriè eſt, *Domino eſt bellum*: nomen enim *Iehoua*, pro quo noſter vertit, *Domini*; eſt in dandi caſu. Vterque autem ſenſus probabilis eſt, & rectè huic loco congruere poteſt. Nam & *bellum Domini* dicitur, quod contra illius populum geritur. *Pars* g *enim Domini populus eius, & Iſraël hæreditas eius.* Quæ autem contra hæreditatem fiunt, contra ipſum hæredem & poſſeſſorem fiunt. Et præterea etiam *bellum Domini* dicitur; quia ipſe eſt, qui bella

g Pſal. 77.71

certum

certum ad exitom perducit. In primo ſeuſu bel-
g Exo.17.16 lum Domiui appellatut à Moſe. [g] *Quia manus ſolius Domini, & bellum Domini erit contra Amalech à generatione in generationem.* Et primo Regum, [h] *Præliare bella Domini.* Et primo Paralipomeuon, [i] *Vulneratique multi ceciderunt: fuit euim bellum Domini.* id eſt cootra Domioum gerebatur; ac proinde ab ipſo contra aduetſarios pugnabatur. In ſecondo ſenſo *bellum Domini* dicitur, & viciſſim *Dominus bellorum*; *Dominus ſabaoth, & exercituum*; *& Dominus conterens bella*: quod eſt dicere, io omni bello quicunque vincat, ipſe eſt qui vincit, & qui bellum couficit. Iudith; [k] *Dominus conterens bella, Dominus nomen eſt illi*: propterea à quibus Domious ſtat, eos etiam victoria ſpectat: quos autem ipſe deſerit, profligantur. Hieronymus in Michea [l] agens de Iudæis cootumacibus. *Recedente autem pace, & auxilio Dei, qui reſtiterunt Domino, de quo dicitur, Dominus conterens bella, Dominus nomen ei, aduerſariis ſuis reſiſtere non potuerunt; ſed in omni certamine victi ſunt; nec fuit qui contereret aduersùs eos bella naſcentia.* Iuxta ergo ſecundam hanc expoſitionem, eum Dauid dicit perturbandos, ac profligandos hoſtes, & rationem ſubdit, *quia Domini eſt bellum*; ſignificat oon mirum, ſi hoc futurum ſit, quaodo Deus in cuius poteſtate ſunt bellorom exitus, à Iudæis ſit.

h Cap. 18.
i Cap. 5.22.
k Cap. 16.3.
l Cap. 2.

ỷ. 48.) Cùm ergo ſurrexiſſet Philiſthæus, & veniret, & appropinquaret contra Dauid, feſtinauit Dauid, & eucurrit ad pugnam ex aduerſo Philiſthæi.

49.) Et miſit manum ſuam in peram, tulitque vnum lapidem, & funda iecit, & circunducens percuſſit Philiſthæum in fronte, & infixus eſt lapis in fronte eius; & cecidit in faciem ſuam ſuper terram.

ỷ. 50.) Præualuitque Dauid aduerſum Philiſthæum ir ſunda & lapide: percuſſumque Pl ſthæum interfecir.

ỷ. 51. Cumque gladium non haberet in manu Dauid, eucurrit, & ſtetit ſuper Philiſthæum, & tulit gladium eius, & duxit eum de vagina ſua, & interfecit eum, præciditque caput eius.

Cùm ergo ſurrexiſſet Philiſthæus.] In verbo ſurgendi hebraiſmus eſt alias explicatus: oeque euim iacebat Golias, aut ſedebat, vt illi ſurgere opus eſſet. Sed *ſurrexit* ponitur hîc ad initium actionis ſignificandum. Rem autem totam ſic Ioſephus enarrat. *Interim Philiſthæus armis grauior, quàm vt procurrere poſſet magnis paſſibus in iuuenem, atque inermem contemptim ferebatur. Huic adoleſcens occurrit occultum adiutorem Deum ſecum in certamen ducens.*

Feſtinauit, & eucurrit Dauid.] *Ratio curſus*, Inquit Caietanus, fuit, vt maior vis adderetur
a lib. 3. c. 16. in iactu. Rectè hoc monuit: nam Vegetius, [n] *Vehementius*, inquit, *cum ſaltu, curſúque tela mittuntur.* Propterea inter alia militiæ exercitamenta
o lib. 2. c. 23 ta hoc erat. Idem Veget. [o] *Saltus quoque & ictus facere pariter aſſueſcant; nunc geſtiendo prouolare cum ſaltu, nunc cedentes in terga reſilire.*

Funda iecit.] Prius hoc dicitur, deiode ſubditur, *& circunducens*: non quod prius *funda iecerit*; & deinde *circunduxerit*; aut quod illud ſit per anticipationem dictũ, & iouerſo ordine; ſed quia primo factum ipſum in voiuerſum proponitur; deinde ex adiunctis, & per partes explicatur. Quod iterum paolo poſt licet aduertere, cum dicitur. *Percuſſumque Philiſthæum interfecit*: & deinde ſubiungitur, *Interfecit eum, & amputauit caput eius*: neqoe enim prius percutiendo ioterfecit, deiode iterum caput amputando; ſed ioterfecit amputando: vt etiam hic funda iecit circunducendo.

Et circunducens.] Quomodo & quoties funda circa caput duceretur docet Vegetius. [p] *Sem-* p lib. 3. c. 23.
per aſſueſcendum eſt, vt ſemel tantùm funda circa caput rotetur cum ex ea emittitur ſaxum. Aliter tamen apud Virgilium ſeruatum videmus.

[q] *Stridentem fundàm poſitis Mezentius armis* q lib. 9.
Ipſe ter adducta circum caput egit habena
Et media aduerſi liquefacto tempora plumbo
Diffidit.

Quid autem Dauid ſeruauerit; ao ſemel, an ter circunduxerit; vt curioſum eſt quærere, ita oimis ſecuræ leuitatis eſt definire.

Infixus eſt lapſis in fronte eius.] LXX. addunt, *Et infixus eſt lapis per caſſidem in fronte eius.* Quo ſignificatur caſſis ipſa perfracta ictui ceſſiſſe. Quod autem dicitur. *Infixus eſt*; clarè indicat ita validè iactum libratum, vt lapis contortus vaſto capiti immergeretur. Dubitaot autem nonnulli apud Abulenſem quot lapides iecerit Dauid, & quoto iactũ collimaoerit: ſunt enim qui tres iecisse volunt, & ex iis alij tertio tantùm collimaſſe. Alij tribus ſingulis, fabellam inſuper addentes, ſi oon à Rabinis fictam, dignam certè genio Rabinico. Primo enim icto lapidem infixum in froute; ſecundo eundem lapidem altero ictu prorſus etiam magis ad interiora propulſum; tertium deniqoe ſecuodo ſuperueoientem cum duobus prioribus ipſum peoitus cerebrum penetraſſe. Ita iſti vel rideot, vel ridenda proponuot io re ſeria; magis tamen ipſi ridendi, niſi qui eos audieodos putant eſſent potius miſerandi. Conſtans ergo ſententia eſt primo iactu percuſſum
Philiſthæum, & proſtratum. Ita Athanaſius, [r] Io- r Orat. de
ſephus, Chryſoſtomus, Eucherius, alij citati, quos ſemen.
recentiores ſequuutur Lyranus, Abulenſis, Dionyſius. Et ſatis ex modo ioquendi Scripturæ colligitur. *Sumpſit*, inquit, *lapidem, iecit, & percuſſit.*
At Gloſſa [ſ] dicit Chriſtum viciſſe diabolum tri- ſ Matth. 4.
bus tentationibus ſicut Dauid Goliato vicerat tribus lapidibus. Sed tanti oobis ea Gloſſa non debet eſſe, vt tot Patribus coonſentientibus ſolliciti eſſe debeamos qoid illa dicat; præſertim cum tam perſpicuè textus ipſe loqoatur.

Cecidit ſuper faciem ſuam ſuper terram.] Rabini apud Abuleoſem hoc etiam loco vigilaotes ſomniaot more ſuo: dicuut enim non reſupinatum Goliam, ſed cernuum corruiſſe, contra quam fieri debebat, & miraculo, & Dei peculiari prouidentia erga Dauidem. Si enim Golias retrorſum cecidiſſet, vt illi caput amputaret; debuiſſet Dauid ad caſtra Philiſthinorum prope oimis accedere: nam ſex cubitis & palmo Golias extendebatur. Vt ergo ab hoc diſcrimioe liberaretur Dauid, factum contra quam vulnerati, & cadentes ſoleant; vt antrorſum corrueret, & caput ipſum ad ipſius Dauidis pedes deponeret. Ita illi in paucis verbis tam multa peccantes. Primò
enim

Digitized by Google

enim timuiſſet Dauid propius ad Philiſthinos accedere, qui Goliam ſolus inuadere non dubitaret? Deinde plus illi diſcriminis impendebat ex aliis, quam ex Golia ad quem tamen non verebatur accedere? Denique proſpicuè vel mentiuntur, vel falluntur, cum dicunt contra naturam eſſe vt vulneratus in eam partem cadat, qua ictus eſt: naturale enim hoc eſt, nec aliter ſolet, niſi caſu aliquo, aut maiore aliqua vi, aut etiam Deo volente. Res eſt notiſſima, & quotidiana experientia comprobata. Lucretius [t] *t lib.4.*

Nam omnes plerumque cadunt in vulnus & illam
Emicat in partem ſanguis, vnde icimur ictu.
Et ſi comminus eſt, hoſtem ruber occupat humor.

Vt Philoſophus rem proponit, & cauſam tangit: cadit enim in vulnus animal: quia qua parte percuſſum eſt, in eam partem ſanguis emicat, & ſpiritus accurrunt. Vnde quod fit in naui, vt eo inclinet, quo quæ geſtat accumulantur: ita in percuſſione animal eo procumbit, quo vergit impetus ſiue ſanguinis, ſiue ſpirituum. Sic etiam ædificio aliquo ruinam minante, tandem in partem illam totum ſubſidit, quæ prima eſt inclinata. Ouidius [u] *u 2. de triſt.*

Cum cœpit quaſſata domus ſubſidere, partes
In proclinatas omne recumbit onus.

Addit Lucretius ſanguine plerumque cadentis qui vulnerauit aſpergi; quaſi ſcilicet quacunque ratione poteſt, vlciſci cupiat animal; & illum petat, à quo læſum ſit.

Præualuitque Dauid in funda & lapide] Primo ergo iactu proſtratus eſt: *nullus enim* vt ille [x] *x Velei. lib. 2. hiſt.* dixit, *celerius opprimitur, quam qui nihil timet.* Propterea D. Athanaſius vt ex improuiſo, & nihil tale opinantem percuſſum ſignificet, dicit *ſubito ictum cecidiſſe.* Clauſula autem hæc, quæ nunc adiungitur, *Præualuitque Dauid in funda & lapide;* ad duo inſinuanda poſita eſt. Alterum ſpectat ad benignitatem Dei in ſeruos ſuos: alterum ad iudicij ſeueritatem in hoſtes ſuorum. Ad benignitatem ſpectat quod dicitur; *Præualuitque Dauid in funda & lapide.* Quaſi enim hic amicè certat Deus cum Dauide. Dixerat ille; *Ego venio ad te in nomine Domini exercituum Dei agminum Iſrael.* Nihil ſibi tribuerat, nihil arrogauerat; non validos toros, non brachiorum firmitatem reſpexerat; nullo alio præſidio fiderat, niſi ſolius Dei. *In Dei nomine,* inquit, *non in funda, non in baculo.* At contra Deus vicem quodammodo rependit, atque ita nunc dicitur; *Præualuit Dauid in funda & lapide.* Hoc eſt illud toties à D. Auguſtino celebratum; *Facit Deus merita noſtra quæ ſunt munera ſua.* In funda & baculo præualuit Dauid: ſed vt præualeret effecit Deus. Dat tamen hoc benigniſſimus pater filio, & fortiſſimus Imperator militi; vt quod ipſe fecit, hic etiam faciat, & inde quoque laudetur & præmio afficiatur. Alterum quod hic pertinet ad iudicij ſeueritatem in hoſtes, ſpectatur, in deiectione Goliæ. Arrogantiſſimus ille, & ſuperbiſſimus, qui nihili præ ſe vno ducebat omnes alios, non ſolùm proſtratus eſt; ſed miſerum & fœdum in modum proſtratus. Non enim cataphractorum militum aduerſus illum turmas effudit: non fulmine de cælo miſſo illius arrogantiam fregit; ſed vt rependeret inſolentiæ pœnam, culicem vnum (talem enim putabat Dauidem Philiſthæus) contra illum produxit, à quo victus eſt. Propterea non hic dicitur; Præualuit *Iſraeliticus populus in turmis equorum, & phalangibus armatorum aduerſus Philiſthæos.* Sed; *præualuit Dauid in funda, & lapide.* Hoc illud eſt quod apud Eccleſ. [y] celebratur *y Cap. 47. 3.* de Dauide. *In tollendo manum ſaxo fundæ deiecit exultationem Goliæ*, non tantum ipſum Goliam; ſed ipſius *exultationem.* Parum enim Deo erat ipſum ſolum deiicere, & proſternere; niſi etiam ipſius arrogantiam frangeret, & inſolentes ſpiritus retunderet. Qua in re duo nobis inſinuantur. Primum eſt nulla re magis ferocientes animos comprimi eorumque vanos impetus, & elationem deiici, quam per vulnera ſubito illata. Alexander Macedo adeo cogitationibus efferebatur, vt iam terris maior paria Deo ſentiret. Cum igitur in India vagaretur, & gentes ne finitimis quidem ſatis notas bello vaſtaret, in obſidione cuiuſdam vrbis ſagitta ictus eſt: repreſſo ſanguine, ſicci vulneris increuit dolor. Tum verò tandem quis, & qualis eſſet agnouit. *Omnes,* [z] inquit, *z Sen ep. 60.* *me Iouis eſſe filium: ſed vulnus hoc hominem me eſſe clamat.* Nimirum accepto vulnere, detumuit inflatus animus, & ſe infra hominem ſenſit, qui falsò antea Deum mentiebatur. Propterea à Dauide [a] *vulneratus* ponitur in ſymbolum viri de- *a Pſal. 88. 11* preſſi, deiecti, & vt Scriptura loquitur, *humiliati. Tu humiliaſti, ſicut vulneratum, ſuperbum.* Vnde cum Dauid Goliam percuſſit, quia illo vulnere ipſius arrogantiam fregit, dictum eſt *Saxo fundæ,* non ipſum Goliam, ſed illius *exultationem* deieciſſe. Alterum quod nobis inſinuatur eſt; Deum non cum hominibus pugnare, ſed cum illorum ſuperbia, & animi elatione. Quaſi ergo res eſſet, non cum Golia ipſo, ſed cum ipſius arrogantia, & tumore ſpiritus, dictum eſt non ipſum deiectum, ſed ipſius exultationem. Deus [b] enim ſu- *b Iacob. 4.* perbis reſiſtit: contra ipſos pugnat propter ipſorum ſuperbiam: ideo illam primum petit, ac deiicit. Ambroſius; [c] *Scriptura dicit, Deus ſuperbis* *c Pſal. 118. 8. 7.* *reſiſtit. Tanquam ſuæ contumeliæ propugnator, velut quoddam ſuſcipit aduerſus ſuperbiam ſpeciale certamen: tanquam dicat, Meus iſte aduerſarius eſt, qui me laceſſit; mihi debetur iſte congreſſus.* Vt ergo hoc loco notaretur cauſa certaminis, ſic explicata eſt parta victoria; *exultationem Goliæ ſaxo fundæ deiecit.* Illam enim Deus petebat, quæ Goliæ manus & mentem armauerat contra Deum.

Et ſtetit ſuper illum.] LXX. verbum habent, quod magnitudinem Goliæ magis exprimit, *Et aſcendit ſuper illum.*

Interfecit eum.] Dubitari poteſt an cum Golias deiectus eſt, tūc etiam ſit extinctus; an poſtea tantum, cum capite truncatus. Lyranus, Dionyſius, Abulenſis, & alij lapidis ictu volunt interemptum. Nam hic dicitur. *Præualuit in funda & lapide aduerſus Philiſthæum, percuſſumque interfecit;* id eſt percutiendo interfecit. Præterea in loco Eccleſiaſtici citato dicitur: *In extollendo manum Dauid exultationem Goliæ deieciſſe in ſaxo & funda.* Alij verò malunt ictu lapidis conſternatum procubuiſſe, adhuc tamen viuentem: interfectum autem cum caput illi eſt amputatum. Ita Ioſephus, & indicant LXX qui tantum poſtquam Dauid aſcendit ſuper Philiſthæum adiungunt, *& illum morti tradidit.* Quod etiam vero mihi magis ſimile videtur: neque enim lapis in fronte infixus, ſi ſubito exanimare, potuit etiam illico exanimem facere. At Scriptura ſaltem vt eſt in noſtra vulgata, indicat ictu lapidis interfectum. Verum eſt, hoc indicat; ſed ſimul etiam illud alterum. Itaque duo dici poſſunt; vel dum dixit, Percuſſumque *Philiſthæum interfecit;* ſenſum non

eſſe

eſſe *percutiendo interfecit*; ſed prius lapide percoſſum, & ex percuſſione proſtratum, deinde interfeciſſe: vel certè tribuit mortem Goliæ ſaxo & fundæ; quod ita percuſſus ſit, vt eſſet ſine alio vulnere moriturus. Niſi velimus (quod eſt probabilius) ictu lapidis occiſum dici; quia per illũ proſtratus Golias obnoxius Dauidi factus eſt: & propterea non ſolùm mortem, ſed integram victoriam in ictum lapidis eſſe relatam.

Tulit gladium eius, & eduxit eum de vagina ſua] Hoc adiungitur, vt intelligamus adeo ſubito & ex improuiſo percuſſum, vt prius cecideret, quam gladium euaginandi tempus habuerit. Vel certè ſignificatur Goliam contemptui ita habuiſſe Dauidem; vt nec contra illum gladium diſtringere dignaretur.

Et interfecit, & præcidit caput eius.] Gladius hic Goliæ ille erat, quo is tantopere fidebat, & exultabat; quo accinctus, non deos vllos, non homines verebatur; quo fretus, omnes prouocabat, omnibus contumelioſè inſultabat, omnia miſcebat. Hic nunc gladius à peccatore antea euaginatus *intrat in cor illius*, vt poſt Dauid ipſe cecinit,

d Pſal 34.

[d] *Gladium euaginauerunt peccatores, vt deiiciant pauperem, & inopem, vt trucident rectos corde. Gladius eorum intret in corda ipſorum.* De Golia enim hæc accipiunt Apollinaris,[e] & Athanaſius.

e In catena.
f lib. 5. de Trinit.

[f] Gladium enim euaginare eſt ad certamen prouocare, eſt aperta vi bellum inferre, eſt pacem primum turbare, eſt primum facem certaminis accendere, eſt denique bellum ferere, eſt ſanguinem ſitire. Hæc omnia in Goliam congruebant: propterea *gladium* rectè dicitur *euaginaſſe*. At hic gladius intrauit in cor ipſius: quia qui primus Philiſthinorum, Dei populum pacis impatiens turbabat, primus occubuit; eodem gladio peremptus, quem aliorum iugulis intentabat. Sic Deus vlciſci ſolet hoſtes ſuos; quod enim patenti & clariſſimo exemplo in Golia patratum eſt, quotidie etiam paſſim fit, ſed magis occultè. Armis ſuis peccatores deiiciuntur, & pereunt: & quæ contra Deum parauerant, & ſeruos Dei, in ipſorum exitium vertuntur. Hoc illud eſt quod toties ſacræ litteræ repetunt. *Comprehendi*

g 1. ad Corint. 3. 19.
h Prou. 5. 22
i Pſal. v.. 7.
k Pſa. 36. 15.

[g] *aſtutos in aſtutia ſua: funibus* [h] *peccatorum ſuorum comprehendi impium: conuerti* [i] *dolum in caput eius: in verticem ipſius iniquitatem deſcendere: incidere in foueam, quam fecit: arcum* [k] *eorum confringi, & retro actam ſagittam ipſos petere, qui petebant: gladium eorum intrare in corda ipſorum.* Goliam denique armatum ſuis ipſius armis cadere, & eodem gladio perimi, quo aliorum ipſe cerulcibus imminebat.

Hæc ſunt iudicia Domini, quæ tantopere in Scriptura celebrantur; & ex quibus dicitur Deus cognoſcendus, ſimul & timendus; vt ſupra etiam

l Ver 46. & 47.

dicebat Dauid;[l] *Dabit te mihi Dominus, & amputabo caput tuum, vt ſciat omnis terra, quia eſt Deus in Iſraël.* Ex hac capitis amputatione facta per gladium ipſius Goliæ prædicit Deum eſſe cognoſcendum: quia hoc eſt iudicium, quod ſolet Deus exercere in peccatores, illos ſuis ar-

m Pſal. 7.

mis perimendo. *Cognoſcetur Dominus iudicia faciens: in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator.* Ad litteram enim ſententia de Goliæ occiſione intelligẽda eſt: eſt enim totus ille Pſalmus de hac Dauidis victoria, cuius titulus eſt, *Pro occultis filij*: vel vt habet Chaldæus Paraphraſtes in editione Nebienſis, *Ad laudandum ſuper morte viri, qui egreſſus eſt de medio caſtrorum.* Flaminius legit, *Victori ſuper morte inſipientis.* Vnde conſtat Pſalmum totum ſecundum litteram referendum ad hanc victoriam Dauidis in morte Goliæ, & per illud ad Chriſtum, qui myſticum Goliam, id eſt diabolum, mortem, peccatum, tres illos capitales humani generis hoſtes ſuis ipſorum armis deiecit. Nam mortem moriendo deuicit; & per peccatum damnauit peccatum. Quod ergo Dauid ante congreſſum prædixerat, *Amputabo caput tuum; & cognoſcetur Deus*: in eodem Pſalmo repetit inuerſo ordine dicens; *Cognoſcetur Dominus iudicia faciens: in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator.* Quæ ſunt hæc opera, & quis hic peccator? Peccator Golias, qui & *inſipiens* dicitur in titulo.[n] *Dixit enim inſipiens,* n Pſal. 13.
Non eſt Deus; nimirum qui adiuuet Hebræos, & tueretur. Quando dixit? Dum iactabat. *Ego exprobraui hodie agminibus Iſraël.* At quæ iſta opera? Gladius ipſius Goliæ, ſic appellatus; quoniam per illum tot egregia, & fortia facinora ediderat, & maiora etiam ſibi promittebat. Hieronymus legit; *In opere manuum ſuarum corruet impius ſonitu ſempiterno.* Per quod alluditur ad ingentem fragorem, quem ex caſu Goliæ arma ad terram alliſa dedere.

℣. 52.) Videntes autem Philiſthiim quod mortuus eſſet fortiſſimus eorum, fugerunt: & conſurgentes viri Iſraël, & Iuda, vociferati ſunt, & perſequuti ſunt Philiſthæos, vſque dum venirent in vallem, & vſque ad portas Accaron: cecideruntque vulnerati de Philiſthiim in via Saraim, & vſque ad Geth, & vſque ad Accaron.

℣. 53.) Et reuertentes filij Iſraël poſtquam perſequuti fuerant Philiſthæos, inuaſerunt caſtra eorum.

℣. 54.) Aſſumens autem Dauid caput Philiſthæi, attulit illud in Ieruſalem: arma verò eius poſuit in tabernaculo ſuo.

Videntes autem Philiſthiim.] Ex trepidatione & fuga Philiſthinorum duo facilè colligere poſſumus. Alterum eſt conditiones illas, quas Golias in prouocatione propoſuerat, non fuiſſe vtrinque receptas: ſe proinde non ita pugnatum ab his duobus, vt ex pacto conuento alterutrius illorum exitus vniuerſi belli euentum debuerit definire. Si enim hoc pacti fuiſſent; nulla cauſa erat cur extincto Golia caſtra Philiſtinorum tantopere turbarentur, & effuſa fuga ſibi conſulerent. Quid enim amplius, aut à quibus ſibi timerent; ſi iam conſtitutum inter illos fuerat, vt vniuerſo bello in compendium miſſo, duorum periculo ſecuritas omnium redimeretur; & ex eius parte victoria ſtaret, qui alterum deuiciſſet? Alterum quod hinc colligere eſt, quantum momenti habebant huiuſmodi priuati congreſſus ad vniuerſam victoriam obtinendam. Liuius

[o] de pugna illa Torquati cum Gallo agens; *Tanti, inquit, ea dimicatio ad vniuerſi belli euentum momenti fuit, vt Gallorum exercitus relictis trepidè caſtris in Tiburtem agrum, mox in Campaniam tranſierit.* Similiter bello ſociali cum ingens Gallus ex auxiliis quæ Lucius Cloentius cum o lib. 7.

Scylla

Scylla decertaturus aſſumpſerat, procurrens inuitaſſet ad ſingulare certamen ex Romanis aliquem, & eum paruæ ſtaturæ Numida confeciſſet, reliqui Galli ſtatim terga verterunt; iamque turbata acie, nec alij Cluentiani perſtiterunt, ſed Nolam profugerunt trepidè, vt narrat Appianus.

p lib. 1. bel. ciu.

p Non diſſimiliter Philiſtæi ex hoc priuato prælio deſperationem vniuerſæ victoriæ concipientes, in fugam prius verſi ſunt, quam vlli aduerſus illos hoſtes inſurgerent. Qua de re agens Dauid,

q Pſal. 9.

q *Increpaſti*, inquit, *gentes, & periit impius.* Increpaſti, eſt terruiſti, perculiſti gentes; quas cæcus metus ſubitam in fugam vertit. *Quia periit impius*, videntibus ipſis peremptus eſt impius Golias, quò illi tantopere fidebant. In hunc ſenſum Chaldæa paraphraſis locum iſtum explicat in editione Nebienſi Auguſtini Iuſtiniani, *Increpaſti populum Philiſthinorum, perdidiſti Goliam impium.* Ad quem ſenſum ſpectare etiam poſſunt alia verba eiuſdem Pſalmi; *In conuertendo inimicum meum retrorſum, ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt.* Quod eſt, dum ipſi ante oculos ſuos cernerent Goliam inimicum meum cadere vulneratum, *infirmati ſunt*, fracti nimirum animo conciderunt.

Fortiſſimus eorum.] Nomen, *fortiſſimus*, non eſt poſitiuè, aut ſuperlatiuè poſitum, quaſi tantum ſignificet inter alios maximè inſignem, aut aliorum omnium robuſtiſſimum; ſed ſubſtantiuè, & poſſeſſiuè. Et ſenſus eſt; Cum ipſi vidiſſent extinctum *ſuum fortiſſimum*, Hebraicè גבורם *ghibboram*, quod Italicè dicitur, *Il ſuo Brauo*, in quo illi ſpes omnes ſuas collocauerant; cui fidebant; quem ſolum pro omnibus bellum confecturum ſperauerant. LXX. habent quod hanc expoſitionem confirmat. *Cum vidiſſent quia mortuus eſt potens illorum.* De hac voce *fortis*, & *fortiſſimus*, Hebraicè *ghibbor*, in hac ſignificatione fusè iterum [m] infra.

m Cap. 22. 2. lib. 2.

Fugerunt.] Hic ſolet illos exitus excipere,

n Ierem. 17.

qui ſperant in homine, & ponunt *carnem* [n] *brachium ſuum.* Quia enim Golia erat *ghibbor*, id eſt fortis Philiſtinorum, in quo ſperabant, cui ſe totos tradiderant; illo corruente, & ipſi turbati, &

o Cap. 10. 13

disiecti ſunt. Oſeas; [o] *Quia confiſus es in viis tuis, in multitudine fortium tuorum; conſurget tumultus in populo tuo, & omnes munitiones tuæ vaſtabuntur.*

Et ceciderunt vulnerati.] Ioſephus dicit Paleſtinorum ad XXX. millia cecidiſſe, & duplo plures vulneratos.

Reuertentes inuaſerunt caſtra eorum.] Hoc ex diſciplina militari ſeruatum eſt. Cautum enim ſemper fuit ne hoſtium caſtra quiſpiam direpturus auderet attingere priuſquam funditus eſſent hoſtes profligati. Et ſanè innumera ſunt exempla eorum, quos iam victores intempeſtiua, & præpropera prædæ cupiditas ludibrio victis expoſuit.

Attulit illud in Ieruſalem.] Non quod nunc acciderit hoc narratur, ſed per anticipationem, vt continuetur rerum ſeries quid poſtea factum ſit de Goliæ capite Scriptura commemorat, vt bene obſeruant Lyranus, Abulenſis, Dionyſius, Hugo, Caietanus, & alij recentiores. Ioſephus hæc ita exponit, vt prius caput Philiſthæi à Dauide in proprium tentorium ſublatum fuiſſe velit: deinde ſuo in tempore in Ieruſalem collocatum. At quando hoc factum? Lyranus putat longè poſt cùm Dauid nimirum Ieruſalem vi victis hoſti-

p lib. 2. c. 5.

bus expugnauit, vt narratur infra. [p] Nam ante illud tempus, cùm adhuc à Iebuſæis alienigenis ciuitas haberetur non potuit in eam à Dauide cum triumpho Philiſthæi caput inferri. Contraria tamen ſententia probabilior eſt, quam tradit Theodoretus, [r] Abulenſis, & alij recentiores ſequuntur; Multo ante cùm adhuc à Iebuſæo Ieroſolyma incoleretur, caput in illam Goliæ aſportaſſe Dauidem: vt clarè narratur, non per anticipationem, ſed iuxta rerum ſeriem Capite ſequenti. Cum enim ouans Saul eam in vrbem inueheretur, & ſimul cum eo Dauid incederet, caput Goliæ geſtans, [s] tunc in occurſum vtriuſque & exercitus triumphantis egreſſæ ſunt mulieres canentes; *Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia.* At quomodo ſi adhuc à Iebuſæo vrbs poſſidebatur, in eam triomphans ingreſſus eſt Saul; & Dauid in eadem potuit voius ex alienigenis caput monumentum victoriæ collocare? Theodoretus indicat caput clanculum in eam miſſum, vt ſubito ad illius conſpectum alienigenæ terrerentur. Magis tamen recepta ſententia eſt, in eadem ſimul vrbe & Iudæos, & Iebuſæos, diuiſos tamen, incoluiſſe. Vt enim habetur in libro Iudicum, [ſ] Iudæi illam cum expugnarent, non totam in ſuam poteſtatem redegerunt; ſed arcem hoſtibus dimittere coacti ſunt, in quam cùm ſe recepiſſent Philiſthæi, vſque ad id tempus retinuerunt, quo à Dauide ſunt expulſi, plena tandem victoria hoſtium potito, vt narratur libro ſecundo. [t]

r Quæſt 41.

ſ Cap. 1.

t Cap. 5.

Quod ſi mirum cuipiam videtur duos hoſtes eandem potuiſſe vrbem tandiu incolere; ſciat mirum non eſſe, dummodò inter ſe intelligamus non pacatè vixiſſe, ſed leuibus ſemper præliis velitantes. At quomodo Iebuſæi commoda exercebant ſua; ſi pene obſeſſi in arce tenebantur? Intelligendum arcem illam ex vna parte habuiſſe liberum egreſſum in regiones Paleſthinorum: vnde poterant alij ad illos, & viciſſim ipſi ad alios commeare. Quorſum autem caput Goliæ præfixum fuerit, & in hac potius, quàm in alia vrbe; dicemus alibi; & ex his etiam intelligi poteſt, quæ Serrarius noſter habet explicans ſimilem oſtentationem capitis Holophernis in Iudith. [u]

u Cap. penult.

Arma autem in tabernaculo ſuo.] Quod hoc tabernaculum? Caietanus quia in nonnullis Hebræis codicibus habetur, *in tentoriis eius*, putat poſſe intelligi de tentoriis Ieruſalem. Lyranus per *tentorium* explicat tabernaculum Domini, in quod Dauid intulit omnia arma Goliæ, vt ſignatè exprimitur de gladio infra: [x] & eſt eadem ſententia Hebræorum, vt refert Hieronymus in traditionibus. Non placet id Abulenſi: quia *ſanctuarium* non poteſt dici tabernaculum ipſius Dauidis; hic tamen dicitur attuliſſe Dauid arma in tabernaculum ſuum. Vult ergo hoc intelligendum eſſe de tentorio ipſius Dauidis. At tunc nullum habebat. Eſto: habuit poſtea, & in eo ſemper, vel longo certè tempore monumentum victoriæ, Goliæ arma ſuſpenſa habuit inter alia ornamenta.

x Cap. 21.

℣. 55.) Eo autem tempore, quo viderat Saul Dauid egredientem contra Philiſthæum, ait ad Abner principem militiæ; De qua ſtirpe deſcendit iſte adoleſcens, Abner? Dixitque Abner; Viuit anima tua, Rex, ſi noui.

℣. 56.)

ỽ. 56.) Et ait Rex; Interroga tu cuius filius ſit iſte puer.

ỽ. 57.) Cumque regreſſus eſſet Dauid percuſſo Philiſthæo, tulit eum Abner, & introduxit coram Saule, caput Philiſthæi habentem in manu.

ỽ. 58.) Et ait ad eum Saul; De qua progenie es, ô adoleſcens? Dixitque Dauid; Filius ſerui tui Iſai Bethleemitæ ego ſum.

De qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens.] Dubium hîc non leue oritur, quomodo Saul Dauidem ignorare potuerit, quem diu inter honorarios ephebos habuerat, & in primis charum, quique non ita pridem ab illo diſceſſerat. Nodus adeo difficilis viſus eſt, vt dubitauerint nonnulli de fide horum verborum, cum præſertim apud LXX. & Ioſephum totum hoc de percunctatione, & dubitatione Saulis, cum initio capitis ſequentis, vſque ad v. 6. non habeatur. Nobis tamen dubitare non licet; tum quod in codicibus Hebræis hæc omnia reperiuntur; tum quod à Theodoreto agnoſcuntur, & Complutenſibus; tum denique quia in noſtra vulgata editione, quam non amplecti non poſſumus, habentur. Ad propoſitam igitur difficultatem varij varia. Duas ſolutiones affert Theodoretus; vel mente motum Saulem dum Dauid cythara caneret, quid, aut à quo circa ſe ageretur non aduertiſſe; vel certè Inuidia iam tactum quis ille eſſet, cui iam erat infenſus interrogaſſe. Fateor me quid iſta ſibi velint non intelligere; licèt prima etiam expoſitio Lyrano placeat: vtraque enim mihi plus ambiguitatis habere videtur, quàm id quod quæritur. Antea inquit cùm Dauid citharam coram ſe pulſaret, malo ſpiritu agitatus Saul parum ea aduertebat, & obſeruabat quæ fiebant. Verum iſtud eſt: at quid ad Dauidem, quem adeo notum & perſpectum habebat, vt vnicè etiam diligeret; vt armigerum ſuum faceret; vt à patre in Aula retinendum quaſi ſuppliciter peteret? ſi inſinuatus Dauid, conquiſitus, accerſitus, adductus; Dauid, inquam, Bethleemitea, filius Iſai, quomodo quia furente Saule citharam pulſabat, ignotus illi fuit, nec obſeruatus? Eſto enim quod cum morbo illo corriperetur, minùs omnia aduerteret Saul: an non ſibi redditus, & tranquillatus illum recognoſcebat, quo canente vis morbi remittebatur? Cur ergo dilexit? cur armigerum fecit? Deinde quod additur de inuidia, minus etiam probabilitatis videtur habere. *Iam*, inquit, *Inuidia obcæcatus quiſnam eſſet Dauid exactè neſciebat.* Rogo enim quæ iſta inuidia, aut vnde, & in quem? Saul enim Dauidi tunc primùm cœpit inuidere, cum mulieres peana canentes illum Sauli præponere viſæ ſunt. Vnde nunc Dauidi inuideat Saul? Aliter ergo rem explicat Hugo Victorinus. [y] *Potentes*, inquit, *in quotidiana hominum frequentia poſiti, non omnes circa ſe conuerſantes poſſunt agnoſcere: præcipuè eos, quos nec dignitas perſonæ commendat, nec diutina conuerſatio familiares efficit. Quia igitur Dauid puer adhuc & contemptibilis, nec regia familiaritate dignus, breui tempore cum Saule manſerat, mirum non eſt ſi eundem modo ad tam egregium opus procedentem diligentius notatum ignorat.* Hæc ille. Quorum ſumma eſt, ſi bene percipio; Dauidem antea etſi fortè de facie Sauli notum; non tamen intimè perſpectum fuiſſe: quo ad genus, conditionem, natalia. Hanc enim eſſe conſuetudinem Principum, vt eorum à quibus ſibi miniſterium exhibetur, operam tantum attendant, cætera negligant, quæ ad ipſos ſpectant, vt qui ſint, aut vnde ſint, vel cuius filij; at cum quid ab illis egregium, & extra communem modum fit, quale hoc erat, quod tunc Dauid aggrediebatur: tunc naturali hominum propenſione ſubtiliùs in illos inquirere, & patrem & patriam velle diſcere, & cætera, quæ huc ſpectant nolle ignorare. Coniectura ſanè probabilis ducta ex magnatum ingenio; ſed quæ difficile poſſit ad præſentem locum aptari. Clare enim Scriptura dicit Dauidem non ſolùm de facie Sauli, ſed optimè quoque fuiſſe perſpectum quo ad genus & patriam. *Miſit enim ad Iſai primum vt filium ſuum Dauid ad ſe allegaret.* Deinde, vt iam in aula poſitum, diutiùs ſibi retinere bona cum ipſius venia fas eſſet. Vnde ſic poſſumus ratiocinari. Vel nunc cum Dauidis genus interrogat Saul, nouit illum ipſum eſſe, qui cithara coram ſe canere ſolitus, vel non. Si non; hoc quærimus quomodo id potuerit ignorare: ſi nouit; ergo ſimul etiam nouit & patrem, & patriam & domum. Abulenſis duas affert & ipſe expoſitiones: prima huic perſimilis eſt quam modo attulimus: facile eſſe vt Regibus, Principibus, & magnatibus viris memoria illorum excidat, quorum opera in quotidianis miniſteriis vtuntur, propter illorum multitudinem, & varietatem. Ex ea enim fieri, vt non poſſit vnus quiſpiam diutius cum illis agere, verſari, colloqui, ab illis videri, & ſpectari; ob viciſſitudinem ſcilicet ſibi mutuo cedentium, & ſubſequentium miniſtrorum. Vnde quemadmodum hoſpes hoſpitis memoriam non retinet propter perennem fluxum aduentantium; ita nec Principes firmiter poſſe eos retinere, qui ſibi inſeruiunt: quæ veriſſima ſunt; non tamen ad Dauidem faciunt; neque enim hic ex numero illorum erat, qui perfunctoriè tantùm coram Saule apparebant; ſed planè illi ita intimus erat, vt vnicè ab eo diligeretur. Non poteſt autem, opinor, quis vnicè diligi, quin etiam idem ſit perfectè notus; & alte nimis animo infigatur, & adhæreat. Aliud ergo idem Abulenſis affert, quod etiam placet Caietano, & Auguſtino tribuit Abulenſis (apud quem tamen id legere non memini) ex faciei mutatione non agnitum Sauli Dauidem: adoleſcentium enim proprium eſſe intra modica temporis ſpatia totam ferme indolem variare, vix vt agnoſci queat: cum præſertim incipit illis in malis tenera primum lanugo proſerpere. Ratio optima & validiſſima, vtpotè ex rerum natura ducta; quæ tamen etiam habet nonnihil difficultatis. Eſto enim quod celeres in adoleſcentium vultibus conuerſiones fiant; requiritur tamen ad eas certum ſuum tempus. Neque enim vnius noctis ſpatio notabilis vlla poteſt mutationis varietas contingere: quandiu autem eſt, cum Dauid à Saule diſceſſit ad paſcua? Non diu ſanè. Nam quando Saul eduxit exercitum contra Philiſthæos, tunc Dauidis fratribus Regem ſequutis, Dauid ipſe domum regreſſus eſt. Ponamus ergo dum paratur expeditio, dum coguntur milites, dum tenditur ad hoſtem, duos, vel tres effluxiſſe menſes: his ſi adduntur quadraginta dies, quibus Goliæ prouocatio tenuit; erunt ſummum quatuor vel quinque menſes à profectione Dauidis.

[y] In adnotat. elucid. in 1. Reg.

Sopran. in Dauid.

G Tanta

Taota ne ergo tam breui interuallo potuit in illo mutatio fieri, vt à Saule agnoſci non potuerit; & (quod maius eſt) nec etiam ab Abner principe militiæ. Quid ergo dicendum? Probabiliſſimum mihi videtur Sauli non penitus ignotum fuiſſe Dauidem; ſed ſecum ipſum vix ſibi credentem de illo dubitaſſe: ac proinde non auſum primum dubitationem ſuam clarè proponere; ſed tacitè Abner percontatum. Dubitaſſe autem; tum ex aliqua vultus mutatione in Dauide poſtquam ex aula in paſcua conceſſerat, ſoli & imbribus expoſitus: tum ex ioſolito veſtitu; antea enim videre ſolitus aulicè comptum; videbat nunc paſtoritio ornatu negligenter coltum; com pera, baculo, & funda: tum denique quia mirabundus ſecum ipſe ambigebat num filius Iſai eſſet, qui cum leonibus, & vrſis tam fortiter tranſegiſſet, qui talia nunc auderet. Filius, inquam, Iſai, quem tantùm ipſe citharæ aſſuetum putabat, & iolli-bus curis: fuit igitur interrogatio non ſolùm ex ignoratione profecta, ſed ex admiratione. Quicquid tamen id ſit, egregium nobis documentum præſtat inſtabilitatis gratiæ Principum, & quam parum ſit illis fidendum. Saul Dauidem dilexerat, armigerum ſuum fecerat, à patre ſibi concedi poſtulauerat, in primis charum habuerat; paulò pòſt tamen ita totom obliniſcitor, vt monitore & nomenclatore egear, qui ſibi ipſum ſuggerat, & ipſius nomen. Tam altè in animo deſcendetat, & tam cito, tam facile totus effluxit?

I nunc.
I fide Regum gratia
Quiſquis ſuperbus emines,
In lubrico aulæ culmine.

Viuit anima tua, ô Rex, ſi noui.] Digna ingenio militari reſponſio. Quid enim nunc opus erat iuſiurandum interponere, niſi quod loquela illum ſua manifeſtum facit, & militem prodit inter arma enutritum, & caſtris ſemper aſſuetom? Nullibi enim magis iuramenta vigent, & ſeſquipedalia verba, quam inter milites, qui ſemper magna ſonant, & ampullas proiiciunt etiam vbi nullum eſt opus. Ideo in ſacris litteris, præſertim verò in hac Regum hiſtoria, licet aduertere iuramenta, quæ non ita neceſſaria concipiuntur, omnia a militibus eſſe vſurpata. Iurat nunc Abner, iurauit Saul, iurauit Ionathas, iurat Vrias, iurat ipſe Dauid ſæpiùs; omnes milites, & in militia ſemper educati, vt magis hinc erubeſcant, ſi vitio militari laborent, qui pacis ſtudia ſectantur; & diſcant inde milites ab eo ſibi impenſius cauere, in quod ſunt magis vitio conſuetudinis propenſi. Notat Hieronymus,[z] *Viuat anima tua,* poſitum eſſe per antiphraſim, ſenſumque eſſe, Ne viuat, ô Rex, anima tua, ſi noui. Sic etiam dici alibi;[zz] *Benedixit Deo, & Regi*, id eſt maledixit. Conſultò enim Hebræos abſtinere à verbis malè ominatis; in quorum vice per antiphraſim contraria vſurpabant: qua de re nos alibi vbi de formulis verborum, in quæ ſua veteres iuramenta concipiebant.

z In tradit. lib. 1. Reg.

zz lib. 3 Reg. c. 21. 10.

De qua progenie es, ô adoleſcens?] Mirum videri poſſit, quomodo Saul ipſe interea dum Dauid aduerſus Goliam procedebat, & dimicabat; vel certe Abner, cui demandatum fuerat à Saule non interrogauerint ab aliis genus Dauidis; ſed eouſque dubij fuerint, donec Dauid victor reduceretur. Sed mirari deſinet qui aduerterit hic pugnam fuiſſe breuiſſimam, nec in ea tempus vllum habuiſſe Saulem, vel alios quicquam inter ſe agendi, & percuntandi, omnibus in euentum certaminis ſuſpenſis. Statim enim vt ſe Dauid certamini obtulit, à Golia exceptus eſt illa velitatione verborum; tum excuſſo lapide hoſtem deiecit, inuaſit, truncauit, & regreſſus eſt: non ergo locus vllus Sauli datus eſt, aut ſpacium quicquam amplius percuntandi, quam quod Abner fuerat ſciſcitatus.

Filius ſerui tui Iſai.] Colloquutio iſta Saulis, & Dauidis longiùs omnino protracta fuerit oportet, quàm vt hinc inde duobus tantùm verbis interrogando, & reſpondendo abſolui potuerit. Veriſimile enim eſt Saulem non tantùm genus, & patrem interrogaſſe, ſed hoc cognito, multa etiam alia adieciſſe, quæ res ipſa, & tam ingens parta victoria ab adoleſcente, ſibi aliàs intimo poſtulabat. Regis ergo ſermonem, & percuntationes cum Dauid modeſtè ſequeretur, non minùs omnibus probatus eſt verecundia morum, quàm antea mirabilis fuerit ſucceſſu certaminis. Vnde factum, vt eorum animos ſtatim caperet, quorum oculos dudum & ora tenuerat. In primis autem Ionatham regium iuuenem, & inter regios liberos, vt ætate maximum, ſic gloria inclytum arctiſſimè ſibi, & fortiter faciendo, & modeſtiſſimè loquendo deuinxit. Et hoc eſt quod ſignificatur verbis, quæ proxima ſunt initio ſequentis capitis. *Cum compleſſet loqui Dauid ad Saul, anima Ionathæ conglutinata eſt animæ Dauid.* Si enim vno tantùm verbo Sauli Dauid ſatisfeciſſet; minùs congruè dictum eſſet; *Cùm compleſſet loqui*: quod niſi de longiùs protracta oratione commodè non poteſt intelligi.

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT XVIII.

ARGVMENTVM.

CONFECTO Palæſtino bello, & cunctis è prælio reuerſis; multus circa Dauidem fauor, opima ſpolia de tam egregia victoria referentem, inuidiam Saulis accendit. Nullus enim fuit qui non tantæ virtuti in pulcherrimo teneri adhuc adoleſcentis corpore arctiſſimè deuinciretur: adeo vt & Ionathas regius filius perinde illum carum deinceps habuerit; atque erat ipſe ſibi. Timere ergo cæpit Saul tam carum omnibus; &

inuidia

inuidia ſimul, & cæco timore actus in rabiem; primum illum apertè iaculo confodere nixus eſt: inſaniam mentis, qua ſubinde agitabatur prætendens animi morbo. Id cùm non ſucceſſiſſet alia via perniciem illi ſtruere eſt aggreſſus. Itaque per ſpeciem honoris periculis illum grauiſſimis obiectans; Tribunum primum fecit; reique bellicæ, qua maximè prope finitimos hoſtes omnia plena diſcriminis erant, curatorem. Deinde filiam illi ſuam ſpopondit; vt elatus oblata conditione iuuenis maiora viribus auſus daretur in præceps. Quod tamen longè aliter ceſſit. Dauid enim vt in adeundis periculis circumſpectiſſimè cautus; ita in illis ſuperandis fortiſſimè conſtans ducenta præputia Philiſtinorum regi repræſentauit; cum centum ille tantùm popoſciſſet. Ergo Regia virgine in matrimonium accepta, factum eſt, vt cum Saulis iniuria Dauidis virtutem magis illuſtrarent, ex his ille creſceret quibus illum maximè impius Rex ſtudebat opprimere.

℣. 1.) Et factum eſt cùm compleſſet loqui ad Saul, anima Ionathæ conglutinata eſt animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quaſi animam ſuam.

℣. 2.) Tulitque eum Saul in die illa, & non conceſſit ei, vt reuerteretur in domum patris ſui.

℣. 3. Inierunt autem Dauid, & Ionathas fœdus. Diligebat enim eum quaſi animam ſuam.

℣. 4.) Nam expoliauit ſe Ionathas tunica, qua erat indutus & dedit eam Dauid, & reliqua veſtimenta ſua vſque ad gladium, & arcum ſuum, & vſque ad baltheum.

℣. 5.) Egrediebatur quoque Dauid ad omnia quæcumq; miſiſſet eum Saul, & prudenter ſe agebat: poſuitque eum Saul ſuper viros belli, & acceptus erat in oculis vniuerſi populi, maximéquę in conſpectu famulorum Saul.

C*VM compleſſet loqui.*] Mirum fortaſſe cuipiam videri poſſit; cur Scriptura initium amoris Ionathæ erga Dauidem non ex Dauidis victoria, non ex animi ferocia, & magnitudine; non ex viribus; non ex pulcherrima ſpecie, & indole militari: ſed ex ſermone deducat. *Et factum eſt*, inquit, *cum compleſſet loqui agglutinata eſt anima Ionathæ animæ Dauid.* Quid enim hoc ſibi vult? Nihilne hactenus in Dauide Ionathas obſeruauerat, quod in ſui admirationem traheret; quod aliorum ſibi animos deuinciret; quod dignum eſſet amari; niſi poſtquam loquentem audiuit? Viderat certè pugnæ ſe generosè offerentem; viderat ad pugnam prodeuntem; viderat pugnantem; viderat ex pugna tam inſigni parta victoria reuertentem: & tamen ad nihil horum dictum eſt. *Agglutinata eſt anima Ionathæ animæ Dauid.* Sed tantum: *poſtquam compleſſet loqui.* Placuit igitur loquendo, qui non placuerat fortiter agendo? & plus in aliorum animis valuere verba, quàm facta? quod ſi hoc non eſt; vnde iſtud eſt; aut quid ſibi vult non amatum virum fortem à viro forti: niſi cùm perpenſa ſunt dicta, cuius antea viſa fuerant tot fortia facta? exiſtimo ego per hoc voluiſſe nobis Scripturam inſinuare amicitiam Dauidis, & Ionathæ illud initium habuiſſe, quod omnes veræ, & diuturnæ amicitiæ habere debent; quæ tunc demùm honeſtæ, & firmæ ſunt, cùm non impetu, ſed conſilio parantur. Quantò enim quis cautior eſt in admittendis; tantò ſolet eſſe in retinendis conſtantior. Conſilio porrò illæ parantur, quas iudicium precedit, quas diligens inquiſitio, quas cauta deliberatio, & circumſpectio. Si enim temerè cuiquam ædes noſtras non pandimus ingreſſuro: niſi prius diligenter ſit cognitus admittendus: quantò maiore cura, pectoris noſtri ſinus eſt adſeruandus; vt non niſi diligenti inquiſitione præmiſſa aperiatur? Habet aditus domus noſtræ ianitorem ſuum qui curioſiùs obſeruat introeuntes; habeat etiam ſuum aditus pectoris noſtri; non ſit nobis vilius pectus noſtrum ædibus noſtris; vt faciliùs illud, & minori cura pateat introeuntibus; quàm iſtæ ſoleant: cùm præſertim ſemel in domum noſtram admiſſus expelli facilè inde aut exire poſſit; cui autem ſemel fores amicitiæ noſtræ patuerint, non poſſit is poſteà ex ſinu pectoris noſtri facilè eiici ſine leuitatis nota. Diu ergo prius de illo cogitemos; qui cùm fuerit admiſſus, dimitti non poteſt; diu deliberemus de illo, cui cùm placuerit omnia deinde ſine vlla deliberatione committẽda ſunt; quæ deinceps erunt nobis deliberanda. Hoc ſi fecerimus conſilio, & non impetu feremur; & amicos habebimus, non quales nobis fortuna, aut cæcus æſtus mentis obiecerit, ſed quos recta ratio iudicio moderante ſuaſerit. Talis fuit amor Ionathæ; talis amicitia Dauidem inter & ipſum conciliata. Conſilium illam præceſſit; iudicium, & longa circumſpectio aſſociauit. Viderat ſine dubio Ionathas in Dauide multa, quæ mirè ſibi placuerant; & altè nimis in animum deſcenderant: viderat generoſam indolem, viderat plenum pectus martij vigoris, viderat certamini ſe offerentem, prodeuntem, certantem, vincentem, cum victoria redeuntem, ſuſpexerat audaciam in aggreſſu ancipitis pugnæ; ſuſpexerat felicitatem in ſubito, & inſperato ſucceſſu. Hæc omnia ſuaui quadam violentia iam ipſum in Dauidem rapiebant; non tamen remiſit ſtatim habenas amori ſuo, ſed retinuit ſeſe, & tantiſper quodammodo cobibuit; donec plenum de Dauide indicium ferre poſſet. Tunc autem tulit; tunc planè ſibi de illo ſatisfecit, quando quem fortiter viderat facientem, audiuit etiam cum Patre loquentem. Ex quo vlterius duo nobis obſeruanda, inſinuantur: alterum eſt, non aliunde magis prodi animi mores, & indolem; quàm ex ſermone, & oratione; rectè alicubi Seneca,[a] *Oratio*, inquit, *vultus eſt animi*, & Paulinus [b] ad Pammachium. *Sermo viri mentis eſt ſpeculum.* Certò ergo quis, & qualis ſit, quiſque æſtimabitur; cum illius ſermo, & oratio perpendetur. [c] *Qui enim de terra eſt, de terra loquitur*, & loquela [d] *quemque ſua manifeſtum facit.* Notum illud eſt; quod

Sopran. in Dauid.

a *Epiſt.* 116.
b *Epiſt.* 35.
c Ioan. 3. 31.
d Matth. 26. 73.

Xenophon, & Laërtius, & ex ipſis auctor nobis recenſet Apophtegmatum [e] miſſum aliquando ad Socratem à Patre diuite filium adoleſcentulũ; vt videret, inſpiceret, & de pueri indole iudicaret: ad quem cum pædagogus perueniſſet: *Pater*, inquit, *ô Socrates miſit filium, vt eum videres*: tunc Socrates ad puerum: *loquere ergo*, inquit, *adoleſcens, vt te videam*: ſignificans nimirum animi indolem numquam clariùs deprehendi; quam inter loquendum. Iſtud ipſum quodammodo obſeruauit Ionathas: iudicium enim de Dauide eo vſque diſtulit, donec audiuit loquentem. Alterum, quod hinc nobis inſinuatur, eſt miram omnino eſſe verborum, & orationis vim ad animos ſibi aliorum conciliandos: itaque licet tot, & tanta in Dauide præceſſerint; quæ ſingula poterant Ionathæ animum ad ſe violentiſſimè rapere: ad nullum tamen eorum dictum eſt, *Agglutinata eſt anima Ionatha anima Dauid*: ſed tantùm: *poſtquam ceſſaſſet loqui*: quaſi palmam in Ionatha expugnati pectoris tulerit potiùs Dauidis lingua, quàm dextera. Meritò ergo Sponſa in Canticis totam ſe liquefactam commemorat ad vocem Sponſi. *Anima mea*, inquit, [f] *liquefacta eſt, cum dilectus meus locutus eſt*. meritò etiam Sponſus ſponſæ vocem præ omnibus aliis requirebat. *Sonet*, inquit, [g] *vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis*. Sed hæc magis ad myſticos quàm ad literales ſenſus ſpectantia in aliud tempus omittantur.

e Eraſ. lib. 3. Apophtegm. & ex ipſo Manut.

f Cant. 7. 6.

g Cant. 2. 14

Anima Ionatha conglutinata eſt anima David.] In Hebræo propriè eſt. *Alligata eſt anima Ionatha anima Dauid*: quo modo loquendi, non quicumque vulgaris; ſed vehemens, & accenſus amor apud illos exprimitur. Hebraiſmum autem hunc, noſter variè reſoluit; aliquando per ſimplex verbum *adhærendi*. Sic Hemor ad filios Iacob: *Sichem* [h] *filij mei adhæſit anima filiæ veſtra*, in Hebræo *alligata eſt*. Et Dauid *adhæſit* [i] *anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua*: quo loco legit Auguſt. *agglutinata eſt*, & in Hebræo propriè eſt, *alligata*: alibi eius loco vtitur verbo *pendendi*. Iudas ad Ioſeph, [k] *Cùm anima illius* (Iacob) *pendeat ex anima huius* (Beniamin) in Hebræo propriè eſt: *anima illius alligata eſt ad animam iſtius*: aliàs vtitur verbo *copulandi*. Sic de Salomone: *his* [l] *itaq;* (mulieribus alienigenis) *copulatus eſt Salomon ardentiſſimo amore*. Hebraicè *alligatus eſt*. Nullum tamen verbum eſt, quod hebraiſmum ſignificantiùs exprimat, verbo *conglutinandi*: quo hoc loco & alibi ſæpius noſter interpres vtitur: ſequutus Principes latinæ linguæ, qui eo etiam vtuntur, ad ſummum inter duos amorem, & neceſſitudinem ſignificandam, vt alicubi Cicero [m] *dilexit quo die cognouit, coluit omni officio, habuit in ſuis, illóque amore eſt proſequutus, qui nihil habebat commune cum multis: tantáque conſuetudinis ſua illum ſuauitate deuinxit, vt eſſent amborum voluntates indiſſolubili planè nexu conglutinata*: hoc enim loco Cicero non diſſimiliter dicit amborum voluntates conglutinatas; ac noſter duorum animos.

h Gen. 34. 8.

i Pſal. 62.

k Gen. 44. 8.

l 3. Reg. 11. 2.

m li. 2. ep. 20

Porrò ex eo, quòd Hebræis ardens amator alligatus dicitur ei, quod amat; factum eſt, vt apud eoſdem amor appelletur *vinculum, nexus, nodus*: quò autem perfectior eſt amor, & vehementior; & etiam validius dicitur vinculum. Vnde & à Diuo Paulo Charitas dicitur, [n] *vinculum perfectionis*, id eſt perfectiſſimum, & inſolubile. Quin etiam non aliunde profani, & externi Scriptores hauſerunt illa ſua toties decantata de vinculis, & compedibus amatorum: hos enim vinctos, hos captiuos, hos nexos, hos compeditos appellant: cur id? niſi quia amor vinculum eſt & catena quædam, qua qui tenetur; ei alligatur, & hæret, quod deperit; illius captiuus, illi obnoxius, & eius arbitrio expoſitus, & voluntati. Dilectio vehemens, & non vulgaris amor à Sponſa comparatur morti, & inferno. *Fortis eſt*, inquit, [o] *vt mors dilectio, & dura ſicut infernus æmulatio*: qua comparatione prima ſpecie nihil videri poſſit abſurdius: quid enim fortitudini cum dilectione? quid vtrique cum morte? aut quam duritiem habet *ardens Zelus*; vt dici poſſit dura veluti infernus æmulatio? obſcura ſine dubio comparatio; ſi non ab hac Hebræorum phraſi intelligatur, & explicetur quà apud illos charitas, & dilectio quælibet vinculum dicitur, & *alligatura*: perinde enim eſt *dilectio fortis*; ac vinculũ validum; quod frangi facilè, aut diſrumpi nequeat, vſque adeò vt nec ab ipſa morte diſſoluatur: hoc eſt enim *fortis vt mors dilectio*: ardentem dilectionem nullo mortis periculo, nullo metu terreri; illóſq; qui ſic inter ſe amant, ita mutuò colligatos eſſe, vt nec poſſint etiam vel ipſa ingruente morte ſeparari: nam vt dixit quidam. [p]

n Ad Coloſ. 3. 14.

o Cant. 8.

Tranſilit, & fati limina magnus amor.

p Propert. lib. 4. eleg.

Quando ergo fortitudo amoris comparatur mortis fortitudini; perinde accipienda eſt comparatio; ac ſi diceremus vinculum aliquod ita validum eſſe; vt lacertos Herculis: tale ſcilicet, quod robori lacertorum Herculis reſiſtat; quod ab illo diſſolui; quod diſrumpi non poſſit, ſic etiam *dilectio valida vt mors* dicitur: quia licet poſſit iſta omnia ſeiungere; ac proinde quamcumque colligationem ſeparare: vnde & dicebat ille morti proximus *ſic* [q] *ne ſeparas amara mors?* non tamen dilectionem, & ardentem charitatem: quæ propterea etiam aptiſſimè *glutinum* appellata eſt; & coniunctio, quæ per illam fit, *conglutinatio*: quia quæ glutino compaginantur, & vniuntur, ita nonnumquam coaleſcunt; vt quacumque parte potius frangi poſſent, quàm qua ſibi mutuò fuere compacta. Vnde D. Paulus. *Certus ſum*, inquit, [r] *quod neque mors, neque vita, neque profundum*, & alia omnia, quæ longo ordine recenſet, & ſubiicit: *poterit nos ſeparare à charitate Dei*. Sic etiam dicitur [ſ] de amore inter virum, & vxorem: propter hoc relinquet homo Patrem ſuum, & matrem ſuam, *& adhærebit*, ſiue *alligabitur, & conglutinabitur vxori ſuæ*: quod eſt dicere, coniunctio iſta tam valida eſt, vt coniuncti quacumque alia parte diuidi poſſint quod Italicè dicimus, *la romperà prima con tutti, che con la moglie*: relinquet alios omnes, & adhærebit vxori.

q 1. Reg. 15.

r Ad Rom. 8 39.

ſ Gen. 2. 24.

Nec omittendum eſt per hanc *vinculi* appellationem Hebræos, & *glutini* Latinos ſignificare voluiſſe, & exprimere notiſſimum illum effectum amoris, & charitatis, qui eſt, ex duobus, vel pluribus vnum facere: quæ enim colligantur, & vinculo aliquo, mutuò ſibi adhærent licet multa ſint, vnum tamen quodammodo fiunt. Vnde Ariſtoteles notiſſimum, & tritiſſimum vnitatis modum dixit [t] eſſe, *cum plura per vinculum* vniũtur: ſic etiam per charitatem, & amorem, cum vna quodammodo voluntas ex duabus fiat, vinculum propterea rectè eſt appellata. Inde eſt, quod à B. Luca dicitur [u] de primis illis temporibus Eccleſiæ: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna*; inter ſe enim diligebant

t 5. Metaph. cap. de vno.

u Actor. 4. 32.

bant; & hoc vinculo mutuo nexi cor vnum, & animam vnam ex pluribus effecerant: mirum ergo non eſt, ſi vocat amicus amicum, *dimidium animæ ſuæ*; quia fit ex duabus vna vtrique communis. D. Auguſtinus, [x] *Bene quidem* [y] *dixit de amico ſuo dimidium animæ meæ: nam ego ſenſi animam meam & animam amici mei vnam fuiſſe animam in duobus corporibus, & ideo mihi horrori erat vita quia nolebam dimidius viuere, & ideo forte mori metuebam; ne totus ille moreretur, quem multum amaueram.* Rectè ergo hoc loco Scriptura cum præmiſiſſet *agglutinata eſt anima Ionathæ animæ David*, deinde ſubiunxit, *& dilexit eum Ionathas quaſi animam ſuam*: ſiue vt eſt in Hebræo *dilexit animam amantis ſe ipſum*. Si enim ex vtriuſque anima vna erat effecta; quomodo poterat Ionathas non amare ſicut ſe ipſum; qui ſecum vnus quodammodo factus fuerat hoc glutino charitatis?

x lib.4. Conf. cap.3.
y Hor. lib.1. ode 3.

Inierunt autem David, & Ionathas fœdus]Quod iſtud fœdus; ad quid initum, & quomodo percuſſum? fœdus hoc loco non propriè, ſed tranſlatè ponitur pro quacumque mutua coniunctione, & conſenſione animorum. Tráſlatio eſt frequenter vſurpata, cum ſpecies pro genere accipitur apud Hebræos, vt *vinum & panis* pro quibuſcumque poculentis, & eſculentis: hoc autem nunc adiungitur à Scriptura ad ſignificandum non tantum Ionatham amaſſe Dauidem: ſed & viciſſim ab ipſo ardentiſſimè redamatum. Hactenus enim tantum de amore Ionathæ dixerat. *Colligata*, inquit, *eſt anima Ionathæ animæ David cum compleſſet loqui*: & deinde iterum repetit, *& dilexit eum quaſi animam ſuam*: nihil adhuc de amore Dauid inferens; quem nunc exprimit dicens: *initum ab illo fœdus*: quod eſt vicem redditam Ionathæ in amore à Dauide; ac proinde mutua animorum conſenſione ſibi cohæſiſſe; quam appellat fœdus: id autem quod ſubditur, *diligebat enim eum quaſi animam ſuam*, rationem habet fœderis initi, & tam ad Dauidem referri poteſt, quàm ad Ionatham. Si ad Dauidem ſenſus eſt: Inierunt *fœdus*, ſiue mutuo ſe amore ardentiſſimè complexi ſunt; vel paria in amando fecerunt: quia Dauid non minùs diligebat Ionatham; quàm diligeretur; *amabat enim illum quaſi animam ſuam*: & proinde illi in amore reſpondebat, & vicem reddebat; ſi verò ad Ionatham, quod probabilius eſt, referatur; ſenſus eſt in mutuam amicitiam ſtatim arctiſſimè coniunctos, *quia Ionathas diligebat Dauidem ſicut animam ſuam*; Dauid autem non poterat non reſpondere in amore ei, à quo tam ardenter prouocabatur: nihil enim eſt; quod magis amorem conciliet, quàm amor: nec fieri poteſt, vt eum quis non amet, à quo ſe vehementer cognoſcit amari. Auguſtinus. [z] *Hoc eſt, quod diligitur in amicis, & ſic diligitur, vt rea ſibi ſit humana conſcientia; ſi non amauerit redamantem, aut ſi amantem non redamauerit; nihil quærens ex eius corpore præter indicia beneuolentiæ.*

z lib.4. Conf. cap 9.

Nam expoliauit.] Particula cauſalis *Nam*, ponitur hoc loco pro *&c.* tantùm enim connectit, non cauſam vllam explicat. Ideo Caietanus Vatablus, Pagninus vertunt: *Et expoliauit ſe Ionathas, vel expoliauit autem ſe Ionathas.* In Hebræo eſt *Vau*, quæ ambigua eſt ad vtrumque genus coniunctionis, & tam poteſt verti, *&* quàm *quia*. Non deſunt tamen qui hoc loco etiam cauſalem eſſe volunt: ſed tunc explicare oportet

Sopran. in Dauid.

cuius rei cauſam referat. Dictum fuerat: *diligebat enim eum quaſi animam ſuam*; quis, quem? Ionathas Dauidem, inquiunt. Ad quid ergo ſubiungere pro cauſa *expoliaſſe ſe tunica ſua*? an ratio cur tantopere dilexerit, iſta fuit? Reſpondent non improbabiliter, rationem eſſe non cur dilexerit: ſed cur cognitus ſit dilexiſſe. Cauſam enim duplicem eſſe, vnam rei, alteram cognitionis: & vtramque pro ratione reddi poſſe, cum quid narratur. Dicitur ergo nunc à Ionatha amatus Dauid, quaſi anima ſua: & hoc palam omnibus fuiſſe, quia *expoliauit ſe tunica ſua*. Quod ſi *diligebat eum quaſi animam ſuam*, de amore Dauid in Ionatham intelligitur: multo aptius particuca *&* cauſalis accipitur: dilexit enim ſic Dauid Ionatham, *quia hic expoliauit ſe tunica ſua*: ad hæc tam clara, & perſpicua argumenta amoris; non potuit non manus dare Dauid, & ardentiſſimè non amare, à quo tantopere ſe diligi perſpiciebat.

Expoliauit ſe tunica ſua.] Rectè hoc ex illo ſequitur, quod præceſſit: amabat Dauidem Ionathas quaſi animam ſuam: quid inde factum? *Expoliauit ſe tunica ſua, & Dauidi tradidit.* Hæc enim vis eſt, hoc ingeniũ amoris; vt ſtatim omnia communia faciat inter amicos: & inde illud ortum eſt tantopere apud externos [a] philoſophos celebratum. *Amicorum omnia communia eſſe oportere*: quod ex illis refert D. Ambroſius. [b] Et ſanè mirum non eſt, ſi quem quis amat, in eum effuſus ſit: An illi ſua quiſquam deneget, cui ſe ipſe tradidit? aut cuiquam quidquam ſit ſeipſo charius; vt ſui prodigus aliorum tenax illi ſua non tradat, cui ſe totum addixit? Mirandum ergo potiùs eſſet, ſi quis ad illum clauſas manus haberet, cui pectus aperuit: ac proinde illud fieri neceſſe eſt, vt ſi quis aliom vere amat, illi ſuorum quicquam denegare non poſſit. D. Gregorius: [c] *Probatio amoris, exhibitio eſt operis. Dei enim amor, ſi magnus eſt, otioſus eſſe non poteſt; quod ſi operari renuis, amor non eſt*: quod rectè omnino ſequitur, vt dicebam ex natura amoris. & amicæ coniunctionis. Si enim ab illa eſt vt qui plures ſunt, vnum fiant, & qui alterum amat, vnus cum illo ſit. Quantum non poteſt quiſquam, ſuorum ſibi quidpiam denegare: tantùm nec illi, quem amat; Propterea cum dixiſſet Lucas. [d] *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima*: ſtatim ſubdit, quod neceſſariò hinc conſequi debebat: *nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat; ſed erant illis omnia communia.* Antiqua quæſtio eſt, vtrum pauperem inter & diuitem vera amicitia eſſe poſſit. Multorum diuerſa placita fuere: rem tamen mihi viſus eſt optimè definiſſe, qui dixit: non poſſe; ſi enim vera amicitia ſit, pauper [e] eſſe non poteſt, cui ſit amicus diues. Optimè ergo ex hoc B. Ioannes [f] euidens argumentum deduxit ad probandum eos, qui in proximum liberales non ſunt; proximum non amare. *Qui habuerit*, inquit, *ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* ſignificanti verbo vſus eſt cum dixit. *Et clauſerit viſcera ſua ab eo*, voluit enim per hoc oſtendere fieri non poſſe, vt in quempiam viſcera pateant; & manus, liberalitáſque claudantur. Contra vero D. Paulus [g] commendauit eximiam erga nos Chriſti beneuolentiam ex eo, quod, *cùm eſſet diues, factus eſt omnium egenus; & exinaniuit ſemetipſum pro nobis.* Quo-

a Plato de leg. lib 4. & in Dial. de amic. Ariſt. 8 Ethic. Cicero in Lælio.
b lib.1. de Viduis c.1.
c Hom.30. in Euang.
d Actor. 4. 32
e D. Ambroſ. lib. 3 de offic. cap vlt.
f Ep. 1. c. 3.
g 2. Ad Cor. 4 9.

dammodo enim tunc diuinum verbum expolia-
h Ad Philip. 2. 6. uit ſe tunica ſua, [h] *cum rapinam non eſt arbitratus eſſe ſe æqualem Deo: ſed formam ſerui accipiens ſe exinaniuit*: cur hoc? quia dilexit nos; ſic Ionathas, quia dilexit Dauid expoliauit ſe.

Sed intereſt, vt videamus quid, & quando Ionathas Dauidi donauerit: neque enim in beneficiis conferendis, tantùm eſt attendendum quid illud ſit, quod donatur: ſed etiam quam opportunè donetur. Videtur autem Ionathas minus opportunum tempus elegiſſe, nam præſente Rege, & multitudine Principum vndique circumfuſa, non admodum ex decoro fuiſſe videtur, Regium iuuenem veſtimenta ſua deponere, & ſe ferme nudum ante omnium oculos ſtatuere: verum aliter iudicabit, qui rem totam, vt geſta eſt, melius perpenderit, Dauid enim ex prælio reuerſus, & Sauli ſe ſiſtens, erat non ſolum paſtoritio illo, & agreſti cultu horridus; ſed inſuper etiam ex recenti certamine cruentus, & victoriali illo puluere turpatus, indignum itaque Ionathæ viſum eſt, publicæ libertatis vindicem in illo humili ornatu oculis totius exercitus exponi quantum igitur potuit, properauit, & illa ruſtica indumenta Dauidi detraxit; regiis inſuper qualia erant, quæ ipſe geſtabat, attributis. Ergo totum hoc nihil aliud ſibi vult, quam Dauidis agreſtem veſtitum, in regium fuiſſe mutatum: quod vt celerius fieret, & maiori cum ſignificatione beneuolentiæ: Ionathas moræ omnis impatiens, ſimul & amoris in illum ſui prodendi cupidus: non expectauit, dum idonea aliunde afferentur: ſed ſua ipſe depoſuit, & expeditè: nec tamen nudus ipſe remanſit: quia & alij viciſſim protinus alias veſtes Ionathæ iniecere; & fortaſſe etiam ipſe, quæ Dauidis erant, aſſumpſit.

At quas veſtes, & arma propriè donauit. Primo loco de tunica dicitur. *Expoliauit*, inquit, *ſe tunica ſua*, quod aliquam difficultatem habet, quid enim tunc Ionathas agebat in tunica? an tunc cum omnia late loca ex recenti adhuc prælio feruerent, & ipſe anhelus etiam num eſſet ex pugna, indumentum vrbanum, & pacis proprium geſtabat? Sunt qui tunicam interpretantur *loricam*; quæ nonnumquam apud profanos, & ſacros auctores ſic appellatur; verum ego non memini ſimpliciter ſine adiuncto apud quemquam *tunica* nomeo pro lorica poſitum: licet legerim *moleſtam tunicam ferream, hamatam, & ſquameam*: præſertim apud Poëtas. LXX. autem habent pro tunica *pallium*, & ſic legunt Caietanus, & Pagninus. In Hebræo ad verbum. *Et exuit ſe veſtimento, quod ſuper eum*, ſeu vt legit Vatablus, *tunica, quæ ſuper eum*. Noſter ſimpliciter *tunicam* dixit, & puto per id intellexiſſe veſtis genus militaris, quam nos Itali dicimus, *la ſopraueſte*; & fortaſsè quid ſimile habebat cum ſago Romanorum: magis ergo propriè noſter interpres locutus eſt, quam qui *pallium* dixere: neque enim huius vſus vllus in bello. Adiungitur deinde, *& reliqua veſtimenta ſua*; quod maiorem difficultatem habet: nudum ne ſe Ionathas ſtatuit, & exhibuit omnium oculis? Hoe enim ſequitur, ſi reliqua ſibi veſtimenta detraxit. LXXX. habent καὶ τὸν μανδύαν: quod editio Romana vertit *mantellum*. Complotenſes vertont ſimpliciter *veſtimentum*. Theodoretus autem quærit quid ſit apud LXX. *mandyan*. Reſpondet eſſe genus veſtis ſuperioris, & probat, quia is, qui ex caſtris
i lib. 1. Reg. c. 5. venit ad Heli [i] vt nunciaret cladem exercitus,

dicitur habuiſſe *mandian diſruptum*. Et ſimiliter de Rege Amonitarum refertur 2. Reg. 10. quod cum contumelioſè recepiſſet Dauidis legatos, inter alia ludibria *præcidit tunicam vſque ad nates*, pro quo LXX. habent *mandian illis diſciſſum*. Caietanus ſimpliciter vertit ex Hebræo *& veſtes ſuas*. Vatablus addit, quod nec cum LXX. nec cum Hebræo fonte conſentit, & rem etiam difficiliorem facit: ſic enim legit: *ſed & interiorem veſtem ſuam illi dedit*: perſpicuè enim hoc cum LXX. & Theodoreto pugnat: nec vllum habet veſtigium in Hebræa lectione: vt omittam explicari non poſſe, quomodo veſtem interiorem in omnium oculis ſibi detrahere, & deponere potuerit. At multo difficilius eſt, dicet quiſpiam, quod noſter habet, *& reliqua veſtimenta*. Sed bene rem perpendenti tale non eſt neque enim dicitur ſimpliciter. *Et reliqua veſtimenta ſua illi dedit*, ſed additur *vſque ad gladium*: quo nimirum ſignificatur tradidiſſe illi veſtimenta ea omnia, ſuſra quæ gladius cingebatur: erant autem duo tantum: vnum ſimile chlamydi, quam tunicam noſter appellauit; & Hebræus textus, *veſtem, quæ ſuper eum*: alterum, quod ſimile ſago Romanorum; quam forte *interiorem veſtem* appellauit Vatablus: ratione habita alterius ſuperioris. [k]
k *Vide quæ fuſè diximus in Appar. de re veſtiar. diſp. 3.*

Quod attinet ad arma, nihil eſt, quod explicatione indigeat; tantum obſeruandum Ionatham non ſolum gladio ſuccinctum incedere ſolitum: ſed etiam arcu inſtructum; cuius vſu maximè inter reliquos omnes excellebat: vt alibi [l] dicemus.
l lib. 2. Reg. c. 1.

Egrediebatur.] *Egredi, & ingredi* hebraiſmus eſt, quo quæcumque ſiue priuatim, ſiue publicè fiunt ſignificantur: de quo plura infrà hoc eodem capite, [m] *Egredi* autem ſolum poſitum publica, & forenſia munera complectitur, & ea, quæ in omnium conſpectu, oculiſque geruntur. *Ingredi* verò quæ domi priuatim eurantur; aut ad priuatam tantum cuiuſque rem pertinent. Hoc loco ergo ſenſus eſt, Dauidem munera, & officia, quæ illi à Saule fuerant demandata; prudenter omnia, fœliciterque adminiſtraſſe. Et deinde ſubditur, quæ iſta fuerint munera.
m ver. 16.

Poſuitque eum Saul ſuper viros belli.] Modus loquendi videtur ſignificare militiæ principatum Dauidi fuiſſe collatum: idem enim eſt, *præfici viris belli*; ac *militibus*, qui Hebraica phraſi ſic appellantur. Porrò qui militibus præficitur, is princeps militiæ conſtituitur. Habet tamen hoc non leuem difficultatem: tum quod ex iis, quæ legontur, clarè oppoſitum colligi videtur: neque enim Dauid eo loco deinceps habetur, qui generalem militiæ præfectum decebat: tum quod Abner ipſe eo munere prius fungebatur, & deinde etiam functus eſt. Quod fungeretur, clara res eſt; nam *egrediente Dauide ad Philiſteum Saul interrogauit* [n] *Abner principem militiæ*. Quod deinceps etiam in eo munere perdurauerit habetur infrà [o] vbi refertur Abner in regio conuiuio Regi proximus ex latere aſſediſſe; cum Dauidis locus multò eſſet inferior. Rurſus Abner princeps militiæ dicitur [p] Dauidem fugientem perſequutus & denique extincto Saule, Abner militiæ princeps dicitur [q] *vniuerſum Iſraëlem ad Iſbiboſeth congregaſſe, & ipſum Regem conſtituiſſe*. Quomodo ergo militiæ principatus Dauidi nunc delatus, qui nunquam Abneri fuit ademptus? Sulpitius [r] Seuerus *poſitum ſuper viros belli* tribunum tantum militum interpretatur. Septuaginta, & alij *ebyliarcum* appellant; de qua voce ſuo loco dicemus.
n Cap. 17. 55 lib. 1. Reg.
o Cap. 20.
p Hoc libro, c. 26.
q lib. 2. c. 2.
r *lib. 1. Sac. Hiſtor.*

Abulenſis

Abulenſis *viros belli* intelligit non quoſcumque milites : ſed eos, qui fines Iſraëlirici Imperij tutabantur. Ij enim ſemper in armis erant, ſemper pugnabant, ſemper manus cum hoſtibus, quibus erant finitimi, conſerebant ; & propterea *Viri belli* ſignanter ſont appellati ; quaſi ſemper in bello, & pugnantes, iis ergo vult rantum præfectum Dauidem ; & proinde diei *ipſum egreſſum*, quia longè nimirum à Regia, ea cura adminiſtrabatur prope hoſtiles terras. Probabilis coniectura; non tamen vſquequaque firma : illud enim de *Viris belli* certom non eſt : quia licet aliquando noſter Interpres, quod Hebraicè eſt *Vir belli* vertat *pugnatorem* : quaſi *Vir belli* non ſit quicumque
f Cap. 32. miles, ſed pugnans, vt in Deuteronomio, [f] *Dominus quaſi Vir belli*. Noſter, quaſi *Vir pugnator*. Clara tamen res eſt *Virum belli* non hoc perpetuò
t Cap. 16. ſignificare : nam qui de Dauide Sauli ſuggerit, [t] *Virum belli* Dauidem nuncupat, qui tunc tamen in armis non erat, nec contra quemquam pugnabat; cùm in paſcuis degeret. Puto ergo rem per ſe ſatis claram, difficilem reddi ſtudio interpretandi. Eſt enim hæc indefinita locutio ; *poſuit illum ſuper viros belli*, qua tam poteſt intelligi omnibus militibus præfectus Dauid ; quàm aliquibus tantùm. In communi tamen modo loquendi propoſitio indefinita pro particulari vſurpatur, vt tradunt Dialectici & ex Ariſtot. docet Apuleius libro, quem ſcripſit de Interpretatione. Itaque ſenſus erit præfecturam illi aliquam militum demandatam : quod Italicè diceremus *lo fece Capitano*. Ductorem illum ordinum conſtituit; qualem verò, quot, & quorum militum incertum.

Maximeque in oculis ſeruorum Saul.] In Hebræo propriè eſt : *Et etiam in oculis ſeruorum Saul:* vt obſeruat Caietanus, & Vatablus. Noſter explicationis cauſa dixit, *maximèque in oculis ſeruorum:* quia eſt hoc maximè obſeruandum, & admirandum; neque enim mirum, ſi populus omnis erga Dauidem egregiè fuerit animatus, ſi ſtatim complexus fuerit, ſi in oculis habuerit; at mirum valde eſt Saulis ſeruos, id eſt aulicos omnes, illum etiam adamaſſe, & charum habuiſſe : quem videbant creſcere, in quem omnium ora, fauor, & expectatio erant conuerſa; quem, poſtremus omnium cùm eſſet in aulam receptus, omnes iam ſe præceſſiſſe videbant. Hoc mirum fuit : non tactos inuidia, non obtrectandi ſtudio tranſuerſos actos : ſed magis virtutem ſuſpexiſſe; quàm fortunam fuiſſe æmulatos. Propterea hoc ſeorſim Scriptura proponit, quod erat magis inſolitum, & admirandum.

℣. 6.) Porrò cum reuerteretur percuſſo Philiſtæo Dauid, egreſſæ ſunt mulieres de vniuerſis vrbibus Iſraël, cantantes, chorosque ducentes in occurſum Saul Regis in tympanis lætitiæ, & in ſiſtris.

℣. 7.) Et præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes : percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia.

Porrò cum reuerteretur.] In noſtra editione videntur hæc per recapitulationem dici, & ante contigiſſe; quàm quæ proximè narrata ſunt; quod ſi verum eſt, non leuem difficultatem habent; quomodo enim Saul Dauidem militaribus præfecturis extulit ; cui iam erat infenſus ? intereſt igitur, vt ſubtilius hoc inquiramus, quo tempore hæ mulieres Dauidi, Saulique occurrerint.

Extra controuerſiam autem puto, non occurriſſe tunc, cum recens à victoria reuerteretur Dauid ; & Goliæ caput altera manu ſuſtentans Sauli ſe ſiſteret. Vbi enim tunc mulieres; aut vnde tam facile congregari potuerunt, vel quomodo ad illas de victoria paulò ante parta tam citò rumor eſt perlatus ; vt in ipſo articulo reuerſionis ex pugna, poſſent ipſæ ex ſuis finibus egredi, & victoriam feſtis cantibus celebrare ? Præterea quod dicebam; ſi ſtatim à pugna reuerſo Dauide pæana illum occinuiſſent, ſtatim etiam poſt pugnam inuidiam Saulis in illum accendiſſent, quomodo ergo hic illum militibus poſtea præfeciſſet, quomodo amplexus eſſet, honoribus, ac muneribus proſequutus ? Dicendum ergo eſt, occurſum iſtum contigiſſe; quãdo cunctis è prælio reuertentibus Saul cum exercitu in triumphi morem Hieruſalem eſt ingreſſus, vel celebrem aliam vrbem, quam primò obuiam habuit reuerſus ex caſtris: quo tempore iam Dauidem honoribus auxerat, bona fide diligens; nondum tantæ virtutis inuidus, ſed adhuc admirator, & fautor. Hæc autem ita eſſe clarè colligitur ex LXX. qui ſic habent. *Et factum eſt in ingrediendo eos, in reuertendo Dauid à percutiendo alienigenam*, quæ conſonant cum Hebræo ferè ad verbum, ex quo Caietanus vertit. *Et fuit venientibus eis, reuertente Dauid à percutiendo Paleſtinum.* Vatablus verò. *Factum eſt autem cum ipſi venirent* (Saul, & exercitus eius ex bello) *rediretque Dauid à cade Philiſtin :* perſpicuè enim per hæc ſignificatur occurſum hunc contigiſſe Saule ex prælio reuerſo. At cur adiungitur *reuertente Dauide ex cade Philiſtai ?* Hoc enim videtur indicare tempus illud; cum Dauid ex certamine Victor abſcedens ad ſuos ſe recepit. Sed aliud omnino ſignificat: triumphum nimirum quo ſolemni pompa Dauid deductus eſt cunctis proſequentibus; cum illo cultu, & habitu, qui teſtis eſſet relatæ victoriæ ; ac propterea ita inſtructum inceſſiſſe puto, vt erat, cùm recens ex pugna reuerteretur. Cum pera, cum baculo ; cum funda ; cum Goliæ denique capite; quod vel ipſe geſtaret ; vel alius antè ipſum; propterea dictum eſt à noſtro, *Mulieres illi occurriſſe reuertenti ex cade*, id eſt, pompam agenti quæ illum victorialem reditum repræſentaret. Antiqua lectio in vulgata editione habebat. *Cum reuerteretur percuſſo Philiſtæo Dauid, & ferret caput eius in Hieruſalem* : quam lectionem agnoſcunt, & interpretantur Abulenſis, Dionyſius, Caietanus, & alij antiquiores : & ſi eam ſequamur omnia clara ſunt : noſtra tamen emendata editio, & Romana, verba illa interpunxit, *& ferret caput eius in Hieruſalem* : quia nec in Hebræo, nec apud LXX. habentur deſideratur tamen in noſtra, quod eſt in Hebræo, LXX. & Complutenſibus. *Et factum eſt, cum reuerterentur ipſi.* Noſtra enim hoc omiſſo; tantùm habet, quod ſequitur. *Cum reuerteretur Dauid,* quod tamen in idem recidit : quia Dauid reliquis comitantibus, & proſequentibus eſt reuerſus.

Egreſſæ ſunt mulieres.] De hac feſta gratulatione, qua Dauid, & victor exercitus à mulieribus iſtis excipitur, quinque nobis ſunt exponenda. Primò ritus ipſe canendi, ſecundò quæ

iſtæ mulieres, tertiò vnde egreſſæ, quartò quid cecinerint; quintò quæ muſica inſtrumenta pulſauerint.

De primo certa res eſt in feſtis exceptionibus magnorum virorum fuiſſe ſemper vſurpatum, vt præter alia honoris, & lætitiæ argumenta, cantus quoque adhiberentur, & ſolemnes chori laudan-
u 2 Machab. 4. tium. Sic de Rege Syriæ dicitur: *Antiochus* [u] *magnificè ab Iaſone & Ciuitate ſuſceptus cum facularum luminibus, & laudibus ingreſſus eſt.* Laudes enim hic intelligendæ ſunt voces canentium; atque in muſicum numerum laudantium illum,
x In Vita Demetrij. qui excipiebatur Plutarchus alicubi [x] narrat Athenienſes *cum ſacris cantilenis tripudiantes, ac canentes Demetrio occurriſſe.* Sic Holophernem
y Iudith. c. 3 viri principes excepere [y] eum coronis, & lampadibus; ducentes choros in tympanis, & tibiis. Demochares vetus hiſtoricus apud Athenæum
z lib. 6. c. 6. [z] *Athenienſes*, inquit, *Demetrium ex Leucade, Corcyraque Athenas venientem: non ſolum fumorum odoribus, coroniſque, ac vina effundentes exceperunt: verum etiam chori ityphallique cum ſacris cantilenis tripudiantes, ac canentes ei occurrerunt.* Ex quibus colligimus receptum morem fuiſſe, præſertim apud Orientales; vt viri principes publicis cantibus exciperentur, qui laudes illorum in numerum concelebrarent: cuius moris veſtigia non ſolum, ſed expreſſam etiam imaginem noſtro tempore retinemus: tum alibi, tum maximè cum Eccleſiaſticis Principibus feſta cum celebritate obuiam itur. Et ſanè inconditæ illæ acclamationes, quas publicus fauor exprimit, plus gratiæ videntur habere; ſi inter illas modulati ſuis legibus cantus alternent. Ab hoc porrò ritu, cum Chriſtus Hieroſolymam ingreſſus eſt, paucos ante dies, quàm moreretur, inter alia ſigna lætitiæ exceptus etiam eſt lætis his plauſibus, & cantibus puerorum, canentium *Oſanna filio Dauid*, & ab eadem ritu nunc mulieres canentes, & ludentes; & in numerum pulſantes organa muſica Sauli obuiam, Dauidique procedunt. Qua de re
a V. Roa lib. 2. ſingular. c. 14. Lorin. Pſal. 67. Megalian. in Cantic. Moſ Exo. 15. Dalecamp. in Athen lib. 6. cap 6. Baron. to. 1. an. Chr. 34 nos alibi fuſius, & alij. [a]

De ſecundo, quæ iſtæ mulieres. Probabile mihi eſt eas fuiſſe, quæ ad templum excubabant: de quibus ſermo eſt hoc eodem libro. [b] Vbi nos pluribus de earum inſtituto viuendi diſputauimus. Moneor primo, quia mulieres iſtæ canentes dicuntur fuiſſe *Ex omnibus Vrbibus Iſraël*; quales erant prorſus, quæ in Templo, ſiue Tabernaculo excubabant, ſecundo quia non quæcumque, ſed ſacræ fœminæ erant, quæ choros iſtos, cantúſque
b Cap. 2. ver. 22. ciebant in honorem aduentantium: quod colligitur ex locis adductis, in quibus cantilenæ, quibus aduentantes etiam à gentilibus excipiebantur, ſacræ dicuntur. Sacro ergo ore canebantur: à Deo ergo ſacris mulieribus. At apud Hebræos non aliæ erant ſacræ mulieres præter iſtas, quæ in Tabernaculo degebant; illius cultum, aut eorum, quæ ad ipſum ſpectabant, curaturæ, tertio videtur confirmari hoc ipſum ex origine huius ritus apud Hebræos; qui ſiue dubio ortum ſuum habuit à Maria Moyſis ſorore: quando Pharaone, Ægyptiiſque ſubmerſis canticum illa cecinit
c Exo. c. 15. 20. cum comitibus ſuis. Sic enim dicitur. [c] *Sumpſit ergo Maria propheteiſſa ſoror Aaron tympanum in manu ſua egreſſæque ſunt omnes mulieres cum tympanis.* Hoc enim ſequentes, poſteri inſtituerunt, vt in feſtis exceptionibus mulieres canerent; & non quæcumque, ſed ſacræ, & ſacro cultui aliquo modo addictæ; vt erat Maria illa ſacra vates.

Propterea vbi de hoc ritu mentio [d] fit à Dauide, d Pſal. 67.
mulieres iſtæ appellantur *Halmaath*, quæ ſunt Virgines abſconditæ; in loco ſcilicet ſecreto templi adſeruatæ, & aliorum conſpectibus non peruiæ. *Praeuenerunt*, inquit, *Principes coniuncti pſallentibus, in medio iuuencularum tympaniſtriarum*, vbi Chaldæus: *in medio mulierum iuſtarum, ſanctarum, &c.* Sanctæ vtique quia dicatæ Deo; quas D. Hieronymus *puellas* appellat, ſic totum locum vertens ex Hebræo, *præcedebant cantores, poſt quorum tergum ſequebantur pſallentes; qui erant in medio puellarum tympaniſtriarum.* Vnde in eodem pſalmo ad hunc eumdem ritum alludendo chori harum mulierum exercitus, & acies diſpoſitæ nuncupantur; *Dominus*, inquit, *dabit verbum euangelizantibus virtute multa*: eſt enim hic ſermo de mulieribus in occurſum victoris Ducis prodeuntibus; vt omnes obſeruant, qui ſenſum literalem huius loci ſequuntur. Vnde Hieronymus, vt res elatior fieret *pro euangelizantibus*, quod nobis commune eſt vtrique generi maſculino, & fœminino; ad tollendam ambiguitatem habet *Annunciatricibus*: quem ſequuntur Felix, Pagninus, Caietanus, Vatablus, Clarius. In Hebræo enim eſt genere fœminino הַמְבַשְּׂרוֹת *Hammebaſcheroth.* Vnde & alij vertunt *Euangelizatricibus*, vt videre eſt apud Genebrardum, & Eugubinum; & poſt illos apud Lorinum in pſalmi huius expoſitione, quam poſt Eccleſiaſtes explanationem ſubiecit. Quod autem additur *virtute multa*: ſunt qui volunt, per appoſitionem intelligendum eſſe *de mulieribus annuntiatricibus*, & cantatricibus, quæ ſunt virtus multa, id eſt, exercitus copioſus: ſic appellatæ; non tantùm quia diſpoſitis ordinibus canebant: ſed quia in templo, quaſi in Caſtris quibuſdam excubabant: vt milites prætoriani; non principis cuſtodiæ attributi: ſed diuini prætorij. Poſſet verò quiſpiam non immerito apud ſe quærere; cur mulieribus, & non quibuſcumque; ſed his, quæ in Templo, Tabernaculóq; viuebant, hoc quaſi munus proprium fuerit attributum, Epinycia, & carmina victorialia decantandi. Sed reſponſio in promptu eſt. Mulieribus enim id datum; quia cæteris ad bellum profectis, qui domi remanebant otioſi, immunes ab operibus bellicis, infirmioris erant ætatis, aut ſexus. Cùm ergo victorem exercitum æquum eſſet feſta celebritate recipi, ab iis, qui domi remanſiſſent: merito mulieres munus ſibi ſumpſere canendi; adiuncta etiam teneriore ætate puerorum. Sic enim iuſtè videbantur onera eſſe diuiſa, ſi illi, qui diſceſſerant, fortiter facerent; qui verò remanſerant, eos laudibus extollerent. Illi egregia facinora pro Patria edebant, quia viribus, manuque pollebant; iſti, qui minùs opera, manuque poterant, linguæ officium patriæ accommodabant. Ex quo tacite ſignificabatur, Virorum eſſe fortia pati, & facere: ſi qui autem metu periculorum domi continerentur, inter mulieres computandos, qui non ipſi fortiter noſſent facere; ſed tantum otioſi alios, qui fortiter feciſſent, celebrare. At cur ex mulieribus iſtæ templo dicatæ adſumptæ ad id ſunt? Ratio eſt primo, quia illæ iam in commune degentes diuinas inter ſe laudes modulari aſſuetæ, facilius id muneris in publico poterant obire, ſecundo quia victoriam Dei benignitate partam, æquum erat, vt in Deum quoque canendo referrent mulieres dicatæ Deo.

De tertio; vnde egreſſæ hæ mulieres ſint difficultatem

Digitized by Google

cultatem facit quod adiungitur, *Ex cunctis vrbibus Iſraël.* Quomodo enim potueruot ex tam diſſitis, & ſeparatis locis omnes ad condictum ita diſcedere; vt ſimul deinde in ipſo articulo reuerſionis ex prælio, occurrerent Saoli & militibus Ciuitatem ingredientibos? nam hoc videtor Scriptura ſigoificare: Egreſſas illas ex ſuis omnes vrbibus; & commodum adfuiſſe, eum ſe Saol cum exercito in vrbem ferrent, & Dauidem cùm triumpho comitarentot. Verùm ex proximè dictis facilè omnia conſtant: oeque enim ſenſus eſt, *quod mulieres ſint egreſſa ex omnibus vrbibus;* ſed tantùm *quod qua mulieres erant conſlata ex omnibus vrbibus;* illæ ſint egreſſæ; itaque illud. *ex omnibus vrbibus*, noo cum *egreſſa* conſttuendum eſt; ſed tantùm cum *mulieribus*: quomodo autem eſſent iſtæ ex omnibus vrbibus proximè dictum eſt. Vnde ergo egreſſæ? ex illa vrbe, io quam triumphans inuehebator exercitus; quam probabile eſt fuiſſe Ieruſalem, vt docent Lyranos, Abulenſis, Dionyſius, Hugo, & ante bos Eucherios, Beda, Iſidorus, alij; & eolligitur ex eo quod ſupra dictum eſt proximo capite decimo ſeptimo. *Dauidem intuliſſe caput Golia in Ieruſalem:* quod oune factum eſſe probabile eſt, ac propterea vt dicebam, antiqoa lectio hoc loco habebat, *cum reuerteretur percuſſo Philiſtao Dauid, & ferret caput eius iu Ieruſalem*, quod Gloſſema fortè additum ad ſententiæ expoſitionem, vitio, vt fit, librariorum, irrepſit in textum: probat tamen quod dicebam, vrbem hanc, quæ nunc petitur à triumphantibus, & ex qua exitur ab occurrentibus fuiſſe Ieroſolymam.

Quarto loco quid cecinerint mulieres iſtæ, videodum eſt. Scriptura carmeo hoc repetitum refert, *Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia:* carmen appellaoi; qoia laodes ſine dubio fuere ſuis numeris adſtrictæ; quarum hæc ſumma erat: vt Saul quidem commendaretor, ſed ita vt illi Dauid præferretur, quæ prima mali labes fuit, & totius odij Saulis in Dauidem prima radix.
e lib. 6. c. 51. Antiq. Ioſephus.[e] Sic tota hac de re commemorat. *Cùm victor Saul cum exercitu reuerteretur honoris cauſa obuiam proceſſerunt ei mulierum, ac puellarum chori ad tympana, & cimbala cum omni lætitia çanentes: mulierum cantio fuit Saulum millenos hoſtes profligaſſe; Virginum verò decies millenos Dauidem ſubſtuliſſe.* Hæc ille ſignificans duos hinc inde choros ſibi inuicem alternis occinentes fuiſſe diſpoſitos: alterum chorum mulierum; alterum puellarum: & illum quidem Saulem ſibi ſumpſiſſe celebrandum; hunc verò Dauidem: dixiſſe illas mille Saulem ex boſtibus occidiſſe; excepiſſe iſtas decem partibus plures à Dauide obtruncatos. Qua in re myſterio fortaſſe non vacat, quod Dauid Chriſti typum gerens à Virginibus laudatus ſit, & prælatus Sauli. Has certè D. Am-
f Pſal. 35. r. broſius alicubi iouenculas appellat.[f] *Saul quoque triumphatorem Paleſtinorum, Dauidem Prophetam, & propriè conſeruatorem ſalutis iuuencularum ſibi ſermone prælatum tentauit inſidiis, teli iaculo parauit occidere.* Porrò quod habet Ioſephus de choris alternis canentibus ſequutus eſt Vatablus, qui ſic vertit, *Alternis autem canebant mulieres ludentes*, qua de alternatione nullom verbum expreſsè eſt nec in Hebræo, nec apud LXX. nec io noſtro: licet colligatur aperte ex eo, quod dicitur *duxiſſe choros.*

Quinto de ioſtrumentis moſicis, valdè diuerſa babentur io diuerſis editionibus. Noſtra, ad quam reliquæ omnes ſunt dirigendæ; duo inſtrumenta commemorat: *Tympana, & Siſtra.* De tympanis oota res eſt ea adhiberi conſueuiſſe ab hebræis mulieribus in feſtis celebritatibus; & coostat ſatis apertè ex dictis de Maria Moſi
ſorore, & de aliis, quarum[g] mentio fit à Dauide, g Pſal. 67.
& propterea *tympaniſtria* appellabantur.

Pro *Siſtris* verò, quod in noſtra legitur; io Hebræo ad verbum eſt. In *tertiis*: vt obſeruat Caietanus: & ipſe cum Vatablo interpretatur de organo muſico trium cordarum, & fidium. Quod inquit Caietanos longè diuerſum quid eſt à ſiſtro. LXX. & Complutenſes pro *Siſtris* habent *cymbala.* Vatablus verò præter *tympana* addit fides, tibias, ſiue fiſtulas, quarum veſtigium nullum in LXX. & Hebræo. Cæterum qoæ, & qualia eſſent hæc inſtrumenta muſica, ſimolque de aliis, quæ à Daoide in diuinis laudibus ſunt vſurpata, pluribus nobis hoc loco non eſt ageodum, in propria ea de re diſputatiooe ſatis accuratè quæ dicenda erant, proſequutis. Tantummodo reſpondendum eſt ad id, quod Caietanus dicebat: Eſſe longè diuerſum *Siſtrum* ab organo muſico, quod in Hebræo exprimitur: vode quiſpiam ſuſpicari poſſet minus fideliter noſtrum Interpretem Hebraicam veritatem reddidiſſe. Falſum enim id eſt: qoia in Hebræo vox, quæ ad verbum verti poteſt. in *tertiis*: non ſignificat ioſtrumentum illud, vel trium cordarum fuiſſe, vel trium foraminum: ſed tale fuiſſe organum, quod percuſſum tergeminum ſonum redderet. Tale autem erat ſiſtrum: organom moſicum Ægyptiorum proprium, ac proinde Syris, Paleſtinis, & Iudæis familiare; vt in diſpotatiooe citata latiùs.

Percuſſit Saul mille.] Senſum proprium horum verborum præſertim in noſtra taotum verſione ſiſtendo, diximus eſſe: Saulem quidem multos occidiſſe: at Dauidem multo plures. Hunc tamen ſenſum turbare videntur aliæ verſiones. Septuaginta enim ſic habent; *Percuſſit Saul in millibus ſuis, & Dauid iu decem millibus ſuis*; quomodo etiam ad verbum eſſe ex Hebræo vertendum dicit Caietanus: & legunt etiam omnes an-
tiquiores Partes. Ambroſius[h] *Golia ſuperato, oc-* h Pſal. 118. Oct. 14. ver. 107.
currerant iuuencula pſallentes: Saul in millibus, Da-
uid in decem millibus. Et rurſus.[i] *Hic ergo iuuenis,* i Ibi Octon. 18. ver. 141.
atque deſpectus ſtrauit Allophilum, poſituſque victoria in decem millibus iuuencularum pſallentium teſtimonio triumphauit; & paulo poſt. *Pſallunt ſecura anima, qua ante peccatorum ſuorum tormenta deflebant, dicunt tympanis: hoc eſt corporibus ſuis peccato mortuis reſultantes: Saul triumphauit in millibus;*
Dauid iu decem millibus: Similiter Eucherius[k] k lib. 1. Reg. cap 18.
Interea victoria Dauid animum Saulis Regis offendit, indignans (ſic ille freqoenti illorom temporom lapſu pro indignantis) *quod Saul in mille, & Dauid iu decem millibus conclamantium publica gratulationis ora inſonarent.* Alij ergo hunc locum ſic legunt. *Percuſſit Saul in millibus; Dauid in decem millibus.* Alij retinentes verbum græcum. *Percuſſit Saul in chiliadibus; Dauid in myriadibus.* Alij addunt vtrobiqoe pronomen ſuum. *In millibus ſuis.* Alij ſimpliciter omiſſo verbo. *Saul in millibus; Dauid in decem millibus.* D. Ambroſius pro *percuſſit* verbum ſobſtituit *triumphãdi. Triumphauit Saul in millibus, Dauid in decem millibus.* Ex qoibus omnibus colligimos, duos poſſe ſenſus his verbis aptari: vnum quem clarè noſtra vulgata præfert; moltos à Saule occiſos; at plures à Dauide

à Dauide. At quomodo id verum? cum à Saule innumeri fuerint occiſi; à Dauide verò vnus tantùm Golias? quia hic licet vnus eſſet pro decem tamen millibus computabatur: quemadmodum etiam de Dauide dicitur alibi: [l] *quod ſolus pro decem millibus erat.* Alter verò ſenſus, quem inſinuant aliæ verſiones eſt; perinde fortiter feciſſe in bello Saulem, & Dauidem; ac ſi ille eſſet mille Viri; hic decem millia. Quod eſt dicere vtrumque quidem inſtar fuiſſe multorum; Alterum tamen pro mille ſtetiſſe, alterum pro decem millibus. De hac verò laudatione ſic habetur in Eccleſiaſtico. [m] *Sic in decem millibus glorificauit eum, & laudauit eum in benedictionibus Domini in offerendo illi coronam gloriæ.*

l lib.1.c.19.

m Cap.47.7.

℣. 8.) Iratus eſt autem Saul nimis, & diſplicuit in oculis eius ſermo iſte: dixitque dederunt Dauid decem millia & mihi mille dederunt: quid ei ſupereſt, niſi ſolum regnum.

℣. 9.) Non rectis ergo oculis Saul reſpiciebat Dauid à die illa, & deinceps.

Iratus eſt Saul nimis.] Ex hoc puellarum cantu multiplici affectu Saulis animus turbatus eſt: indignatione in pſallentes; odio in Dauidem; metu de regno; inuidia in ſibi prælatum: quibus omnibus iracundia præiuit; quaſi chorum ducens, & illos omnes excitans. Propterea ab hoc exordium ducitur. *Iratus eſt Saul nimis.* Vnde, aut in quos iratus? vtrumque clarum: iratus, quia prælatus Dauid; puellis iratus, quæ prætulerant. Ambroſius. [n] *Quia Golia ſuperato occurrerunt iuuencula pſallentes: commotum eſt fel Regis*: bene dixit *fel*: vt oſtenderet non vna tantummodo perturbatione agitatum; ſed plures ſimul in illo excitatas amaras omnes, & truculentas. Fel enim ſedes horum affectuum: ideo qui illud commouet, ſentinam malarum peſtium in animo commouet.

n Pſal. 118. Octon.14. ver.107.

Diſplicuit in oculis eius ſermo iſte.] Hebraiſmum ſeruarunt LXX. *Et malum viſum eſt verbum de ſermone iſto.* Complutenſes. *Et apparuit prauum verbum nimis in oculis Saul de verbo iſto.* Noſter Hebraiſmum ex parte reſoluit, quem alij retinent. Idem enim *apparere aliquid malum in oculis alicuius*, atque *illi diſplicere*: vt contra *apparere bonum* eſt illi *placere*. In Phraſi verò Hebræa tacitè datur cauſa, & radix, cur quædam probemus; & alia improbemus. Idcirco enim quid probatur, & placet; quod appareat bonum in oculis noſtris; vt contra improbatur, & diſplicet; quod malum appareat. Hoc verò loco inſuper id ſignificatur, fuiſſe Saulem ſibi quaſi auctorem cruciatus, & commotionis ſuæ; Neque enim magnopere curandum illud erat, quod acciderat; ſed ipſemet malum ſibi ſuum maius reddidit, exaggerando, quod leuiſſimum erat, & facile diſſimulandum. Propterea dicunt Complutenſes, *& apparuit malum verbum nimis in oculis ſuis*: non ita hoc erat: ſed ita apparuit. Vnde [o] Ambroſius. *Quam atrox*, inquit, *inuidia Regis Saul, qui ſermonis errorem in innocentis exitium deriuauit*: quod ipſum etiam noſter interpres tacitè inſinuauit, dum dixit, *diſplicuit in oculis*, id eſt ſi ita loqui liceat ex apparenti, & falſa apprehenſione? non quòd in ſe malum eſſet, ſed quod falſo pro tali habitum. Ergo non aliud eſt, *prauum nimis apparuit verbum hoc in oculis Saul*, quàm grauius omnino & alioſum interpretatum eſſe verbum puellarum; quam æquum erat. *Ne fece più conto di quel che douea.*

o Pſal. 36.1.

Dederunt Dauid decem millia.] Ioſephus. *Audiens Saul decuplo potiores victoriæ partes adoleſcenti tribui, & ratus poſt tam glorioſum teſtimonium, nihil illi ſupereſſe ſperandum niſi regnum, &c.* Vult ergo timuiſſe Saulem; ne animus adoleſcentis, & ſua ſponte in magna propenſus; & tam glorioſo teſtimonio excitatus in ſpem nouarum rerum accenderetur.

Non rectis ergo oculis.] Quid ſit non rectis oculis aſpicere; & quem affectum per id velit Scriptura indicare in Saule; An odium, an inuidiam in Dauidem, incertum eſt. Nonnulli, vt Dionyſius, & Caietanus inuidiam putant: quod proprium ſit inuidorum eos, quibus inuident, obliquis oculis intueri. Videntur autem illis fauere Patres. [p] Qui dicunt ex hoc cantu mulierum inuidiam Saulis accenſam aduersùs Dauid: & Tertullianus: *Saul*, inquit, *bonus præ cæteris, liuore poſtea euertitur.* Alij verò odium interpretantur. Ex odio enim eſt, quod quis alterum videre nolit; aut cum videt, toruis, & non rectis oculis intueatur. Alij ſunt, qui per hoc tantùm putant ſignificari ab ea die Dauidem à Saule curioſè obſeruatum. Qui enim diligentiùs, & ſubtiliùs in facta alicuius inquirunt, ij quia rapim, & furtiuè, etiam obliquis, & non rectis oculis intuentur. Ego verò exiſtimo, vt iam dixi, pluribus ſimul affectibus Saulis animum fuiſſe commotum: odio, inuidia, indignatione, metu ſuſpicionibus. Per hunc autem modum loquendi odium fuiſſe maximè ſignificatum. Quod enim noſter vertit, *non rectis oculis aſpiciebat*: propriè ex Hebræo verti poteſt; vt obſeruat Georgius Vechelius in Idiomat. linguæ ſanctæ. *Non bono oculo aſpiciebat; ſiue malo oculo aſpiciebat, ab illa die Saul Dauidem.* Ad verbum enim in Hebræo eſt. *Factus eſt, ſiue mutatus, alteratus oculus Saulis in Dauid.* Quod Italicè dicimus perſimili idiotiſmo cum Hebræis. *Non mirar di buon occhio.* Et eſt proprium eorum; qui aliquem odiſſe incipiunt, quem prius amabant. Quod autem Ambroſius, & alij Patres affectum, quem his verbis ſigificari putant, inuidiam interpretantur; nihil contra hoc eſt, nam bonis auctoribus inuidia nonnumquam pro odio appellatur. Vnde & idem Ambroſius, [r] *dixit commotum fuiſſe fel Saulis in Dauidem.* quæ eſt ſedes odij, & indignationis propria; cùm tamen inuidia propriè accepta non in bile, & felle, ſiue in parte, quam dicunt *iraſcibilem*, ſed in *concupiſcibili* ſit ſita, vt pote triſtitia de alieno bono. Senſus ergo proprius huius loci eſt, ab ea die Saulem cœpiſſe paulatim, omnem illum affectum exuere beneuolentiæ, quo Dauidem antea fuerat proſecutus. Et hoc propriè ſibi vult Hebraiſmus ad verbum ſeruatus. *Factus eſt, aut mutatus oculus Saulis in Dauid*: quod Italicè ſimiliter dicimus. *Non lo miro più come ſoleua.*

p Ambroſ. Pſalm 36.1. Gregor. lib.5. moral. c. 31. Seuer. Sulpit lib.1 Hiſt. q De Praeſcrip. c.1.

r Pſal. 118. Octon.14. ver.107.

Cæterùm quod attinet ad rem ipſam; certa res eſt, vt dicebam; primum omnium affectuum, qui alios deinde in Saule excitauit contra Dauidem fuiſſe inuidiam propriè ſumptam: non vt idem eſt cum odio: ſed vt propriè triſtitia eſt de alieno bono. Ad quod ſignificandum Patres non ſolùm odium, ſed liuorem, & obtrectationem Sauli in Dauidem tribuunt. Inuidia autem correptus

reptus eſt, dolens adoleſcentulum ſibi fuiſſe prælatum, & pluris quaſi ab omnibus, quàm ſeipſum fieri: qui morſus animi ſuperbiam quoque habet adiunctam, à qua etiam deſcendit, & prouenit; Eſt enim ſuperbia appetitus ſuper alios excellendi: Ex quo eſt, vt cum alij parte aliqua excellere cernuntur, illis inuideatur, & obtrectetur; vt nunc Sauli contigit. Quia enim ſuper omnes alios ipſe excellere cupiebat: indigniſſimè tulit quemquam ſibi præferri: atque ita non inuidia hæc pura, & impermixta fuit; ſed ex arrogantia, ſuperbiaque conflata. Rari enim admodum ſunt, qui hoc inuidiæ morbo nudo, & ſimplici laborent. Quis enim bene quid alteri contigiſſe doleat; aut malè quid accidiſſe gaudeat; niſi eum ſimul odio proſequatur; aut ex aduerſis, & proſperis ſuam fortunam temperari putet? Inuidia ergo Saulis in Dauidem ex ſuperbia profecta eſt, & illi permixta: qua in re multa nobis inſinuantur obſeruatione digna: curſim hîc more noſtro attingenda; vt alibi fuſiùs explicentur.

Primò quidem hoc habere plerumque Principes, & Dynaſtas vt non ſolùm contenti ſint in eo excellere, quod eſt illorum proprium, & nemo illis contendit: ſed in omnibus etiam aliis, quæ ad illos non ita ſpectant. Itaque primas ſibi omnium rerum poſcunt. Et ſi ſtudio venandi, canendi, equitandi ducuntur; ipſi ſoli volunt eſſe ſagaciſſimi venatores; Cantores egregij, equites peritiſſimi: veluti hic etiam Saul; quia enim, & ipſe ſtudio armorum tenebatur, nullum in iis ferebat ſuperiorem, aut parem ſibi exiſtimari: ac proinde Dauidem ſibi prælatum eſt indignatus. Quid hoc ad illum? qui Rex erat, qui populi Iſraëlitici moderator & rector, qui ipſius etiam Dauidis Dominus? An quidquam propterea de illius regia dignitate decidebat? mihi omnino: Quin potius omnia ad ipſius maius decus, & amplitudinem redundabant; qui tales haberet milites quorum forti opera vteretur in bello; quia tamen non contentus erat in eo excellere, quod ipſius proprium erat, ſed alia quoque ſibi arrogabat. Ideirco non tam gauiſus eſt fortiſſimum ſe habere militem; quam doluit illum ſe ipſo habitum fortiorem. *Eſt genus hominum*, dicebat Comicus, *primos, qui ſe eſſe omnium rerum volunt nec ſunt*. Ex hoc genere hominum, niſi ſibi maximè caueant, omnes fermè ſunt, qui in Magiſtratu ſunt. Ex hoc ergo erat etiam Saul: ideo primum ſe eſſe volebat omnium rerum, & non contentus regno, diuitiis, opibus, honoribus, poteſtate imperandi; volebat quoque in aliis, quæ propria non Regis erant excellere, & fortiſſimus omnium exiſtimari. Quid ad te vaniſſimè Rex alienas iſtas, & frigidas laudes conſectari? Ad te, inquam, qui regio clarus imperio non tam ſollicitus eſſe debes, vt fortiter facias, quam vt fortiter facientes, ſubiectos habeas, & ad nutum obnoxios? Quid ad te ſi

Excudent alij ſpirantia mollius æra.
Orabunt cauſas melius, cælique meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſydera dicent?
Tu regere imperio populos Romane memento.

Verum hæc impotentia animi ſuperbè ſibi nimis omnia arrogantis vitium fuit, quo Saul præcipuè laborauit: ideo illi vt proprium Patres [f] vbique tribuunt dum non alio titulo Saulem inſigniunt, quàm Regia ſuperbiſſimi.

[f] August. Psal. 31. conc. 1. Hieron. lib. 2. Reg. c. 18. Ambros.

Ex hac autem ventoſi animi ſuperbiſſima vanitate, inuidia, liuor, & obtrectatio neceſſe eſt ſtatim exiſtant. Neque enim poteſt de aliorum bonis ſucceſſibus non dolere; qui quicquid in aliis viderit excellere, ſibi exiſtimat deceſſiſſe. At ex inuidia illico odium oritur. Quomodo enim non odiſſe poſſumus, cui ſi quid mali contigit perpetuum cupimus; & ſi quid boni ineſt, ineſſe dolemus? Porrò ex odio ſuſpiciones, amaritudines, inſidiæ, metus, & mille aliæ malæ peſtes exiſtunt; quæ & illum priùs conficiunt, quem inſederunt, & aliis etiam exitium parant, in quos concitantur. Exemplum nobis aduertere horum omnium in Saule licet; cui enim inuidit; illum deinde odiſſe cœpit; inde timere; tum appetere inſidiis; demum apertè oppugnare, & palam ad exitium poſtulare.

Psalm. 118. Odon. 14. Greg. 1. Reg. c. 14 Chryſ. in Pſalm. 3. Nazianz. orat 7. Theodoret. in prim Reg. cap. 14.

℣. 10.) Poſt diem autem alteram inuaſit Spiritus Dei malus Saul & prophetabat in medio domus ſuæ: Dauid autem pſallebat manu ſua, ſicut per ſingulos dies: tenebátque Saul lanceam.

℣. 11. Et miſit eam putans quod configere poſſet Dauid cum pariete: & declinauit Dauid à facie eius ſecundo.

Poſt diem autem alteram.] Quando hoc: numquid poſt eum diem, à quo die cœpit Saol Dauidem non rectis oculis aſpicere: vt ſit tantum poſtridie eius diei? Nequaquam ſic: ſed *poſt diem alteram*. Hebraiſmus eſt, quo ſignificantur plures dies effluxiſſe; cum hoc contigit, quod mox ſubiicitur. Vt ſit idem: *poſt alteram diem*: quod *poſt aliquot dies*. Hebræi enim ſicut per aduerbium *heri*, non tantùm proximè elapſum diem ſignificant; ſed præteritum quodcumque tempus: ita nec per *cras* proximè tantùm ſequens tempus: ſed id etiam quod longè poſt eſt futurum vnde Iacob ad Laban. *Cras* [r] *reſpondebit mihi iuſtitia mea*, id eſt poſthac. In Hebræo autem ad verbum eſt in hoc loco, *& fuit in craſtino*: quod noſter habet, *poſt diem alteram*. Cur autem non potuerit hoc contigiſſe poſtridie eius diei, quo die ex cantu mulierum Saul eſt indignatus; ratio in promptu eſt. Quia Scriptura indicat diu apud ſe fouiſſe Saulem conceptum odium in Dauidem; priuſquam ipſum lancea tentaret opprimere.

[r] Gen 30. 33.

Inuaſit.] Idem verbum hoc loco eſt in Hebræo, quod vſurpatur [u] de Spiritu bono in Dauide, & à noſtro interpretatum ibi eſt per verbum *proficiendi, & proſperandi*: Hoc loco aptius per verbum *inuadendi*. Intelligimus autem propriè ſignificari inualuiſſe morbum illum in Saule, & vires ſumpſiſſe; Quicumque ille eſſet; ſiue maniaca affectio, & melancholica à Dæmone excitata: ſiue Dæmonis ipſius inſeſſio. Caietanus vertit ex Hebræo *profecit in Saule ſpiritus malus*, id eſt, inualeſcendo vires, & incrementa maiora ſumpſit: acerbior erat vexatio, & vehementius collidebatur Saul.

[u] Suprà c. 16.

Et prophetabat.] Chaldæus *deſipiebat*. Quod referri poteſt tam ad verba, quæ inſanorum more iactabat; quàm ad geſtus, quibus furens, & morbi impatiens variè agitabatur. At cur qui ſic inſaniebat, prophetaſſe dicat Scriptura, dubitari poteſt. Vatablus. *Prophetare*, inquit, *dicuntur ſtulti*,

quod

quod non intelligant ea, quæ dicunt. Caietanus *prophetabat Saul, quia ea dicebat, quæ non intelligebat.* Abulenſis *prophetabat; quia a Dæmone correptus loquebatur, quæ occulta alioquin erant, & nullorum cognitioni peruia; qui autem talia profantur, vulgo prophetare dicuntur.*

Sed dicendum eſt in Sacris literis pleraque nomina æquiuoca eſſe; quæ licet idem ſonent; longè tamen diuerſa ſignificant. Sic Dei appellatio, tam de vero, quàm de falſis numinibus vſurpatur; ſic iuſtus, fælix, beatus, bonus, & is dicitur, qui verè eſt; & is etiam, qui tantum falsò aliorum iudicio talis habetur. Sic denique propheta dicitur, & verus veri Dei vates; & falſorum numinum inſanus antiſtes. Ex quo eſt, vt & prophetare diuerſa ſignificatione dicantur; tam qui vero afflati numine, arcana eloquuntur; quàm qui falſorum Deorum inſtinctu occulta profantur. Porrò falſorum prophetarum, & gentilium proprium erat, vaticinia ſua furendo, & totius corporis, membrorúmque omnium cum inſana agitatione proferre. Vnde factum eſt, vt ex illorum ſimilitudine quicumque morbo mentis correpti aliena loquebantur & caput, & membra torabant, vaticinari etiam dicerentur. Sicut viciſſim veri, quos putabant vates; cùm ſua oracula fundebant, furere dicebantur, & inſanire.
x *Actu 3. ſc. vlt.* Apud Senecam in Agamennone ſic Caſſandra deſcribitur vaticinari incipiens.

Silet repente Phœbas, & pallor genas
Creberque totum poſſidet corpus tremor
Stetere vitta, mollis horreſcit coma.
Anhela corda murmure incluſo fremunt
Incerta nutant lumina; & verſi retro
Torquentur oculi: rurſus immoti rigent.
Nunc leuat in auras altior ſolito caput
Graditúrque celſa: nunc reluctantes parat
Reſerare fauces.

Quæ omnia meri geſtus ſunt, & ipſiſſimus habitus inſanientis: ac proinde ipſamet Vates ibidem & furens, & veſana, & mentis impos dicitur;
y *lib. 3.* & ob id à Virgilio de Sibilla ſimiliter habetur.[y]
Inſanam Vatem aſpicies, quæ rupe ſub ima
Fata canit, foliiſque notas, & nomina mandat.
Contra verò vice verſa inſanientes ipſi *fanatici*
z *l. 1. § 5. ff. de ædilitio edicto.* appellantur. Sic apud Vulpianum[z] qui morbo melancholico arreptus caput iactat, aliena loquitur, dictiſque, & factis deſipit, fanaticus dicitur. *Si ſeruus*, inquit, *inter fanaticos non ſemper caput iactaret & aliquid profatus eſſet; an nihilominus inſanus videretur, &c.*

Eodem modo ergo Scriptura hoc loco Saulis inſaniam, & furorem *prophetiam* appellat: vt bene
a *Quæſt 45. in 1. Reg.* obſeruat[a] Theodoretus in eo ſe communi hominum loquendi conſuetudini attemperans, & ſimul etiam duo nobis inſinuans valde obſeruanda. Alterum eſt parcè nobis admodum, & non niſi verecundè, & circumſpectè loquendum eſſe de Principum noſtrorum, ſiue corporis, ſiue animi morbis. Quod ſi aliquando faciendum ſit; tunc verba non eſſe vſurpanda quæ vitium exaſperent, & in maius augeant; ſed quæ potiùs minuant, & quodam quaſi velo honoris obumbrent; ſi quid in illis minus decorum ſit. Ecce enim hic Saul verè inſaniebat, & furebat: mentíſque impos aliena loquebatur; abſtinuit tamen Scriptura à verbo aſperiori; & aliud conſultò quæſiuit maieſtate Regia non indignum; licèt enim Saul & moribus improbus, & cogitationibus inſanus: Rex tamen erat. Dedit hoc ergo regio culmini Scriptura, & non dixit, *inſaniebat:* ſed *prophetabat.* Alterum, quod nobis inſinuat, ſpectat ad ingenium Aulæ, & aulicorum. Expreſſit enim hoc loco Scriptura, quod illi obſeruant erga Reges, & Principes ſuos; vt ſi quæ bona in illis vident ſemper in maius adulando extollant: ſi quæ verò corporis, aut animi mala, ea verbis extenuent. Sic Saulem verè inſanientem & morbo, furoreque extra ſe poſitum; non inſanum, ſui, ſed prophetam vocabant. Quorum voces, & orationem imitata Scriptura, ipſum etiam non inſaniſſe; ſed propheraſſe dicit. Quæ autem miſero ſpes reliqua ſanitatis erat; ſi audiebat à ſuis diuinum eſſe afflatum, qui morbus erat, ſed de hoc aliàs.

Miſit eam putans, quod configere poſſet David.] Dubium eſt an Saul certus quid ageret, & ex animi propoſito lanceam intentauerit: an verò alienata mente, & impos ſui id fecerit, quod ſuggerebat morbus: ſunt qui illud primum cenſent. Id enim indicari, cum dicitur, *miſit lanceam putans quod poſſet configere Dauid:* Hæc enim verba ſignificant id ex animi propoſito, & certa deliberatione aggreſſum eſſe: quod etiam clarius ex Hebræo colligitur; vbi habetur ad verbum, vt vertit Caietanus. *Miſit lanceam dicens percutiam in Dauidem, & in parietem:* vel vt Vatablus. *Cogitauit apud ſe traiecto Dauide infigere lanceam parieti.* Dicere enim, & cogitare ſignificant in Scriptura animi propoſitum; & quod quis apud ſe deliberando ſtatuit, & decreuit; conſentire videntur Patres, qui hanc Saulis petitionem non ad animi morbum, & furorem referunt; ſed ad malam malitiam, & mentis improbitatem: Am-
broſius.[b] *Saul quoque triumphatorem Palæſtinorum* b *Pſal. 31. v. 1.*
Dauid, prophetam, & propriæ conſeruatorem ſalutis, iuuencularum ſibi ſermone prælatum; tentauit inſidiis, teli iaculo parauit occidere, ac penè ſanguinem generi fuderat innocentis; niſi vulnus ille ſinuati corporis inflexione eluſiſſet. Similia habent Athana-
ſius,[c] Beda, Iſidorus, Rupertus, Hugo Victorinus c *Orat. de ſomen.*
hoc loco. Contrà verò alij contendunt furentem, & ſui impotem id feciſſe. Scripturam enim clare teſtari non ſimulatè Saulem, ſed verè morbo correptum acrius, quam antea fuiſſe vexatum: Amentem ergo, & rabie percitum haſtam intorſiſſe. Vtrumque probabiliter ſimul dici poteſt; nimirum & morbo vexatum, & ex certa animi deſtinatione id attentaſſe. Quod ſecundum ſi aſſerimus, aſſerendum quoque eſt morbum talem fuiſſe, qui non omnino rationis vſum interciperet. Si autem intercepit, & impotem ſui reddidit; non tamen ob id negandum id feciſſe, quod odium ſuggerebat. Tunc enim maximè perturbationes animi ſeſe produnt, & vires ſuas exercent, cum caſu vel morbo aliquo incipimus inſanire. Quo tempore etiam id aggrediuntur, & audent; à quo dum valebamus, vel ratio, vel metus, vel aliquod aliud conſilium nos retrahebat. Saul ergo quem ſanus odio habebat, & tacitus ſecum ad necem perſequebatur, eumdem inſanus apertè ad exitium poſtulauit: tunc nimirum eum nulli erant reſpectus, qui ipſum retardarent; niſi fortè dicamus voluiſſe ipſum occaſione furoris, vt quod odio pararat, morbo imputaretur: vt inuidiam omnem, quæ ex Dauidis interitu fuiſſet alioquin ſubeunda, ea ratione vitaret. Quod ſi fecit ſine dubio dicendum eſt nihil omnino læſum in rationis arbitrio, qui morbo ipſo

vtebatur

vtebatur ad ea, quæ malè conceperat tutiùs perficienda.

Lanceam.] Hoc ex conſuetudine priſcorum Regum, præſertim orientalium; qui nuſquam ferè viſebantur, quin ſpiculum aliquod manu geſtarent, virtutis ſimul & dignitatis inſigne. Qua de re ſuprà pluribus, vbi de virga Ionathæ.

Putans quod configere eum poſſet cum pariete.] Quia Dauid, vt decebat ob reuerentiam ante Regem ſtabat: ita tamen vt parieti inniteretur: quò commodiùs muſicum organum pulſaret ad numerum, & fidibus caneret.

Declinauit eum bis.] Vel quod eodem die bis appetitus fuerit Dauid, vt vult Burgenſis: vel certè quod per anticipationem Scriptura commemoret; quod nunc primùm; & deinde iterum accidit, prout in capite etiam ſequenti narratur. Alij, quorum meminit Dionyſius, malunt ſermonem hîc eſſe de diſceſſu Dauidis ab Aula; quam primum reliquit ingruente Palæſtino bello: cùm ad patrem, & paſcua ſe recepit: & nunc ſecundò deſerit inſidiis Saulis apperitus. Sed perſpicuè falluntur. Neque enim ſermo hic eſt de egreſſu ab Aula: ſed de declinatione, qua Dauid iactum Saulis eluſit: vt vidimus ex Ambroſio, Sulpitio Seuero, & Beda. Propriè ergo noſter, & latiniſſimè verbo *declinandi* hoc loco vſus eſt. Declinamus enim ea, quæ in nos miſſa modica
d Orat. 1. in Catil. corporis inflexione vitamus. Vnde Cicero. [d] *Quoties ego tuas petitiones ita coniectas vt vitari poſſe non viderentur, parua quadam declinatione, & vt aiunt, corpore eluſi?* Q. Curtius [e] in re perſi-
e lib.7. mili cum iſta noſtra. *Igitur Macedo lanceam emiſit, quam cum Dioxippus exigua corporis declinatione vitaſſet.* Similiter Ambr. de Dauide, vt vidimus, dixit, *Vulnus illatum ſinuati corporis inflexione eluſiſſe.*

℣. 12.) Et timuit Saul Dauid, eò quòd Dominus eſſet cum eo, & à ſe receſſiſſet.

℣. 13.) Amouit ergo eum Saul à ſe, & fecit eum tribunum ſuper mille viros: Et egrediebatur, & intrabat in conſpectu populi.

℣. 14.) In omnibus quoque viis ſuis Dauid prudenter agebat, & Dominus erat cum eo.

℣. 15. Videns autem Saul, quod prudens eſſet nimis, cœpit cauere eum.

℣. 16.) Omnis autem Iſraël, & Iuda diligebat Dauid: ipſe enim ingrediebatur, & egrediebatur ante eos.

Et timuit Saul Dauid.] In Hebræo propriè eſt, *Et timuit Saul à facie Dauidis*, Timemus enim à facie alicuius, cum ab illo nobis cauemus; ipſius congreſſum fugimus, & occurſum vitamus: non audentes nos illi committere, quod quia fit ab illius conſpectu declinando: à facie ipſius timere
f Cap.1.v. 8. dicimur. Ad Ieremiam Deus. [f] *Ne timeas à facie eorum*, id eſt, ne ab illorum te conſpectu ſubduceas: ne te ab illis ſubtrahas; neque quidquam timeas; quin ad ipſos accedas; & eodem capite.
g v. 17. [g] *Ne formides à facie eorum.* Itaque *timere à facie alicuius*, non eſt idem omnino, quod ſimpliciter illum *timere*, vt quidam volunt: ſed ita vt caueatur; quod licet nunc in Saule obſeruare. Antea

Sopran. in Dauid.

enim iam Dauidem timere cœperat, nunc inſuper ſuſpectum habet; & proinde ſibi ab illo cauet, & proſpicit. At vnde illi noua hæc metuendi occaſio? Malus animus, & ſibi conſcius ab aliis metuebat, quæ aliis parabat; nullus enim ſibi malum magis ab alio timet; quàm qui iniuſtè aliis conſueuit inferre. Præcipuè autem acrius timere cœpit ex duplici capite. Primò quia cum bis Dauidem petiiſſet, & bis ille ſuas petitiones eluſiſſet omnino timuit, ne Dauid ex odio, & induſtria intelligeret id factum, quod ſi ſemel tantùm eſſet aggreſſus poterat fortaſſe in morbum referri, & furori alienatæ mentis imputari. Credibile eſt enim Saulem ſibi redditum, cùm iam à morbo tranquillatus eſſet excuſaſſe. Dauidi id, quod acciderat; & morbi impotentiam odio prætendiſſe. Quod tamen quia videbat difficile aliis poſſe perſuaderi: vt quid enim tantùm in Dauidem, & ſæpiùs furere; ſi nulla alia cauſa ſuberat præter morbum? Idcirco ſerio timere cœpit; ne qui ſibi iam videbat inſidias paratas, eas anteuerteret in auctorem ſtruere, & occuparet opprimere oppreſſurum. Hæc ille ariolando, & falsò ſuſpicando de Dauide ſibi fingebat, quia ſuperbus, quia mala malitia peſſimè corruptus, quia inuidus. Propterea rectè mo- h Prou.23. v. 4.
nebat Salomon. [h] *Ne comedas cum homine inuido, & ne deſideres cibos eius: quoniam in ſimilitudinem arioli, & coniectoris æſtimat quod ignorat.* An non hæc ſibi formans Saul *maiora timens pericula veris*, & ſuos ſibi metus nutriens ariolabatur? cùm interim Dauid vt non ſuetus quemquam lædere; ita neſcius vllum timere; Regis vicem magis doleret, quem talis morbus vexaret; quàm facti cauſas occultas quæreret, quas nullas eſſe ſuſpicabatur.

Secunda timoris cauſa in textu exprimitur. *Timuit*, inquit, eò *quòd Dominus eſſet cum eo*: ex quo duplex oritur dubitatio. Prima, vnde nunc primùm Saul deprehenderit Dominum eſſe cum Dauid. Secunda, quæ illi ex hoc cauſa timendi. Quoad primam, cognouit Saul Dauidi Deum ope ſua peculiari ratione adeſſe ex teli tactu ſemel & iterum tam feliciter vitato. Tela enim & quæcumque pericula præuiſa facilè per ſe quiſque vitare poteſt: quæ verò ſubito, & ex improuiſo ingruunt, & mittuntur; ſi ſæpiùs vitentur, felicitatis eſt, non prudentiæ; ac proinde i Pſalm.93. v. 17.
non ſine Deo vitantur. Dauid ipſe. *Quis conſurget mihi aduersùs malignantes, aut quis ſtabit mecum aduersùs operantes iniquitatem?* Quaſi diceret occulta pericula, quæ mihi ex inſidiis peruerſi, & ficti amici, & Saul ipſe in primis moliuntur, quis poterit à me depellere? quis mihi opem ferat aduersùs eos: qui maligno animo id, quod ſtruunt, occultant, & exitium mihi laborioſè fabricant, & concinnant? Id enim ſibi vult hoc loco *operari iniquitatem*, & deinde ſubdit. *Niſi quia Deus adiuuit me*, nullus omnino eſt, qui poſſit aduersùs huiuſmodi peſtes opem ferre præter Deum. Cur id? quia ſubitò occupant, & præuideri non poſſunt. Vnde pergit. *Niſi quia Deus adiuuit me; paulominus habitaſſet in inferno anima mea.* Iam actum de me, & de alio quocumquè eſſet cum talia pericula imminent: niſi Deus præſidio ſuo nobis adeſſet. Fuit ergo, & adhuc eſt omnium non ſolùm bonorum, ſed improborum etiam perſuaſio; ab illis ſtare Deum, qui hæc ſubita diſcrimina euadunt incolumes: propterea Saul cum vidiſſet Dauidem bis petitum

bis tam fœliciter elapſum eſſe;licèt tunc numeris,& fidibus intentus ſolutus eſſet animo ab omni cura: certò argumentatus eſt;non ſine Deo id contingere potuiſſe: & illud dixit de Dauide, quod longè poſt ipſe de ſe cecinit. *Niſi quia Dominus illum adiuuiſſet,paulominus in inferno habitaſſet anima tiu.* At cur eum, cum quo *Deum eſſe videbat*; magis deinceps timuit? in promptu ratio eſt: quem enim iam timebat, vehementiùs deinde timere cœpit; poſtquam maiorem eſſe ſenſit,quàm putabat. Maiorem verò ſenſit, cum non ſolùm virtute ſua nixum: ſed inſuper diuino præſidio fultum animaduertit.

k lib.6.c.11. *Amouit ergo eum Saul à ſe.*] Ioſephus ſic hunc locum enarrat. [k] *Cum iam ſuſpectum Dauidem Saul habere cœpiſſet; parum tutum putauit armatum circa ſe verſari: ex ſatellite igitur Tribunum fecit;non tam illius honori, quam ſua ſecuritati conſulens: vt ſæpè hoſtibus obiectum caſus aliquis è medio tolleret, &c.* Quod ergo ſuprà dictum. *Et poſuit illum Saul ſuper viros belli*: intelligit Ioſephus de præfectura prætorij Dauidi collata: quod improbabile non eſt. Præfecturam enim aliquam militarem eo modo loquendi ſignificari, dubitari non poteſt. Eam autem non extra Regiam adminiſtratam argumento eſt, quod hactenus Dauid Regi ſemper apparuerit, illique operam ſuam etiam domeſtico famulatu præſtiterit, dum citharæ cantu morbo furentem demulceret. Prætorianis ergo militibus,qui Regiæ cuſtodiæ excubabant, præpoſitus erat, quod cum tutum Regi non videretur;noua illi,& ampliore præfectura collata ab vmbratili, & palatina militia ad cruentam, & inter hoſtes ipſos ſemper exercitam amandauit. Quod verò hoc loco Caietanus vult Dauidem ipſum ſecunda iam teli petitione vitata,cauere ſibi cœpiſſe, & regi ampliùs ſe ſiſtere recuſaſſe probabile non eſt. Clarè enim Scriptura dicit non ipſum Dauidem ſponte ſua,ſed conſilio Regis amotum. Quin etiam exiſtimo,vt rectè etiam Ioſephus obſeruat; nihil adhuc de Saulis in ſe odio, & inſidiis ſubodoratum;vt quæ ſequuntur clarè ſatis inſinuant.

Cœpit cauere eum.] In Hebræo eſt: *& timuit à facie eius* vt intelligamus *timere à facie*, non eſſe idem,quod ſimpliciter timere;ſed ſibi cauendo, & circumſpiciendo, & alterius congreſſum vitando;quod paulo antè monuimus.

Egrediebatur, & intrabat in conſpectu populi.] Et paulò pòſt.

Egrediebatur,& ingrediebatur ante eos.] Quid hic ſibi velit Hebraiſmus ſuprà indicauimus.[l] Nunc vbi propriè vſurpatur, fuſius eſt explicandum. Multa autem de illo habent Veteres Patres,[m] & recentiores [n] Interpretes,quorum omnium ſumma videtur eſſe: *Egredi, & ingredi egreſſum,& ingreſſum.* Significare in ſacris literis munera omnia,quæ ad cuiuſque ſtatus conditionem pertinent: & eorumdem munerum liberam,& ſecuram adminiſtrationem. *Per egredi, & ingredi*, inquit Caietanus hoc loco. *Hebræo more vniuerſa officia alicui congrua ſignificantur.* Quod vt mihi etiam veriſſimum videtur; ita maiore aliqua expoſitione indigere, vt diſtinctè magis, & explicatè intelligatur, quod nunc faciam, ad duo ſumma capita omnia redigendo. Alterum erit,quot modis hic Hebraiſmus vſurpetur; Alterum vnde deſumptus.

l Ver. 5.
m Chryſoſt. Theophylact. Euthym.in c. 10 Ioan.v.9. Theodorus Eracleot. Theodor. Mopſueſt. Cyril. in Catena Græc. ibidem. Baſil. lib.de Sp.ſanct. c.8.
n Maldonat. Tolet. Ianſen. Ioan.10. Serrar. Ioſ.8. q.2. Lorin. in Acta c.1.v. 21. Delrio in Adag.n.519.

De primò: Dupliciter vſurpatur;ſimpliciter, & cum adiuncto: *Simpliciter*, enim dicitur tantùm quis ingredi, & egredi ſine alio addito: poſteriori modo adiungitur *coram aliquo*, vel quid ſimile. Primo modo vſurpatur à Muſe.[o] *centum viginti annorum ſum hodie, non poſſum ampliùs egredi,& ingredi.* Et iterum. [p] *Benedictus eris ingrediens & egrediens.*& Ioab ad Dauid de Abner [q] *Vt ſciret egreſſum tuum,& exitum tuum.* Et Salamon de ſeipſo. [r] *Ignorans egreſſum, & introitum meum.* Et Dauid ipſe [t] *Dominus cuſtodit introitum tuum, & exitum tuum.* Et Chriſtus Dominus. [u] *Ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet*: Poſteriori modo cum adiuncto hoc loco. *Egrediebatur, & intrabat in conſpectu populi.* Et iterum: *Egrediebatur, & ingrediebatur ante eos.* Et Salomon [x] *Da mihi ſpiritum, & intelligentiam, vt ingrediar, & egrediar coram populo tuo.* Aliàs ponitur adiunctum loci, vt Achis ad Dauid. [y] *Exitus tuus, & introitus tuus mecum eſt in Caſtris, & non inueni in te quicquam mali ex die, qua veniſti.* Huc referri poteſt, quod habetur in Actis Apoſtolorum. [z] *Ex his Viris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore,quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Ieſus.*

o Deuteron. 31.2.
p Cap. 28.6.
q 2 Reg 3. 25.
r 3 Reg 7. 37.
t Pſal. 120. 2.
u Ioan. 10. 9.
x 2. Paralip. 1.10.
y 1.Reg. 29. 6.
z Cap 2. 21.

Certum autem mihi eſt non eumdem omnino ſenſum habere hunc Hebraiſmum,cum ſimpliciter, & ſine adiuncto vſurpatur; & quando cum illo adhibetur. Ac proinde minùs illos diſtinctè loqui, qui vtrumque confondunt. *Simpliciter* enim poſitus rationem omnem viuendi, & cum aliis agendi, verſandique complectitur: vnde non probo,qui dicunt *ingredi, & egredi* eſſe liberè,ſecurè,& proſperè verſari agere,& munere ſuo fungi. Quod videntur velle recentiores; [a] Tantùm enim ſignificat opera ſua,& negotia exercere pro cuiuſque viuendi inſtituto, & voluntate: *Abſtrahendo*,vt Theologi dicunt, ab hoc, quod proſpere, aut ſecus cadant. Propterea in Deuteronomio Moſes. [b] *Maledictus eris ingrediens, & egrediens.* Et alibi. [c] *Salomon dicitur ignorare ingreſſum & introitum ſuum.* Quod Italicè dicimus. *Che ancora non ſapeua negotiare,trattare,&c.* Si autem ingredi,& egredi eſſet cum libertate, ſecuritate, & proſpero ſucceſſu munere ſuo fungi, quomodo quis ingrediens, & egrediens poſſet eſſe maledictus? Indifferens ergo hoc eſt, & in bonam,& malam partem verti poteſt: *bonam*; ſi Deus aſpiciat;*malam*;ſi deſpiciat. Propterea Dauid. [d] *Dominus cuſtodit introitum tuum, & exitum.* Hinc autem facile intelligi poteſt quid ſit *ingredi,& egredi* cum adiuncto poſitum, vt *ante populum*, vel *coram populo.* Aut enim ſignificat ipſum moderari, & regere; aut illo approbante munere ſuo fungi; aut certè quæ cum illo agenda ſunt,transigere, & expedire. Aut denique inter alios benignè verſari,& comiter agere. Quid autem ex his propriè in ſingulis ſententiis ſit accipiendum facilè ex antecedentibus, & conſequentibus aduerti poteſt. *Hoc* ergo locu *egrediebatur,& intrabat in conſpectu populi*,ſignificat Dauidem cum illis benignè, populariterque verſatum & quæcumque domi foriſque faceret; priuatim & publicè,populo ſpectante & approbante feciſſe. Vnde paulò poſt ſubditur, *omnis autem Iſraël diligebat Dauid*: quare hoc? quia, inquit, *ipſe egrediebatur, & ingrediebatur ante eos.* Neque enim tunc Dauid vniuerſo Iſraëli, & Iudæ præpoſitus erat; neque ſi præpoſitus fuiſſet, idcirco diligi debuiſſet: ſed idcirco, ab omnibus diligebatur;quòd comis, & facilis omnes admitteret; neminem reiiceret; omnibus ſe daret, & cum omnibus

a Titelman. & Ianſen. Ioan.10. Delrio Adag. 119.
b Cap. 28. 17.
c lib.3. Reg. 3.25.
d Pſalm.10.

omnibus blandè, & familiariter verſaretur. At e Num. 27. 13. hoc ipſum alibi ſignificat [e] populum moderari, & regere. *Prouideat Deus hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc, & poſſit exire, & intrare ante eos, & educere eos, vel introducere.* f 2. Paral. 1. Similiter ad Deum, Salamon: [f] *Da mihi ſapientiam, & intelligentiam, vt ingrediar, & egrediar coram populo tuo.* id eſt, vt ipſum poſſim moderari, & regere, vel cum illo agere, & expedire, quæ transigenda ſunt.

Alterum caput erat, vnde eſſet hic Hebraiſmus deſumptus; vt per *egredi, & ingredi* vniuerſæ vitæ actiones intelligantur. Qua de re multi multa. Alij volunt locutionem ductam à Paſtoribus; quorum vitæ ſumma conſiſtit in educendis, ac reducendis ouibus: ac proinde in egrediendo, ac ingrediendo; vt Oleaſter. g Num. c. 27. [g] Alij alludi ad Duces, & Imperatores, quorum proprium eſt exemplo militibus ſuis præire, & ante illos egredi, & ingredi, vt Serrarius, & Delrio loco citato. Alij alia. Ego verò puto ea duplici potiſſimùm capite locutionem potuiſſe deſumi.

Primo, vt *ingredi, & egredi* ponatur pro *incipere, & abſoluere*: Principio autem & fine in quocumque genere vniuerſitatem omnium, quæ in eo genere continentur, deſignari, nota res eſt. Sic apud Latinos ex ſimili prouerbiali forma illa ſunt. *prora & puppis: à carceribus ad metas: ab ouo ad mala: à capite ad calcem: à lare ad ianuam.* Ingreſſum autem initia actionum appellari *& ingredi* eſſe quidpiam incipere; tam notum eſt, vt probari non debeat. Quid enim frequentius eo modo loquendi apud ſacros, & profanos auctores? Nam hinc illa ſunt apud Ciceronem. *ingredi quidpiam dicere, facere, ſcribere: ingredi ad explicandum, ad dicendum; ingredi ad ſtudium; ingredi viam viuendi.* & Quintilianus [h] de Homero h lib. 9. c. 4. agens, initium ipſius operis *ingreſſum* appellauit. *Age verò*, inquit, *nonne in ſui, vtriuſque operis ingreſſu pauciſſimis verſibus legem præmiorum non dico ſeruauit; ſed conſtituit?* Quod ſi verum eſt, conſequens quoque eſt, vt egredi ſit finire, & abſoluere, quando *ingredi* eſt quidpiam inchoare. Certè apud Latinos. *Exitus* ponitur pro fine, & abſolutione operis, & rei cuiuſcumque. Hinc ſæpè Cicero hæc duo coniungit quaſi contraria. *Exitum, & initium; Exitum, & principium; Exitum, & curſum rerum.* i Pro lege Manilia. ſic alicubi. [i] *Huius orationis difficilius eſt exitum, quàm principium inuenire.* Et alibi. k 1. Tuſculana. [k] *Quomodo initium nobis rerum omnium ortus noſter affert: ſic exitum mors.* l li. 4. epiſt. 2. Idem rurſus. [l] *Neque ſolùm ea perſpicis, quæ geruntur, quæque iam geſta ſunt: ſed etiam qui curſus rerum, qui exitus futurus ſit.* Si ergo *ingredi, & egredi* eſt incipere quidpiam, & abſoluere; *ingreſſus, & egreſſus* initium cuiuſque actionis, & finis: meritò in Scriptura, *ingredi, & egredi* poſitum eſt pro eo, quod eſt conuerſari, agere, & quæcumque opera, & munera cuiuſque inſtituti propria exercere; quia quidquid vſquam geri poteſt, & quæcumque in vita molimur, & agimus, fine & principio actionum noſtrarum clauduntur, & deſignantur. Quod totum veriſſimum eſſe intelligemus, ſi iuxta id loca Scripturæ allata exponamus. Nam quid aliud m 3. Reg. 3. ſibi vult quod [m] Salomon de ſe dicit. *Puer ſum, & ignorans egreſſum, & introitum meum*: Niſi adhuc ignoro quid agam? quod Italicè dicitur perſimili idiotiſmo. *Non sò ancora quel che mi facci.* Nondum noui rationem agendi; nec vnde quidquam, incipiam, & vbi deſinam. Similiter ad populum Moſes. [n] *Benedictus eris ingrediens, & egrediens.* n Deut. 28. 6. id eſt quidquid aggreſſus fueris, quidquid abſolueris: initio, & exitu actionum tuarum *benedictus eris.* Quod ſine Hebraiſmo clarè iuſtis omnibus alibi promittitur. [o] *Et omnia quæcumque faciet, proſperabuntur.* o Pſal. 1. Et alibi [p] *lætabimini in cunctis ad quæ miſeritis manus vos, & domus veſtra, &c.* p Deut. 12. 2.

Sopran. in Dauid.

Secundo vniuerſitas rerum ad certum aliquod genus ſpectantium non ſolùm ſignificatur *initio, & fine, ingreſſu, & egreſſu*: ſed etiam ex duobus membris adſumptis, quæ in eo genere longiſſimè diſtent quæ eſt conſuetudo Scripturæ frequentiſſima. Sic enim cùm vult multitudinem aliquam deſignare; & omnes comprehendere his modis dicendi vtitur, *ſeruus, & liber; Magnus, & paruus, infans, & plenus dierum, Diues, & pauper.* ſic Iob, [q] *Paruus, & magnus ibi ſunt, & ſeruus, & liber à Domino ſuo.* q Cap. 3. 19. r Cap. 11. 12. Et apud Hieremiam. [r] *Collidam in te ſenem, & puerum.* ſ Pſalm. 48. Et Dauid. [ſ] *Audite hæc omnes gentes, quique terrigenæ, & filij hominum ſimul in vnum diues, & pauper* Eo ipſo enim quòd duo inter ſe extremè diſſita complectitur, media etiam quæ intelliguntur, & reticentur includit. Atque ita nihil eſt, quod non in eo genere exprimatur. Qui modus loquendi Latinis quoque, & Græcis frequentiſſimè vſurpatur. & prouerbialem dicendi formulam redolere videtur: quoties nimirum cum omnia complecti volunt, & nihil omittere contraria in eo genere coniungunt; qualia ſunt. *Iuueneſque, ſeneſque: diis hominibuſque plaudentibus: neque magnum, neque paruum: quæ prima, aut vltima: domi, bellique: publicè, priuatim: digna indigna: quo iure, quaque iniuria: fas, & nefas: nec viuis parcit, nec mortuis: nec animans, nec inanime: bipedum, quadrupedúmque nequiſſimus: terra, marique: nocteſque, dieſque: re ſalua, & perdita:* & alia ſimilia, quæ omnia Donatus in Adelphis continere dicit adagialem formulam; cum nihil excipi volumus in eo, de quo loquimur, & omnia complecti. Quia ergo omnes actiones vitæ noſtræ poſſunt *ad ingreſſum, & egreſſum* tamquam ad duo maximè inter ſe oppoſita membra reuocari; idcirco per illa vniuerſæ vitæ decurſus ſignificatur. Quidquid enim agimus vel domi, & priuatim fit; vel in foro, & publicè: illud per *ingreſſum*, hoc per *egreſſum* deſignatur. Atque ita perinde eſt dicere *ingredi, & egredi*, ac priuatim, & publicè quidpiam moliri, & agere. Ad publica autem, & priuata opera omnia reducuntur quæcumque in vitæ officiis continentur. Sic Cicero alicubi *domeſticum, & forenſe* vſurpauit, ſic Latini alij *domi, foriſque, domi, militiaque* dixere. per id intelligentes quidquid vſquam à quoquam geri poſſit. Cic. Liuio. [t] t lib. 5. ep. 8. *Opera noſtra ſic vtantur in omnibus publicis priuatis, forenſibus domeſticis, tuis amicorum, hoſpitum clientum tuorum negotiis.* Idem ad Tyronem. [u] u lib. 9. epiſt. *Innumerabilia tua ſunt in me officia, domeſtica forenſia, vrbana prouincialia, in re priuata in publica, in ſtudiis, in literis noſtris; omnia viceris ſi vt ſpero, te validum videro.* Saluſtius ſimiliter. [x] x In Iugurtino. *Sed mihi multa legenti, multa audienti, quæ Populus Romanus domi militiæque, mari, atque terra præclara facinora fecit, &c.* Ergo ex hac eadem figura dicendi *egredi, & ingredi* perinde erit; ac *domi foriſque; domi belliq; domi militiaque; priuatim, & publicè.* Iuxta quam explicationem clarè poteſt interpretari, quod habetur à Dauide. [y] y Pſal. 120. *Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum.* Quem locum Baſilius, [z] z in illum Pſalm.

H 2 Euthymius,

Euthymios, Theodoretus de vniuerſis vitæ actionibus interpretantur; ac proinde de tota vita.
a Ibidem. Cur id? quia vt bene obſeruauit Flamminius [a] per *introitum, & exitum*, ea quæ domi, foriſque aggredimur, intelliguntur, ad quæ vniuerſa vitæ noſtræ ſtudia reuocantur.

Alio autem perſimili hebraiſmo ad id ipſum Scriptura vtitur; & qui etiam latiùs patet, & plura complectitur. Vt enim hic ponit *introitum, & exitum* tamquam duo extremè diſtantia inter humana ſtudia: ita alibi ponit *ſeſſionem, & reſurrectionem*, quibus non ſolùm vniuerſæ vitæ negotia; ſed etiam otium ipſum comprehendit. vt Da-
b Psal. 138. uid. [b] *Tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam.* Vita enim noſtra tota otio, & negotio definitur, otium per *ſeſſionem*; Negotium per *reſurrectionem* deſignatur. *Ergo tu cognouiſti ſeſſionem, & reſurrectionē meam.* Eſt, tota tibi vita mea probè perſpecta eſt. ſiue, ſurgam, ſiue ſedeam; ſiue quid agam, ſiue nihil agam; In negotio, & otio; totus denique quantus ſum, & non ſum, tibi vndique perſpectus ſum.

℣. 17.) Dixitque Saul ad Dauid: Ecce filia mea maior Merob, ipſam dabo tibi vxorem: tantummodo eſto vir fortis, & præliare bella Domini: Saul autem reputabat dicens, non ſit manus mea in eum; ſed ſit ſuper eum manus Philiſtinorum.

℣. 18.) Ait autem Dauid ad Saul: Quis ego ſum, aut quæ eſt vita mea, aut cognatio patris mei in Iſraël, vt fiam gener Regis?

℣. 19.) Factum eſt autem tempus cùm deberet dari Merob filia Saul Dauid, data eſt Hadrieli Molathitæ vxor

In iſtis verſibus dubitatio eſſe poteſt; ſub qua conditione Saul, filiæ nuptias Dauidi ſpoponderit: & quo deinde prætextu ab illa diſceſſerit. Conditio in iſtis verbis proponitur, & bipartita eſt; altera generalior; altera magis expreſſa. Generalior illa. *tantummodo eſto vir fortis.* Magis expreſſa, quæ adiungitur, & *præliare bella Domini.* Prima quid ſit per ſe clarum eſt. Fortitudinem enim tantùm in illo requirit. Vnde in Hebræo propriè eſt. *Eſto mihi tantummodo filius fortitudinis*, vel *in filium fortitudinis.* Qui modus loquendi eſt apud alios non diſſimiliter vſitatus. Itali enim ferè eodem vtuntur, dum dicunt. *Fà che mi ſij valent huomo.* Quod ad verbum exprimit, *Eſto mihi vir fortitudinis.*

In ſecunda conditione non ita clarum eſt, quæ ſint *bella Domini.* Qua de re ſuprà nonnihil attigimus illud explicantes. [c] *Domini eſt bellum.* Du-
c Cap. 17. bitari autem non poteſt quin hoc loco *bella Domini* dicantur, quæ populus ipſius geſturus eſt aduersùs alias gentes. At quid eſt hæc bella *præliari?* Vatablus putat eſſe ducem in illis agere. Vult enim Saulem ſub hac conditione Dauidi filiam ſpondere; ſi Dux ſit, & moderator exercitus in bello contra Palæſtinos. Sed quicquid ſit de hoc, & an Dauid præfectus bello fuerit, quod deinceps aduersùs alienigenas geſtum eſt: certè id ex hac oratione colligi non poteſt. *Præliari* enim *bella Domini* tam Dux, & Imperator dicitur, quàm priuatus miles. Vnde non eſt in illis ducem, & Rectorem agere; ſed fortiter ſe gerere, pro munere ſuo; ſi miles quis eſt; vt decet militem; ſi Imperator, vt Imperatorem. Ac proinde quia iam Dauid Tribunus erat, *præliari*, ipſum, *bella* Domini erat illa conficere, & feliciter profligare. Maior dubitatio eſt quomodo deinde Saul dictis non ſteterit; & qua ratione pactas Dauidi nuptias diſſoluens, promiſſam filiam alij locare potuerit quin omnium offenſionem incurreret, vt promiſſi violator: ſed ratio in promptu eſt. Si enim certam aliquam conditionem interpoſuiſſet, difficile illi fuiſſet inuidiam vitare ſi conditione impleta filiam alteri in matrimonium collocaſſet. Nunc verò callidus veterator ita ſe temperauit, & ea in Dauide requiſiuit, per quæ numquam poſſet conueniri. Dixit enim. *Eſto mihi vir fortis, & bella Domini præliare.* Quæ conditio per verba, vt dici ſolet, generalia numquam plenè videri poterat impleri poſſe. Quando enim vmquam Dauidi veniſſet in mentem Saulem adire; fidem promiſſi exigere; filiam poſtulare? Cui numquam licebat ſine arrogantiæ crimine profiteri ſe virum fortem eſſe; ſe fortiter in bello feciſſe; egregia ſe aduersùs hoſtes facinora ediditſe? Itaque ſemper pendente conditione propoſita; licèt ſubinde Dauid in hoſtes duceret, & Victor vt victis hoſtibus auctus gloria ſe domum reciperet; liberum tamen ſibi Saul putauit de filia ſua ſtatuere; quod adhuc Dauidi fortiter aliquid ſupereſſet agendum, & nondum eſſent omnia bella Domini debellata. At poterant alij, & ipſe Dauid in primis inde animaduertere, Saulis malignam mentem in Dauidem: ac proinde inſidias deprehendi, quas ille ad aliorum inuidiam vitandam maximè occultabat. Poterant ſine dubio; ſed non niſi leuiter; Nam probabiliua eſt verba illa Saulis quibus cum Dauide conuenerat de filia illi tradenda in eam partem ab omnibus accepta; quaſi ad Dauidem excitandum, & non ſeriò proferrentur; vt fieri ſolet, cum aliquem promiſſis, & ingentibus præmiis ad aliquod arduum opus exhortamur.

At longè difficilior quæſtio eſt; cur Dauidi, Golia deuicto, & extincto Regia ſtatim filia nuptui data non fuerit: quam iam antea Saul receperat ſe cuicumque daturum, qui cum Golia congreſſus victor abſceſſiſſet.

Sanè quid hîc probabiliter dici poſſit non video: niſi alterum ex duobus; vel filiæ nuptias non verè promiſſas fuiſſe à Saule vincenti Goliam; ſed tantummodo incerto rumore inter milites id percrebuiſſe; fortaſſe etiam conniuente Rege; vt aliquis tandem excitaretur, qui certamen ſuſciperet; vel certè ſi pactus id verè Rex erat; dilatas Dauidis nuptias pacta victoria, non negatas fuiſſe; cauſante Rege Dauidis ætatem; quod iunior eſſet, quàm inter Hebræos ſolerent viri vxoribus copulari. Neque enim exiſtimo Saulem, ſi iam antea promiſiſſet; anſurum id clarè detrectare; quod ſi faceret, certò ſciebat totius populi, militum, & omnium denique offenſionem ſubeundam eſſe. Ergo cum negare filiam Dauidi non poſſet; varias ſaltem moras nectebat; & nouas ſubinde conditiones excogitabat. Illud verò quod dicebam, non verè à Saule victori filiam fuiſſe promiſſam; ſed id falſo rumore inter milites tantùm fuiſſe iactatum indicat Ioſephus, quem alij ſequuntur. Contrariam tamen ſententiam tradit Seuerus Sulpitius, & cum illo Abulenſis, & plures alij recentiores; qui inter

præmia

præmia à Saule propoſita & hoc recenſent. Cùm ergo tota res coniecturis nitatur; quod ex his quiſque probabilius exiſtimabit, id ſequi poterit.

Saul autem reputabat dicens.] Cui Saul hoc animi ſui propoſitum; aut quomodo prodidit; vt illud ſacer Hiſtoricus referre potuerit? fortè alicui ex intimis, & familiaribus id communicauit; vel ex inſidiis, quæ poſtmodum ſequutæ ſunt, & filiæ nuptiis aliò translatis Dauide fruſtrato id ſanctus Hiſtoricus deprehendit: Vndecumque autem id euulgatum fuerit; certa nobis res eſſe debet non aliud Sauli fuiſſe propoſitum; nec aliter in Dauidem fuiſſe animatum; quàm hîc deſcribitur. Qui enim hæc narrat Diuinus Spiritus eſt; cui ſiue Samuel, ſiue alius quicumque calamum, & oris ſui miniſterium accommodat. Itaque mirum non eſt, ſi ipſas quoque abditiſſimas pectoris latebras; & quidquid quiſque ſecum tacitus cogitauerit, perſcrutetur, & prodat. Fas ergo non eſt dubitare, an hoc ita fuerit; licèt incertum poſſit eſſe quomodo euulgatum fuerit. Eodem modo hoc capite [d] refertur quid ſecum Saul agitauerit; cùm in pſallentem Dauidem lanceam miſit; cuius neminem vllum conſcium feciſſe Saulem credibile eſt. *Miſit*, inquit, *lanceam putans quòd configere eum poſſet cum pariete.* Vel vt in Hebræo. *dicens* (id eſt ſtatuens, & ex deliberatione decernens) *configere illum ad parietem.* Vnde enim hoc, aut quomodo palam factum; quod Saul intra remotiſſimos mentis ſinus abdiderat, & ſecum tantùm tacitus conceperat? an coniecturis leuibus ductus Samuel, id eſt argumentatus? & hiſtoricorum more; maximè Taciti; quod quiſque voluerit, intendarit, ſpectauerit, ariolando, & ſuſpicando ſequutus; vt certa proponit de aliis, quæ ipſe coniectando diuinat? minimè verò, ſed vt id quod narrat certum, ſolidum, & veriſſimum eſt: ita certò, & ſolidè cognouit verum eſſe, Diuinitus enim afflatus omnia aperta habebat, quæ ad ſeriem rerum ſpectabant, quas explicabat. Quæ animaduerſio fieri poteſt; non in hoc loco tantùm; ſed alibi ſæpiùs in hoc eodem libro, & in aliis quoque veteris pariter, & noui teſtamenti. Quoties enim Euangeliſtæ referunt, quæ non niſi ex Diuina reuelatione certò cognoſcere potuerunt? Quoties aliorum cogitationes aperiunt; occulta conſilia, tacitas indignationes, & quæ quis ſecum nullis arbitris admiſit ſolo ſpectante Deo? Vt enim alia omittam, quid Chriſtus in horto, & quoties orauerit; quo corporis habitu; quibus animi fluctibus agitatus, vnde cognoſcere potuerunt Euangeliſtæ? cùm nec ipſi præſentes fuerint, & ſi qui propè erant alto ſomno demerſi nihil potuerint obſeruare? & tamen narrant diſtinctè Chriſtum ter procubuiſſe; ter oraſſe; ter eumdem ſermonem concepiſſe; æſtuaſſe; ſudaſſe; ſanguine manaſſe; Angelum denique ſolantem admiſiſſe. Quis hæc illis, aut quando narrauit; vt tam minutè, tam ſubtiliter referre potuerint? Chriſtus ipſe? non potuit ante mortem; vt ex ſerie narrationis perſpicitur. Poſtquam viuus ab inferis extitit? probabile id quidem eſt; ſed probabilius quod Thomas [e] Morus Martyr ſanctiſſimus exiſtimat diuinitus illos illuſtratos omnia cognouiſſe, & literis mandaſſe. Prophetæ enim erant, & vt prophetæ ſcribebant: ac proinde etiam occulta, & nulli cognita narrabant; quemadmodum, & omnes ſacri ſacrarum rerum ſcriptores, qui in canone cenſentur Scripturarum. Cæterùm quatenus aliis liceat ex aliorum factis ſuas de occultis illorum conſiliis coniecturas ponere: quod ita faciunt paſſim veteres, & recentes Hiſtorici; vt in eo maximè propriam Hiſtorici laudem ſitam putent, alibi videbimus.

[d] Verſ. 11.

[e] In expoſ. de Paſſio. Domini.

Non ſit manus mea in eo.] Ita Dauidem Saul volebat extinctum; vt nullum tamen eſſe vellet, qui hoc illum velle, & agere ſuſpicaretur. Nondum enim ex occultis inſidiis ad apertam odij profeſſionem deſcenderat. Proptarea autem ipſum quidem lancea petiuerat; ſed ſi confeciſſet, habebat excuſationem ex morbo paratam; ſe nimirum illud ſui impotem, & neſcium quid ageret perpetraſſe, vt furentes ſolent. Prodebat itaque tunc factum; licèt occultaret nocendi voluntatem. Nunc verò vtrumque à ſe amouet; vt omnis omnino aliis amputetur ſuſpicandi occaſio. Propterea dicit. *Non ſit manus mea in eo.* Cadat quidem; ſed manibus Philiſtinorum; non à me peremptus. *Manus enim alicuius in aliquo aut ſuper aliquem eſſe*, eſt quod Latini dicunt, manus inferre.

Quis ego ſum, aut quæ vita mea, aut cognatio Patris mei.] Tria ſunt, quæ in futuro genero maximè ſpectari ſolent: Mores; fortuna; Genus. *Mores*, vt honeſti ſint, vt placidi, vt non præfracti. *Fortuna*; vt ſi non ampliſſima, ſaltem opibus abundans; & quæ non ad vſum tantùm ſit ſatis; ſed ad ſplendorem quoque aliquem ſufficiat. *Genus* denique vt clara ſtirpe ſit propagatum. Hæc tria Dauid in ſe extenuat; & imparia omnino dicit Regiæ affinitati. Primum quidem dum dicit. *Quis ego ſum.* Secundum dum ſubdit. *aut quæ vita mea.* Vita enim hoc loco pro facultatibus ponitur. Tertium addit. *aut cognatio Patris mei.* Cætera clara ſunt; Id dubitari poteſt, quod de vita diximus: quomodo nimirum per illam hoc loco opes, & facultates intelligantur. Abulenſis conatur id explicare, & confirmare ex Ariſtotele. [f] vbi de liberalitate. ſed fruſtra laborat. Neque enim Ariſtoteles vnquam in eam ſignificationem *vitæ* nomine eſt vſus. Neque ſi ad id vſus eſt Antiquus Ariſtotelis Interpres, vllam auctoritatem habere debet; qui verbis ferreis aureas philoſophi ſententias illigauit. Eſt ergo conſuetudo Scripturæ; vt *vitam* ponat pro iis, quibus vita ſuſtentatur, & alitur, quæ ſunt viuandi ſubſidia opes, & facultates. Propterea *diuitem*, & *pauperem vitam* appellat pro amplis, & tenuibus facultatibus. Tobias ad filium. [g] *Noli timere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus; ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum.* Dauid autem hoc eodem capite. [h] in hunc eumdem ſenſum de ſe dicit. *Ego autem ſum vir pauper, & tenuis.* per id explicans quod ante dixerat. *Quæ eſt vita mea?* quæ ſunt facultates meæ; vt Regiæ filiæ conditionem ſperare poſſim? *qui ſum pauper. & tenuis?* Quod ſi hoc non probatur; nec vt per *vitam* intelligantur facultates; duriuſculum enim videtur: Poſſumus cum Beda *Vitam*, actiones, & rationem, inſtitutumque agendi interpretari; quæ eſt propria vitæ notio; vt cum Cæſaris, Tiberij, Scipionis vita deſcribitur; nihil enim aliud illud eſt, quàm illorum actiones, & geſta recenſere. Hoc loco ergo, *Quæ eſt vita mea*, poteſt eſſe. Quid ego hactenus egi; quid præclarum geſſi; vt mihi Regia filia deſpondeatur? Nam & hoc etiam inter alia requiritur, cùm gener eligitur. *Non ſolùm*, inquam, *quis ſit*; ſed quid egerit. Quis enim ſit, ſpectat ad animi, & corporis

[f] lib. 4. Eth.

[g] Tob. c. 4. 23.

[h] Verſ. 23.

dotes, quibus quiſque eſt à oatura inſtructus; vt ſunt in corpore robut, decor, ſanitas; in animo manſuetudu, benignitas, & virtutes reliquæ; *qua vita* autem alicuius ſit, ſpectat ad vſum, conſuetudinemque viuendi; & ad ea, quæ quiſque geſſerit; & præclara fecerit. Quod autem ſubditur. *aut cognatio Patris mei.* vtrumque complectitor, & genus, & opes. Quatuot ergo in ſe extenuat Dauid; & lungè infra id eſſe dicit, quod pro Regiu Genero requiritur: Dotes animi, & corporis; vitam, & actiunes, Genus, & opes.

℣. 20.) Dilexit autem Dauid Michol filia Saul altera, & nunciatum eſt Saul, & placuit ei.

℣. 21.) Dixitque Saul: Dabo eam illi, vt fiat ei in ſcandalum, & ſit ſuper eum manus Philiſtinorum. Dixitque Saul ad Dauid, in duabus rebus gener meus eris hodie.

℣. 22.) Et mandauit Saul ſeruis ſuis: loquimini ad Dauid clam me dicentes. Ecce places Regi, & omnes ſerui eius diligunt te. Nunc ergo eſto gener Regis.

℣. 23.) Et loquuti ſunt ſerui Saul in auribus Dauid omnia verba hæc. Et ait Dauid: Num parum videtur vobis generum eſſe Regis? Ego autem ſum vir pauper, & tenuis.

℣. 24.) Et renunciauerunt ſerui Saul dicentes. Huiuſcemodi verba locutus eſt Dauid.

Michol filia.] In oonullis Codicibus antea legebatur. *Et dilexit Dauid Michol filiam Saul alteram.* Quam lectionem agnoſcunt, & iotetpretantur Abulenſis, Dionyſius, Caietanus, & alij: ſed perſpicuo errore, qui correctus deiode eſt in emendatis editiuoibus. Ex Græco enim, & Hebræu textu clarè colligitur: non à Dauide dilectam Michol: ſed ab hac dilectum Dauidem, vt habet etiam noſtra Vulgata.

Dixitque Saul: Dabo eam illi.] De hoc Saulis conſiliu quatuot nobis explicanda ſunt. Primom, qoid in eo propriè voluerit. Secundum, vnde ad id motus. Tertium, qua via id aggreſſus. Quartom, cor ea potiſſimùm ratione vſus.

De primu clata res eſt nihil aliud hic Sauli fuiſſe propoſitum; quàm vt Dauidi exitium pararet. At vnde ad id motus, vt eum tantupere vellet extinctum, quem ſuper omnes maximè debebat effetre? Proxima caoſa udium fuit; Remota, metus. nam ex veteri prouerbio; *quem metuit quis odit; quem odit periiſſe cupit.* Timere cœperat Dauidem Saol; quia & propria ipſius virtote, & aliorum fauote altiùs prouectum videbat; quàm ſibi, & rebus ſuis conducere exiſtimabat. Augebatur indies Dauid & pariter in Saule creſcebat metus; Ex hoc gliſcebat odium; ex odio ſtrui Dauidi exitium cœptum. *Mala mens, malus animus* ſemper peiora concipit; & eum metu ſtimulante varia ſibi confinxerit, ſuſpiciones ſoas illorum ſanguine conatur abluere, quos vanè timendo, falsò ſibi ſuſpectos fecerit. Et quia nun alij magis ſuſpecti ſuot; quàm quos propria virtus inter alios effert; Hi primi, & maximè petuntur. Propterea hoc perpetuum videtur Tyrannorum, & improborom Principum inſtitutum; qualis nunc Saul: vt nun aliter toti ſibi videantur; quàm exceiſa quæque demetendo.

Scribit Ariſtoteles.[i] Perconctatum à Periandro Traſibulum, quæ tutiſſima, & expeditiſſima via eſſet Regni firmandi: retuliſſe illum *claros quoſque tollendo.* Digna Periandru vox: digna Traſibolo: digna, quam ille emitteret, quæ ab iſto exciperetur; ille Tyrannus; ab iſto Tyranno. Quam tamen veluti eodem ludu docti deinceps omnes ſimiles excepere: vt Cypſelua, Corinthius, de quu Diooyſius[k] & Herodutus[l] & Tarqoinius Superbus, de quo Liuius[m] & alij[n] quorum omnium voa eſt illa vux, Neronis ore prolata.

[o] *quidquid excelſum eſt, cadat.*

Saul ego cùm Dauidem vbique ioclytum, vbique elatum videret; timere eum cœpit; vt timere deſineret, tollere è medio ſtatuit. Vnde prima mali labes ex metu fuit; proxima ab odiu: vt bene aduertit Chryſoſtom.[p] & clarè etiam ex Scriptura colligitur: ſemper enim cum inſidias Saulis commemorat, præmittit eiuſdem metum. Metus autem cauſam non aliam affert; niſi Dauidis ſucceſſus, & incrementa; *Timuit*, ioquit,[q] *Dauid.* Cur? *eo quòd Dominus eſſet cum eo.* & iterum.[r] *Vidit, quòd prudens eſſet, & cœpit cauere eum.* & puſt.[ſ] *Omnes diligebant Dauid, & cœpit magis Saul timere eum.* Timebat ergo Dauidem Saul; quia prudeos erat nimis; quia ab omnibus diligebatur; quia *Dominus erat cum illo.* Qoid hæc omnia ſunt, aot ſibi volunt? nempe hoc, quod vno verbo diximus; timoiſſe, quia magnus erat; & qoia magoos tollere ſtatuerat.

De tertio qua id via eſt aggreſſus? nun aperta, & ſimplici; ſed tecta, & ſinuuſa. Volebat extinctum Dauidem: ſed ita vt quiduis aliud putius; quàm id, quod erat, alij ſuſpicarentur. Paleſtinorum ergo manos ad id elegit; in quos vt incautiùs Dauid incurreret, ardens iuuenis animus, gloriæ ſtimolis, & Regia affinitate propoſita magis incenditur; facta inſuper conditione de centum Paleſtinorum præputiis referendis, *Dabo*, inquit, *eam illi.* Ad quid; *vt ſit illi in ſcandalum.* quomodo hoc? *Et ſit ſuper eum manus Philiſtinorum.*

At cur hæc illi via placuit? quare non apertè; ſed occultè id voluerit, iam diximus: quia Dauidem ita extioguere volebat; vt tamen omnem apud alius vitaret inuidiam. Cor verò hanc potiùs viam occultandi inierit; Tribunum creãdo, rei bellicæ præficiendu, filiam deſpondendu, multiplex ratio eſſe potuit; partim ad ipſum referenda, partim ad Deum. *Ad ipſum*, qoia improbus maximè cùm eſſet, longiſſimo etiam circuitu vtebatur ad fraudes ſuas nectendas:[t] *In circuitu impij ambulant.* dicebat Dauid ſuo periculo doctus; quis hic *circuitus?* Simolatiunis, & diſſimulatioois; vt aliud veliot; aliud præferant. quod faciunt ij, qui non recta ad arcem aliquam expugnandam: ſed circulo, & per cuniculos accedont. Videntur eoim aliò omnioo contendere, quàm quò greſſus dirigunt. Saul ergo quia gnauiter oequam, & inſigoiter improbus longiſſimu circuitu copias ſuas explicat: vt quo latiùs diſperſi fuerint doli, minos aduertantur, & difficiliùs etiam vitentur. Quid enim à Dauidis exitio, & morte lungiùs diſtare videbatur; quàm Regia affinitas,

i lib 3. Polit. c. 9.

k lib. 4.

l in Terpſich.

m lib. primo. Dec. 1.

n Dionyſ. li. 4 Ouid 6. faſt. Pontin. lib. 1. cap. 1.

o Senec in Oct. act. 2.

p Homil. 1. & 2. de Dauide tom. 1.

q Verſ. 12.

r Verſ. 15.

ſ Verſ. 28.

t Pſal. 11.

affinitas, & filiæ connubium? nihil omnino. Huc tamen Saul ſe promouet vt illuc perueniat: & per filiæ nuptias ad Dauidis perniciem aſpirans, morti deſtinat, quem generum eligit. Ad ipſum ergo quia improbus, hæc referenda: ſed ad ipſum etiam quia cæcus; duo enim iſti affectus amor, & odium; longè licet alioqui diſſiti, hoc tamen ſibi mutuò conueniunt, quod cæci ſunt turpiſſiméque labuntur. Cæcus amor, cæcum etiam odium: non videt ille, quid plerumque diligat; non videt iſtud quid plerumque feriat: vt ſtudio perſæpè nocendi, magis proſit; quod nunc contingit. Quæ enim hæc arguta ſubtilitas; quem peſſimè oderis, bonis omnibus proſequi, & tandem in regium generum euehere, quem ſublatum cupias? An hæc idonea ratio perimendi quem perire velis? idonea prorſus, ſed quam odio, & furore cæcus talem iudicet, non qui ſanus ſit, & hæc ad Saulem.

Ad Deum verò ſpectat in hoc Saulis conſilio, quod oſtendere nobis per id duo voluerit. Alterum quomodo ipſe capiat ſapientes in aſtutia ſua. Alterum, quid ſint iuſtis improbi; dum illos
u Prou. c. 21. 30. perſequuntur. [u] *Neque enim eſt conſilium, neque ſapientia, neque virtus contra Dominum.* Ideo cum Saul conſiliis ſuis vellet diuinam de Dauide electionem turbare & euertere; ſuis illum dolis cepit, & oppugnauit Deus. Ille enim eſt, de quo di-
x Iob c. 5. v. 13. citur; [x] *quod apprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & conſilia prauorum diſſipat.* An non ſuis conſiliis captus Saul; qui ea omnia aduerſùs Dauidem excogitauit, vt perderet; quæ vix illi amiciſſimus quiſque potuiſſet optare, vt extolleret? Tribunum conſtituit; expeditioni contra Paleſtinos præfecit; periculis plurimis obiecit; Iudaicos fines tutandos commiſit; filiam deſpondit, & tradidit.

Quid maius voueat nutricula dulcis alumno?

At hæc omnia Saul, vt Dauid certis vitæ diſcriminibus ſemper expoſitus; tandem aliquando in extremum infortunium incideret; quod ſæpiùs prouocaſſet. Sed contra Deus eò omnia vertit, quò ferebantur: ad Dauidis ſcilicet gloriam, & amplitudinem, atque ita factum eſt, vt Saul tunc maximè Dauidi profuerit: cum illi maximè obeſſe ſtuderet. Quod non in hac ſolùm, ſed in aliis omnibus iuſtorum perſecutionibus licet aduertere. De quibus illud poſſumus pronunciare, quod D. Auguſtinus de Herodis perſecutione
y Serm. 5. de Innocent. aduerſùs innocentes Infantes. [y] *Ecce profanus hoſtis numquam beatis paruulis tantum prodeſſe potuiſſet obſequio, quantum profuit odio.* Quàm enim hoc verum de Saule perſequente Dauid; De Eſau perſequente Iacob; de fratribus perſequentibus Ioſeph; de Pharaone perſequente Moſem? numquam vllus iſtorum iis, quos inſectabatur, *tantum prodeſſe potuiſſet obſequio, quantum profuit odio.*

Vt ſit illi in ſcandalum.] Scandalum propriè eſt offendiculum, vel non prouiſum offendiculum; ad quod itinere ſuo pergentes impingunt cum lapſu, caſu, vel grauiore ruina. Notiſſimæ illius ſpecies ſunt laquei; & lapides; illi ex induſtria parati; iſti fortuitò plerumque occurrentes. Propterea ſæpiſſimè *laquei*, & *lapides* pro quolibet ſcandalo, & offendiculo appellantur. vt hoc loco, vbi à quibuſdam legitur. *Vt ſit illi in laqueum*, ſpecie nimirum pro genere ſumpta; tropo vſitatiſſimo. Quod autem ad rem ipſam ſpectat, poteſt hinc facilè aduerti, quale ſit fermentum aulæ, de qua ille cecinit

——— [z] *fraus ſublimi regnat in aula.*

Quæ enim fraus maior eſſe poteſt, quàm vt quis z Senec. in Hippol.
per ornamenta feriatur? fraudem Rex ipſe nectit; & cùm aliud non ſuppetit, quò laqueum ſtringat, filiâ ſuâ vtitur. Quid ſimile poteſt excogitari? aut quod poteſt Dauid venenum timere, quod à Saule ſibi in Saulis ſanguine propinatur? an quiſquam ita deſipiat, vt ſanguinem ſuum inficiat, quo alteri venena miſceat? & tamen non aliud nunc facit Saul, dum per filiæ nuptias exitium Dauidi ſtruit. Sanguis enim Patris eſt filia. Quam ergo fraudem hîc ſuſpicetur Dauid? nullam prorſus. Et ideo fraus iſta fraudolenta maxi- a Plautus in Pſeud.
mè quia ſi [a] *doli doli non ſunt, cùm quis eſſe intelligit*: maximè doloſos oportet eſſe dolos, quos quis nec intelligere poteſt, nec ſuſpicari.

In duabus rebus gener meus eris.] Quæ iſtæ *duæ res*, quas nunc Saul à Dauide requirit? ſi enim res hîc pro conditione appellatur; vna tantummodò fuit conditio Dauidi à Saule propoſita; ac proinde de vna tantùm res, & non duæ requiſitæ. Cur ergo dixit *in duabus rebus?* Liranus, Abulenſis, Caietanus, Vatablus, & recentiores Hebraizantes dicunt vulgatam lectionem vitiatam eſſe, & abundare in illa vocem. *Rebus*. In Hebræo enim tantummodò haberi; *in duabus gener meus eris*: dualem autem hunc numerum referri volunt ad Saulis filias, ſenſúmque eſſe, *Iam ſemel contraxiſti mecum affinitatem pacta priori filia; nunc iterum ſecundò contrahes per hanc alteram, quam tibi deſpondeo.* D. Hieronymus in traditionibus noſtram lectionem agnoſcit, & interpretatur: & *duas res* duas conditiones exponit; quas intelligit de Præputiis Paleſtinorum; quæ ſemel Sauli Dauid obtulit pro Merob; iterum pro Michol: vel certè *duas res* appellari ducenta præputia, quæ allata à Dauide ſunt, cum centum tantùm Saul popoſciſſet. Græci difficultatem hanc non attingunt; quod apud Septuaginta hæc ſententia non habeatur. Dubium autem non eſt; quin omnia clariora futura ſint, ſi vt volunt Lyranus, & alij ex Hebræo legendum eſſe, ita legatur. Nobis tamen integrum non eſt à noſtra editione diſcedere; in qua emendata habetur, *In duabus rebus*. Dicendum ergo eſt, *duas res* eſſe duas conditiones: non quod ambæ ſimul à Dauide requirantur, vt Michol illi tradatur; ſed quia cum vna præceſſerit; altera nunc inſuper adiungatur. Quæ præceſſit? Dauidis victoria contra Goliam. Quæ noua requiritur? Præputia Paleſtinorum, ſenſus ergo eſt. Vnum adhuc eſt, quod requiro, vt gener meus ſis; & licet illud præceſſerit, hoc alterum eſt adiungendum; ac proinde. *In duabus rebus gener meus eris*. Vel certè planiùs interpretari poſſumus; quod Saul duo dixerit adhuc ſupereſſe à Dauide præſtanda, vt Regius gener eſſet, non explicando diſtinctè, quæ iſta eſſent. Cùm enim Merob iam priùs illi deſponſata alteri traderetur; æquum omnino videbatur, vt Rex Dauidem appellaret, factum excuſaret, prætextum aliquem quæreret, & afferret: cur dictis non ſtetiſſet; cur illi pactam alteri locaſſet. Hoc ergo nunc Saul eſt exequutus, & Dauide acceſſito; nihil illi nouum, aut mirandum eſſe debere dixit; nihil de regia affinitate deſperandum: perſtare enim ſe adhuc in ſententia de tradenda illi filia: duo tantummodò ſupereſſe, quæ ab illo deſideraret, quæ autem iſta eſſent, ſuo loco auditurum.

Si verò alteram lectionem ex Hebræo ſequamur, multò vt dicebam, ſunt omnia planiora.

Clarè enim inde colligitur verba hæc à Saule Dauidi dicta fotſſe;quaſi,vt illum erigeret, & in eadem ſpe regiæ affinitatis confirmaret, à qua fortaſsè exciderat ſemel fruſtratus, & eluſus. *In duabus*, inquit, *gener meus eris*. id eſt in altera ex duabus filus. Hæc eſt enim phraſis Scripturarum, vt in *pluribus* dicant fieri, quod in aliquo dumtaxat eorum fit; atque proinde collectiuè aliquando effertur, quod diſiunctiuè dicendum
b Cap. 12. eſſet. Sic in libro Iudicum [b] dicitur, vt habetur in Hebræo *ſepultúſque eſt Iephte in Ciuitatibus Galaad* id eſt in vna ex Ciuitatibus Galaad. Neque enim in omnibus ſimul potuit; niſi in fruſta concisus. Hoc ergo loco in *duabus gener eris*, ſignificat in altera ex duabus, quaſi nimirum dicens; Noli timere Dauid, quod filiam maiorem alteri tradiderim. Non deſunt mihi filiæ: alia ſupereſt, ſi prima ſubtracta eſt: poteris ergo gener meus eſſe. *In duabus*, cum duas habeam, altera ibi non deerit.

Loquimini ad Dauid clam me.] Quorſum nunc iſti ſubmittantur, & quæ noua Regis fallacia tendatur, difficile eſt diuinare; ſi enim Ssul ipſe per ſe, iam Dauidem alloqnutus fuerat, ad quid nunc iſtos claneulum ſubmittere, qui iſto officio fungantur? Exiſtimo Daoidem alloquenti Ssuli oſtendiſſe, ſe alia omnia ſemper cogitaſſe; quàm vt Regius gener eſſet. Talem autem orationem ad illum habuiſſe probabiliter omnino ex antecedeotibus, & conſequentibus colligere poſſumus. *Probè me, fortunamque meam noui optimè Rex: nec vllis vnquam me rerum ſucceſſibus ita ſum paſſus efferri, vt mei me, meorúmque teneret obliuio: qui regius miles ſim, & regius ſatelles; non indignus fortaſſis exiſtimer: regnum generum aliud genus decet, alius natalium ſplendor. Numquam ergo animum ſeriò nuptiis adieci, quibus me tantopere inferiorem cernerem: ac proinde non eſt, quod quiſquam cenſeat vlla me ſpe cecidiſſe, cùm Merob alteri eſt collocata. Quod enim quis non ambit, & ſupra ſuas vires putat; non ægrè fert, cùm aliò tranſlatum videt. Quæ verò mihi ô Rex, aliàs dixiſti; & nunc iterum benignè repetis in eam partem omnia accipio, in quam æquum eſt: profecta nimirum ab animo beneuolentiſſimo, qui non contentus me ſupra merita euehere inſuper hac aura vult aſpergere Regij connubij: vt ſaltem is inter alios prædicer de quo in regium Generum eligendo ſit aliquando iactatum.*

Hæc ergo, & ſimilia Dauid cùm dixiſſet; animaduertit Saul ſeriò illum animom filiæ nuptiis non adiicere, quod ſibi data verba intelligeret, ac proinde minùs id ſucceſſurum, quod ſperabat, vt pro potienda Regia affinitate Dauid maiora viribus auſus ardentiùs certa ſe in pericula coniiceret, quàm tutò poſſet. Ergo nunc iſti ſubmittuntur, qui Dauidi rem ſeriò agi perſuadeant; qui illum ſpe, & promiſſis impleant; qui deiectum animum erigant, & aliò ſpectantem ad regiam conditionem flectant. Quibus autem hi rationibus vſuri? duabus in primis; *places Regi, & omnes ſerui eius diligunt te*. Dauid enim idcircò videbatur regium connobium recuſare; vel potiùs eo ſe indignum credere; quod illi eſſet omni ex parte impar, *genere, meritis, diuitiis*; hoc ergo nunc iſti refellere debent, & occurrere exceptioni indignum non eſſe, qui in regium generum aſſumatur, cui Rex ipſe, & omnes ſerui eius impensè fauent.

Ego autem ſum vir pauper, & tenuis.] Perſiſtit Dauid in eo quod ſemel cœpit, & aliis quantùm poteſt id perſuadere conatur; vt putent numquam ſe de regiis nuptiis ſeriò cogitaſſe; aut cùm ea de re ſecum ageretur, ſeriò agi exiſtimaſſe. Eſto enim, quòd aliqua in ſe ſint clara, & eximia: duo tamen obſtare quæ regia affinitate ſint prorſus indigna; Fortunæ tenuitatem, & obſcuritatem natalium. Hæc enim duo Dauid intelligit cùm dicit ego ſum vir pauper, & tenuis. *Pauper* enim ad opes; *tenuis* ad genus eſt referendum. Vnde LXX. habent, *Ego autem vir humilis, & non honoratus*. Caietanus. *Vir pauper, & deſpectus*. Vatablus. *Pauper, & obſcurus*.

℣. 25.) Dixit autem Saul: ſic loquimini ad Dauid. Non habet Rex ſponſalia neceſſe, niſi tantùm centum præputia Philiſtinorum, vt fiat vltio de inimicis Regis. Porrò Saul cogitabat tradere Dauid in manus Philiſtinorum.

℣. 26.) Cúmque renuntiaſſent ſerui eius Dauid verba, quæ dixerat Saul, placuit ſermo in oculis Dauid; vt fieret gener Regis.

Non habet Rex ſponſalia neceſſe.] Duo ſunt hoc loco explicanda quorum alterum ex altero pendet. Primùm quid ſint hæc ſponſalia: deinde cur nunc iis ſe non indigere, velit Dauidi Saul renunciari. *Sponſalia* hîc propriè ſunt dona, quæ maritus offerabat ſocero; quaſi pretium filiæ, quam ducebat. Priſcis enim temporibus contra quàm deinde conſuetum ſit; non dotem dabat vxor marito, ſed maritus pro vxore dotem ſolnebat Patri. Propterea vxor emi quodammodo dicebatur; & maritus etiam dotem pro illa numerare. Vnde quod hoc loco noſter vertit. *Sponſalia* alij habent *dotem*. Chaldæus. *Non vult Rex in dotibus*. Caietanus ex Hebræo. *Non voluntas Regis in dote*. Vatablus, & Pagninus. *non beneplacitum eſt Regi in dote*. LXX. verò. *Non vult Rex in dono*, id eſt nullum à te donum vult, vt filiam ſuam tibi tradat. Propterea Tygurina omnes verſiones paraphraſticè coniungens legit. *Rex non delectatur donatione propter nuptias*. De hoc veteri ritu in nuptiis contrahendis hîc plura non addo; fuſiùs omnia, quæ ad ipſum ſpectant in apparatu hiſtorico exequutus, vbi de ritibus.

Hinc autem apertè perſpicitur quorſum velit hoc Dauidi renuntiari Saul. Dixerat ille; vt omnia alia haberet Regio genero non indigna, ob paupertatem certè regiæ omnino affinitati imparem eſſe. Reſpondet Rex, & hoc illi nunciari iubet: ſuperuacuam hîc eſſe curam vllam opum, aut paupertatis: quandoquidem ipſe à genero velit ſibi non aurum dependi in dotem filiæ; ſed tantum fortia facta, quibus tandem publicus hoſtis debelletur; proinde pro auro omni contentum eſſe ſe centum præputiis Palæſtinorum; quæ ſi Dauid repræſentet filiam ſit habiturus.

Centum præputia.] Nulla eſt editio, quæ præputia requiſita non referat. Ita enim in Hebræo; apud LXX. Complutenſes. Ita in noſtra vulgata, & aliis omnibus verſionibus Vatabli, Caietani, Pagni, Tiguri. ſolus Ioſephus pro *præputiis* capita legit. & non contentus re diſſentire tota; etiam numero diſcrepat: ſexcenta enim capita Palæſtinorum in dotem filiæ poſtulata tradit. Cur pro *præputiis* capita repoſuerit: fortaſsè

ſuſpicari

ſuſpicari poſſumus; no qui Græcis, & Gentilibus ſcribebat, vllam profanis hominibus occaſionem daret noſtra deridendi. Cur verò pro *centum*, ſexcenta maluerit: quid aliud dici poteſt: niſi clarè illum hîc, vt alibi ſæpiùs hallucinatum? At poſſet cuipiam fortaſſè probabile videri; præputia hoc loco poſita eſſe pro capitibus inciteumciſorum, quæ vt vno verbo Scriptura ſignificaret poſtulata dixit à Saule non capita, ſed *præputia*. Verùm præputia propriè requiſita, & clarè ſatis Scriptura loquitur; & Patres etiam omnes, & veteres Interpretes fatentur, Hieronymus, Sulpitius, Seuerus, Eucherius, Beda, Iſidorus, Angelomus, Rupertus, Vgo Victorinus & alij. Cur ergo hanc potiùs corporis partem; quam
c Quæſt. 47. in primo. Reg. aliam poſtulauit? Cauſam tradit Theodoretus. [c] *Ne*, inquit, *fortaſſè David Iſraëlitas ipſos in campeſtribus, agriſue degentes inuaderet; iiſque ſecurè occiſis, capita eorum deinde deferret; quaſi hoſtium eſſent.* Vt ergo certus eſſet non alios, quàm ex hoſtium numero trucidatos: præputia non capita iuſſit afferri.

Porrò Saul cogitabat.] Hæc eadem res ſic à
d lib. ſexto cap. 11. Ioſepho narratur. [d] *Cùm David ob eximiam fortitudinem gratioſus magis adeò in dies fieret; vt etiam regia Saulis filia eius amore vehementer incenderetur: non potuit Saulem id diutiùs latere, qui nactum ſe inde opportuniorem inſidiarum occaſionem putans, renuncianti bus puellæ amorem, promitto, inquit, filiæ connubium: ſi mihi ſexcenta hoſtium capita attulerit: ſcio illum honoris auidum, & ex periculis gloriam quærere non recuſaturum; ſed fortiter Paleſtinos inuaſurum: id quod mihi bonum erit, & commodum. Sic enim ſine mea infamia ſublatus, ſecuritatem nobis afferet. Mittit deinde domeſticos, qui Dauidis mentem pertentent, quomodo erga puellæ coniugium eſſet affectus. Qui cùm indicaſſent ei, quod ob gratiam, qua cùm apud Regem, tum apud populum polleret, Saul eum ſibi generum deſtinaſſet. Vobis, inquit, fortaſsè parua res videtur, regium generum fieri: mihi certè non item, qui conſcius mihi ſum ſtirpis, & generis. Quo renuntiato Saul à domeſticis, dicite, inquit, nihil memorari pecunias, aut dona, quæ ſponſa offerat. Hoc enim fuerit vendere filiam magis, quàm elocare: ſed cupere generum fortitudine, aliiſque virtutibus præcellentem; quales in ipſo iam comperi: poſcere autem pro nuptiis filiæ non aurum, aut argentum, quod de paternis ædibus afferat: ſed vltionem Paleſtinorum & ſexcenta eius generis virorum capita. Quibus auditis David, putans ſeriò à Rege affinitatem ſuam expeti, nihil cunctatus eſt.*

Hæc ille; ea quibus aliqua falſa ſunt; alia minùs propinqua vero; quædam etiam probabilia. Falſum eſt poſtulata capita; falſum ſexcenta poſtulata; minùs autem ſimile vero, quod palam ea Rea cum ſuis fuerit eloquutus, quæ illum loquentem facit. Probabile verò eſt, quod dicit tunc demùm Dauidem ſeriò ſecum agi de nuptiis exiſtimaſſe: quaſi nimirum anteà id non putaſſet: non quidem in eo nullas Regis inſidias ſubodoratus: ſed tantùm quod ſe indignum regia affinitate iudicaret.

℣. 27.) Et poſt paucos dies ſurgens Dauid abiit cum viris, qui ſub eo erant: & percuſſit ex Philiſtiim ducentos viros, & attulit eorum præputia, & annumerauit ea Regi, vt eſſet gener eius, deditque Saul ei Michol filiam ſuam vxorem.

℣. 28.) Et vidit Saul, & intellexit, quòd Dominus eſſet cum Dauid: Michol autem filia Saul diligebat eum.

℣. 29.) Et Saul magis cœpit timere Dauid: factúſque eſt Saul inimicus Dauid cunctis diebus.

℣. 30.) Et egreſſi ſunt Principes Philiſtinorum: à principio autem egreſſionis eorum prudentiùs ſe gerebat Dauid, quàm omnes ſerui Saul: & celebre factum eſt nomen eius nimis.

Dedit itaque Michol filiam ſuam.] Nimirùm nullus iam reliquus erat tergiuerſationi locus. Mentiri enim integrum non erat; cùm totus populus teſtis eſſet ſub ea illum conditione filiam deſpondiſſe; ſi ſibi centum hoſtium præputia numerarentur. Apertè autem negare tutum non exiſtimabat; clarè enim per hoc aliis ſuſpicionem dabat per ſpeciem ſe affinitatis viro forti perniciem ſtruere voluiſſe: Captus ergo ſuis ipſe artibus, ei, quem ſummè auerſabatur filiam collocare coactus eſt.

Magis cœpit timere.] Quòd indies ſemper feliciores ſucceſſus haberet, nam & à populo pluris quotidie fiebat; & ab omnibus magis diligebatur, & à domeſticis ipſius Saulis impenſiùs colebatur, & amabatur: Quod Michol marito vnicè caro, omnes etiam in Regia conciliaret.

Factuſque eſt Saul inimicus David cunctis diebus.] Internum aduerſus illum odium deinceps exercuit, quod creuit creſcente metu. Creuit hic autem Dauidis magnitudine maiora indies incrementa ſumente, vt bene obſeruauit Ioſephus:

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT XIX.

ARGVMENTVM.

DAVIDE in Generum aſſumpto, nihilo Saul placatior factus eſt; ſed gliſcente in dies odio, ſtimulante metu; quod hactenus occultè moliebatur Imperator in militem, perficere quoquo modo parat in Generum Socer. Ergo cùm doli toties tentati parum fæliciter ſucceſſiſſent; nihil ampliùs diſſimulandum ratus, perſonam omnem deponit, & grauiter improbus effectus, aperta tandem odia profitetur. Quò tamen tutiùs, & faciliùs voto cuncta reſpondeant, fideliſſimos tantùm ſuorum primùm adſciſcit, quos in partem conſilij receptos ſceleris ſui conſcios facit, & adminiſtros. Inter hos Ionathas erat; qui paternam impietatem auerſatus, libera voce Dauidis merita apud Patrem exequutus, effecit, vt tantiſper ille ſanior factus, in gratiam iterum Dauidem reciperet; odio ſopito, non extincto. Sed non diu mali boni ſunt. *Nam cum ſpiritu erroris Saul affligeretur; nihil opinantem Dauidem minimo minus lancea confodit; quæ parieti adhærens caſſo ictu, reconditum Regis odium patefecit; quod ille repreſſerat, non ſeriò depoſuerat. Exinde iam palam Dauid oppugnari cœptus; propè fuit vt ſatellitum manu domi circumcluſus in poteſtatem Saulis deueniret; niſi indicio vxoris periculo cognito, per feneſtram clanculum elapſus, inſidias eluſiſſet. Regi ergo nec Regiis ampliùs ſe credens, aperta ſibi fuga conſuluit; & primum omnium ad Samuelem ſe confert: quò cum ſatellites Saulis irruiſſent, & alij poſt alios, & denique ipſe quoque Saul acceſſiſſet, diuinitus factum eſt; vt Dauidis, quem inſectabantur obliti; cruentum miniſterium in ſacrum tripudium commutarent; ex ſatellitibus facti repente vates.*

℣. 1.) Loquutus eſt autem Saul ad Ionatham filium ſuum, & ad omnes ſeruos ſuos: vt occiderent Dauid. Porrò Ionathas filius Saul diligebat Dauid valde.

℣. 2.) Et indicauit Ionathas Dauid dicens, quærit Saul Pater meus occidere te: quapropter obſerua te, quæſo, manè, & manebis clam, & abſconderis.

℣. 3.) Ego autem egrediens ſtabo iuxta Patrem meum, in agro vbicunque fueris; & ego loquar de te ad Patrem meum, & quodcunque videro, nunciabo tibi.

MAIVS in dies fiebat Saulis odium, quàm vt amplius tegi poſſet; aut intra vnius pectoris anguſtias cohiberi. Ergo cùm hactenus illud diſſimulaſſet egregiè ſcenæ deſeruiens; nunc tandem larua depoſita cogitur ipſe ſe prodere; & animi æſtum, quem ſolus ipſe non capit, cum aliis communicare. Ita enim fit in iſtis vehementibus affectibus, vt in vnda, quæ ſubiecto igne torretur; tandiu enim ſe cohibet, donec penitus feruorem concipiat: ſi verò flamma perduret, in ſe prius turbidè concitata, tota poſtea per ſpumas effunditur: Quod nunc in Saule contigiſſe videmus: Priùs enim quantum potuit odium preſſit animi furoris: deinde totum effudit. Egregiè Princeps Poëta [a] totum hoc expreſſit naturam odij & iracundiæ nobis proponens. a Virgil. li. 7.

—— Magno veluti cum flamma ſonorè
Virgea ſuggeritur coſtis vndantis Aheni,
Exultántque æſtu latices: furit intus aqua vis,
Fumidus atque altè ſpumans exuberat amnis
Nec iam ſe capit vnda, volat vapor ater ad auras.

Poſſumus autem hoc loco meritò quærere, qua noua occaſione tanta Saulis odio acceſſio nunc facta fuerit. Potuit enim placari, & mitigari debuit, & in filiæ gratiam parcere Genero; & tamen propinquum factum magis odiſſe cœpit. Multa dici poſſunt: ſed vera cauſa referenda eſt (quod ſæpiùs dixi) in Dauidis magnitudinem, & gratiam apud populum. Hæc enim primùm Sauli ſuſpecta fuit, inde ex ſuſpicione timor, ex timore odium creuit. Creſcente ergo Dauide, vires etiam odium ſumpſit. Porrò maior moliò, quàm ante fuit, factus eſt Dauid ex Regia affinitate; nam tunc omnes vni fauere, extollere, ambire: inde etiam ſperantes, Saulis animum poſſe magis ſibi demereri. Hinc ergo generum factum magis exoſum habuit.

Vnde duo nobis obſeruanda ſunt. Primum in omni animi vehementiori perturbatione illud verum eſſe, quod neſcio quis [b] præcipuè de amore dixit. Obſiſtendum eſſe in primo limine; ſeriòque reluctandum: quòd ſi paulutum conniuendo nutriatur malum; miris incrementis vires in ſingula momenta ſumere; quibus deinde ſerò reluctemur: Hoc inquam, quod in omni alio affectu verum eſt, multo magis in iracundia eſt obſeruandum. Nullus enim morbus animi eſt, qui ex mora magis inualeſcat. Propterea Diuus Paulus [c] illud admonuit. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Quid hoc eſt. *Sol non*

b Seneca in Hyppolitum.

c Ad Eph 4.

occidat

occidat? non dixit, nemo veſtrum aduerſus aliquem iraſcatur: nullus contra alium vllam animi alienationem admittat. Ægrè enim hoc ab homine inter homines agente ſperari poteſt. ſed quid dixit? *Sol non occidat ſuper iracundiam*; quod eſt *obſiſtite* ſaltem naſcenti; ne nata adoleſcat, quando agi id à vobis non poteſt ne naſcatur. *Hominis eſt* inquit Auguſtinus [d] *iraſci: ſed non debet iracundia tua natus ſurculus breuis ſuſpicionibus irrigari, & ad trabem odij peruenire.* Pulchrè, & acutè. Difficile eſt enim aliorum offenſionem non incurrere, & ab aliis viciſſim non offendi. At ſaltem iracundia noſtra; animi abalienatio; offenſio erga aliquem, dum adhuc tenera eſt, & quaſi ſurculus adoleſcit eſt excindenda; non verò euſque fouenda, donec trabs fiat, qui ſurculus erat. Propterea *Sol* inquit *non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Cadente luce, cadant pariter offenſiones, omnis ex animo detergatur amaror. Si enim in noctem vſque perdurct; tum verò ſuſpicionibus, cogitationibus, & eorum triſti obuerſatione quæ dicta, quæ facta ſunt, quaſi frigido rore ſurculus irrigatus, in ingentem repentè trabem exereſcit: vt nunc accidit in Saule. Primùm enim eius offenſio & iracundia in Dauidem; quaſi *ſurculus breuis* fuit, tunc, cùm ſtetit intra aſpectum minùs æquum, *non rectis*, inquit, *oculis Saul aſpiciebat Dauid.* At quia ſuper hunc ſurculum *Sol occidit*, & nocturni frigoris triſtior vmbra mille ſuſpicionibus irrorauit; ex virgula celerrimè in trabem adoleuit; & quem antea truciori tantùm oculorum aſpectu feriebat; poſtmodum lancea, iaculóque petiuit. Meritò ergò hic etiam illud eſt inculcandum.

Principiis obſta, ſero medicina paratur
Cùm mala per longas inualuere moras.

Alterum hinc obſeruandum ex hoc deducitur. Cùm enim principio non obſiſtitur; tum verò non ſolùm difficiliùs reluctamur: ſed faciliùs etiam trahimur in mala grauiora. Diui Gregorij [e] vox eſt; *Peccatum quod per pænitentiam deletum non fuerit, ſuo pondere nos ad aliud trahere.* Itaque non ſolùm mora adoleſcit morbus: ſed alium inſuper parit, & grauiorem. Nam Saul primum obliquè tantùm inſpexit; tum per occultas inſidias perniciem molitus eſt; deinde per ſpeciem honoris mille diſcriminibus Dauidem obiecit: non iam militem ſed Generum: ad extremum verò cuncta diuerticula reſpuens, libero, & aperto itinere ad necem viri innocentis graſſatus eſt: ſecum alios in id trahens, quod ſolus antea tacitus machinabatur.

Et ad omnes ſeruos ſuos.] Ita ne? vt tantum ſcelus, & quod tantopere Saulis intererat, occultari ſaltem, ſi non ob aliud, ne exitus impediretur, omnibus quaſi pro concione Saul euulgauerit? *& ad omnes*, inquit, *ſeruos ſuos.* Nullus ergo in aula, qui non conſilij Regis conſcius factus fuerit. Et quorſum id? an vt lanij, coqui, ſartores, verſores, etiam ſuam operam conferrent; an potiùs vt inter tot vilia capita ſecretum communicatum ſecretum non eſſet? Certa enim res erat id clam Dauidem non habendum, quod tot reſciuiſſent. Sed dicendum *ſeruos Regis* hoc loco non eſſe domeſticis miniſteriis, vel quomodocunque aliter illi foris, aut domi inſeruientes: ſed milites, & ex his Prætorianos, & regiæ cuſtodiæ præcipuè attributos: quos Ioſephus appellat *domeſticorum fidiſſimos*; & LXX. *pueros Regis.* frequenter enim in Sacris litteris; maximè autem in Regum hiſtoria cuſtodes Regij corporis, *ſerui Regis* appellantur: quod pluribus infrà [f] docebimus; & in apparatu hiſtorico, vbi de Regio ſatellitio. Non ergo Saul omnes qui ſibi miniſtrabant: ſed Milites pro prætorio excubantes conuocauit. Quorum enim opera maximè vſurus erat in perimendo Dauide: cum iis etiam potiſſimum deliberandum putauit; quomodo eſſet occidendus.

Vt occiderent David] Senſus non eſt illis præcepiſſe vt Dauidem occiderent: ſed cum illis egiſſe de ipſo occidendo. Quod duo complecti poteſt. Alterum, vt actum inter illos ſit, qua via, & ratione Dauid potiſſimùm eſſet de medio tollendus. Alterum vt propoſuerit Saul offenſiones ſuas in Dauidem; & ſuſpiciones occultas de affectato Regno: ac propterea deliberandum; num eſſet priùs occidendus, quàm malum latiùs ſerperet; aut altiùs radices ageret. Hoc indicant aliæ verſiones. Caietanus ex Hebræo legit. *Et loquutus eſt eis ad faciendum mori David.* LXX. *ad interficiendum David.* Quod conſilium agitatum ſignificat de morte Dauidis. Imaginem ergo hoc loco quandam habemus conſilij Iudæorum, quod aduerſus Chriſtum Dominum coëgerunt; vt obſeruant Eucherius, Beda, Iſidorus Rupertus, & alij poſt ipſos. Neque enim ſimul atque conuocati ſunt dictum eſt, *occidamus Chriſtum*: ſed priùs quaſi conſultantes inter ſe quid faciendum eſſet deliberarunt. Ne ſcilicet impetu magis, quàm conſilio, & ratione duci viderentur. Dixerunt ergo; [g] *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* Similiter etiam Saul Ionathâ & aliis euocatis: non ſtatim edixit occidendum Dauidem: ſed cuncta, quæ illum ſuſpectum reddebant affectati Regni in medium attulit, & deinde conſuluit; *Quid facimus, quia hic vir in dies maiora incrementa capit?* hoc eſt ergo. *loquutum Saulem ad interficiendum David.* ea illis de Dauide loquutum, per quæ iudicarent omnes è re communi eſſe vt occideretur Dauid.

Quærit Pater meus te occidere.] Si aliter Saul cum Ionatha, & aliis egiſſet de nece Dauidi inferenda, quàm propoſuimus: certè Ionathas non hoc dixiſſet ſolùm. *Quærit te occidere*: nec illud adiunxiſſet, vt *maneret in agro*; donec planè exploratam haberet patris in illum voluntatem: ſed ipſum fuga ſibi quantociùs conſulere iuſſiſſet, quod a Rege iam militibus mandatum eſſet de illo è medio tollendo. Hoc optimè à Caietano animaduerſum eſt. Illud enim, *quærit te interficere*, clarè ſignificat obſeruatam tantùm malam Regis voluntatem erga Dauidem; non verò mandatum vt occideretur. Qua in re licet etiam obſeruare vafrum maximè huius veteratoris ingenium, Saulis inquam; qui non contentus præteritis artibus, & diſſimulatione, pergit porrò etiam eadem via, inire id obtegens quod maximè cupit. Dauidem modis omnibus vult extinctum: in id animum obſtinauit; ita tamen vt nulla inde velit inuidia flagrare. Quaſi ergo adhuc dubius in partem conſilij, ſuos vocat, ſententias illorum exquirit. Quorſum id? vt ſcilicet illos habeat Dauidi mortis auctores, non tantùm miniſtros.

[d] Hom. 40. in 50.
[e] Hom. 11. In Ezech.
[f] lib. 2. c. 12.
[g] Ioan. 11. 47.

Id ipſum prorſus quod Iudæi quoque ſpectarunt in Chriſti nece; quam cùm votis omnibus expeterent: nihilominus tamen euſque diſtulerunt; donec & plebs ipſa, & Pilatus, & Gentiles reliqui; auctores ſe ad illam præberent: vt quemadmodum hoc loco Saul inuidiam ob mortem Dauidis ſolus non vult ſubire; ita nec illi odium

ex Chriſti morte ſoli incurrerent.

Obſerua te quaſi manè.] Ionathas ex patris oratione deprebenderat illum quidem peſſimè iu Dauidem animatum; non ramen planè iam certus erat; an deliberatum omnino haberet ipſum interimere. Itaque ex vna parte Dauidi timebat, ex altera ſpem eriam habebat poſſe patris animum mitigari. Qua timebat; Dauidi fugam, & larebram in præſentia conſulit; qua ſperabat; à proximo agro non diſcedendum præcipit; quæ omnia confirmant id, quod dicebam: ita temperaſſe Saulem orationem ſuam; vt obſcutus, & rectus quid vellet de Dauidis morte non planè perſpici poſſet.

Manè.] Non verbum eſt, ſed aduerbium. LXX. *in craſtinum.* Alij *cras.* Vatablus, *caue quaſi te vſque manè.* Alij *obſerua te craſtina die.* Quod quid ſibi velit obſcurum eſt. Abulenſis putat mandatum Regis fuiſſe; vt Dauid ſequenti die occideretur: propterea vt tunc ſibi maximè caueret à Ionatha admonitum. Sed nos meliùs cum Caietano ſuprà indicauimus, nullum rale Regis mandatum adhuc extitiſſe. Senſus ergo eſt, qui pendet ex ſequentibos verbis. Neque enim vult Ionathas, vt rantùm ſibi Dauid caucat ſequenti die: ſed vult illi cum cuſtodia, & circumſpectione ſalotis ſuæ vſque ad ſequentem diem aliquo certo in loco operiendum; donec planè ipſe diſpiciat; Num Rex deponere offenſionem poſſit, & Daoidi placari. Si enim porrò ille inſanire pergat; tum aliud perfugium, & omiſſa diſſimulatione apertam omnino fugam arripiendam: ſi verò verbis Ionathæ placetur; poſſe illum de proximo latentem, Regi facilè ſe ſiſtere, & coram cauſam ſuam agere, illíque bona fide reconciliari.

Manebis clam, & abſconderis.] hoc pacto vult illum ſe obſeruare, & in cuſtodia ſalutis ſuæ excubare vſque ad *craſtinum diem*; Morando ſcilicet clam, & latendo in proximo agro; donec planè Regis voluntas perſpiciatur. LXX Hebtaiſmum magis retinuerunt, *abſcondere, & ſede in occulto.* Vatablus. *ſedenſque in occulto abſcondere.* Hebræi enim moram quamcunque *ſeſſionem* appellant, & morari *ſedere.* Quod qui aliquid operiuntur, & expectant, ſedere maximè ſoleant vt infrà di-
b lib. 2. c. 16. cemus. [b]

In agro vbicunque fueris.] Obſerua verba, quorum ſenſus nobis eruendus eſt ex collatione aliarum verſionum. LXX. *In agro: vbi fueris illic.* Vatablus. *In agro in quo tu fueris.* Caietanus ex Hebræo vertit. *In agro in quo tu ibi.* Abulenſis, & alij antiquiores, vt Dionyſius, & Hugo Carenſis legunt; *In agro vbicunque fuerit.* Sic autem facilè Abulenſis ſe expedit, hanc ex bis verbis ſententiam eliciens, & proponens. Alloquar ego Patrem meum in agro, vel vbicunque fuerit. Cras enim cum ille animi cauſa deambulatum ſe conferet; ſiue in agrum, ſiue aliò contendat, illius à latere nuo diſcedam: & nactus opportunitatem de te ſermonem inſeram, placarumque tibi reddere ſtudebo; quo autem ſucceſſu, ſtatim ex me cognoſces. Probabilis expoſitio, niſi diſcederet ab Hebræo textu, & à vulgata editione; in qua emendata eſt *in agro, vbicunque fueris*; ipſe autem legit. *Vbicunque fuerit.* Dionyſius verò qui hanc eandem lectionem ſequitur, aliter interpretatur. Interpungit enim poſt illud. *in agro*: deinde quod additur cum ſequentibus nectit, vt ſit ſenſus. *Vbicunque fuerit loquar de te ad Patrem meum,* id eſt vbi ſe commoda occaſio obtulerit nactus opportunitatem, ſtatim de te loquar. LXX. indicant tunc loquuturum ſe Patri ſignificare Ionatham; cum Dauid latuerit, ſic enim legunt. *Stabo Patri meo adhærens in agro; vbi tu fueris illic.* id eſt poſtquam ad eum locum perueneris, in quo tibi latendum eſt. In noſtra editione difficultatem facit, quod dicitur. *vbicunque tu fueris*: videtur autem pendens oratio, & abrupta, nec cum præcedentibus ſatis, aut conſequentibus cohærens: propterea non ſatis ex ea liquet de quo agro ſermo ſit, in quo ne Dauid eſt occultandus: an quem petere ſoleat animi cauſa Saul, in quotidiano egreſſu. Denique quorſum hunc potiùs articulum, & loci, & temporis aucupetur Ionathas ad alloquendum Saulem. Ad quæ omnia quid reſponderi probabiliter poſſit non video: niſi iſta ſic interpretando; vt per hyperbaton verba tranſpoſita eſſe intelligamus: quæ ſic reſoluenda & exponenda ſunt, ac ſi hoc ordine ſcripta eſſent. *Manebis clam, & abſconderis in agro vbicunque fueris.* id eſt in agro: ſiue alibi, vbicunque tibi magis cordi erit; *ego autem egrediens ſtabo iuxta Patrem meum & loquar de te.* hic enim nullum locum habent difficultates propoſitæ, & omnia clara ſunt, quæ ſatis aliter perplexa videntur.

℣. 4.) Loquutus eſt ergo Ionathas de Dauid bona ad Saul Patrem ſuum: dixítque ad eum: ne pecces Rex in ſeruum tuum Dauid, quia non peccauit tibi, & opera eius bona ſunt tibi valde.

℣. 5.) Et poſuit animam ſuam in manu ſua, & percuſſit Philiſtæum, & fecit Dominus ſalutem magnam vniuerſo Iſraëli. Vidiſti, & lætatus es. Quare ergo pecas in ſanguine innoxio interficiens Dauid qui eſt abſque culpa?

Loquutus eſt ergo Ionathas.] Ioſephus his vel ſimilibus verbis vſum refert. *Pater,* inquit, *quanam in re magna, vel parua laſus iubes interfici virum, qui tantum momentum ad ſalutem noſtram attulit; nec minùs ad cladem Paleſtinorum? quique à quadraginta dierum ignominia ſolus Populum Hebræum vindicauit, ſolus prouocanti hoſti opponere ſe auſus, idem poſtea relato præſcripto capitum numero honoris cauſa ſororem meam in matrimonium accepit, quò magis lugubris fiat nobis eius mors; non ſolùm ob virtutem, ſed etiam ob neceſſitudinem? nimirum enim hæc ad filiam tuam quoque pertinebit, quæ prius viduitatem, quàm coniugij fructus experietur. Hæc igitur reputans ſine te flecti ad meliora; ac ne ſæuias in virum de familia noſtra, tum primum optimè meritum: quando te dæmoniaco morbo miſerè vexatum priſtina ſanitati reſtituit: deinde cum in hoſtes vindicauit. Indecorum enim erit horum obliuiſci.*

Ne pecces Rex in ſeruum tuum.] Suaſio omnia & diſſuaſio tribus maximè locis definitur: ab *honeſtate*; ab *vtilitate*; & à *iucunditate*; à quibus omnia argumenta ducimus, cùm quid aliis ſuademus, aut diſſuademus. Cui enim hæc tria inſunt illud ſequendum proponimos; à quo abſunt fugiendum. Quod nunc facit Ionathas. Mortem enim Dauidis, à qua Patrem abducere vult, nec *honeſtam* Sauli; nec *vtilem*, nec iocundam poſſe
eſſe

eſſe demonſtrat. Honeſtatis reſpectum proponit, cùm dicit : *Ne pecces Rex in Dauid, quia non peccauit tibi.* honeſtum enim non eſt ; vt eum quis lædat à quo nec facto, nec verbo fuerit violatus. *Vtilitas* deinde adiungitur, cùm ſubditur. *Opera eius bona tibi ſunt valde.* Denique iocunditas, cùm dicitur : *Vidiſti & lætatus es.* Quod igitur Græci, Latiníque Rhetores iactant de triplici hoc bonorum genere; vnde omne ſuadendi, aut diſſuadendi argumentum detriatur ; id tanto ante Ionathas per ſe ſeruauit, & vidit ; quàm vlla illorum præcepta ea de re extarent, aut tradita eſſent.

Ne pecces in ſeruum tuum Dauid.] Peccare *in aliquem, & alicui,* hoc loco pro eudem ponitur, & ſignificat *verbo; aut facto aliquem lædere, vel violare.* Nihil autem iuſtius, nihil honeſtum magis; quàm vt ab eius iniuria abſtineamus, à quo nunquam, & nuſquam fuerimos violati. Nam lex naturæ omnibus indita videtur quidem permittere, vt vim vi repellamus, & lex Moſis Iudæis olim tradita permittebat paria eum lædente facere; iniuriáſque omnes talionis lege reponere. At illum lædere à quo læſus non fueris, non ſulùm nulla iura permittunt: ſed ipſum planè ius naturæ deſtruit, & fas omne nefaſque confundit. Propterea ergo Ionathas hoc aſſumit. *Ne peccet Rex in eo qui in te non peccauit.*

Et opera eius bona ſunt tibi valde.] Inhumanum eſt eum à quo læſus non fueris violare ; quid illum, à quo inſuper beneficio affectus ? hoc nec feræ quidem ipſæ facere ſuſtinent. Vbique enim feritatem ſuam maximè retinentes ; eius tamen cum illo obliuiſcuntor, à quo aliquid commodi retulerint, & vtilitatis. Quæ ergo Saulis immanitas, qui Dauidem non ſolùm non laceſſitus inſequitur; ſed optimè de ſe meritum ſic remunerat ? Alia igitur hîc & grauior ſpecies honeſtatis Sauli ab Ionatha obiicitur ; qua ad Dauidi parcendum moueatur. Tacitè tamen inſinuatur; quòd apud improbos potior ſit vtilitatis ratio, quàm honeſtatis. Clarè itaque illam proponit, hanc obliquè. Rarò enim improbi quique niſi vtilitate aliqua propoſita ad honeſta flectuntor. Ionathas ergo iſtis verbis, *& opera eius bona tibi valde,* duo argumenta complectitur, alterum ab honeſtate : alterum ab vtilitate :-Ab honeſtate, quia immaniſſimum ſcelus ſit bonis aliorum meritis malè facta rependere : ab vtilitate ; quia cùm vtiliſſima ſit Dauidis opera Saulis rebus, perincommodum ei valde futurum ſit illo priuari.

Et poſuit animam ſuam in manu ſua.] *Animam ſuam in manibus ſuis ponere,* vel *habere* Hebraiſmus eſt, qui valde veterum Patrum induſtriam exercuit, & recentiorum quoque vexauit ingenium. [l] Auguſtinus ad illa verba. *Anima mea in manibus meis, Quomodo intelligatur ignoro. Iuſti quippe iſta verba ſunt, non iniuſti ; redeuntis ad patrem non diſcedentis à Patre. Nam poteſt videri ille minor filius animam ſuam in manibus ſuis habere voluiſſe : quando dixit Patri. Da mihi ſubſtantiam, quæ me contingit; ſed ideo mortuus erat, ideo perierat. An fortè ita dictum eſt. Anima mea in manibus meis, tanquam eam viuificandam offerret Deo ? Vnde alibi* [k] *dicitur. Ad te leuaui animam meam.* Hæc ibi Auguſtinus : poſt quæ concludit phraſis obſcuritate deterritus, legendum eo loco eſſe. *Anima mea in manibus tuis.* id eſt Dei : quam lectionem agnoſcunt, & ſequuntur ex Græcis Baſilius, Theodoretus, Apollinaris in Metaphraſi. Ex La-

l Pſal. 118. Concione 23. v. 109.

k Pſal. 24.

tinis Hilarius, Ambroſius, Proſper, Caſſiodorus, & alij, & receperunt pſalteria, Romanum, Arabicum, Æthiopicum; ſed fruſtra difficultatem eo loco Pſalmi effugere conati ſunt; quam alibi vitare non poſſunt; cùm ſæpiùs in ſacris litteris hic modus loquendi vſurpetur; vt quis dicatur. *Animam ſuam in manibus ſuis habere, & ponere.* Vt hoc loco, & alibi ſæpiùs. [l]

Quid hoc ergo ſignificat ? communior & magis recepta expoſitio eſt, vt *Animam ſuam ponere in manibus ſuis* ſit extremis ſe vitæ periculis exponere. *In manibus autem habere,* ſit inter grauiſſima vitæ pericula verſari. Ambroſius. [m] *Propter te quotidie morior : quotidie periclitor ab inſidiatore; periclitor ab inſidiatione ; periclitor ab obtrectatore; periclitor ab iis, quos arguo quos reuinco ; periclitor pro veritate, ac iuſtitia : propterea in manibus meis anima mea, ego tamen nec periculis territus tuæ legis oblitus ſum.* Chaldæus Paraphraſtes ad illum eundem Pſalmi verſiculum. *Anima mea,* inquit, *in manibus meis, & legem tuam non ſum oblitus, id eſt, anima mea periclitatur, ac ſi in ſuperficie manus mea eſſet.* S. Hieronymus epiſtola 135. [n] *Quotidie periclitor, & quaſi in manibus meis ſanguinem meum porto.* Similia habent ex antiquis Apollinaris in eumdem Pſalmum, & Polycronius in Iob loco citato. Quos ſequuti recentiores fermè omnes. *Animam in manibus eſſe* ſimpliciter poſitum putant pro eo, quod eſt *extremè periclitari.* vt Pineda, Stunica: Eugubinus in Iob [o] Genebrardus, Agellius, Titelmannus, Flaminius in Pſalmos. [p] Lyranus, Abulenſis, Carthuſianus, Caietanus, Arias, Vatablus in Iudices. [q] Delrio noſter in Adagiis, [r] & Rota ante illum. [s] In quem ſenſum accepta locutio, non eſt tantùm Hebræorum propria ; verùm etiam apud alios vſurpata. Xenarchus apud Athenæum [t] eorum carpit improbam libidinem; qui non contenti communibus fœminis, honeſtiores etiam vt ille dicit inſectantur per innumeras ſollicitudines, & cum extremo ſemper capitis diſcrimine. *Illis,* inquit, *relictis, alias ſectantur.*

Quas nec licet videre, nec videntibus
Palam videre, ſemper ac trementibus
Pauentibus, in manuque animam geſtantibus.

At tunc dubium eſt; vnde orta, & deducta locutio, & ad quid alludat. Hieronymus, inde putat, quod quæ in manibus gerimus, facile excidere nobis poſſint ; aut ab aliis eripi. Recentiores referunt ad aleæ iactum. In manus enim cùm tali aſſumuntur, extremam ſortem eius ſubimus, quod in tali iactu adiicimus. Proinde Hebraiſmum hunc eundem eſſe volunt cum illo prouerbio Hiſpanorum. *Puſo la vida al tablero.* Hoc enim prorſus ſignificat extremum periculum capitis adire; quod Italicè dicimus. *Giuocarſi la vita.* In hoc ergo ſenſu *animam in manibus ponere vel habere* erit idem, ac illam in manu ſumere, quaſi aleam iaciendam, vt extremo iactu de ſalute decernatur. Martinus Roa tractum vult ab iis, quorum cura anxiè tangimur, ſolliciti ne quid detrimenti patiantur. Hæc enim non aliis, ac ne vix quidem nobis fidentes in manibus ſemper & ante oculos verſamus. Ex quo vlteriùs elicit. *animam in manibus habere.* non eſſe tantùm *periclitari* : ſed de periculo anxium eſſe. Confirmat hoc, quia Latinis *in manu habere,* vel *inter manus,* eſt aliquando anxiè ; quod periclitatur cuſtodire. Virgilius.

l 1 Reg. cap. 28. 21. Iudic. c. 12. 3. Iob. c. 13. 14.

m Pſal. 118. Oct. 14. v. 109.

n Epiſt. 135.

o Cap. 13. 14

p Pſal. 118. v. 109.

q Cap. 12. v. 3.

r num. 158.

s lib. 1. ſingular. c. vltimo.

t lib. 13. c. 3.

Ante oculos, interque manus ſunt omnia veſtra. Liuius de bello Macedonico, *Et vos in manu, & tutela, non in ſeruitio eos debetis habere.* Delrio loco citato non longè à Hieronymo diſcedit. Vult enim alluſionem fieri ad pecuniam, quæ inter incerta viatum geſtetur in manibus. Sed negari non poteſt tranſlationem doctam eſſe ab iis quorum vita ab ipſorum opere, & labore pendet: vt ſi tantiſper ceſſauerint, de eorum ſalute actum ſit. Tales autem maximè ſunt Milites, qui in cruento bello pro ſua, ſuorumque ſalute verſantur: tales, qui nando flumen, aut tractum aliquem maris traiiciunt, talis qui contra flumen, aut aduerſam tempeſtatem ſolus in cymba remigio luctatur. Iſti enim omnes dicuntur. *Animam in manibus habere.* Itaque *animam in manibus ſuis ponere* non eſt qualecunque periculum adire; ſed ex quo non aliter quis eripi poſſit quàm propriis manibus, & viribus connitendo, & obluctando. Et hoc voluit fortaſsè Caietanus loco citato dum dixit, loquutionem ductam *à militibus qui manu pugnant.* Quod ipſum docuit Poli-

u In ſacris Adagiis num.657. dorus.[u] Virgilius & ex illo Bochius.[x] *Qui enim inquit pugnat, vitam in dextra gerit; quam ſi vincit*

x Pſal.118. *ſeruat; ſi vincitur amittit.*

Ex quo fit eum maximè propriè dici, *animam in manibus geſtare, vel ponere*, qui cum hoſte congreditur, Propriè ergo loquutus eſt Iephte cùm

y Iudic.c.12. 3. dixit:[y] *Quod cernens poſui animam meam in manibus meis, tranſiuique ad filios Ammon, & tradidit eos Dominus in manu mea.* Similiter etiam propriè locutus eſt hoc loco Ionathas; cùm agens de pugna Dauidis aduersùs Philiſtheum dicit. *Poſuit animam ſuam in manu ſua.* Propriè itidem lo-

z Pſal.118. v.109. cutus eſt de ſe Dauid dicens.[z] *Anima mea in manibus meis ſemper, & legem tuam non ſum oblitus,* id eſt, acerbiſſimis vndique hoſtibus circumdatus extremam vitæ aleam ſemper ſubeo cum illis dimicans: & nihilominus *legem tuam non ſum oblitus.* tunc ſcilicet cùm vnicuique ſui vnius cura omnium aliorum memoriam ſolet eripere.

Similem loquutionem in eumdem quoque ſenſum vſurpatam licet in Homero obſeruare; apud quem Neſtor cùm vellet ſignificare Achiuorum res acciſas, & in eas anguſtias redactas, nulla vt iam reliqua ſpes eſſet, niſi in cuiuſque gladio, dicit eorum vitam ſitam eſſe *in cuſpide*

a Iliad. 10. *ferri.*[a]

Nunc etenim cunctis ſita res in cuſpide ferri eſt,
Viuántne, an triſti exitio abſumantur Achiui.

b in Antilogia. In Epigram.[b] Græcis de Menelao & Paride ſingulari certamine pro Helena dimicantibus.

Europa, atque Aſia Reges Mauorte potentes
Nunc vobis vtriſque noua de cuſpide res eſt.

c Ibidem. Theocritus in Dioſcuris.[c]

Certa ſalus hominum iam ferri in cuſpide ſtantum.

d lib.4. Denique apud Curtium:[d] ſic Darius deſperatis rebus ſuos alloquitur. *In dextris veſtris iam libertatem, opem, ſpem futuri temporis geritis.*

In aliis autem locis ſacræ Scripturæ, quos retuli tranſlatè magis ea locutio vſurpatur; huc ta-

e Cap.13. men etiam alluſione facta, vt Iob.[e] *Cur carnes meas lacero, & animam meam porto in manibus meis?* Cur me curis conficio; hoc eſt enim *carnes ſuas lacerare.* Sicut apud Græcos, & Latinos *cor edere,* vnde Pithagoræ ſymbolum. *Cor ne edito.*

f 3.Tuſcul. & illud Homeri quod Cicero laudat.[f]

Ipſe ſuum cor edens hominum veſtigia vitat.

Quod autem addit Iob; *& animam meam porto in manibus meis.* optimè ad id ſequitur, quod præceſſit. Qui enim ſe curis, & ſollicitudinibus conficiunt, extremo vitæ diſcrimini ſunt ſemper expoſiti; quòd ea anxia ſollicitudine, & moleſtis curis nihil ſit magis inimicum vitæ: ac proinde qui curis ſe conficit, *animam ſuam portat in manibus.* id eſt ſemper de vita periclitatur, vt illi qui de capite ſingulari certamine cum aduerſario dimicant. Conſtat ergo ex his explicationem, quam attulimus huius Hebraiſmi veram & germanam eſſe; quandoquidem omnibus locis, in quibus ea vſurpatur facilè aptari poteſt.

Non omittendum autem ſimiles locutiones, quæ prouerbialem formam redolent, reperiri nunc etiam apud alias nationes. Nam Hiſpani illud affine habent. *Mi alma, en mi palma.* Et Itali ſimile quid exprimunt, cum dicunt. *Portar la vita in punta di lancia. Viuere à forza di braccia.* Quod quid ſit poſſumus facilè intelligere ex his Virgiliis verſibus.

Non aliter quàm qui aduerſo vix flumine lembum
Remigiis ſubigit; ſi bracchia fortè remiſit:
Atque illum in præceps prono rapit alueus amni.

Veriſſimè enim hic *animam ſuam in manibus ſuis portat.*

Et fecit Deus ſalutem magnam vniuerſo Iſraeli.] Quæ iſta ſalus magna; & quo modo Deo ea tribuitur; aut ſi Deo, quid inde in Dauidem redundat: vt propterea ſit illi Saul conciliandus quòd *Deus magnam ſalutem fecerit?* Salutem magnam intelligit non ſolùm Goliæ mortem; ſed quæ ex illa ſunt conſecuta; vt Victoriam de hoſtibus partam, illorum fugam, & cladem, qua affecti ſunt: per quam Regnum Saulis, & Iudaica res antea labefactata, ſunt ſtabilita. Hanc autem *ſalutem* Deo propriè tribuit Ionathas; vt præcipuo auctori: non ſolùm ea generali ratione, qua vt prima rerum omnium cauſa, primas agit in omnibus, quæ vſquam agunt homines, & moliuntur; ſed præcipuè, quia exitus bellorum in ipſius poteſtate ſunt, & ita ſunt, vt ne minimum quid in iis vindicare ſibi poſſit & debeat humana virtus, aut prouidentia. Poſſunt quidem Reges, & Principes milites conuocare, eligere, inſtruere, arma expedire, acies diſponere, cuncta rectè parare; poſſunt ſinguli milites pro ſe quiſque fortiter agere, timorem excutere, mortis metum deponere, vitæ curam negligere, bellum denique inferre, & intrepidè cum hoſtibus manus conſerere: at victoria vt vni potiùs parti, quàm alteri cedat, facere non poſſunt. Dei hoc tantùm eſt, qui propterea dicitur. *Deus ſabaoth, Deus exercituum; Deus bellorum, & cuius ſunt bella.*

Vnde Salomon.[g] *Equus paratur ad diem belli;* g Prou.31.

Dominus autem ſalutem tribuit. Idcirco Ieremias

[h] cum multa dixiſſet de cladibus, quas illaturus h Cap.10.

erat Nabuchodonoſor Populo Iudæorum: ne quiſquam putaret, & in primis Iudæi ipſi totum tribuendum viribus ipſius Nabuchodonoſor. Subdit; *ſcio Domine quia non eſt hominis via eius: nec viri eſt vt ambulet, & dirigat greſſus ſuos.* Significans nimirum quantumuis ad bellum aliquod adminiſtrandum ſe quis prudenter accingat; exitum tamen belli non eſſe in ipſius, ſed Dei poteſtate. Ad quod declarandum toties obſeruauimus paucorum manu innumeras fuiſſe aduerſariorum copias profligatas. Et hoc fortaſ-

ſè voluit ſignificare Dauid cùm dixit.[i] *Domini* i Pſal.69.

enim ſunt exitus mortis. Non ſolùm enim per id intellexit Domini eſſe exitus expedire, & viam

per

per quam euadant in extremo periculo conſtituti;ſed etiam proprium ipſius opus eſſe, quæ ex morte aduerſariorum conſequuntur: Neque enim ſtatim lætam Victoriam obtineri,& hoſtes eſſe funditus debellatos; cùm plures ex illis occiſi ſunt; cùm fieri nonnunquam cernamus, vt ab illis Victoria ſtet,quorum plures in bello ceciderint:Adhuc ergo exitum totius Victoriæ ex Dei arbitrio pendere; propterea dicit. *Domini ſunt exitus mortis*. Et hæc cauſa eſt cur hoc loco Ionathas ſalutem hanc magnam in Deum auctorem referat. Ergo nihil inde ad Danidem ſpectabat? plurimum ſanè: ſed ita tamen;vt primas Deus egerit,ſecundas Dauid: Nam etiam ad hanc *ſalutem magnam* operam ſuam ipſum contuliſſe negari non poteſt. Auguſtinus. [k] *Goliam Dauid interfecit,& vna pugna gloriam ſecuritatem Regno, & Regi, & Populo comparauit*. Quomodo hoc? quia licèt Deus iſta fecerit;Dauide tamen adminiſtro vti voluit. Propterea Salomon. [l] *Dedit* (Deus Dauidi) *tollere hominem fortem in bello, & exaltare cornu gentis ſuæ*. Quid eſt *cornu gentis ſuæ*? ſalus magna, de qua hic Ionathas. Quod ergo tanta bona Iſraëlitico populo contulerit Deus opera Dauidis vſus: propterea laudandum vult, extollendum, amplectendúmque Dauidem. Cæterùm non poſſumus hoc loco non oſculari, & amplecti Ionathæ ipſius inſignem animi pietatem & religionem; dignam prorſus cui Dauid arctiſſimo amoris vinculo adſtringeretur. Miles enim cùm eſſet, & aſſiduè inter arma verſatus; quo hominum genere nihil ſolet eſſe ventoſius: omnia tamen quæ fœliciter illis acciderant in bello; vt par erat non ſuis aut ſuorum viribus attribuit,ſed fauenti Deo.

k Pſal. 33. Conc. 1.

l Eccl. 47. 6.

Vidiſti & lætatus es.] Innumera enim bona Sauli ex Philiſthei morte prouenerunt:præcipuè autem,quod ex iis anguſtiis extractus eſt;ex quibus euadendi nullus ante opportunus ſe exitus aperiebat. Chryſoſtomus [m] quæ eſſent iſtæ Saulis anguſtiæ, ſic explicat. *Premebantur bello difficillimo Iudæi;omnes pauore conſternati erant,nec quiſquam caput audebat erigere:erat in extrema deſperatione Ciuitas; ſingulis mortem præ oculis habentibus, cùm Dauid veniens ab ouibus ad exercitum, pro vniuerſis bellum in ſe recepit*. Propterea Auguſtinus. [n] *Cum Saul prouocante Golia æſtuaret*. Cur æſtuabat? propter hæc omnia, quæ Chryſoſtomus commemorauit. Æſtuabat enim quia illum anguſtiæ vndique premebant. Ad pugnam ipſe prodiret? metus illum vetabat: nam præter certum capitis diſcrimen nil aliud id erat, quàm Regnum Iudaicum in extremam aleam vocaſſe. Non prodiret? omnium oculis ſignabatur, & interim res Hebræorum in deterius ſemper per ſingula momenta prolabebantur. Ex his ergo anguſtiis liberatus Saul, mirificè lætatus eſt, & Dauidem, per quem liberatus intimo animi ſui ſinu recepit. Hoc enim vult ſignificare Ionathas: non tantùm Saulem fœlici ſucceſſu lætatum;ſed etiam læto animo auctorem ipſum ſuſcepiſſe & adamaſſe.

m Hom. de Dau. & Saul. tom. 5.

n Pſal. 33. Conc. 5.

Ne interficias Dauid.] Nondum hoc agebat Saul;nec adhuc quicquam de Dauide occidendo mandauerat:propoſitum tamen illum occidendi quod celare non potuerat, ſic appellat Ionathas: quod enim quis facere, aut non facere certò deſtinauit, iam fieri, aut non fieri dicitur in Scriptura. ſic MARIA dixit ad Angelum. [o] *Quomodo fiet iſtud; quoniam virum non cognoſco?* id eſt propoſitum habeo non cognoſcendi. Cæterùm mirum non eſt,ſi hoc modo loquendi Scriptura vtatur. Deo enim non exitus,ſed conſilia in opere computantur.

o Lucæ 1.

Qui eſt abſque culpa.] Abulenſis ex Hebræo. *Ne pecces occidens Dauid inutiliter*. Meliùs Caietanus. *Ne pecces interficiens gratis*,id eſt nullo ſuo malo merito. Noſter hic Hebraiſmum reſoluit, alibi retinuit,[p] *Principes perſecuti ſunt me gratis,& à verbis tuis formidauit cor meum*. Vbi Ambroſius. *Gratis perſecutionem patitur,qui impugnatur ſine crimine*. Quod Noſter Interpres hoc loco dixit. *Abſque culpa*

p Pſal. 118. 161.

ỳ. 6.) Quod cùm audiſſet Saul, placatus voce Ionathæ, iurauit, Viuit Dominus, quia non occidetur. Vocauit itaque Ionathas Dauid, & indicauit ei omnia verba hæc,& introduxit Ionathas Dauid ad Saul, & fuit ante eum, ſicut fuerat heri, & nudiuſtertius.

ỳ. 7.) Motum eſt rurſum bellum, & egreſſus Dauid pugnauit aduersùs Philiſthiim, percuſſitque eos plaga magna,& fugerunt à facie eius.

Placatus voce Ionathæ.] Dubium an verè placatus,an ſimulatè tantùm. Verè volunt Ioſephus, & Sulpitius Seuerus [q] quos ſequuntur minoris nominis interpretes;Abulenſis,Lyranus, Dionyſius: & videtur ſatis indicari in textu *Placatus* inquit *voce Ionathæ*:quod in Hebræo ſignificantiùs adhuc habetur, *& audiuit vocem Ionathæ*: quo etiam modo legunt LXX. *Audire* enim alterius vocem quis dicitur, cùm precibus flectitur,illi credens quod poſtulat; vel cùm ſimpliciter facit quod ſuggerit. At aliis non videtur gratia bona fide reconciliata, tam citò potuiſſe reſcindi. Etiamſi ergo illud probabile ſit; probabilius tamen mihi eſt, verbo tantùm non re verâ placatum: & D. Ambroſio in hoc aſſentior dicenti ab inuito Saule verba hæc Ionatham extorſiſſe. [r] *Humiliauit*, inquit, *ſe Dauid ante Ionatham filium Regis; & conuertit eius affectum, vt quem ſucceſſorem patrij Regni poterat habere ſuſpectam;eundem aduersùs ſtudia paterna ſeruaret, dicens Patri. Quid peccas in ſanguinem innocentis? & id voce extorqueret inuito,quòd non mereretur occidi Dauid*. Quod ergo dicitur. *Placatus voce Ionathæ Saul*. intelligendum eſt,non quòd exuerit affectum;ſed quòd exteriorem offenſionem depoſuerit. Tam enim placari dicitur,qui verè animo tranquillatur, quàm qui ab alterius inſectatione deſiſtit. At quæ nunc cauſa Sauli ſimulandi? Multiplex omnino, vt enim omittam hominis ingenium in id ſponte ſua pronum: ſimulauit Saul; quia nihil habebat, quod ad veriſſimam Ionathæ defenſionem opponeret. Itaque ne omnino ſine cauſa videretur malè de immerente mereri velle;cùm nihil haberet, quod oppanderet malitiæ ſuæ;& hanc ante oculos filij nondum totam auderet effundere, placatum ſe præbuit. Sæpiùs dixi fuiſſe Saulem arte ſimulandi & diſſimulandi quaſi alterum Tyberium, ſed circumciſum: ſit vt quemadmodum Auguſtus ob vafram indolem Tyberium appellare ſolitus eſt Vlyſſem togatum; nos quoque non immeritò poſſimus

q lib. 1. hiſt. ſacra.

r Pſal. 118. Conc. 14.

Saulem ipſum, Vlyſſem recutitum nuncupare. Homo ergo obſcurus, & fictus cùm antea filium, & ſeruos filij aduocauit; non id ſimpliciter planéque propoſuit, quod volebat; ſed per ambages. Obliqua igitur & perplexa oratione vſus tantummodo in medium attulit quid à Dauide timeri poſſet; quid ſibi ab illo, Regno, ſuis, in primis autem Ionathæ, & Prætorianis militibus immineret. Quorſum hæc? vt illos malis ſuſpicionibus tranſuerſos ageret; quibus tandem à Dauide abalienati ſponte ad id aggrediendum impellerentur quod ipſe tantopere cupiebat. Rem ergo non ſuam agi videri volebat; ſed ſuorum; propterea cùm hæc Ionathas ad illum eſſet elocutus, vt perſonam quam ſemel induerat, ſuſtineret, ſcenæ ſeruiuit. Et quando Ionathas à Dauide nihil timendum indicabat; oſtendit etiam nihil ſe cauſæ habere, cur illi nocere vellet.

Viuit Dominus.] Si ſimulatè Saul placatus eſt, periurus ergo & ſacrilegus fuit; hoc ſe iureiurando adſtringendo. Fortaſsè fuit; nec valde ſolliciti eſſe debemus: quomodo eum à ſacrilegio excuſemus, qui tot aliis ſceleribus erat contaminatus. Non tamen hoc loco id eſt vſquequaque neceſſarium. Potuit enim verè iurare non occiſum tunc iri Dauidem ab aliis iuſſu ſuo, quod bona fide iurabat; quia cognita Ionathæ propenſione in Dauidem, ſtatuerat omnino ab omni cruento in illum impetu abſtinere. At poſtea iuſſit occidi: iuſſit ſed mutata planè voluntate, tunc ergo periurus fuit. Non aliud iurando; quàm quod mente gerebat: ſed id agendo, quod non acturum ſe iurando promiſerat.

Et fuit ante eum ſicut heri, & nudiuſtertius.] Vel quod ita cum Dauide Saul deinceps agere cœperit; vt cum Genero ſocer: vel certè quia inter intimos iterum familiares aſſumptus eſt vt pridem fuerat. Ioſephus hoc ſecundum indicat: *Solita inquit circa Saulem officia, quemadmodum antea obiuit.*

Motum eſt autem rurſus bellum.] A Palæſtinis ſcilicet præteritas ſuorum clades vindicare volentibus, vt vult Ioſephus. Addit Abulenſis conſultò illos occaſionem captaſſe ex Dauidis nuptiis: putarunt enim Saulem, reliquóſque Iudæorum Principes, & in primis Dauidem ipſum, à quo ſibi magnopere formidabant poſſe facilè imparatos offendi: ac proinde nihil opinantes clade aliqua affici minima cum iactura ſuorum. Nec improbabile eſt, quod idem Abulenſis, Dionyſius, & alij obſeruant: fortaſsè perſuaſiſſe ſibi Philiſthæos Dauidem ad bellum non egreſſurum: cùm lex Iudæorum eſſet; vt nouus Maritus primo coniugij anno à militia immunis eſſet ſaltem operam ſuam in bello nauare non cogeretur.

[f] Deuter. c.20. & c.24. *Egreſſus Dauid.*] Lex erat [f] vt qui vxorem duxiſſet à militaribus vacaret operibus primo nuptiarum anno. Quomodo ergo nunc Dauid nouus maritus ad bellum egreditur? Rabbini dicunt; non in omni bello legem illam valuiſſe; ſed in eo tantùm quod vltrò ſuſciperetur aliis inferendum; cùm enim bellum ab hoſtibus inferebatur; nullum in eo à muneribus militaribus immunem fuiſſe. Quia ergo hoc bellum non infertur à Iudæis; ſed propulſatur; propterea Dauidem etiam licèt nouum maritum hoſtibus obuiam exire coactum. Sed hoc gloſſema Rabbinicum apertè pugnat cum ſententia ipſius legis,

[t] Deuter.24. quæ ſic habet. [t] *Cum acceperit nuper vxorem, non procedet ad bellum; nec ei quidpiam neceſſitatis iniungetur publicè; ſed vacabit abſque culpa; vt vno anno lætetur cum vxore ſua.* In his enim verbis nihil excipitur; ſed ab omnibus æquè muneribus liber eximitur nouus maritus; in primis autem à militia. Dicendum ergo Dauidem ad bellum non neceſſitate, aut alieno iuſſu; ſed ſponte profectum. Quis enim dubitet eadem lege quæ cogi vetabat nouum maritum, liberè abire permiſſum, ſi ſponte ſe offerret? Maior dubitatio eſt, quomodo egreſſus Dauid & quam perſonam ſuſtinens; an ſupremi Imperatoris; an inferioris Ducis. Si enim ſuis auſpiciis bellum geſſit; quid de Abner factum; quem ſupra docuimus toto tempore vitæ Saul generali Militum Præfectura functum? ſi autem ſub alio ipſe duce militabat; quid de illo hic tantùm fit mentio? Et cur illi præcipuè victoria, & pugna ipſa tribuitur? Dici probabiliter poteſt in hac expeditione, non eductas in hoſtem à Saule omnes Regni vires; ſed certas tantùm cohortes, quibus præfectus Dauid: niſi etiam malimus expeditionem totam militibus illis commiſſam; quibus pridem iam Dauid Tribunus datus erat.

Percuſſit eos plaga magna.] Hebraiſmus frequens pro eo, quod eſt ingenti clade affectos fudiſſe, & profligaſſe.

ỷ. 8.) Et factus eſt ſpiritus Domini malus in Saul; ſedebat autem in domo ſua, & tenebat lanceam: porrò Dauid pſallebat manu ſua.

ỷ. 9.) Niſúſque eſt Saul configere Dauid lancea in pariete: & declinauit Dauid à facie Saul: lancea autem caſſa vulnere perlata eſt in parietem; & Dauid fugit, & ſaluatus eſt nocte illâ.

ỷ. 10.) Miſit ergo Saul ſatellites ſuos in domum Dauid; vt cuſtodirent eum, & interficeretur manè; quod cum annunciaſſet Dauid Michol vxor ſua dicens. Niſi ſaluaueris te nocte hac, cras morieris.

ỷ. 11.) Depoſuit eum per feneſtram. porro ille abiit, & aufugit, atque ſaluatus eſt.

ỷ. 12.) Tulit autem Michol ſtatuam, & poſuit eam ſuper lectum & pellem piloſam caprarum poſuit ad caput eius & operuit eam veſtimentis.

Sedebat autem in domo ſua.] Caietanus vult per verbum *ſedendi* ſignificari mitius à morbo Saulem, molliúſque vexatum; non vt cum corporis iactatione huc illuc circumcurſando per domum ageretur, vt ante ſolebat. Puto autem id à Saule ſtudioſè ſeruatum, vt faciliùs Dauidem deciperet poſſet, minùs ſibi ab illo timentem, quem videbat non iam ampliùs tanto cum furore bacchantem, vt antea cùm ab illo lancea petitus eſt; ſed morbum potiùs pacatè ferentem.

Niſúſque eſt Saul configere.] A bello reuerſum pro re ſcilicet bene geſta. [u] *Dauid victor à bello regreſſus, non ita exceptus eſt, vt à Rege ſperabat; & æquum erat excipi poſt rem fœliciter adeo adminiſtratam. Succeſſu enim mæſtus Saul eius fœlicita-* [u] lib.6.c.14.

tem

tem periculoſam ſibi fore exiſtimabat. Cúmq; rurſum intemperiis vt ante agitaretur, accitum in cubiculum in quo decumbebat, ſpiculum manu tenens, iuſſit pſalmos, ac hymnos decantare: & illo iuſſa exequente, ſpiculum in eum iaculatus eſt.

In pariete.] Claré hîc canentis Dauidis babitus deſcribitur. Stans enim pſallebat; vt ante Regem par erat. Sed ad parietem applicitus vt faciliùs muſica inſtrumenta tractaret.

Vt cuſtodirent, & interficerent manè.] Quomodo interficeretur, & à quibus? ab iis ne ipſis, qui nunc ſeruaturi mittuntur, & per vim, vt ſolet in priuato latrocinio; an potiùs ita vt in eum ex lege animaduerteretur, & publico priùs iudicio damnatum? Si enim ij ipſi occiſuri ſunt, qui nunc mittuntur: ſi nullo præmiſſo iudicio; ſed tantùm Rege iubente iugulandus eſt Dauid: Quorſum poſtera dies expectatur? cur nunc in domum non irruunt? & plutea vnum non adoriuntur, & confodiunt? Difficile enim illis non erat domum expugnare, & vi illam irrumpere: Ioſephus loco citato putat miſſos iſtos vt publicos Iuſtitiæ adminiſtros; qui captum in Regiam retraberent, poſtera die cauſam de capite dicturum, & ex lege damnandum. Sic enim habet. *Noctu verò miſit Rex, qui vſque ad auroram ædes eius ſeruarent, ne clam elaberetur; vt in iudicium euocatum capitali ſententia damnaret.* At cur Saul iudicio perſequi maluit, quem ſtatim de medio tollere promptum habebat? vel quam probabilem vllam cauſam præferre poterat illum in iudicium trahendi? aut quod nouum Dauidis crimen; vt poſſet etiam à falſis accuſatoribus reus agi?

Iudicium elegit & vim omiſit Saul, vt inuidiam (quod ſæpiùs dixi) quam ſibi alioquin ex Dauidis morte ſubeundam eſſe ſciebat, effugeret. Timebat enim populum; timebat Milites, timebat plures ex Iudæorum Principibus, quos non ignorabat, ſi Dauid tantus Vir & optimè de Republica meritus priuato Regis iuſſu obtruncaretur, grauiſſimè id omnino laturos. Vt ergo omnia tumultuandi occaſio amputaretur; ſtatuit falſo iudicio poſtulatum circumuenire. At quid illi obiecturus, & quod hic nouum Dauidis crimen? Non aliud exiſtimo; niſi quod fugiſſet; & fuga ſua Regi inuidiam conflaſſet; quaſi parricidij inſimulato. Videbant enim Regis exiſtimatio; ac proinde Regij nominis Maieſtas offendi, ſi quod à Rege morbo laborante factum fuerat, aliorſum acciperetur, quàm à morbo profectum. Dauidem autem præcipiti fuga ſiniſtrè ſe Regis mentem interpretatum ſignificaſſe; aliis etiam de Regis animo ſuſpicandi occaſionem dediſſe: proinde Regiam Maieſtatem temeraſſe, qui Regem (quaſi innocentem mala malitia occidere vellet) traduxiſſet. Si enim Dauid hoc noluit & hanc ſocero inuidiam conflare in animo non habebat; quorſum tam effusè fugere? quorſum ſe à Regia tam concitatè proripere? & in domum ſe ſuam quaſi in arcem recipere? Hoc ergo crimen erat Dauidis; Regis morbum interpretatum fuiſſe mentis malitiam; ac proinde miſerationem populi erga illum, conatum in odium vertere; vt cuius vicem antea ex animo dolebant eundem poſtea execrarentur. Tale eſt illorum hominum ingenium, *qui duabus viis ingrediuntur:* ſi quas ſtruunt inſidias, deprehenſas vident; alios in crimen vocant quod inſidiari ſe illis voluiſſe exiſtimauerint. Qua de re alibi. At cur non ſta-

Sopran. in Dauid.

tim illa ipſa nocte iuſſit Saul; vt domo extractus Dauid in Regiam abriperetur publica cuſtodia obſeruandus? Fortaſsè hoc dedit honori filiæ; fortaſsè etiam cum illo egit, vt cum Viro Principe; qui enim tales ſunt, libera cuſtodia detinentur, donec cauſam dicant; fortaſsè etiam timuit, ne Dauid ex perſequentium manibus facilius elaberetur, ſi noctu vi in eius ædes ſatellites irrupiſſent: in tenebris enim promptum erat effugium aliquod reperire. Satius ergo duxit nihil in præſentia mouere, te in primam lucem dilata; Ita tamen vt ſine tumultu domo cuſtodibus vndique cincta viæ omnes euadendi intercluderentur.

Sed maior dubitatio; quando Saul mandatum bis adminiſtris dederit cuſtodiendi Dauid, & poſtera die ad ſe adducendi. Nam ſimul atque Dauid fugit id mandare non potuit. Morbo enim vexatus, nec ſui compos, non potuit aduertere quid, aut quò Dauid fugiſſet, & ob id vllam animi indignationem præſeferre; alioquin ſi ſanus hic fuiſſet, & inſanus tantum aduersùs Dauidem non bene inſaniam ſimulaſſet. Probabile ergo eſt poſt aliquando quàm Dauid abſceſſiſſet, remittente morbo ſibi reſtitutum Saulem, aut id certè ſimulantem omnia quæ contigerant, cognouiſſe; indignatum autem, quod Dauid non contentus lanceæ iactum declinaſſe, inſuper etiam ex Regia abſceſſiſſet: quaſi Regis voluntati diffidens, & ipſum inſimulans intentatæ necis: mandaſſe ſtatim; vt domi nocte illa inſcius cuſtodiretur; poſtera die cauſam de violata Maieſtate dicturus; quam ea fuga apud alios in inuidiam adduxerat, & doli, inſidiarúmque ſuſpicionem.

Niſi ſaluaueris te nocte hac, cras morieris.] Mirum cur hoc potiùs præuiderit Michol, quàm is cuius maximè cauſa agebatur. Certè enim Dauid conſcius quàm malè erga ſe Rex eſſet animatus, non tutum admodum perfugium domi ſuæ ſperare debebat; ac proinde in omnia intentus omnia circumſpicere. Quid ergo opus fuit, vt vxor illum quaſi in aliquo domus angulo latentem, doceret quid rerum ageretur; quos Rex ſatellites miſiſſet; quid deſtinaſſet? ſed dicendum Dauidem cùm primùm ſe fuga è Regia proripuit, ſtatuiſſe etiam in longinqua diſcedere; ſed quod iam vergeret ad Veſperam dies, illa nocte putaſſe tutam ſibi latebram domi futuram vt refocillatis viribus, & paratis, quæ vſui ad iter erant ſummo mane diſcederet: Interim tamen diſpoſitos domi habuiſſe, qui obſeruarent, ne quod ſubitò periculum à Rege ingrueret, & non opinantem opprimeret. Cæteris autem omnibus Michol magis ſollicita, Mariti, quem vnicè diligebat, ſaluti timens; nec vlli ſatis fidens per ſe ipſa vidit circumuolitantes Saulis adminiſtros. Vnde id quod erat ſuſpicata, Maritum adiit, & generoſum pectus timere neſcium, timere docuit; & in id tandem impulit, vt tutiora eligens, nocturnam fugam moliretur per feneſtram dimiſſus.

Ergo periculum hoc magis præuidit Michol, & quia Mulier; & quia Viri amantiſſima: Mulieris eſt etiam timere, vbi *nullus eſt timor.* De amore autem ille dixit.

Res eſt ſolliciti plena timoris Amor.

Porro ea timore ſollicitudo oritur, & tanta vndique inſpectio, quam difficile ſit eludere. Nam *quis fallere poſſit amantem?* Vidit ergo ipſa priùs, &

intellexit periculum Viri ſui,quàm ipſemet, qui periclitabatur. Abulenſis quærit hoc loco quomodo,aut à quibus cognoſcere illa potuerit Dauidi mortem paratam,ſi poſtera illum dies domi oppreſſiſſet: reſpondet ſatellites à patre miſſos, à filia interrogatos, nihil filiæ negare auſos eſſe.

Tulit autem Michol ſtatuam. In Hebræo eſt *Theraphim*,de qua voce quid propriè in Scriptura ſignificet integra diſputatione nobis eſt exponendum: quod olim, iam, & noſtro etiam tempore inter Eccleſiaſticos tractatores eius de ſignificatione ſit acerrimè diſceptatum: Nunc id tantùm exequemur, quod ad huius loci intelligentiam propriè facit. Dubium enim eſt quod, aut cuiuſmodi fuerit hoc figmentum; quorſum adornatum; aut ad quos fallendos. Noſter dum *ſtatuam* appellat videtur ſignificare lignum aut aliquam aliam materiam in effigiem hominis conformatam à Michol aliunde adſumptam, & in lectulo collocatam. Quod idem velle videntur; qui *Theraphim* hoc loco ſimulachrum interpretantur,vt Chaldæus. Complutenſes,& Caietanus;vel qui *formas & effigies*, vt Aquila;vel qui *imagines*,vt Vatablus & Pagninus. At vnde Michol in promptu habere potuit ſimulachrum vllum, in effigiem hominis elaboratum: cum eiuſmodi vſus imaginum eſſet Iudaico populo publicè, & priuatim ſeueriſſimis legibus interdictus.

Dicendum ergo eſt Michol in lectulo veſtigium hominis ita ex veſtibus compoſuiſſe; vt ſpeciem in eo Dauidis cubantis præberet; quod à noſtro appellatum eſt *ſtatua*: Hebraicè *Theraphim*, generali nomine nimirum, quo quicquid ad hominem repræſentandum factum eſt, *imago, aut ſtatua* hominis poteſt appellari. Propterea LXX. habent hoc loco *cenotaphia*, quæ Theodoretus interpretatus eſt, *inania ſimulachra.* & Aquila Ponticus *morphomata.* Eſt autem *inane ſimulachrum* quod ex veſtibus temerè aggeſtis rudem ſpeciem hominis repræſentat; qualia ſunt, quæ in mortuorum exequiis excitantur; cùm quaſi ibi cadauer defuncti adeſſet culcitra feretro iniicitur; ſub qua ſtragula leuiter hinc inde aſſurgentia, iacentis corporis imaginem oculis obiiciunt. Vnde Theodoretus explicans, quid ſint *cœnotaphia,& ſimulachra inania* dicit eſſe *veſtes imitantes hominem decumbentem.*

Non aliter autem hoc figmentum adornatum conſtat: quia vt iam dixi verum aliud ſimulachrum Micholi præſto eſſe ad manus non potuit. Conſtat etiam ex fine: nihil enim aliud volebat Michol,quàm ſpeciem Mariti in lectulo cubantis exprimere,quod facillimè fieri poſſe ex veſtibus & ſtragulis cubiculariis in veſtigium hominis conformatis, quiuis per ſe poteſt intelligere,& experiri. Tale quid illa fecit, quale apud Petronium arbitrum in ſatyrico, ille neſcio quis ſe feciſſe refert. *Ego* inquit *ut ſuſpicioni relinquerem locum,lectulum veſtimentis impleui, vniuſq; hominis veſtigium ad corporis menſuram figuraui.* Sic ille, qui fugerat manus inſequentium, & in lectulo ſtragulis aggeſtis hominem ſimulauerat.

Hinc autem omnes illi reiiciuntur,qui veram *ſtatuam* aliunde adſumptam fuiſſe putant,vt Magiſter hiſtoriæ hoc loco, & Godefridus Viterbienſis in Cronicho. [x] Vbi habet, *ligneam ſtatuam fuiſſe, quam ingredientibus Militibus, cum Michol quaſi Virum ſuum complexa teneret, non auſos illos propiùs accedere ob reuerentiam Regiæ*

x Parte.7.

filiæ,nec obtrectare. Quod totum de ſuo addit,figmentum Michol, nouo figmento cumulans. Quomodo enim Michol in eodem lectulo cum Viro cubaret; quem ipſa dicebat decumbere, & vt in morbo turbidè quieſcentem, & anhelantem ingruentibus demonſtrabat? Alij verò etiam alia adiungunt. Iecur enim caprinum recenter exemptum, ſtragulo ſuppoſitum dicunt; quod motu ſuo agitationem ſpirantis referret. Id Ioſephus primus omnium tradidit, quem deinde ſequuti ſunt Theodoretus,Zonaras,& alij. Ioſephus hæc habet. [y] *Parato lectulo tanquam ægrotanti, iecur capræ recens exemptum ſtragulis ſubiecit, diluculóque venientibus, quos Saul in Dauidem miſerat,oſtendit lectum opertum: & quod iecoris palpitatione ſtragula leuiter impellerentur; facilè perſuaſit Maritum ægrum anhelare; Addens totam noctem inſomnem traduxiſſe.* Similia habet Theodoretus; *poſuit*,inquit,*ſuper cubile veſtes imitantes hominem decumbentem. Ea enim* LXX. *appellant cenotaphia, ſeu inania ſepulchra: quemadmodum enim ſepulchrum inane videtur quidem habere mortuum, ſed non habet: ita etiam quod per veſtes erat compoſitum, videbatur quidem eſſe David; ſed non erat: poſuit etiam in medio veſtium iecur capræ recens occiſæ; vt ferret imaginem ventris hominis, motu ſuo reſpirationem repræſentans; aliquantulum enim mouetur etiam reſectum eiuſmodi iecur.* Conſentit iſtis Zonaras, niſi quod loco iecoris habet *cor caprinum.* Sed fortaſsè generali nomine vſus eſt, quo viſcera omnia *præcordia* appellantur. Hos deinde ſequuti ſunt alij minoris nominis, vt Hiſtoria ſcholaſtica,& recentiores, Porrò occaſionem ſumpſerunt hoc aſſerendi Ioſephus,& alij,ex LXX. Qui pro eo,quod in noſtra ſubditur. *& pellem piloſam caprarum poſuit ad caput eius*; ipſi legunt, *& iecur caprarum poſuit ad caput eius.* De qua re paulò pòſt. An autem hoc iecur ſuppoſitum,vt ſubſultu ſuo exprimeret anhelantem,certò affirmare non poſſumus; quod ea de re nihil in noſtra habeatur: probabile autem fortaſsè ſit, quod ex LXX. licet non firma,nonnulla tamen coniectura colligatur. Poſſet tamen contra ea quæ diximus aliqua dubitatio ſuboriri ex modo loquendi, quo Scriptura vtitur. *Tulit*,inquit,*Michol ſtatuam, & poſuit ſuper lectum.* Hæc enim ſignificare videntur,ſtatuam prius alibi locatam,& à Michol acceptam in lectulo fuiſſe poſitam. Sed dicendum eſt *ſtatuam* appellatam veſtimenta ipſa,quæ aliunde in lectulum congeſſit,& ad menſuram humani corporis figurauit. *Tulit* ergo *ſtatuam*, id eſt veſtimenta, & ſtragula, quæ in modum *ſtatuæ* compoſuit.

y li.6.c.14.

At quorſum hoc figmentum à Michol adornatum? res pro ſe ipſa loquitur: ad fallendos Saulis apparitores. Maius dubium,cur ſic vellet fallere: poterat enim vno ſe verbo expedire dicens Dauidem elapſum, fuga ſibi conſuluiſſe. Maius adhuc dubium, quomodo Milites Micholis verbis adeò acquieuerint,vt ab hoc figmento detenti, non id agerent ad quod miſſi? Nam à Rege furente alij poſt alios,vt Dauidem raperent mox occidendum immiſſi, reſpectu ne vllo moueri debebant ægri, aut decumbentis? vt propterea, quod ægrotaret,ab illo manus abſtinerent? nullo certè; quin,potius vti debebant occaſione vt ſtatim in illum inuolarent, vbi primum ab vxore audierunt,ægrum in lectulo cubare; læti nimirum,quod offendiſſent morbo proſtratum; quem ſi valentem reperiſſent, fortè inuadere nec auſi eſſent.

eſſent. Ego ſtropham hanc non aliter explicare poſſum; quàm ſic totam rei ſeriem probabiliter retexendo. Michol enim Dauide per feneſtram dimiſſo quantùm poterat id agebat, vt ſpatium Marito daret in longinqua & tuta ſe recipiendi: propterea ſtatim fugam illius non manifeſtauit: ne ſi qui ipſum inſectarentur, aſſequerentur. At diu iam ante elapſus erat: primis enim noctis tenebris effugerat. Verum illud eſt; ſed quid ſciebat vtrum ne mora aliqua ipſum retardaſſet? Propterea vt ſpatium adhuc maius haberet; fugæ etiam indicium differebat. At cur non ſtatim in veſtigium illud inane hominis, manus ſatellites iniecerunt? Michol hoc ab illis vt Regia filia obtinuit iure ſuo. Admiſſis enim in cubiculum. *En, inquit, hîc habetis cubantem: æger eſt, repentino morbo correptus, totam noctem inſomnem traduxit; tantiſper nunc inquieta quiete ſopitus eſt. Veſter eſt, cuſtodite quantum vultis: nullus tamen impudens adeò ſit; vt Regium Generum audeat attingere: quantum cuique ſalus ſua cara eſt, ab illo abſiſtat & manus abſtineat; Regia hoc filia edico, & ita iubeo. Mandata, quæ Patris mei habetis, ritè ſeruata erunt, ſi pars hîc veſtrum ad Mariti cuſtodiam excubet, ne qua fraus, & dolus interim interueniat; Pars ad Patrem pergat renunciatura meo nomine quo in ſtatu Generum offenderitis, & quid de eo agi velit.* Hoc pacto omnia paracta fuiſſe ex textu facilè colligi poteſt. Et ſi ſic intelligantur nihil eſt in iis quod clarum non ſit.

Et pellem piloſam caprarum poſuit ad caput eius.] Ad quid hæc pellis? Hebræi putant pro puluinari ſuppoſitam, & videtur indicare Chaldæus, qui hoc loco habet *Vtrem caprarum*, ex pelle nimirum adhuc piloſa confectum. Caietanus ex Hebræo legit. *puluinar caprarum poſuit ad caput eius.* At ad quid puluinar villoſum? vt referret ſpeciem capitis capillati quod obſeruat Theodoretus, & poſt ipſum Abulenſis, Caietanus, Vatablus, & alij. LXX. pro *pelle* habent hoc loco *iecur caprarum*; Ex quo vt vidimus occaſionem ſumpſit Ioſephus, & alij illud aſſerendi de *iecore caprino* ſtragulis ſuppoſito. Complutenſes propiùs ad noſtram editionem accedunt, legentes *ſtragulum pilorum caprarum poſuit ad caput eius.*

Ad caput eius.] Cuius eius? ſunt qui putent lectuli vt ſit ſenſus, poſuiſſe ad caput lectuli ſtragulum hoc villoſum ex caprinis pellibus quod eſſet pro ceruicali; ſed vtrumque verum eſt, & ad caput lectuli, & ad caput ſimolachri poſitum.

℣. 13.) Miſit autem Saul apparitores, qui raperent Dauid: & reſponſum eſt quod ægrotaret.

℣. 14.) Rurſumque miſit Saul nuncios, vt viderent Dauid dicens: Afferte eum ad me in lecto, vt occidatur.

℣. 15. Cúmque veniſſent nuncij inuentum eſt ſimulachrum ſuper lectum, & pellis caprarum ad caput eius.

℣. 16.) Dixitque Saul ad Michol: Quare ſic illuſiſti mihi, & dimiſiſti inimicum meum, vt fugeret? & reſpondit Michol ad Saul, quia ipſe locutus eſt mihi. Dimitte me, alioquin interficiam te.

Miſit Saul apparitores, qui raperent Dauid.] Primi miſſi fuerunt, vt nocturnas excubias circa domum Dauidis agerent; ne qua ille fortè elaberetur. Iſti ſecundi, vt vult Ioſephus mittuntur prima luce; vt Dauidem ipſum Regi ſiſtant; quibus obuiam facta vxor reſponſum illud dedit, quod probabiliter paulò ante ex coniectura poſuimus.

Et reſponſum eſt quod ægrotaret.] A quo reſponſum? à Michol; vt claré ex Hebræo texto colligitur: ex quo Caietanus vertit. *Et dixit Michol ægrotus ipſe.*

Dimitte me alioquin interficiam te.] Duo Rex filiæ obiecerat: & quod ſibi illuſiſſet per ſimulachrum illud inane hominis; & quod Dauidem dimiſiſſet. Reſpondet filia ad hoc ſecundum tantùm, & ſe officioſo mendacio Patri excuſat cur Maritum dimiſerit. *Ipſe*, inquit, *locutus eſt mihi, dimitte me: alioquin te interficiam.* Hoc enim nihil ſpectat ad figmentum in lectulo; quod ab ipſa Michol adornatum eſt longè poſt Dauidis diſceſſum. Quæ ergo timuerat minitantem, & propterea præſentem liberum dimiſerat, nullam cauſam habuit ſimulachrum illud in lectulo componendi. Quid enim ſibi poterat timere ab eo, qui diſceſſerat? patet ergo & Patrem & filiam hoc loco ambos hallucinatos; hanc in mendacio concinnando; illum in admittendo. Volebat enim illa mentiri & mentiendo probabilem ſui facti excuſationem afferre; ſed cum voluntatem mentiendi haberet, artem non habuit: potuit enim ſtatim à patre redargui & conuinci qui non hoc à filia quærebat; cur ſcilicet dimiſiſſet Virum: id eſt, cur permiſiſſet ipſum abire; ſed cur dimiſiſſet, id eſt cur elapſo liberum fugiendi ſpatium dediſſet; mora illa ſuis obiecta per inane figmentum. Saul tamen furore cæcus reſponſum filiæ vt probabilem excuſationem admiſit; vel ſi vitium aduertit, diſſimulauit, aliquid filiæ, & nouæ nuptæ concedendum ratus.

℣. 17.) Dauid autem fugiens ſaluatus eſt, & venit ad Samuel in Ramatha, & nunciauit ei omnia, quæ fecerat ſibi Saul: & abierunt ipſe, & Samuel, & morati ſunt in Naioth.

℣. 18.) Nunciatum autem eſt Sauli à dicentibus: Ecce Dauid in Naioth in Ramatha.

℣. 19.) Miſit ergo Saul lictores, vt raperent Dauid: qui cùm vidiſſent cuneum Prophetarum vaticinantium, & Samuelem ſtantem ſuper eos, factus eſt etiam ſpiritus Domini in illis; & prophetare cœperunt etiam ipſi.

℣. 20.) Quod cùm nunciatum eſſet Sauli, miſit & alios nuncios: prophetauerunt autem & illi. Et rurſum miſit Saul tertios nuncios, qui & ipſi prophetauerunt.

℣. 21.) Et iratus iracũdia Saul, abiit etiam ipſe in Ramatha, & venit vſque ad Ciſternam magnam, quæ eſt in Socho & interrogauit, & dixit: In quo loco ſunt Samuel & Dauid? dictúmque eſt ei. Ecce in Naioth ſunt in Ramatha.

Venit ad Samuelem.] Cur id ipſum potiùs? vt à quo fuerat Diuino inſtinctu vnctus in Regem, illi omnia, quæ paſſus ab ea die fuerat, enarraret; Ab illo confirmaretur, per illum Dei voluntatem exquireret, & ediſceret, & quid ſibi eſſet in illis difficultatibus agendum edoceretur. Addit Abulenſis, vt haberet tutiorem latebram. Quia enim nihil adhuc Sauli innotuerat de Samuelis & Dauidis coniunctione; non poterat ſuſpicari ad ipſum potius quàm ad alios tranſfugiſſe.

In Naioth.] Locus in Vrbe ipſa Ramatha, vel in eius ſuburbiis, vt Ioſephus ſignificat amœnitate nobilis, & loci natura, conſitiſque arte arboribus maximè aptus, in quo Prophetæ Diuinis laudibus vacantes, morarentur, vt bene notant Abulenſis, Dionyſius, Caietanus, Vatablus.

Cuneum Prophetarum.] Ioſephus *cœtum Prophetarum* LXX. *Eccleſiam Prophetarum.* Qui iſti Prophetæ fuerint, & ad quid morarentur aliàs fusè diximus in apparatu.

Vaticinantium.] Vaticinantes interpretatur hoc loco Caiet. *ſaltantes, pſallentes; Choros in laudem Dei ducentes* Chaldæus Paraphraſtes, *laudantes Deum.* Theodoretus, *verè oracula fundentes.*

Stantem ſuper eos.] Quaſi præfectum & moderatorem illis præſidentem. Erat enim hîc quaſi Chorus Prophetarum, quem ducebat Samuel, vel regebat; vt volunt Abulenſis, Vatablus, Caietanus, & alij.

Factus eſt ſpiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt.] Quo iſti ſpiritu agi cœperint bono ne an malo dubitari poteſt. Si enim bono; quomodo ſuper malos adminiſtros mali Regis, Spiritus bonus illabi poteſt? ſi malo: quomodo deinceps de illis ſubditur, *quod prophetauerint?* Quomodo ſpiritus ſuper *illos factus*, Dei ſpiritus nuncupatur? fuit ea de re olim nonnulla controuerſia. Sed dubium non eſt; quin hoc loco *bonus ſpiritus* ſit intelligendus. Ita Auguſtinus [z] & alij [a] quos ſequuntur deinde minores interpretes: [b] & clarè omnino ex textu ipſo colligitur; vt optimè obſeruauit Auguſtinus. Dicitur enim *etiam factus ſuper illos ſpiritus Dei.* ergo eodem ipſi ſpiritu agi cœperunt, quo cum ſuis Samuel erat abreptus Quid enim ſibi vult aliud particula *etiam*, niſi perinde ipſos, atque Samuelis comites afflatos? at quis dubitet, qui in Samuele & aliis inſederat bonum fuiſſe ſpiritum? ſed tum dubium maius eſt: quomodo ſuper malos ſpiritus Dei bonus. Reſpondent Auguſtinus, Rabanus, Iſidorus Hugo Cardinalis, & Scholaſticum eſt Theologorum dogma, nullum eſſe Dei donum, quod in malis quoque eſſe non poſſit præter ſpiritum gratiæ ſanctificantis, & Charitatem. Hic autem ſpiritus bonus; qui ſuper iſtos factus eſt; non ſpiritus fuit gratiæ & Charitatis, ſed ſpiritus pſallendi & prophetandi; quem mirum non eſt in malis quoque mentibus inſediſſe: quando multi venturi ſunt [c] *in illa die* & dicturi. *nonne in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus?* Quibus viciſſim Chriſtus reſponſurus eſt, [d] *Amen dico vobis nunquam noui vos*, id eſt ne tunc quidem, cum miracula faceretis, vt obſeruat Theophilactus. Nunnullis placuit alia ratione quæſtionem ſoluere: vel non malos iſtos fuiſſe, qui quod iuſſi erant à Rege ſuo exequebantur: vel certè prius malos, tales eſſe deinde deſiiſſe, vbi primum ſpiritus hic illos afflauit.

z Quæſt. 5. ad Simplician. tom. 4.
a Iſidor. Beda Eucher. Theodoret. Hugo Victor. Rupert. Raban hic.
b Lyran. Abulenſ. Dion. Caiet. Vatabl. in hunc locum.
c Matth. 8.
d Matth. 8.

Verum iſti ſi hoc comminiſcuntur, quod putent prophetiæ ſpiritu non niſi iuſtos viros tangi poſſe, perſpicuè falluntur? vt modo ex illis Patribus indicauimus: ſi verò quod putent modum loquendi, quo Scriptura vtitur ſignificare hos fuiſſe iuſtos, qui ſic prophetant, etiam errant: & inde refelluntur; quia eadem loquendi forma de iſtis narratur quod prophetauerint; qua idem paulo poſt de Saule ſubiicitur. Quis autem exiſtimet Saulem cum maximè odio Dauidis inſaniret, iuſtum, ſanctumque fuiſſe? porrò de illo dicitur. *Factus eſt etiam ſuper eum Spiritus Domini.* Quid eſt, *etiam?* niſi eodem modo ſicut Samuel, ſicut illius comites, ſicut lictores Saul primi, ſecundi, & tertij afflati fuerant: ita etiam ipſum Saulem afflatum eſſe? Vnde ſi Saul malus; non poſſumus illos inde bonos exiſtimare, quod *factus fuerit ſuper eos Spiritus Domini.* Cæterùm quod ad phraſim ipſam attinet; *fieri ſpiritum Dei ſuper aliquem.* Hebraiſmus eſt pro eo quod eſt Diuinitus impelli ad aliquid aggrediendum. Spiritus enim hîc ponitur pro inſpiratione, & inſtinctu. Vnde *factum ſuper illos eſſe ſpiritum Dei*; eſt hoc loco Diuinitus illos impulſos fuiſſe ad pſallendum, & prophetandum. Nec alium ſenſum habet phraſis illa toties in ſcripturis vſurpata; cum dicitur *facta fuiſſe manus Domini* ſuper Prophetam aliquem. Significat enim Diuina operatione, & energia aliquem motum, & impulſum ad quid agendum.

Prophetauerunt.] Quid per hoc intelligatur non vna omnium ſententia eſt: ſed cum eodem modo dicantur iſti prophetaſſe, ſicut prophetabant Samuelis comites: vt de illis prophetandi verbum accipitur; ita de iſtis eſt accipiendum. Tota autem dubitatio in eo ſita eſt: *An prophetare* ſit hoc loco futura prædicere, & occulta, incertaque ſapientiæ Diuinæ enunciare: an quid aliud ſit. Si enim illud eſt. Quomodo Samuel prophetantibus præſidebat? Quid enim illis opus erat Chorago, aut moderatore, qui pariter omnes à Deo agebantur? Si verò aliud eſt; quid hoc eſt? Dicendum exiſtimo: *prophetare* hoc loco eſſe & diuinas laudes modulari, & ſimul occulta profari. Vt enim alibi docuimus, antiqui Prophetæ priuſquam oracula ſua funderent; vel ipſimet Diuinis ſe cantionibus excitabant; vel aliis Diuinas laudes canentibus aures præbebant. Vnde factum; vt vtrumque dictum ſit. *Prophetare.* Samuel ergo illis præſidebat prophetantibus: non quatenus Diuina oracula promebant: ſed quatenus ad illa fundenda Diuinis ſe prius laudibus præparabant. Cum autem qui miſſi ſunt, dicuntur *prophetaſſe*; tam poteſt id de Diuinis laudibus intelligi, quàm de prædictione futurorum. Theodoretus, D. Auguſtinus, Zonaras, Beda, Iſidorus, Rabanus, & alij antiquiores hoc ſecundum putant; recentioribus illud prius magis probatur. Tantum enim volunt inſolito quodam æſtu, & feruore mentis correptos ad Diuinas ipſos quoque laudes celebrandas cæteris ſe adiunxiſſe. Ita Abulenſis, Dionyſius, Caietanus, Vatablus, quibus Chaldæus Paraphraſtes etiam fauere videtur.

℣. 22.) Et abiit in Naioth in Ramatha, & factus eſt etiam ſuper eum Spiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat vſque dum veniret in Naioth in Ramatha.

℣. 23.)

℣. 23.) Expoliauit etiam ipſe ſe veſtimentis ſuis, & prophetauit cum cæteris coram Samuele, & cecinit nudus tota die illa, & nocte. Vnde exiuit prouerbium; Num & Saul inter Prophetas.

Factus eſt ſuper eum Spiritus Domini, & prophetabat.] Qualis hic ſpiritus, bonos, an malus; & quomodo eo Saul inſtinctus prophetauit, ſatis intelligi poteſt ex iis quæ diximus de nuunciis ab eo miſſis eodem ſpiritu correptis & prophetantibus.

Expoliauit ſe.] Itáne vt nudus remanſerit? Affirmat Vatablus, & Clarius, & videtur ſignificare Scriptura. *Expoliauit*, inquit, *ſe veſtimentis ſuis*; quod adhoc apertè magis indicat cum ſubdit, *& cecinit nudus*. Spiritus Dei inquit Vatablus, *adimit omnem pudorem illis, quos poſſidet*. Alij tamen volunt veſtimenta tantum Regia abieciſſe, vt Abulenſis, Dionyſius Hugo Card. Meliùs meo iudicio Caiet. qui tantùm ſuperiora veſtimenta abiecta putat; nam & de nunciis quoque ſignificatur ipſos ſe expoliaſſe, cum dicitur. *Expoliauit etiam ipſe ſe*. Quod autem ſubditur; *Nudus cecinit*, intelligendum eſt de malè veſtito, & ſeminudo. In quem ſenſum accipitur cum dicitur [e] David *ſaltaſſe nudus coram arca*. Et apud Iob, iniuſti exactores dicuntur *ſpoliare nudum*. e 2.Reg.c.6.

Etiam ipſe.] Particula *etiam* poteſt referri & ad nuncios, & ad ipſum Saulem prophetantem: ſi primum eſt ſenſus: ita ſe expoliaſſe Saulem, vt illi ſe expoliauerant: ſi ſecundum, ſignificat Saulem non modò prophetaſſe, ſicut illi prophetauerant, ſed inſuper etiam veſtes abieciſſe, quod illi non fecerant. Probabilior tamen primus ſenſus eſt Dionyſio, Caietano, Hugoni, & aliis.

Coram Samuele.] Dubium non leue quibuſdam hoc loco videtur: quomodò *coram Samuele*, Saul prophetaſſe dicatur: cùm ſupra [f] habeamus; ita illum à Saule diſceſſiſſe, vt eum *nunquam poſtea viderit in vita ſua*. Magiſter, Dionyſius, Hugo Card. dicunt non viſum amplius in Regio ornatu. Quaſi ſcilicet ſermo ſit de veſtitu ipſius, non de ipſo Saule; aut quis non videri à nobis dicatur, cùm videtur, ſed non cum inſignibus dignitatis ſuæ. Exiſtimo ergo cum Vatablo & Caietano non ampliùs viſum à Samuele Saulem, quod nunquam poſtea inter ſe mutuò conuenerint, aut colloquuti fuerint. Neque enim hoc loco aut Saul Samuelem agnouit, aut à Samuele ſalutatus eſt, vel appellatus. f Cap. 15.

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT XX.

ARGVMENTVM.

CVM David nullum ſatis tutum effugium ab implacabili Saulis odio reperiret, iterum profugus ad Ionatham ſe confert: apud quem primùm ærumnas ſuas miſerè lamentatus; ab illo deinde precibus enixè petit: vt per ſacra amicitiæ iura, quæ ſanctè ad eam diem vterque coluerat, adeſſe velit amico nullo ſuo merito extremè periclitanti. In primis verò tentet patris animum; num molliri aliqua ratione poſſit; conſilia exploret, inſidias inquirat: vt quid tandem timere, quid ſperare debeant, certum vtrique ſit. Ingemiſcit ille primùm ad amici grauiſſimam calamitatem; inde patris animum tentaturus abſcedit: interim Dauide tuta in agro latebra collocato. Tum verò in omnem iuuandi amici occaſionem intentus, oblata opportunitate, patrem blandus aggreditur; ſed illa ſilex cruda caute durior flammas emiſit, non alio ferro percuſſa, quàm ſermone filij; nihilque propius factum eſt; quàm vt eodem incendio corriperetur Ionathas; ex quo Dauidem eripere conabatur. Nam à furente patre verbis primùm aſperrimis exceptus; ſtricto deinde ſpiculo petitus; minimo minus interfuit; quin hoſtia pro Dauide caderet, qui deprecator pro Dauide ſteterat. Inde ergo & ipſe profugus Dauidem conuenit, geſta quæ ſint edocet; fugiendam porrò quàm longiſſimè patris iram denunciat. Hinc ab vtriſque itur in lacrymas, & mutuo in complexu diu hærentes fortiſſimi Duces; non indecorum putant lacrymis fluentibus ora rigare, qui toties hoſtili ſanguine dextras imbuerant. Ergo poſt generoſos gemitus amoris indices; antiquo amicitiæ fœdere repercuſſo diſcedit David, remanet Ionathas: ſi tamen vel ille ſolus poterat abire, vel hic remanere; aut alter tandem ab altero ſeparari, quorum alterius erat alteri tam arctè anima conglutinata.

℣. 1.) Fugit autem David de Naioth quæ eſt in Ramatha, veniénſque locutus eſt coram Ionatha. Quid feci? quæ eſt iniquitas mea, & quod peccatum meum in patrem tuum, quia quærit animam meam.

℣. 2.) Qui dixit ei. Abſit, non morieris. Neque enim faciet pater meus quidquam

quam grande vel paruum ; niſi priùs indicauerit mihi. Hunc ergo celauit pater meus ſermonem tantummodò ? nequaquam erit iſtud.

℣. 3.) Et iurauit rurſum Dauidi ; & ille ait : ſcit profectò pater tuus, quia inueni gratiam in oculis tuis, & dicet: Neſciat hoc Ionathas, ne fortè triſtetur. Quinimò viuit Dominus, & viuit anima tua; quia vno tantùm, vt ita dicam, gradu ego, morſque diuidimur.

℣. 4.) Et ait Ionathas ad Dauid : Quodcunque dixerit mihi anima tua, faciam tibi.

SI quod aliud caput eſt quod attentum lectorem requirat; hoc in primis eſt quod præ manibus habemus. Id adeò per ſe quiuis facile deprehendet, qui attentiùs animum ad ea, quæ in illo narrantur adiecerit. Ita enim omnia perturbata videntur; vt vbique ſalebræ appareant, vbique ſentes. Nam primum omnium fugit iterum Dauid. Vnde, & à quo, & cur fugit? ad Ionatham ſe confert ; apud illum calamitates ſuas deplorat. Quas oro? præteritáſne, an præſentes & inſtantes ? Negat Ionathas quidquam illi periculi à patre imminere : negat in illum malè animatum patrem. Serióne quæſo an ioco negat ? Non malè animatus Saul in Dauidem, in quem tot hoſtiliter, & pluſquam hoſtiliter molitur, & ſtruit? vlteriùs : feſta celebritas aduenit; conuiuium paratur, diſcumbitur, locus Dauidis vacuus apparet; cur non adſit cum cæteris, miratur Saul, exquirit, interrogat : reſpondet Ionathas, excuſat abſentem. Itane? miterur Saul abeſſe quem perſequitur : expectatur in conuiuio, qui vndique ad necem conquiritur ? excuſetur abſens quem omnes ſciebant fugatum, & tantùm ſaluum eſſe quod abeſſet? Quid hæc omnia quæſo ſibi volunt, aut quomodo diſponenda ſunt, & qua ſerie retexenda? Omnino, vt dicebam, perplexa ſunt & inuoluta. Sed omnia iudico facillimè poſse explicari, ſi vnum ante alia omnia diſcutiatur.

An ſcilicet Dauid poſt aduentum Saulis in Naioth, fugerit ſtatim ad Ionatham ; an potiùs illi ſit priùs reconciliatus ; & deinde poſt reconciliationem quam malè ſartam videbat, iterum fugerit. Sunt qui illud primum aſſerant. Nunquam enim Saulem ex quo apertè Dauidem fuerat ad necem perſecutus, illi reconciliatum volunt. Itaque dicunt Dauidem nunc ad Ionatham fugiſſe ex Naioth; vſum opportunitate Saulis, & ſatellitum vaticinantium : Ita Lyran. Dionyſius, Hugo Carenſ. Caiet. & alij. Qui videntur id ſibi ex texto ſatis apertè colligere. Poſt id enim quod dicitur in fine capitis præcedentis, etiam Saulem ſpiritu vaticinandi cum aliis afflatum, curam perſequendi Dauidem in pſallendi ſtudium vertiſſe: ſtatim ſubditur in principio huius capitis de Dauidis fuga ; cuius illi Deus ſpatium dare voluit immiſſo in illos omnes prophetandi ſpiritu: vt aduertunt Ioſephus, Theodoretus, & alij. Qui non alio conſilio conceſſum iſtis volunt prophetandi munus; niſi vt interim dum illi prophetarent, Dauidi tuta fuga aperiretur. Fugit ergo & relicto Saule inter Prophetas, ad Ionatham ſe recepit; cuncta, quæ acciderant, renunciat otus. Ionathas autem à patre in Regiam aliquam adminiſtrationem aliò amandatus ; nihil eorum cognouerat, quæ ſe abſente in Dauidem pater tentauerat; vt clarè in textu indicatur; dum Dauidis orationem, quaſi de patre ſiniſtrè nimis ſuſpicantis Ionathas reiicit. Sic igitur iſti totam rerum ſeriem diſponunt. Cùm iureiurando Saul Ionathæ affirmaſſet non nociturum ſe quidquam Dauidi, Ionathas ad Regni munia procuranda aliò diſceſſit. Interim Saul ſpiritu malo agitatus pſallentem Dauid lancea confodere niſus eſt; fugientem ociùs perſecutus, domi priùs incluſit: inde elapſum in Ramatha qui comprehenderent, ſubmiſit ; quibus correptis numine poſt alios, & alios eò ipſe etiam acceſſit : vbi cum eodem ſpiritu eſſet afflatus ; Dauid illo relicto ad Ionatham ſe contulit omnium ignarum ; illum his verbis allocutus, quæ in principio huius capitis ponuntur.

Verùm ſi hoc ordine cuncta hactenus ſucceſſiſſe intelligamus, Herculeus fermè nodus paulò poſt interuenit, quem vix, ac ne vix quidem ſoluamus. Nam cur Saul Dauidem quærat à conuiuio abſentem ? Cur alij Dauidi locum præparent, quaſi cum reliquis Principibus diſcubituro; ſi durabant adhuc profeſſa Regis odia, & erat Dauidis manifeſta fuga ? Probabilius eſt ergo quod hoc loco tradit Abulenſis ; Dauidem poſt aduentum Saulis in Ramatha ; iterum ab illo in gratiam receptum. Quod multis argumentis ſuaderi poteſt ; illo tamen potiſſimo : quia hoc pacto omnia in hoc capite plana, & perſpicua redduntur, quæ alioquin perturbatiſſima ſunt & prorſus imperuia. At ſuprà diximus ex Seuero Sulpicio, & aliis, Dauidem cùm domum ſuam ſe recepit, ita deinde fugiſſe, vt nunquam poſtea ſe Sauli crediderit. Verum illud eſt : nam licèt iterum placatum habuerit Saulem, ſtatim tamen ab illo diſceſſit ; nihil illi fidens ; nec bona fide reconciliatum exiſtimans. Ergo ſic omnia ſunt diſponenda, vt ea, quæ ad hoc caput ſpectant intelligantur. Cùm Saul ſibi redditus prophetare deſiiſſet, omnia quæ acciderant recognoſcens, præſentem vim numinis, qua ſe & ſuos prohibitos omnes viderat ne quicquam Dauidi nocerent, diſſimulare non potuit. Itaque Deo cedendum ratus ; vel verè ; vel ſimulatè Dauidem iterum amplexus eſt. Alioquin enim quid populi vociferaturi erant, ſi cum tam inſigni Diuinæ beneuolentiæ argumento ; nihilominus illum perſequi perſeueraſſet, quem Deus miris omnino modis protegebat ? fortaſsè autem Dauidem interim dum ipſe prophetabat, aliò elapſum curauit ad ſe aduocari; fide publicâ datâ, mali nil paſſurum. Aduenientem verò obuiis amplexibus excepit; quod diceret omnia illi condonanda, in cuius gratiam Deus profanis quoque hominibus prophetandi ſpiritum impartiret. Verùm cùm Dauid malè ſartam gratiam nequicquam coïre poſſe, intelligeret; clam ſe ſubduxit, & Ionatham adiens his illum verbis appellat, quæ in primo huius capitis verſu referuntur.

Abſit non morieris.] Hic primus nodus occurrit, qui facilè tamen ſoluitur ex proximè dictis. Mirum enim videri poſſit ; quomodo hoc tam aſſeueratè Ionathas pronunciet : quomodo tam ſecurus ſit de Patris animo erga Dauidem: quomodo ſollicitudinem omnem deponere, & ocioſum eſſe velit, quem pater primùm lancea tentauerat ; domi latentem cuſtodia circumcluſerat

ſerat

ſerat; inde elapſum vndique conquiſierat; in Ramatha repertum miſſis aliis, & aliis ſatellitibus ad ſe rapi iuſſerat; quibus correptis numine, eo ipſe contenderat; & in omnium oculis adeò prophetauerat; vt prouerbio ſtatim vulgatum ſit *Saul inter Prophetas*. Quomodo, inquam, vix ex tot periculis ereptum Dauidem ex fuga adhuc anhelantem; comprehenſorum manibus adhuc hærentem, omiſſo animo eſſe vult Ionathas, timere nihil, patrem non vereri, ſiniſtrè de illo nihil ſuſpicari? quia, inquiunt, omnium quæ contigerant penitùs ignarus erat: ſic Lyran. Dionyſ. Hugo Card. Caiet. Itane verò ſolus Ionathas ignoraret quod omnes ſcirent? quod in omnium oculis geſtum erat, quod vt fieret aula Regia & totum penè Regnum tumultu vndique, & cæca perturbatione perſtrepebat? Aberat, inquiunt, à patre & Curia; aliis Regni curis fortè diſtentus. Vbi nam quæſo aberat & quò tam longinquè diſceſſerat, vt ad ipſum ſolum non pertingerent, quæ iam inter omnes fama vulgauerat? Norat igitur hæc omnia probè Ionathas: propterea tamen nunc ſic Dauidem erigit, nihilque à patre timere iubet, quòd poſt illa in mutuam iterum gratiam conueniſſent. Poſt quam reconciliationem, quam interuentu numinis, & miraculo tam claro, & patenti conciliatam; putabat Ionathas firmiſſimam fore; nihil adhuc inaudierat à patre mutatum: vnde Dauidi timendum quidquam eſſet.

Et iurauit rurſum David.] Quid iurauit? aut quomodo *rurſum* qui nihil adhuc iurauerat? Iurat nunc Dauid quod primum ſimpliciter aſſeuerando narrauerat; & quia poſt aſſeuerationem addit iuramentum dicitur, *iurauit rurſum*, id eſt quæ iam dixerat; iterum repetiit, & inſuper iuramento firmauit. Itaque illud *rurſum* non ad aliud Dauidis iuramentum referendum eſt: ſed ad aſſeuerationem; quæ præceſſerat: vt ſit ſenſus. *Rurſus eadem aſſeuerauit & iuſiurandum adiunxit*: ita Vatabl. Alij volunt *rurſum* referendum eſſe ad aliud iuramentum non Dauidis ſed Ionathæ ſubintelligendum enim eſſe Ionatham quæ dixerat iuramento firmaſſe; & propterea dici, *iurauit rurſum David*, nimirum poſt iuramentum Ionathæ. Ita Caiet. ſed minùs probabiliter; particula enim *rurſum* ad eundem ſpectare debet. Neque enim ſi quis quid fecerit, & ego illud ipſum repetam; *rurſum* dicendus ſum facere quod ille fecit.

Quin imò viuit Dominus.] Hoc eſt quod proximè dictum erat iuraſſe Dauidem non expoſito quid iuraſſet. De hac autem & ſimilibus iurandi formulis ſæpiùs egimus; præſertim verò in Apparatu Hiſtorico.

Vno tantùm gradu ego morſque diuidimur.] Hebraicè. *Quia ſicut paſſus inter me & inter mortem* LXX. *Quia impletum eſt inter me & inter mortem.* Prouerbialis locutio cum quis de vita grauiſſimè periclitatur: ad quod exprimendum ſupremum exitium diſtare ita dicitur; vt minimum abeſſe dicatur. Eundem ſenſum habent illa, *in vmbra mortis ambulare: appropinquare ad portas mortis: paulò minùs in inferno habitare.* Quæ omnes & ſimiles locutiones pariter cum hac, quam explicamus eò tendunt vt grauiſſimum periculum ſignificent ex propinquitate ſupremi exitij, & vicinia imminentis mortis; ad quos enim vmbra alicuius ita porrigitur, vt illos inuoluat, & in ea ipſi ſint, ſedeant, ingrediantur, ij inter ſe viciniſſimi ſunt. In vmbra ergo mortis qui ſunt, proximè à morte diſtant: quod eſt quocunque oculos intenderint, ſemper illis mortem vndique intentari. Dauid [a] *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* id eſt ſi ſim inter certiſſima vitæ pericula conſtitutus; ita vt mors ante oculos mihi obuerſans, *vmbra* iam me ſua totum inuoluat: tutela tamen tua, & præſidio fretus nihil omnino timebo. Similiter qui limen iam aliquod pulſant; propè eſt vt intro admittantur: vnde in *portis mortis* illi eſſe dicuntur qui vicina morte periclitantur. [b] *Qui exaltas*, inquit, *me de portis mortis, vt cantem omnes laudationes tuas.* Eadem igitur ſententia & clariùs etiam nunc à Dauide his verbis effertur cum dicit *vno tantùm gradu ſe mortémque disiungi.* Maiori autem cum emphaſi id à LXX. exprimitur, apud quos dicit Dauid: *Impletum eſſe inter ſe & mortem*, id eſt nullum iam ſpatium intermedium eſſe inter ſe & mortem. Nam Vulgata noſtra; *ſaltem gradum vnum* dicit intercedere. Non abſimili autem modo loquendi ad ſignificandum extremum periculum Iuuenalis eſt vſus. [c]

a Psal. 22.
b Psal. 9.
c Sat. 12.

I nunc & ventis animam committe; dolato
Confiſus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor aut ſeptem, ſi ſit latiſſima tæda.

Et ait Ionathas ad David.] Cùm hæc & alia multa dixiſſet Dauid, quæ reticentur, tandem Ionathas ſeriò amici periculum timere cœpit, perſuaſuſque eſt verè à patre perniciem aliquam imminere; ac proinde animum adiecit ſimul cum Dauid, vt aliqua via impendens malum auerteretur. Propterea ergo nunc Ionathas ab Dauide exquirit, quæ ſuæ ſint partes. Licèt enim vnius tantùm periculum, & res agatur; nempe Dauidis: Duorum tamen debere eſſe ſollicitudinem: quando in vnius ſalute alterius quoque ſalus verteretur. Idcirco autem à Dauide quid ſibi ſit faciendum interrogat: quia nullum certum periculum ille notauerat: ſed tantùm inſidias ſibi à Saule dixerat intentari.

Quodcunque mihi dixerit anima tua.] Hebraiſmus eſt. Nihil quod à me volueris non impetrabis. *Anima* hîc pro voto, & deſiderio; quod tunc loquitur quando ſe prodit, & aperit.

℣. 5.) Dixit autem Dauid ad Ionatham: ecce Kalendæ ſunt craſtino, & ego ex more ſedere ſoleo iuxta Regem ad veſcendum: dimitte ergo me vt abſcondar in agro vſque ad veſperam diei tertiæ.

℣. 6.) Si reſpiciens requiſierit me pater tuus, reſpondebis ei: Rogauit me Dauid vt iret celeriter in Bethlehem ciuitatem ſuam, quia victimæ ſollemnes ibi ſunt vniuerſis cõtribulibus ſuis.

℣. 7.) Si dixerit, bene, pax erit ſeruo tuo. ſi autem fuerit iratus, ſcito quia completa eſt malitia eius.

℣. 8.) Fac ergo miſericordiam in ſeruum tuum; quia fœdus Domini me famulum tuum tecum inire feciſti; ſi autem eſt iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me.

℣. 9.)

℣. 9.) Et ait Ionathas. Abſit hoc à te: neque enim fieri poteſt, vt ſi certè cognouero completam eſſe patris mei malitiam contra te, non annuntiem tibi.

Quorſum hæc omnia directa ſint, quæ nunc adornat Dauid, & quò tendant metlto dubitari poteſt. Videntur enim parum cum iis conuenire, quæ de miſero rerum ſuarum & infelici ſtatu conqueſtus fuerat. Nam ſi mille ſollicitudinibus anxius; vndique à Saule conquiſitus ad necem, vno tantum gradu à morte, & ab extremo infortunio diſtabat: cur non longiſſimam fugam arripiebat, & quantum poterat ſe dabat in pedes? locus ne erat in tanta trepidatione, & viciniâ periculi reſiſtendi, commorandi, ambigendi? An deliberandum erat num fugiendum eſſet ei, cui non fugienti certa erat pernicies parata? Quod ſi adhuc incertus erat de Saulis animo: immerito ergo, & nimis anxiè calamitates ſuas deplorauerat. Addo etiam, cum aliqua nota, vel degeneris timiditatis; vel etiam impietatis. Quid enim attinebat tam affirmate deploratum exitum ſalutis ſuæ; iureiurando etiam interpoſito aſſeuerare: ſi nihil illi certum adhuc & conſtitutum erat de Saulis animo? Quod ſi iam certus erat: quorſum nunc coniecturis inanibus, illius erga ſe voluntatem explorare?

Dicendum ergo eſt horum omnium explicationem pendere maximè ex ſtatu, in quo Dauidis res verſabantur. Erat enim huiuſmodi, vt illum vndique premerent anguſtiæ. Nam ex vna parte quid timeret habebat; & certus omnino erat mala fide ſecum Saulem in gratiam rediiſſe: ab illo ergo ſibi exitium parari. At verò ex altera parte perſiſtebat adhuc Saul in ſimulatione ſua, ac proinde nec fugere tutò poterat Dauid, nec tutò remanere: non fugere quia cum nihil in illum Rex apertè adhuc molitus eſſet poſt vltimam reconciliationem, merito omnium offenſionem poterat incurrere Dsuid: ſi fugiens, ibi timere ſe oſtendiſſet, vbi non eſſet timor: aut (quod grauius erat) ſi fuga inconſulta Regi innoxio apud alios inuidiam conflare vellet. Non tutò verò remanere: quia certo ſciebat imminere Regem in omnem occaſionem exitij ſui. Cùm ergo nec tuta illi mora in Regia eſſet; nec tutus diſceſſus: mediam hanc rationem init, qua nec apud Regem cum periculo remaneat: nec ab illo cum cæterorum offenſione diſcedat: per id inſuper conſecuturus, vt Regis animum apertè perſpiciat; vt quid tandem ſibi timendum, quid ſperandum ſit, habeat exploratum. At hoc illud eſt quod vrgebatur: finxiſſe ſibi Dauidem pericula maiora veris, & temerè eum iuramento affirmaſſe id de quo adhuc erat ambiguus. Si enim nondum certus erat de Saulis animo, quorſum illud? *Viuit Dominus, quod vno tantum gradu mors, & ego diuidimur?* Vnde enim illi tanta cum morte vicinitas? ſi à Saule. Quid ergo ipſius animum nunc quaſi ambiguus tentat? Si ab aliis, cur Saulem tantum accuſat? Sed qui hæc ita diſcutit, ignarus omnino eſt quid poſſint in mortalium animis æſtus perturbationum: cum nimirum inter ſpem, & metum dubius quis pendet incertus ſui. Præſtat enim multo ſperare nihil, & habenas omnes timori, aut dolori tradere; quam diu in ancipiti illo fortunæ ſuæ ſalo fluctuare. Quod ergo dixit de ſe Dauid *vno tantum gradu à morte diſiungor.* non eſt referendum, ad mortem, quam iam certus eſſet ſibi à Saule parari: ſed ad calamitoſum ſtatum conditionis ſuæ; qui omnia complectebatur, & Saulis odium implacabile, & vxoris ſollicitudinem, & ſuos metus, & aliorum iudicium, & omnium de ſe expectationem, & denique incertitudinem, & iactationem animi: qua quid tutò ſequeretur, aut fugeret, non habebat.

Ego ex more ſedere ſoleo iuxta Regem.] Certè ſi Dauid Sauli poſt fugam in Naioth non fuiſſet reconciliatus hoc non diceret. Nec illum Rex requiſiturus eſſet abſentem: nec alij illum expectaturi; vt cum Rege ſimul & Principibus reliquis in publica celebritate veſceretur. Quod autem ad celebritatem hanc ſpectat & ad morem in conuiuiis ſedendi, aut decumbendi tunc ſeruari ſolitum hic plura non dicimus; ſatis omnia, quæ eò pertinent in Apparatu Hiſtorico de ritibus executi.

Si reſpiciens requiſierit me.] Hebraicè *ſi recordando recordatus mei fuerit*, quem Hebraiſmum hic noſter reſoluit, alibi retinuit: ſignificat autem illa repetitio, de qua ſupra plura; accuratam & diligentem inquiſitionem. Vnde [d] Vatablus d Cap. 1.
vertit; *ſi pater tuus de me accuratè quæſierit.* Quam diligentem inquiſitionem noſter expreſſit per circumſpectionem. *ſi* inquit *reſpiciens me requiſierit.*

Reſpondebis ei: rogauit me Dauid.] Hìc nulla controuerſia eſt; quin Dauid officioſe mentitus fuerit; & alteri inſuper officioſi mendacij auctor extiterit: Nam quod quidam apud Lyranum aſſerunt, quos ille etiam ſequi videtur, vt Dauidem excuſet, & minus probabile eſt, & perſpicue poteſt ex textu ipſo refelli. Dicunt enim verè Dauidem cum hæc Ionathæ ſuggereret, conſtitutum habuiſſe in Bethlehem ſe conferre. Quod ſeriò ne an ioco aſſerant verè dubito. Quis enim clarè non videt hîc Dauidem dicere ſe non iturum: ita tamen vt Saul exiſtimet iuiſſe? & totam hanc ſtropham, quæ nectitur ad Saulis animum explorandum, in Dauidis ſimulato diſceſſu fundatam? Mentitus ergo eſt, vt omnes concedunt Abulenſis, Dionyſius, Hugo, Caietanus, ſed officioſè; ac proinde leuiſſimè mentitus. Hoc enim genus mendacij *licet non ſit ſine culpa, non eſt magna culpa*, vt dicit Auguſtinus. [e] Officioſum e Pſalm. 5
porro mendacium fuiſſe conſtat: quia non per illud aliis perniciem parabat: ſed ſibi, ac ſaluti ſuæ abſque cuiuſquam iniuria conſulebat.

• *Quia victimæ ſollemnes ibi ſunt.*] Hebræum, & LXX. *ſacrificium.* Chald. *apparatus oblationis ſanctæ* id eſt conuiuium ex victima. Quod additur *victimæ ſolemnes*, propriè in Hebræo eſt *victima ſiue ſacrificium dierum.* Quomodo etiam legunt LXX. Vatab. interpretatur *annuale*, Caiet. *ſacrificium votiuum*, vel conditum à tota familia ad certum diem: & propterea appellari *ſacrificium dierum.* Noſter aptius *ſollemnes victimas* appellauit, quod ſolerent ſtata ceremonia, & certo tempore celebrari de quo conuiuiorum genere diximus fusè in Apparatu.

Vniuerſis contribulibus ſuis.] A conuiuio gentilicio toti familiæ, & cognationi indicto æquum non erat Dauidem abeſſe, virum inter omnes alios maximè inclytum; & qui ſolus poſſet celebritatem illam præſentia ſua lætiorem reddere.

Si dixerit, bene, pax erit ſeruo tuo.] Mirum cur ex tam leui indicio Dauid velit ſalutem ſuam,

ſecurita

ſecuritatemque pendere; an parum illi perſpectus Saul? & quantus artifex eſſet ſimulandi & diſſimulandi? Vnde ergo; ſi quidquam ſibi ab illo metuebat, & cauebat; ſi incertus animi quid ille circa ſe vellet, exquirebat; ex vnico illius reſponſo rem vult adeò dubiam definire? Difficile fortè erat Sauli qui toties diſſimulauerat; nunc etiam odium tegere; præſertim coram Ionatha; quem, vt paulo ante ipſe Dauid dixit, fortaſſe pater ſuſpectum habebat, quod in illum nimis propenſum aduertiſſet? Difficultatem Interpretera non attingunt; ego qui nodum ſtrinxi, conabor etiam ſoluere. Puto ergo non in his ſolùm verbis, quæ referuntur, coniecturam, vel ſuam, vel Ionathæ, niti Dauidem voluiſſe de Saulis animo: ſed ex toto vultu, & habitu reſpondentis, & ſignis aliis, quæ cum ſubito quis occupatus eſt, etiam ipſo nolente produntur, & viciſſim animum loquentis produnt. Perinde ergo hoc eſt quod Dauid exigit, ac ſi dixiſſet. Cum pater me tuus requiſiuerit, & conceſſu tuo me in Bethlehem diſceſſiſſe cognouerit; multa ſimul præter expectationem eodem tempore de me accipiet; & quod diſceſſerim; & quod in patriam; & quod ad meorum conuentum; & quod conceſſu tuo. Improuiſo ergo occupatus non poterit non certum aliquod voluntatis ſuæ ſignum erga me prodere. Si enim nihil omnino turbatus placidè reſponderit quod ſolemus amicis diſcedentibus precari: *bene eſt*, in portu ſumus, & nauigamus: ſin aliter ilicet periimus, & conclamatum eſt.

Fac ergo miſericordiam.] Quorſum nunc hæc tam patheticè Dauid adiungit? aut quid iis opus eſt vel quid tam magnum hoc eſt, quod à Ionatha poſtulat; vt iſtis cum illo obteſtationibus ſit agendum? Eò, opinor, omnia diriguntur, vt ſerio Ionathas animum adiiciat ad Dauidis periculum cauendum: nec temerè quidquam credat de Saulis animo, vt plus illi fidens quam par eſt, Dauidem Patri obiiciat iugulandum. Quod ſi aliqua religione tangatur paterni nominis; vt illi conniuendum putet, ſe potius ipſe confodiat, nec in Patris manus venire permittat. Quod vltimum ſine dubio patheticòs adiunctum eſt ad affectum Ionathæ penitus permouendum. Quæ eſt ergo hæc miſericordia, quam rogat, vt faciat? *fac* inquit *miſericordiam iſtam.* Vt cautè omnia exploret, & fideliter prout inuenerit, Dauidi cuncta renunciet. Quod bene Ioſephus aduertit; apud quem tota hæc Dauidis oratio ſic diſponitur & explicatur. *Scio, inquit Dauid; quod bene mihi velis & gratificari cupias: Cras erit prima luna, & ſollemne Regis conuiuium, cui me quoque adhibere ſolet. Quare ſi ita videtur extra Vrbem in agro clam te præſtolabor: tu verò, cum requiſierit me, dic profectum in Patriam Bethlehem; vt interſim feſto, quod mea Tribus celebrat; idque permiſſu tuo; quod ſi vt mos eſt de amicis, dixerit; feliciter profectus ſit; ſcito illum nihil hoſtile aduerſùs me in pectore coquere: ſin autem aliter reſponderit; hoc erit tibi iniqui in me animi argumentum. Indicabiſque mihi rem; itaut præſenti mea calamitate, & mutua noſtra amicitia dignum eſt: quam fide in hoc data, & accepta Dominus cum ſeruo tuo voluiſti inire. Quòd ſi me indignum aut erga parentem tuum me iniurium cenſes; nihil eius iuſſis expectatis, iam nunc tuo me gladio confodito.* Hæc Ioſephus quæ pro Commentario eſſe poſſunt ad ea quæ explicamus.

Abſit hoc à te.] Ita in emendatis Codicibus ex Hebræo, LXX. Chaldæo, Complutenſibus; eum antea legeretur *à me.* ſenſus autem eſt. Abſit à te vt vnquam tradaris in manus patris mei; vel vt manus ego polluam in ſanguine tuo: vel quod probabilius eſt: *abſit hoc à te*; vt vnquam ſuſpiceris, me in hoc, patris mei magis quam tua cauſa velle: tibi id fideliter non renunciando; quod de ipſius erga te animo perſpexero.

Si cognouero completam malitiam.] Si cognouero illum omnino te interficere decreuiſſe, de qua phraſi plura infra. g

Sopran. in Dauid.

g Cap. 25.

℣. 10.) Reſponditque Dauid ad Iona-
tham. Quis renunciabit mihi, ſi quid
fortè reſponderit tibi pater tuus durè
de me?
℣. 11.) Et ait Ionathas ad Dauid. Veni,
& egrediamur foras in agrum.
℣. 12.) Cúmque exiſſent ambo in agrum
ait Ionathas ad Dauid. Domine Deus
Iſraël ſi inueſtigauero ſententiam pa-
tris mei craſtino, vel perendie: & ali-
quid boni fuerit ſuper Dauid, & non
ſtatim miſero ad te, & notum tibi fe-
cero; Hæc faciat Dominus Ionathæ,
& hæc addat,
℣. 13.) Si autem perſeuerauerit patris
mei malitia aduersùm te, reuelabo
aurem tuam, & dimittam te; vt vadas
in pace, & ſit Dominus tecum ſicut
fuit cum patre meo.
℣. 14.) Et ſi vixero facies mihi miſeri-
cordiam Domini: ſi verò mortuus
fuero, non auferes miſericordiam
tuam à domo mea vſque in ſempi-
ternum.
℣. 15.) Quando eradicauerit Dominus
inimicos Dauid vnumquemque de
terra: auferat Ionatham de domo ſua
& requirat Dominus de manu inimi-
corum Dauid.

Veni & egrediamur foras.] Fortaſsè enim intra Regiam erant in loco aliquo patenti, & omnium oculis expoſito, cum hæc loquerentur: Vnde Ionathas animo commotior ex verbis Dauid; & totus in periclitantis amici miſericordiam flexus; inſuper etiam vltimis illius verbis, vehementiori tactus pietatis affectu ſecretum quæſiuit. Foras ergo quaſi animi cauſa deambulatum in oppidi ſuburbium egreſſi ſunt; id enim ex Hebræa phraſi eſt hoc loco *in agrum egredi*, vt conſtat etiam ex capite præcedenti. Ioſephus aliam interpretationem affert. Vult enim Ionatham, quo maiorem Dauidi fidem faceret educto ſub dium iureiurando confirmaſſe nihil ſe non tentaturum, quod ad ipſius ſalutem pertineret. Itaqꝫ quemadmodum olim apud Romanos Iouem & Herculem iuraturi ſub dium prodibant, maioris religionis cauſa; ita nunc à Ionatha fuiſſe obſeruatum: vt ſcilicet ante oculos eſſet cœlum, & auguſtior naturæ facies, quo ſanctius iuraretur.

Domine Deus Iſraël.] Nimirum Ionathas vltima Dauidis verba; quaſi de ſua fide dubitantia grauiſſimè tulerat: propterea hoc quodammodo ex abrupto iurat quod nunc adiungitur.

Hæc faciat mihi Dominus & hæc addat.] Conſueta formula adhiberi ſolita in iuramentis execratotiis, quale iſtud eſt; de qua ſatis in Apparatu. Hæc antem quæ ſibi Ionathas imprecatur, ſi vnquam fidem violet ſunt quæ paulo poſt ſubdun-
h Verſ.15. tur. [h] *Quando eradicauerit Dominus inimicos Dauid vnumquemque de terra auferat Ionatham de domo ſua.*

Reuelabo aurem tuam.] Renunciabo tibi: docebo te, & cetriotem faciam. Hebraiſmus eſt
i Verſ.2. quem noſter paulo ante reſoluit [i] per verbum indicandi. *Non faciet pater meus quidquam niſi indicauerit mihi.* Hebr. & LXX. *& non reuelauit auriculam meam.* Alibi ad idem vtitur verbo ape-
k Cap.36.26 riendi vt in Iob, [k] *Tunc aperit aures virorum & & erudiens eos inſtruit diſciplina.* Hebr. & LXX. *reuelat aures.* Aliàs vero quaſi paraphraſticòs re-
m Cap.4. ſoluit, vt in Ruth. [m] *Audire te volui* pro eo quod eſt in Hebr. *reuelaui tibi aurem.* At verò hoc loco integrum Hebraiſmum tetinnit, & ſupra etiam
n Cap.9. 15. [n] *Dominus reuelauit auriculam Samuelis.* & in Iob
o Cap.36.10 [o] *Reuelabit quoque aurem eorum.* Cæterum qui *aurem reuelare* volunt idem eſſe, quod *aurem vellere* vt Tygurina Vatab. & alij, licet Latinè loquantur Hebraiſmum non aſſequuntur. Latinis enim *aurem vellere* eſt corripiendo admonere. Hebræis verò *aurem aperire* eſt ſimpliciter aliquid indicare.

Vt fuit cum patre meo.] Id eſt vt te Regem per populi electionem conſtituat; ſicut Patrem meum. In Hebr. propriè eſt. *Et erit Iehoua tecum ſicut cum patre meo.* Quæ verba prædicentis ſunt Regnum Dauidi: vel quod Ionathas aliquid iam de ipſius inunctione præſenſerat vel quod amico bene vellet ominari: vel quod ex iis quæ circa Dauidem contigerant perſpicue intelligeret illi adeſſe numen; cum illuſtrior in dies, & omnibus ſemper fieret acceptior; quo Saul illum magis conabatur opprimere.

Cætcrùm quis hîc ſatis mirari queat Ionathæ fidem, pietatem, religionem, magnanimitatem? ibi fidem maximè coluit; vbi mortales omnes maximè deſerunt: ibi amicitiæ iura ſeruauit; vbi fas omnes putant, iura omnia ſine vllo piaculo reſolui: in Regni cauſa amicitiæ non eſt oblitus, & maluit ſceptro cedere quàm fide. Vetus verbum eſt.

Nec Regna ſocium ferre, nec tædæ ſolent.

Hîc non ſolùm Dauidem in Regni ſocietatem admittit; ſed illi totum cedit: pius in Deum, cuius electionem reuerebatur, decretum non abnuebat, conſiliis non repugnabat; fidus in amicum, quem ſibi in re tanta prælatum non indignabatur; ſibi denique magnanimus, qui generoſo contemptu ſpernere Regnum potuit & ſanctæ amicitiæ poſthabere.

Quando eradicauerit.] Hæc ſpectant ad imprecationem ſub qua iuramentum ſuum conceperat Ionathas: ſubintelligitur enim ante hæc, quod quidam codices expreſsè legunt. *aut ſi non fecero: quando eradicauerit, &c.* quomodo habent Abulenſis, Caiet. Vatablus & alij. Senſus ergo eſt: *Niſi hoc ego præſtitero Deus me & domum meam ſimul cum omnibus Dauidis hoſtibus in perpetuum perdat.* Vatablus ſic hanc totam ſententiam paraphraſticòs reddit. *Si non hoc fecero; cùm Dominus exciderit hoſtes Dauidis è terra; excidat & Dauid Ionatham vna cum domo ſua; requiráque Dominus de manu hoſtium Dauidis.* Caietanus hoc loco vt ſæpè alias; dum nimis Hebræis, vel ſuis, aut ſuorum tranſlationibus addictus eſt, ſenſum paulò perturbatiorem reddit. *Et nec faciente aſcendere Iehoua inimicos Dauid vnumquemque à ſuperficie terræ.* Quorum vult eſſe ſenſum, vt nec tunc quidem cum exciderit Deus inimicos Dauidis, tollat Dauid miſericordiam à domo ſua. Quod quam frigidè faciat ad id, quod nunc vult Ionathas nemo non videt. An magnum hoc erat, vt Dauid Ionatham, & ipſius poſteros inter hoſtes ſuos non computaret? Hoc enim, ſecundùm Caietani expoſitionem ſibi illa verba volunt. Planus ergo ſenſus eſt, quem propoſuimus, & noſter ſatis clarè præfert: niſi quod paulò longiùs inter ſe verba diſpoſita ſunt; quàm rectus ordo poſtulat. LXX. Hebraicum magis exprimentes: ſenſum tamen eundem, quem noſtra præferunt. *In auferendo Dominus inimicos Dauid vnumquemque à facie terræ; inueniatur nomen Ionathæ à domo Dauid, & requirat Dominus inimicos Dauid.*

Eradicauerit.] Quod Latinè *exſcindere* dicunt, & *excidere* noſter vertit *eradicare* exprimens quod in Hebræo eſt *abſcindere* aut *auferre à facie terræ.* Et ſine dubio ſignificantius quid eſt *eradicare* quam *à facie terræ auferre.* Eradicare enim eſt ſtirpem ipſam, & radices vellere; quod eſt funditùs euertere. Auferri autem *de facie terræ* quid etiam poteſt; licèt radices ipſius adhuc relinquantur, iterum germen aliquod emiſſuræ: noſter tamen vel ad ſenſum ipſum reſpexit: cùm enim de peccatoribus, & perſecutoribus ſermo eſt: ita illi puniuntur à Deo, vt funditùs euerti dicantur, & à ſtirpe ipſa radicitùs euelli. [p] *Reliquiæ,* inquit, p Pſal.36 37
impiorum interibunt, & tranſiui & non eſt inuentus locus eius. [q] Vel certè *eradicare* accepit pro eo q Pſal.36.
quod eſt ab radice abrumpere, & abſcindere, ſicuti Matth. [r] dicitur *ſecuris ad radicem poſita;* vt ſci- r Matth.c.3. 10.
licet reliquam arborem ab radice ſeparet.

Et requirat de manu inimicorum Dauid.] Hebraiſmus eſt quo *requirendi* verbum ponitur pro *punire & iudicio perſequi,* quod Italicè dicimus *domandar conto.* Adeo enim Deus vult ante omnem pœnam *inquiſitionem,* interrogationémque præcedere, vt *requirere,* & *inquirere* poſitum ſit in ſacro eloquio pro *punire* & è contra. Vt intelligeremus ſcilicet nullum vnquam indicta cauſa eſſe damnandum. Porrò in hoc ſenſu acceptum *requirendi* verbum variè à noſtro Interprete vſurpatur. Aliquando ſimpliciter ſine vllo addito *requirere* idem illi eſt quod pœnas ab aliquo repoſcere. punire & ſupplicium ſumere & in pſalmis. [ſ] *Propter quid irritauit impius Deum? quia* ſ Pſal 9 33.
dixit in corde ſuo non requiret id eſt *non puniet.* Aliàs id adiungitur quod requiritur, & duplex eſt. Aliquando *peccatum* ipſum: aliquando *pœna* peccato debita. Peccatum ſiue in quo peccatum admiſſum eſt; vt cum dicitur *requiri ſanguis & anima alicuius ab aliquo;* vel *de manu alicuius;* vt in Geneſi. [t] *Sanguinem animarum veſtrarum requiram* t Cap 9. 5.
de manu omnium beſtiarum; & Ezechiel [u] *ſangui-* u Cap.3. 18.
nem eius de manu tua requiram. Ducta locutione ab iis quæ furto auferuntur, & ab illis qui abſtulerint repetuntur: actione aduerſus illos malè ablatæ rei inſtituta; vnde & ablatum reddant, & quod abſtulerint pœnas ſoluant. Aliquando verò dicitur *requiri pœna ipſa & ſupplicium,* vt in Leuitico, [x] & hoc loco in quo licet non apertè x Cap.19.18
exprimatur, ſubintelligitur ſupplicium; vt ſit ſenſus; ſi fallo, perdat me Deus, & omnes Dauidis hoſtes. Eſt ergo hoc loco *requirere* quod Latini dicunt,

Digitized by Google

dicunt, pœnas poſcere; vt Virgil. dixit alicubi.
y lib. 12. ——*& pœnas inimico à ſanguine poſcit.* y

℣. 16.) Pepigit ergo Ionathas fœdus cum domo Dauid: & requiſiuit Dominus de manu inimicorum Dauid.

℣. 17.) Et addidit Ionathas deierare Dauid, eò quòd diligeret illum: ſicut enim animam ſuam, ita diligebat eum.

℣. 18) Dixítque ad eum Ionathas: Cras Kalendæ ſunt, & requirêris.

℣. 19.) Requiretur enim ſeſſio tua vſque perendie. Deſcendes ergo feſtinus, & venies in locum, vbi celandus es in die qua operari licet, & ſedebis iuxta lapidem, cui nomen eſt Ezel.

℣. 20.) Et ego tres ſagittas mittam iuxta eum, & faciam quaſi exercens me ad ſignum.

℣. 21.) Mittam quoque & puerum dicens ei: Vade & affer mihi ſagittas.

℣. 22.) Si dixero puero. Ecce ſagittæ intra te ſunt, tolle eas: tu veni ad me, quia pax tibi eſt, & nihil eſt mali; viuit Dominus. Si autem ſic locutus fuero puero: Ecce ſagittæ vltra te ſunt: vade in pace, quia dimiſit te Dominus.

℣. 23.) De verbo autem quod locuti ſumus ego & tu, ſit Dominus inter me & te vſque in ſempiternum.

Et requiſiuit Dominus de manu inimicorum Dauid.] Quorſum nunc hoc adiungatur, aut quem nexum cum præcedentibus habeat, difficile omnino eſt diuinare. Antiquiores volunt hæc eſſe per anticipationem dicta; & intelligenda de vltione, quam Deus ſumpſit multo poſt de cunctis hoſtibus Dauidis, etiam de illis qui remanſerunt ex domo & familia Saulis. Quia enim Ionathas futurum quodammodo in ſuo iuramento prædixerat, vt Deus repoſceret ab hoſtibus Dauidis meritas pœnas: idcirco nunc Scriptura ſubiicit (licet alieno loco) hoc factum eſſe quod ille prædixerat: *quia nimirum Deus requiſiuit de manu inimicorum Dauid.* Ita Eucherius, Beda, Rupertus, & Angelomus, qui Eucherium deſcribit. Eucherius hæc habet: *Cùm adiungeret Scriptura: pepigit ergo fœdus Ionathas cum domo Dauid; continuè ſubiunxit dicens, & requiſiuit Dominus de manu inimicorum Dauid: quod per anticipationem vtique fecit; prius hiſtoriæ interſerendo, quod multo poſt tempore factum eſt; cum interfecto Saule Regnum ad demum Dauid tranſlatum eſt; & qui innocentem eum iniuſtè perſequebantur, iuſta ſunt diuinitus vltione mulctati: Tunc enim requiſiuit Dominus de manu inimicorum Dauid; quare virum ſanctum afflixerint, &c.* Similia his habent Abulenſis, Dionyſius, Hugo, alij: Caietanus verò putat hæc verba tranſpoſita eſſe, & loco non ſuo collocata: repetita autem ex ſuperioribus. Si tamen vllus ſenſus ex iis colligendus ſit hunc eſſe; pepigiſſe fœdus Ionatham cum Dauide quod ſi Dauid vnquam violaret, Deus de domo Dauidis pœnas acerbiſſimas repoſceret. Poſitum autem hoc loco aſſe ominis vitandi cauſa *requirat de inimicis Dauid*, pro eo quod eſt *requirat de manu Dauidis* ſicut infra. z Dauid ipſe dixit. *Hac faciat Deus inimicis Dauid & hac addat, ſi reliquero de domo Nabal mingentem ad parietem.* Pro eo enim quod Dauid dicere debebat. *Hac faciat mihi Deus & hac addat*, poſuit *hac faciat inimicis Dauid.* Eſt expoſitio tota Rabbinica; quam iam pridem Abulenſis attulerat ex Rabbi Salomone, & vt omnino futilem reiecerat. Vatablus putat eſſe verba Ionathæ adiurantis Dauid; ſenſúmque eſſe; *Pepigit Ionathas fœdus cum domo Dauid, dicens, requirat Dominus*, &c. Sed nimis à vulgata diſcedit, & parum cum Hebræo conuenit. Admittenda eſt ergo vt probabiliſſima expoſitio Eucherij & aliorum. z Cap. 25.

Sepran. in Dauid.

Eò quod diligebat eum.] Senſus poteſt eſſe quem indicant Ioſephus & Vatablus: adiuratum à Ionatha Dauidem, & obteſtatum per dilectionem, qua illum diligebat, vt memor ſui & ſuorum eſſe vellet. Planior tamen ſenſus eſt, quem vulgata præfert. Non contentum Ionatham ſemel iuraſſe: ad exprimendam magnitudinem amoris ſui erga Dauid iuramentum ſæpius repetiſſe.

Requiretur enim ſeſſio tua] Ratio cur ſit requirendus; quia ſeſſio ipſius, id eſt locus in quo ipſe ſedere ſolitus ſit, vacuus apparebit. Hebr. eſt, *Quoniam* vacous erit locus tuus.

Et vſque perendie.] LXX. *& tertiabis.* Quod Theodoretus quæſtione 49. ſic explicat, *tres dies expectabis* quod eſt *vſque perendie*; Itaque ſenſus non eſt quod Dauid ſit requirendus vſque perendie; ſed quòd vſque ad tertiam diem expectare debeat, antequam ad locum certum deſcendat; in quo Ionathas debeat illum conuenire, & quæ geſta fuerint edocere. Quis autem locus hic mox ſubditur.

Deſcendes ergo feſtinus.] Quia nimirum locus in quo Dauid latitare debebat, depreſſus erat, & in valle poſitus, dicit *deſcendes.* Vatablus totum hoc ſic ex Hebræo vertit, *tertiabis, & deſcendes valde*, quod explicat, *tribus diebus expectabis & abdes te in loco humili, & valde depreſſo.* Addit Caietanus inſinuari per hoc antrum valde profundum. Itaque *valde* quod eſt in Hebræo iſti ad locum: noſter retulit ad deſcenſum; propterea illi exponunt, *in locum imum & depreſſum deſcendes.* Noſter *feſtinus deſcendes.*

In die qua operari licet.] Quæ ſit iſta dies, & quid in illa Dauidi ſit agendum in noſtra editione clariſſimum erat: ſed alij cum nouis verſionibus, & extortis expoſitionibus obturbarunt. Hebraicè eſt *in die operis.* LXX. *operaria.* Complutenſes, *in die operationis.* Per quam Caietanus, Vatablus, Clarius intelligunt illam diem, qua Ionathas apud Patrem pro Dauide interceſſit; & Caietanus volt appellari *opus* interceſſionem ipſam. Vatablus vero *promiſſionem & iuramentum* Saulis de non occidendo Dauide. At Iſidorus Clarius omnia quæ eo die geſta ſunt: quaſi dies operationis ſit *dies illius negotij.* Senſum autem omnes volunt eſſe, vt Dauid latitet in illo eodem loco, quo latuit in illo die: quando Ionathas patrem pro illo eſt allocutus. Quod totum quam ſit extortum & operoſum longeque petitum, nemo non videt. Quare enim nomine *operis* interceſſionem illam intelligamus? vt propterea dies, qua illa contigerit, dies *operis ſit* appellanda? Ioſephus *diem operariam* interpretatur diem *exercitationis*, quaſi Ionathas certum locum deſignet,

in quem ſoleret Dauid venire,ſui exercendi cauſa: ſiue illud armorum exercitium eſſet;ſiue quid aliud. Et propterea ſubdi. Illuc etiam Ionatham perrecturum,quaſi ſe ad ſagittandum vellet exercere. Alij aliter id omnes agentes vt locus per ſe clarus obſcurus fiat. Dies enim *in qua operari licet* vel vt in Habræo *dies operis & operaria*. Eſt dies poſt Kalendas,ſiue prima , ſiue ſecunda , ac propterea profeſta. Cum enim hæc inter ſe agebant Dauid & Ionathas, erat pridie Kalendas: Itaque primus dies,quo operari liceret, erat poſtridie Kalendas. Nam ipſæ Kalendæ feſtæ erant. Perinde ergo eſt *die qua operari licet*; ac poſt tranſactam feſtiuitatem Kalendarum ; ſiue illa vno , ſiue duplici die contineretur. At quid in hoc die Dauidi agendum? Veniendum in locum erat vbi erat occultandus. Itaque *in die* non eſt referendum ad *celandus*; ſed ad verbum *venies*; vt totus ſenſus huius loci planiſſimus ſit. *Vſque ad perendie latebis vbi tibi magis cordi fuerit* : *At tertia die qua prima erit tranſacta feſtiuitate, venies ad locum, vbi celandus es*. Per hoc autem , *vbi celandus es*; circumſcribitur certus locus , de quo iam inter ipſos conuenerat. Porro hæc quæ à Ionatha dicuntur , optimè cohærent cum ſuperioribus. Percunctatus enim Dauid fuerat. *Quis renunciabit mihi , ſi quid fortè locutus fuerit Pater tuus ?* Ad hoc reſpondet Ionathas latitandum ita eſſe Dauidi bis tribus diebus ; vt tertia poſt die, quæ perendie , & dies profeſta dicitur deſcendat ad certum locum ; ad quem deinde quaſi aliud agens Ionathas ſe conferet , & indicium illi per ſagittas faciet paternæ voluntatis.

Iuxta lapidem Ezel.] Hoc cum illo coniungendum eſt,*in locum vbi celandus es*. ſubintelligitur enim *qui eſt iuxta lapidem Ezel* quod interpretantur *Viatorium* : & intelligitur fortè lapis aliquis,qui viam diſtingueret,vel in certam partem ſignaret.

Sedebis.] Notiſſimus Hebraiſmus pro *moraberis* , in quam ſignificationem ſumitur etiam à bonis auctoribus.] Seneca. [a] *Quid alter Scipio? nonne circa Numantiam multum diuque ſedit? & hunc ſuum , publicúmque dolorem æquo animo tulit, diutius Numantiam, quàm Carthaginem vinci ?*

a lib. 1. de ira cap. 11.

Tres ſagittas mittam.] Quare non inter illos conuenerat, vt ſagittas Ionathas emitteret ad illum lapidem,quibus admonitus Dauid , ex latebra egreſſus Ionatham adiret , & ab ipſo quid geſtum cum patre eſſet,agnoſceret ? Totum hoc factum eſt,nè Sauli & aliis quidquam ſuboleret de Dauidis latebra in illis finibus: non ſolum nè illi periculum crearetur ; ſed etiam quia iam Ionathas dixerat,illum Bethlebem in Patriam ſuam diſceſſiſſe ; ac proinde etiam ſi Saul bene ſe animatum erga Dauidem oſtendiſſet, & hoc Dauidi eſſet renunciandum : cauendum tamen erat ne ſimulatum Dauidis diſceſſum pater intelligeret, & filij mendacium deprehenderet. At cur non ſolus Ionathas in agrum egreſſus rectà Dauidem adiit relicto domi famulo , & alio quocunque comitatu ? Non erat ex conſuetudine Regij filij ſolum & incomitatum incedere: ac proinde locum ſuſpicioni dediſſet : ſi ſtatim à patre digreſſus; ſolus extra Vrbem egredi viſus eſſet.

℣. 24.) Abſconditus eſt ergo Dauid , & venerunt Kalendæ & ſedit Rex ad comedendum panem.

℣. 25.) Cúmque ſediſſet Rex ſuper cathedram ſuam ſecundùm conſuetudinem,quæ erat iuxta parietem: ſurrexit Ionathas,& ſedit Abner ex latere Saul, vacuúſque apparuit locus Dauid.

℣. 26)Et non eſt locutus Saul quidquam in die illa : cogitabat enim quod fortè eueniſſet ei,vt non eſſet mundus , nec purificatus.

℣. 27.) Cúmque illuxiſſet dies ſecunda poſt Kalendas, rurſus apparuit vacuus locus Dauid. Dixitque Saul ad Ionatham filium ſuum. Cur non venit filius Iſai nec heri nec hodie ad veſcendum ?

℣. 28.) Reſponditque Ionathas Sauli. Rogauit me obnixè vt iret in Bethlehem ,& ait.

℣. 29.) Dimitte me quoniam ſacrificium ſolemne eſt in ciuitate. Vnus enim de fratribus meis accerſiuit me : nunc ergo ſi inueni gratiam in oculis tuis, vadam citò,& videbo fratres meos.

Ad comedendum panem.] Notiſſima Hebræorum phraſis , qua *panis* apud illos omnis cibus appellatur. Vnde ſediſſe Regem ad comedendum panem eſt illum conſueto feſtiuitatis more Regalibus epulis adſediſſe.

Super cathedram ſuam.] Erat enim locus Regius cæteris ſublimior ; non ſolum in omni conuentu publico ; ſed etiam in ipſo conuiuio , ſi quando ad illud alios admittebat : qua de re plura diximus in Apparatu : vbi de conuiuiis, & de honore ciuili & inſignibus dignitatum.

Surrexit.] Vnde , aut quo ſurrexit Ionathas? Vatablus dicit , aduenienti Abner aſſurrexiſſe. Coactè omnino. Neque enim tunc abſens fuerat Abner,vt aduenienti fuerit aſſurgendum ; & ſi adueniſſet in ipſo articulo diſcumbendi , non erat cur illi Regius filius aſſurgeret ; aut ſi aſſurrexit , id certè Scriptura non exprimit. Verbum enim nullum hic eſt,quod aſſurrexiſſe ſignificet. Alij rem totam magis confundunt ex fabulis Hebræorum,quas Abulenſis adducit ſimul & refellit. Lyranus & alij [a] in varias expoſitiones diſcedunt , omnes inani labore ſolliciti in re planiſſima. Senſus enim ſine omni ſalebra in noſtra verſione præſertim ; ſignificat poſtquam ſediſſet Saul , Ionathan *ſurrexiſſe* , & Abner in ſeſſione præceſſiſſe , *ſurgendi* enim verbum ex Hebræa phraſi ponitur ad ſignificandum initium actionis; vt alibi [b] diximus. Quare perinde eſt *ſurrexit*, ac acceſſit & ipſe vbi Saul conſediſſet, & ad veſcendum diſcubuit. Datum enim hoc honori Regio,non prius vt quiſquam ſederet , quam ille iam in ſuo throno locatus , aliis , vt accederent annuiſſet. Interpretationem noſtram confirmat Ioſephus , qui dicit *ad dexteram Saulis Ionatham accubuiſſe*. Et LXX. qui legunt de Saule , *& præuenit ipſum Ionathan.* Ad ſignificandum alios omnes Ionathan præceſſiſſe , primumque poſt Regem , & proximum illi ſediſſe. Quod hîc adiungitur. *Et ſedit Abner ex latere Regis* ; ſine dubio accipiendum eſt de ſiniſtro. Sicut enim manus abſolutè poſita , frequentius in ſacris literis pro ſiniſtra appellatur , ſic *pro ſiniſtro latere* , latus abſolutè

a Dionyſ. & Caietan.

b Suprà, c. 16

ſolutè

ſolorè poſirum; præſertim cum de conſeoſo agitur, anr coniratu.

Vt eſſet mandus.] Quia ſolemne conniuiom erar, & cnm ſacrificio coniunctum non licebat appoſitis veſci, nıſi prius legitimè purificatis: putauir ergo Saul aliquid fortè Dauidi contigiſſe, vnde noua illi purificatione opus eſſet.

Vbi eſt filius Iſai?] Obſeruat Chryſoſtomos alicubi,[e] ſignum beneuolentiæ eſſe cum ſuperior inferiorem proprio ipſius nomine compellat. Ex quo colligit Deum benigniratem ſnam etiam tonc in Adam teſtari voluiſſe cùm peccauit, illum propriè compellans cum dixit,[d] *Adam, vbi es?* At vero argumentum eſſe alieniſſimi animi, & voluntatis, vbi ſuperior inferiorea ſuo ipſorum nomine appellare non ſuſtinet; vt nonc fecit Saul. *Qui*, inquir, *poſtquam Dauid auerſabatur & oderat, nec illius appellationem tolerabat.* Certè, oegari non poreſt in hac appellatione indignantis animi non dubium indicinm latere. Quos enim odio proſequimur, eorum nomina facilè oon vſurpamus vnde idem Dauid ad conteſtandum odium ſuum in improbos, anr animi auerſionem à falſis diis;[e] *Nec memor*, inquir, *ero nominum eorum per labia mea.*

e Hom. 7. in Geneſ.

d Geneſ. 3.

e Pſal. 15. 4.

Si inueni gratiam in oculis tuis.] Modna amicè rogandi frequens in ſacris literis; & apud alios etiam vſitatos. Ouidius.[f]

f lib. 6. Metam.

Cum blandita viro Progne, ſi gratia, dixit,
Vlla mei eſt; vel me viſendam mitte ſorori;
Vel ſoror huc veniat ——

℣. 30.) Iratus autem Saul aduerſùm Ionathan, dixit ei; fili mulieris virum vltro rapientis, numquid ignoro quia diligis filium Iſai in confuſionem tuam, & in confuſionem ignominioſæ matris tuæ?

℣. 31.) Omnibus enim diebus, quibus filius Iſai vixerit ſuper terram, non ſtabilieris tu, neque regnum tuum. Itaque iam nunc mitte, & adduc eum ad me: quia filius mortis eſt.

℣. 32.) Reſpondens autem Ionathas Sauli patri ſuo, ait: Quare morietur? Quid fecit?

℣. 33.) Et arripuit Saul lanceam vt percuteret eum. Et intellexit Ionathas quod definitum eſſet à patre ſuo, vt interficeret Dauid.

Fili mulieris.] Hæc contomelioſiſſima verba plena amariſſimi ſtomachi, qoæ pater in filium effundit, eò tendont, vt velit Saul Ionathan traducere, quaſi filium non ſuum. Quare autem id velit, & qnomodo quod vult, hac contumelia aſſequatur, eſt exponendnm. Id vult: qoia qui filius communes amores cum patre non haber, commones inimicitias, communes affectus; ſed illos, quos pater oderit amore proſequitur, ipſius filios non comprobatur; ſic Saul ſibi perſuaſerat, & ſecum tacitè diſſerebat. Ionatbas ergo cùm tantoperè Daoidem diligeret, quem patri ſciebat inuiſum, hac diſceſſione volonrarıs, Saulia, non filins, ſed extraneus videbator. Ob id hunc in amore diſſenſum, & hanc diuerſitatem ſtudioſum, vt illi aſperiùs exprobrer, aliuode id dicit non eſſe, niſi quia Ionathas alio patre prognatos ſit. Hoc autem nec etiam apertè, ſed obliquè vt amarius feriat. Fili, inqoit, *mulieris virum vltrò rapientis.* Quod eſt dicere, publicè proſtitotæ; proinde certæ quidem matris filiom, ſed incerto patre. Iuxta quam expoſitionem verbum *rapientis* accipitor, vt ſit vltrò allicientis, & inoitantis. Alij in contrarium ſenſum exponunt, vt *rapientis* ſit irritantis, & in ſe incitantis, ad iracundiam prouocaodo, peruersè & peruicaciter agendo. Quam interpretationem confirmant ex aliis verſionibus. Vatablus legit ex Hebræo; *fili mulieris rebellis*, ſeu *peruerſa*; putátque patrem Ionathæ exprobrare quod mores maternos imitetur, tacitè per id inſinuádo vxotis ingenium ſibi ſemper aduerſantis. Non diſſentit Chaldæus qoi vertit; *Fili mulieris contumacis.* Iſidorus Clarua legit: *Fili iniqua rebellionis* Alij *mulieris reprobata ob rebellionem*; vt ſit ſenſus; matrem tuam imitaris, quæ ob doros, & præfractos mores eſt à me reprobata. Volont ergo iſti Ionathæ matrem à Saule dimiſſam libellum ab illo repodij accepiſſe; quod ex Scriptura non conſtat. LXX. clarè ſenſum præferont quem primo loco retulimos; ſic legenica. *Fili puellarum vltro venientium*, id eſt viroa adeuntium; quod procaciſſimæ ſolent, & proſtituti pudoris. Nec diſſentit Ioſephua, qui vult per hæc verba Ionathæ Saulem obieciſſe, *quod eſſet patris hoſtis, & deſertor*, quaſi non verus illius filius; ſed adulterinos, & ex muliere ſuſceptos alienæ libidini parata. Non puto igitur hunc ſenſum reiiciendum, quem Abulenſis[g] etiam, & alij amplectuntur.

g Dionyſ. & Caietan. hic.

In confuſionem tuam, & ignominioſa matris tua.] Quaſi dicat; Nónne ſentio hæc dum ſectaris, paternum te genus eiorare, & factis oſtendere te filiom meum non eſſe? Ac proinde ſtodiom hoc in Dauidem præpoſterom, in tuam & matris ignominiam redundare; tuam, quod adulterinus ſis; illius quod adultera? Nec enim filius meua eſſe potes, qui mihi Dauidem præfers, & illum quem tuæ ſalutis cauſa perſequor, & tui, & patris oblitus, impenſè diligis.

Filius mortis eſt.] Dignus eſt qui moriatur, & & morti iam addictos, vt alibi phraſim hanc latiùs explicando docemus.[h]

h lib. 2. c. ra.

Et arripuit Saul lanceam.] Dorum adeo Regibus eſt, & omnibus, qui aliis cum poteſtate præſunt, audire qui rationem factorum ab illis exquirant; vt nunc pater filium propterea tantùm occiſurus inuadat: quia rationem eius exqoirit, quod ſine vlla ratione decreuerat. Sic omnea ſunt, quibus *licitum, libitúmque confunditur*; nolliſque ſe legibus teneri volunt niſi propriæ voluntatis, illud identidem repetendo; *ſi libet, licet.* Quid enim hîc aſperum Ionathas, aut minùs dignum dixerat paternis autibus, vt propterea fuerit inter epulas ſtricto mucrone petendus? Tantùm quæſiuit, *ſi filius mortis eſt, quid mali fecit?* Quod reſponſum ſuperbus ille oon ſuſtineos, & iacturam maieſtatis exiſtimans poſſe nihil, niſi cum ratione decernete; ad voces exarſit ratiooem ſibi conſilij ſui depoſcentis; & oblitus naturæ, memor iniuriæ, filij ſanguine dolori litaſſet; niſi vel ille fuga, vel alij interuentu ſuo parricidium prohiboiſſent.

Capitol. in Caracal. & Leta.

Cæterùm ſi patrem tam malè habuit hoc filij verbum, ab illo ſimpliciter cur quid faceret exquirentis; qoid erit cùm Reges omnes, Principes, & Dinaſtas Iudex ille ſupremus ante tribunal

Sopran. in Dauid.

ſuum conſtitutos appellabit, & omnium quæcunque vnquam impotenter geſſerint rationem ab illis exquiret? Cogitent hæc quicunque aliis cum poteſtate præ ſunt, & quibus acerbius nil poteſt accidere, quàm ſi quando à ſubditis conueniantur; & læſam illico Maieſtatem putant, ſi qua quid ratione fecerint exquiratur.

℣. 34.) Surrexit ergo Ionathas à menſa in ira furoris, & non comedit in die calendarum ſecunda panem. Contriſtatus eſt enim ſuper Dauid, eo quòd confudiſſet eum pater ſuus.

℣. 35.) Cúmque illuxiſſet mane, venit Ionathas in agrum iuxta placitum Dauid & puer paruulus cum eo.

℣. 36.) Et ait ad puerum ſuum: vade, & affer mihi ſagittas, quas ego iacio. Cúmq; puer cucurriſſet, iecit aliam ſagittam trans puerum.

℣. 37.) Venit itaque puer ad locum iaculi, quod miſerat Ionathas: & clamauit Ionathas poſt tergum pueri; & ait: Ecce ibi eſt ſagitta porrò vltra te.

℣. 38.) Clamauitque iterum Ionathas poſt tergum pueri dicens: Feſtina velociter, ne ſteteris. Collegit autem puer Ionathæ ſagittas, & attulit ad dominum ſuum:

℣. 39.) Et quid ageretur, penitùs ignorabat: tantummodo enim Ionathas & Dauid rem nouerant.

℣. 40.) Dedit ergo Ionathas arma ſua puero, & dixit ei: Vade & defer in ciuitatem.

℣. 41.) Cúmque abiiſſet puer, ſurrexit Dauid de loco, qui vergebat ad Auſtrum, & cadens pronus in terram, adorauit tertiò: & oſculantes ſe alterutrum, fleuerunt pariter, Dauid autem ampliùs.

℣. 42.) Dixit ergo Ionathas ad Dauid: Vade in pace: quæcumque iurauimus ambo in nomine Domini, dicentes: Dominus ſit inter me, & te, & inter ſemen meum, & ſemen tuum vſq; in ſempiternum.

℣. 43.) Et ſurrexit Dauid, & abiit: ſed & Ionathas ingreſſus eſt ciuitatem.

In ira furoris.] Id eſt vehementer iratus à conuiuio diſceſſit, aut potiùs aufugit. Subditur *non comediſſe panem totum illum diem*, qui erat poſtridie calendas. Ioſephus putat conuiuium, de quo ſermo hîc eſt fuiſſe cœnam, non prandium; ac proinde ab illa digreſſum Ionathan ſe in ſua recepiſſe, inſomnémque noctem illam totam, & impaſtum traduxiſſe: Quod ſi verum eſt, fateri oportet Hebræis in more non fuiſſe ſæpiùs in die cibari. Nam alioquin non liceret colligere ex eo quòd Ionathas incœnatus abſceſſerat, integrum diem ſine cibo duxiſſe, vt Ioſephus colligit. Sed de hoc plenius in Apparato.

Super Dauid eo quòd confudiſſet eum pater.] Duæ mœroris Ionathæ cauſæ tanguntur; altera, amici periculum; altera, propria contumelia, qua fuerat à Patre re & verbis affectus; *re*, quod in omnium oculis ferro petitus; *verbis*, quod adulterinus & impudicæ filius eſſet appellatus: propterea dicitur *contriſtatus ſuper Dauid*. Et quod *pater illum*, id eſt Ionathan *confudiſſet*. Quid ſit autem in Scripturis *alium confundere*; & quam variam notionem habeat; alibi [a] fusè proſequimur. a lib. 2. c. 17.

Cúmque illuxiſſet mane venit in agrum.] Ergo dies tertius, in quo conſtitutum inter illos fuerat, vt ad condictum locum Dauid conueniret, erat tertio, non poſtridie calendas. Saul interrogauit de Dauide, & Ionathas ab illo malè acceptus, iratus è conuiuio diſceſſit. Sequenti die *iuxta Dauidis placitum*, id eſt vt inter illos conuenerat, venit in agrum, ea quæ acciderant Dauidi nunciaturus. Inter illos ergo de hac die conuenerat, ex quo vlteriùs colligimus calendarum feſtiuitatem duos tenuiſſe dies: primum nempe & alterum menſis ineuntis.

Adorauit tertiò.] Ter in ſignum reuerentiæ Ionathæ ſe Dauid inclinauit; duo ſimul officia in vnum confundens & ſalutationis & digreſſus. Credibile eſt enim ex verbis Ionathæ, quæ ille puero ſimulatè dicebat, intellexiſſe in præcipiti prorſus eſſe ſalutem ſuam. Itaque ſimulatque mutuum in aſpectum remotis arbitris venere, Dauidem, non tam ſalutaſſe Ionatham vt primum viſum, quàm vt vltimò videndum; nec tam vt accedentem, quam vt mox diſceſſurum.

Vade in pace.] Verba ſunt pendentia & interciſa, eo etiam conſilio fortaſſe à ſacro auctore relata; vt nobis affectum Ionathæ clariùs exprimeret; qui ab amico charíſſimo auellebatur & in tanto periculo conſtituto. Solent enim gemitus & lachrymæ diſcedentium, verba vel impedire, vel interrumpere.

Sed & Ionathas ingreſſus eſt ciuitatem.] Gabaa hæc erat Regia Saulis, vt bene obſeruant Lyranus & Abulenſis.

LIBRI

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT XXI.

ARGVMENTVM.

DAVID à Iouatha digreſſus Nobam ſacerdotalem vrbem ſe confert; vbi Achimelecho ſummo ſacrorum præſuli improuiſus occurrens, admirationem primò mouit; quòd præter ſolitum incomitatus regius gener incederet: deinde verò falſam aduentus ſui cauſam commentus, omni admiratione antiſtiti deterſa, panes ab illo ſacros, & Goliæ enſem impetrat; quo viatico ſimul & armorum præſidio inſtructus nullam ſibi ſatis tutam latebram in Iudeæ finibus ab Saulis ira proſpiciens; ſtatuit apertis, & perpetuis Iſraelitici nominis hoſtibus potius ſe credere; quàm domeſticorum furorem vlteriùs experiri. Itaque ad Achis Geteorum Regem contendit; apud illum occulto nomine ſtipendia facturus. Sed vt incerta plerunque ſunt hominum conſilia; propè fuit vt id illi extremum exitium maximè acceleraret; quod vt exitium fugeret arripuerat. A Paleſtinis enim inter ſe conferentibus & colloquentibus agnoſci iam cœperat; & in vltionem præteritarum cladium ad mortem depoſci; quæ certa illi fuiſſet; niſi furore ſimulato ſe finxiſſet inſanum. Ergo ſanaticorum more deſipiens; cùm ad Regem adductus eſſet ſtatim dimiſſus eſt; & vt ſtultus ab aula repulſus: quod indignum putaret Rex alioquin barbarus, quem locum ſapientes in Regia tenere deberent; eum à ludionibus, & amentibus occupari.

℣. 1.) Venit autem Dauid in Nobe ad Achimelech ſacerdotem; & obſtupuit Achimelech eò quòd veniſſet Dauid, & dixit ei quare tu ſolus, & nullus eſt tecum?

℣. 2.) Et ait Dauid ad Achimelech Sacerdotem: Rex præcepit mihi ſermonem, & dixit: Nemo ſciat rem propter quam miſſus es à me, & cuiuſmodi præcepta tibi dederim; nam & pueris condixi in illum & illum locum.

℣. 3.) Nunc ergo ſi quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quicquid inueneris.

℣. 4.) Et reſpondens ſacerdos ad Dauid ait illi; Non habeo laicos panes ad manum; ſed tantùm panem ſanctum; ſi mundi ſunt pueri, maximè à mulieribus?

℣. 5.) Et reſpondit Dauid ſacerdoti, & dixit ei; Equidem ſi de mulieribus agitur; continuimus nos ab heri & nudiuſtertius, quando egrediebamur, & fuerunt vaſa puerorum ſancta. Porrò via hæc polluta eſt; ſed & ipſa hodie ſanctificabitur in vaſis.

HISTORIA, quæ ſex primis verſibus continetur; à Chriſto Domino in Euangelio adducitur; vt ex illa Phariſæos redarguat, qui Apoſtolis ſpicas vellentibus calumniam violati Sabbathi intentauerant. Cùm autem in illa multa ſint, quæ per ſe difficultatem habent: tum verò longè plura; ſi cum iis quæ à Chriſto Domino de hoc Dauidis ad Achimelechum acceſſu dicuntur conferantur. Videntur enim in tota rei narratione & Euangeliſtæ ipſi inter ſe, & omnes ab iis quæ hoc loco referuntur non leuiter diſcrepare.

Primò enim ſolus hîc ad ſacerdotem Dauid acceſſiſſe dicitur. Chriſtus autem pueros illi comites attribuit: deinde ſacerdos apud Marcum Abiathar nuncupatur; qui hîc dicitur fuiſſe Achimelech: tum panes propoſitionis ante Arcam ſoliti collocari poſtulati, & accepti referuntur; cùm tamen Arca nulla tunc in Nobe eſſet. Denique non ſine culpa aliqua videtur Dauid hoc admiſiſſe, qui tamen ab omni culpa à Chriſto Domino in Euangeliis excuſatur. Vt ergo omnia plana reddantur, ſingula hæc nobis prius diſcutienda ſunt, quàm ad verborum explanationem accedamus.

Prima difficultas eſt quomodo hîc ſolus Dauid adiiſſe ſacerdotem dicatur, cui Chriſtus comitatum attribuit. [a] *Non legiſtis, inquit, quid fecerit Dauid quando eſuriit, & qui cum eo erant; quomodo intrauit in domum Dei, & panes propoſitionis comedit?* & apud Marcum. [b] *Nunquam legiſtis quid fecerit Dauid, quando neceſſitatem habuit, & eſuriit ipſe, & qui cum eo erant?* in Luca verò. [c] *Nec hoc legiſtis quod fecit Dauid cum eſuriiſſet ipſe, & qui cum illo erant?* At verò hoc loco Regum, ſolus & ſine comite Dauid deſcribitur. Achimelech enim illius ſolitudinem miratus. *Quare,* inquit, *tu ſolus, & nullus eſt tecum?* Lyranus putat vocem *ſolus* hoc loco excludere turbam quæ ſolet adeſſe, non autem omnes comites; quemadmodum etiam Regem dicimus ſolum incedere; cum paucis tantum comitatus incedit: ſolum enim dicimus; non ſtipatum ſolito comitatu. Non placet hoc Abulenſi: quia non tantùm dicitur Dauid *ſolus*; ſed adiungitur, & *nullum* cum illo fuiſſe. *Quare,* inquit, *tu ſolus, & nullus tecum?* Eſto igitur quod vox *ſolus* interpretationem illam admittat, non admittit quod ſequitur. Reſ-

a Matt.12.3.
b.Cap.2.25.
c Cap 6.3.

pondet ergo Caietanus in Hebræo eſſe, *quare tu ſolus, & vir non tecum?* quod non omnem comitatum excludit; ſed conſuetum militum, & inſigniorum virorum, quibus ſtipatus incedere ſolitus erat Dauid; vtpotè regius gener, & tribunus militum. Adiungit Lyranus vocem *nullus* qua vtitur noſter Interpres eandem quoque exceptionem admittere, quam vox *ſolus*. Dicimus enim nullum in foro eſſe cum pauci adſunt; reſpicientes ad multitudinem, qua ſolet illud frequentari; in coius comparatiooe cum pauci in foro ſunt nulli videntur eſſe. Sed hoc alij reiiciunt; quia cum Dauid à Ionatha diſceſſit ſolus erat: recta autem ab illo ad Achimelechum contendit; & rurſus ab eodem ſolus diſceſſit, & ſolus ad Regem Achis adiuit. At ſi omni modo ſolus, quomodo Chriſtus illi comites attribuit? Reſpondent Chriſtum locutum eſſe non ex opinione ſua, & veritate; ſed ſecundùm verba Dauidis, qui officioſo mendacio vſus cùm ſolus omnino eſſet: finxit tamen ſecum comites habere; ſibi alibi præſtolantes. Verùm iſti non ſolum Dauidem quod volunt; ſed & Chriſtum mendacem faciunt, quod maximè fugiunt. Nam apertè Chriſtus, & affirmatè loquitur; comites ſecum Dauidem habuiſſe, quibus etiam panes propoſitionis diſtribuerit; in quo potiſſimùm ſita eſt vis argumenti ad arguendos Phariſæos, & diſcipulos excuſandos.

Dicendum ergo eſt cum Abulenſi, quem ſequuntur Maldonatus,[d] Toletus[e] & *ſolum & cum comitatu* fuiſſe Dauidem: non eo tantùm, quòd *ſolus* ſignificet non ſolito more ſtipatum: ſed quod verè nullos ſecum habuerit, cùm Nobem ingreſſus eſt; habuerit autem ſibi præſtolantes aliquot extra vrbem duos vel tres; conſultò ibi relictos ne cuiquam ipſius aduentus in vrbe ſuboleret; quod non ſucceſſiſſet ſi ſecum alios traxiſſet. Facillimũ enim illi fuit ſoli ſine vllo comite, diſſimulato habitu in vrbem ingredi nullo aduertente; quam ſi comitatus adiiſſet aliorum ſine dubio in ſe oculos conuertiſſet. Et hoc illud eſt quod ipſe ſacerdoti dixit interroganti. *Pueris condixi in illum & illum locum.* Qui autem quærunt vnde hos comites habuerit, qui ſolus à Ionatha diſceſſerat; aut quomodo habuerit cum poſtmodum ſolus Regem Achis adierit: diſſimulant videlicet in re clariſſima; quaſi Dauid non potuerit ſtatim digreſſus à Ionatha ex ſuis aliquos accerſere; & ſecùm aliquandiu detentos iterum dimittere.

[d] in Matthæum.
[e] in Ioännem.

Secunda difficultas quomodo Achimelech hìc nuncupetur, qui apud Marcum dicitur Abiathar. *Non legiſtis* inquit Chriſtus apud Marcum.[f] *Quomodo Dauid introiuit in domum Dei ſub Abiathar Principe ſacerdotum, & panes propoſitionis manducauerit?* Nodus hic quomodo ſit ſoluendus magna eſt Interpretum diſſenſio: nobiliores autem ſententiæ tres.

[f] Cap. 2.

Prima eſt Achimelech fuiſſe ſimplicem ſacerdotem, quem primò allocutus ſit Dauid; Abiathar verò fuiſſe ſummum ſacerdotum Antiſtitem; maluiſſe autem Marcum notare ſacrorum principem, ſub quo id contigerit; hic verò ſignatum fuiſſe proximum ſacerdotem, quem Dauid adiuerit. Ita Theophilactus & Victor[g] Antiochenus & ante illos Euſebius.[h] Probabilis opinio; ſi vt bonis Authoribus nititur, nonnulla etiam ratione niteretur. Quomodo enim Achimelech ſimplex ſacerdos, qui pro Dauide Dominum conſuluit, qui panes illi propoſitionis concedit, qui gladium Goliæ tradit, quem Dauid de ſuo ſtatu edocet; quem denique Saul paulò poſt vt coniurationis conſcium & conſpirationis reum cum Dauide; ita de medio tollit, vt ipſius cauſa reliquos omnes interimat, & ciuitatem ipſam ſuccendat? An ſi ſimplex tantùm ſacerdos Dauidi conſenſiſſet; erat propterea crimen in omnes alios referendum?

[g] in Marcũ.
[h] Pſal 33. expoſit. tit.

Eſt ergo ſecunda ſententia Bedæ, Achimelech fuiſſe patrem; Abiathar filium; maluiſſe autem Marcum meminiſſe filij; quòd illic præſens adeſſet cum Dauid panes accepit, & poſtea ipſum ſecutus fuerit relicto patre; & deinde in ipſius locum ſuffectus ab eodem Dauide; patre & reliquis omnibus ſacerdotibus iuſſo Saulis internecione deletis. Nimis dura expoſitio. Quis enim ſummus ſacerdos erat, cum Dauid panes accepit; pater, an filius? Achimelech, an Abiathar? Non filius, vt ipſi concedunt & certa res eſt; ſi pater cur Marcus diſertè dicit Abiathar ſacrorum præſulem, quis paulò poſt factus eſt? extortum hoc nimis eſt.

Tertia igitur probabiliſſima ſententia eſt Achimelech, & Abiathar duo eſſe nomina eiuſdem viri, quorum vno illorum hoc loco deſignetur, altero apud Marcum. Ita idem Theophilactus, & Victor Antiochenus, & ante illos Theodorus Nicephorus.[i] Multos enim apud Hebræos fuiſſe binominos certa res eſt; talem autem hunc etiam ſacrorum præſulem fuiſſe neceſſe eſt affirmare, non ſolùm quòd ſic Marcus cum hoc Regum optimè conciliетur: ſed inde etiam quia Sadoch, & Abiathar alicubi,[k] dicuntur fuiſſe ſummi ſacerdotes tempore Dauid; & tamen alio in loco[l] dicuntur in diebus Dauid ſacerdotes Sadoch filius Achitob, & Achimelech filius Abiathar. Neceſſe eſt ergo vt Achimelech qui nunc appellatur fuerit ſimul etiam Abiathar: quando is qui ſacerdos fuit tempore Dauidis ſimul cum Sadoch alibi dicatur Abiathar, alibi Achimelech: Abiathar in locis citatis; Achimelech in ſequenti capite.

[i] Pſal. 33. in Catena.
[k] 1. Paralip. 15.
[l] 1. Paralip. 18. & 2. Reg. 8.

Tertia difficultas: ſi Arca non erat in Nobe, quomodo ibidem erant panes propoſitionis, inde appellati; quòd coram Domino in menſa ante Arcam collocata proponerentur? Reſpondet Maldonatus[m] fuiſſe in Nobe tabernaculum in quo de more panes proponebantur, licèt abeſſet Arca. Hoc quàm verum ſit valde dubito. Nam clarè dicitur in textu, dediſſe Achimelech Dauidi *panes, qui ſublati fuerant à facie Domini.* Certa autem res *faciem Domini* in Scripturis appellari Arcam ipſam; quòd ex illa, quaſi ex ore Domini reſponſa redderentur. Puto ergo in Nobe etiam fuiſſe Arcam; licèt non clarè tradatur, quando illuc, vel quomodo tranſlata fuerit: qua de re alibi plura.

[m] 12. Matt.

Quarta difficultas an Dauid peccauerit panes accipiendo, & vnde excuſetur ſi non peccauerit. Non peccaſſe certa res eſt. Chriſtus enim ab ipſius exemplo diſcipulos apud Phariſæos excuſat; quæ excuſatio nulla eſſet ſi Dauid peccaſſet panes comedendo. At cur non peccauerit difficultas aliqua eſt. Panes enim propoſitionis ſacri Deo erant; nec fas erat iis veſci, niſi diuino & ipſi cultui dedicato. Auguſtinus[n] videtur illum excuſare; quia dum panes illos accepit perſonam ſacerdotis figurauit. *Dauid*, inquit, *apertè Rex fuit, figurauit tamen ſacerdotis perſonam quando*

[n] 1. de Conſenſu Euang. Cap. 3.

panes

panes propoſitionis manducauit, quos non licebat manducare niſi ſolis ſacerdotibus. Idem repetit alibi. [o] *Cùm* inquit *Saul perſequeretur virum ſanctum Dauid, confugit Dauid vbi tutum putauit eſſe locum; tranſiens per ſacerdotem quendam Achimelech, accepit ab eo panes; vbi figurauit etiam perſonam non tantùm Regis, ſed etiam ſacerdotis; quia manducauit panes propoſitionis, quos non licebat niſi ſolis ſacerdotibus manducare; ſicut dicit Dominus in Euangelio.* Similia habet Hilarius in Matthæum [p] *Dauid* inquit *ſine criminis piaculo prophetat in lege vt ipſe cum cæteris panibus propoſitionis expletus ſit.* Nec diſſimilia habet Hieronymus. [q] *Dauid* inquit *non erat de ſacerdotibus; nec licebat ei comedere panes propoſitionis, ſed quia per ſingula creſcebat opera, & perſecutio Saul virtutum illius profectus erat; propterea in fuga ſua dum neſcit ſubitò antiſtes efficitur, & accipit panes propoſitionis, & non violat mandatum Dei.* Videntur ergo hi Patres omnes inde Dauidem excuſare; quia in eo quod fecit, myſterium aliquod figurabat. Quod ſi verum eſt: ergo neque etiam cùm Berſabeam violauit, cùm Vriam occidit peccaſſe dicendus eſt. Nam vtrunque factum, myſterium etiam aliquod continebat. Adde neque idoneam excuſationem inde afferri poſſe ad diſcipulos vindicandos apud Phariſæos. Si enim Dauid non peccauit panibus illis veſcendo quia perſonam ſacerdotis gerebat, quia myſterium aliquod figurabat; non propterea ſequebatur excuſandos Apoſtolos: niſi oſtenderetur illos cum myſterio ſimiliter id feciſſe, quod Phariſæi crimini dabant. Myſticè ergo locutos hos Patres cenſere debemus. Literalis autem & vera cauſa eſt quam alibi S. Auguſtinus tradit, non peccaſſe Dauidem; quia ad id deſcendit non voluntate, ſed neceſſitate compulſus. [r] *A ſacerdote* inquit *panem accepit, quem illi non licebat manducare; ſed excepta neceſſitate non licebat; licitum autem erat ſi neceſſitas exegiſſet.* Hinc autem optimè diſcipuli excuſabantur. Si enim Dauid licitè potuit ſacris panibus veſci, quod aliud non eſſet, quo ventrem expleret eſuriens: cur etiam licitum non eſſet diſcipulis ſpicas ſabbatho confricare, vt iis veſcerentur, cùm aliud non haberent? Tertullianus [ſ] inde etiam ductam excuſationem putat quòd Dauid Sabbatho panes poſtulauerit, & acceperit; quod Scriptura non tradit, & ſi traderet nihil ad excuſandum diſcipulos conferret. Nam idem non eſt panes Sabbatho accipere, & comedere; ac cibos præparare; vnde non licebat arguere hoc licere; quod illud licuiſſet.

a Pſal. 51.
p Cap. 52.
q Sophon. cap. 2.
r Quæſt. 62. ex vtroque teſtament.
ſ lib. 4. con. Marci. c. 14.

Et obſtupuit Achimelech.] Nouum enim erat Dauidem Regium generum inſigni ornatum præfectura militum; non niſi magna comitum turba ſtipatum incedere ſolitum, ſolum & inermem videre. Nam & ſine armis ſe Dauid ſacerdoti obtulit. Hoc ergo obſtupuit Achimelech In Hebræo ad verbum eſt. *Et tremuit Achitopel ad occurſũ Dauid.* quo ſignificatur improuiſus aduetus Dauidis; Itaut in illum ſacerdos prius incideret; quàm quidquam de illius aduetu præſenſiſſet.

Rex præcepit mihi ſermonem.] Sunt qui hoc loco nihil mentitum velint Dauidem, ſed perplexè tantùm locutum, & per ambages intellexiſſe quod non hoc tempore, ſed alio Saul ſibi expediendum mandaſſet. Ita Hieronym. in traditionibus, & alij: inde etiam hoc firmantes, quia Chriſtus Dominus in Euangelio factum hoc Dauidis ita in exemplum adducit, vt ab omni peccato excuſet: ſi autem Dauid panes quos poſtulabat mendacio impetraſſet; non ſine culpa aliqua id tranſegiſſet. Alij mentitum volunt, ſed negant peccaſſe; quia officiosè mentitus, & neceſſitate coactus, vt vitæ ſalutique ſuæ conſuleret. Ita Abulenſis cuius in hac re ſententia; tum in hoc Dauidis facto; tum in aliis ſimilibus, in quibus officioſa mendacia interueniunt, admittenda non eſt: vt pluribus à nobis [t] eſt diſputatum. Alij ergo probabilius putant mentitum quidem Dauidem, & ob id peccaſſe; ſed leuiter omnino, quod officiosè mentitus fuerit. Ita Dionyſ. Lyranus, Hugo, aliique recentiores vt Caietanus hîc, & Pineda. [u] Neque enim Chriſtus Dominus Dauidis factum probat, aut ab omni culpa excuſat, niſi qua parte panes propoſitionis neceſſitate compulſus poſtulauit, & impertauit, quod Apoſtolos neceſſitate item cogente ſpicas Sabbatho vellentes, & fricantes excuſabat. Cæterùm an Dauid in hoc, mendacio vſus, vel non vſus, Chriſto Domino nulla cura; nec ad id quod agebat quidquam intererat.

t Cap. 16. 1. Regum.
u lib. 1. c. 3. de Salom.

Sermonem.] Notiſſimus Hebraiſmus, quo *ſermo, & verbum* ponitur ad ſignificandum negotium, aut rem quamlibet expediendam.

Pueris condixi in illum & illum locum] Hoc ſermonis compendio frequenter Scriptura vtitur: cùm nobis aliquid ita narrat; vt tamen breuitatis ſtudio, aut alia de cauſa nomen reticeat, *rei, loci, perſonæ* de quibus loquitur: proprij vocabuli loco *talem & talem* ſiue *illum & illum* aut ſimilia pronomina vſurpans, quæ vicem proprij nominis habent quod tacetur. idiotiſmus eſt non ſolùm Hebræis; ſed Latinis; Græcis, & aliis quoque gentibus paſſim vſurpatus. Diuus Auguſtinus [x] Confeſſ. *Vanitates vanitatum antiquæ amicæ meæ ſuccutiebant veſtem meam carneam, & ſubmurmurabant dimittis ne nos? & à momento iſto non erimus tecum vltra in æternum? & à momento iſto non tibi licebit hoc, & hoc vltra in æternum? & quæ ſuggerebant in eo quod dicebant hoc & hoc, quæ ſuggerebant Deus meus? auertat ab anima ſerui tui miſericordia tua, quas ſordes ſuggerebant, quæ dedecora.* Vt enim refertur hîc dixiſſe Dauid *pueris condixi in illum, & illum locum.* Ita Diuus Auguſtinus ſuggeſſiſſe ſibi dicit vanitates ſuas, *& à momento iſto non tibi licebit hoc & hoc vltra in æternum?* Similiter Demoſtenes in oratione de corona contra Cteſiphontem refert medici neſcio cuius inſulſum dictum, qui dum funus caſu obuiam proſequeretur; illud identidem repetebat. *Si hoc & hoc hic homo feciſſet non moreretur.* Hebræi autem pro eo quod nos dicimus: *talem & talem*, aut *hoc & hoc*, ſiue *illum & illum* vtuntur duabus iſtis vocibus. פְּלֹנִי אַלְמֹנִי *Peloni Almoni* de quibus quid propriè ſignificent magna lis eſt inter recentiores Interpretes: vt videre licèt apud Ariam, Vatablum, Caietanum, Pagninum in Ruth. [y] Quin etiam inter ipſos Rabinos de earum ſignificatione contentiosè diſceptatur. Aliud enim cenſet Dauid Kimki, aliud Elias Germanus, aliud Rabbi Salomon, quos refert Delrio noſter in ſacris Adagiis [z] mihi autem placet illorum ſententia, qui volunt *Peloni Almoni* nihil certum ſignificare, licèt aliquam deriuationem habere poſſint: Idem autem valere quod aliquando apud Latinos pronomina illa. *Talis, & talis hoc & hoc.* Ita Rabbi Kimki, Vatablus, Pagninus, Serratius [a] Delrio loco citato, & alij. His porrò vocibus pro vocabolis rerum propriis Scriptura vtitur; cum de locis, perſonis,

x lib. 8. Conf. cap. 10.
y Cap. 1.
z Tomo 1. n. 172.
a in 4. Ruth. v. 1.

facto

facto aliquo, aut facti circunſtantia agitur. De locis hic. *Condixi* inquit *pueris in illum & illum locum*. Hebraicè *ad locum* פְּלֹנִי אַלְמֹנִי *Peloni Almoni* Vatablus *ad talem & talem locum*. Rurſus in

b Cap.9.v.8. quarto Regum. [b] *In loco illo & illo ponamus inſidias* Hebraicè *in loco Peloni Almoni*. Vatablus *in loco tali, & tali* vel *talis aut talis hominis*. Non eſt autem intelligendum vel quod locus ipſe appellaretur *Peloni Almoni* Hebraicè; aut *talis & talis* Latinè; vel quod Dauid appellauerit ipſum locum *talem & talem*: ſed per hoc quod narrat hiſtoria, ſignificat Dauidem nomen proprium indicaſſe loci de quo agebant ſacerdoti, quod tamen nomen ſic reticendo circumloquitur. De perſonis verò id etiam ſæpiùs occurrit. Diuus

c Matth. 26. Hieronymus [c] explicans illud Chriſti, *Ite in ciuitatem ad quendam.* hæc habet. *Morem veteris teſtamenti noua Scriptura confirmat: frequenter legimus; Dixit ille illi, & in loco illo & illo quod Hebraicè dicitur Peloni & Almoni: & tamen perſonarum locorumque non ponitur nomen* & in Ruth.

d Cap.4.1. [d] *Aſcendit Booz ad portam cùmque vidiſſet propinquum preterire, de quo prius ſermo habitus eſt, dixit ad eum declina pauliſper, & ſede hîc vocans eum nomine ſuo.* Hebraicè *vocans eum Peloni Almoni.* Pagninus. *Dicens illi tu talis & talis.* Similem porrò reticendi modum licèt etiam obſeruare; cum Scriptura non loca tantùm, & perſonas; ſed res etiam ipſas & facta circumloquitur. Huiuſmodi eſt formula illa frequentiſſimè in iuramentis vſurpata. *Hæc faciat mihi Deus, & hæc ad-*

e Cap.18.24 *dat* vt capite ſuperiori, & infrà. [e] *Et renunciauerunt ſerui Saul dicentes huiuſmodi verba locutus eſt Dauid.* Denique eodem modo facti etiam alicuius circunſtantias nobis Scriptura proponit eadem reticentia vtens. Nec aliud puto ſibi velle

f Cap 4.6. Ioannem [f] in iis verbis. *Ieſus ergo fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem.* Illud enim *ſic* non aliud ſignificat, quàm tali & tali modo ſediſſe Chriſtum, quem Euangeliſta non exprimit, ſed

g Gen.18.10 coniiciendum relinquit; quin etiam probabile puto, id quod Angelus Abrahamo dicit [g] ſic intelligi debere: *Reuertens* inquit *veniam ad te tempore iſto.* illud enim *tempore iſto.* certum tempus ſignificat ab Angelo ſignatum eo modo quo diximus.

Vel quinque panes da mihi.] Mirum cur hoc potiùs quàm aliud Dauid à ſummo ſacerdote poſtulauerit: vnde enim ſacrorum Præſuli panes ad manus? Propter hoc nonnulli, vt dixi, putarunt, non fuiſſe hunc Achimelech ſummum Antiſtitem; ſed ex minoribus ſacerdotibus aliquem; quod licèt omnino improbabile non ſit; non tamen ob hanc vnam coniecturam eſt aſſerendum. Nam Dauid quaſi furtiuè ſacerdoti, & ex improuiſo ſe ſiſtens; ſimul etiam indicauit aduentum ſuum quàm maximè fieri poſſet omnibus occultandum. Ea enim de cauſa ſolum ſe nullo comitante ad ipſum adiiſſe: Expediret ergo illi per ſe nullo alio conſcio, ſi quid ad manus haberet; quod ſibi & comitibus de via feſſis & anhelantibus vſui eſſet: De panibus autem propriè ſermonem iniecit; quod fortaſsè propè tabernaculum ſacerdotem offendiſſet: vbi panes ipſi, qui ante Deum collocandi erant prius parabantur; & quò alij ex conſpectu Domini ablati aſportaban-

h Cap.12.3. tur. Apud Matthæum [h] Chriſtus Dominus ſignificat Dauidem tabernaculum ipſum introgreſſum ſacerdoti nihil tale opinanti ſuperueniſſe. *Quomodo introiuit* inquit *in domum Domini & panes comedit, &c.* Panes ergo poſtulauit quia in tabernaculo nil poterat aliud eſſe niſi panes.

Si mundi ſunt pueri.] Si ſacris panibus veſci non poterant niſi ſacerdotes; cur nunc interrogat de pueris ſi mundi ſint; & cur de ipſis potiùs interrogat quàm de Dauide? Certè enim eadem neceſſitas, quæ non ſacerdoti licitum reddebat vſum ſacrorum panum; multò magis licitum reddere debebat quantumuis immundo, & non purificato. Fruſtra ergo ſacerdos hoc interrogauit. Nam vel neceſſitas ad id vrgebat aliqua; vel nulla: ſi nulla; non ergo quantumuis mundis & ſanctificatis poterat ille ſacros panes tradere comedendos: ſi aliqua; eadem ergo neceſſitas, quæ excuſabat non ſacerdotes excuſabat immundos. Fuere qui propter hoc dicerent panibus illis non ſolum ſacerdotes; ſed alios quoſque veſci potuiſſe; dummodo mundi forent: atque ob id nunc Achimelech interrogaſſe *num mundi eſſent pueri.* Sed hoc manifeſtè repugnat Chriſto Domino in Euangelio dicenti. [i] *Non legiſtis quid fecerit Dauid; quomodo intrauit in Domum Dei, & panes propoſitionis comedit, quos non licebat ei edere; neque his, qui cum eo erant niſi ſolis ſacerdotibus?* i Matt.12.3.
Ex quo Chriſti verbo per ſe ſatis claro, Patres omnes perſpicuè tradunt vſum ſacrorum panum ſacerdotum tantùm fuiſſe proprium. Sic Auguſtinus locis citatis & alij. [k] Cur ergo ſacerdos interrogat; num mundi ſint pueri, quaſi eo ipſo idonei; ſi mundi ſint? Vt quando Dauid & comites non habebant omnes conditiones requiſitas; vt licitè alioquin veſci ſacris panibus poſſent; ſaltem haberent quas poſſent. Quia ergo generalis, & communis conditio; vt quis *oblatis* ritè veſceretur erat mundum, & purificatum eſſe; hoc nunc illos interrogat: non quidem illis negaturus panes ſi non ſint; vt notant Comeſtor, Dionyſ. Lyranus Abulenſis, alij: ſed parabili aliqua luſtratione illos purificaturus; ſi immundi ſint: vt ſaltem quam maximè fieri poterat in præſenti, & prementi illa neceſſitate, non ſacri homines ritè ſacris oblationibus veſcerentur.

k *Hilarius in Matth. can.12. Ambroſ.in 6. Luc. Hieron. in Trad. Chryſ Beda, Euch. Iſidor. in hunc loc.*

At cur de pueris interrogat non de Dauid? Rectè Caietanus ſacerdotis in hoc erga Dauidem reuerentiam agnoſcit. cuius honori datum eſt, vt quod de illo obliquè exquirebatur de pueris diſertè interrogaretur.

Maximè à mulieribus.] Ex hoc loco Diuus Hieronymus [l] deducit neceſſitatem perpetuæ continentiæ etiam à propriis vxoribus in noſtris ſacerdotibus, qui Corpus Chriſti ſanctiſſimum quod panibus propoſitionis ſignificabatur conficiunt, ſumunt ipſi, aliiſque diſtribuunt. Quod ipſum ex hoc, & aliis locis obſeruant Siricius in Epiſtola ad Himerium, Innocentius primus in epiſtola ad Victorinum, Beda [m] & alij: [n] poſtquos Innocentius III. in ſermone coram Lateranenſi Concilio, vbi hæc habet. *In ſacris* inquit *ordinibus conſtituti, iam ex neceſſitate tenemur pudicitiam cuſtodire. Scriptum eſt enim de panum ſanctorum olim eſu non ſi quidem haberent fidem, ſpem, charitatem, reliquáſque virtutes; non ſi ſpiritum ſcientiæ, &c. ſed ſi mundi eſſent maximè à mulieribus panem ſanctum manducarent: quia panem ſanctum dignè manducare non poſſent; niſi qui mundi à congreſſu mulierum eſſent. Et* Clemens [o] Papa primus hæc de eodem argumento. *Vnde ſcis qui paſſim ſacrarij, aut ſanctuarij panes indignis impendis: vnde noſti ſi à mulieribus mundi ſint, quibus impendis?*

l *in cap.1. epiſt.1. ad Titum.*

m 1. Lucæ.

n *Innoc III. lib.2. de contemp. mun. 21.22.*

o *Epiſt. 2.*

Nam

Digitized by Google

Nam & Dauid ab Achimelech ſacerdote interrogatus; cum panes ſibi ad manducandum poſceret; ſi mundus eſſet à muliere, cum ſe mundum ante triduum confiteretur panes propoſitionis manducauit. Ad idem facit Hieronymus. [p] *Si panes* inquit *propoſitionis ab iis, qui vxores ſuas tetigerant comedi non poterant; quantò magis ille panis, qui de Cælo deſcendit non poteſt ab iis; qui coniugalibus paulò ante hæſere complexibus violari, atque contingi? non quod nuptias condemnemus, ſed quod eo tempore, quo carnes agni manducaturi ſumus vacare à carnalibus operibus debemus.* Cæterùm quod ad hunc locum propriè ſpectat videtur non leuem difficultatem habere de ſacerdotū continentia in veteri lege; ſi enim non niſi *oblatis* veſcendum illis erat: perpetuò ergo ab vxoribus abſtinere debebat: qua de re quia grauiorem controuerſiam continet, ſeorſim propria diſputatione nobis agendum erit.

p Relatus c. ſi panis, 1. 32. q. 4.

Si mundi ſunt.] Particula *ſi* poſita hoc loco videtur interrogatiuè pro *an* quem vſum nonnunquam etiam habet apud optimos Latinitatis Authores. Terentius in Haut. *Viſam ſi domi eſt.* Cicero de Diuinatione. [q] *Dicito ſi paſcuntur aues.* quo pacto vſurpata idem omnino valet, ac aliquando apud Italos noſtrum *ſe* quod interrogatiuè etiam ponitur pro *An* vt *vedrò ſe è in caſa, ſe li giouani ſono ſantificati.*

q Lib. 2.

Ab heri & nudiuſtertius.] Dupliciter modus hic loquendi vſurpatur in Sacris literis; propriè nimirum & quaſi prouerbialiter: quaſi prouerbialiter, vt notat Auguſtinus lib. de locut. in Geneſi ſignificat indefinitè tempus præteritum; ſicut cras tempus futurum vt ſupra diximus [r] & aliquando quidem idem valet quod iam dudum, & non nuper; vt in Exodo [ſ] 4. 10. *Obſecro Domine non ſum eloquens ab heri, & nudiuſtertius, ex quo locutus es ad ſeruum tuum.* Et 2. Regum [t] *tam heri quam nudiuſtertius quærebatis Dauid vt regnaret ſuper vos.* rurſuſque [u] *ſed & heri & nudiuſtertius cum eſſet Saul Rex ſuper nos.* Aliàs ponitur pro non ita pridem. [x] *Heri veniſti & hodie compelleris egredi.* & eſt in hanc ſignificationem frequenter vſurpata locutio ab Authoribus Græcis. Irenæus. [y] *Heri & nudiuſtertius quod dici ſolet.* Athenagoras in legatione. *quod heri & nudiuſtertius cœperim vt aiunt.* Vtitur etiam Plato [z] Ioſephus [a] & alij Græci. [b] Apud Latinos neſcio quid ſimile habetur: cum pro eo quod eſt non ita pridem vſurpatur *hodie atque heri* vt apud Catullum. Aliàs verò ponitur indefinitè pro *antea & prius.* & quod Itali dicimus. *Per il paſſato. Videntes* [c] *autem eum omnes, qui viderant eum heri, & nudiuſtertius,* & in Exodo. [d] *Quod ſi bos cornupeta fuerit ab heri & nudiuſtertius.*

r Cap. 18.
ſ Cap. 4. 10.
t Cap. 3. 17.
u Cap. 5. 2.
x 2. Reg. 16.
y lib. 1. c. 12.
z 3. de legib.
a 1. & 2. cont. Appion.
b Euſeb. lib. 3 hiſt. q. Naz. orat. cont. Eunom Soph. in Antiq. Alij apud Delrio, Adag 34.
c 1. Reg 10. 11.
d Cap. 21. 29

Fuerunt vaſa puerorum ſancta; porrò via hæc polluta eſt.] Horum verborum obſcuritas quanta ſemper omnibus expoſitoribus viſa fuerit teſtantur variæ & multiplices interpretationes hinc inde à diuerſis allatæ: quibus tamen adeò non eſt locus ipſe planior redditus; vt denſioribus etiam ex hoc capite tenebris ſit obuolutus. Quatuor diuerſas expoſitiones affert Abulenſis, totidem Dionyſius, duas Magiſter Hiſtoriæ, tres ex his omnibus vt probabiliores concinnat Pineda [e] noſter, ſuam deinde affert ſeorſim Clarius; ſuam Caietanus; ſuas etiam antiquiores Patres, vt Hieronym. Eucherius, Beda, Iſidorus, Rupertus, alij; qui eo etiam nomine difficultatem magis augent; quod myſtica inſerunt, & illa litteralem ſenſum quærentibus obijciunt: quem nos hoc loco maximè ſectantes rem totam meo iudicio, tum demum planam reddemus ſi ea diſtinxerimus, ad quæ tota difficultas reducitur, in huius ſententiæ intellectu. Ea autem hæc tria ſunt: *Vaſa puerorum. Via polluta. Via in vaſis ſanctificanda.* Quæ ſi clarè conſtiterit quid tandem ſingula ſignificent nihil admodum ſupererit de quo ſit magnopere ambigendum. Hoc ergo agamus à primo exorſi. *fuerunt* inquit *vaſa puerorum ſancta.* quid hoc loco vaſorum nomine Dauid intelligit? Petrus Comeſtor, Lyranus, Abulenſis, Dionyſius *Vaſa* interpretantur corpora puerorum: *in quibus* inquit Comeſtor *continentur animæ.* Quo autem exemplo vaſa pro corporibus hoc loco appellentur non oſtendunt. Non tamen improbabiliter omnino loquuntur. Nam apud Tertullianum ſæpius corpus, & caro noſtra vas, & vaſculum appellatur. libro de reſurrectione carnis. [f] *Vas* inquit *caro, & corpus noſtrum capacitatis nomine dictum eſt, qua animam capit, & continet; homo vero exterior de communione naturæ, &c.* Alij *vaſa* arma bellica puerorum intelligunt. Vt Theodoret. in hunc locum: ſed quorſum Dauid de armis reſpondeat, cùm ſacerdos de membrorum puritate interrogauerit? præterea quæ nunc arma loquitur Dauid, cum paulò poſt nulla ſe attuliſſe teſtetur? Vatablus ergo quem ſequitur Pineda noſter. *Vaſa* veſtes, & ſupellectilem viatoriam interpretatur. *Curauimus* inquit *more eorum, qui volunt itineri ſe committere veſtes ſeruorum noſtrorum ſanctificari.* Sed hoc ſcilicet interrogauerat ſacerdos, & de ſanctificatione veſtium ſollicitè inquiſiuerat: vt illi de veſtimentorum, & reliquæ ſupellectilis munditia deberet reſponderi. Percunctatus fuerat *de continentia maximè à mulieribus*: reſpondere ergo de puritate veſtium aliud nihil erat, quàm eludere interrogantem. Puto ergo cum Caietano. *Vaſorum* nomine hic honeſtè appellata membra, quæ non niſi inhoneſtè propriè appellari poſſunt. *Vaſa* inquit Caietanus *organa intelligit generationis.* In quam ſignificationem *Vaſis* nomen ſæpius in ſacris, & profanis literis vſurpatur, vt ab Apoſtolo. [g] *Vt ſciat vnuſquiſque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione.* Quem locum ſic adducit & legit Tertullianus. [h] *Hæc eſt voluntas Dei ſanctimonia veſtra; abſtinere vos à fornicatione ſcire vnumquemque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctimonia, & honore, non in libidine concupiſcentiæ ſicut nationes, quæ Deum ignorant.* De externis autem Scriptoribus teſtatur, & docet Lipſius illorum loca adducens [i] Plautus Penulo. *Facio quod manifeſti mœchi haud ferme ſolent; refero vaſa ſalua.* Deprehenſi enim illi plerumque ea corporis parte mulctabantur qua peccabant. Alia exempla ab eodem Lipſio peti poſſunt, ſimul & à Ioan. Baptiſta Pio. [k] Interrogatus ergo Dauid num ipſe, & pueri à mulieribus continuiſſent; reſpondet verecundè, ſimul, & apertè fuiſſe *ſancta ab vxoribus vaſa* puerorum. Deinde verò adiunxit. *Porrò via hæc polluta eſt* quod ſecundo loco erat diſcutiendum. Quam enim hîc *viam* intelligit? & quomodo *pollutam*? Hebræi apud Hieronymum in Traditionibus; quos ſequi videtur Petrus Comeſtor. *Viam* interrogationem ipſam Achimelech exponunt obſcurè ſatis, & extorrè ſic interpretantes. *Via hæc polluta eſt, id eſt tu laicaliter* (ita ipſi loquuntur) *& imperitè ſatis interrogas; Neque enim debes quærere de munditia, cum etiam ſi mundi eſſent veſci illis non liceret.* Alij vt Dionyſius *viam* interpre-

e lib. 1. de Salom. c. 3.
f Cap. 16.
g 1. ad Theſſal. 4.
h lib de pudicitia c. 17.
i li 1. Antiq. lect. c. 9.
k Annotat. poſt. c. 6.

interpretantur modum agendi Dauidis eum ſacerdote quaſi dicat; vaſa quidem ſancta ſunt à mulieribus; ſed tamen via, qua ad hos panes poſtulandos acceſſi, polluta eſt, quia cum mendacio acceſſi. Alij aliter. Mihi autem illi probantur, qui *viam* hanc ipſum Dauidis iter planiſſimè interpretantur: quod *pollutum* dicitur ideſt *profanum* ſiue *laicum*. Vt exponunt Hieronym. Theodor. Vatablus, Clarus, & alij: quia tantùm negotij profani cauſa ſuſceptum, & inſtitutum à Dauide fuerat; non verò ad aliquid ſacrum peragendum.

Tertiò denique adiungitur. *Sed & ipſa ſanctificabitur in vaſis*: quod quam variè exponatur in tam exiguo operæ pretio referre piget. Alij enim volunt, vt Dionyſius quod *via ipſa ſanctificabitur*, id eſt *culpa in via, & itinere contracta, tolletur; in vaſis, per contritionem ſcilicet, & continentiam puerorum*. Alij vt Hebræi apud Hieronymum, quos ſequitur Angelomus, intelligunt de comeſtione panum; quæ *ſanctificabitur in vaſis* id eſt mente puerorum, qui neceſſitate compulſi ad hunc eſum deſcendunt. Theodoretus obſcurè indicat ſanctificandam comeſtionem panum *in vaſis* id eſt *in vſu armorum*: quandoquidem ipſe bella Domini præliatur in Regem iam vnctus & Prophetam. Alij aliter. Ego exiſtimo planiſſimum ſenſum eſſe; quod etiamſi iter illud à ſe, & comitibus ſuis ſuſceptum fuerit, non ad aliquid ſacrum peragendum; ac propterea ſine vlla neceſſitate ſe continendi ab iis, quæ inquinare poterant, & legalem immunditiam conferre: nihilominus tamen ſumptis panibus erat *in vaſis ſanctificandum* id eſt vaſa puerorum erant ab omni immunditia cuſtodita, & cuſtodienda.

Totus ergo hic locus, qui tā variè torſit Interpretes ſic poteſt optimè explanari ex his quæ diximus. Nam interrogauerat ſacerdos; Num pueri caſti eſſent à mulieribus, reſpondet Dauid tres iam dies ab vxoribus omnes abſtinuiſſe: & licet via illa, & iter, quod inſtituerat *pollutum* ſiue *profanum*, *laicum*, & *commune* eſſet: nihilominus tamen & ſe, & pueros ab omni eo longè fuiſſe, quod inquinare poſſet. Cùm ergo ſacerdos de vno tantùm genere legalis munditiæ interrogaſſet; Dauid & de illo reſpondet, & præterea de aliis omnibus: De illo; cùm dicit intactos ſe à mulieribus fuiſſe: de aliis; cùm ſubdit. *Sanctificata* id eſt ſancta ſeruata vaſa *in via* licèt profana & laica.

Illud ergo *ſanctificabitur* accipi poteſt pro præterito, quæ enallage frequens eſt in Scripturis; vt docent Euſebius, Aſterius, Theodoretus,
l Pſal. 17. in catena. Didymus, Iſichius,[l] & norunt omnes, qui Hebraicè ſciunt, *ſanctificata autem via in vaſis*. Per inuerſionem ponitur pro eo quod eſt: *vaſa in via ipſa ſanctificata* & ſanctè cuſtodita & cuſto-
m Pſal. 32. 7. dienda. Sicut etiam dicitur alibi.[m] *Deus ponere in theſauris abyſſos*: pro eo quod eſt *theſauros in abyſſis*. Hanc noſtram interpretationem confirmant Arabes, qui, vt mihi teſtatus eſt Pater Hieronymus Florauantius noſter ſic locum iſtum Paraphraſticòs interpretantur.[1] *Nec quiſquam noſtrum contaminatus eſt effuſione ſeminis; aut aliquid aliud contigit vnde potuerit in via immunditiam aliquam legalem contrahere.*

℣. 6.) Dedit ergo ei ſacerdos ſanctificatum Panem: neque enim erat ibi panis, niſi tantùm panes propoſitionis, qui ſublati fuerant à facie Domini, vt ponerentur panes calidi.

℣. 7.) Erat autem ibi vir quidam de ſeruis Saul in die illa intus in tabernaculo Domini & nomen eius Doëg Idumæus potentiſſimus paſtorum Saul.

℣. 8.) Dixit autem Dauid ad Achimelech; ſi habes hîc ad manum haſtam, aut gladium? quia gladium meum, & arma mea non tuli mecum, ſermo enim Regis vrgebat.

℣. 9.) Et dixit ſacerdos ecce hîc gladius Goliath Philiſtæi, quem percuſſiſti in valle terebinthi, eſt inuolutus pallio poſt Ephod: ſi iſtum vis tollere, tolle: neque enim hîc eſt alius abſque eo. Et ait Dauid. Non eſt huic alter ſimilis, da mihi eum.

Neque enim erat ibi panis.] Hoc ponitur ad neceſſitatem ex vtraque parte probandam: nam Dauid fame, laboréque confectus, extremæ fermè opis indigus erat; neque ſpatium ſacerdoti dabat; vt famulos vel miniſtros vllos aduocaret, qui aliundè cibos conquirerent, & apportarent: ſacerdos verò ipſe nihil aliud obuium habebat, quod traderet præter ſanctos panes: illos ergo meritò tradidit. Aliter hanc neceſſitatem excuſant Hebræi apud Abulenſem: dicunt enim eo tempore in vrbe tota nullos alios fuiſſe panes præter ſacros; quod vnde coniiciant, aut ſomnient; deliret vigilans, qui referre ſtudeat.

Erat autem ibi de ſeruis Saul in tabernaculo Domini.] Ergo Dauid Aahimelechum allocutus eſt in tabernaculo Domini; quod hîc indicatur dum dicitur; ibidem vbi illi inter ſe iſta peragebant *fuiſſe etiam Doeg Idumæum*, & poſtea additur, *fuiſſe hunc in tabernaculo Domini*. Clarè autem à Chriſto Domino ſignificatur dum dicit. *Quomodo David intrauit in Domum Domini*: at quid n Matth. 12.
ibi rerum latitabat acturus Doëg? curioſum eſt id quærere, & inquiſitionis incertus exitus, & fructus exiguus: Alij ad adorandum veniſſe volunt; Alij ad legis doctrinam addiſcendam; alij votum aliquod perſoluturum; Alij denique in tabernaculo fortè aliquid agentem, viſo Dauide, quem Sauli inimicum ſciebat, data opera ſe occultaſſe; vt quid rerum ab illo ageretur obſeruaret, & ad Saulem referret, quod poſtmodum malignè fecit; vt in capite ſequenti narratur. Theodoretus[o] dicit Doëg iſtum malo dæmone, aut o Quæſt. 52. in 1. Reg.
alio morbo vexatum Dei tabernaculum adſediſſe morbi curandi cauſa: hoc colligit; quia in Hebræo ex LXX. habetur. *Et erat ibi detentus in tabernaculo Domini vir de Pueris Saul, &c.* illo verbo *detentionis* putat ſignificari *vim aliquam, & coactionem* vt ipſe loquitur, qua ad moram in ſacro loco trahendam adigeretur. Nos ex maligno ipſius animo certò aſſeuerare poſſumus nullius boni cauſa in loco illum ſacro ſubſtitiſſe.

Potentiſſimus paſtorum Saul.] De eodem dicitur capite ſequenti[q] *quod aſſiſtebat & erat primus in-* q verſ. 9.
ter ſeruos Saul. Quomodo ergo nunc inter paſtores & opiliones connumeratur? quorum qui maximus eſt; primus tamen inter alios aulicos non eſt? Caietanus ſequutus Lyranum & Hebræos *paſtorem* hîc intelligit *rectorem & moderatorem*

terem

torem populorum nimis coactè, & præter morem
literali ſenſui allegorias miſcendo. Ioſephus,
Curatorem regiarum mularum, appellat ſecutus
LXX. qui habent. *Nomen ei Doeg. Syrus paſcens*
r Pſalm. 51. *mulas Saul*. vnde Hilarius [r] dicit ipſum fuiſſe
præpoſitum mularum Saul. & deinde ſubdit. *quid
enim potentia habeat mularum cuſtos & ius in
animalia vectionis regiæ ſortitus*: hoc autem quæ-
rit Hilarius exponens cur Dauid in illo pſalmo
ad Doëg ſermone conuerſo illum potentem ap-
pellet, his verbis. *Quid gloriaris in malitia, qui
potens es in iniquitate*: incertum ergo ex his red-
ditur quod, & quale munus inter officia aulica
ſuſtineret hic Idumæus.

Duo dici poſſunt; vel fuiſſe præpoſitum regiis
redditibus, qui ex pecoribus ſacro ærario infere-
bantur, quod noſter Interpres indicat: vel certè
fuiſſe regij ſtabuli magiſtrum; quod Ioſeph,
LXX. Hilarius, & alij inſinuant: vtrauis autem
dignitate polleret, inter primos aulicos meritò
poterat recenſeri.

Idumæus.] Non genere, ſed habitatione, vel
aliqua alia de cauſa inde cognomen ſortitus, vt
f lib. 2. c. 2. dicemus [f] de Vria Ethæo.

Si habes haſtam vel gladium.] Mirum quomo-
do fraudem aliquam ſuſpicatus hic Achimelech
non fuerit; & vnde illi probabile fieri potuerit,
Regis generum, qui ſe dicebat à ſocero certa ad
negotia, & fortè ad expeditionem bellicam di-
miſſum; ſine armis vllis à Regia diſceſſiſſe. *Iuſ-
ſio*, inquit, *Regis vrgebat*; frigida excuſatio: num-
quid ergo vt Regi celeriùs obtemperaret, ea
omittere debebat, per quæ maximè eius mandata
erat expediturus? num vt citiùs diſcederet arma
relinquenda erant; ſine quibus id facturus non
erat, ad quod diſcedebat? quid ergo dicendum
hîc eſt? niſi ſacerdotem ipſa rei nouitate turba-
tum parum ſibi conſtitiſſe; & Dauidem etiam
variè animo æſtuantem, & mentiri neſcium, pa-
rum artificiosè mendacium concinnaſſe? ita
omnino eſt: ſeruilis ingenij proprium eſt menti-
ri, & degeneris animi, facilè mendacium in alie-
nis verbis ſuſpicari: propterea nec Achimelech
quicquam doli ſuſpicatus eſt in Dauidis verbis
latère: nec Dauid eum voluntatem fingendi ha-
beret, artem habuit mentiendi.

Eſt inuolutus pallio poſt Ephod.] Theodore-
t Pſalm. 33. tus, [t] *Dauid* inquit, *præter panem accepit arma
& enſem Goliæ, quæ tanquam opima ſpolia ex pu-
gna retulerat, & Deo conſecrauerat.* Euthymius
verò magis ex græca conſuetudine locutus *gla-
dium illum appenſum fuiſſe dicit vt anathema Do-
mino.* Quod enim Latinis erat *ſpolia referre, &
conſecrare*; hoc Græcis dicebatur *in anathema ſe-
parare* qua de re alibi.

℣. 10.) Surrexit itaque Dauid & fugit
in die illa à facie Saul & venit ad
Achis Regem Geth.

℣. 11.) Dixerúntque ſerui Achis ad
eum cum vidiſſent Dauid: numquid
non iſte eſt Dauid Rex terræ? nonne
huic cantabant per choros dicentes.
Percuſſit Saul mille, & Dauid decem
millia.

℣. 12.) Poſuit autem Dauid ſermones
iſtos in corde ſuo, & extimuit valde
à facie Achis Regis Geth.

Sopran. in Dauid.

℣. 13.) Et immutauit os ſuum coram
eis & collabebatur inter manus eo-
rum: & impingebat in oſtia portæ
defluebántque ſaliuæ eius in barbam.

Surrexit ergo.] Non quod ante ſederet; ſed vt
ſæpiùs monui; quia hac forma dicendi Scriptura
vti ſolet, cùm ingreſſum alicuius operis deſcri-
bit; vel cùm de eo ſermo eſt, qui ſe ad aliquid ex-
pediendum accingit & celeriter illud aggreditur:
valet ergo hoc loco idem quod *Confeſtim*.

Ad Achis Regem Geth.] Dubium hoc loco
eſt de huius Regis nomine: nam in titulo Pſal-
mi trigeſimi tertij, qui de hoc argumento conſ-
criptus eſt Abimelech appellatur. Sic enim ha-
bet. *Pſalmus ipſi Dauid quando mutauit faciem
ſuam coram Abimelech, & dimiſit eum, & abiit.*
Sunt qui Abimelech iſtum de quo in titulo, eun-
dem eſſe volunt, cum Achimelech ſacerdote: ita
olim Origenes, Euſebius, Cyrillus, Theodoretus
in catena græca: & ſi quis obiiciat ſacerdotem
hoc loco Regum appellari Achimelech: Reſ-
pondet Euſebius facilem eſſe duarum littera-
rum inter ſe mutationem propter ſimilitudi-
nem: nam *caph*, & *beth* ſimili omnino forma
deſcribuntur apud Hebræos, & nobis etiam fa-
cillimus tranſitus eſt, ab Achimelech ad Abime-
lech propter vtriuſque vocis ſimilitudinem. At
Dauid non immutauit faciem ſuam coram ſacer-
dote; ſed coram Rege quando furere ſe ſimulauit.
Reſpondet ibi Euſebius: quia alienum erat à
Dauidis moribus fraude & ſimulatione vti; id-
circo dictum eſſe, *coram ſacerdote mutaſſe fa-
ciem; quando cauſam illi aduentus ſui mentitus
eſt.* & addit: propterea Simmachum pro eo
quod nos habemus: *quando mutauit faciem ſuam*:
vertiſſe *quando mutauit mores ſuos*. Similia habet
Theodoretus: *mutaſſe*, inquit, *faciem dicitur; quia
ſolitos mores & candorem animi non ſeruauit.*

At communis ſententia aliorum eſt, titulum
pſalmi eſſe accipiendum de mutatione coram
Rege, non coram ſacerdote: ita Baſilius, Euthy-
mius, Nicephorus ex Græcis, Auguſtinus, Caſ-
ſiodorus, & Latini reliqui. At Rex non Abime-
lech ſed Achis hoc loco nuncupatur: Reſpon-
det optimè Baſilius, Paleſtinæ Reges vt pleroſ-
que alios Orientales duplici nomine appellatos;
altero cuiuſque proprio; altero communi cum
reliquis. Sic Reges Ægypti omnes Pharaones
appellabantur; Paleſtinæ verò omnes Abime-
lechi: ſic deinde apud Romanos omnes Cæſa-
res qui rerum potiebantur, & plerique etiam
Antonini dicti. Hic ergo & Abimelech & Achis
erat: Abimelech communi cum cæteris appel-
latione; Achis quaſi proprio cognomento. Moue-
re quempiam fortaſsè poſſet quod in Biblijs qui-
buſdam recenter emendatis authoritate Sixti V.
& Clementis VIII. in titulo pſalmi legatur non
Abimelech; ſed Achimelech; quod eſt nomen ſa-
cerdotis. Sed Cardinalis Bellarminus apertè fa-
tetur culpâ librariorum mendum irrepſiſſe: li-
cèt alij, vt Lorinus noſter, Achimelech quoque
appellatum velint Achis, compoſito vocabulo ex
אָכִישׁ *Achis*, & מֶלֶךְ *melech* quod Regem ſignificat;
ita vt *Achimelech* ſit idem quod *Achis Rex*.

Nonne iſte eſt Dauid Rex terræ.] Cur Regem
terræ Dauidem appellent incertum eſt: fortè
quia iam diuulgatum fuerat ipſum à Samuele
inunctum in Regem: forte etiam quia Saul ſuſ-

picionibus ſuis hanc apud alios opinionem aluerat de Dauide ad Regnum deſtinato. Caietanus putat nihil aliud per hoc, iſtos intellexiſſe; quàm quod poſtea ſubdunt; prælatum nimirum in triumpho Regi ſuo fuiſſe, choris canentibus percuſſos à Saule mille, & à Dauide decem millia.

Poſuit in corde ſuo.] De hoc modo loquendi, & quam vim & poteſtatem habeat apud He-

u lib. 1. c. 39. v. 19. bræos, ſusè expoſuimus. [u]

Et timuit valde.] Ex hoc loco apparet Dauidem diſſimulato habitu quaſi priuatum militem ad Achis adiiſſe, vt ſtipendium apud illum faceret; vel inter prætorianos milites vel inter alios quoſlibet ſtationarios recenſendus; cùm autem perſenſiſſet ſe iam deprehenſum & pro Dauide agnitum *timuit valde*; propterea quod Gethæos ipſe ingenti clade tunc afflixerat; cùm Golia illorum fortiſſimo interfecto reliqui terrore perculſi, fuſi, fugatique ſunt: timuit ergo meritò ne pœnas à ſe tantæ cladis repoſcerent, præteritámque calamitatem in ſe vno illius authore vlciſcerentur. Cur ergo (dicat quiſpiam) tam inconſultò Dauid hanc fugam arripuit; vt ad illos ſe conferret à quibus quam longiſſimè fugiendum erat? reſpondeo fugiſſe Dauidem ad alienigenas; quia in omnibus Iudææ terræ finibus inſidias ſibi, aut vim ab irato Rege meritò formidabat; potiùs autem ad Gethæos, quàm ad alios ſe contulit; quia ſperauit magis apud illos latere poſſe; nec agnoſcendum, quod ſibi perſuaſerat; quia alios Paleſtinos perpetuis ſemper expeditionibus fatigauerat, pluréſque ex illis non ita pridem prælijs contriuerat. At verò à Gethæis iam diu abſtinuerat, & Goliæ bellum multò antè præceſſerat; vt ſperare facilè poſſet non agnoſcendum ab illis ſe virum; qui ſemel tantùm olim adoleſcens, & imberbis, nullóque militari cultu & raptim conſpectus fuerat. Gethæos ergo potiùs quàm alios elegit, apud quos tutiùs latitaret.

Immutauit os ſuum coram eis.] Caietanus ex Hebræo legit. *Et mutauit ipſe ſaporem ſuum in oculis eorum.* Saporem autem *Prudentiam* interpretatur: *vt ſenſus ſit*, inquit, *mutaſſe ſapere ſuum in oculis eorum, id eſt in apparenti conſpectu illorum.* Quod hoc loco noſter Interpres vertit *os*: in titulo pſalmi 33. vbi idem verbum in Hebræo habetur; nempe *tagham* vertit *vultum.* Eſt autem *tagham* propriè guſtus: vnde Aquila, &

a Pſalm. 33. quinta editio apud Euſebium [x] habent: *quando mutauit guſtum ſuum ante faciem Abimelech.* Porrò guſtus ſpecimen eſt, & id quod ad aliquid probandum & explorandum delibatur, vt de reliquo iudicium fiat: quod Italicè etiam dicitur *il ſaggio & guſto*: quia autem maximè homines ex vultu, & totius oris ductu cognoſcuntur: ex veteri enim prouerbio. *Frons hominem præfert*: meritò etiam apud Hebræos *tagham os faciémque* ſignificat. Chaldæus pro *os* habet *cognitionem. Quando mutauit*, inquit, *cognitionem ſuam*: rectè; nam qui mutat ſibi os, id in ſe inuertit, per quod poteſt agnoſci; ad quod etiam mutationem iſtam oris Dauid aſſumpſit. Porrò quia ex modeſto oris habitu, de hominis moribus maximè pronunciatur. Symmachus, Theodoretus, Euſebius, & alij Græci pro eo quod nos legimus *vultum & os mutauit* ipſi vertunt. *Quando mutauit mores ſuos.* Quomodo autem mutauerit ſtatim ſubditur.

Et collabebatur inter manus eorum.] Ergo iam illi manus iniecerant. *Collabebatur* autem quia huc illuc caput iactabat; quod eſt fanaticorum proprium, & furentium. Lampridius in Elogabalo iactauit caput inter *præciſos fanaticos* & Vl-

pianus [y] *Si ſeruus*, inquit, *fanaticus non ſemper caput iactauit & aliqua profatus eſſet; an nihilominus ſanus videretur*: ex quibus conſtat omnia quæ tunc Dauid vſurpat ſigna fuiſſe inſanientis: y lib. 1. § 5. ff. de ædil. edicto.

cur autem inſaniam potiùs ſimulando; quàm quiduis aliud, periculum hoc effugere tentauerit; meritò quæri poteſt: nam ſi pro Dauide agnitus erat, ſine dubio vel tormentis & cruciatibus admotis poterant illi facilè perſonam detrahere; vel certè etiam de inſano pœnas ſumere, & ea ſaltem ratione tot ab eo acceptas clades vlciſci: ſed dicendum optimè ſibi Dauidem in re ſubita prouidiſſe: nam cùm illi inter ſe dubij hærerent num is Dauid eſſet: certò enim agnitum non fuiſſe indicant illa verba. *Nonne hic eſt Dauid*? nullum aliud habebat effugium, quàm vt ne planè agnoſceretur: ad hoc autem quid opportunius quàm ſpeciem illis hominis obijcere cum Dauidis ſtatu extremè pugnantis? talis erat ſpecies inſani & debacchantis. nam præterquam quod ea ratione os diſtorquebat, totum habitum corporis inuertere, & ſe vndique ſordibus poterat oblinere; vt nullum veri Dauidis veſtigium retineret; eo ipſo etiam quòd inſanus videbatur ſtatim aliorum cogitationem longiſſimè à Dauide auertebat. cui enim vnquam veniret in mentem, Dauidem, ſolum, inermem, incomitatum, furentem, in aliena terra bacchari & inſanire?

Quod hoc loco noſter habet *collabebatur* LXX. vertunt *affectabat.* quod Diuus Auguſtinus explicat *affectum in hos & illos ſimulabat*; vt inſani nimirum ridiculè ſolent, qui his arrident; aliis minantur; illis blandiuntur, quod ſine iactatione capitis non fit. Porrò quid hæc Dauidis inſania miſticè ſignificauerit; & hæc furoris argumenta, quæ ab illo produntur quatenus ad Chriſtum referri debeant in allegorico ſenſu

ſubtiliſſimè D. Auguſtinus [z] nec minore cum pietate proſequitur ex quo ad verbum eadem fermè deſcripſere Encherius, Angelomus, Iſidorus, Beda, Rupertus, Hugo, & alij, quos cuiuis obuium conſulere. z Pſalm. 33. Conc. 1.

Impingebat in oſtia portæ.] Caietanus ex Hebræo. *& deſignabat ſuper oſtia portæ.* Vatablus. *exarabátque vnguibus in valuis portarum.* ex quo aliqui ſuſpicantur legi in noſtra debere *pingebátque* pro *impingebat*: ſanè ſtultorum maximè proprium eſt digitis in parietibus ſcriptitare, & varias lineas ducere. Vnde vulgò iactari ſolet. *album terſumque parietem librum eſſe ſtultorum.* & Italis illud per prouerbium vſurpatur. *muraglia branca carta da matti.* Verùm non id hoc loco meo iudicio ſignificatur: ſed quod Dauid, vel capite, vel manibus & brachiis, & toto corpore ad oſtia impingebat, in illorum percuſſione tympana cum pulſa ſonant imitando; aut per illa etiam clauſa ſe inſinuare tentando; ridiculum ſe ea ratione omnibus præbens. Quid enim riſum magis moueat quàm videre quempiam ſerio id agentem; vt per clauſum oſtium ingrediatur; & quaſi apertum eſſet in ianuam ſe ferentem? hoc autem expreſſerunt LXX. qui habent *tympanizabat ad oſtia portæ.* & ita legit, & interpretatur Auguſtinus, apud quem totus hic locus ita habetur concione citata. *Affectabat & tympanizabat*

ad

ad oſtia porta, & ſaliua defluebant in barbam eius. Quæ lectio tota deſumpta eſt ex Septuaginta. Quod autem dicitur. *& ferebatur manibus ſuis:* *hoc* inquit Auguſtinus *putas quis intelligit? Quis enim portatur manibus ſuis? Manibus alterum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipſo Dauid ſecundùm litteram, non inuenimus; in Chriſto autem inuenimus. Ferebatur enim Chriſtus manibus ſuis; quando commendans ipſum corpus ſuum ait. hoc eſt corpus meum.* Hæc ille ſtudio allegoricæ expoſitionis longiùs euectus. Nam quis non videt *ferri manibus ſuis* eſſe pedibus manibuſque reptare? vel certè manibus tantùm ſubnixum calcibus in ſublime iactatis incedere more feratum? hoc autem totum non recuſauit Dauid prudenter ſtultus vt ſapientes eluderet, & inſortuuium vitaret. Nam

Stultitiam ſimulare loco ſapientia ſumma eſt.

℣. 14. Vidiſtis hominem inſanum: quare adduxiſtis eum ad me?

℣. 15. An deſunt nobis furioſi quòd introduxiſtis iſtum vt fureret me præſente? hiccine ingredietur domum meam?

V*idiſtis hominem inſanum.*] Hunc ante ſe adductum & tot ſigna inſanientis animi prodentem; Achis quemuis potiùs putauit eſſe, quàm Dauid. Itaque ſuos obiurgauit quod ipſi ſic inſanirent, vt inſanum & furentem hominem Dauidem eſſe indicarēt. Quod autem & Rex tam feriò ſtatim iuſſerit illum expelli; & famuli etiam tam citò obtemperauerint, fuit ex veteri ſuperſtitione antiquorum; quibus occurſus vel congreſſus furioſorum erat ominoſus; adeò, vt quantum poterant ipſos vitarent, & caſu obuios ominis auertendi gratia ſtatim expuerent. Theofraſtus in libro de ethicis caracteribus capite de ſuperſtitione. *Superſtitioſus eſt, qui ſi quem mente captum viderit, aut furioſum, aut comitiali morbo laborantem ſolet inhorreſcens in ſinum ſibi deſpuere.* huc etiam alludit Plautus in captiuis.

Hegio hic homo rabioſus habitus eſt in Aulide
Et illic iſti, qui ſputatur morbus interdum venit
Proinde tu ab iſthoc procul recede.

Similiter Varro in Eumenidibus

Apage in directum à Domo noſtra iſtam inſanitatem. propter hoc ergo, cum inſanum Dauidem & furioſum concepiſſet Achis diutius paſſus non eſt illum apud ſe commorari. Quod clariſſimè ſignificatur [22] in Pſalmo. *Quando immutauit vultum ſuum coram Abimelech & dimiſit eum.* Hieronymus *& expulit* eum vt ominoſum ſcilicet; & deſpuendum. Quod verò noſter habet hoc loco. *Vidiſtis hominem inſanum?* Auguſtinus legit. *Arreptitium.* Ioſephus *rabie percitum*; quorum aſpectus & occurſus multò magis erat apud antiquos inauſpicatus, & propterea Rex ſuos malè accipit quod ante ſe illum adduxiſſent, *vt fureret ſe præſente:* quaſi rem commiſiſſent piaculo dignam & procurandam. Morbum ergo illum ſimulauit Dauid quem omnes ex æquo auerſarentur; vt confeſtim dimiſſus ſpatium non haberent inter ſe conferendi aut alios aliunde aduocandi; vnde certò deprehenderent. 22 in titul. Pſal 33.

An deſunt nobis furioſi?] Feſtiuum caput: quod alij Principes & Dinaſtæ longiſſimè accerſunt; ipſe vltrò ſibi oblatum ridiculum motionem repudiat, eo nomine tantùm quod furioſi ſibi & inſani non deſint: nimirum cognoſcebat ipſe ſuos, & quo maximè genere hominum Regum Domus interdum abundent: & ſanè ita eſt; non ſolùm quod vbique *Stultorum infinitus eſt numerus*; & hoc genus frugis; quaſi herba irrigua vbique locorum ſine vllo cultu prouenit, ſponte ſuccreſcens: ſed etiam quia in Aulis ſi vſquam alibi hæc ſeges exuberat; vt meritò Reges & Principes ſæpè dicere poſſint. *Num deſunt nobis furioſi?* vel vt Lxx. *An indigens inſanis ego?* quod ſi qui ſunt, qui hoc dicere verè non poſſint, felices omnino ſunt.

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT XXII.

ARGVMENTVM.

TANDEM verò Dauid cùm nullam ſatis apud homines tutam ſibi ſtationem reperiret, ad ipſa ſe ferarum latibula recepit; ratus nimirum mitius ſe genus omne ferarum, quàm ſocerum experturum; & fieri fortaſſe poſſe vt eam humanitatem illæ induerent, quam erga ſe homines exuiſſent. Spelunca ergo ſe abdidit, cui nomen Odolla; quod cùm inter Iſraelitas fama vulgaſſet, magni ſtatim concurſus ad illum fieri cœperunt, eorum præſertim hominum qui in anguſtiis rerum ſuarum conſtituti, quiduis potius quàm præſentem ſtatum perpeti parati erant iis igitur ſe ducem non abnuens, operam ſuam ſuorúmque ſimul Moabitis offert; apud quos tantiſper diuerſatus, iubetur à Deo iterum Iudæam terram repetere. Quod cùm Sauli nunciatum eſſet, maiori apparatu omnibus illum perſequi veſtigiis eſt aggreſſus: interim tamen cùm audiuiſſet Dauidem in Vrbe Noba receptum, cum Achimelecho congreſſum, commeatu ab illo & armis inſtructum diſceſſiſſe, fœdus ſecreto initum inter ſacerdotes, & Dauidem ſuſpicatus, omnes illico ad internecionem deleri mandat: quod cùm alij facere detrectarent, Doëg Idumæus, qui indicium ad Regem detulerat, cruentum miniſterium eſt executus. Ergo ob vnius viri inſanas ſuſpiciones integra Ciuitas ferro flammáque vaſtata, & in ea ſacerdotale fermè genus extinctum documento fuit illorum maximè crudelitatem timendam eſſe, qui in imperio conſtituti temerè cuncta timent & ſuſpicantur.

℣. 1.) Abiit ergo Dauid inde, & fugit in ſpeluncam Odollam. Quod cùm audiſſent fratres eius & omnis domus patris eius deſcenderunt ad eum illuc.

℣. 2.) Et conuenerunt ad eum omnes, qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo, & factus eſt eorum princeps, fuerúntque cum eo quaſi quadringenti viri.

℣. 3.) Et profectus eſt Dauid inde in Maſpha, quæ eſt Moab & dixit ad Regem Moab. Maneat oro pater meus & mater mea vobiſcum, donec ſciam quid faciat mihi Deus.

℣. 4) Et reliquit eos ante faciem Regis Moab: manſerúntq; apud eum cunctis diebus; quibus Dauid fuit in præſidio.

℣. 5.) Dixitque Gad Propheta ad Dauid: noli manere in præſidio: proficiſcere vade in terram Iuda, & profectus eſt Dauid, & venit in ſaltum Areth.

IN *ſpeluncam Odollam.*] Ex terra hoſtili, in qua extremum penè vitæ diſcrimen inciderat, reuerſus eſt Dauid in terram Iuda: ex qua tamen vt liberum ſibi eſſet iter in exteras regiones; ſi quando Saul de ipſius aduentu certior effectus contra illum moueret; elegit vbi lateret loca non ſolùm tuta; ſed in ipſis fermè terræ Iudææ finibus conſtituta. Inde enim facilè poterat omnem in partem euadere & è Saulis ditione, in alias ſe recipere. talis autem erat ſpelunca iſta quam nunc adiit, locus natura tutus & munitus prope vrbem Odollam in tribu Iuda, de qua apud Ioſue [a] & alibi. Habuit autem eundem fermè vſum ſpelunca iſta tempore Chriſtianorum: cùm enim Turcæ vicina loca populabundi ſæpiùs circumcurſarent, fugientes inde habitatores cum vxoribus, liberis, & armentis in hanc ſe ſpeluncam ſubinde recipiebant; vt author eſt Gulielmus Tyrius [b] de bello ſacro.

Deſcenderunt ad eum illuc.] veriſimile eſt Saulem, qui in Dauidis odium ſacerdotibus non pepercit; nihil mitius in eos gerere voluiſſe, qui eſſent illi ſanguine aut affinitate coniuncti. Itaq; cùm ſcirent Dauidis cognati à Saule ſibi exitium paratum; vel certè non temerè id ſuſpicarentur; conſulere ſibi decreuiſſe credibile eſt, & fuga infortunium auertere, quod à cruento Rege timebant. Quin illud etiam affirmauerim; Dauidem iterum in terram Iudæam rediiſſe; vt ſuos ad ſe euocaret, exciperet, & locaret in tuto. Sanè affligi iam & vexari cœptam totam Dauidis cognationem in ipſius odium hîc omnes agnoſcunt, Lyranus, Hugo, Abulenſis, Dionyſius, Caietanus, Vatablus, quam vexationem vt fugerent, & grauiora; quæ non ſine cauſa timebant, conſilium hoc fugæ arripuiſſe.

Et conuenerunt ad eum omnes.] multa hîc ſunt quæ dubitationem non leuem habere poſſunt. Qui iſti fuerint, ad quid conuenerint; quo iure à Dauide recepti; quomodo habiti; & quem exitum ſortiti. De primo tria genera hominum Scriptura recenſet: in anguſtia conſtitutos: oppreſſos ære alieno: amaro animo. Dicamus de ſingulis. *In anguſtia conſtituti* intelliguntur vel quacunque oppreſſi calamitate; quaſi in vniuerſum Scriptura poſuerit, quod deinde per partes expoſuit; vel certè *in anguſtia conſtituti* ſunt inopes qui propriè latinè dicuntur anguſtia rei familiaris laborare. vnde ille [c].

Haud

[a] Ioſu. 12. & 15. 1. Paral. 11. lib. 2. Paral. 11. Mich. 1. 2. Machab. 12.

[b] lib. 15. c. 6.

[c] Iuuen. Sat. 3. v. 165.

Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi.

LXX. habent quod boc confirmat. *Conuenerunt ad eum, qui in neceſſitate.* Ergo primo loco ad Dauidem confluxerunt inopia preſſi, quibus vel nunquam lautior res fuerat; vel ſi fuerat, in anguſtias redacta erat: hoc genere hominum nullum eſt audacius. Nihil enim eſt quod tentare non audeant, qui nihil habent quod magnopere eos amiſiſſe pœniteat, ſi in conatu cadant: nullum eſt ergo facinus, quod expaueſcant; nullum ſcelus exhorrent, ad quodlibet impelli faciles, in omnem euentum melioris fortunæ intenti, & ad autam cuiuſlibet vel tenuiſſimæ ſpei ſublati, & penduli. Tales fuerunt illi, quos Abimelech ſibi conduxit, vt per illos in fratres patricidium pa-
d Iud. 9. 4. traret. *Dederunt* inquit [d] *illi ſeptuaginta pondera argenti, qui conduxit ſibi ex eo viros inopes, & vagos:* qui enim hîc dicuntur *inopes* iidem ſunt qui *in anguſtia conſtituti.* ſimiliter qui ad Iephte à ſuis profugum confluxerunt, dicuntur fuiſſe *inopes*, & quod hinc ſequi ſolet, *latrocinantes congregatique*
e Iudic. 11. 4 *ſunt* inquit [e] *ad eum viri inopes & latrocinantes.*

Addit Scriptura *oppreſſos ære alieno.* quo verbo latiniſſimè noſter expreſſit quod eſt in Hebræo. *& omnis vir cui mutuator.* vel quod eſt generalius. *cui erat creditor.* Quod Beda, hæc allegoricè explanans reſtringit ad eos, quos fœnorum vſuræ multiplicatis acceſſibus enecabant. Quales autem iſti ſint, & ſoleant eſſe; vel ex eo conſtare poteſt quòd res nulla publica fermè vnquam turbata ſit; quin iſti potiſſimam ſemper cauſam turbationis attulerint; vt paulò poſt videbimus.

Tertiò denique adiungitur. *viri amaro animo.* Erant iſti, qui præſenti rerom ſtatu non contenti ad noua adſpirabant. Alij legunt. *& omnis vir amarus animo;* malè nimirum in Saulem, vel Regnum ipſius, aut alios quoſcunque animatus: complectitur autem hæc amaritudo dolorem, & animi mœſtitiam ex iniuria accepta, aut quam quis accepiſſe ſe putat; & ex illa triſtitia odium, & rabiem in eum, à quo læſum ſe ſenſit; tum iracundiæ & vindictæ ardorem: vnde alij vertunt. *triſti animo.* alij *irato.* quæ omnia in idem recidunt. Tales ergo ſe ad Dauidem, & bos ille recepit: ſed quo iure, & quam rectè videamus. Primò enim omnes iſti nihil aliud erant niſi ipſa ſentina populi Iudaici: homines in nullum non ſcelus & præcipites & parati. Quale ergo crimen erat, ſingulos non ſolùm fouere, ſuſtentare, erigere: ſed in vnum etiam omnes cogere; iiſque ſe comitem non ſolùm adiungere, ſed Ducem præbere? & tamen Dauid ille eſt, qui toties
f Pſalm. 25. 5 prædicat, *odiſſe* [f] *ſe Eccleſias malignantium & cœtus hominum improborum: lauiſſe verò ſemper inter innocentes manus ſuas.* quod eſt cum illis aſſiduè verſari conſueuiſſe. Secundò: eſto non fuerint iſti ſcelerati & improbi; at certè in tanto ære alieno erant; vt illo fermè oppreſſi vadimonia alij, alij publica iudicia deſeruerint. Quæ ergo ratio iſtis ſe ſocium date; & aduerſùs miſeros creditores; vel aduerſùs publicas leges tutandos ſuſcipere?

Multa ſunt quæ dici poſſunt. primò hos omnes quamuis miſeros; non tamen flagitioſos fuiſſe: neque enim eo ipſo quòd quis facultatibus non abundat, & inopia premitur ſtatim etiam improbum eſſe neceſſe eſt: quin potiùs magna ſcelera non niſi magnas diuitias comitantur: vnde ſi ad Dauidem primùm ſe inopes adiunxere & in rei familiaris anguſtia conſtituti; non propterea facinoroſos ipſi adhæſiſſe dicendum eſt: neque item omnes, qui in ære alieno conſtituti, quod ſoluendo non ſint ſolum vertunt, vt ſe à creditorum eximant importunitate, ſtatim inter perditos & facinoroſos ciues cenſendi ſunt: nam quid agant qui aliter fidem ſuam liberare non poſſunt; & ab aliis quod acceperint repræſentare? at apud omnes malè ſemper audit hoc vtrumque genus hominum; inopum nimirum & obæratorum: fateor & negari non poteſt; non tamen quòd omnes tales ſint, ſed quòd plerique: at vadimonia deſerere, iudicia fugere, creditores eludere turpe flagitium eſt; non ergo decebat Dauid cum iſtis ſocietatem inire, illiſque præſidio eſſe; ne creditoribus ſoluerent quod debebant. Ad hoc alij aliter. Lyranus dicit hoc iure ſuo potuiſſe Dauidem quòd iam Rex eſſet conſtitutus: poſſe enim Regem tutum aliquem à creditoribus præſtare, ſolutionémque differre. Non placet hoc Abulenſi & Dionyſio, & meritò: licèt enim Rex tunc eſſet Dauid; erat tamen tantùm ſecretò inunctus; non publicè creatus: ergo quaſi Conſul deſignatus; nullam adhuc adminiſtrationem habebat; ac proinde nihil poterat iure decernere. Meliùs Caietanus reſpondet; qui in ære alieno ſunt; ſi bonis cedant ſuis, nihil eſſe quod iam ab ipſis creditores repetere poſſint, hoc autem feciſſe, qui ad Dauidem confugerunt; ideò & illis potuiſſe Dauidem ſe ducem præbere, & mutua ope iuuandos ſuſcipere; ne à quoquam iniuſtè vexarentur.

Cæterùm ſiue iſti calamitoſi tantùm & miſeri fuerint; ſiue cum miſeria & rerum externarum inopia morum quoque improbitatem coniunctam habuerint; certa res eſt Dauidem cùm illos admiſit, non peccaſſe quod non ſolùm vult Pelagius Papa in epiſt. ad Benignum [g], ſed exem- g Cap. omnis 7. 9. 1.
plo illius docet grauiſſimè peccare illos, qui afflictos & ab aliis vexatos non recipiunt & fouent, cùm ad ipſos confugiunt. *Omnis* inquit *qui gemebat, & vexabatur à Saule fugiebat & veniebat ad Dauid: ſi Rex piiſſimus atque mitiſſimus Dauid ſciret peccatum eſſe fugientes perſecutionem, tranſeuntes de loco ad locum, & de Ciuitate ad Ciuitatem recipere, tales nequaquam reciperet, nec ſecum teneret.* Non peccauit ergo Dauid iſtos admittendo: quia ſi quid ipſi fugiendo peccarunt; non ipſis author fuit vt fugerent; ſed ſponte ſua profugos non reiecit: nec illos dum apud ſe habuit, vel impulit vlla ratione, vel iuuit in quo peccabant, ſi quid peccabant; ſed certos iam & deſtinatos fugæ admiſit hactenus, vt illis adiutus, ſibi illatas iniurias propulſaret. At facinoroſi omnes & flagitioſi erant; à quorum conſuetudine Dauid maximè ſe abhorrere ſemper profeſſus eſt, & alios exemplo ſuo monuit, vt abhorrerent. Eſto: improbi fuerint quando ad Dauidem acceſſerunt; ſed qui non bonos accepit, ſtuduit quantum potuit bonos facere, & ad bonam frugem reducere: licèt enim boni viri non ſit cum malis agere à quibus ipſe non bonus reddatur; boni tamen viri eſt cum improbis verſari, quos velit & poſſit operâ ſuâ bonos reddere: talis erat Dauid; nec aliter iſtos admiſit, aut deinceps habuit, quàm vt bonos planè aut meliores efficeret, vt mox videbimus.

Tertio loco quærebatur quorſum iſti ad Dauidem

[e] *Sopron. in Dauid.*

uidem veneriut; quod longam diſputarionem non habet: nam res ipſa loquitur, veniſſe mutua vt ope Dauidem iuuarent, & iuuarentur; vt eſſent ipſi Dauidi præſidio, & ab illo viciſſim protegerentur. qui enim bonis omnibus ceſſerant creditoribus, ſaltem vt ſpiritum liberum ducerent illuc ſe receperunt, & lucis huius vſura procul ab ipſorum vexatione fruerentur; alij autem vt honeſta ratione ſibi ſubſidium vitæ pararent? quod ſi qoidam eorum vt prædas agerent, latrociniis locupletarentur, liberiùs viuerent legibus ſoluti, conuenerunt, ij audito Dauid aliam mentem, alios ſtatim mores induerunt; ita enim illos excipiebat; vt primum omuiom illud ſingulorũ auribus inſonaret [h]. *Diſcedite à me omnes qui operamini iniqitatem; vt exaudiat Dominus vocem fletus mei.* Quomodo ergo eos habuit, aut quam viuendi cum illis inſtituit rationem?

h Pſal. 21. 12.

Hoc erat quarto loco propoſitum; quod nunc expediendum eſt. Mihi itaque mirificè Caietani ſententia placet, qui in ſua explanatione Pſalmorum exiſtimat Pſalmum 33. qui incipit. *Benedicam Dominum in omni tempore.* fuiſſe concionem quandam & orationem paræneticam, quam Dauid mox vt ab Achis in ſpeluncam illam ſe contulit ad iſtos habuit, qui ad ſe confluebant; hoc enim indicatur in titulo illius pſalmi, qui ſic habet. *Pſalmus Dauid cum immutauit vultum ſuum coram Abimelech, & dimiſit eum, & abiit.* ex hac enim inſcriptione intelligimus hunc pſalmum ab illo poſt eſſe conſcriptum, quàm dimiſſus & eiectus diſceſſit ab Achis, & in tutum ſe recepit? at diſcedens rectà ad ſpeluncam contendit, quo, ad ipſum copiæ iſtæ malè compoſitæ confluxerunt. Veriſimile ergo eſt Dauidem, cuius ingenium ab hominum facinoroſorum contuberulo adeò erat alienum, ſimul atque iſtos vidit expauiſſe, & vicem ſuam ſecum deploraſſe, qui tales recipere, & cum talibus viuere cogeretur: neque enim ignorabat; vt iſti nullo adhuc ſcelere manus commaculaſſent; ad quodlibet tamen flagitium paratos eſſe. Itaque primum omnium putauit illis leges proponendas, quibus ſi ſecum viuere vellent, eſſe vtendum: in primis verò quia exiſtimare ex moribus ſuis poterant Dauidem tot vndique calamitatibus oppreſſum, indignationis, furoriſque plenum nihil aliud niſi cædes, rapinas, ſanguinem ſpirare; Deique memoriam prorſus abieciſſe, ab hoc exorſus eſt, & ſe in hoc ſuo calamitoſo tempore non ſolùm Dei memoriam coluiſſe teſtatur; ſed inſuper ei gratias egiſſe ſemper & acturum eſſe, illo principio vſus. *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo: in Domino laudabitur anima mea.* iuxta hæc autem totus deinde pſalmus contexitur; appoſitè ad mores & conditionem eorum, quibus inſtituendis parabatur: nam quia erant omnes inopes, vexati, afflicti, quid ſit illis, & à quo ſperandum demonſtrat. *Timete Dominum omnes ſancti eius; quoniam nihil deeſt timentibus eum.* quia erant omnes oppreſſi, animoque deiecti nihil ab hominibus timendum eſſe denuntiat. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum & eripiet eos.* quia erant omnes malè in Saulem & alios animati; quos cum aliter vlciſci non poſſent dictis ſaltem & verbis lacerabant: propterea ſic illos inſtruit. *Quis eſt homo qui vult vitam diligit dies videre bonos? prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Denique quia plerique eorum animum deſponderant; quod Dauidem offendiſſent pari propè rerum inopia oppreſſum, & ab omni armorum præſidio deſtitutum; ſpeluncam inſuper ad latebram delegiſſe, in qua poterant facilè omnes circumueniri & opprimi: propterea ſic illos erigit. *Multæ tribulationes Iuſtorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus. Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, vnum ex his non conteretur; Redimet Dominus animas ſeruorum ſuorum: Non deficient omnes qui ſperant in eo.*

Ergo ex hoc toto pſalmo, ſic exiſtimare non improbabiliter poſſumus Dauidem ſuos iſtos malè ſartos manipulos allocutum.

Ille ego Dauid, fortiſſimi milites, qui pridem beatus habebar, & ab omnibus prædicabar; nunc rerum omnium inopia preſſus, patrio ſolo extorris, vndique poſtulatus ad necem, vix liberum Cælum habeo ad reſpirandum: non tamen propterea Numinis vlla me cepit obliuio, aut Numen mei: Deus Patris mei, & cordis mei nunquam mihi ante oculos non obuerſatur: ſiue ſecundis rebus affluam; ſiue aſperis premar. *benedixi ſemper illi in omni meo tempore, & benedicam.* ſiue ſerenus affulgeat, & benignus aſpiciat. *laudabo eum.* ſiue turbidus inſtet, *laudabo eum.* mollium auicularum eſt tantùm albente Cælo, canore muſico aëra mulcere; quæ ſimul ac horrida tempeſtas ingruerit dilabuntur: non tales nos, qui filij Sanctorum ſumus; & ſi aliter alij animati ſint; non ego ſim. *Semper laus Dei mei, in ore meo.* nec vnquam vllis tempeſtatibus à diuinis eius laudibus ceſſabo. Audite ergo hæc Commilitones; audite *manſueti* iam, & mites effecti, depoſita priùs animi illa feritate, quam erga hoſtes quiſque ſuos indueratis. *Audite & mecum Dominum magnificate.* & ſimul omnes diuinum eius Numen celebremus. At difficile eſt animo mœrenti lætas voces edere: quin ergo omnes ad hunc acceditis? ad hunc inquam ſolem, cuius ex aſpectu mœrore omni deterſo deiecti animi nebulæ ſerenentur? Nihil eſt, mihi credite, quod timere poſſimus, ſi hanc arcem tenuerimus. *Accedite ergo ad eum, & illuminamini, & facies veſtra non confundentur.* Quod ſi quiſquam tacitè ſecum reputans quot vndique periculis vrgeamur; quibus hoſtibus obſideamur; quantos furentis Regis impetus expectemus; quàm exiguis præſidiis inſtructi ſimus: ſi quis inquam hæc conſiderans animum deſpondeat; conſideret ille viciſſim habere nos cæleſtes & aëreos propuguatores, *quos in circuitu timentium ſe* Deus locare ſolet; vt illos non ſolùm tutos ab hoſtibus præſtet; ſed eorundem etiam victores efficiat. Nemo tamen ſit qui hoc ſperet niſi Pietatis cultor, & ſanctæ ipſius legis ſeuerus cuſtos. *Venite ergo, milites fortiſſimi, audite me, & hunc Domini timorem docebo vos.* Si quiſquam veſtrum eſt, *qui cupiat dies videre bonos*; qui ſeriò præſentium pertæſus finem tandem aliquem tantis laboribus optet, cœtum ille noſtrum ne deſerat; has tamen ſibi leges indictas ſciat. *prohibeat linguam à malo; nec loquantur labia eius dolum.* nolo ego comites, qui lingua mihi pro gladiis vtantur, qui grauius verbis quàm ferro vulnerent: proinde ſiue quis ſe læſum ab Rege; ſiue ab alio puter

maledictis

maledictis in abſentes abſtineat. Nam monere vt malefacta ſibi quiſque cauenda putet; vt nemini vis vlla fiat; iniuria vt vlla vel leuiſſima cuiquam non inferatur, ſuperuacaneum duco: fruſtra enim ſit linguam innocentem exigere; ſi manus fuerint indigno aliquo facinore contaminatæ. Me omnes noſtis & mores meos, is ſum qui ſemper fui; nullum vt omnino ſcelus pati poſſim: proinde certò vnuſquiſque exiſtimet dum mecum erit, *diuertendum ſibi eſſe ab omni malo, & bona omnia conſectanda.* in primis verò *pacem ſequendam.* pacem inquam; vt quantum fieri poteſt truculentos & ſæuiſſimos hoſtes mitigemus; omnia priùs tentantes; quàm cognato ſanguine dexteras imbuamus. Nullus ergo ſit inter nos contentioſus, & turbidus; nullus qui in abſentes Commilitonum animos exaſperet; nullus, qui præſentium gratiam reſcindat; ſed omnes certatim *pacem inquiramus & perſequamur*, lenitatem & manſuetudinem animi alter aduerſùs alterum colentes. Hoc ſi præſtemus; tum verò diuini ſuper nos oculi fulgebunt, erúntque aures eius *in preces noſtras intenta*; vt nos ex omnibus his calamitatibus eripiat. At verò ſuper hoſtes noſtros, grauiſſima diuini vultus indignatio deſæuiet; *vt perdat de terra memoriam eorum.* Agite ergo, Milites, ſumite ſpiritus dignos Deo, cui fiditis, & quem Ducem ſequimini. nam Dux ego veſter non aliter ſum; quàm illius vices gerens, ille vobis reſpiciendus eſt, illius ductus, illius auſpicia ſequenda; cum bona ſpe fore; vt in gentibus nunc vndique calamitatibus obſeſſi, breui ab his omnibus erepti bonorum omnium beata quadam copia perfruamur. Et fallor? an ita certò futurum Deus nobis annuit? non fallor: annuit: *Et redimet Dominus animas ſeruorum ſuorum; nec vllus deficiet eorum, qui ſperant in eo.*

Hac ergo oratione exceptos Dauid, qui ad ſe confugerant, vel bonos accepit, vel bonos effecit. Quid enim aliud expectari poterat ab illo, cuius ingenium tantopere ſemper omnem improborum conſuetudinem eſt auerſatum: bonorum autem ſocietatem tanto ſtudio eſt proſecutum? *innocentes* inquit [i] *& recti adhæſerunt mihi, quia ſuſtinui te.* & alibi. [k] *non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam, qui loquitur iniqua non direxit in conſpectu oculorum meorum; ambulans in via immaculata hic mihi miniſtrabat.* & rurſus. [l] *non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus; nec memor ero nominum eorum per labia mea.* à quibus ergo impensè adeò abhortebat, vt ne quidem illorum nomina vſurpari æquo animo pateretur; cum his illum agere potuiſſe, aut vitam traducere, quî credi poteſt? boni ergo iſti vel ad Dauidem acceſſerunt, vel poſtquam acceſſerant, euaſerunt.

i Pſal. 24. 21
k Pſal. 100. 2
l Pſal. 15. 4.

Quinto loco quærebamus quomodo iſtorum operâ Dauid, & quàm vtiliter vſus fuerit: nam ſi verum fatendum eſt, copiæ iſtæ erant huiuſmodi, vt in illis non eſſet magnopere fidendum. ex quibus enim hominibus conflatæ erant? egenis, obæratis, deſperatis. Cicero [m] alicubi Catilinæ copias contemnit, quòd ex non diſſimili hominum genere conſtarent. *Itaque ego illum exercitum, præ his copiis, quæ à nobis quotidie comparantur magnopere contemno; collectum ex ſenibus deſperatis, ex agreſti luxuria, ex ruſticis mendicis, & decoctoribus, ex iis qui vadimonia deſerere quàm illum exercitum maluerunt, quibus ego non modò ſi aciem exercitus noſtri; ſed ſi edictum Prætoris oſtendero, concident.* Porrò eiuſmodi fermè omnes erant, qui ad Dauidem confluxerant; inopes, iudiciorum deſertores, decoctores, in rerum omnium deſperatione conſtituti, ex quibus quid ſperare vnquam boni poſſit, non video; præſertim in bellica expeditione. Placet hoc loco non ignobilis Scriptoris verba deſcribere, qui noſtri ſeculi militiam luget non ob aliud, niſi quòd ex eodem planè hominum genere delectus habentur, ex quibus hic Dauidis manipulus conflatus erat. *Pecuniola* inquit *proponitur, tympanum ſtrepit; & ecce coeunt aliquot ignoti inter ſe, & ignorantes, purgamenta vrbium ſuarum; quibus ob egeſtatem, & flagitia maxima peccandi neceſſitudo ineſt: aſſueti latrociniis bellorum inſolentes: quorum lingua vana, manus rapaciſſima, gula immenſa, pedes fugaces; quibus vt ad populandos agros tectaque vrenda, & capienda pecora aliqua vis ſit: ita in acie ac ſignis collatis nulla eſt: nec mirum; quibus nec vllum in victoria decus ſit, nec in fuga flagitium.* Hæc Lypſius [n] ex Liuio, Curtio, Tacito. Si ergo tales erant Dauidis milites, quid ab illis aut per illos ſperare poterat? quid tentare, & aggredi? qua ſpe, qua fiducia ſe illis, ſuoſque committere? hic ego quo delectu, quales ſint cogendi milites non diſputabo; & an præſtet tales conſcribere, quales hi Dauidis Milites fuerunt. Quicquid enim de hoc ſit; certa res eſt, hos omnes, quos ſecum tunc habuit Dauid fortiſſimos fuiſſe, illorumque forti & egregiâ operâ ipſum fœliciter vſum plurima præclara facinora edidiſſe; ſiue quod fortes acceſſerint; ſiue ſub fortiſſimi viri diſciplina & auſpiciis fortes euaſerint; vt veriſſimum illud eſſe intelligamus, quod dixit Florus [o] *tanti nimirum eſſe exercitum quanti Imperatorem; difficileque admodum eſſe vt ſit ignauus miles ſub bono Duce.* Porrò cum iſtis & per iſtos quæ bella Dauid, & expeditiones confecerit deinceps in ſequentibus capitibus narratur.

m Catilin. 2
n lib. 5. Polit. cap. 8.
o lib. 2. c. 18.

Maneat oro Pater meus & Mater mea vobiſcum.] nihil ſcilicet pius filius pretioſius habebat parentibus ſuis: propterea illis primum omnium conſultum vult, eoſque extra omnem periculi aleam ſeponit: qua in re negari non poteſt vicem non ſolùm illis cumulatè reddidiſſe, eorum, quæ ab ipſis acceperat; ſed longè etiam ipſorum affectum ſuperaſſe. Illi enim Dauidis, cùm puer eſſet ſollicitudinem omnem curámque depoſuerant, gregibuſque cuſtodiendis inter paſcua procul amandatum fermè ex animo abiecerant, quod & ipſe teſtatus eſt. *Quoniam* inquiens [p] *pater meus, & mater mea dereliquerunt me Dominus autem aſſumpſit me:* & fusè narratur ſuprà capite 16. Contra verò Dauid in ſuo maximè difficili & calamitoſo tempore, non ſolùm illorum curâ non abiicit; ſed primùm omnium illorum ſollicitudine tangitur. *Omnis in Aſcanio cari ſtat cura parentis.* dicebat [q] ille de ſuo Heroe. At verſa vice Dauidis cura omnis in caris ſtat parentibus tutandis. Poſſet tamen non immeritò dubitari cur ſecum illos potius non habuerit; & cur apud Moabitarum Regem potiùs, & quomodo ſepoſuerit. Primum illud claram reſponſionem habet: ſenes enim ambo iam erant & ætate confecti. Nam antequam Dauid cum Golia pugnaret de Iſai dictum fuerat. *quod erat grandæuus in Iſrael.* Non ergo in comitatu Dauidis retinendi erant, qui vitam vagam, & exercitam maximè traducebat, mille laboribus

p Pſal. 26.
q Virg. 7. Æne.

& periculis in ſumma rerum inopia ſemper expoſitam.

At maior aliqua difficultas eſt, quomodo potuerit Moabitarum Regi tam cara pignora tutò committere. Moabitæ enim gentiles erant, perpetui & ipſi hoſtes Populi Iudaici: nec poterant illis Dauidis nomen, & res geſtæ obſcuræ eſſe, aut clades quibus ille alienigenas afflixerat ignorari: quomodo ergo auſus iſtos adire Dauid? quomodo illorum fidei ſe ſuoſque committere? præſertim recenti periculo doctus quod nuper apud Getheos incurrerat, & Getheorum Regem? fortè illis ſe pro Dauide non obtulit, ſed alium ſimulauit. At quomodo potuit in tanta ſuorum frequentia, tot tantiſque comitibus ſtipatus? Parentes præterea ſuos, & cognationem totam ſecum trahens? Sanè difficile hîc eſt certi aliquid definire. Nam vtrum ex his dicatur, nouæ ſemper difficultates emergunt; nec quid potiùs ſit aſſerendum ex Scriptura colligitur. Probabilius tamen exiſtimo, Dauidem Moabitis ſe manifeſtaſſe, ſimúlque perſecutionem, quam à Saule patiebatur expoſuiſſe; tutum autem receptum putaſſe ſuis apud illos futurum; quia cùm Moabitæ Saulis hoſtes eſſent, benignè illos eſſent habituri, quos Saul ipſe vexaret, & ad mortem quæreret; ita Lyranus, Abulenſis, Dionyſius, & alij. At periculum erat ne Moabitarum Rex illos in manus Saulis traderet, & paucorum hominum ſanguine Regno ſuo perpetuam pacem redimerat. fateor id: ſed erant eo tempore Dauidis res ad id redactæ, vt non quæ tota vndique eſſent ſperare poſſet, ſed quæ minus incommoda, deberet eligere: vt omittam cauiſſe etiam ſibi Dauidem quantum poterat, accepto ab Rege ſtipendio ſimul & arce, quam ſuis cum militibus tutaretur, vt paulò pòſt indicator. neque enim timendum erat ne Rex illi fidem non ſeruaret; cuius fidei munitionem aliquam credidiſſet.

Ante faciem Regis Moab] *ante faciem alicuius eſſe*, alibi eſt illi apparere, & *miniſtrare* vt Scriptura loquitur, illique præſto eſſe ad inſeruiendum, & ſi quid iuſſerit exequendum: vnde cum hoc loco dicantur Dauidis Parentes *ante faciem Regis* relicti, poſſet quiſpiam id ſuſpicari quod inter alios aulicos ipſi quoque aſtiterint & miniſtrauerint; quod tamen non vult hoc loco Hebræa phraſis: ſed tantummodò ſignificat ad Regem adductos eſſe à Dauide, qui cum fide vltrò data & accepta cum Rege prius tranſegiſſet, regreſſus eſt ad Parentes reducendos, & illos ante *faciem Regis reliquit*: quod eſt vt alij vertunt *Regi illos ſtitiſſe* in conſpectúque illius adduxiſſe.

In præſidio] Hebraicè hoc loco, & paulò pòſt quod in noſtra eſt. *in præſidio*. propriè ad verbum eſt. *in arce*. ex quo, vt dicebam, Abulenſis, Lyranus, Caietanus rectè coniiciunt arcem aliquam cuſtodiendam Dauidi ab Rege traditam fuiſſe. Itaque obſides fidei ſuæ Dauid Regi Parentes reliquerat; viciſſim autem Rex pignus ſuæ, arcem illi cuſtodiendam commiſerat.

Gad Propheta] quis hic Propheta, aut vnde ad Dauidem aduenerit; nec hoc loco Scriptura loquitur, nec aliunde colligitur. Probabile eſt quod Caietanus, & Abulenſis tradunt, fuiſſe etiam ipſum inter Dauidis Comites; nec ſolos inopes, afflictos, obæratos Dauidem ſecutos eſſe; ſed viros etiam Principes, & dignitate aliqua conſpicuos, qualis hic Propheta: ex quo alij non immeritò Dauidis pietatem colligunt, qui Patrem quidem & Matrem tutò ſepoſuerit; Prophetam autem Dei voluntatis Interpretem, ſecum habere voluerit. Alij tamen apud Abulenſem, quos ipſe non improbat, volunt aliunde hunc Prophetam veniſſe diuino Numine ad Dauidem deſtinatum; ſicut longè poſt Ionas ad
Niniuitas miſſus [r] eſt, & ante hunc Elias ad vngendum [s] Aſael in Regem, & Eliſæum in Prophetam; Vnus verò ex filiis Prophetarum ad inungendum [t] Iehu. Quod non negamus fieri potuiſſe, ſed probabilius illud potius iudicamus.

[r] Ion. 1. [s] 3.Reg.19. [t] 4.Reg. 10.

Et profectus eſt Dauid.] Fabulam hunc loco Rabbi Salomon interſerit, quam Rabini alij Hebraizanteſque amplectuntur, & cum his Lyranus: Dauidem nimirum ita diſceſſiſſe; vt inconſulto Rege Moabitarum, nullaque petita venia repentinò arcem, quam cuſtodiendam acceperat deſtituerit, quod cum indignè admodum Rex ipſe ferret, iram quam in Dauidem non poterat in illius Parentes effudiſſe; exquiſitis ſuppliciis miſerè necatos. Vnde autem hoc acceperint; nec ipſi dicunt; nec alij ſciunt. Ego non dubito quin ex eodem fonte, ex quo alias perſimiles fabulas deriuatunt; inde nimirum vnde ſomnia exiſtunt. Nam ſiue hæc commenta, ſiue ſomnia quis appellet, nullo diſcrimine habeo; niſi quod ſomnia dormientium ſunt; hæc vigilantium: miſeros homines, non tam qui iſta fingunt; quàm qui fingentes ſuſpiciunt, & admirantur: quales ſunt omnes Hebraizantes. at nullibi vſquam in Scriptura de Dauidis Parentibus ſermo vllus ſit. Quid ergo? num propterea necatos illos à Rege dicendum eſt? præſertim tanta cum Dauidis infamia, qui inconſultè agendo illis cauſa fuerit exitij? Sed quid dico Dauid? non ipſe tantùm; ſed per hanc fabulam Deus accuſatur, qui verbis Prophetæ diſceſſum præceperat. Dicendum ergo eſt; vel Dauidem non aliter ex præſidio diſceſſiſſe; quàm venia priùs ab Rege petita & impetrata; vel certè à præſidio profectum; non vt ab illo perpetuò abfuturum; ſed quaſi excurſiones facturum in terram Iuda. Vtrumque probabile eſt, & probatur Abulenſi, & Caietano. Ioſephus tamen illud primum vult. at quid Parentibus factum? relicti ne ſunt apud Regem? ſi ex præſidio Dauid diſceſſit non rediturus, Scriptura indicat ſecum illos abduxiſſe. nam verſu 4. de illis dicitur. *Et fuerunt apud Regem cunctis diebus, quibus Dauid fuit in præſidio.* ſi verò *profectionem* hanc excurſionem interpretemur aliter dicendum erit. Vtrumque tamen ſit, certum eſſe debet, Dauidem à Spiritu ſancto diſcedere iuſſum non niſi conſultò, & bona cum Regis venia, à quo ipſe cum ſuis tam benignè exceptus fuerat diſceſſiſſe; vt bene obſeruat Caïetanus hoc loco. non itaque Lyrani ſubtilitas audienda, aſſerentis talem repentinum diſceſſum idcirco à Deo præceptum; vt occiſis ob id Parentibus à Moabitis, Dauidis Patientia tentaretur & exerceretur.

℣. 6.) Et audiuit Saul quod apparuiſſet Dauid, & viri qui erant cum eo; Saul autem cùm maneret in Gabaa, & eſſet in nemore quod eſt in Rama haſtam manu tenens, cunctíque ſerui eius circumſtarent eum,

℣. 7.) Ait ad ſeruos ſuos, qui aſſiſtebant ei. Audite me nunc filij Iemini: numquid

quid omnibus vobis dabit filius Iſai agros, & vineas, & vniuerſos vos faciet tribunos & centuriones?

℣. 8.) Quoniam coniuraſtis omnes aduersùm me, & non eſt qui mihi renunciet, maximè cùm & filius meus. fœdus inierit cum filio Iſai? Non eſt qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annunciet mihi: eò quòd ſuſcitauerit filius meus ſeruum meum aduersùm me, inſidiantem mihi vſque hodie.

Qui Tyrannico ſont ingenio iniuriam tum ſibi maximè videntur accipere; cùm prohibentur facere: talis erat Rex ille implacabilis. quia enim in Dauidem pro voto ſuo ſæuire non poterat; quaſi grauiſſima accepta iniuria; ita vicem ſuam apud ſuos, fortunamque deplorat; ſimul abſentem generum damnans, & in inuidiam vocans; ſimul etiam de præſentibus militibus ita conquerens, vt amica cum illis expoſtulatione ſibi magis illos adiungat, & à genero abalienet. Qua in re quis non miretur tam bene in vno Rege vulpinas artes, & leoninam ferociam conueniſſe; vt in illo quid magis excederet ſit ambigendum? Vis videre Leonis, aut cuiuſuis alterius immaniſſimæ belluæ rabiem, & crudelitatem? Cerne paulò pòſt quomodo ſe gerat in totum ſacerdotale genus; quomodo Nobam integram ciuitatem accipiat; quæ exempla feritatis edat in pueros omnes, & ætatem quamlibet, & ſexum infirmiorem. At vulpinum ingenium hîc maximè proditur; cùm paulò pòſt omnibus formidabilis, & expauendus; nunc ita orationem ſuam temperat, vt appareat omnibus miſerandus. Nimirum vt alios tutò miſeros faciat, miſerum ipſe priùs ſe venditat. *Nemo* inquit *meorum eſt qui vicem meam doleat.* O verba molliſſima: ô pectora dura, & ferrea, quæ ad illa non flectantur & cedant. Quæ ſunt iſtæ vices ſæuiſſime Rex, quæ fortunæ, quas tui dolere debent, & non dolent? an quod Dauidem Regium Generum crudeliſſimus ſocer inſequeris, & non aſſequeris, propterea infælix es? Iniuriam ergo ille tibi facit, quia nudum iugulum furenti non præbet; infidus eſt tibi natus, qui ſororia maritum violentiæ tuæ non obiicit; ſacramenti obliti milites, qui ſigna ab hoſtibus conuerſa, in Ducem ſuum non inferunt; reliqui denique omnes fidei immemores; quod tecum pariter eodem in Dauidem furore non inſaniunt. O verè miſerum Regem & miſerandum; ſed miſerum non quia te tui deſtituant, nec idoneos habeas adiutores furoris tui; ſed quia talia moliris & ſtruis in innocentes.

Videamus tamen propiùs huius Vulpeculæ artes; & quotſum nunc pathetica iſta oratione apud ſuos vtatur. In primis ergo dubitari non poteſt, quin ipſe probè cognoſceret plures eſſe, quibus non probaretur, quod ipſe ſcelus in Dauidem meditabatur. Quid enim? Generum ab ſocero nulla de cauſa falſis tantum ſuſpicionibus obtruncari quiſpiam æquus ferret? ergo hanc inuidiam amoliendam ratus Saul, id fecit quod in magnis ſceleribus vſurpari ſolet: ſcelere ipſe ſepriùs violatum, vel credit, vel ſuſpicatur, vel ſimulat; vt cum inauditum facinus aggreditur, non ſcelus vllum; ſed vltionem videatur concepti contra ſe parricidij meditati. Dauidem igitur apud ſuos coniurationis & affectati Regni reum facit, ſe vndique inſidiis ab illo circumuentum; deceptos ab eodem alios ſuorum, qui ignari illi adhæreant vt innocentis; alios pellectos; omnes vel errore vel blandis pollicitationibus corruptos: quorum omnium vt præſentibus ſuis fidem faciat, nunc illos alloquitur, nihil aliud magis ſpectans; quam vt ad ſui miſerationem flectat. Verba autem quibus vſus in Scriptura refertur, hunc maximè ſenſum faciunt.

Aſſiſto hîc miſerrimus Imperator inter milites, & Tribules meos; quos an hoc nomine appellare debeam, haud certò ſcio. Quomodo enim milites, qui Imperatorem ſuum grauiſſimè periclitantem otioſi ſpectant? Quomodo Tribules; qui Regem ex ſua Tribu deſerunt, perfidum, & perduellem in aliena fouent; Regnum in hac iam partum, æquo animo ad aliam transferri ſuſtinent? iam pridem à Genero ſocer per omnes inſidias impetitus, in extremo vitæ fortunarumque periculo, penè naufragus iactor; vitam ille mihi cum Regno tentat eripere, quem in partem ſanguinis aſſumpſi filiâ traditâ, quem in partem Regni vocaui, præfecturâ Militum delatâ: & tamen cùm hæc omnes ſciant, & infortunia mea longè latéque peruaſerint, nullus repertus eſt, qui vicem meam ſeriò doleat, Regnique labentia: quin potiùs quod ad cumulum infelicitatis accedit, filius quoque meus oblitus Patris, oblitus Patriæ, oblitus regiæ dignitatis, incurioſus ſui, & ſuorum, periculum noſtrum vel non ſentit ſtolidus; vel diſſimulat impius. O me miſerum tali filio Patrem, tali Genero ſocerum: & quid amplius reſtat, quod à militibus ſperem, aut quod de Tribulibus conquerar? Conniuetis, diſſimulatis, otioſi ſedetis, & ſpectatis caſus noſtros: habetis excuſationem paratam: id facitis Milites in Imperatorem, quod facit filius in Patrem. ite iam, igitur, & poſt tam lentam diſſimulationem, vos etiam cum Parricidis dexteras coniungite, & ſimul cum hoſtibus, & perduellibus in perniciem Regis & Regni coniurate. excitate incendium, quo vos etiam vel inuiti conflagretis: apertè iam filio Iſai manus date: ille vos agris ditabit; ille vos adoreâ cumulatos Præfectos omnes efficiet & Tribunos. At exclamaſtis & omen exhorruiſtis: quorſum nunc mihi iſtæ voces? facta veſtra Milites non verba deſidero; ſerò nunc ſapitis; ſerò expergiſcimini, quos iam pridem vociferatos omnes oportuit; ſed in perduelles: & tamen nullus adhuc extitit, qui vbi ille lateat, vbi deprehendi & opprimi poſſit mutire ſit auſus. Si verè periculum cognouiſtis, ſi verè perfidiæ ſuſpicionem expauiſtis, ſi verè milites mei eſtis, agite iam, & vbi lateat filius Iſai, vbi ſceleratorum manipulus conſederit, quiſque pro ſe ſollicitus inquirat: purgate præteritam ceſſationem, præſenti animi alacritate, & quo in ſtatu res noſtræ ſint edocti, ſumite dignos ſpiritus fortitudine veſtra, & ſeriò incumbite ad labentem Regiam fulciendam, cuius caſu ſi fortè ruat, vos certò quoque cognoſcitis opprimendos.

Fily Iemini.] Ideſt filij Benjamin: perinde itaque hoc eſt, ac ſi *Tribules* appellaſſet. erat enim & ipſe Saul ex Tribu Benjamin. tacitè autem per hoc illis inſinuat quàm parum fidere debeant in filio Iſai: nam illum ex Tribu Iuda non Benjaminicos; ſed ſuos ex Tribu Iuda

diuitiis

diuitiis & honoribus cumulaturum.

Inſidiantem mihi.] Sic Nero, vt inauditum matricidij ſcelus, feris quoque ipſis expauendum excuſaret, à matre ſe priùs inſidiis petitú dicebat: itaque non ſe matricidium patraſſe; ſed matrem ne manus in filij ſanguine macularet prohibuiſſe: præuentam illam ne præueniret, & occupaſſe filium ſcelus, ne mater admitteret. Datæ ſunt igitur litteræ ad Senatum, quarum ſumma erat. *Repertum cum ferro Percuſſorem Agerinum ex intimis Agrippinæ libertis, & luiſſe eam ſcelus ea* [a lib. 4. Ann.] *conſcientia, qua paraſſet.* Rem totam Tacitus [a] narrat. O egregios innocentiæ tutores, ô ſanctos legum cuſtodes; iſtuc eſt prorſus in longinquum ſapere: ſcelera præuenire, & cauere ne fiant: patratis enim ſerò remedium quæritur. At quomodo id fit? Innocentes circumueniendo vel falſis ſuſpicionibus vel fictis criminibus. O Vulpina crudelitas; quæ non contenta ſanguine, famam quoque miſeris inuidet Innocentiæ: talis hoc loco Saul, qui veritus ſuorum omnium offenſionem, ſi Dauidem obſtinaret opprimere; tam bene de omnibus, & de ipſa Republica meritum: ipſum ita perſequitur, vt illum occidendo non ſcelus vllum committere credatur; ſed ſcelus cogitantem iuſtiſſimè vindicare. Simile quid longè poſt licet aduertere in Antonino Caracalla, cuius tyrannicum ingenium eundem fermè prætextum excogitauit parricidio fratris, quem hîc Saul comminiſcitur in parricidio Generi. Getam enim cùm vellet occidere ex eodem prognatum Patre; vt ſolus regnaret. [z In Carac.] *In Caſtra Prætoria pergens* inquit [z] Spartianus *apud milites conqueſtus eſt, circumueniri ſe fratris inſidiis; atque ita fratrem in Palatio fecit occidi.* Sed de his aliàs.

℣. 9.) Reſpondens autem Doëg Idumeus qui aſſiſtebat & erat primus inter ſeruos Saul, Vidi, inquit, filium Iſai in Nobe apud Achimelech filium Achitob ſacerdotem.

℣. 10.) Qui conſuluit pro eo Dominum & cibaria dedit ei; ſed & gladium Goliath Philiſtæi dedit illi.

Reſpondens autem.] Duo Rex in oratione ſua queſtus fuerat; vnum quod nullus deferret eorum nomina, qui Dauidis partibus adhærerent. *omnes* inquit *coniuraſtis aduerſum me, & non eſt qui mihi renunciet.* alterum nullum eſſe qui proderet vbi lateret Dauid. ad illud primum pertinet quod nunc Doëg ſubiicit. ergo vel odio in ſacerdotem, & Dauidem, vel vt ſe Sauli inſinuaret; quaſi de ipſius incolumitate, quàm reliqui omnes magis anxius, & ſollicitus; perfidus alienæ gratiæ aucupator, inſontem ſacerdotem falſa delatione, ſuſpectum Maieſtatis facit; quam ille ſuſpicionem ſuo, ſuorúmque ſanguine, & Patriæ ſimul exitio paulo poſt in Saule deterſit. quis hic Doëg, ſuperiori capite dictum eſt. hoc loco pro eo quod noſtra Editio habet. *erat primus inter ſeruos Saul.* quod ſignificare videtur ſolam præeminentiam, in Hebræo propriè habetur. *erat caput ſuper ſeruos Saul.* quod ſignificat etiam Prælationem.

Vidi inquit filium Iſai.] Quid in his verbis Doëg tam grauiter peccauerit; vt propterea diris illis, & imprecationibus debuerit ſubiacere, quibus illum David alicubi [y] deuouet & execratur [y Pſal. 51.] dubitari poteſt. Totus enim ille pſalmus in hoc argumento verſatur & contra Doëg dirigitur. *Quid* inquit *gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate; tota die iniuſtitiam cogitauit lingua tua, ſicut nouacula acuta feciſti dolum: dilexiſti malignitatem ſuper benignitatem: propterea Deus deſtruet te, & emigrabit te, & euellet te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium.* Mirum inquam quomodo hæc tam grauiter in Doëg. Nam in hac ipſius oratione nihil apparet, quod conqueri poſſit Dauid, præter indicium delatum; quod ille à Rege ſuo iuſſus, omittere non debuit; vel ſi debuit & non omiſit excuſandus eſt. An Regem ſuum miſerè lamentantem & hoc maximè exquirentem celare ipſe debebat? ſanè mirari ſatis non poſſum quid hoc ſit. Doëg ſacrilegum gladium in totum ſacerdotale genus impia dextera ſtringit, & per incenſam vrbem tectaque funeſtis ignibus conflagrantia, riui ſacri cruoris inundant; Dauid tamen nihil de gladio conqueſtus, in linguæ tantùm improbitatem inuehitur. *Sicut* inquit *nouacula acuta feciſti dolum, lingua doloſa.* de gladio tacet, & quaſi retuſus fuerit; quo tamen octuaginta ſacerdotalis generis ſunt trucidati, linguam accuſat, & de illa conqueritur. Quid ergo tantopere peccauit hæc lingua vt id meruerit? Sanè negari non poteſt grauiora ſemper habita eſſe linguę vulnera quàm gladij: in hac autem ſacerdotum contrucidatione meritò Dauid omnia refere in Doechi linguam; quia illa ſatellitum dexteras armauit, & enſes diſtrinxit, quibus illi omnes extincti ſunt armauit autem iniuſtè, armauit malignè, armauit doloſè. Propterea Dauid hæc omnia illi tribuit, *malitiam, malignitatem, iniuſtitiam,* & doloſam circumuentionem. quæ omnia vno pernicioſi mendacij crimine continentur. At quomodo mentitus Doëg, qui id quod geſtum fuerat renunciauit, & ea ſerie qua geſtum? dixit, pro Dauide conſultum à ſacerdote Dominum; dixit, cibaria præbita; dixit gladium Goliæ traditum: quid horum falſum eſt? vera iſta ſunt ſingula; ſed quia malignè aliquid omiſſum eſt falſa ſunt omnia. Quid omiſſum? Subminiſtrata hæc omnia Dauidi à ſacerdote vt Regis genero, vt Regis amico, vt pro Regis, & Regni ſalute laboranti: hoc omiſſum eſt, & cum dolo omiſſum. Propterea iniuſtus, malignus, impius, & ſacrilegus Doëg, qui paucis verbis innocentem Achimelech perduellionis reum fecit, & ſuſpicioſum Regis animum in necem impulit tot immerentium.

Poſſumus autem in hoc facto duo aduertere, obſeruatione longè digniſſima. Vnum eſt plus ſemper tribui in re quacunque patranda conſulenti, quàm exequenti; pluresque ſemper in ea partes habere qui conſilium expedit; quàm qui dexteram accommodat. Doëg enim necis ſacerdotum dupliciter particeps fuit; & vt Conſiliarius, dum malignè ſuggeſſit indicium: & vt adminiſter; dum quod Saul illi commiſit eſt exequutus. Dauid verò nihil de illo conqueſtus; vt cruentum Regis adimplet imperium, tantùm ſacrilegum illius conſilium inſectatur. *tota die* inquit *iniuſtitiam cogitauit lingua tua.* itaque ſemper peius quid eſt in re mala, malus Conſiliarius, quàm peſſimus ſatelles, & adminiſter. Ex hoc autem alterum deducitur hîc etiam obſeruandum: in quolibet præclaro aut flagitioſo

facinora,

facinore, plures ſemper habete partes linguam quàm dexteram; ſi vtraque ad id operam ſuam conferat. Argumento ſit hoc loco Dauid, qoi vt diximus miſeram illam ſacerdorum contrucidationem totam in Doechi linguam retulit; & quaſi in ea gladius fuerit otioſus, linguam tantùm maledictis inſequitur. Eodem modo Diuus Petrus quaſi dexteræ Militum Romanorum non clauos adegerint, qoibus Dominus Ieſus confixus eſt; ſed linguæ Iudæorum: ita non ab illis; ſed ab iſtis Dominum dicit occiſum. *Virum* inquit *homicidam petiiſtis dari vobis, hominem autem iuſtum interfeciſtis.* & hæc ſatis ſit attigiſſe leuiter: nam quæ ex lingua mala prouenjunt alibi fuſiùs.

℣. 11.) Miſit ergo Rex ad accerſendum Achimelech ſacerdotem filium Achitob & omnem domum patris eius ſacerdotum qui erant in Nobe, qui vniuerſi venerunt ad Regem.

℣. 12.) Et ait Saul ad Achimelech. Audi fili Achitob. qui reſpondit: Præſto ſum Domine

℣. 13.) Dixitque ad eum Saul. Quare coniuraſtis aduersùm me tu, & filius Iſai, & dediſti ei panes & gladium, & conſuluiſti pro eo Dominum vt conſurgeret aduersùm me inſidiator vſq; hodie permanens?

℣. 14.) Reſpondénſque Achimelech Regi ait: Et quis in omnibus ſeruis tuis ſicut Dauid fidelis, & Gener Regis, & pergens ad imperium tuum, & glorioſus in domo tua?

℣. 15.) Num hodie cœpi pro eo conſulere Dominum? abſit hoc à me, ne ſuſpicetur Rex aduersùs ſeruum ſuum rem huiuſmodi in vniuerſa domo Patris mei: non enim ſciuit ſeruus tuus quicquam ſuper hoc negotio vel modicum vel grande.

Et quis in omnibus ſeruis tuis ſicut Dauid.] Summa reſponſionis Achimelech iſta fuit; ſe Dauidem ſemper omni ope iuuare ſtuduiſſe; quod quæ in illum conferret, non tam ad Dauidem ipſum; quàm ad Saulem pertinere putaret. itaque ex his verbis in hanc maximè ſententiam illum locutum non improbabiliter poſſumus exiſtimare.

Generum tuum ô Rex & paucos ante dies benigniſſimè excepiſſe me fateor, & ſemper hactenus omnibus humanitatis officiis coluiſſe adeò non inficior; vt etiam prædicem. an quem tu honore Regiæ affinitatis ſuper cæteros extuliſti, cui Regni fines tuendos, cui hoſtes debellandos, cui publicas vtilitates commiſiſti à quoquam cultum eſſe mirarис? ſi hoc Rex crimen eſt, nullus in tua Regia innocens eſt. omnes enim vel amici Dauidis fuerunt; vel quod pars amicitiæ eſt eſſe voluerunt: & ita decebat animatos eſſe in Regiæ filiæ Maritum, in eum, quem tu tibi proximum voluiſti, quem partem Regiæ Domus eſſe feciſti. Si quiſquam hîc ô Rex culpandus eſt; tu primus omnium es: te enim iudiciúmque tuum ſecuti ſunt, qui Dauidem amplexi ſunt: nec integrum iam cuique erat minus eum colere, cuius neglectus cum Regij ſanguinis contemptu iungebatur. Quid ergo nunc à me exquiritur, & inquiritur; cur Dauidem admiſerim, exceperim, iuuerim, & eum commeatu dimiſerim? an ego ſacrorum Præſul, qui aliis debeo præire ad exemplum, id ſolus omitterem, quod omnes cumolatè præſtarent? ego verò hæc omnia feci; & veniam putabam à te mihi ô Rex poſtulandam, quòd temporis anguſtiis excluſus indignè fecerim. excepi enim & dimiſi; ſed non pro eo ac par erat affinem tuum. Hæc à me tantùm culpa præſtanda eſt; hæc purganda: & purgo: quod ſcilicet officium neglexi, quod minori eum apparatu & celebritate excepi; quia aliud non potui ſubitò occuparos, & temporis anguſtiis excluſus. At Dauid ex Regio Genero factus eſt Regis hoſtis, & Perduellis; & cum ad me acceſſit iam talis erat, & talis nunc etiam perſeuerat: qualis tunc & quo animo fuerit ô Rex fateor neſciſſe me, nec adhuc ſcire; non aliter tamen à me exceptum, quàm affinem, amicum, & adminiſtrum conſiliorum tuorum ſanctè tibi affirmo, & has verendas infulas atteſtor: nec exiſtimes alios in Dauide decipi non potuiſſe, cùm tu falſus fueris. Nam ſi præter opinionem tuam expertus es hoſtem, quem Generum feceras; nec mirum tibi ſit, ſi alij minùs ipſi coniuncti falsò putauerint fidem & officium, colere iam perduellem.

Quis in omnibus ſeruis tuis ſicut Dauid.] Scilicet illuſtrant piorum virtutem, improborum iniuriæ. Ecce enim dum Saul totus eſt in Dauide deprimendo, & perſequendo, cogitur illius præconia inuitus audire, & dum contra illum maximè fremit, facit vt apud omnes ſuos, ſacerdotis ore Dauidis laudes celebrentur. Quam autem hoc loco defenſionem pro ſe inſtituit Achimelech, cum ea ſimilitudinem maximam habent duæ celebres conciones apud duos nobiles Hiſtoricos: altera apud Curtium [a] in qua Amintas ſe purgat Alexandro de amicitia cum Philota proditionis damnato, altera apud Tacitum [b] in qua Marcus Varro excuſat præteritam neceſſitudinem cum Seiano. Vtriuſque autem oratio talis eſt; vt quaſi videri poſſint ad huius exemplum conformatæ, qua nunc Achitofel vtitur apud Saulem; vt cuiuis deprehendere facile eſt illas inter ſe conferenti.

a lib. 7 de reb. Alex.
b lib. 3. Ann.

Pergens ad imperium tuum.] LXX. *Princeps omnis præcepti tui.* id eſt, *qui iis omnibus præpoſitus eſt, qui tibi obediunt.* vel qui ſolet in omni negotio, & mandato tuo exequendo ſemper interuenire & præire aliis; vel cuius ductu & auſpicio fiunt quæcunque mandato tuo fiunt; vel denique qui tibi magis obſequens eſt quàm vllus alius. vult ergo Achimelech mirum videri non debere; ſi hactenus ipſe & alij Dauidem coluerint, quem Rex ipſe proximum ſibi fecerit ſuper omnes ſeruos & amicos euectum: quo eodem argumento iiſdem fermè verbis vtuntur duo illi citati apud Curtium & Tacitum.

Et glorioſus in omni Domo tua.] Hoc eſt quod loco citato adducit in ſui excuſationem Amintas apud Curtium, cui Philotæ amicitia obiiciebatur; eadem enim ſe oratione purgat qua nunc Achitofel. *glorioſus* inquit *Dauid erat in omni domo tua.* at Amintas. *omnes amicos tuos Philota dignatione vincebat.* Similia etiam vſurpat Marcus

Terrentius

Terentius apud Tacitum. *Non Seianum inquit Vulſinienſem;ſed tuum Cæſar Generum,tui Conſulatus ſocium,tua officia in Republica capeſcentem celebamus.*

℣. 16.) Dixitque Rex morte morieris Achimelech tu & omnis domus patris tui.

℣. 17. Et ait Rex emiſſariis, qui circumſtabant eum : Conuertimini & interficite ſacerdotes Domini : nam manus eorum cum Dauid eſt : ſcientes quod fugiſſet, & non indicauerunt mihi. Noluerunt autem ſerui Regis extendere manus ſuas in ſacerdotes Domini.

℣. 18.) Et ait Rex ad Doëg. Conuertere tu, & irrue in ſacerdotes. Conuersúsque Doeg Idumæus, irruit in ſacerdotes,& trucidauit in die illa octoginta quinque viros veſtitos Ephod lineo.

℣. 19.) Nobe autem ciuitatem ſacerdotum percuſſit in ore gladij, viros, & mulieres,& paruulos,& lactentes,bouemque & aſinum, & ouem in ore gladij.

Morte morieris.] Rex ſæuiſſimus,& iniuſtiſſimus,furore amens,ſuſpicionibus, & cæco animi tumultu exagitatus, innocentem & in confeſſione innocentiæ perſeuerantem, nullius criminis,nec confeſſum,nec conuictum morti adiudicat;& eo non contentus eodem exitio alios inuoluit,qui,vt Achimelech reus eſſet;nulla tamen ipſi criminis ſuſpicione aſpergebantur. Quid hîc dici poteſt ?niſi hoc immaniſſimo, & execrando ſcelere documento eſſe omnibus Saulem, quid poſſit in hominis animo dominandi cupiditas;& *Regnandi ius*, vt appellant. omnia enim alia iura ius illud extinguit ; & vt olim virga Moyſis, magorum virgas omnes deuorabat ; ſic ius iſtud regnandi leges quaſcunque ius, & fas omne perturbat, & confundit. At de hoc aliàs. nunc illud tantùm obſeruare libet, quod notat hoc loco Theodoretus : quàm præpoſterum, quàm impium, quàm ſacrilegum fuerit huius Regis ingenium, qui cum Dei cauſa & de illius vindicanda iniuria agebatur,lentus adeò, remiſſus,& diſſolutus fuit ; vt iuſſus Amalechitas ad internecionem delere,id per ſpeciem falſæ pietatis omiſerit, & Regem Amalechitarum viuum contra mandatum Domini ſeruauerit, & inſigniora corpora nobilium. At verò nunc, vbi ſe læſum putat, & iniuriam ſibi factam exiſtimat; vt illam vlciſcatur, non contentus eum ſolum perimere à quo læſus eſt, totam etiam illius domum perſequitur,cognatos omnes,& affines inuadit, pari ſtrage nocentes ſimul, & innocentes inuoluit,pueros,puellas, ſenes, Vrbem denique ipſam,& vrbis mœnia ferro,flammaque deuaſtat. Quid hoc peruerſius fingi poteſt ? hoc ſcilicet proprium eſt Tyrannorum ingenium;vt in cauſa Dei diſſimulent, in ſuis ipſorum iniuriis ſint acerrimi. Hoc illud eſt, quod in Politicorum ſchola ſub Machiauello Magiſtro identidem decantatur. ſatis Deo cordi eſſe iniurias ſuas, eaſq; in tempore vlciſci,cum illi magis libitum fuerit ſolere, & poſſe : Regibus ſuas ipſorum iniurias perſequendas. O impia verba. Ergo Amalechitis parcatur, quia Deum offenderant : at totum ſacerdotale genus,ſimul cum ipſa vrbe deleatur; quia in Regem peccarunt. Sed perge impie Rex quò tuus te furor agit;amplectere crueta hæc, & ſacrilega conſilia Regni firmādi,& videbis deinde quantum illa profuerint, cum iiſdem artibus cernes fundamenta tyrannicæ tuæ dominationis conuelli, quibus illa te maximè putaueras ſtabilire;& eodem ariete concuti ſolium tuum, quo tu ad illud erigendum Religionis arcem concuſſiſti. Sed fuſiùs hac de re in diſputationibus eſt agendum.

Emiſſariis.] De hoc vocabulo infrà [e] pluribus hoc loco ſignificat propriè eos,qui ad iuſſa Principis exequenda ab ipſo *emittuntur*, illique aſſiſtunt armati, ad omnes ipſius nutus intenti, vt quocunque ille annuerit arma *conuertant*. propterea conſultò noſter Interpres paulò poſt vſus eſt verbo *conuertendi* cum Saul dicit. *Conuertimini & interficite.* in Hebræo propriè pro *emiſſariis* eſt *curſoribus*, vt notant Caietanus,& Vatablus. interpretatur autem Caietanus *Curſores* viros fortes, agiles, velociſque curſus ; qui eò tempore maximo in pretio erant apud Hebræos, & alias nationes, vt nos etiam infrà ducebimus. [d] Puto autem *Curſores* dictos apud Hebræos quod celeriter iuſſa capeſſerent,& exequerentur: quod ipſum exprimit etiam vocabulum *emiſſarij* apud Latinos. e lib 2.c. 55. 20. d lib. 2. c. 22.

Conuertimini.] Vel eſt vox exhortantis,& excitantis ad opus aliquod alacriter aggrediendum; ſicut de verbu *ſurgendi & veniendi* aliàs diximus, in imperandi modo vſurpari nonnunquam pro aduerbiis *eia agite*,&c. vel certè *conuertimini* eſt hoc loco medios illos excipite, & circumcludite : vnde Vatablus vertit *circundate ſacerdotes*; qui enim aliquos corona cingunt mutuo quaſi per circulum conuerſi ipſos ambiunt. LXX. habent *adducite ſacerdotes & interficite*, quod ad priorem ſenſum accedit : Vatabli tamen verſionem,& ſecundam noſtram expoſitionem confirmat Ioſephus. dicit enim Regem iuſſiſſe, vt Achimelech armatis cum tota familia circumdatus contrucidaretur.

Conuertere tu.] Cum ſatellitibus & aſſeclis tuis : nam ſolus qui id poterat ? ſolum tamen fuiſſe vult Abulenſis ; quod alij ſerui Regis iam ſacrilegum miniſterium abnuiſſent. At perſpicuè fallitur : licèt enim alij ſerui Regis præter Doeg id deteſtauerint;non tamen ſerui & aſſeclæ ipſius Doeg. Itaque Ioſephus bene obſeruat *ipſum Doechum adſumptis ad hoc aliquot ſui ſimilibus facinoroſis,cruentum imperium peregiſſe.* Quod autem hîc dicitur. *Conuertere* eundem ſenſum poteſt habere quem proximè diximus in præcedenti annotatione. Et cum ſubditur. *conuerſus Doeg.* intelligitur ſacerdotibus cum ſuis circumfuſus illos medios excepiſſe & contrucidaſſe.

Octoginta quinque veſtitos Ephod lineo.] Quæ & qualis veſtis Ephod, ſuprà [e] pluribus docuimus; per hoc autem quod hîc dicitur,non ſignificatur omnes iſtos ſacerdotes fuiſſe. nam & Samuel, qui ſacerdos non erat, etiam tunc cùm adhuc puer miniſtrabat coram Domino, Ephod lineo induebatur : ſed intelligimus omnes vel ſacerdotes fuiſſe;vel diuino cultui procurando deſtinatos. An autē cùm trucidati ſunt Ephod eſſent e lib. 5. c. x.

induti,

induti, res eſt incerta. Sunt qui affirment; inter quos magiſter hiſtoriæ. vt enim Regis animum ad miſericordiam flecterent, & irarum mitigarent, ſacro cultu indutos ad illum acceſſiſſe. Alij probabilius putant tone non geſtaſſe; ſed geſtare ſolitos, vt Dionyſius, Abulenſis, Caietanus. Nihil enim ipſos præſenſiſſe de Regis ira, & indignatione, indicant verba Achirophel quæ ad illum habuit; vnde cùm nullum malum ſuſpicarentur, non erat cur ad illud præcauendum ſacris veſtibus indutos Regi ſe ſiſterent. Lxx. longè variant à vulgata in numero occiſorum. ſic enim habent. *& interfecit ſacerdotes Domini in die illa trecentos quinque viros.* Quam lectionem ſequitur Lucifer in Apologia pro ſancto Athanaſio. At Theodoretus & Ioſephus habent. *trecentos quinquaginta.* Complutenſes verò vt noſtra vulgata. *octoginta quinque viros.* Verum cùm Lxx. interpretes in numerorum calculis à noſtra vulgata non ſolùm hoc loco; ſed plurimis etiam aliis diſſentiant; non eſt hic nobis laborandum quomodo cum illa conciliandi ſint.

Nobe percuſſit in ore gladij.] Non ibi conſiſtunt ſcelera vnde cœperunt. In lubrico enim poſita & impetu ſuo in præceps acta, finibus illis nequeunt coërceri quos ſemel acceperint: ideò licèt Saul à principio Sacerdotum tantùm necem mandauerit; poſtmodum tamen illis contrucidatis in domicilium quoque ipſorum, & vrbem totam ferrum conuerſum eſt; ſiue quod Doëg impij Regis impius ſatelles, Saulis mandatum vt cumularè perficeret, hanc etiam de ſuo coronidem putauerit adiungendam; ſiue quod Saul ipſe non expleta ſæuitia primo cruento mandato, hoc etiam adiecerit; & ſacerdotibus interemptis, alios quoque omnes cum tota vrbe pari exitio inuolui voluerit. At quorſum id voluit? & ſi voluit cur non à principio id etiam mandauit cùm ſacerdotum necem impetrauit? Vt enim aliquid habuerit, cur in ſacerdotes iraſceretur; nihil certè cauſæ potuit eſſe; cur in infantes, cur in mulieres, cur in alios omnes inferioris ſexus, & ætatis, cur in mutas ipſas animantes, cur denique in ſaxa & oppidum totum tam immaniter inſaniret. Quid ergo voluit illud exſcindendo, aut quorſum id? difficile eſt rationem vllam in ſcelere reperire. Quæ enim ratione & conſilio nullo conſtant, in iis rationem quærere, prorſus eſt vt dici ſolet cum ratione velle inſanire: non eſt itaque vt in aliud totum hoc referamus; quàm in amentiſſimi Regis furorem, rabiem, inſaniam. Quomodo enim non in hoc conſilio demens; cùm per illud in id prorſus incideret, quod maximè vitare volebat? volebat enim Iudæorum populum ſibi adiungere, & à Dauide abalienare: timebat ne ille gratia apud omnes pollens Regno animum adiiceret: propterea ergo tam grauiter nunc in hos animaduertit, qui cum illo colloquia miſcuerant; vt omnes ab eo abduceret, & deterreret: At quid poterat magis omnium animos in Saulem concitare, & Dauidi adiungere, quàm fœdiſſimum hoc & nunquam auditum barbaræ crudelitatis exemplum? vt propter leues primùm ſuſpiciones ſacerdotes omnes obtruncarentur; deinde verò in eos quoque tam immaniter ſæuiretur, in quos nulla quidem labis ſuſpicio cadere poſſet? Sed cur non ſtatim ſimul cum ſacerdotibus totum oppidum, & alios omnes mandauit excindi? fortè vt iam dixi quia cùm illud tantùm primò vellet, hoc etiam deinde adiunxit; creſcente nimirum rabie, & ex ſanguine Sacerdotum, ad puerorum quoque, & aliorum innocentium ſanguinem ſitiendum extimulata: fortè etiam quia timuerit à principio tam truculentum imperium nudum proponere. Si enim alij omnes præter Doëg ad ſolam ſacerdotum necem exhorruerunt, quid ſi ſimul cum ipſis pueros omnes, infantes, & fœminas occidendas quoque mandaſſet? temperauit itaque ſe Saul; donec nactus idoneum ſuæ crudelitatis adminiſtrum, ſtillantem gladium ſacrorum hominum cruore, facilè impulit; vt in innocentium infantium iugulis mergere non vereretur.

Ergo per hoc immane facinus obtinuit Saul; primò vt ipſe execrandus fieret apud omnes ſuos; deinde vt omnes intelligerent ſacerdotes & bonos quoſque pioſque viros à Dauide ſtare; tum vt vicinæ gentes Dauidem facilè reciperent, per hoc edoctæ ſæuiſſimum & implacabile odium inter ipſum & Saulem verè conflatum. Denique vt nullus in poſterum iam ſe auderet Sauli fidei committere. Si enim ſacerdotes, & vniuerſa illorum Ciuitas propter leues tantùm ſuſpiciones fuerant internecione deleti; quid quiſque non expauſceret & ſibi certò ab illo timeret? ſic Tyranni tunc maximè ſceptrum ſuum Regnúmque conuellunt cùm maximè ſe illud exiſtimant ſtabilire.

℣. 20.) **Euadens autem vnus filius Achimelech filij Achitob, cuius nomen erat Abiathar, fugit ad Dauid.**

℣. 21.) **Et annunciauit ei quòd occidiſſet Saul ſacerdotes Domini.**

℣. 22.) **Et ait Dauid ad Abiathar: Sciebam in die illa, quòd cùm ibi eſſet Doëg Idumæus procul dubio annunciaret Sauli: ego ſum reus omnium animarum patris tui. Mane mecum, ne timeas: ſi quis quæſierit animam meam, quæret & animam tuam, mecúmque ſeruaberis.**

Ego ſum reus] quid aut in qua te peccauerit Dauid in ſacerdotum nece nonnulli dubitant: nam peccaſſe extra controuerſiam putant, cùm ipſe ſe illorum ſanguinis & mortis reum agnoſcat, & fateatur. Sunt qui peccaſſe volunt; quia perniciosè mentitus; fallendo enim, & mentiendo, Achimelechum in certum exitium adduxit. Alij quia præuidit periculum quod Achimelecho, & aliis ſacerdotibus imminebat ex Doëchi præſentia, quem cùm omnia renunciaturum Sauli ſciret; non tamen ſacerdoti indicauit, vt poſſet ſibi conſulere, & infortunium euadere quod imminebat; ſic Dionyſius: alij alia. Certa tamen mihi res eſt nihil hîc Dauidem peccaſſe: vnde ſuperuacuè quæri quomodo, aut qua in te peccauerit, cùm nullum eius peccatum extiterit: ita Lyranus, Abulenſis, Magiſter hiſtoriæ, Caietanus. Neque enim cùm Achimelecho mentitus eſt vllam ei perniciem parabat; aut ob id obuenturam ſciebat; vt pernicioſi mendacij argui poſſit. At dicit nunc Dauid certò ſe ſciuiſſe cùm tunc adeſſet ibi Doëg omnia ipſum Sauli renunciaturum; peccauit ergo, quia malum cuius

ipſe aliis cauſa erat auertere non ſtuduit cùm poſſet. Verum illud eſt, ſed non dicit Dauid certò ſe ſciſſe quid Saul poſt indicium acceptum facturus eſſet; ſed tantùm quod erat illi à Doëcho indicium deferendum. cur ergo ſe nunc reum facit ſi reus non eſt? reſpondet Abulenſis. *reum hoc loco non dici ex vllo crimine; ſed ex obligatione:* non quòd in illorum nece culpam ipſe vllam admiſerit; ſed quòd ex illorum interitu obligationem aliquam contraxerit. Nam quia eius cauſa, & in ipſius odium illi extincti ſunt; meritò ſe ad id adſtrictum putauit vt eorundem poſteris quicquid poſſet opis afferret. Ex quo loco diximus rectiſſimè Patres quoſdam collegiſſe Chriſtum Dominum infantes pueros in Cælum recepiſſe, quod Chriſti ipſius cauſa extincti fuerant. Si enim nunc Dauid obſtrictum ſe putat & obnoxium poſteris ſacerdotum, quanto magis Chriſtus Dominus ipſis infantibus, quos in ipſius odium Herodes impius contrucidauerat? Putauit ergo meritò ſe vterque obſtrictum non ex aliqua obligatione iuſtitiæ, ſed benignitatis. Qua de re plura Cyprianus [f], & Patres alij [g].

f *Epiſt. 56.* g *Orig. hom. 30. in diuerſa. Fulgent. ſerm. de Epiph. Chryſolog. ſerm. 4. de Innocent.*

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT XXIII.

ARGVMENTVM.

NON adeo Dauidem ſua vnius cura premebat, vt non eſſet etiam de popularium ſuorum incolumitate ſollicitus. Itaque cùm ad illum allatum eſſet de periculo Ceilanorum, qui in tribu Iuda à Paleſtinis omnia late loca vaſtantibus grauiter obſidebantur illis opem ferendam putauit etiam in ſummo diſcrimine rerum ſuarum. Conſulto ergo diuino oraculo, & ab illo confirmatus, prædones aggreditur, diſperdit, fugat, fugatos cædit & diripit prædaque omni detracta, & nouis inſuper auctus, in oppidum victor ingreditur, feſtis omnium acclamationibus exceptus. Sed non diu eá gratulatio tenuit: immemores enim Ceilani beneficij, peſſimam gratiam ingentibus in ſe meritis retulerunt; & ſalutis vindicem vrbiſque liberatorem Sauli, qui illum omnibus veſtigiis ad necem perſequebatur tradere ſtatuerunt: & tradidiſſent; niſi diuino ille reſponſo præmonitus, ſibi ſuiſque propere conſuluiſſet. Ab ingrato ergo oppido dilapſus occulta fuga, Ziphæos montes, & vaſtam circa illos ſolitudinem vagus inſedit; vbi Ionathæ, regij Principis aduentu & colloquio tantiſper recreatus; poſt modum tamen grauiſſimè periclitatus eſt, cùm Ziphæis incolis indicium prodentibus ad Saulem quo in loco lateret allatum eſſet: ſtatim enim armatorum agminibus vndique circumſeſſus, aliud iam nihil reſtabat quàm vt in manus cruenti perſequutoris incideret; cùm Deus immiſſis repertè Paleſtinorum copiis, aliò Saulis impetum auertit; & ab inſectatione nihil tale merentis abductum, coëgit ab iniuria aliena deſiſtere; vt proprium periculum propulſaret.

℣. 1.) Et annuntiauerunt Dauid, dicentes; Ecce Philiſthiim oppugnant Ceilam, & diripiunt areas.

℣. 2.) Conſuluit ergo Dauid Dominum, dicens; Num vadam & percutiam Philiſtæos iſtos? Et ait Dominus ad Dauid; Vade, & percuties Philiſtæos, & Ceilam ſaluabis.

℣. 3.) Et dixerunt viri, qui erant cum Dauid, ad eum; Ecce nos hîc in Iudæa conſiſtentes timemus; quantò magis ſi ierimus in Ceilam aduersùm agmina Philiſtinorum?

℣. 4.) Rurſum ergo Dauid conſuluit Dominum; qui reſpondens ait ei; Surge & vade in Ceilam: ego enim tradam Philiſtæos in manu tua.

℣. 5.) Abiit ergo Dauid, & viri eius in Ceilam, & pugnauit aduersùm Philiſtæos, & abegit iumenta eorum, & percuſſit eos plaga magna: & ſaluauit Dauid habitatores Ceilæ.

℣. 6.) Porrò eo tempore, quo fugiebat Abiathar filius Achimelech ad Dauid in Ceilam, ephod ſecum habens deſcenderat.

HÆc quæ Dauidi in Ceilanorum liberatione contigerunt, illis ſimillima ſunt & pene gemina, quæ Chriſto Domino contigiſſe narrantur cùm Lazarum ab inferis excitauit. Quod vt conſtet & imago geſtorum Chriſti in antiquis Patribus, illorumque actionibus expreſſa cernatur conferamus ſingula. Primùm ergo procul à Ceilanis agebat Dauid; procul etiam à Iudææ finibus degebat Chriſtus: exul & profugus ille, vagus etiam & fugitans iſte: obſidetur interim Ceilanorum oppidum, morbo interim corripitur Lazarus: creſcit illius obſidio, ingraueſcit huius morbus: Dauidi procul agenti de Ceilanorum periculo nuntiatur ad Chriſtum longè poſitum Lazari valetudo defertur: ſtatuit Dauid illis opem ferre, decreuit iterum Chriſtus a *Ioan. 11.*

in

in Iudæam ire: timent Dauidis milites, & illum à propoſito conantur abducere, pauent Chriſti Diſcipuli, & ab ſuſcepto itinere dehortantur: perſtat in propoſito Dauid & ſuos excitans diuino oraculo firmat; a ſententia non dimouetur Chriſtus, & diſcipulorum metum cæleſti alloquio depellit: ſequuntur alacres milites Dauidem, ſequuntur læti Diſcipuli Chriſtum parati cum illo *in vitam & in mortem ire*; ibi profligantur hoſtes, abacta præda reducitur, oppidum liberatur; hic excitatur Lazarus ab inferis, fugatur mors & illius ſatellites morbi, inter viuos ſtupentes, mortuus liber & ſolutus incedit: inde Ceilani, tanto accepto beneficio, liberatori ſuo exitium moliuntur; hinc Iudæi Chriſto, tanto patrato miraculo inſidias ſtruunt: fugit iterum Chriſtus, & improbos perfidorum conatus eludit; fugit iterum Dauid, & Saulis expectationem fallit, ingratorum ciuium dolos fruſtratus. Quid poteſt eſſe ſimilius, quid expreſſius? Vtrobique fuga, periculum carorum, ſui neglectus vt aliis ſuccurratur, vtrobique auxilium allatum, & pro beneficio maleficium redditum cum benefactoris diſcrimine & exilio. Meritò ergo Patres Dauidem in omni fermè ſerie geſtorum ſuorum viuum Chriſti Domini exemplar extitiſſe dicunt, & nos alibi fuſius.

Et annunciauerunt.] Qui iſti? Ceilani ipſi vt Lyranus & Abulenſis. De ſuo enim periculo ſolliciti, cum in proximo Dauidem eſſe comperiſſent, ipſum tantummodo quo in ſtatu res illorum verſarentur, edocendum putarunt, vlterius nihil vrgentes, nihil inſtantes. Quemadmodum etiam Lazari ſorores illis verbis Chriſtum
a Ioan 11. ſimpliciſſimè monuerunt [a]. *Ecce quem amas infirmatur.* Confidebāt enim tam Ceilani de Dauide, quam ſorores de Chriſto, ſatis eſſe ſignificare vel periculum oppidi, vel ægritudinem fratris. Dionyſius verò non Ceilanos ipſos, ſed alios indicium feciſſe putat. Alij etiam nullum certum auctorem extitiſſe volunt; didiciſſe autem id ab omnibus Dauidem, quod inter omnes fama vulgauerat. Verùm ſiue iſti, ſiue illi fuerint, parum admodum ad ſententiæ intelligentiam refert; niſi quod dubitari poteſt, vtro modo Ceilani paulò pòſt ſe magis ingratos oſtenderint; quos tamen ſiue hoc, ſiue illud dicatur, certum eſt fuiſſe perfidos & ingratiſſimos. Si enim ſponte audito tantum illorum periculo, Dauid ad illos liberandos aduolauit; quæ perfidia deinde fuit tam paratum, tam facilem, tam intentum in ſuas vtilitates; vt nec admonitoris egeret, in hoſtis atrociſſimi manus tradere voluiſſe? & exitium quod ille ab omnium ceruicibus auerterat, illi conflare? Si verò ab ipſis rogatus & admonitus opem laturus aduenit, & aduentu ſuo ab omni calamitate cum ſui capitis periculo vindicauit; quod ſcelus, illum in quo tantopere fidebant, & quem poſtmodum fiducia ſua nihil fruſtrati, ſalutis auctorem experti ſunt peioribus hoſtibus prodere, quam à quibus per illum ipſi fuerant liberati? Vtroque ergo modo iſti ingratiſſimi; licèt vtro magis incertum.

Conſuluit ergo Dauid Dominum.] In hoc Dauidis prudentiam de qua tantopere in Scriptura
a lib. 1. cap. 35. de offic. laudatur, agnoſcit Ambroſius; [a] *quod nunquam poſt Goliam deuictum, bellum vllum, aut expeditionem ſuſceperit, niſi conſulto Domino.* Quomodo autem nunc conſuluerit, & ab illo reſponſum retulerit; integra diſputatione explanabitur, vbi de *Sapran. in Dauid.* diuinis oraculis & reſponſis in vniuerſum agemus.

Ecce nos hîc in Iudæa conſiſtentes.] ſimillima verba illis; quæ diſcipuli proferunt apud Ioannem [b]. *Nunc quærebant te Iudæi lapidare; & iterum vadis illuc?* Iſti tamen non ſolum de Dauidis, ſed de ſuo etiam periculo videntur eſſe ſolliciti; at Diſcipuli de ſolo Chriſto cogitant. nam per ſpeciem quaſi Chriſto timerent, ſibi etiam cauebant, vt ibi Patres [c] obſeruant. b Cap. 11.

c Chryſoſt. Euthym. Theophylac. in Cap. 11. Ioan.

Aduerſum agmina Philiſtinorum.] Nunc tuti non ſumus; cum tamen alios nullos hoſtes habeamus; niſi quod contra nos Saulis ita ſatellites armat; quid ſi ad inteſtinos oppugnatores externus hoſtis accedat? Et hinc à priuatis, & inteſtinis hoſtibus; inde à communibus & publicis premamur? Opprimemur certè.

Rurſum ergo conſuluit Dominum.] Non dubius Dauid: nec quaſi parum fidens diuino reſponſo iterum conſulit; ſed quo ſuis fidem maiorem faceret, & metu omni depoſito confirmaret.

Pugnauit aduerſum Philiſtæos.] Hæc Dauidis expeditio in æſtiuum tempus incidit & peracta eſt. Erant enim fruges adhuc in area, vt colligitur ex verſu primo. *Nunciauerunt dicentes; Philiſtiim oppugnant Ceilam & diripiunt areas.* Quod autem hîc ſubditur verſ. 5. *Et abduxit iumenta eorum.* Dionyſius de iumentis interpretatur, quæ Paleſtini adduxerant vt prædam illis imponerent & aueherēt. Qua in re illud factum eſt quod vulgo dici ſolet in fures, qui ſua ſpe fruſtrantur; Ita vt ſacculos quos ex alieno venerant ſuffarcinaturi, cogantur aliquando relinquere; & tantum abeſt vt ex alieno ditentur; vt ſua ipſi potius deſerere cogātur. Hoc Deus hoſtibus populi ſui ſæpius euenturum minatur [d]. *Væ,* inquit, *qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis; & qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris? Cum conſummaueris deprædationem, deprædaberis; cum defatigatus deſieris contemnere, contemneris.* Quod plane tunc contigit Paleſtinis. *Conſummata enim deprædatione, præda ipſi fuerunt.* Porro in his multa nobis myſticè obſeruanda ſunt, & libanda leuiter, quæ ſuo loco latiùs exequemur. d Iſaiæ 33. 1.

Primò enim in Paleſtinis, qui prædam quam abegerant, etiam cum auctario rerum ſuarum dimittere coacti ſunt, habemus expreſſam, conditionem miſeram peccatorum; qui quod ſolatium fugaciſſimum malè agendo perceperint, renouere compelluntur, & quidem breuiſſimo poſt interuallo. Illud enim iſtis fit quod dixit Dauid [e]. *Adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* Quod non ſolùm intelligimus de ſupplicio in altera vita, ſed in iſta. e Pſal. 77.

Secundò, cernimus hîc etiā legem illam à Deo ſancitam. vt [f] *quæ ſeminauerit homo, hæc & metat,* in hac quoque vita ſeruari. Ecce enim iſti qui prædas egerant, præda fiunt; & qui diripiebant, diripiuntur. In Ceilanis verò liberatis eorum typum habemus, qui reſipiſcunt; quorum pœnitentia à flagellis incipit quibus à Deo occultè, palam ab hominibus cæduntur; inde ad timorem progreditur; tum ad Dauidem ipſi id eſt Chriſtum conuertuntur, & ad eius opem implorandam, & demùm Chriſto opitulante eos adoriuntur à quibus ante fuerant oppugnati; quos non ſolum auertunt, ſed etiam deprædantur, ſua recuperantes, & aliena ſpolia inuadentes. Peccator enim ſuis viribus inde non poteſt emergere, f Ad Gal. 6.

qoo ſe peccando eoniecit; cum tamen id auxilio Dei fit, non ſolum quæ amiſerat bona recuperat; ſed maioribus inſuper meritis cumulatur. Semper enim in meliorem [g] ſtatum per pœnitentiam peccator erigitur, quam is erat ex quo deturbatus. Hoc ſignificat Deus per Ezechielem, Hebræis, & ſub eorum typo peccatoribus promittens ipſorum hoſtes illis in prædam ceſſuros; ſi ſtrenuè vtrique conſurgant, illi contra hoſtes aſpectabiles; iſti contra vitia & hoſtes alios, qui viſum fugiunt [h]. *Et deprædabuntur*, inquit, *eos quibus prædæ fuerant; & diripient vaſtatores ſuos.*

g Scotus in 4. d. 22. q. 1. ar. 2. Almai. Gabr. Baſ. ibi. Nauarr. diſt. 4. de pœnit. c. Diuina Clementia.

h Cap. 39. Ezech.

Propterea ſymbolum ſunt Ceilani iuſtorum, quibus Dauid, id eſt Chriſtus peculiariter adeſt. Hos enim cum Paleſtini, communes ſcilicet hoſtes oppugnant, non expugnant; ſed victi tandem diſcedunt; non ſolum nullo damno illato, ſed plurimis vtilitatibus & commodis adiunctis. Quod Dei nomine Apoſtolus [i] pollicetur *fidelis*, inquit, *Deus qui non patietur tentari vos ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum.*

i 1. Corinth. 10. 13.

Denique Paleſtini tempore æſtiuo cùm fruges in horrea conuehuntur, Ceilanos inuadunt. quia hoſtes noſtri tunc maximè nobis infeſti ſunt, cùm vberem meſſem fecimus; cum meritorum noſtrorum fruges cæleſtibus horreis importamus. Nudo enim & expoliato non inſidiantur fures; quia

Cantabit vacuus coram latrone viator.

At pluribus ac pretioſis ſarcinis onuſtus inconſulte facit, ſi nihil timet. Sed de his aliàs.

In Ceilam.] Dubium eſt quo in loco Dauidem adierit Abiathar cum fugeret à Saule. Nam in fine capitis præcedentis ſignificatur, multo antequam Ceilam ſe Dauid conferret, Abiathar ad ipſum confugiſſe. Hic autem indicatur ad Dauidem acceſſiſſe, iam Ceilam ingreſſum. Quod ſi eſt; quomodo Dauid, & per quem Deum conſuluit, antequam ad Ceilanos defendendos deſcenderet? Abulenſis putat poſt liberatam Ceilam Abiathar aduenisse. Quæ autem capite præcedenti de ipſius aduentu narrantur, eſſe per anticipationem dicta. Dauidem verò per ſe ipſum Deum conſuluiſſe, quod ſemper ſolebat, cùm ſacerdos non aderat, per quem ritè poſſet. Caietanus idem ſentire videtur. quia clare nunc dicitur Abiathar in Ceilam ad Dauidem veniſſe. Quod ſi minus placet dicere poſſumus; Iſtud; *ad Dauidem in Ceilam*; non eſſe interpretandum ad Dauidem iam in Ceilam commorantem; ſed in Ceilam cogitantem; quod de illius periculo inaudiſſet.

Ephod ſecum habens deſcenderat.] Quotuplex Ephod, & quæ veſtis eſſet, à quibus geſtari ſolita, quem etiam vſum haberet in diuinis oraculis reddendis; dicemus alibi.

℣. 7.) Nunciatum eſt autem Sauli quòd veniſſet Dauid in Ceilam: & ait Saul; Tradidit eum Deus in manus meas, concluſuſque eſt introgreſſus vrbem, in qua portæ & ſeræ ſunt.

℣. 8.) Et præcepit Saul omni populo vt ad pugnam deſcenderet in Ceilam; & obſideret Dauid, & viros eius.

℣. 9.) Quod cùm Dauid reſciſſet quia præpararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar ſacerdotem; Applica Ephod.

℣. 10.) Et ait Dauid; Domine Deus Iſrael, audiuit famam ſeruus tuus, quod diſponat Saul venire in Ceilam, vt euertat vrbem propter me.

℣. 11.) Si tradent me viri Ceilæ in manus eius? & ſi deſcendet Saul, ſicut audiuit ſeruus tuus? Domine Deus Iſrael indica ſeruo tuo. Et ait Dominus; Deſcendet.

℣. 12.) Dixitque Dauid; ſi tradent me viri Ceilæ, & viros qui ſunt mecum in manus Saul? & dixit Dominus; Tradent.

℣. 13.) Surrexit ergo Dauid, & viri eius quaſi ſexcenti, & egreſſi de Ceila, huc atque illuc vagabantur incerti: nunciatumq; eſt Sauli quod fugiſſet Dauid de Ceila, & ſaluatus eſſet: quamobrem diſſimulauit exire.

Tradidit eum Deus in manus meas.] Qui inſigniter improbi ſunt, ſolent peruerſa ſua ſtudia & voluntates in Deum referre, illarumque ipſum adiutorem ſibi poſcere & adminiſtrum; quo nimirum minus aliis peccare videantur in eo quod peccant; aut etiam eſſe laudandi, ſi faciunt quod Deo auctore perficiunt. Illis vtique opem non laturo, ſi quod agunt culpandum eſſet & reprehendendum. Iſti ſunt *qui* [a] *lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Qui Deo gratias agunt quod aliquid illis proſperè ceſſerit contra Deum; qui cum maximè ſacra omnia prophanaque perturbant, diuina & humana confundunt; tunc ſe maximè *exiſtimant obſequium præſtare Deo.* Talis erat Saul, qui contra fas omne Dauidem perſequens, adeo ſe credebat, vel credi volebat, nil contra Dei leges moliri; vt Deum ipſum ſui furoris ſocium & adiutorem ſibi putaret adeſſe. *Tradidit*, inquit, *Deus in manus meas.* Gratias ergo illi agit, quod ſua conſilia probauerit, quod conatus adiuuerit, quod fortunauerit euentus. *Benedictus Deus.* Cur? quia tradidit Dauidem in manus meas. Sic & adulter aliquando facit, gratias agit Deo quod irritæ non ceſſerint in totum inſomnes noctes; quod non fruſtra tandem inſidiatus fuerit ſomno maritorum. D. Bernardi [b] quæ huc faciunt, illa ſunt. *Sic vſu quodam magis, quam ſenſu, vel affectu perſonare in ore multorum gratiarum actionem aduertere eſt, in tantum vt homines quoque ſceleratiſſimi ad quæque flagitia & facinora ſua ſoleant gratias agere Deo quod bene proſpere (vt quidem ipſi ſapiunt) ceſſerit ſibi in adimpletione peruerſarum voluntatum ſuarum.* Et ſubdit; *Audis verbigratia furem cum impiæ machinationis malè cupitum manipulum reportantis, exultantem clam & dicentem; Deo gratias, non inanes vigilias feci, nocturnum laborem meum non perdidi. Similiter qui hominem interfecit, nonne gloriatur & refert gratias quod præualuit aduerſus æmulum, aut de hoſte ſe vindicauit? Et nihilominus adulter tripudians geſtit in Dei laudes quod diu optato concubitu tandem potitus ſit &c.* Contra hos illud à Deo dicitur [c]

a Prouerb.

b Serm. 13. in Cant.

c Pſal. 49.

Exiſtimaſti,

Digitized by Google

Exiſtimaſtè, inique, quod ero tui ſimilis qui ſi videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Similem enim ſui Saul Deum exiſtimat, eodem furore pereitum, eadem inſania laborantem, & eodem ſtudio Dauidem ionoxium perſequentem: propterea ſecum *currere & ambulare, & portionem ſuam conferre*, & quodammodo conſpirare ad illum perdendum. vnde dicit; *Tradidit eum Deus in manus meas.*

Omni populo.] Hebræa phraſis à oobis ſæpius obſeruata; qua particulæ quæ vniuerſitatem ſignificant, ponuntur aliquando pro *multitudine*; & plures ſignant, non vniuerſos. Huiuſmodi ſunt voces; *cuncti, vniuerſi, omnes, & ſimiles.* Propterea in Scriptura, cum ita vſurpantur; vt non tantum plures, ſed prorſus omnes, nullo excepto, ſigoificent, adiungitur poſt affirmationem negatio ad ambiguitatem tollendam. Ezechias loquens de regia ſupellectile Babylooiis legatis à

d Iſaiæ 39. 4.

ſe demonſtrata. [d] *Omnia*, ioquit, *quæ ſunt in domo mea, viderunt.* Quod quia poterat intelligi hyperbolieè dictum, quaſi plurima tantom vidiſſent; adinogitur per oegationem; *Non* ſuit *res*

e ver. 3.

quam non oſtenderim eis. Similiter Ioannis [e] primo. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Quod vt conſtaret propriè dictum, & notam vniuerſitatis, non tantum propluribus; ſed nullo excepto planè pro omoibus vſurpari; additur; *Et ſine ipſo*

f Cap. 42. 4.

factum eſt nihil. Sic apud Ieremiam; [f] *Omne verbum quodcunque reſponderit mihi indicabo vobis,*

g Cap. 3.

nec celabo vos quicquam. Et 1. Regum, [g] *Indicauit ei Samuel vniuerſos ſermones, & non abſcondit ab eo.*

Cæterùm enm ſine negatione, modo quo explicauimus adiuncta, notæ huiuſmodi vniuerſitatis alibi in Scriptura vſurpantur; certa res eſt, vt dixi, ſæpiſſimè voiuerſitatem ſuam non retinere. Quod dupliciter fieri poteſt. Primò, quod hyperbolieè accipiantur; vt fit cum id de quo loquimur, maiori cum emphaſi proponimus ad omnem dubitationem ex auditoris animo tol-

h Cap. 4. 9.

lendam. Sic Samaritana apud Ioannem [h]. *Venite,* inqnit, *& videte hominem, qui dixit mihi quæcumque feci.* cùm tamen Chtiſtus illi tantum patefeciſſet, quot & quibus com viris conſueuiſſet. Per eandem hyperbolem id etiam eſt accipiendum

i Cap. 15.

quod habetur 2. Regum [i]; *Toto corde vniuerſus Iſraël ſequitur Abſalon*; cum tamen iotegræ duæ tribus intactæ eſſent, & Danidem ſequerētur. Secundo, nota vniuerſitatis illam abſolutè non retinet, cum appoſita diſtributio illi ſubiotelligitur. Tone enim vniuerſos ſignificat, non abſolutè,

k Cap. 1.

ſed in tali genere. ſic illud Ioannis eſt [k] intelligendum; *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Clara enim res eſt non omnes prorſus, qui in hunc mundum veniunt, à Chriſto, nullo excepto, illuminari; ſed plures eſſe, qui ſuis tenebris obſidentur, quibuſque nunquam ſol veritatis affulſit. Nec tamen hoc hyperbolicè tantùm dictum eſſe accipi poteſt; ſed *cum diſtributione appoſita* verè & propriè non tantum *multos & plures*; ſed prorſus omoem hominem venientem in hunc mundum illumioatum à Chriſto, qui fuerit illuminatos; vt ſit ſenſus; *Omnes qui illuminantur, à Chriſto illuminari*;

l Tract. 2. in Ioan. 1. de peccat. mer. c. 25. in Enchir. 103.

quæ eſt in illa verba interpretatio Auguſtini [l]. In qoo eodem ſenſu accipiendum eſt apud Lucam [ll];

ll Cap. 6. 18.

Quod virtus de Chriſto exibat & ſanabat omnes. Id eſt *non omnes, nullo excepto*; ſed *omnes qui accedebant* & ſanari iodigebant. ſimili etiam cum

diſtributione illud exponitur à quibuſdam, quod haber Apoſtolus ad Timotheum [m]. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* non vt omnes, nullo excepto, voluntate abſoluta velit; ſed vt omnes qui ſaluantur, Dei voluotate ſaluari intelligamus. ſic Auguſtinus [n], Proſper [o], Fulgentius [p]. Quorum expoſitionem, ne quiſquam putaret minus cum litterali ſenſu congruere; hæc de varia acceptione harum particularum omittenda non erant.

m Epiſt. 1. Cap. 2. 4.

n de ſpiritu & lit. c. 33.

o ad 1. obiect. Vinc.

p ad Monimum.

Hoc ergo loco; *omni populo præcepit*; accipiendum eſt vel hyperbolicè dictum; vt *omni*, ponatur pro maiori parte, ſioe vlla dubitatione intelligenda; vel certe cum reſtrictione *de omni populo*, qui idoneus erat ad pugnam.

Ad pugnam deſcenderet in Ceilam.] Ad quam pugnam, & contra quos? ſunt qui contra Ceilanos. Saulem enim audita Dauidis victoria contra Paleſtioos, & Ceilanos illius beneficio deuinctos, mœnibus illum ſuis recepiſſe, ſtatim contra illos mouiſſe. Alij Dauidem ſolum & ipſius comites petitos volunt. Probabilius eſt contra Paleſtinos, qui Ceilaoos ioſeſtabant Saulem arma ſimulatè vertiſſe, vt Abulenſis, & Caietanus obſeruant. Si enim clare ante profeſſus eſſet, quorſum, & ad quos tenderet expugnandos; dubium nullum erat, quin re ſtatim diuulgata, ſibi, ſuiſque Dauid opportune conſuleret. Vt igitur non opinantes inuaderet, Paleſtinos ſe perſequi ſimulauit. Quod etiam ex eo clare ſatis habetur quod paulo poſt ſubditur. *Cùm reſciſſet Dauid, quia præparauit ei Saul clam malum.* Clam præparaſſe dicit; quia non apertè contra Danidem copias duxerat; ſed aliud ſimulaodo. Id ergo qood adiungitur; *Vt obſideret Dauid & viros eius*; non eſt refereodum ad id quod populo eſt expreſsè mandatum; ſed ad propoſitum quod Saul tacitus in mente voluebat, vt bene Caietanus hic obſeruauit.

Reſciſſet.] Latinè loquutus eſt interpres, vſus *reſciendi* verbo, in ſua maxime propria ſignificatione. De qua Gellius; [q] *Qui factum, inquit, aliquod occultius, aut inopinatum inſperatumque cognoſcit; is dicitur propriè reſcire.* Et ſubdit; *Quanquam ipſum ſcire de omnibus communiter rebus dicatur; aliter tamen reſcire, vel reſciri, apud eos, qui diligenter loquuti ſunt, nondum inuenimus; quam ſuper iis rebus, quæ aut conſilio latuerint, aut contra ſpem, & opinionem vſnuenerint.* Et addit deinde varia exempla, inter alia illud ex Næuio.

q lib. 2. c. 19.

Si vnquam quicquam filium reſciuero,
Argentum amoris cauſa ſumpſiſſe mutuum
Extemplo illò te ducam vbi non deſpuas.

Ergo noſter interpres hoc verbo oune vtens, ſignificat id qood moliebatur in Dauidem Saul, occultum, & præter aliorum expectationem fuiſſe. Quod confirmat id quod paulo ante in obſeruatione proxima notabamus.

Quia præpararet ei clam malum.] Hic etiam latiniſſimè loquutus eſt interpres. *Malum* enim ſubſtantiue poſitum ſæpiſſimè latiois eſt graue quodcunque damnum & iactura. Vnde illud Comici; [r]

r Plaut. in Pen.

Non mirum mihi ſi pruriebant ſcapulæ.
Sciebant eſſe ſibi in mundo malum.

Applica Ephod.] Quid hoc ſit; infra fusè diſſeretur in diſputatione de diuinis reſponſis.

Vt euertat vrbem propter me.] Hoc incerto rumore ferebatur. Si eoim id exploratom fuiſſet, non interrogaſſet Dauid, nec Deum de eo conſuluiſſet.

conſuluiſſet. Propterea autem id de Saule timebatur, quia recens erat exemplum exciſi oppidi ſacerdotalis. Si enim tantummodo quia Dauid illac pertranſierat, vt tantiſper refocillaretur, licet oppidanis inſciis; in ipſius tamen Dauidis odium, totum oppidum exciſum fuerit; quanto magis timendum erat ne Ceilanam vrbem ferro, flammaque vaſtaret, in quam non ſolùm fuerat amicè receptus; ſed vt ad triumphum inuitatus quaſi cuſtos publicæ ſalutis?

Si tradent me.] Particula; *ſi*; ponitur hoc loco pro nota interrogationis; & idem valet quod; *an*; vel; *ne.* quem vſum etiam habet aliquando apud latiniſſimos auctores. Sic apud Comicum.[s] *Viſum ſi domi eſt*; id eſt, *domi ne ſit.* Et Cicero;[t] *Dicite ſi paſcuntur aues*; id eſt; *an paſcantur aues.* Apud noſtrum vero interpretem ſæpiſſimè id nbuium eſt. Sic apud Lucam Chriſtum diſcipuli interrogant;[u] *Domine, ſi percutimus in gladio?* Et alibi;[x] *Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael?* Id eſt reſtitues ne hoc tempore regnum Iſrael?

[s] Terent. Hauton.
[t] 2. de diuinat.
[u] Cap. 22. 49.
[x] Actor. 1. 6.

Dixit Dominus: Deſcendet, & tradent.] Quomodo ſit in Deo certa & explorata cognitio *contingentium*; quæ ſunt ſub aliqua conditione futura, & ita nunquam erunt; vt tamen certiſſimè euenisſent, ſi quid aliud præceſſiſſet; in integra diſputatione explicabitur. Quod autem hoc loco poteſt habere difficultatem illud eſt; Quomodo diuinum hoc reſponſum verum fuerit. Interrogauerat enim Dauid; *ſi deſcendet Saul; & ſi tradent me viri Ceila. Et dixit Deus; Deſcendet, & tradent.* Saul autem non ſolum non deſcendit; ſed nec omnino ſe loco mouit, aut copias emiſit. Verum clara ſolutio eſt. Neque enim Dauid ſimpliciter interrogauerat; an Saul eſſet deſcenſurus; ſed cum reſtrictione. *Sicut*, inquit, *audiuit ſeruus tuus.* Ipſe autem audiuerat ad vrbem deſcenſurum, vt illam expugnaret; ſi Dauid in illa detineretur. Reſpondit ergo Deus deſcenſurum Saulem, non *abſolutè*, ſed cum *conditione*, ſi Dauid in vrbe remaneret. At dicet aliquis; Audiuerat Dauid deſcenſurum Saulem, & in odium ſui vrbem euerſurum. Hoc autem an ita futurum eſſet, vt interrogauerat: ita reſponſum tulit id futurum. Idem hîc repeto non abſolutè, ſed ſub conditione Dauid id inaudiuerat: ſi nimirum pergeret in vrbe perſiſtere; tunc oppidum à Saule obſidendum, expugnandum, & in odium Dauidis euertendum.

Huc atque illuc vagabantur] In Hebræo ad verbum eſt. *Profecti ſunt, quo pergebant.* Septuaginta; *Ibant, quo ibant.* Quo dicendi modo ſignificatur incertus, vaguſque diſcurſus, vt ſolet fieri in ſubita irruptione à trepidantibus Phraſim Hebræam, quam noſter interpres latinè reddidit, integram fermè alibi[y] retinuit. Dixit Dauid ad Ethai, *Ego ibo quo iturus ſum. reuertere.* id eſt, ego huc atque illuc vagabor incertus proinde reuertere. quia nec ipſe quidem compertum habeo quo me potiſſimum recipiam; ſed

[y] Lib. 2. Reg. c. 15. 20.

Quo me cumque feret tempeſtas deferar hoſpes.

Et diſſimulauit exire.] Vide immaniſſimi tyrãni peruerſitatem. Vrbem Nobem delet: quia tantum illam Dauid inſciis omnibus ingreſſus fuerat; vrbi autem Ceilæ parcit, cuius habitatores Dauidem vocauerant, exceperant, ſaluum & incolumem dimiſerãt. Quid hoc eſt. Et vnde tanta repentè moderatio? Quid hic dicam neſcio: niſi immite & impium ingenium nihil in ſacerdotibos voluiſſe diſſimulare; voluiſſe in aliis, vt eo ipſo non magis contra Dauidem, quam contra Deum, Deique cultores bellum ſe gerere profiteretur. Alias cauſas affert Abulenſis omnes minus appoſitas: veram ac magis probabilem ſecum ipſe prudens lector excogitet.

℣. 14.) Morabatur autem Dauid in deſerto in locis firmiſſimis, manſitque in monte ſolitudinis Ziph, in monte opaco: quærebat eum tamen Saul cunctis diebus: & non tradidit eum Deus in manus eius.

℣. 15.) Et vidit Dauid quod egreſſus eſſet Saul vt quæreret animam eius. Porro Dauid erat in deſerto Ziph in ſylua.

℣. 16.) Et ſurrexit Ionathas filius Saul & abiit ad Dauidẽ in ſyluam, & confortauit manus eius in Deo: dixitq; ei.

℣. 17.) Ne timeas: neque enim inueniet te manus Saul patris mei, & tu regnabis ſuper Iſrael, & ego ero tibi ſecundus, & pater meus ſcit hoc.

℣. 18.) Percuſſit ergo vterque fœdus coram Domino: manſitque Dauid in ſylua: Ionathas autem reuerſus eſt in domum ſuam.

Quærebat eum tamen Saul cunctis diebus.] Hoc illud eſt, quod Dauid ipſe commemorat cùm Dei protectionem extulit, qua ſeruis ſuis adeſt aduerſus impios[a]. *Obſeruabit*, inquit, *peccator iuſtum.* Quid eſt *obſeruabit?* Inſidiabitur. Quod hic facit Saul, & ita legit D. Ambroſius ex Lxx. *Inſidiabitur peccator iuſtum.* & quia non ſuccedunt inſidiæ; fremit dentibus & indignatur. Vbi Ambroſius; *Indignantis enim & ferueſcentis in iracundiam conſuetudo eſt dentibus fremere.* Pergit deinde Ambroſius; *Inſidiæ commenta nequitia dentes ſunt peccatoris: illis fremebat in Dauidem Saul cum ipſum cunctis diebus quærebat.* D. Hieronymus; illud, *obſeruabit peccator iuſtum.* vertit; *cogitat de iuſto peccator.* Quo diligens & attentum ſtudium, & ſollicita rationum omnium inueſtigatio ſignificatur, qua peccator iuſto, Saul Dauidi perniciem molitur. At quo tandem omnia recidunt? *Dominus autem irridebit eum.* Cum enim vt hic dicitur, *quæreret Dauidem Saul cunctis diebus; non tradidit illum Deus in manus eius.* Fruſtra enim opera in illo perſequendo conſumitur, quem Deus ſuo patrocinio tuetur. Propterea ſubdit ibidem Dauid,[b] quaſi ad hoc reſpiciens quod nunc agitur; *Conſiderat peccator iuſtum, & quærit mortificare eum. Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius.* Verbum enim *conſiderandi*, illud ſignificat, quod hîc dicitur. *Quærebat cunctis diebus.* Et Euthymius obſeruat; *Conſiderare*; propriè ibi eſſe contra alium inſidias diſponere, malumque tacitè moliri. Propterea Complutenſes, quod noſter paulo ante dixit; *Cùm reſciſſet Dauid quod præpararet ei Saul clam malum*, ipſi legunt; *Cùm reſciſſet Dauid quod taceret Saul*; id eſt quod tacitus conſideraret, inſidias ſecum cogitando & verſando. Verè enim ſilentium iſtud improborum timendum

[a] Pſal. 36.
[b] Pſal. 36.

mendum eſt: qui ſiue loquantur, ſiue taceant; iuſtis ſemper aliquod exitium machinentur; & tunc fortaſsè magis timendi, quia occultius & latentius ſæuiunt. Cæterùm quod in Pſalmo illo dicit Dauid; *Et Dominus irridebit eum*; clariſſimè hîc etiam videmus expreſſum. Quot enim & quanta Saul in Dauidem fremens inſtruxerat; quæ tamen omnia irrita ceciderunt? Et non quomodocunque, ſed prorſus vt irriſi cedunt, conatus puerorum auiculam aliquam perſequentium; quam dum iam ſe credunt apprehendere, & illa ſecura ſui ante ipſos ludit, repente volatu præpeti in ſublime delata, miſeros pueros ludificatos ſimul & defatigatos relinquit. Non aliter hic cum Saule factum. Dauidem inſequebatur; iam iam apprehendere, iam ſe tenere putabat; vnde dicebat; *Tradidit illum Deus in manus meas.* At ille repentè ex oculis elapſus illius omnes conatus eluſit. Videmus aliquando cùm quis aduerſarium petit, & toto in illum impetu incumbit; ſi ille ſe doloſe ſubtrahat, pronum ferri, ad ſolumque affligi ingenti caſu, qui petebat; riſumque mouere qui lachrymas aliis excutere parabat. Sic etiam Saul & alius quicunque improbus, qui Dauidem, id eſt iuſtos perſequitur; dum illum captat, dum in illum incumbit, & vires exercet ad illum perdendum, præceps ille plerumque deiicitur, quo alium petebat; irridendusque exponitur, qui alios miſeros facere moliebatur. Hoc eſt ergo, *Dominus irridebit eum.*

Manſit autem in deſerto in locis firmiſſimis.] Circa nomina horum locorum ad quæ ſe Dauid fugiens ſubinde conferebat, nonnulla diuerſitas eſt inter noſtram vulgatam, & alias verſiones. Quia autem hæc curioſius perſequi laborem habet ingentem cum exiguo fructu, eo nos labore ſuperſedebimus: cum præſertim ea de re egerit accuratè ſcholiorum auctor ad verſionem LXX. editionis Romanæ.

Et non tradidit illum in manus eius.] Ergo nimis ille propere triumphum cecinerat, cum di-
c ver. 6. xit;[c] *Tradidit illum Deus in manus meas.* Neque enim iſta duo ſibi cohærent, aut mutuo concinunt; *Tradidit*; *Non tradidit.* Nihil hac improborum deceptione frequentius; quæ etiam ſpectat ad irriſionem, qua Deus illos ludificat, & de qua Dauid, vt modo vidimus, dicit; *Dominus autem irridebit eum.* Cùm enim laboribus ſuis optatum tandem exitum aduenisse putant, & iam ſe in portu nauigare, ſubito æſtu & improuiſo correpti, medios in fluctus abripiuntur; ab eo quod improbè moliebantur, longius quam vnquam alias extiterant abducti. Sic etiam alius Iſraelitici populi potentiſſimus hoſtis ſecum ipſe victoriam canens in ſeruos Dei ante triomphum,
d Exodi 15. dicebat;[d] *Perſequar & comprehendam, diuidam ſpolia, implebitur anima mea, euaginabo gladium meum.* At quid ſequutum? Alia prorſus omnia. *Flauit enim ſpiritus Dei, & operuit eos mare*, & omnes illas ventoſas & turgidas comminationes turbo ſubitus Dei ſpiritu concitatus in leues auras abripuit, & difflauit. Hoc illud eſt, quod alibi Dauid ipſe de peccatore ſignificat. [e] *Inſidiatur vt rapiat pauperem, in laqueo ſuo humiliabit eum; cum dominatus fuerit pauperi inclinabit ſe & cadet.* Quid eſt inclinabit ſe? Pauperem cui inſidiatur ita aliquando habebit obnoxium; vt ad illum comprehendendum, quaſi auiculam laqueis implicatam iam manus inclinatus extendat. Et tunc quid? Cum ſe *inclinauerit* vt apprehendat, inclinatio illa non erit apprehenſio prædæ, ſed lapſus ad caſum. *Inclinabit ſe & cadet.* Sic ſolet Deus irridere, & aliis irridendos exponere conatus improborum aduerſùs ſanctos ſuos. Quis enim hic non videat inclinantem iam ſe Saulem, vt Dauidem proſtratum apprehendat, & ſuis laqueis incluſum, & ob id ſibi plaudentem; *Tradidit illum Deus in manus meas?* Ex alia verò parte de illo deluſo nunc dici; *Quærebat Dauidem Saul cunctis diebus, & non tradidit illum Deus.*

In ſylua.] Quem locum paulo ante appellauit; *montem opacum in ſolitudine Ziph*; nunc ſyluam nuncupat; vt intelligamus opacitatem illam ex vmbroſis & denſis arboribus extitiſſe. Talia autem loca aptiſſimam latebram præbere profugis; nullus ignorat.

Abiit ad Dauidem.] Ioſephus LXX. ſequutus dicit Dauidem quadringentos viros ſecum ex Ceilam eduxiſſe; (hos fere ſexcentos noſtra vulgata refert) inde autem cum illis collem quendam munitum inſediſſe, nomine Engelaim (quem noſtra montem ſolitudis Ziph appellat) quo poſtea relicto in agrum Ziphenum ſe cum ſuis contuliſſe. Quo comperto cum Ionathas accurriſſet ſalutaturus amicum, hortatum illum eſſe bene ſperaret; neue præſentibus difficultatibus fractus, cederet irruenti procellæ. Regnaturum enim tandem eum, & vniuerſo Hebræorum populo præfuturum.

Hac in narratione multa ſunt quæ à noſtra vulgata diſſentiunt, conſentiunt autem cum LXX. Quomodo vero Complutenſes, Theodoretus & alij inter ſe diſcrepent aut conueniant, in horum locorum appellatione accuratè habetur in ſcholiis LXX. editionis Romanæ.

Coram Domino.] Id eſt, Deo teſte interpoſito. Alibi; *Coram Domino*; eſt in ſanctuario vt ſuo loco docuimus.

Ionathas reuerſus eſt in domum ſuam.] Priuatæ offenſiones, quæ patrem inter & filium Ionathan extiterant, ab ea die qua morti illum Saul adiudicauerat, nunquam deinceps planè extinctæ ſunt. Itaque & facile Ionathas adhæſit Dauidi, patri licet infenſo aut inuiſo; & Saul cuiuis potius, quam filio perſequendi Dauidis curam credebat. Ne quis autem miretur tam facile Dauidi Ionathan regno ceſſiſſe; perpendat nondum eo tempore certi iuris in Iſrael fuiſſe regiam ſucceſſionem; ſed adhuc omnia ſuſpenſa ex populi electione. Qua de re alibi.

℣. 19.) Aſcenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes; Nonne ecce Dauid latitat apud nos in locis tutiſſimis ſyluæ in Colle Hachila, quæ eſt ad dexteram deſerti.

℣. 20.) Nunc ergo ſicut deſiderauit anima tua vt deſcenderes, deſcende: noſtrum autem erit, vt tradamus eum in manus regis.

℣. 21.) Dixitque Saul; Benedicti vos à Domino, quia doluiſtis vicem meam.

℣. 22.) Abite ergo, oro, & diligentius præparate, & curioſius agite, & conſiderate locum vbi ſit pes eius, vel

quis viderit eum ibi, recogitat enim de me, quod càllidè inſidier ei.

℣. 23.) Conſiderate, & videte omnia latibula eius, in quibus abſconditur: & reuertimini ad me ad rem certam vt vadam vobiſcum, quod ſi etiam in terram ſe abſtruſerit, perſcrutabo eum in cunctis millibus Iuda.

Ziphæi.] Zipb vrbs erat in tribu Iuda monti impoſita opaco & nemoroſo, dumis & arboribus infructuoſis conſito, vt ex hoc & aliis locis [a] colligitur. Ab iſta vrbe appellationem ſuam ſumpſere *deſertum, mons*, & ſylua Ziph: in quibus locis cum ſubinde latitaret Dauid, Ziphæi ciues ob id ſibi timentes ab ira Saulis indicium illi fecere Dauidis latentis; ſimul etiam operam ſuam deferentes ad ipſum inquirendum & inſectandum. De hac vrbe qui plura volunt; auctores [b] conſulant qui curioſius Paleſtinæ deſcriptionem ſunt exequuti.

a Ioſue 15. 1. 2. Paral. 11. 8.

b *Andrichomius de tribu Iuda. Broc. itiner. 6 Maſius Ioſue cap. 15. Hieron. de loc. Hebr.*

In Gabaa.] De hoc oppido quale, & vbi ſitum; ſæpius à nobis dictum; præſertim libro ſecundo [c].

c Cap. 21.

Nonne Dauid latitat apud nos?] In concitata oratione, & ad amplificandum inſtituta, nouum non eſt ea quæ dicuntur, interrogando affirmari. ſed in ſimplici narratione vbi nec affectibus nec exaggeratæ aſſeuerationi locus eſt; interrogatione vti ad aliquid affirmandum, ex proprietate eſt Hebraicæ linguæ.

In colle Hachila.] Collis Hachilla, vel vt alij tenui diſcrimine legunt *Hachille*, mons erat natura munitiſſimus, non procul ab vrbe Ziph, & einſdem nominis ſylua, quæ ad dextram deſerti immenſo tractu protendebatur. In hoc colle Caſtrum deinde extructum eſt à Ionatha Machabæo Maſſada nomine; vt locus ſuo ingenio tutiſſimus, arte etiam adiuncta prorſus inacceſſus & inexpugnabilis [d] redderetur. Hoc ipſum Caſtellum Herodes poſt modum amplificauit, ſpatiumque ſeptem ſtadiorum muro firmiſſimo complexus, & ſeptem ſupra viginti turribus diſtincto; Regiam etiam adiunxit quatuor excelſis turribus munitam, in quam ad incertos bellorum euentus, & repentinos caſus humanæ ſortis, annonam, quæ in centum annos ſufficeret, importauit; omnigenumque armorum vim tantam intulit, vt bellatorum centum millibus ſatis eſſent [d]. Fruſtra tamen hæc omnia fuere. Nam aquæ penuria iis, qui caſtrum pro Herode ſeruabant, ad deditionem compulſis, caſtrum ipſum ab Antiocho eſt expugnatum.

d Ioſeph lib. 14. antiq. cap. 22.

d *Adricom. in deſcript. terræ ſanc.*

Nunc autem ſicut deſiderauit anima tua.] In Hebræo ad verbum eſt: *Et nunc ad omne deſiderium animæ tuæ, ô Rex, ad deſcendendum deſcende.* Quo Hebraiſmo duo exprimuntur. primum quidem accenſa cupiditas, qua Saul flagrabat in Dauidis interitum. Propterea hanc voluntatem perdendi Dauidis, appellant iſti, vt legitur in Hebræo *omne deſiderium animæ Saulis*. Erat enim hæc illius ſumma votorum. Deinde vero facilitas exprimitur, quam perueiſi Regum miniſtri, & aſſentatores, ipſis regibus pollicentur, in eo quodcunque ſit, quod cupiunt, aſſequendo; quantumuis illud arduum ſit, & perfici quandoque nulla ratione poſſit. Simile quid improbis omnibus contingit, cum ſuis malis cupiditatibus obſequuntur. Antequam enim manus operi admoueant, omnia illis facilia, procliuia, plana diabolus ſuggerit. Denique quicquid concupierint, id tam facilè poſſe obtineri, quam *vulpes* vt ille dicebat, *pirum comeſt*. Hoc eſt illud; Euge, Euge, quod ſibi peccator vel illi diabolus, aut diaboli ſatellites occinunt; dum [e] *laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur*. Quem locum ſic legit Chryſoſtomus, *Hymnum dicit peccator ſuper cupiditate animæ ſuæ*: Quid eſt hymnum dicere? Canere triumphum; conclamare victoriam, perfectum ſibi iam gratulari, quod vix attigerint; denique prius parere quam concipere. Propterea enim de peccatoribus in vniuerſum Dauid aſſeruit, quod *pariunt, & concipiunt iniquitatem*. quod eſt prius partum edere, quàm primo conceptu formaſſe. *Ecce*, inquit, de peccatore loquens, *parturiit iniuſtitiam, concepit dolorem* [e], *& peperit iniquitatem*. Niſus enim pariendi. & partus ipſe conceptum non præcedunt, ſed ſequuntur: vt tamen ſignificaret Dauid ardens improborum in peccando ſtudium, quamque ſibi nonnunquam omnia procliuia, in eo quod cupiunt, aſſequendo polliceantur, dixit eos *priùs parturire, & parere iniuſtitiam, quàm concipere*. Quos alibi monet [f]; *ne dicant in cordibus ſuis, & anima ſua; Euge euge*. præſertim cum inſidias iuſto moliuntur. Ne dicant; *Deuorauimus eum*. Falluntur enim prorſus, & fruſtra ſunt, & dum multa ſibi polliciti fuerint, nihil aſſequuntur; & quæ facilia ſibi procliuiaque fingebant, vſu ipſo planè inacceſſa & imperuia experiuntur; vt nunc Sauli contigit, & eius aſſentatoribus Ziphæis. Dauidem enim cum ſuis omnibus interclusum, iam ſe habere in poteſtate putabant. Nihil vanius. ille enim ſecurus euaſit, iſti deluſi ſunt. Illuſtre exemplum huius vanitatis improborum, qui ſibi prona omnia ſpondent, in ſuis cupiditatibus explicandis, habetur ſequenti libro, vbi Cuſai ſic Abſalonem alloquitur, de Dauide perſequendo ſuorum conſilium explorantem [g]. *Irruemus*, inquit, *ſuper eum in quocumque loco inuentus fuerit, & operiemus eum ſicut cadere ſolet ros ſuper terram; & non relinquemus de viris, qui cum ipſo ſunt, ne vnum quidem*. Quibus non contentus adiungit; *Quod ſi vrbem aliquam fuerit ingreſſus; circumdabit omnis Iſrael ciuitati illi funes, & trahemus eam in torrentem*. Quid poterat ventoſius iactari, quid facilius effingi? Ille neſcio quis ad ſignificandam ſummam rei gerendæ facilitatem dixit;

e Pſal. 9. 24.

e Pſal. 7. 15.

f Pſal. 34. 25.

g lib. 2. Reg. cap. 17.

[h] *Tam hoc quidem tibi in procliui, quam imber eſt quando pluit.*

h *Plautus in Pſeudo.*

Eadem oratione vtitur Cuſai, & ſub typo illius omnes improbi cum de futuro ſucceſſu ſibi plaudunt votorum ſuorum aduerſus iuſtos. *Irruemus ſuper eos, & operiemus ſicut ros cadere ſolet ſuper terram*. Verum vt inanes cadunt conatus dormientium; ita illorum cogitationes euaneſcunt; & ſpes fruſtra conceptæ deluduntur. [i] *Quia habitans in cælis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos*. laqueos enim circunquaque tetenderint, & iam fera illos induerit, quam ſequuntur; vbi dixerint ipſi ſibi

i Pſal. 2. 4.

[k] *Plagis tenetur clauſa diſpoſitis fera.*

k *Sen. in Thieſt. Act. 4.*

Tunc illi *quorum adiutorium eſt* à Domino, & qui in *protectione* [kk] *Dei cæli commorantur*, læti cantabūt [l]; *laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus*. Et hoc totum in Dauide cernere licet paulo ante ita oppreſſo, vt nullum effugium reperiret; & nunc præter omnium expectationem, ex Saulis

kk Pſl. 90. 1.

l Pſal. 123. 7.

manibus

manibus erepto, ipſo fremente & deluſo.

In cunctis millibus Iuda.] Populus Iſraeliticus
m Exodi c. 18. 25. 1. Paral. 23. 4. Deuter. 33. per chyliadas erat diſtributus, vt alibi [m] conſtat. Vnde factum, *vt millia populi Iudaici*, populus ipſe vniuerſus intelligatur. Senſus ergo hoc loco eſt. Si ſe Dauid in ipſos terræ ſinus penetrauerit; *perſcrutabor eam*, conuocato etiam ſi opus
n Mich. 5. 2. fuerit, ad id vniuerſo populo Iudaico. Similis phraſis habetur in illo notiſſimo teſtimonio. [n] *Et tu, Bethleem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda.* id eſt in vniuerſo populo Iudaico, & inter alias tribus.

℣. 24.) At illi ſurgentes, abierunt in Ziph ante Saul: Dauid autem & viri eius erant in deſerto Maon, in campeſtribus ad dexteram Ieſimon.

℣. 25.) Iuit ergo Saul, & ſocij eius ad quærendum eum: & nunciatum eſt Dauid, ſtatimque deſcendit ad petram, & verſabatur in deſerto Maon.

℣. 26.) Et ibat Saul ad latus montis ex parte vna: Dauid autem & viri eius erant in latere montis ex parte altera: porro Dauid deſperabat ſe poſſe euadere à facie Saul: itaque Saul & viri eius in modum coronæ circundabant Dauid, & viros eius, vt caperent eos.

℣. 27.) Et nuncius venit ad Saul dicens, feſtina, & veni, quoniam infuderunt ſe Philiſtiim ſuper terram.

℣. 28.) Reuerſus eſt ergo Saul deſiſtens perſequi Dauid, & perrexit in occurſum Philiſtinorum. propter hoc vocauerunt locum illum, Petram diuidentem.

Porro Dauid deſperabat ſe poſſe euadere.] Dubium hoc loco eſt quomodo Dauid animum deſpondere potuerit, certus iam toties diuini promiſſi de regno Iſraelitico obtinendo. Multa hic dicenda eſſent, quæ commodius in diſputationibus expediuntur. Interim quod ſatis tantum ſit ad ſenſum litteralem huius loci non omittemus. Sunt qui deſperaſſe volunt, non pro ſe, ſed pro ſuis quos ſecum ducebat; ſunt qui non ſalutem ſuam, ſed euaſionem ex manibus Saulis ſine ſanguine & cruento bello deſperaſſe dicunt, vt
a Burgenſ. Vatabl. Caiet. Lyranus. At alij, [a] aſſeclæ Rabinorum verſionem vulgatam damnant; pro qua ſupponunt ex Hebræo ad verbum; *Et feſtinabat Dauid præcipitanter fugere à Saule.* Negant ergo Dauidem *deſperaſſe*, quod nullum tale verbum ſit in Hebræo fonte. Nobis à vulgata diſcedendum non
b Hieronym. Angelom. Dionyſ. Abul. eſt, quam omnes alij [b] amplectuntur & interpretantur. Monet rectè Dionyſius Hebræam litteram fortaſſe ambiguam ad vtrumque ſenſum; rectius tamen dixiſſet Hieronymum magis auctoris mentem ſequutum, quam verba, quod munus eſt fidelis interpretis. Quomodo ergo *deſperauit Dauid?* Habito ſcilicet reſpectu ad ſecundas & proximas cauſas, non ad ipſum Deum, ad illas enim reſpiciens, optimè iudicabat actum de ſe eſſe, ſpemque omnem ſuam ſi quam in illis haberet, fruſtra plane eſſe. Propterea, quod iam nihil amplius ſibi erat in humana ope præſidij, ad Deum totus vertebatur; certus viam illum inuenturum, qua ex ipſis mortis faucibus eriperetur. Quod ipſemet infra verbis illis teſtatus eſt, cùm de hac ſua liberatione loquens fiduciam ſuam in Deum, & illius in ſe benignitatem ex-
tollit. [c] *Miſit*, inquit, *de alto & aſſumpſit me.* Ad c lib. 2. Reg. c. 22.
quem locum plura, quæ hoc quoque faciunt.

Itaque cingebant Dauid in modum coronæ.] Quomodo hoc, ſi inter vtroſque medios montis vertex intercedebat? Perſpicuè enim dicitur Dauidem cum ſuis ex altera parte montis obambulaſſe; partem vero alteram per obliqua deuexa Saulem & ipſius ſatellites inſediſſe. Non ergo cingi Dauid poterat à Saulis militibus. Sed dicendum campeſtria ipſa deſerti Maon fuiſſe prius occupata à Saulis militibus; Dauidem autem in *Petram*, ſiue præruptum montem ſe contuliſſe in eodem deſerto ſitum. Quem eundem montem Saul ex vna parte inuaſit; alteram & oppoſitam Dauide tenente. Itaque Dauid vndique iam cinctus erat à Saulis copiis. nam & campeſtria circumfuſa multitudo tenebat; & mons ipſe præruptus ex parte altera erat in poteſtate Saulis. Præcluſus ergo Dauidi omnis exitus erat ad effugium.

Reuerſus ergo Saul deſiſtens perſequi Dauid.] Nihil eſt bonis viris perniciofius ſocietate malorum; cùm inter illos conuenit periclitantur; cum mutuo diſſident, iſti in pace ſunt. Pilatus & Herodes in gratiam rediere, & illico Chriſtus Dominus in extremum vitæ periculum adductus eſt: & conſentientibus Ziphæis & Saule, minimo minus interfuit, quin Dauid funditus interiret: at orto diſſidio Saulem inter & Philiſtæos, Dauidi eſt incolumitas parta. Pax eſt, & tranquillitas bonorum cùm improbi mutuo bella gerunt, illorumque inter ſe victoriæ triumphi noſtri. Sibi pugnant quoad ſtrages, & ſanguinem; non ſibi pugnãt quoad victoriam, & triumphum. Cedes enim & ſtrages illorum ſunt noſtra victoria. Cernere id maximè licet in omnibus Eccleſiæ hoſtibus Hæreticos dico, de quibus
Hilarius; [d] *Heretici*, inquit, *omnes contra Eccle-* d lib. 7. de Trinit.
ſiam veniunt; ſed dum ſe inuicem vincunt, nihil tamen ſibi vincunt. victoria enim eorum Eccleſiæ triumphus ex omnibus eſt. Dum vna hereſis contra alteram pugnat, & id oppugnat, quod Eccleſia fides damnat, &c. Inter hæc dum fidem noſtram aduerſantur, affirmant. Ergo Dauid hoc loco cum duos haberet hoſtes acerrimos Saulem & Philiſtæos, ex illorum diſſidio ab omni periculo vindicatus eſt. & quod Philiſtæi contra Saulem obtinuerunt, aut viciſſim contra illos Saul, non illis profuit, ſed Dauidi.

Duo porrò in hac Dauidis liberatione licet aduertere, quæ ſpectant maximè ad prouidentiam & curam, quam Deus habent ſuorum. Primum eſt ſubitas quaſdam & improuiſas calamitates, quæ nonnunquam viris principibus incidunt, quarum nec ipſi nec alij cauſas ſatis expediunt aliunde non prouenire, quàm quòd ipſi ſanctos viros male habeant, vexent, & iniuſte perſequantur. Exiſtimabat enim Saul, vel exiſtimari volebat *ſacrificium ſe præſtare Deo*, cum Dauidem inſectaretur, adeo vt & illos *a Domino benedictos* diceret, qui ſibi ea in re adeſſent; & in Deum etiam vt in auctorem referret, ſi quos in hac cauſa ſucceſſus meliores haberet. *Concluſit*, inquit, *illum Deus in manus meas*; nihilominus tamen in illum Deus Philiſtæos immiſit, & in vniuerſam

vniuerſam terram Iſrael; vt à Dauide perſequendo deſiſteret. Ergo cum quis ſubita calamitate corripitur, excotiat ipſe ſeſe, num mala aliqua cupiditate, vel laboret adhuc vel laborauerit, & tam falſo zelo deceptus virum aliquem ſanctum occultè vel manifeſtò perſequatur. Ad hûc enim phariſaicum zelum puniendum, nonnunquam Deus vexationes iſtas immittit. Otioſus erat Saul ab omni hoſtili metu ſecurus agebat; laſciuiebat propterea, & in immerentem Dauid, quaſi vitulus bene paſtus, vertebat cornua. Repentè velut aper agreſtis hoſtis Paleſtinus immiſſus eſt, qui de aliorum iniuria cogitantem, de ſe ſuiſque fecit eſſe ſollicitum. Adoleſcentem aliquem videas, in ipſo ætatis flore rerum omnium beata quadam copia affluentem, omni alia cura vacare, niſi forte hac vna ſui vlciſcendi; vel alienæ pudicitiæ expugnandæ: cum ſubito Deus fruſtra ſepius occultis inſpirationibus admonitum; in propoſito tamen perſiſtentem, morbo aut alia ingenti calamitate proſternit; & quaſi alterum Saulem à Dauide perſequendo, ad ſui ipſius ſalutem retrahit procurandam.

Alterum hîc obſeruandum eſt; quatenus ſuos Deus periclitari permittat, & in illos perſequutorum rabiem deſæuire: Deus enim cum Dauide & aliis iuſtis quos cordi habet & diligit, perinde nonnunquam agit vt magnus Princeps cum feris & ſylueſtribus animantibus, quas licet promptum illi ſit cùm voluerit, ſine vllo negotio habere & capere, gaudet tamen non aliter in ſuam poteſtatem redigere quàm venando. Nam ea ratione & illarum dum exagitantur robor, & pernicitas in curſu, & amabilis audaciæ generoſus impetus apparet. Immittit ergo Deus in iuſtos venatores ſuos, perſequutores ſcilicet; de quibus apud Ieremiam; [d] *Mittam eis*, inquit, *multos venatores & venabuntur eos de omni monte & de omni colle, & de cauernis petrarum.* Sermo enim hîc in ſenſu hiſtorico eſt de perſequutoribus & hoſtibus populi Iudæorum; quos perſequutores ſecundum probabiliorem [e] expoſitionem *venatores* propheta nuncupat; perſequutionem verò ipſam *venationem*. Porro hoc in venatione maximè ſeruatur, vt eatenus in feras permittantur ſæuire canes; quatenus ipſas ſiſtant, & apprehendant. Si autem vlterius quid audeāt & clamoribus & verberibus & plagis reuocantur. d Cap.16.16 e Theodor. D.Thomæ Lyrani, Vatab.

Talis erat Saul immiſſus & permiſſus à Deo in Dauidem ſæuire, ex eorum numero de quibus ipſe Dauid conquerebatur; *Circundederunt me canes multi.* Canis hic non contentus feram inſequi, & exagitare, vlterius etiam tendebat, vt iam apprehenſam dilaceraret. Accurrit Deus & ingentem moloſſum clamores aſpernantem, ſtimulis acrius fodit, & grandioribus plagis verberat vt vlteriùs ſæuire non pergat. Ergo in illum Paleſtinos immittit, qui intentum in Dauide perdendo ad ſe, ſuaque tutanda conuertat. Simile quid contigit Sennacheribo. nam hunc Deus ad affligendum populum Iudæorum excitauit. Sed cum acrius ſæuiret, & vrbem iam iam eſſet vaſtaturus, repentino nuncio perculit, & coegit ab obſidione deſiſtere, quaſi canem nimirum à fera dilaceranda, quam iam ceperat, & cruentis vnguibus tractabat. [f] *Ecce*, inquit Deus, *ego immittam ei* (Sennacheribo) *ſpiritum, & audiet nuntium, & reuertetur in terram ſuam.* f lib 4. Reg. cap.19.

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT XXIV.

ARGVMENTVM.

SAVL Paleſtinis pulſis, quos vt à terra Iudæa auerteret, Dauidem tantiſper omiſerat, rurſus nouo delectu habito, ad ipſum & comites inſequendos egreditur; ſed inani opera eius perniciem quærebat, quem Deus tutabatur: potiùs enim in Dauidis ipſe poteſtatem deuenit, quàm Dauid veſtigiis omnibus conquiſitus ab ipſo deprehenderetur. Erat in deſerto ſpelunca vaſto ſinu recedens, in cuius interiora Dauid cum comitibus penetrauerat: interim Saul reficiendi corporis gratia ſolus in primum ſpeluncæ aditum ſecedit ad requiſita naturæ. Hic verò tota Dauidis cohors ſubito nec opinato gaudio geſtiens, oblatam occaſionem hoſtem atrociſſimum vlciſcendi gratulatur; Dauidique omnes inſtant, vt ſe ſuoſque, ab omni in poſterum metu liberet, opportunitate vſus, quam ipſi Deus obtuliſſet non quærenti. Tunc verò Dauid non dubius in eo magis oblatam occaſionem vincendi ſui, quàm hoſtem perimendi, illud maluit. Vicit ergo ſe; vicit cupiditatem ſuam; vicit, quod difficilius fuit, omnes ſuos; & hoſti parcens ab omni eius iniuria manus abſtinuit, extrema tantùm ora chlamydis inſcio abſciſſa, quæ eſſet argumentum Regij periculi, & Dauidis clementiæ. Illa enim conſpecta Saul, & Dauidis vocibus illum procul alloquentis admonitus, adeo generi virtutem eſt admiratus, vt in lachrymas fuſus culpam fateri, veniam precari, pietatem Dauidis extollere, ſuam malitiam incuſare non erubuerit: Regemque & filium appellans, iam nihil vltra aduerſùm generum credi poſſet machinaturus. Sed periculo ſuo doctus Dauid malos non diu bonos eſſe, *nihil illi fidendum ratus, magis ſe tutum putauit, ſi munitiſſimis ſolitudinis locis ſalutem crederet ſuam, quàm fidei Regis & ſoceri.*

℣. 1.) Aſcendit ergo Dauid inde, & habitauit in locis tutiſſimis Engaddi.

℣. 2.) Cumque reuerſus eſſet Saul poſtquam perſequutus eſt Philiſthæos, nunciauerunt ei dicentes; Ecce Dauid in deſerto eſt Engaddi.

℣. 3.) Aſſumens ergo Saul tria millia electorum virorum ex omni Iſrael, perrexit ad inueſtigandum Dauid & viros eius, etiam ſupra abruptiſſimas petras, quæ ſolis ibicibus peruiæ ſunt.

ENGADDI.] Vrbs hæc eſt in tribu Iuda, in montibus ſita, non longè à littoribus maris mortui; quorum montium horrida ſanè & admiranda diſpoſitio eſt. Nam cum altiſſimi ſint, & pendentibus vndique rupibus prominentes, ita tranſeuntes perturbant, vt ſibi quiſque timeant dum illac iter faciunt, ne in ſe ſubiectaſque valles prouoluantur. Prope ab vrbe deſertum abeſt eiuſdem nominis in quo nunc ſe contuliſſe Dauidem ſcriptura commemorat. Ioſephus vrbem [a] *Engaddam* appellat; antea *Saſuntamar*, id eſt vrbem palmarum, palmis & balſami prouentu inprimis nobilem: cuius agrum gratiſſimè vndique ſpirantem ex eius arbuſculæ aliarumque odoriferarum vberrim ibi naſcentium copia Salomon [b] ſub nomine *vineæ Engaddi*, celebrauit. Iacobus de Vitriaco, & alij apud Adrichomium [c] auctores ſunt quo tempore Antonius Cleopatram Ægypti Reginam deperibat, impetraſſe hanc ab illo vt vineas iſtas, ſeu hortum in Ægyptum transferret. Ita factum eſt vt Herodes balſami poſſeſſor quia Chriſtum recens natum perſequens in Ægyptum compulerat, balſamum amitteret: quaſi puer ille diuinus, oleum ſecum traheret pacis ſuæ, vel precioſiſſimus liquor auctorem ſuum fugientem ſequeretur. Hieronymus [d] etiam ſuo tempore teſtatur oſtenſum vicum prægrandem ad litus maris mortui, qui etiam nomen Engaddi retinebat. Hæc ergo circum loca nunc Dauid adiuit; tum vt mutatis ſedibus Saulem falleret; tum etiam vt ex maris vicinitate opportuniores ad effugium exitus haberet, ſi acrius premeretur.

a Lib. 1. de bello iud. cap. 13.

b Cap. 1. Cantic.

c in deſcrip. ter. ſanc.

d De loc. Hebraic.

Quæ ſolis ibicibus peruia ſunt.] Nimirum quiduis aliud potius inueniebat Saul, quam quod quærebat. Ibicum cubilia omnibus inaceſſa penetrabat, ſecretiſſima ferarum latibula peruadebat, pendentes aëriarum volucrum nidulos in ipſis præruptis rupibus ſcrutabatur; ſolum Dauidem quem votis omnibus optabat, non poterat reperire. Ita eſt: alia omnia peccator inuenit, quam quod quærit. Pacem hic quærit, voluptatem quærit, gaudium quærit; tantum autem infortunia reperit, & fœcunda ſemina dolorũ. ſed quid ſunt *Ibices*, & quorſum id nunc de illis adiungitur? Vatablus loco Ibicum habet *rupicapras*. Caietanus, *arietes*, ſiue *capras ſyluestres*. Quibus neſcio cur *Ibicum* nomen diſplicuerit, quo noſter interpres eſt vſus: ſunt enim Ibices ita caprarum ſpecies vt *rupicapræ & capreæ*; Quod verò hic dicitur, magis *Ibicibus* congruit, quam aliis capris. D. Gregorius [d] *Meridiana pars*, inquit, *Ibices aues vocat, quæ in Nili fluentis inhabitant. Orientalis vero, occidentaliſque plaga parua quadrupedia Ibices nominat, quibus & moris eſt in petris parere; quia neque ſciunt niſi in petris habitare, quæ ſi quando etiam de altis ſaxorum cacuminibus ruunt, in ſuis ſe cornibus illæſa ſuſcipiunt.* Quod D. Gregorius ex Plinio [e] deſumpſiſſe videtur. *Capra*, inquit, *in plurimas ſimilitudines transfigurantur; ſunt capreæ, ſunt rupicapræ, ſunt Ibices pernicitatis miranda, quamquam onerato capite vaſtis cornibus; in hæc ſe librant, vt tormento aliqui rotati in petras, potiſſimum è monte aliquo in alium tranſilire quærentes; atque recaſſu pernicius, quam libuerint, exultant.* A Gregorio autem hæc deſcripſit Beda [f]. *Ibices*, inquit, *quæ ſunt parua quadrupedia; nec niſi in petris manere ac parere norunt, & ſi quando etiam de altis ſaxorum cacuminibus ruunt, in ſuis ſe cornibus illæſas ſuſcipiunt.* Tale genus animalis Arias Montanus [g] putat eſſe quod in Sardinia frequentiſſimum vulgus *Muſlon* appellat; Alij quod nos *Capriolum*; alij aliud; omnes tamen *Ibicem* in quadrupedum numero reponunt. quod fortaſſe poteſt aliquid ambiguitatis habere: nam ſupra Gregorius indicauit etiam commune eſſe nomen ad genus volucrum Ægyptiis familiare. ſed hoc loco negari non poteſt pro quadrupede poni. Eſt enim in Hebræo nomen *Hiaelim*, vel *Hieelim*, quod ſemper pro quadrupede vertitur; licet non ſemper pro eodem; quod eſt cauſa ambiguitatis. Nam aliquando pro *ceruo* accipitur, vt in Pſalmis [h] *Montes excelſi ceruis.* Alias pro *hinnulo*, vt in Prouerbiis [i] *Cerua chariſſima & gratiſſimus hinnulus.* LXX. vero alicubi [k] *tragelaphos* vertunt, id eſt *hircoceruos.* D. Hieronymus hic & alibi *Ibices* vertit. quæ eſt communior acceptio; licet aliæ prorum inter ſe omnes diſtent. Nam *Ibices*, vt vidimus, quicquid tandem ſint, inter ſylueſtres capras, aut ceruos cenſendi ſunt. At quorſum nunc id adiunctum eſt, vt dicatur Saul petras quoque penetraſſe, quæ ſolis eſſent ibicibus peruiæ? Res clara eſt, & per ſe loquitur; vt intelligamus ſcilicet nullum non lapidem mouiſſe, nihil omiſiſſe, nullis difficultatibus victum, nullis laboribus pepercisse; eo denique Dauidem conquirendo ſe penetraſſe, quo nec capræ reperiunt. Myſticè vero ſignificatur id quod iam dixi, & ſuo loco eſt latius pertractandum; ſummis laboribus peccatores quoslibet id tandem conſequi, vt laſſi, anheli, defatigati, quiduis potius inueniant, quam quod votis omnibus expetunt. Nam quid difficilius quam latebras reperire, in quibus ibices partus ſuos conducunt? Ad quod ſignificandum B. Iob [l]. *Numquid*, inquit, *noſti tempus partus ibicum in petris?* Et tamen hoc tam difficile inuentu, inuenit Saul dum Dauidem quæreret; at ipſum Dauidem nequaquam: quia omnes improbi eum ſatis ſuperque [m] *laſſati fuerunt in via iniquitatis*, tandem nihil aliud ſecum auferunt, quam laborem & defatigationem; voluptatem autem quam ſequuntur nunquam, vt alias fuſius.

e lib. 8. c. 53.

f Lib. 4. in Samuel. cap. 3.

g In obſeru. natic. 300.

h Pſal. 103. 18

i 1. Cap. 5. 19.

k Iob. c. 39. 1.

l Iob c. 39. 1.

m Sap. 5.

℣. 4.) Et venit ad caulas ouium quæ ſe offerebant vianti, eratque ibi ſpelunca, quam ingreſſus eſt Saul vt purgaret ventrem: porro Dauid, & viri eius in interiore parte ſpeluncæ latebant.

Ad caulas ouium.] Quomodo ibi oues & greges, ſi ſaxa tantum erant, & abruptæ rupes ſolis ibicibus peruiæ? Intelligendum eſt Saulem hac illac diſcurrentem, & omnia latibula perſcrutantem

Digitized by Google

ſcrutantem, poſt illos pendentes ſcopulos luſtratos, eo deſcendiſſe, vbi paululum à publica via caulæ & ſepta ouium ſita erant. Exiſtimo autem *caulas ouium* appellari, non quod ibi tunc oues & paſtores; ſed quod ſepta eſſent, atque illi ſubinde ſe conferre ſolerent. Alioqui enim Dauid inter tot conſcios tutus admodum non latuiſſet. Saul ergo locum opportunum circunſpiciens, quoad officia naturæ ſecederet, huc rectà ſe tulit.

Eratque ibi ſpelunca.] Dionyſius audaciam Saulis miratur, quod tam ſecurus in ſpeluncam ſe penetrauerit, quæ forſitan ab agreſtibus & immanibus feris poterat inſideri. Verum non hæc audacia fuit; ſed inconſultus metus, & ſupervacua cura fuiſſet, ſi Saul id eſſet ſuſpicatus. propterea enim Scriptura dicit caulas ouium ibi prope ſitas, vt intelligeremus in propinquam ſpeluncam potuiſſe ſe conferre Saulem nihil ſuſpicantem. Quis enim in huiuſmodi ſpecu, qui tam prope aberat à publica via, feras vllas, niſi extremè timidus formidaret? Maior dubitatio eſt cur non feras; ſed homines ibi forte latentes non extimarit. Hic enim metus non inconſultus; ſed prouidus omnino fuiſſet, vt euentus oſtendit. Verè enim ibi latebant, quos omnium maximè ipſe timere poterat & debebat. Sunt qui hic miraculum interceſſiſſe putant. Deum enim ad latebram Dauidis occultandam, ne poſſet vllus ſuſpicari quemquam ibi latere, aut introgreſſum, ſpeluncæ aditum longo aranearum textu ſubito occluſiſſe. Quod non obſcure videtur indicare Chaldæus Paraphraſtes in Pſalmo LVI. qui totus eſt de hac Dauidis fuga. Quod enim nos le-

n Pſal. 56. gimus; [n] *Clamabo ad Deum altiſſimum, Deum qui benefecit mihi*; ſic ille paraphraſticôs interpretatur. *Orabo coram Deo altiſſimo & forti, qui præcepit aranea, vel acerſiuit araneam, vt perficeret in ore ſpelunca telam in defenſionem meam.* Nimirum ſic Deus ſuos protegit, & tutatur; & ſic pro illis pugnat. Vt enim intelligant nihil eſſe ſibi timendum ſub tali propugnatore, non aliis illos armis aliquando defendit, quam telis aranearum. Quid pro ſe non ſperare debent, aut quid timeant, in quorum tutelam non ſolum cælum, venti, ſydera, ſed viliſſima quoque animacula conſpirant? Qualis & quantus eſt ille qui denſiſſimos hoſtium cuneos non alio aggere ab Dauide propellit,

o Pſal. 63. 36 quam textu tenuiſſimo aranearum? [o] *Verè mi-*

p Deut. 7. 21. *rabilis Deus in ſanctis ſuis*; [p] *magnus & terribilis, & cuius potentia non eſt numerus.* Non ſolum contentus fuit iniuriam omnem à Dauide defendere; ſed inſuper Saulem ipſum iniuriam inferentem in manus Dauidis tradidit. Et hoc quo pacto? Rete tenuiſſimum obtendit, quo muſcas araneæ captare ſolent: hoc rete Saulem muſcam infeſtiſſimam & moleſtiſſimam implicuit, & circunligatum tradidit Dauidi. Si enim operas illas aranearum in aditu ſpeluncæ non vidiſſet; illuc ſe Saul nõ penetraſſet. Illud ipſum ergo hic factum eſt, quod longe poſt iterum accidit cum S. Felice Nolano; qui cum perſequutores fugiens in anguſtum ſe duorum parietum interuallum abdidiſſet, repente totus aditus ita aranearum telis prætextus eſt; nullus vt poſſet recentem latebram ſuſpicari; ex quo inſectantium impetus alio auerſus eſt, & cura deluſa. Quam mirabilem opitulandi rationem S. Paulinus Nolanus his

q Nat 5. S. Felic. caſtiſſimis verſibus celebrauit [q]

Rudere ſed ſubito concurrit ſordidus agger,
Iuſſaque mutantes intendit aranea telas,
Et ſinibus tremulis in totum ſtruxit apertum,
Deſertaque dedit faciem ſordere ruina.

Si hoc ergo ſequamur, ſecurus plane, nihilque ſuſpicatus Saul ingreſſus eſt: quia aranearum operæ ſuſpicionem omnem cuiuſcunque feræ aut hominis adimebant. At aliis qui nullum hic miraculum volunt, probabilius videtur Saulem ſponte ſua ſatis audacem, & tribus armatorum millibus inſuper ſtipatum, extimulante præterea aluo, præproperum & feſtinantem, non diu ſecum cogitaſſe quid probabiliter timere poſſet, aut non timere; ſed viſa ſpelunca, illico à ſuis in illam deflexiſſe. Vtrumque probabile eſt; ſed illud prius magis Dei benignitatem commendat, & curam quam habet ſuorum.

Vt purgaret ventrem.] Hebraicè; *vt tegeret pedes ſuos.* Similiter in libro Iudicum quod nos legimus: *Dixerunt; forſitan purgat aluum.* Hebraicè eſt; *Certè operit ille pedes ſuos in cubiculo cœnaculi.* Sic honeſtè Hebræi dicunt quod Latini *aluum deponere.* Orta loquutio ab habitu & poſitione corporis. Qui enim in id inclinant ſe, & nituntur, pedes veſtibus ſuperioribus obtegunt. Ex hac loquutione non obſcurus Grammaticus, qui nuper ſcholias ſcripſit in Athenæum, colligit femoralia & braccas quales nos, non habuiſſe Iudæos; quod ſane quomodo inde deducat, ſatis non video. Verius enim dicuntur in illo obſequio naturæ *tegere pedes*, qui fœminalibus ſuccincti ſunt, quæ tunc demittunt, quam qui laciniosis veſtibus vtuntur, quas tunc reducunt. ſed de his iterum ſequenti libro. [r] r Cap. 10.

Porro Dauid & viri eius in interiore parte latebant.] Eant nunc Reges & Magni Dinaſtæ; tenebris vllis aut ſecretis receſſibus fidant. Quod enim nullo conſcio, & procul ab omnibus arbitris ſe facere putabunt, vicinia iam tota cantabit.

Habet hoc dicebat ille [s] *primum omnium magna* s Plin. pang. ad Traian. *fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum eſſe patitur; Principum verò non modo domus, ſed cubicula ipſa intimoſque receſſus recludit, omniumque arcana noſcenda famæ proponit & explicat.* Nam quid illorum fama non recludit & retegit, quando Saulem naturæ neceſſitatibus obſequentem, tot oculis inſeium expoſuit & obiecit? Satis ille ſibi, ſuperque cauerat, ſecretum locum prouiderat, in ſpeluncam ſeceſſerat; non tamen tanta diligentia quidquam profuit, quominus illi etiam aluum purganti plures teſtes adeſſent. Vere ille cecinit. [t] t Claudian. de 4. Conſ. Honor.

——— Non poſſe dari regalibus vllum
Secretum vitiis; nam lux altiſſima fati
Occultum nihil eſſe ſinit, latebraſque per omnes
Intrat, & obſtruſos explorat fama receſſus.

Ex hoc ergo Seneca [u] rectiſſimè ad Neronem u lib. 1. de clement. concludit *nullis magis cauendum eſſe qualem famam habeant, quam qui qualemcunque meruerint, magnam ſunt habituri.* Sed de hoc toto argumento fuſius à nobis eſt integra diſputatione diſſerendum ad illa verba Natham, quibus Dauidem Dei nomine obiurgauit. [x] *Tu feciſti in abſcondito; ego faciam in conſpectu ſolis huius.* x lib. 2. Reg 12.

In interiore parte ſpelunca latebat.] Videtunt tamen non viſi Saulem ingredientem. Nam ita natura comparatum eſt, vt qui ex apertis locis & clara luce parentibus in tenebroſos ſe conferunt, nihil videant; cum tamen aliis, qui diu ibi iam ſunt, omnia diſtinctè cernantur.

℣. 5.) Et

℣. 5.) Et dixerunt ſerui Dauid ad eum; Ecce dies de qua loquutus eſt Dominus ad te; Ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei ſicut placuerit oculis tuis. Surrexit ergo Dauid, & præcidit oram chlamydis Saul ſilenter.

℣. 6.) Poſt hæc percuſſit cor ſuum Dauid eo quod abſcidiſſet oram chlamydis Saul.

℣. 7.) Dixitque ad viros ſuos; Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo chriſto Domini, vt mittam manum meam in eum, quia chriſtus Domini eſt. Viuit Dominus, quia niſi Dominus percuſſerit eum, aut dies eius venerit vt moriatur, aut deſcendens in prælium perierit: propitius mihi ſit Dominus vt non mittam manum meam in chriſtum Domini.

℣. 8.) Et confregit Dauid viros ſuos ſermonibus, & non permiſit eos vt conſurgerent in Saul: porro Saul exurgens de ſpelunca, pergebat cœpto itinere.

Et dixerunt ſerui Dauid.] Serui Dauid, Hebraice, *Viri* Dauid, qui & Italice ſic appellantur. *Homines* enim alicuius illi dicuntur, qui ei adſiſtunt, ipſum comitantur, & præſto ad illius nutus adſunt, in rebus præſertim maioris alicuius momenti expediendis. Ioſephus hic de ſuo adiungit, quod narrationem quæ in ſcriptura habetur interuertit. Dicit enim Saulem ab vno tantum ex Dauidis comitibus obſeruatum, & Dauidi proditum, vnumque tantùm fuiſſe, qui tempus aduenisſe moneret, quo ſe ſuoſque omnes de tot acceptis iniuriis vindicaret. Scriptura tamen apertè non vnum tantum, ſed omnes pariter Dauidis comites ingredientem Saulem aduertiſſe refert.

Ecce dies, de qua loquutus eſt Dominus] Monet ex hoc loco Caietanus plura in ſacris litteris eſſe, quæ ſemel tantum & obiter referuntur, quaſi alibi clarius & effuſius enarrata, quæ nuſquā tamen alibi leguntur. Dauidis enim milites apertè hoc loco ſignificant promiſſum antea diuino oraculo fuiſſe fore aliquando vt in illius manus Saul poteſtatemque veniret; quod tamen vaticinium Dauidi factum nuſquam alibi legitur. Simile oraculum obſeruat idem Caietanus in Pſalmum L X I. vbi vult Dauidem alludere ad aliud cœleſte reſponſum, quo ſibi prænunciata fuerat pœna Saulis & hoſtium ſuorum. Quod enim legimus in vulgata; *Quouſque irruitis in hominem, interficitis vniuerſi vos*; ipſe legit ex Hebræo; *Occidemini omnes vos*. quod tam exerte non fuiſſet à Dauide pronuntiatum; niſi prius illi fuiſſet diuino oraculo reuelatum. De qua tamen reuelatione in ſcriptura alibi verbum nullum. Ita Caietanus. ſed an hæc fuerunt vera & expreſſa oracula; an potius animi Deo fidentis de futura liberatione præſagia; res incerta eſt. Illud certum nonnunquam in ſacra Scriptura quædam leniter & obiter deliberari, quaſi aliunde nota, & alibi fusè narrata; quorum tamen nuſquam alibi mentio fiat. Exempla plura ſunt. illud non omittatur quod in ſequenti libro [y] Natham inter alia quæ Dauidi collata commemorat, vxores etiam Saulis in illius ſinum à Deo traditas recenſet: non tamen vſquam alibi vxores vllæ Dauidis referuntur, quæ eædem Saulis vxores eſſe potuerunt. At vero quod proprie attinet ad hoc diuinum promiſſum, de quo Dauidis comites loquuntur, longè aliter videtur illud Chryſoſtomus [z] accipere quam Caietanus putat enim Dauidis milites, quibus optimè religio & pietas Ducis ſui perſpecta erat, nihil ſe apud illum profecturos ſperaſſe; ſi inſtarent vt inimicum, vt perſequutorem, vt inſidiatorem tolleret: diuinam ergo auctoritatem allegaſſe, ac dixiſſe; *Deus illum tibi tradidit*, quaſi dicentes; *Non tuam ipſius vicem vlciſceris; ſed Deo ſubſeruis.* Fecerunt itaque iſti, quod paſſim peruerſi miniſtri Principum facere ſolent, vt diuinam voluntatem aliquando peſſimis illorum cupiditatibus obtendant, quo illas ſecurius expleant: illud identidem inculcantes.

y lib. 2. c. 12.

z Homil. 1. de Dau. & Sau.

——[a] *Placido ne etiam pugnabis amori*
Nec dulces natos, Veneris nec præmia noris?
Diis equidem auſpicibus, reor, & Iunone ſecūdā
Hunc curſum Iliacas vento tenuiſſe carinas.

a Virg. lib. 4.

Nullum ergo hic oraculum Chryſoſtomus agnoſcit; ſed tantum militum in cædem Saulis ardentium exaggeratas voces ad quam vt Dauidem impellerent, Dei illi voluntatem obtendebant; quod omnino probabile eſt.

Præcidit oram chlamydis ſilenter.] Dubium hoc loco eſt quid ex Saulis veſtibus Dauid præciderit, ad quid, & quomodo. *Quid* Scriptura in noſtra verſione clare loquitur partem extremæ chlamydis præcidiſſe. Qua in re nonnihil ambiguitatis eſt ex aliis verſionibus & variis dictis Patrum. Nam LXX. habent; *pinnam diploidis*. Ioſephus *laciniam regij palij*. Sulpitius Seuerus L X X. ſequutus *diploidem* Complutenſes *alam diploidis*. Pagninus ex Hebræo ad verbum, *Abſcidit alam palij*. Vatablus, *Alam paludamenti*. Quarum omnium lectionum idem fermè ſenſus eſt qui noſter; niſi quod in hac elegantius & Latinè magis exprimitur, quod in aliis ad Hebraiſmum magis accedit. Omnes enim conſentiunt abſciſſam extremam partem exterioris indumenti. quam alij oram, alij pinnam, alij *alam* appellant; extremam ſcilicet laciniam qua interſecta & fimbriata nobilium olim veſtes prætexebātur; indumentum porro ipſum *chlamydem* noſter appellat. Cùm enim certum ſit eſſe ſermonem de indumento exteriori, probabiliter noſter ſic eſt interpretatus: quod veriſimile ſit Regem & Imperatorem chlamydatum inter ſuos milites fuiſſe in bellica expeditione ſed plura de his cum de veſtibus Hebræorum. Operoſior inquiſitio eſt *quare abſciderit*. Sunt qui ſubita iracundia ad aſpectum perſequutoris atrociſſimi in ipſum inſurrexiſſe volunt, & intentaſſe; fruſtrato autem ictu non ipſum Saulem, ſed veſtem percuſſiſſe, & quantum ex ea percuſſerat abſcidiſſe. Ita Abulenſis & alij, non omnino improbabiliter. Paulo poſt enim dicitur; *quod Dauidem cor ipſius percuſſit, eò quod abſtuliſſet oram chlamydis*. Cur enim religione ob id tactus eſt, niſi quia chlamydem dum præcidit, regem perebat? Huius ſententiæ videtur quoque alicubi eſſe Chryſoſtomus [b]. *Nunc*, inquit, *mihi ſpecta philoſophici animi moderationem, ſpecta luctam,*

b Homil. de Dau. & Sau. tom. 1.

· Speran. in Dauid.

victoriam, coronam. Nam ſpelunca illa campus erat, in eo lucta quadam admirabilis dictuque incredibilis facta eſt: luctatus eſt David, pugilem egit iracundia: Saul poſitus erat certaminis materia, Agonotetha erat Deus. Poſt ſubdit; *Conſidera quam vehementer exaſperatus ſibi temperauerit; ſiquidem quod iracundia fluctus in animo illius intumuerint, ex iis quæ facta ſunt licet perſpicere. Surrexit, inquit, & abſtulit oram chlamydis. Vides quanta ira tempeſtas concitata fuerit. At non proceſsit vlterius. Percuſſit, inquit, Dauidem cor ipſius.* Verum alij Patres idcirco abſcidiſſe volunt; vt eſſet argumentum Sauli Danidis innocentiæ & clementiæ, qui tanto hoſti, cùm poſſet illum tollere, parcere maluiſſet. Vnde Theodoretus[e];

e *Quaſt. 5. in c. 24. 1. Reg.*

Chlamydis oram diſecuit ad conuincendam quidem eius ſtultitiam, ſuam autem philoſophiam oſtendendam. Et Auguſtinus[d]; *Exiguam particulam veſtis eius retrorſum latenter abſcidit, vt haberet vnde monſtraret quomodo ei pepercißet, cùm poſſet occidere; atque ita ſuſpicionem de animo eius, qua ſcilicet Dauid putans inimicum ſuum vehementer perſequebatur auferret.*

d *lib. 17. de ciu. cap. 6.*

Similia bis habet Encherius, & iiſdem verbis ex Auguſtino deſcripta: à quo etiam idem ſumpſere Beda, Iſidorus, Hugo Victorinus, & alij. Cur ergo Dauidem pœnituit, ſi chlamydem non iratus præcidit? Reſpondet Caietanus; *Quia bonarum mentium eſt ibi etiam culpam agnoſcere, vbi culpa non eſt.* Et quia factum illud externa ſpecie regi erat iniurium & contumelioſum. Qui enim ab omni parte ſacroſanctus eſſe debet, eius etiam vel ſolam laciniam violentiùs attrectare, nefas. Vtraque expoſitio probabiles habet auctores; ſed negari non poteſt primam probabiliorem eſſe & Scripturæ verbis etiam magis conſentire: ſubita nimirum iracundia motum Dauidem Regem adortum, pro Rege autem chlamydem percuſſiſſe; vel quia in ipſo impetu ictum ſuſtinuit, & ipſum ſe reuocauit & preſſit; vel certè quia ab intentione fruſtratus, cùm aliud vellet aliud percuſſit, vt paulò pòſt etiam declarabitur.

At quomodo nihil eorum Saul percepit, quæ in ſpelunca fiebant? Quomodo militum admurmuratio non ipſius aures perculit; nec illorum dum inter ſe læti gratularentur plauſus aduertit, nec dum Dauidem impellerent & hortarentur voces excitarunt? Et denique quod eſt mirabilius cùm Dauid propius acceſſit, & veſtem non ſolùm attrectauit, ſed abſcidit, quomodo venientia & abſcedentia ſtrepitum non excepit? Chryſoſtomus dicit Saulem ſomno ob laſſitudinem correptum iacuiſſe ſopitum omnium ignarum, omnibus expoſitum.[e] *Hanc*, inquit, *hiſtoriam in ſuo quiſque corde ſibi depingat, proponens oculis ſpeluncam illam, illam chlamydem, ipſum Saulem ſomno perinde vt catena vinctum; eiuſque quem grauiſſimè laſerat, dextra ſubiectum.* Et iterum;[f] *Conſpiciebat Dauid illum dormientem, & de morte omnibus communi philoſophabatur.*

e *Hom. 5. de Dau. & Sau.*
f *Hom. 2. de Dau. & Sau.*

Sed dubium non eſt quin memoria Chryſoſtomus hîc lapſus fuerit: bis enim Dauid Sauli pepercit, cum obnoxium haberet & poſſet occidere: ſemel in hac ſpelunca in quam ille alui leuandi cauſa ſeceſſerat; & iterum poſt in caſtris ipſius Saulis, cùm clanculum noctu ſe illuc Dauid cunctis dormientibus penetraſſet, & ad Regem ipſum ſomno in ſuo tentorio ſepultum perueniſſet, vt narratur paulò pòſt capite poſt proximum ſequenti. Vtramque ergo hiſtoriam Chryſoſtomus miſcuit; & quod in ſeconda contigit, primæ attribuens, putauit in ſpelunca conſopitum. Alij ergo apud Abulenſem exiſtimant chlamydem à Saule depoſitam vt commodiùs naturæ neceſſitatibus obſequeretur. Facilè ergo fuiſſe Dauidi ad illam tacitum accedere nec obſeruatum; ex eaque partem præſcindere, quam vellet: Et fortaſsè etiam vt in tenebroſo loco deluſum, pallium Regis, Regem ipſum nitentem putaſſe. Seuerus[g] Sulpitius dicit diploidem Regis ablatam; quod aliter non poteſt intelligi, niſi vt illam priùs Saul exuerit, in partemque ſepoſuerit. Alij alia: ſed vera ratio eſt Saulem nihil aduertiſſe ſatis intentum oneri leuando, quo grauabatur; ſimul etiam quia Dauid ſumma dexteritate greſſum temperauit. Quod obſeruarunt Lyranus, Dionyſius, Hugo, Caietanus.

g *lib. 1. hiſt. ſacr.*

Poſt hæc percuſſit cor ſuum Dauid.] Id eſt *Dauidem ipſum cor ipſius percuſſit*, vt conſtat ex Hebræo, LXX. Complutenſibus & aliis verſionibus. Auguſtinus[h] *Et percuſſit cor Dauid ſuper eum; quia abſtulit pinnulam chlamidis eius.* Quo etiam modo Beda, Eucherius, Iſidorus legunt. Chryſoſtomus[i] *Percuſſit*, inquit, *Dauidem cor ipſius; ac veluti equum ſubſilientem, & ferocientem reuocauit iram. Huiuſmodi ſunt ſanctorum animæ; priuſquam concidant reſurgunt; priuſquam ad peccatum perueniant refrænantur, eò quòd ſobriæ ſint, ſemperque vigilent.* Per hoc autem, quod vltimo adiungitur; *ſemperque vigilent*, alludere videtur Chryſoſtomus ad illud quod habetur in Canticis,[k] *Ego dormio, & cor meum vigilat*; quo ſignificatur proprium eſſe ſanctorum nunquam in totum cuſtodias remittere; ſed ſi quando aliæ facultates animæ conſopiuntur, aut ſubito aliquo impetu turbatæ clauum è manibus amittunt, cor adeſſe, vigilias ſeruare, & alias facultates excitatas periculi monere. Dauid enim dormire cœperat; iracundia quaſi ſomno correptus quid faceret non aduertebat; manúmque iam iracundiæ accommodans illius exequi iuſſa parabat; cùm ſubitò *cor adfuit*, & altè iam ſopitum incuſſo verbere excitauit, & ad officium reduxit. Cæterùm in verbo, *percuſſit*, Hebraiſmus eſt, quo *percutere* dictum eſt pro *reprehendere*, metaphora ducta à pueris, qui cum reprehenduntur, & admonentur, vt altius id infigatur, etiam leuiter percutiuntur. Itaque ſic Vatablus vertit; *Et reprehendit Dauidem cor ipſius.* Caietanus bene hîc *morſum conſcientiæ reclamantis* agnoſcit. Beda vero, Eucherius, Iſidorus, Angelomus, Ropertus, & alij hanc *percuſſionem*, dolorem, & facti pœnitentiam interpretantur, qua Dauid abſciſſa chlamyde tactus eſt. Quare ergo doluit, & quid in eo peccauit, aut peccare viſus; ſi tantum vt argumentum haberet ad Saulem & alios conuincendos chlamydem præcidit? Certe aliud dici non poteſt, niſi doluiſſe quod ſubitus illum impetus in Saulem egiſſet, vt proximè ex Chryſoſtomo notabamus.[l] Qui etiam obſeruauit ex illo æſtu, quo ad præcidendam laciniam raptus eſt, bonum illud conſequutum eſſe, vt poſſent Saul & alij à Dauide conuinci. *Vides*, inquit, *quantum boni ortum ſit ex eo quòd initio commotus eſt Dauid. Niſi enim feciſſet, plerique quod accidit ſtuporem potius exiſtimaſſent, quàm clementiam; neque chlamidis partem amputaſſet, quam ſi non abſtuliſſet, non poterat inimicum conuincere. Nunc verò quoniam commotus fuerit & amputauit, æquanimitatis ſuæ teſtimonium præbuit.*

h *lib. 17. de ciu. cap. 6.*
i *Hom. 1. citata.*
k *Cant. 5.*
l *Hom. 2. de Sau.*

Propitius

Propitius ſit mihi Dominus.] In Hebræo, vt vertit Caietanus, iuramentum eſſe videtur, quo ſe Dauid obſtringit nunquam ſe manus Sauli allaturum; & ſi vnquam id audeat, & attentet, diris execrando ſe deuouet. Sic enim ipſe legit; *Abeſſo mihi a Iehoua; ſi faciam hoc domino meo chriſto Domini, mittendo manum meam in eum.* At in noſtra, & aliis verſionibus votum potius Dauidis exprimitur, quo à Deo ſummis precibus poſtulat ita ſe nunquam deſeri, vt immane hoc facinus admittat. LXX. *nequaquam mihi à Domino, vt inferam manum meam ſuper eum.* Ex quibus

m Hom. 1. de Sau.
n lib. 17. de ciu. cap. 6.

Chryſoſtomus; [m] *nequaquam hoc mihi ſit à Domino.* Et Auguſtinus; [n] *Ne mihi contingat à Domino facere hoc verbum domino meo Chriſto Domini, inferre manum ſuper eum quia Chriſtus Domini eſt hic.* Quæ lectio maximè congruit cum Hebræo fonte; ex quo ad verbum Vatablus ſic habet; *Abſit mihi à Domino, ſi fecero hanc rem.*

o Hom. 1. de Sau.

Obſeruat porro Chryſoſtomus [o] quam diuerſa ſint inter ſe piorum hominum & improborum vota. Hi enim ſi quem aliquando inimicum experiuntur, id votis omnibus exoptant vt detur ſibi tandem copia aliqua & facultas illius vlciſcendi. Quod cum non poſſunt, toti in imagine pœnæ defiguntur, quam de illo ſumerent, ſi poteſtas eſſet. Itaque hæc apud ſe fremunt cum in ſumma cupiditate vltionis, omni facultate ſumendæ deſtituuntur.

p Teren. in Adelph. act. 3. 2.

[p] *Nihil eſt quod malim, quàm illam totam familiam dari mihi obuiam,*
Vt iram hanc in eos euomam omnem dum ægritudo hæc eſt recens.
Satis mihi id habeam ſupplicij, dum illos vlciſcar modo.
Seni animam primum extinguerem ipſi qui illud produxit ſcelus.
Adoleſcenti ipſi eriperem oculos, poſt hæc præcipitem darem.
Cæteros ruerem, agerem, raperem, tunderem proſternerem.

Hæc & ſimilia illi: at quam contra Dauid, & quiuis probus? Nihil eſt quod malint, quàm poteſtatem hanc ſibi non dari. Propterea dicit; *Propitius ſit mihi Deus, ne faciam rem hanc.* Obſeruat præterea Chryſoſtomus rectè Dauidem ad auxilium diuinum confugere: quia difficillimum proſus eſt vbi hoſtem capitaliſſimum ſubiectum habueris, ab illo manus abſtinere & iracundiam temperare. Humanum enim hoc non eſt, ſed planè diuinum, & illius proprium, qui ab exemplo ſuo præcepit, vt inimicos noſtros diligamus, & his benefaciamus qui oderunt nos.

Domino meo.] Ergo etiam ſi Dauid eſſet inunctus in Regem; nondum tamen Rex erat, ſed Saul adhuc rerum potiebatur, & vſque ad diem mortis ſuæ potitus eſt. Notat hoc Chryſoſtomus, & ex oratione Dauidis colligit in qua de Saule loquitur, vt de Domino ſuo.

Quia chriſtus Domini eſt.] Quia omnia alia, quæ in Saule erant, Dauidis potius, & comitum ipſius animum contra illum grauiſſime commouebant, hoc tantùm reſpexit Dauid, & ſuis militibus ingeſſit, quod in illo ſuſpiciendum erat, & ſacroſanctum. *Quia*, inquit, *chriſtus Domini eſt.*

q Hom. 1. de Dau. & Sau.

Ex quo loco duo cum Chryſoſtomo [q] colligimus: Primum quod modò monuimus, Saulem Regiam dignitatem tunc temporis adhue retinuiſſe, Dauide tantùm in Regem deſignato, nondum conſtituto. Prorſus enim Dauidis ratio

Sopran. in Dauid.

corrueret, ſi Saul ampliùs Rex & chriſtus Domini non erat. Vnde Chryſoſtomus ſic Dauidem inducit ſuos milites alloquentem. *Nondum Deus illum principatu abdicauit, nondum fecit eum ex Rege priuatum; itaque ne inuertamus ordinem, neque rebellemus Deo.* Et ſubdit; *Non ſolum appellauit illum chriſtum, id eſt vnctum & Regem; verum etiam dominum ſuum.* Secundò hîc obſeruandum eſt quid ſpectare, aut non ſpectare debeamus in hoſtibus noſtris; vt iuxta Chriſti præceptum facile illos etiam diligere poſſimus. Neque enim debemus ea in illis perpendere, quæ ſunt ab illorum peruerſa voluntate, & ad iracundiam magis nos poſſunt accendere; ſed quæ in illos Deus contulit, poſſuntque eos magis amabiles reddere. *Studebat Dauid*, inquit Chryſoſtomus, [r] *apud*

r Hom. 2. de Dau.

milites ſuos probabilem aliquam reperire commendationem; id cùm non poſſet nec ab illius vita, nec à factis, ad dignitatem illius confugit dicens; Quoniam chriſtus Domini eſt. Parcendum illi eſt, non quòd ſceleſtus, non quod flagitiis coopertus, non quod vitiis innumerabilibus refertus, & in nos extrema cogitans; ſed quia Rex eſt, ſed quia princeps: neque tantùm dixit Rex eſt, ſed Chriſtus Domini eſt: non ab humano honore, ſed à cæleſti iudicio honorifico ſumpto teſtimonio: aſpernaris, inquit, *electum, reuerere eum qui elegit.* Similiter ergo faciendum nobis eſt erga illos qui nos læſerunt: conſideranda ea ſunt, non quæ ipſi mala admiſerunt; ſed quæ in illos Deus benignè contulit. Fratres noſtri ſunt, eodem lauacro abluti ſunt, Chriſti ſanguine redempti ſunt, ab illo nobis commendati ſunt. Hæc perpendamus, & ſimul etiam à Deo poſtulemus vt ne vnquam nos in eos ſæuire permittat, qui chriſti Domini ſunt.

Et confregit Dauid viros ſuos.] Quam difficilem pugnam Dauid in illa ſpelunca ſuſtinuerit; aſſequi fortaſsè cogitando poſſumus, explicare dicendo non poſſumus. Nam quæ & quanta ſecum ipſum agitaſſe & cum animo ſuo reputaſſe credimus; dum in mentem recurrerent tot iniuriæ ſibi à ſocero illatæ, pericula in quæ per illum toties adductus; exilia voluntaria, nocturnæ fugæ, perpetui labores, mors ipſa denique ſibi ac ſuis per illum ſemper intentata? Quis æſtus animi, qui fluctus iracundiæ, quantus commoti pectoris tumultus ad hoſtis atrociſſimi præſentiam, qui caput tot erat & cauſa malorum? Quin non iracundia ſola; ſed ratio etiam aderat, quæ iracundiæ partes fouebat, & contra ſocerum peſſime meritum, generi manus armabat. Pereundum enim eſſe, niſi perimeret; exitiumque ſubeundum, niſi occuparet opprimere ſæuientem: ſuis illum furiis actum in caſſes quas tetenderat inſcium incidiſſe. Quid ergo ceſſaret tam charam victimam Deo cædere, & ſimul ſe ſuoſque omnes ab omni in poſterum periculo liberare? Hanc tamen ille commoti animi luctam non ſolùm generosè ſuſtinuit, ſed etiam peruicit; nec contentus iracundiæ modum ponere, rationem ipſam à partibus iracundiæ abductam in meliora caſtra pertraxit; vt poſtea pro Saule ſtaret, quæ Saulem ante oppugnauerat. Egregius ergo ſui victor oleo, quo iampridem Saul vnctus fuerat, totum illud incendium extinxit, quod in animo ſuo in Saulem fuerat excitatum. *chriſtus Domini*, inquit, *eſt.* Mirabile dictu, oleo quod paſcit ignem, vſus eſt ad extinguendum ignem: vt æſtum iracundiæ reprimeret, æſtum in ſe amoris excitauit, quo meliore igne ille alter funeſtior

oppreſſus eſt. Et iam victor erat, cum hoſte hoc grauiſſimo profligato, alij & quidem recentes & integri ſubito exorti ſunt. Victor enim ſui, acerrime à ſuis eſt oppugnatus, vt victor etiam euaderet in pugna ſuorum, qui ſecum ipſe dimicans victor extiterat ſui. Ergo conſurgunt omnes, certatimque ipſum corona circundant, lamentantes, frementes, indignantes quòd tam lentus eſſet in ſuis ſuorumque iniuriis vlciſcendis: alij precibus agunt, alij voces liberiores fundunt, alij maiore etiam furore perciti minas addunt, omnes denique pro ſe quiſque ſolliciti hortantur, toſtant, vrgent, vt præſente opportunitate vtatur, & vt hoſtem infenſiſſimum ſibi elabi è manibus non permittat. Tandem ſi perſiſtat in inſania, expedituros ſe gladios, & inimicum caput obtruncaturos.

f Hom. 1. cit. de Dau. & Sau. D. Chryſoſtomus [f] qua oratione vti milites potuerint in illis loci & temporis anguſtiis non minori facundia, quam probabilitate proſequitur, quæ cuiuſmodi tandem fuerit; hoc loco non eſt prolixius referendum. Tantum illud nobis exploratiſſimum debet eſſe grauiſſimas prorſus difficultates Dauidem incidiſſe, & acerrimum omnino certamen ſuſcepiſſe ſuis, cum iam ſe ipſum deuiciſſet. Verùm hoc habent inter alia commodi interiores animi pugnæ, vt in illis qui victoriam refert, & acrius pugnauit, non defeſſus excedat, ſed euadat alacrior, poſteriorique pugnæ validior ſuccedat. Pugnauit ergo iterum Dauid, & irruentes in ſe ſuos ſecurus excepit: & poſt acrem decertationem etiam deuicit. Cæterùm fuiſſe, vt dicebam pugnam difficillimam; & res ipſa loquitur, & Scriptura ſatis aperte declarat eo verbo vſa. *Et confregit Dauid viros ſermonibus.* Quod verbum propterea quod Dauidis virtutem & acrem dimicationem ſignificat, paulo accuratius eſt nobis explicandum.

Confringere & *frangere*, duo in Scriptura ſignificant, quæ in hac ſententia locum habere poſſunt. Primum eſt impetum & vim alicuius elidere, & ex furente & acrius incitato placidum reddere; metaphora ducta à fluctibus marinis, qui inſano tumultu ſcopulis alliſi, mox in ſeipſi relabentes & obiecta cautium disiecti, placidiſſimo æquore ſternuntur. Inde factum eſt, vt *frangere aliquos*, ſit illos mitigare, & furorem omnem contumaciamque compeſcere. Sic alicubi Cicero [t] ad Brutum. Itaque inquit, *homines alij fracti ſunt; nonnulli etiam queruntur.* hîc enim *fracti*, idem eſt quod *mitigati*, qui vel metu, vel voluntate ſpiritus & arrogantiam poſuerunt. In quem ſenſum illud allegoricè plures Patres accipiunt;

t li. 11. ep. 12

u Pſal. 28. [u] *Vox Domini confringentis cedros; & confringet Dominus cedros Libani.* Itaque confringere in hoc ſenſu, duo reſpicit, & contumaciam, quæ compeſcitur; & vim, qua illa reprimitur.

Secundò, *frangere*, & *confringere*, non ſuperbos reſpicit; ſed potius in ſuſcepta aliqua ſententia pertendentes, & aliquid omnino facere deſtinatos; qui cum ab eo quod decreuerint, aliorum rationibus aut precibus dimouentur, *fracti*, aut *frangi* dicuntur: inde orta loquutione, quod animus in aliquod certus & obfirmatus, dicitur *durus, ferreus, inflexibilis*: vnde cum inde deducitur, etiam frangi dicitur. Et in hunc ſenſum hic accipitur *confringendi* verbum, cum Dauidis ſocij dicuntur ab ipſo *ſermonibus confracti*. Erant enim omnino certi, & obſtinati in Saulis necem. Contrarium ergo illis perſuadere, fuit illos frangere. vnde LXX. legunt *Et perſuaſit Dauid viros ſuos in verbis.* Chaldæus *Quietos reddidit.* Quietum enim animum in aliquem accipere, eſt illi placari, & beneuolum fieri Virgilius [x] x lib. 1.

Ponuntque ferocia Pœni
Corda volente Deo; in primis Regina quietum
Accipit in Teucros animum,

Vtrouis autem ſenſu accipiatur; certa res eſt ſignificari hic ſummam animi conſtantiam in Dauide, & ſimul etiam acerrimam pugnam, quam ſuſtinuit à ſuis. *Confregit*, inquit, *illos.* Excepit enim vt dura cautes illorum in ſe ruentium impetum; quaſi ſpumantis fluctus inſani maris; excepit & diffregit immotus ipſe, certus fixuſque à recto non diſcedere, & à Saule vim omnem abſtinere. Simili comparatione ſcriptores externi ſæpius vtuntur, id latius explicantes, quod hoc loco vnico tantum verbo potiùs indicatur, quam exprimitur. Sic alicubi Seneca Poeta. [y] y In Hippol.

Vt dura cautes vndique intractabilis,
Reſiſtit vndis, & laceſſentes aquas
Longè remittit; verba ſic ſpernit mea.

Et Virgilius [a] a lib. 7.

Vt pelagi rupes magno veniente fragore,
Quæ ſeſe multis circum latrantibus vndis,
Mole tenet; ſcopuli ne quicquam & ſpumea circum
Saxa fremunt, lateque illiſa refunditur alga.

Sic ergo nunc Dauid inſtar rupis erat, in illum vndique ſui inſiliebant, vt à propoſito dimouerent; id cum non poſſent, diſtracti potius ipſi diſceſſerunt. Hanc enim conſtantiam, in honeſto præſertim propoſito, ſæpius ab hac comparatione Poetæ proponunt & explicant, quæ docitur à marinis fluctibus, rupibus eo ſucceſſu illiſis, vt eæ maneant immotæ, iſti diffracti tranquillentur. De hac enim conſtantia loquuntur Virgilius & Seneca, de hac etiam Ouidius [a] a lib. 9.

Haud ſecus ac moles quam magno murmure fluctus.
Oppugnant, manet illa, ſuoque eſt pondere tuta.

Aptiſſimè ergo verbo *confringendi* noſter hic vſus eſt; & aptius multo, quam vel LXX. vel Chaldæus. Vatablus vertit; *Auulſit viros ſuos ſermonibus* quod licet vim exprimat quam Dauid in illos adhibuit; non tamen ipſius conſtantiam, tam clarè ante oculos ponit. Cæterum ex his dubitari meritò poteſt, quomodo nihil eorum, quæ inter ſe altercando tranſegerunt Dauid & comites, Saul perceperit. Certa enim res eſt hanc inter illos concertationem & acrem fuiſſe, & longius extractam. Verbum autem *confringendi*, ſatis indicat non ſine aliquo fremitu fuiſſe, à quo nihil omnino Saulis aures propulſas mirum ſit. Duo dicenda ſunt, vel potius iam tacta clarius explicanda. Alterum eſt, Dauidis milites, & ipſum Dauidem, licet in ſumma animi agitatione ex inſperato Regis acceſſu; hoc tamen ſeriò prouidiſſe ne quicquam ille præſentiret, ne forte periculi admonitus elaberetur. Proximus enim ſpeluncæ oſtio facilè poterat ſe fuga proripere, ſi quicquam inſidiatum eſſet ſubudoratus. Alterum eſt, Saûlem alia cogitantem totumque in id intentum, ad quod illum naturæ neceſſitas vrgebat, minus animum ad ea aduertiſſe, quæ gerebantur: vnde etiam ſi ſurdus aliquis ſtrepitus ipſius auribus eſſet adlapſus; non tamen quid illud eſſet attentiùs obſeruaſſe, cura alibi cogitationeque defixus.

ŷ. 9.)

℣. 9.) Surrexit autem Dauid poſt eum; & egreſſus de ſpelunca clamauit poſt tergum Saul dicens; Domine mi Rex. Et reſpexit Saul poſt ſe: & inclinans ſe Dauid pronus in terram adorauit.

℣. 10.) Dixitque ad Saul; Quare audis verba hominum loquentium, Dauid quærit malum aduersùm te?

℣. 11.) Ecce hodie viderunt oculi tui quod tradiderit te Dominus in manu mea in ſpelunca: & cogitaui vt occiderem te, ſed pepercit tibi oculus meus. dixi enim; Non extendam manum meam in dominum meum, quia chriſtus Domini eſt.

℣. 12.) Quin potius, pater mi, vide, & cognoſce oram chlamydis tuæ in manu mea; quoniam cum præſcinderem ſummitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te. animaduerte & vide, quoniam non eſt in manu mea malum neque iniquitas, neque peccaui in te; tu autem inſidiaris animæ meæ, vt auferas eam.

℣. 13.) Iudicet Dominus inter me, & te, & vlciſcatur me Dominus ex te: manus autem mea non ſit in te.

℣. 14.) Sicut & in prouerbio antiquo dicitur: Ab impiis egredietur impietas: manus ergo mea non ſit in te.

℣. 15.) Quem perſequeris, Rex Iſrael? quem perſequeris? canem mortuum perſequeris, & pulicem vnum.

℣. 16.) Sit Dominus iudex, & iudicet inter me & te: & videat & iudicet cauſam meam, & eruat me de manu tua.

Dixitque ad Saul.] Hanc Dauidis orationem paucis Ioſephus complectitur & paraphraſtice ſimul explicat: eam nos noſtris verbis hîc referemus, Ioſephi ipſius ſenſum ſequuti de noſtro etiam ſubinde aliquid addentes, quod Scripturæ verba magis declaret. Sic ergo Ioſephus. *Egreſſo de ſpelunca Saulo*, Dauid in apertum & ipſe progreſſus, à tergo Regem inclamat; ad cuius agnitam vocem cùm ſe ille conuertiſſet ex more prius adoratum ſic alloquitur. *Quam iniquum eſt, ô Rex*, aliorum te potiùs verba, quàm mea facta ſpectare; & de me ipſo potiùs aliis calumniantibus credere, quàm moribus meis: Et quidem ſi verbis verba diluerem fortaſſè audiendus non eſſem. Facilè enim cuique eſt verba componere, & atrocem animum blanda oratione velare. Nunc verò illuſtria facta alienis verbis oppone, crede iam ergo oculis tuis, qui tantum fidei hactenus tribuiſti ſermonibus aliorum. Gener tuus, & in partem regiæ cognationis aſcitus merueram vt facilem aditum de me obloquentibus non præberes; conſtantiæ tuæ erat tueri iudicium, quo me cæteris prælatum loco filij habuiſti, cum dediſti filiam. Tu tamen & in te ipſum iniurius, & in exitium generi nimis præceps, quod alij male loquebantur, malè credulus admiſiſti. Iam ſatis ſit; & de me ipſo crede, non auribus: ſed oculis tuis. Hos ego teſtes, hos iudices innocentiæ meæ mihi depoſco. Ecce enim puto, cognoſces cuius ſit chlamydis iſta lacinia; teipſum circumſpice, & veſtes tuas excute; quod illis abſciſſum eſt in manu mea ventilari vides. Dexteræ meæ paulo ante ſubiectum, & vulneri expoſitum difficilius fuit non confodere, quam interſecta veſte dimittere. Hoc tamen volui vt teſtis erga te voluntatis meæ eſſet interciſa fimbria, & contra malignos criminatores alio clypeo non vterer innocentiæ meæ, quam veſte tua. Hanc ergo Rex, intuere, & tandem ex illa generum cognoſce tibi parcentem, quem hactenus cognoſcere noluiſti pro te pugnantem. Plura non addo: nam crimina reuicta rebus, nihil attinet confutare verbis. Sic ille.

Dubium porro non leue hoc loco eſt cur Dauid non in ipſa ſpelunca quando ex omni parte Saulem habebat obnoxium, ipſum conuenerit; vt magis ille beneficium agnoſceret liber à Dauide dimiſſus. Sed ratio in promptu eſt. Vix enim poterat Dauid ſuorum rabiem in Saulem comprimere, & manus ab illius iniuria temperare. Curauit ergo vt quamprimum Saul è ſpelunca ſe in tutum reciperet; interim dum ipſe ſuos detinebat, partim obiurgando partim deprecando, partim rationibus agendo, & omnes deterrendo, ne quicquam grauius auderent in *Chriſtum Domini*. Nec ante deſtitit, quam Saulem vidit naturæ neceſſitatibus obſequutum, omnium neſcium quæ agebantur, è ſpelunca progreſſum & extra omnem ſuorum iniuriam in tuto poſitum. Tunc autem pone ipſum ſequutus his verbis ſtuduit emollire.

Quare audis verba hominum loquentium.] Chryſoſtomus[b] quærit quomodo cum illis iſta conſentiant quæ ſupra[c] habentur de omnium beneuolentia erga Dauidem. *Et acceptus*, inquit, *erat in oculis vniuerſi populi, maximéque in conſpectu famulorum Saul.* Si enim nullus erat, qui Dauid non impenſe faueret; ſi Saul à ſua ipſius improbitate tranſuerſus agebatur; cur nunc Dauid, non in Saulem ipſum; ſed in alios reiicit cauſam laborum ſuorum? Reſpondit Chryſoſtomus id Dauidem conſultò feciſſe, vt parceret pudoris præſentis Regis, vt daret illi locum reſipiſcendi, vt ſignificaret nil contra ipſum habere, quod quereretur; ſed tantum aduerſus alios qui illum ſuis ſermonibus in ſe concitarent. Videtur ergo exiſtimare Chryſoſtomus nullos fuiſſe qui Saulis animalium in Dauidem accenderent, maleuolentiam fouerent, nutrirent odium. Et hanc officioſam diſſimulationem, ſimul & excuſationem regiæ iracundiæ confirmat Chryſoſtomus à quotidiano vſu. *Nam & parentes*, inquit, *cùm in gratiam filios recipiunt ita cum illis agunt, quaſi id quod perperam ab ipſis admiſſum eſt, non ipſi ſponte ſua fecerint; ſed aliorum impulſu, & mala conſuetudine abrepti.* Verum quicquid de hoc ſit; negari non poteſt, quin & Saul ſatis per ſe ipſum in Dauidem commotus, acrius etiam in illum fuerit incitatus, obtrectatorum falſis criminationibus autem præbens. Ergo, inquies, erant in Regis aula malè in Dauidem animati, qui illi hoſtes erant, qui illum inſectabantur illique exitium ſtruebant. Erant omnino: nec id pugnat cum illa populi beneuolentia, nec cum propenſione animi,

b *Hom. 2. de Dau. & Sau.*
c Cap. 18.

qua aulicos ſuos,& famulos omnes deuinctos in Dauidem Saul ipſe conqueritur [d] ? *Quoniam*,inquit,*coniuraſtis omnes aduerſum me,& non eſt qui mihi renunciet, & non eſt qui vicem meam doleat.* (d Cap. 22.) Non inquam inter ſe pugnant. Primò quidem; quia quæ dicuntur capite 18. accipi poſſunt de maiori parte populi & aulicorum, non de omnibus & ſingulis, ita vt nullus eſſet qui non Dauidi faueret. Secundò, quia poterant prius omnium animi in Dauidem ita eſſe propenſi, vt nullus in eum hoſtili animo eſſet: poſtea tamen inuidia gliſcente, & regis etiam voluntate mutata, plures etiam mutati ſunt, & alios in Dauidem mores induerunt. Hos porro non exiguo in numero, nec contemnendæ auctoritatis fuiſſe,poſſumus inde coniicere, quod Dauid ipſe ſæpiſſimè de obtrectationibus ſuis, eorumque in ſe acerbitate conqueritur; & quidem adeo grauiter, vt nullum aliud calamitatis genus videatur acerbius lamentari; quàm quod à calumniatoribus patebatur. (e Pſal 11.) Hinc illa ſunt [e]; *Saluum me fac, Deus, quoniam defecit ſanctus, quoniam diminuta ſunt veritates à filiis hominum: vana locuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum, labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt.* In corde, & corde, eſt *cordatiſſimè* ex phraſi Hebræa, in qua poſitiuum bis repetitum idem valet quod ſuperlatiuum. Significat autem mendacia, & calumnias, non oſcitanter ſtructas, vt deprehendi poſſent; ſed omnino ſcitiſſimè concinnatas, & propterea ſumma cum attentione & conſideratione: quod eſt *corde, & corde*, vt bene indicant (f In Cant. in Pſal. 11.) Chryſoſtomus [f],& Eſichius. Tales autem erant, qui captata opportunitate vanos Saulis metus augebant, & magna illi & ingentia de Dauidis fauore & gratia apud populum, prædicabant: propterea appellat illos *linguam magniloquam* in eodem Pſalmo, id eſt magna loquentes, & (g Pſal. 12.) confingentes. Rurſus vero de iiſdem alibi [g] conquerens. *Linguis ſuis*,inquit,*doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum. quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt, veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. Contritio & infelicitas in viis eorum, viam pacis non cognouerunt.* Conſpirarunt ſcilicet ad mentiendum contra me, ſuggerentes Sauli me aduersùs illum inſidias occulte molitum. (h Pſal. 34.) Et alibi [h]. *Contriſtatus ſum in exercitatione mea, & conturbatus ſum à voce inimici & peccatoris: quoniam declinauerunt in me iniquitates*; id eſt illa in me crimina confinxerunt, quæ ne quidem vnquam leuiſſimè cogitaueram. Hoc enim propriè ſignificat quod ſubiungitur; *Quæ ignorabam, interrogabant me.* Ruṙſus verò in alio Pſalmo [i] (i Pſal. 26.) *ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui; & mentita eſt iniquitas ſibi.* Denique nihil frequentiùs ingeminat, quàm hanc querelam de obtrectationibus ſuis, vt in pluribus pſalmis [k] obſeruare licet. (k Pſal. 5. 9. 34. 127.)

Poteſt etiam hoc loco meritò quæri cur Dauid ita improbitatem Saulis excuſet; vt illius odij & maleuolentiæ cauſas in alios referat. Ad quod præter ea quæ Chryſoſtomus adductus obſeruat, dicendum eſt eſſe id quoque proprium amicè expoſtulantium; vt cùm de aliquo queruntur, cui tamen paratos ſe ad reconciliationem præbent; ita illum arguant, vt in eo ipſo in quo reprehendunt, etiam excuſent, in alios culpa reiecta. Sic D. Petrus cum graui oratione in Iudæos inueheretur, quibus nihilominus iter patefactum ad gratiam volebat; cùm dixiſſet [l] *ſanctum & iuſtum negaſtis; & petiiſtis virum homicidam donari vobis; auctorem vero vitæ interfeciſtis*; (l Act. 3. 17.) ſtatim ſubdit quod illos excuſet ex parte; *Et nunc ſcio, fratres, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & patres veſtri.* Sic etiam prophani ſcriptores, vt Cicero [m] qui cum multa cum Appio expoſtulaſſet; (m lib. 3. ep. 5.) quia tamen placatum illum volebat ea deinde ſubdit, quæ culpam potius in delatores referrent, quam in Appium ipſum. Quod idem prorſus hoc loco etiam Dauid obſeruat. *Quare*, inquit, *audis verba hominum?* Qua in re tacitè ſic cum Saule agit. *Si hæc quæ de me ſuſpicatus es hactenus, ipſe tibi in mentem induxiſti, tua ſumma culpa eſt, qui talia de genero cogitaſti; ſin alij, tibi ſuggeſſerunt, & inſuſurrarunt; tua tamen etiam culpa eſt qui audiuiſti, quos eiicere debebas, cum inter nos diſſidium pararent.*

Quare audis verba hominum?] Idem tamen Dauid quod nunc in Saule reprehendit in eo & ipſe poſtmodum turpiſſimè lapſus eſt, cum [n] audiuit verba Siba contra Miſphiboſeth. (n lib. 2. Reg. 17.) Adeo facilius eſt *magnum vbique animum exigere, quam præſtare*, dicebat Quintillianus; [o] (o Decl. 279.) & tam rarum in viro Principe ab hac delatorum peſte ſe intactum ſeruare. Pulchrè D. Bernardus [p] Eugenium (p lib. 2. ad Eug.) ſummum Pontificem alloquens, *Eſt*, inquit, *vitium, cuius ſi te immunem ſentis, inter omnes quos noui ex his qui cathedras aſcenderunt, ſedebis, me iudice, ſolitarius: quia veraciter, ſingulariterque leuaſti te ſupra te iuxta prophetam.* Statimque ſubdit quod hoc vitium ſit, nempe pronum eſſe in voces delatorum, qui occulte alios apud Principem criminantur. *Facilitas*, inquit, *credulitatis hæc eſt; cuius calidiſſima vulpecula, magnorum neminem comperi ſatis cauiſſe verſutias.* Sed de hoc aliàs & opportunius.

Et pepercit tibi oculus meus.] Phraſis hebraica pro eo quod eſt; Commiſeratione tui commotus ſum, cum te vidi; in quem ſenſum paſſim in ſacris literis obuiam eſt. Apud Ezechielem; [q] (q Cap. 7. 4.) *Et non parcet oculus meus ſuper te; ſed vias tuas ponam ſuper te.* Et Moyſes in Deuteronomio; [r] (r Cap. 7. 16.) *Deuorabis omnes populos, quos Dominus Deus tuus daturus eſt tibi; non parcet eis oculus tuus.* Et iterum; [ſ] (ſ Deuter c. 13. 8.) *Non acquieſcas ei, nec audias, nec parcat ei oculus tuus; vt miſerearis & occultes eum.* Loquendi forma ducta ex affectu miſerationis, qui maxime mouetur in nobis ex conſpectu alienæ calamitatis: vnde etiam tam frequenter in Pſalmis Dauid poſtulat vt Deus oculos ſuos conuertat ad ſe, & videat calamitatem ſuam, certus paterna ipſius viſcera ad tam triſte ſpectaculum non duratura. Contra verò Deus quorum miſereri non vult, ab iis auertit aſpectum; quod ſimiliter faciunt Principes viri, & quicunque in alienam pœnam animum obfirmarunt.

Quæris malum.] Malum quærere eſt hoc loco vitæ alterius inſidias moliri. Propterea LXX. vertunt. *Quæris animam tuam.* Theodoretus, *Quæris animam tuam ad malum.*

Quoniam non eſt in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccaui tibi.] Prius omnem malum vniuersè à ſe amolitur. *Non eſt*, inquit, *in manu mea malum.* Deinde per partes, cum ſubdit; *Neque iniquitas*, pro quo Caietanus; *Neque rebellio.* Vatablus; *Neque præuaricatio.* Lucifer; *Neque iniuſtitia.* Tum cuncta complectitur cum dicit; *Neque peccaui tibi.* id eſt, nihil in te commiſi quod reprehendi poſſit.

Tu inſidiaris.] Verbum eſt venatorum proprium. Vnde ex Hebræo vertit Vatablus; *Venaris animam meam.* LXX. *Cingis inſidiis.* vt intelligamus, quod ſupra monui, iuſtorum perſequutiones quaſdam quaſi venationes eſſe. Ita tamen vt cum ad illos propius canes acceſſerint, & periculum ſit ne lacerentur, extemplo Deus adſit, qui canibus male mulctatis, iuſtos ab illis eripiat, & in tutum ſubducat.

Ab impiis egredietur impietas.] Adagium erat Hebræorum celebratiſſimum, vt hic indicat ipſe Dauid. De quo videndum quid propriè ſignificet; deinde in quem ſenſum à Dauide nunc, & quorſum vſurpetur; denique ad quæ alia liceat illud accommodare. Quod ad primum: ſatis per ſe clarum eſt prouerbij ſenſum eſſe magna & ingentia ſcelera non niſi ab impiis & ſceleratis hominibus edi ſolere, proinde non ab aliis; ſed ab iſtis duntaxat illa timenda; Ita ex antiquis Theodoretus & Procopius, quos ſequuntur alij. [t] Recentiores alios duos ſenſus inſinuant, qui tamen poſſunt ad iſtum reduci. Primus eſt vt prouerbium intelligatur de iis, qui in peccandi conſuetudine occalluerunt. A quibus fruſtra eſt vt aliud expectes quàm quod illorum ingenium pollicetur. Nam

t Lyran. Abulen. Dionyſ. Caiet. Vatab. hoc loco.

Quod Medicorum eſt

Promittunt Medici, tractant fabrilia fabri

Cantillant ſecum ſemper aliquid cantores, *& ab impiis egreditur impietas.* Quod etiam vulgo apud Italos dici ſolet *non poſſe ex dolio vinum aliud effundi, quam quo repletum eſt.* Similem ſenſum illud habet, *Nec Æthiops pellem, nec pardus maculas mutat.* Quod à Hieremia [u] vſurpatur. Cui congrua ſunt apud Latinos illa; *Mala mens, malus animus. Mala radicis malum germen. Mala oua mali pulli.* Et in Euangelio quod à Chriſto Domino dicitur; [x] *Mala arbor malos fructus facit.* Secundus ſenſus eſt de conſuetudine cum improbis non habenda. Ab illis enim nihil eſſe poteſt, niſi improbum; proinde longè ab illis abſiſtendum, nec illis fidendum; niſi quis malo ſuo velit aliis exemplo eſſe. [y] *Qui tangit enim picem inquinabitur ab ea.* Picis proprium eſt attrectantem fœdare; ſimiliter qui impio fidem præſtat, & cum illo verſatur, infortunio aliquo plectetur; *quia ab impiis non egredietur niſi impietas.* Vterque tamen ſenſus, vt dicebam, in illum primum facilè reducitur, cuius duæ ſunt partes. prima non eſſe de iuſtis & ſanctis viris ſiniſtri quicquam temerè ſuſpicandum. Secunda, ab impiis & ſceleratis hominibus mala eſſe timenda. Vnde illud eſt axioma peritorum [z] iuris de eo qui ſemel malus probatus eſt, poſſe mala præſumi.

u Cap. 13. 23.

x Matth. 7. 18.

y Eccl. 13. 1.

z De quo Alciat. de præſump. reg. 1.

Maior controuerſia eſt quorſum nunc Dauid prouerbium iſtud vſurpet, & quid per illud velit. Sunt [a] qui propoſitum illi putent Saulem obliquè perſtringere. quibus videtur fauere Chaldæus Paraphraſtes, qui ſic legit, *Ab impiis egredietur impietas, & à te.* Quaſi dicat, à te qui impius es aliud nihil poterat expectari. Multipliciter autem hoc ad Saulem reflectunt. Primò vt ſit ratio eius quod præceſſit. *Vlciſcatur me Dominus ex te.* id eſt per alios tibi conſimiles in malitia puniat te; ſicut in prouerbio fertur. *Ab impiis egreditur impietas*, & iniquus iniquum perimit. Ita Dionyſius, & Polidorus [b] Virgilius. Secundò vt referatur ad id; *Tu autem inſidiaris animæ meæ.* Quare hoc? *Quia ab impiis egreditur impietas.* Non poteſt ab homine qui iam callum peccatis obduxit aliud expectari. Ita Vatablus. Tertiò, referunt alij ad illud; *Vlciſcatur me Dominus ex te.* aliter tamen explicatum. nam LXX. legunt; *Vindicet tibi.* id eſt vindictam ſumat de te per te ipſum. per quod tacite ſignificari putant in pœnam ſuorum peccatorum Saulem ſibi manus allaturum. Senſum ergo eſſe per te ipſum de te pœnas ſumat Deus. Tu enim dignus es carnifex tanto reo; & hæc impietas non eſt à me tibi timenda in cuius manibus iniquitas non eſt; ſed à talibus qualis tu es; quia impietas ab impiis egreditur, non à iuſtis. Quartò, aliqui putant reſpici ad proxima verba; *Manus autem mea non ſit in te.* quia nimirum impij ipſi illa ſciunt & moliuntur, per quæ tandem licet aliena vis abſit, impetu ſuo præcipites aguntur. *Ab impiis enim egreditur impietas: quia funibus peccatorum ſuorum capitur impius.* Ita Vatablus iterum, & alij [c] recentiores. Mihi vero certiſſimum eſt hæc omnia longè admodum à mente Dauidis abire; qui ſi nihil aliud nunc ſpectat, quam Saulis animum ſibi placare quorſum illum tam acerbe perſtringat? Non eſt hoc ex Dauidis moribus non ex illius reuerentia in Regem, non ex obſeruantia in ſocerum, non ex pietate in Chriſtum Domini: vt omittam non niſi vi & coactè ſenſus iſtos omnes illis verbis accommodari.

a Lyran. Dionyſ. Hug. Vatabl. hic.

b In ſacr. alag. n. 379.

c Clar. & Emman. Sà, hic.

Alij [d] ergo probabilius putant ad delatores, & calumniatores ſuos reſpexiſſe Dauidem; de quibus paulò ante dixerat; *Quare audis verba hominum dicentium; Dauid quærit malum aduerſus animam tuam?* An neſcis malos & peruerſos homines aliud non cogitare, niſi vt alienæ innocentiæ calumniam ſtruant? Vt enim eſt in veteri prouerbio. *Ab impiis egredietur impietas.* Et qui ignem hunc improbitatis in pectore circunfert, alios quibus accedit, aut adurit, aut afflat. Probabilis expoſitio; ſed probabiliſſima, & planiſſima, ſi ad ſui tantum excuſationem prouerbium vſurpaſſe Dauidem intelligamus; *Dixerat; Manus mea non ſit in te.* Dixerat; *Vide nunc, ô Rex, quod non ſit in manu mea malum, nec iniquitas, & quod non peccaui tibi.* Iterum poſtea repetit; *Manus mea non erit in te.* Quorum omnium ſumma eſt; Nihil à me tibi iure timendum eſt, quicquid alij de me ſuggerant, & criminentur: non talis ego ſum, qui talem, ac tantam improbitatem concipere, qui poſſim tam immane ſcelus audere, quale hoc eſſet, ſi tibi Regi meo manus inferrem. *Ab impiis enim egredietur*, id eſt *egredi ſolet impietas.* Expectanda talia ſcelera ſunt ab iis, quorum vita ſit omni ſcelere contaminata. Hunc ſenſum veteres [e] Patres inſinuant, quem etiam amplectuntur recentiores. [f] Quod ergo hoc loco vult Dauid eiuſmodi eſt non debuiſſe Saulem tale quid vnquam de ſe ſuſpicari; anteactam vitam & præteritos mores prius diſcuti æquum fuiſſe, quam tam enorme crimen de ſe crederetur. Neminem enim repentè peſſimum fieri, & à virtute ad vitium non præcipiti lapſu, ſed molli gradu deſcendi, ſe autem quid vnquam admiſiſſe quod vel leuiſſimam ſuſpicionem parricidij daret? Ergo cætera pius & innocens, primum quod peccare inciperet, grauiſſimum ſcelus eſſet, & innocentiæ iacturam à parricidio, & perduellione auſpicaretur? Ridiculum non minùs id eſſet, quàm impium exiſtimare. Ab impiis enim & iis, qui diu iam in caſtris improbitatis meruerunt, expectanda talia, illoſque cauendos. *In domo au-*

d Caiet.

e Theodoret. & Procop. hic.

f Martin. Delrio in Adag. tom. 1. num. 182.

tem iusti quærere iniquitatem, prorſus iniquum eſſe. g *Orat. pro Scyl.* Hoc idem argumento vrget alicubi Cicero, g cuius hic verba ſubiiciam, quod plurimum faciant ad id quod agimus explicandum. *Quid quiſque voluerit cogitarit, admiſerit, non ex crimine, ſed ex moribus eius qui arguitur eſt ponderandum. Neque enim poteſt quiſque noſtrum ſubitò fingi, neque cuiuſque repentè vita mutari, aut natura conuerti, &c.* Hoc eſt ergo. *Ab impiis egredietur impietas.* quod nemo repente fit peſſimus; ac proinde magna ſcelera non niſi de inſigniter, & grauiter improbis eſſe præſumenda.

Quod ad tertium; adagium hoc multiplicem vſum habere poteſt; prout ad varia deflecti & detorqueri. quæ colligi ſatis poſſunt ex his quæ dicta ſunt; & accuratè ab aliis recentioribus [h] explicantur. h *Polidor. Virgil Martin Delrio in adagiis ſacr. loc. cit.* Fabulas Rabinorum quæ hoc loco à Lyrano & Abulenſi commemorantur, conſulto prætereo; ne qui paulo ante dixi à pice inquinari qui picem tetigerit, cœnum iſtud attingam, vnde niſi lutulentum hauriri poteſt.

Canem mortuum perſequeris.] Nihil eſt abiectius canis cadauere propterea in ſacris & profanis libris *canis mortuus* ſymbolum eſt eorum
i 2.Reg.16.9 omnium, quæ viliſſima cenſentur. Vnde infra [i] Abiſai de Semei; *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi?* Huc autem illud referri
k 2.Reg.3.8 poteſt quod dixit Abner ad Iſboſeth [k]; *Numquid caput canis ego ſum?* Poſuit enim *caput canis*, pro *cane mortuo*; cadaueris partem pro toto cadauere. Cæterùm hoc loco Dauid canem
l Pſal.37.17. ſe mortuum multa de cauſis appellat. Primò vt calumniatores ſuos tacitè repellat. Illi enim [l] *magna loquebantur ſuper ipſum.* id eſt Dauidem maligne magnificabant: quod eſt, magnum vbique, coram Rege præſertim prædicabant, in maius omnia quæ ad illum ſpectabant extollentes. Cur id? vt illi inuidiam conflarent, vt Regi ſuſpectum facerent & timendum; qui tantos iam progreſſus haberet. Iſtis enim artibus maligni aulici vtuntur ad æmulos euertendos, vt intempeſtiuè laudando, tunc maximè
m *Tacit. in vita Agricolæ.* quempiam deprimant, cùm maxime videntur extollere. De quibus ille [m] veriſſime pronunciauit; *Peſſimum calumniatorum genus laudantes.* Dauid ergo vt iſtos redarguat, *canem ſe mortuum* dicit. illi magna loquuntur; dicunt aliquid magnum me eſſe; opes, gratiam, potentiam, vires amplificant: inde tibi metus incutitur. En nunc quem timeas, en tibi formidandum, en pauendum. Circunſpice Rex, & vide num me alium, quam canem mortuum deputes, proiectum à facie tua, à facie auliorum, à facie liberæ ciuitatis, inter ferarum luſtra degentem, & vix etiam in illis tutò latitantem. Secundò hoc dicit ad Saulis in ſe clementiam prouocandam. Nihil enim magis iratum animum flectit, quam ſubmiſſa precatio, & humilis animi demiſſio, qua ſuam quis imbecillitatem, & alterius excellentiam recognoſcens illius ſe voluntati, &
mm *De laudib. Stilicon.* poteſtati fatetur obnoxium. Nam vt rectè dixit Claudianus [mm], etiam quæ ratione carent.

Prætereunt ſubiecta feræ, mortiſque facultas
Emollit rabiem præda, tortique leones
Quæ ſtrauiſſe volũt, ea mox proſtrata relinquunt.

Ergo Dauid ipſum ſe non ſolum ſternit coram Saule; ſed ita vt demiſſius non poſſit. In mor-
n *Polid. Virg. n 284. Martin. Delr. tom. 1. n. 152.* tuum enim leonem quis oculos fortaſsè coniiciat; canem vero mortuum omnes refugiunt. Qua de re plura recentiores [n] in ſacris adagiis.

Pulicem vnum.] Adiungitur hoc ad idem magis exprimendum. Canis enim mortuus extremam Dauidis abiectionem ſignificat; at non vitam vagam. additur ergo *& pulicem vnum*, quo ſimul & infælicem ſuam abiectamque conditionem Regi exaggerat, & irritum præterea laborem illi in ſe perſequendo denunciat. Vt enim eſt in veteri prouerbio. *Pulicum grex difficile minatur.* Et poſt pulicem vnum inani omnino labore contenditur. Quem etiam cum quis apprehenderit, nullum operæ pretium conſequitur, & proinde dicit Abulenſis ridiculum plane eſſe qui vnicum pulicem conſequatur. Polidorus Virgilius obſeruat voluiſſe per hoc ſignificare Dauidem non eſſe ex dignitate Principis humiles oppugnare. Poſſe autem adagium hoc in potentes quoſque vſurpari, dum infirmiores inſtantius perſequuntur? Huic autem adagiali formulæ ſimiles illæ ſunt apud externos ſcriptores. *Nudum expoliare canem excoriatum deglubere, cum laruis & vmbris luctari.* In ſacris autem literis ſimilem prouerbialem formulam illa conti-
nent. [o] *Contra folium quod vento rapitur oſtendere potentiam. Et ſtipulam ſiccam perſequi.* [p] *linum fumigans extinguere. calamum quaſſatum confringere.* [q] *Parieti inclinato incumbere, & maceriæ depulſæ.* Quod eſt prolapſum impellere, & quod clarius dicitur alibi. [r] *Percuſſum inſequi, & cadentem ſternere*, quod idem prorſus eſt quod pulicem perſequi fugientem. o Iob. 13. p Iſaiæ 42. q Pſal. 61. r Pſal. 68.

ỳ. 17.) Cùm autem compleſſet Dauid loquens ſermones huiuſcemodi ad Saul, dixit Saul; Numquid vox hæc tua eſt, fili mi Dauid? Et leuauit Saul vocem ſuam & fleuit:

ỳ. 18.) Dixitque ad Dauid; Iuſtior tu es quàm ego: tu enim tribuiſti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala.

ỳ. 19.) Et tu indicaſti hodie quæ feceris mihi bona: quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occideris me.

ỳ. 20.) Quis enim cùm inuenerit inimicum ſuum, dimittet eum in via bona? Sed Dominus reddat tibi viciſſitudinem hanc pro eo quod hodie operatus es in me.

Numquid vox hæc tua eſt?] Interrogatio eſt non ambigentis, ſed admirantis. Nemo enim tam malus eſt quin etiam optima aliquando videat & admiretur. Rectè Quintilianus. [ſ] *Sentit virtutum intellectum rerum natura; nullaque tanta vitia ſunt, quæ non meliora mirentur.* Sed quid dico; Mirantur? etiam probant, licet non ſequantur; & inde miſerrimo æſtu iactari acrius vtuntur, ſecumque ipſis pugnantes vehementius cruciantur. Vnde illa dicebat ſ *Declam. 325.*

——— [t] *Video meliora proboque,* t *Ouid. lib. 9.*
Deteriora ſequor.

Quem cæcum animi tumultum, quantam vexationem habeat; optimè [tt] ſatyricus ſignificauit illis verſibus. tt *Perſius ſat. 3.*

Summe pater diuum ſæuos punire tyrannos
Non alia ratione velis.

Quæ iſta ratio puniendi adeo inſignes reos acerba via grauiſſima? Subiicit.

Virtutem

Virtutem vt videant, intabeſcantque relicta. Nimirum vt ex vna parte fulgorem virtutis aſpiciant; ex altera verò in cœno ſordium, cœcaque
u Pſal. 80. 13. nocte voluantur ſcelerum ſuorum, [u] *dimiſſi ſecundùm deſideria cordis ſui.* Saul ergo licèt extremè perditus; non tamen potuit lucem tantam non cernere. Ergo ad illius appulſum vocem ſuſtulit, ingemuit, exclamauit, ſeipſum miſerans vicemque ſuam, qui tantum à Dauidis virtute diſtaret.

Et leuauit Saul vocem ſuam.] Prorupit nimirum in clamorem & gemitum ex admiratione tantæ virtutis, cuius ea pulchritudo eſt, vt malos etiam rapiat in admirationem ſui.

Iuſtior tu es quam ego.] Illuſtriſſimum virtutis teſtimonium eſt, quod ab hoſte defertur. parum enim eſt ab amicis laudari: magna virtus in præconium ſui etiam hoſtes cogit, & ab inuitis extorquet encomia. Propterea Saul quaſi diu ſecum ipſe luctatus, & renitens; tandem vi coactus in vocem ſimul gemitumque prorumpit vt quodammodo intelligeremus ad teſtimonium hoc dicendum non ſponte deſcendere; ſed violenter adactum.

Quis enim cum inuenerit inimicum ſuum dimittet eum?] Hoc verè magnum & arduum virtutis opus, illis adhuc magis admirandum videtur, qui de ſuo ingenio alios æſtimant. Nam quia Saul totus erat in imagine pœnæ de Dauide ſumendæ; propterea incredibile omnino putabat poſſe quemquam reperiri, qui oblata occaſione hoſtes ſuos vlciſcendi, non vteretur. Cæterum quod ſemel in Dauide miratur Saul, in ſingulos dies & horas exequitur aſſiduè Deus cum peccatoribus. Inimici enim ipſius ſunt; & tamen cum ſemper illos habeat in ſua poteſtate, dimittit liberos, & vltionem differt; ob id diſſimulans vt reſipiſcant & viuant. Qua de re alibi.

℣. 21.) Et nunc quia ſcio quod regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſrael.

℣. 22.) Iura mihi in Dominó ne deleas ſemen meum poſt me: neque auferas nomen meum de domo patris mei.

℣. 23.) Et iurauit Dauid Sauli. Abiit ergo Saul in domum ſuam: & Dauid & viri eius aſcenderunt ad tutiora loca.

Scio quod certiſſimè regnaturus ſis.] Vnde hoc Saul, aut quando primum cognouit? Sunt qui putent hæc non ex animo; ſed ſimulatè à Saule dici; quo nimirum Dauid in falſam ſecuritatem deductus cuſtodias remitteret, & illius tandem inſidiis interciperetur. Verè tamen falluntur qui ſic opinantur. Dubitari enim non poteſt hæc omnia ſeriò peracta, veréque Saulem & ex animo doluiſſe, ingemuiſſe, Dauidis virtutem ſuſpexiſſe, & denique ex illius admiratione bona fide genero reconciliatum. At poſtmodum illum iterum eſt perſequutus. Nihil id refert. nam Saul erga Dauidem ſe habebat ſicut incontinentes
uu Lib. 4. Ethic. erga voluptates; quem dicit [uu] Ariſtoteles ſerio ex animo ſæpius illis nuncium remittere; poſtea tamen acri perturbatione suborta manus iterum dare, ſenſuumque blandimentis habenas immittere. Sic Saul illis auditis, qui Dauid cauſam agebant, illi tantiſper placabatur: at rurſus gliſcente odio priorisque gratiæ oblitus, ab impetu animi tranſuerſus agebatur, & in Dauidem denuo inſurgebat.

Vnde ergo cognouit Dauidem regnaturum, & quando cognouit? Non nunc primùm cognouiſſe, certa res eſt: nam in ſuperiori capite Ionathas dicit, *Tu regnabis in Iſrael, & ego ſecundus ero poſt te. Et pater meus ſcit hoc.* Dubitari tamen non poteſt aliquid nunc acceſſiſſe, vnde certius id ſibi ſpondeat futurum. Et quid hoc? Rabini dicunt abſciſſionem chlamydis. Nam & ſe ex regno deturbandum cui pars Regij paludamenti eſſet abſciſſa, & penes eum futurum regnum, qui abſcidiſſet. Mera ſomnia. Vera cauſa eſt ex præſentia numinis quod vbique videbat adeſſe Dauidi; tum etiam ex inſigni eiuſmo Dauidis virtute, quam dignam Regio animo prorſus oſtenderat, conieciſſe Saulem certò eum regnaturum. Nam ſemper & vbique certo cognouerat ſub tutela & præſidio Dei Dauidem degere; & nouiſſimè cum eſſet ille extremo periculo proximus, vtpote ſpelunca concluſus diuino nutu factum eſſe, vt verſa vice Rex ipſe captiuus eius fieret, quem dudum ceperat. Quod quantam diuini numinis præſentiam præfert in illo tutando? At verò cum Dauid hoſti ſuo vltro pepercit, dignum ſe prorſus oſtendit qui regnaret. Nemo enim aliis imperare dignior, quàm qui ſibi prius: nemo autem ſibi magis imperat, quàm qui cupiditatibus ſuis: in primis autem inſano ardori ſui vlciſcendi. Hic enim verè eſt Dominus animæ ſuæ, de quo ſapiens; [x] x Prouer. 16.
Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animæ ſuæ expugnatore vrbium. Ex quo alius

Fortior eſt qui ſe, quam qui fortiſſima vincit
Mœnia: nec virtus altius ire poteſt.

Saul multas hoſtium vrbes oppugnauerat, multas irruperat, plures hoſtes occiderat; ludus ea omnia iocuſque fuere præ victoria quam nunc Dauid de ſe ipſo retulit. Ideo meritò ex ea coniicit futurum vt certiſſimè regnet. Se enim viliſſimum cupiditatum ſuarum mancipium, iræ, odij, timoris, & mille aliarum animi peſtium grauiſſimum dominatum ferre; quarum omnium ſæuiſſimis imperiis actus, per inuia montium deuexa raptaretur ad pulicem vnum, & canem mortuum perſequendum; ac proinde indignum prorſus eſſe qui regnaret. At, inquies, hæc huiuſmodi non erant, vt propterea regnum à ſe amouendum putaret, & à ſtirpe ſua; à Ionatha præſertim. Sed dicendum, quod ſupra monui, regnum Iſraeliticum nondum adhuc ita conſtitutum, vt hæreditate deferretur. Cum ergo electione opus eſſet, Saul ex Dei fauore, populi conſenſu, virtute Dauidis, fortitudine, magnanimitate, reliquiſque Regiis dotibus & denique ex publica fama collegit non alium, quam Dauidem poſt ſe regnaturum. At cur hoc ipſe auertere non curabat? Conabatur id quantum poterat: ſed fruſtra. Quid enim hactenus fecit cum Dauidem veſtigiis omnibus ad mortem eſt perſequutus? At nunc vltrò ſucceſſurem agnoſcit, & fatetur. Vltrò, an coactus? Quid enim aliud faciat cum videat ſe fruſtra niti, & caſſo labore conſumi.

Ne deleas ſemen meum poſt me.] Quid nunc timeat Saul poſteris ſuis, cum ipſe contra quem multò maiorem ſæuiendi cauſam habeat Dauid ab illo nunc dimittatur incolumis? Certa enim res eſt, ſi quid periculi ſtirpi Saulis immineat, eſſe id ex odio Saulis: at ipſi Sauli pepercit Dauid.

uid. Quorſum ergo timere oe in illos ſæuiat tam mitis in iſtum, propter quem tantum eſſet in alios ſæuiendum? Placet in hoc coniectura Abulenſis; reputaſſe ſecum Saulem fortè ſibi ignouiſſe Dauidem; vt offenſionem aliorum euitaret, eaque re ſibi rationibuſque ſuis conſuleret; non ignarus plurimom ſibi apud populum obſoturum ſi manus regio ſanguine polloiſſet. At regnum iam adeptus cum metus hic omnis abeſſet timebat Saul ne Dauid & ſui vleiſcendi, & regni ſtabiliendi cauſa ſtirpem regiam tolleret à qua ſibi turbas aliquas timere poſſet. Vt ergo ſuæ poſteritati eauêret, hoc iureiurando Dauidem obſtringit, quod quatenus illom, & ad quid obligauerit, & quomodo ſeruatum fuerit;
y lib.2.c.21. infrà y dicemus.

Aſcenderunt ad tutiora loca.] Nimirum lachrymis illis Dauid planè non credidit; vel ſi pro tempore credidit, non diu duraturas putauit. Ideo nec ſe ſoceri fidei nunc committit, & porro etiam in poſterum magis cauet. Quod totum egregium documentum nobis præbet, quemadmodum cum vitiis noſtris nos gerere debeamus; ita nimirum vt quantumuis blanda ſe in ſpecie præſerant, & remiſiſſe vires ſuas & impetus videantur; ab illis tamen nunquam nos ſecuros exiſtimemus, nunquam bona fide arma depoſuiſſe, pacem firmaſſe, inſidias omnes & dolos amouiſſe. Proinde ſemper cauendum intelligamus, in cuſtodia vigilandum, circunſpectè occaſiones omnes, & pericula vitanda. Denique à Saole etiam placato timendum, & tunc in tutiora loca diſcedendum cum ipſe magis pacem ſimulauerit. Nullæ enim ſunt inſidiæ maiores, quàm quæ ſub blando pacis nomine deliteſcunt.

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT XXV.

ARGVMENTVM.

INTER hæc vt omni prorſus ſolatio David ſpoliaretur in terris, Samuel vates ſanctiſſimus, quo plurimum ille fidebat, è viuis exceſſit: cui cum ab vniuerſo Iſraele eſſent iuſta ſoluta, David iterum relicta terra Iudæa, in ſolitudinem Pharan ſeceſſit cum ſuis: ibi cum rerum omnium inopia premeretur, miſit qui ſuis verbis à Nabal omnium ditiſſimo qui Carmeli regiones incolerent, ſubſidium aliquod feſſis rebus humiliter implorarent. At ille agreſtis & ferus orantes aſpernatus, poſtulata eorum abnuit; inſuper etiam ludibrio, & verbis procacibus exceptos, contumelioſè dimiſit. Quo comperto David, improbi procacitatem non ferendam ratus, ſtatuit omnino, vt Nabal Dauidem experiretur iratum, quem ſupplicem deſpexiſſet. Et iam omnia quæ ipſius erant, ferro, flammaque vaſtaturus inuaſerat, cum Abigail quæ vxor illius erat occurrens, iuſtum impetum furentis auertit, inſano marito venia impetrata. Ita vnius fœminæ virtus innumeris periclitantibus ſaluti fuit. Interim tamen Nabal ex periculi magnitudine conſternatus, graui morbo contracto intra decem dies confectus eſt: & Abigail quæ facunda oratione & elegantia formæ mirè placuerat, vxor eſt Dauidis effecta; dignum ſortita virum tanta virtute; Cum eodem tempore Saul ad ingenium reuerſus & iterùm infenſus genero, vxorem Micol ab illo abductam alteri viro collocaſſet.

ỳ. 1.) Mortuus eſt autem Samuel, & congregatus eſt vniuerſus Iſrael, & planxerunt eum, & ſepelierunt eum in domo ſua in Ramatha. Conſurgenſque Dauid deſcendit in deſertum Pharan.

ỳ. 2.) Erat autem vir quiſpiam in ſolitudine Maon, & poſſeſſio eius in Carmelo, & homo ille magnus nimis: Erantque ei oues tria millia, & mille capræ: & accidit vt tonderetur grex eius in Carmelo.

ỳ. 3.) Nomen autem viri illius erat Nabal; & nomen vxoris eius Abigail. eratque mulier illa prudentiſſima, & ſpecioſa: porro vir eius durus, & peſſimus, & malitioſus: erat autem de genere Caleb.

ỳ. 4.) Cum autem audiſſet Dauid in deſerto quod tonderet Nabal gregem ſuum.

ỳ. 5.) Miſit decem iuuenes, & dixit eis; Aſcendite in Carmelum, & venietis ad Nabal, & ſalutabitis eum ex nomine meo pacificè.

ỳ. 6.) Et dicetis, ſit fratribus meis & tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus quæcunque habes ſit pax.

ỳ. 7.) Audiui quod tonderent paſtores tui qui erant nobiſcum in deſerto: nunquam eis moleſti fuimus, nec aliquando defuit quicquam eis de grege

ge, omni tempore quo fuerunt nobiſcum in Carmelo.

℣. 8.) Interroga pueros tuos & indicabunt tibi. Nunc ergo inueniant pueri tui gratiam in oculis tuis: in die enim bona venimus. quodcunque inuenerit manus tua, da ſeruis tuis, & filio tuo Dauid.

MORTVVS *eſt autem Samuel.*] Quo tempore Samuel extremum diem clauſerit, quot annos natus, quo in loco, & inter quos, quoto item anno regni Saulis; in propria diſputatione eſt explicandum, in qua etiam quæ ad vniuerſam chronologiam vitæ ipſius pertinent, accurate proſequemur.

Planxerunt eum, & ſepelierunt.] De hoc publico luctu nihil eſt quod nunc exponamus; ſatis quæ ad illum ſpectant exequuti, vbi de funeribus [a] Hebræorum à nobis Apparatu hiſtorico actum eſt.

a *lib. 5. de priſcis ritibus fun. Heb.*

In domo ſua.] Id eſt in ſepulcbro patrum ſuorum & familiæ ſuæ. Domus enim hic pro familia appellatur, vt bene Caietanus obſeruat; niſi cuipiam magis probetur, domum hoc loco pro ſepulchro poni? Nam & apud Latinos in hanc ſignificationem non ſemel vſurpatur. Vnde ille [b] loquens de oſſibus & cineribus quæ poſt cadaueris cremationem veteres legebant, & lota ſepulcbro inſerebant,

b *Tibul. lib. 3. eleg. 2.*

Poſt hac carbaſeis humorem tollere velis
Atque in marmorea ponere ſicca domo.

Hic enim *domus* eſt vrna & conditorium ipſum. Similiter vetus inſcriptio Romæ prope ædem diui Stephani ad diuam Luciam

M.... IVNIO. M. L. PAL. RVIO
Hæ ſunt parua tua meaque ſedes
Hæc certa eſt DOMVS, hæc colenda nobis
Hæc eſt quam mihi ſuſcitaui viuus.

Et ſanè ſi domus vniuſcuiuſque eſt quam incolit: nihil magis nomen domus hominis meretur, quam ſepulcbrum [c]. Domus enim illorum ſepulchra illorum in æternum. Vide [d] quæ fuſe diximus de priſco Hebræorum funere.

c *Pſal 48.*
d *lib. 5. appar. hiſtor. par. 4.*

In deſertum Pharan.] In hoc deſerto poſt emenſas ſolitudines montis Sinai vagari quoque ſunt filij Iſrael; cum terram promiſſam peterent ab Ægypto profecti. De quo deſerto ex variis Scripturæ locis hæc [e] Adrichomius collegit. *Pharan*, inquit, *deſertum ampliſſimum, vaſtiſſimum, inuium & inaquoſum, à monte Sinai vſque Cadesbarne vndecim dierum continens iter: eius terra tota ſterilis, arida, ſqualida; neque arari poteſt, nec ſeri; hominibus inhabitabilis; villis, domibus, & caſis carens; vbi nedum homines, ſed nec aues videntur; immò nec arbores, nec germen aliquod; ſed tantùm rupes & montes ſaxoſi, altiſſimi, aſperrimi, vndique prærupti, ſolis ardoribus exuſti, mixti coloris inter nigrum & rubrum: vnde ſplendente ſole repercuſſi, quaſi oleo eſſent vncti, ipſo viſu ſpeciem horroris & imaginem mortis aſpicientium oculis intentant. Tanta autem aquarum eſt ex terra caloque penuria, vt ſteriles arenæ vapore ſolis accenſæ intolerabiles æſtus emittant, veſtigiaque gradientium prorſus exurant. Luctandum inſuper eſt non tantùm cum ardore & ſiccitate regionis; ſed cum denſiſſimo ſabulo, quod præaltum, & veſtigia abſorbens, ægerrimè pedes moliuntur. In hoc deſerto vagati ſunt filij Iſrael annis 38. quo toto tempore non veſtimenta, non calceamenta eorum detrita ſunt? non manna eos, non aqua defecit. Atque ex ipſis pluſquam ſexcenta virorum millia præter mulieres & paruulos ibi extincti ſunt, ibique eorumdem cadauera conſumpta. Accipitur autem aliquando Pharan pro prima parte deſerti Arabiæ prope montem Sinai; aliquando pro vltima parte deſerti eiuſdem qua vertit ad terram promiſſionis, aliquando vocatur etiam deſertum Scin, quod nomē littera eſt apud Hebræos.* Hæc ex Adrichomio de hoc deſerto collegimus ex quibus aperte ſatis conſtare poteſt quantopere ſibi Dauid timeret à ſocero; quando vt illius vitaret inſidias in hæc ſe luſtra ferarum potius, quàm hominū ſedes penetrauit.

e *In ſua deſcrip. ter. ſanc.*

Et poſſeſſio eius in Carmelo.] Licèt vir iſte habitaret in Maon; ea tamen quæ poſſidebat, erant in Carmelo. Hebraice propriè eſt; *& opus, cultura, operatio eius in Carmelo.* Hebræi enim poſſeſſiones appellant *Maaſac*, id eſt *opera.* per id ſignificantes omnia opera hominum, labores, & induſtriam in iis maxime verſari & exerceri, quæ illi poſſident, vt ſunt diuitiæ, armenta, pecora; in quibus acquirendis, cuſtodiendis, augendis totus eſt homo. Hiſpanice vno verbo quicquid à priuatis poſſidetur appellatur, *Hazienda*, non diſſimili idiotiſmo. Quod ergo hic dicitur, *& poſſeſſio eius*, ſiue *opus eius in Car melo*, eſt, *Su hazienda en el Carmelo.* Alibi noſter interpres nomen quod hoc loco vertit *poſſeſſionem*, reddit *munitiones*; vt apud Ieremiam [f]. *Pro eo*, inquit, *quod habuiſti fiduciam in munitionibus tuis, & in theſauris tuis, tu quoque capieris.* Pro munitionibus enim alij vertunt *in cellariis*, vt Chaldæus; alij, *in pecudibus* vt R. Chimchi, & Vatablus; alij, *in operibus* vt Pagninus; alij, *in poſſeſſionibus.*

f Cap. 48. 7.

Magnus nimis.] In ſacris literis, vt alibi [g] fuſiùs obſeruauimus, *magni* pro *diuitibus* appellantur. Qui etiam apud Italos & Hiſpanos ſimili forma dicuntur *Grandi.* Magnus autem nimis, eſt ditiſſimus ex phraſi Hebræa; & ſic legit Vatablus. Simili modo de Iſaac ſcribitur [h], cum maiores opes in dies acquireret. *Quod ibat proficiens & ſuccreſcens, & quod locupletatus eſt homo; donec magnus vehementer effectus eſt.*

g *lib. 2. c. 16.*
h Gen 26.

Vt tonderetur grex eius.] Tonſio iſta gregum apud Hebræos ſolemni ritu peragebatur. Feſto enim conuiuio cognatos & amicos excipiebant, & familia tota in hilaritate compoſita, liberalius epulabatur. Vnde & Abſalon ea occaſione vſus ad feſtam celebritatem fratrem Amnon inuitauit, & dolo intercepit [i]. *Tondentur*, inquit, *oues ſerui tui. veniat, oro, Rex cum ſeruis ſuis.* De quo rurali conuiuio, & eius ritibus plura in apparatu [k] hiſtorico.

i 2. Reg. 13. 24.
k *lib de conuiu Hebr.*

Mulier illa prudentiſſima & ſpecioſa.] Præclara laus in fœmina, in qua, vt ille dixit, [l] *raram facit miſturam cum ſapientia forma.* Vnde ſapiens; [m] *Veſtigium cordis boni & faciem bonam difficile inuenies & cum labore.* Vnde autem id? Quia forma & pulchritudo impudicam plerumque fœminam faciunt, & arrogantem. quo vtroque vitio nullum eſt prudentiæ magis inimicum. *Externa corporis pulchritudo*, inquit Chryſoſtomus, [n] *plena eſt multa ſuperbia & arrogātia:* quod exprobrat Deus populo Iudaico dum illum ſub ſpecie mulieris alloquitur. [o] *Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo.* Bene ergo ille cecinit, [p]

l *Petron. in ſatyr.*
m Cap 23. 32.
n *Homil 20. ad Eph.*
o Ezech. 28.
p *Ouid. lib. 2. faſt.*

Faſtus ineſt pulchris, ſequitur ſuperbia formam.

Sed & impudicitia: propterea Deus populum

ſuum

ſuum itidem alloquens ſub typo mulieris for-
q Ezech. 16. moſæ,[q] *Et habens*, inquit, *fiduciam in pulchritudine ſua, fornicata es.* Meritò ergo ille conquerebator quod in fœmina

r Ouid. ep. Par. [r] *Lis ſit cum forma magna pudicitia.*

s Sat. 10. Et Iuuenalis[s]

Rara eſt adeo concordia formæ
Atque pudicitiæ; ſanctos licet horrida mores
Tradiderit domus, ac veteres imitata Sabinos.

Vnde autem hæc diſcordia formæ & pudicitiæ, merito quæri poteſt placet inter alia, quæ poſſunt afferri, quod traditur alicubi à D. Hierony-
t lib. 2. cont. Iou. mo,[t] quia quæ pulcbræ ſunt, à pluribus ſuſpiciuntur, deſiderantur ſollicitantur aliquando autem expugnatur; quod vndique & aſſidue oppugnatur; nec facile cuſtoditur, quod à pluribus amatur; & in quod totius populi vota ſuſpirant. Scriptura autem quas fœminas à pulcbritudine laudat, ſimul etiam à prudentia commendat, vt ratam ſcilicet laudem complectatur. At quæ hæc prudentia Abigail, & in quo ſita? Quod in noſtra vulgata eſt *prudentiſſima*; in Hebræo proprie habetur *bona intellectu*, vt vertunt Vatablus & Caietanus; alij exponunt *claro ingenio*. Patet autē per id in hac fœmina laudari præter formæ bonum, vim & perſpicaciatem intelligendi; qua quia ad ea vtebatur, quæ in quaque re ex vſu & decoro eſſent; idcirco à noſtro meritò prudentiſſima eſt appellata. Ergo per hanc prudentiam, non ſolum intelligimus ab illa vitia abfuiſſe, quæ ſolent vt plurimum formam comitari, ſed etiam virtutes illis oppoſitas adfuiſſe. Erat ergo pulcherrima; ſed non ob id faſtuoſa, non ſuperba, non tumida. Hoc enim prudentis eſt ex adeo fragili bono qualis eſt corporis ſpecies, non inſolenter efferri; ſed magis demitti, quod illa paulo poſt fecit cum humili demiſſione Dauidem placauit. Erat etiam maximè pudica: vnde paulo poſt etiam cum Dauidem adiret pueros præmiſit, quos ipſa deinde cum ancillis ſequebatur; in illa etiam feſtiuatione ſeruans id, quod in primis decorum illuſtris fœminæ poſtulabat; vt non niſi inter famulas conſpiceretur procul à miniſtris virilis ſexus. Si enim ne tunc quidem cum ſubitæ turbæ omnia præcipitare cogebant, eſt pudoris oblita; quid illam feciſſe putandum eſt in conſuetudine quotidianæ vitæ? Merito ergo Dauidi placuit; & ita placauit, vt ſtulto viro, & omnibus eius facultatibus veniam impetrauerit, vt paulo poſt videbimus.

Vir durus, & peſſimus, & malitioſus.] Diſſimile eſt valde hoc viri elogium, ab vxoris laudibus. Ita plerumque fit, vt quemadmodum olim Maxentius mortua corpora viuis alligabat; ſic etiam nonnunquam in matrimonium copulentur fœmina honeſtiſſima & ſanctiſſima cum viro perdito. Primum ergo erat *durus*. id eſt, vt interpretatur Abulenſis, *auarus*; vt Caietanus, *obſtinatus*; vt Dionyſius, *immiſericors*. Hebraicè propriè eſt, vt vertit Vatablus, *difficilis*. Refertur autem ad mores & animi habitudinem, ſiue ad naturam & ingenium ipſum, vt Theologi loquuntur, *in actu primo*. Eſt porrò *durus* idem quod *intractabilis*: metaphora ducta à cera, cuius laus eſt ſi cedat, & artificis digitos facile ſequatur: contra verò quæ tractari nequit, quia nec fingi, nec figurari poteſt, vt minus idonea reiicitur. Qua de re eſt Plinij epigramma in fragmentis antiquis

Vt laus eſt cera mollis, cedenſque ſequatur,
Si doctos digitos iuſſaque fiat opus:
Sic hominum ingenium flecti, ducique per artes
Non rigidum docta mobilitate decet.

Et ex hoc hominem aſperum difficilem qui nunquam aut ægrè aliorum voluntatem ſequatur, *durum* antiqui dixerunt; quem etiam *moroſum* appellarunt; quod nihil homines ægrius ferant, quam moras ſibi, & difficultates obiici, cum aliquid cupiunt & expectant. Talis erat hic Nabal; nulli ſe dare ſolitus, nullius votum ſequi, nullius ſe voluntati accommodare; propterea *durus*. Additur deinde, *Et peſſimus.* illud referebatur ad ingenium, & inſitos mores; hoc ad actiones ipſas, & opera. Malam animam ſortitus erat, quod eſt durum fuiſſe. Sed & peiùs inſtitutus & educatus, peruerſum ingenium male agendo fecerat improbius, quod eſt fuiſſe *peſſimum*. Hebraicè eſt quod hoc ſignificat, *Vir difficilis, & malus operibus*, vt ad verbum vertunt Caietanus & Vatablus: pro quo noſter habet, *Peſſimum & malitioſum.*

Erat autem de genere Caleb.] Sic etiam in Hebræo; neſcio tamen quid LXX. & Complutenſes reſpexerint, qui hoc loco verterunt, *Et erat homo ille caninus*; fortaſſis quia radix Hebræa כָּלֵב *queleb*, à qua nomen כָּלֵב *Caleb*, canem ſignificat. Vnde & R. Salomon hoc loco vertit; *Et erat vir ille de genere canino* noſtra tamen editio melius nomen expreſſit viri ſanctiſſimi, ex cuius ſtirpe Nabal erat; vt intelligamus maiorum gloriam poſteris quaſi lumen eſſe, quod eorum neque bona, neque mala patitur occultari.

Quod tonderet gregem ſuum.] Ea occaſione vſus eſt Dauid in communi omnium lætitia, ratus ea, quæ ſibi opus erant, & poſtulabat, facilius impetraturum.

Aſcendite in Carmelum. Euſebius apud Theodoretum[u] Carmelum hoc loco non montem u Q. 58. in 1. Reg.
vult eſſe; ſed eiuſdem nominis vicum, qui ipſius Euſebij tempore adhuc exſtabat. In vico enim habitaſſe Nabal quando poſſeſſionem ſuam inuiſebat, & non in campeſtribus inter tabernacula paſtorum; ſed vtrum vis dicatur in tenui labor eſt.

Salutabitis pacificè.] Id eſt pacem precando, quæ ſolemnis erat ſalutandi forma apud Hebræos. Illis enim pacis vocabulo bonorum omnium cumulus ſignificatur, vt nos alibi, & hic
alij[x] obſeruant. x Lyran. Abulen. Dionyſ. Hugo. Caietan. Vatab.

Sit fratribus meis & tibi pax.] Fratres ſuos appellat qui erant in familia Nabal: Nabal autem ipſum quaſi dominum ſuum à cæteris ſeiungit; eo ipſo tacitè ſignificans ſe quoque eſſe in numero ſeruorum. De hac vero ſalutandi formula nihil hic adiungimus, ea quæ ad ipſam ſpectant in apparatu hiſtorico fuſius exequuti.

Quo fuerunt nobiſcum in Carmelo.] Hic Carmelus mons eſt, & vallis illa fertiliſſima, in qua Nabalis poſſeſſiones erant.

Nunquam eis moleſti fuimus.] Duo per hæc amplectitur, quæ plane Nabalis animum mouere poſſent; niſi plus ille feritatis, quam humanitatis haberet. Alterum ſpectat ad animi moderationem; alterum ad vitæ integritatem Dauidis & ſociorum: per illam, ita cum paſtoribus agebant, vt omnibus comes faciles, placabiles, nihil illi rudi & ſimplici hominum generi moleſti eſſent: per hanc verò ab omni in illos iniuria temperabant. vtrumque rarum in militibus; vagis præſertim, & qui in ſumma rerum inopia

profu

profugi per ſolitudines agebantur. Ex quo diximus quomodo comites ſuos Dauid habuerit, & quam vere illa ad ſe venientibus fuerit proteſtatus [y]; *Venite filij, audite me; timorem Domini docebo vos*; vt ſupra [z] pluribus exequuti ſumus. Non deſunt tamen qui apud Magiſtrum & Dionyſium iſta ad tempus referant, cum Dauid gregem patris ſui in deſerto paſcebat. Sed omnino perperam. nam mirum non fuiſſet Dauidem pene puerum,& paucarum tantum ouium cuſtodem modeſte ſe gerere cum paſtoribus Nabal. LXX. hoc loco habent quod magis Dauidis moderationem & ſociorum commendat. *Non prohibuimus eos, nec imperauimus eis quicquam omnibus diebus.* Quod eſt cum inter illos ita verſaremur, vt & ipſi & omnia illorum in noſtra poteſtate eſſent; non tamen eis quicquam vnquam imperauimus; illud quod ſuos admonet D. Petrus [a]; *vt non dominentur in cleris.*

y Pſal. 33.
z Cap. 19.
a 1. Petr. 5. 3.

Inueniant pueri tui gratiam.] Solemnis apud Hebræos formula cum quid ab aliis poſtulabant; de qua plura dicemus libro ſecundo [b]. Nec diſſimilis apud Latinos, quandoque obſecrandi ratio vſurpatur. Ouidius [c]

b Cap. 16.
c l. 6. transfor.

Iam tempora Titan
Quinque per Autumnos repetitus duxerat annis,
Cum blandita viro Progne; ſi gratia, dixit,
Vlla mei eſt, vel me viſendam mitte ſorori,
Vel ſoror huc veniat.

In die enim bona venimus.] Dies bona eſt feſta dies, & læta celebritate ſolemnis; in qua nihil fere ſolet negari petentibus ab iis quorum cauſa dies ille feſtus agitatur. Quæ conſuetudo cum ſemper apud omnes nationes valuerit; tum maxime ab Hebræis eſt religioſe ſeruata. Inde enim eſt quod Herodes diem feſtum agens natalis ſui, puellæ optionem dedit poſtulandi quod vellet; & cum illa caput Ioannis poſtulaſſet, *noluit* [cc] *illam contriſtare propter ſimul diſcumbentes.* Quia nimirum nefas Iudæis erat *die bona* quemquam à ſe triſtem dimittere. Similiter Romani Præſides in die feſto paſchæ, quæ erat *dies bona valde*, conſuetudinem habebant Ieroſolymitanæ plebi quem vellet reum & damnatum liberum concedere: adeo illi genti religioſum erat quidquam aliis in die bona negare, aut largum munificumque non eſſe. Hoc ergo argumento ab opportunitate temporis ducto Dauid ſuus vti vult, quo magis Nabal, ad ſuis ſibique opitulandum permoueat. Cæterùm *diem bonam* pro feſta die etiam Latini dixerunt. Ouidius [d].

cc Mar. 6. 26
d lib. 1. faſt.

Proſpera lux oritur linguis animiſque fauete
Nunc dicenda bono ſunt bona verba die.

Vnde & vulgo manaſſe puto vt in mutuis congreſſibus & matutina ſalutatione bonum inuicem diem nobis precemur, fauſtum nimirum, & læta feſtiuitate fœlicem.

Quodcunque inuenerit manus tua.] Extenuat id quod poſtulat. ſignificat enim mendicorum more illud omne ſe cum gratia ſuſcepturum, quod ille ſibi tranſmittere dignabitur; quicquid tandem id ſit. Obſeruat hoc Theodoretus [e], & illud inſuper; hoc loco Dauidem veram inopis, & mendici ſpeciem præ ſe tuliſſe; verbaque illorum propria vſurpaſſe. Hi enim ad egeſtatem ſuam ſignificandam, quid ſibi dari velit, in ſua poſtulatione non definiunt; ſed aliquid tantum poſtulant, quicquid illud ſit, & eo ſubleuatos ſe eſſe demonſtrant. Illud autem, *Quicquid inuenerit manus tua*; Hebraiſmus eſt, quo ſignificatur quicquid vile eſt, & minimi pretij, vt ex Deuteronomio [f] colligitur, & hîc Abulenſis cum aliis [g] obſeruat. Talia enim prima cuique obuia ſunt, & vltro etiam in manus incidunt non quærenti, cum pretioſa quæque ſeponantur, & in arculis ſeruata non ita in promptu ſint. Illud vero. *Da pueris tuis*; obſeruat Ambroſius [h] proprium eſſe mẽdicorum verbum. *Quæ vox*, inquit, *alia egentis eſt, quæ vox alia ſtipem publicè poſtulantis, niſi da mihi, quia egeo; da mihi, quia aliud vitæ ſubſidium habere non poſſum; da mihi, quia non eſt mihi, panis ad victum, nummus ad potum, ſumptus ad alimentum ad indumentum ſubſtantia. Da mihi, quia tibi Dominus dedit, vnde largiri debeas, mihi non dedit; da mihi, quia niſi tu dederis, habere non potero.* Vt ergo Dauid mendicum ſe prorſus oſtenderet, verba hîc mendicorum propria non effugit, dicendo; Da mihi, & comitibus meis ſeruis tuis.

e Q. 57. in 1. Reg.
f Cap. 5 & 12.
g Lyran. & Dionyſ.
h lib de Nabuth. c. 2.

Filio tuo Dauid.] Sæpiùs alibi docuimus *dominos* antiquitus patres appellatos. Vnde apud Romanos etiam ſupremus herus in domo, *paterfamilias*, famulorum ſcilicet pater, non dominus dicebatur. Ab ea conſuetudine Dauid filium nunc ſe Nabalis appellat. per id reuerenter illum dominum ſuum confitendo; nec qualemcunque ſed pium, ſed clementem, ſed æquiſſimum & benigniſſimum, & patrem potiùs eorum, quibus præerat, quam dominum appellandum. Se autem filium dicit, non quia ex ipſo prognatus; ſed quia ſeruum ſe illius agnoſcit. In Scriptura enim nonnunquam & filij nomen ad ſeruos extenditur, quod conſequens eſt, ſi ſeruorum dominus, pater appellatur. Proptèrea Iob ad hoc diſcrimen reſpiciens diſtinctè dixit, [i] *Halitum meum horruit vxor mea, & orabam filios vteri mei.* Significanter *vteri mei*; vt ſignificaret loqui ſe de veris filiis ex ſe genitis; non de ſeruis & aliis, qui etiam filij nuncupantur.

i Cap. 19. 17.

ỽ. 9.) Cúmque veniſſent pueri Dauid, loquuti ſunt ad Nabal omnia verba hæc ex nomine Dauid: & ſiluerunt.

ỽ. 10.) Reſpondens autem Nabal pueris Dauid, ait; Quis eſt Dauid? & quis eſt filius Iſai? Hodie increuerunt ſerui qui fugiunt dominos ſuos.

ỽ. 11.) Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonſoribus meis, & dabo viris, quos neſcio vnde ſint?

ỽ. 12.) Regreſſi ſunt itaque pueri Dauid per viam ſuam, & reuerſi venerunt, & annunciauerunt ei omnia verba quæ dixerat.

Quis eſt filius Iſai?] Quos deſpicimus, eos appellare proprio nomine non ſuſtinemus. propterea cum Nabal Dauidem proprio nomine appellaſſet, poſtea filium Iſai nuncupat, quaſi ſe corrigens. Nam proprio vocabulo appellare amantis eſt. [k] *quæ amamus*, inquit Nazianzenus, *eorum nomina libenter vſurpamus.*

k Orat. 40. init.

Ideo increuerunt ſerui.] Grauiſſima contumelia per hæc verba Dauidem à Nabal affectum omnes agnoſcunt, & res ipſa loquitur: ſeruum enim & fugitiuum, & fugitiuorum ducem & anteſignanum appellauit; quo quid poterat non

dico in Dauidem regium generum,& regiæ iam militiæ magiſtrum ; ſed in quemlibet hominem liberi capitis grauius vſurpari ? Quin non ſolum contumelia ipſa grauiſſima eſt ; ſed verba etiam maxime aculeata , & loquendi modus amaro maxime ſcommate contortus. *Increuerunt* , inquit, *hodie ſerui*. Hebraicè , *Multiplicati ſunt* , &

l *Compluten. Theodoret. Caietan. Vatabl. hic.*

ita cum LXX. alij [l] legunt. Quaſi dicat : viuere non licet præ multitudine fugitiuorum , qui à Dominis receſſerunt,& regiones latè inſident, & ſeruili agmine peterrant. Per id tacitè iudicans adeo indignos illos eſſe , quibus ope aliqua ſuccurratur, vt potius digni ſint quos omnes ad pœnam & ſupplicium perſequantur.

Aquas meas.] Cur aquas nominat ? Sunt qui putent in regione illa propter ſoli ſiccitatem fuiſſe etiam venales aquas ; præſertim quæ ad potum eſſent : qua aquarum penuria non ſolùm laboraſſe volunt hunc terræ tractum, in quo hæc contigiſſe narrantur ; ſed Iudæam etiam totam, & quæ erant illi conterminæ regiones; licèt minùs in vna parte quàm in alia. Nam & Filios Iſrael cùm per Idomeæ fines tranſire vellent , ſic ab Idumeorum Rege commeandi facultatem

m Num. 20.

poſtulaſſe. [m] *Non ibimus per agros, nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis ; ſed publica gradiemur via.* Similiter Deus Iſraelitis præſcribens quomodo ſe gerere debeant in hoc itinere per Idumeam , iubet vt tranſeuntes per *fines Edon*, id eſt Idumeæ , aquas ab incolis pretio ſibi pa-

n Deuter. 2.

rent. [n] *Cibos*, inquit, *emetis ab eis pecunia , & comedetis; aquam emptam haurietis , & bibetis.* Denique aquas ad potum emi ſolitas indicat illud

o Cap. 55. 1.

Iſaiæ. [o] *Omnes ſitientes venite ad aquas; & qui non habetis argentum emite & comedite.* Significat enim futuram tantam aquarum abundantiam, vt viliſſimo pretio ſint diſtrahendæ , nempe , vt ab iis quoque emi poſſint , qui argentum non habeant. vnde ſubdit ; *Venite, emite abſque argento*, indicans non auro , aut argento opus eſſe ; ſed ære,& aſſibus & pretio viliori quod totum non diceretur niſi in terra Iſrael aquæ ad potandum emi conſueuiſſent. Ex quo id intelligitur quod

p Matth. 10. 42.

Chriſtus Dominus dixit apud Matthæum. [p] Qui dederit gratis potum aquæ frigidæ; mercede non cariturum.

Verùm quicquid ſit de hoc ; an in tota illa regione , vel in parte illius aliqua tanta eſſet aquæ penuria, vt illius potus venalis eſſet ; certa res eſt locum in re præſenti hoc habere non poſſe. Neque enim Nabal miſſurus erat aquas in deſertum Dauidi , & ſociis ; neque id Dauid poſtulauerat; neque poſtea Abigail cum munera expediuit,

q *Abulen. Dionyſ. Lyran. Clar. Vgo Carenſis.*

aquas inter illa computauit. Alij [q] ergo aquarum nomine vinum intelligunt. Quemadmodum enim Hebræis panis eſt omne eſculentum , ſic aquæ nomine omnia poculenta deſignari. Vnde Eliſæus ad Regem Samariæ de hoſpitibus exci-

r 4. Reg. 6. 22.

piẽdis [r], *Pone*, inquit, *eis panem & aquam.* Et ſubditur ; *Et appoſita eſt illis magna ciborum preparatio.* Probabilis expoſitio, quæ congruit Septuaginta & Complutenſibus clare legentibus non *aquas meas* ; ſed *vinum*. Probabile tamen etiam mihi eſt aquarum nomine vſum Nabal in maiorem Dauidis contemptum & ſociorum quaſi ſignificare vellet illos nec aqua quidem dignos eſſe, qua iumenta potantur. Porrò quod dicebatur de aquis venalibus apud Iudæos ex locis adductis minus exploratè colligitur. Nam Iudæi tranſituri per fines Edon pollicentur *ſe aquas de puteis illorum non bibituros.* Quod eſt dicere non tranſituros per vineas & hortos, nec illotum domos ingreſſuros. Deus autem præcepit aquas emi hyperbolicè , per id intelligens , vt nihil ab illis acciperent niſi pretio ſoluto, quantomuis minima res eſſet. Iſaias verò tranſlate aquarum nomen vſurpat : vnde ex eo ad hoc concludendum nihil effici poteſt. Non omittam quibuſdam etiam videri aquas hîc pro balneis appellatas. Antiquitus enim ſolebant in ſolemnioribus epulis etiam maiori cura balnea parari : à quo ritu viri [s] docti dictum illud obſcurum nobilis

s *Turneb. & Lambin.*

poetæ [t] interpretantur vbi conuiuatorem *aquæ*

t *Horat. lib. 1. Sat. 4.*

præbitorem appellat. Sic enim nuncupatum volunt quod lautus conuiuator etiam balneas præberet. Poſſent ergo hoc loco verba Nabal intelligi *de balneis.* quaſi diceret ; Hæc omnia quæ mihi meiſque paraui , in vſum ſcilicet cedent ignotorum hominum. Sed eruditè magis hæc dicuntur, quam verè , & appoſite ad locum quem tractamus. Quomodo enim de aquis balnearibus hæc accipi poſſunt, cum de iis loquatur Nabal , quæ Dauidi eſt per nuncios tranſmiſſurus? An balnea ipſa ex ſuis reuulſa ſedibus accepturi , & alio comportaturi aduenerant Dauidis milites ? Vltima ergo expoſitio vt probablior admittenda.

Quos neſcias vnde ſint.] Antea dixerat ; *Quis eſt Dauid ? Quis eſt filius Iſai ?* Quomodo nunc ergo dicit neſcire ſe vnde , & qui iſti ſint ? Nec enim probabile eſt audito Dauidis nomine quod non ſolùm per totam Iudæam terram ; ſed etiam per Paleſtinorum regiones fama vulgauerat , potuiſſe Nabal virum Iudæum ignorare quis eſſet Dauid. An vlla erat aut eſſe poterat tunc fabula notior, quam Dauidis conditio? Regius gener, Regiis copiis præfectus , hoſtium victor & triumphator, profugus à patrio ſolo, etiam intra ipſa terræ viſcera à ſocero perquirebatur ad necem , omnia permiſcente vt id aſſequeretur : & quiſquam poterat ignorare præſertim homo Iudæus quis eſſet Dauid , & qui cum illo erant? Quomodo ergo nunc Nabal dicit nihil ſe daturum viris, quos neſcit vnde ſint ? Dicendum modum hunc loquendi non ignorantiam ſignificare, ſed contemptum. Nam & ad deſpicientiam quandam , ſuique ipſius extenuationem , quis etiam cum de ſe loquitur id vſurpat , vt ſupra

u Cap. 19.

Dauid [u]. *Quis ſum ego; aut quæ domus patris mei.* Neque enim Dauid ſe, & genus ſuum ignorabat; ſed extenuabat per id & deprimebat. Cum autem in alios ea forma loquendi adhibetur , clariùs adhuc contemptus exprimitur. Sic de Chri-

x Ioan. 9. 29.

ſto Iudæi aliquando [x]. *Hic autem vnde ſit, neſci-*

y Matth. 13. 55.

mus, Cum tamen antea ſæpius dixiſſent [y]; *Nonne hic eſt fabri filius , & nonne pater eius , & mater eius ſunt apud nos ?* Et iterum : *Hic autem vnde ſit ſcimus.* Similis loquendi forma ad contemptum indicandum à Latinis etiam in illis prouerbialibus figuris vſurpatur , cum de homine etiam ſibi bene noto dicunt, neſcire ſe cuius ille coloris ſit. Sic ille [z] in Cæſarem.

z *Catul.*

Nil nimium ſtudeo, Cæſar, tibi velle placere,
Nec ſcire vtrum ſis ater, an albus homo.

Huc referendum eſt quod Chriſtus dicturus eſt aliquando reprobis [a] ; *Amen dico vobis neſcio*

a Matth. 25. 12.

vos. Neque enim verbum illud erit neſcientis, ſed abiicientis,& cum contemptu repudiantis.

Digitized by Google

℣. 13.) Tunc ait Dauid pueris ſuis; Accingatur vnuſquiſquis gladio ſuo. Et accincti ſunt ſinguli gladiis ſuis, accinctuſque eſt Dauid enſe ſuo: & ſequuti ſunt Dauid quaſi quadringenti viri: porro ducenti remanſerunt ad ſarcinas.

℣. 14.) Abigail autem vxori Nabal nunciauit vnus de pueris ſuis dicens; Ecce Dauid miſit nuncios de deſerto vt benedicerent Domino noſtro: & auerſatus eſt eos.

℣. 15.) Homines iſti boni ſatis fuerunt nobis, & non moleſti: nec quicquam aliquando periit omni tempore quo fuimus conuerſati cum eis in deſerto:

℣. 16.) Pro muro erant nobis tam in nocte quam in die, omnibus diebus quibus pauimus apud eos greges.

Vt benedicerent.] Benedicere apud Hebræos eſt ſalutare, & ſolemnibus verbis vti, quæ in congreſſu accedendo, aut diſcedendo officij cauſa mutuo ſolemus vſurpare: ita autem loquutio quod iis bona omnia & fauſta precemur, quibus cum primum congredimur, aut à quibus diſcedimus. Bona enim dicere, nihil aliud eſt proprie, quam fauſta ominari & augurari. Vnde ille apud
b *Teren. in Andr. act. 1.* Comicum [b] *certatim omnes omnia bona dicere*, id eſt bene ominando fauſta mihi omnia & fœlicia ex tam bene morato adoleſcente ſpondebant. Quod ergo hoc facere ſoleant inter ſe ſalutantes: bona enim ſibi mutuò optant, vt vitam, valetudinem, & quicquid denique humana vota reſpiciunt: idcirco *benedicere* ſimpliciter Hebræis ponitur pro *ſalutare*, vt hoc loco; vbi Vatablus vertit; *Miſit nuncios ſalutatum herum*
c Cap. 47. *noſtrum.* Et in Geneſi [c]; *introduxit Ioſeph patrem ſuum ad Regem, & ſtatuit eum coram eo, qui benedixit illi* (Iacob ſcilicet Regi) *& interrogatus ab eo &c.* Quæ perſpicuè accipienda ſunt de benedictione in primo congreſſu: de alia autem in digreſſu, infra ſuo loco pluribus.

Et auerſatus eſt eos.] Hebraicè propriè eſt; *Et auolare eos fecit.* quod ſignificantius exprimit inhumanitatem, qua illos excepit. Id quod noſtris diuitibus antiquum & ſolemne eſt, vt non alio genere humanitatis in pauperes vtantur, qui oſtiatim victum mendicato quæritant: ita enim illos dimittunt, vt aliquando non abiiciant ſolum, ſed auolare faciant. LXX. hoc loco verbum habent minus aſperum. *Et declinauit ab eis.* Noſter proprius ad Hebræum; *Et auerſatus eſt.* quod & verbis, & geſtu ſignificat illos à ſe dimiſiſſe.

Et non moleſti.] In qua re moleſti non fuerint explicant LXX. qui ſic habent; *Et non prohibuerunt nos, neque imperarunt nobis quicquam.* Sanè enim nihil moleſtius eſt, quàm aliorum imperia experiri, & huc illuc agi pro eorum arbitrio, quibus ſubeſſe non debes. ex quo poſſumus aduertere quanti ſit apud Deum meriti religioſa obedientia, per quam homines liberi, ita ſe comparant, vt toti ex aliorum pendeant voluntate. Quid enim hoc aliud eſt, quàm in perpetua moleſtia vitam ducere? Ex quo vlterius debent religioſi Præſides aduertere quàm moderatè ea poteſtate ſit illis vtendum, qui ſe ob Chriſti amorem ſponte aliis ſubdiderunt. Cùm *imperare aliquid alicui* in Scriptura, aut *illum ab eo quod vult prohibere*, pro eodem ponatur, ac illi moleſtum eſſe.

Nec quicquam aliquando periit.] Quod vel ipſi nobis abſtulerint, vel prædones, aut agreſtes feræ rapuerint; illis nimirum ope ſua nos ſtipantibus.

Pro muro erant nobis.] Hac tranſlatione nihil apud ſacros & profanos ſcriptores frequentius, qua qui tutantur alios, & ſeruant, earum rerum nomine nuncupantur, quæ ſolent paſſim præſidio, & munimento eſſe; qualia ſunt *ſcutum*, *clypeus*, *turris*, *arx*, & ſimilia; de quibus latiùs libro [d] d Cap. 22.
ſecundo. in primis autem *murus*, qui prouerbiali formula in hunc ſenſum à Græcis ſimul, & latinis Scriptoribus vſurpatur Chryſoſtomus; [e] e *Hom. 46. in Gen.*
maxima enim ſecuritas, & inexpugnabilis murus eſt gratia Dei. Propius autem ad id quod agimus, alicubi Seneca [f] Hectorem murum appellat f *In Troade act. 1.*
Troianorum.

Columen patriæ mora fatorum
Tu præſidium Phrygibus feſſis
Tu murus eras, humeriſque tuis
Stetit illa decem fulta per annos.

Ab eadem autem tranſlatione quicunque defendit & tutatur alium dicitur in Scriptura *circa illum caſtrametari*, ſiue illum vallare & circundare more caſtrorum. Hæc enim ſunt loco muri; cum in aperto, & in cãpeſtribus degitur. Vnde Sathan de Iobo [g] ad Deum; *Nonne tu vallaſti eum.* id eſt g Iob. 1. 9.
defendendum ſuſcepiſti, & pro muro te contra impugnantes oppoſuiſti? Vallum enim propriè eſt pro muro, quia illius vices gerit. Sic alibi miſericordia dicitur ſperantibus in Domino pro vallo eſſe. [h] *Sperantem,* inquit, *in Domino miſeri-* h Pſal. 31. 10.
cordia circundabit. Verbum eſt enim caſtrenſe hoc loco *circundabit.* Alibi dicitur Angelus futurus loco caſtrorum in circuitu timentium Dominum. [i] *Immittet,* inquit, *Angelus Domini in* i Pſal. 33. 8.
circuitu timentium Deum, & eripiet eos. Hic enim *immittet* verbum eſt, quod ſi propriè ea Hebræo exprimatur; ſignificat diffundet ſe, & expandet more caſtrorum; quod eſt ſeipſum in caſtra conuertere ad illos tutandos.

Qua ergo figura ſerui iſti dicunt Dauidem & comites fuiſſe ſibi pro muro; eadem dicitur apud Iob Deus eſſe pro vallo ſeruis ſuis. Angelus à Dauid eſſe pro caſtris timentibus Deum. Et apud externos à Pindaro Hector *ſolida Troiæ columna*; à Theocrito Achilles *turris Græcorum*; à Theognide boni viri *turres & arces populorum*; à Tyrtæo fortis imperator *propugnaculum patriæ.*

℣. 17.) Quamobrem conſidera, & recogita quid facias: quoniam completa eſt malitia aduerſum virum tuum & aduerſum domum tuam; & ipſe eſt filius Belial: ita vt nemo poſſit ei loqui.

Completa eſt malitia.] Quid ſit alicuius iniquitatem completam eſſe; non adeo obſcurum eſt. Quid autem ſit aduerſus aliquem eam eſſe completam; non ita clarum: alterum tamen ex altero poteſt explicari. *Completa malitia*, vel *iniquitas alicuius*, aliquando ſignificat illius pœnam & ſupplicium eſſe abſolutum; & in bonam partem ponitur ad animum erigendum, & in ſo-

latium;quaſi oil amplius pœnæ luendum ſuperſit. Sic apud Ieremiam, [k] *Completa eſt iniquitas tua filia ſion: non addet vltra vt tranſmigret te.* Quo in loco Origenes, *Sat*, ioquit, *pœnarum exoluiſti.* cui ioterpretes [l] reliqui conſenſunt. Clarius autem adbuc id habetur ex Iſaia [m]. *Loquimini ad cor Ieruſalem, & aduocate eam: quoniam completa eſt malitia eius, dimiſſa eſt iniquitas illius; ſuſcepit de manu Domini duplicia pro vniuerſis peccatis ſuis.* Quo in loco oon omittendum quod ooſter babet *malitia eius*, in Hebræo eſſe צְבָאָהּ *Stbaba.* quæ vox propriè ſignificat *malitiam eius.* Vode Mercerus contendit D. Hieronymum ſcripſiſſe, *Militia eius.* Sed fallitur. Quia D. Hieronymo *malitia* ponitur pro toto tempore afflictionis, & vexationis Ieruſalem; quod appellatur Hebraicè *militia*, à nbſtro vulgato *malitia*, ſicut & à LXX. *ταπείνωσις tapinoſis*, quia malitiæ nomen vt hoc loco ſumitur, ſignificat laborioſum alicoius ſtatum & coditionem, vt pluribus D. Hieronymus [n] ad Amaodum. *Completa* ergo *malitia* eſt completa vexatio, quæ merito etiam militia dicitur; non ſolùm ea generali ratione, quod [o] *militia eſt vita hominis ſuper terram*; & quod omnis ærumnoſus ſtatus militiæ comparatur; ſed etiam quia militia oonnunquam ponitur pro ſtipendio militari. Vnde ij, qui miſſionem impetrant, & militare deſinunt, *abſoluere ſtipendia* dicuntur. Porro peccatis aliud oullud ſtipendium debetur, qnam pœnatum & afflictionum; vt dicebat Paulus; [p] *ſtipendium peccati mors.* Vode qui iam ſatis pœnarum dederunt, dicuntur militiam compleuiſſe; quod Latini dicunt feciſſe ſtipendia. *Militiam* ergo Ieruſalem, ſiue *malitiam* completam eſſe, ſignificat eam quod debebat ſopplicij perſoluiſſe. Et hoc quando *compleri malitiam* in bonum pooitur.

k Thren. 4. 22.
l Theodor. D. Thom. Lyran. Hugo, Dionyſ.
m Cap. 42.
n Ep. 147.
o Iob. 16.
p ad Rom. 6. 26.

Alibi verò in malum vſurpatur; & ſignificat quod quis ſcelus animo concepit, opere etiam patraſſe, vel perficere decreuiſſe; qood oimirum tunc ea quæ animo agitamus compleri dicantur, cum ad exitum perducuntur. Sic vſurpata eſt loquutio ſupra [q] cum Dauid de Saule dicebat; *ſi autem fuerit iratus; ſcito quia completa eſt malitia eius*, id eſt odium qood aduersùm me concepit, omoino ſtatuit explere interitu meo. At alibi *completa malitia* alicuins ſignificat ſupremum illius tempus aduenifſe; ſi tameo is non vulgariter, ſed inſigoiter protſus improbus & ſceleſtus ſit. Qui enim talis eſt, aliam peccandi metam non habet, quam vioendi. Completam ergo eſſe malitiam eius eſt, ipſum iam amplius peccaodi ſpatium noo habiturum, quia victurus diutios oon ſit. Eo autem ſignificat hoc excreuiſſe illius improbitatem, vt amplius tolerari ooo debeat, aut poſſit; quales ij ſunt, de quibus Seneca; [r] *Tollantur de cœtu mortalium facturi peiora, quæ contingunt; & quo vno modo poſſunt, deſinant mali eſſe moriendo.* Adagiali itaque formula de viro ſceleſtiſſimo dici poteſt *ipſum finem facturum peccandi* quando ſignificare voluerimus illi mortem inſtare & extremum de illo ſupplicium vel à Deo, vel ab homioibus fomendum.

q Cap. 20. 7.
r lib. 1. de ira cap. 7.

Quia ergo Nabal, *durus, malitioſus, peſſimus moribus & vir Belial erat*, illius ſeruus innuere volens prope ab illo extremum infortunium abeſſe ob Dauidis irā, dixit *completam eſſe malitiam illius*, deſitutum ſcilicet agere male & peruersè; oon quia à malitia ceſſaturus, ſed quia cum ſua malitia extinguendus. At quid eſt *aduersùs illum, & aduersùs domum eius malitiam eſſe completam?* Illud ipſum, quod modo dictum eſt; ſed ſigoificantios expreſſum. Deſitutum nempe Nabal peruerſe agere; oon tamen aliter, quam cum malo ſoo, & extermioio ſoorum. Nec abſunt ab hac ooſtra interpretatione expoſitiooes aliorum, vt apud illos [ſ] videre eſt. Ex quibus horum verborum quæ tractamos bic ſenſus elicitur; vt illom Carthuſianus proponit. *Tanta eſt*, inquit, *prauitas viri* tui, vt diutius tolerari non poſſit, & tempus ſuæ punitioois iam inſtet; non ſolum in malum ipſius, ſed domeſticorom.

ſ Abul. Lyran. Hugo. Caiet. Vatab.

Hioc autem facilè poſſumos litteralem ſenſum eorum habere, qoæ de Amorrhæis in Geneſi dicuntur [t]; *Nondum completa ſunt iniquitates Amorrhaeorum.* ſigoificat eoim victuros adhuc, & qoia victuros maiores etiam progreſſus io malitia facturos, ac proinde eorum improbitatem ad faſtigiom aliquod peruenifſe.

t Cap. 15.

Et ipſe eſt filius Belial.] De hac voce plura ſæpius, præſertim ſupra hoc eodem libro [u]. Diximus autem ea ſignificari quod apod latioos *exlex*, & apud Italos *ſcapigliato*, vel aotiquum & elegans, ſed minus vſitatum verbum *dilegiato.* Quod eſt proprie ſine vlla lege, vt de boc verbo teſtatur Hetruſcum Dictionarium Academiæ Florentinæ.

u Cap. 2.

Ita vt nemo poſſit ei loqui.] Quorſum oonc iſta ab hoc ſeruo dicantor, ambigi nounihil poteſt. Non enim ſatis apparet quomodo cum ſuperioribus nectantur. An qui dixerat à Nabal & à domo ipſius proxime abeſſa malum; vult nunc ſignificare mereri hæc illum omnia, & graoiora quia ſit filius Belial? Non puto, ſed potius exiſtimo, quod modo dixerat bis verbis aſtruere, nimirum plane iam actum eſſe de ſalute Nabal. Cur id? Qoia ex voa parte Dauidis ooocios tam contumelioſe dimiſit; ex altera vero ipſe filius Belial oullius voces audiat; vnde ſpes vlla ſit quicqoam illum pro ſano facturum, rationem aliquam excogitando, qua quod io illos peccauit emendet, & poſſit iocenſos animos placare. Propterea ergo completa eſt malitia ipſius; quia cum tantom illi infortuoium immineat, & ipſe vir Belial ſit, & nullos monitores admittat; nolla via reliqua eſt, vnde poſſit ab illo infortunium propulſari. Abulenſis putat occurriſſe ſeruum tacitæ obiectioni. putarat eoim Abigail ipſum ſic obiurgare: Cur ergo tu hæc omnia de Dauide & eius comitibus & quam vtilis vobis in deſerto fuerit, Nabālo non ſuggeſſiſti, cum Dauidis ad illom venere ouncij? Omiſſum ergo id à ſe ſeruus ſignificat quia Nabal vir Belial ſit, & cui nemo poſſit, & audeat loqoi ob duritiam morum ſuorum quod probabile eſt.

℣. 18.) Feſtinauit igitur Abigail, & tulit ducentos panes & duos vtres vini, & quinque arietes coctos, & quinque ſata polentæ, & centum ligaturas vuæ paſſæ, & ducentas maſſas caricarum, & poſuit ſuper aſinos.

℣. 19.) Dixitque pueris ſuis; Præcedite me, ecce ego poſt tergum ſequar vos. viro autem ſuo Nabal non indicauit.

℣. 20.) Cùm ergo aſcendiſſet aſinum, & deſcenderet ad radicem montis,

Dauid, & viri eius deſcendebant in occurſum eius: quibus & illa occurrit.

℣. 21.) Et ait Dauid; Verè fruſtrà ſeruaui omnia quæ huius erant in deſerto, & non periit quicquam de cunctis, quæ ad eum pertinebant: & reddidit mihi malum pro bono.

℣. 22.) Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat, ſi reliquero de omnibus quæ ad ipſum pertinent vſque mane, mingentem ad parietem.

Hæc quæ Abigail ad placandum Dauid, & comites munera parauit, & ante ſe præmiſit, quid ſingula ſint; alibi à nobis eſt explicatum, vbi egimus de polenta, de caricis, ſiue palatis, de paſſis vuis. Quod dicitur de arietibus; Caietanus & Vatablus de ouibus interpretantur ſic legentes; *& quinque oues factas*; quomodo legunt etiam LXX. In Hebræo vt notat Abulenſis, ambiguum verbum eſt ad oues & arietes. Probabilius autem eſt arietes fuiſſe; quod iſti præſertim cum exſecti ſunt, ad veſcendum aptiores ſint, quam oues. *At aries factus* Hebraiſmus eſt pro aries coctus & paratus. Hebræis enim faciendi verbum ſignificat aptare aliquid, & expedire, prout vſus exigit, ad quem deſtinatur. Quam in
x lib.2.c.19. ſignificationem, vt alibi [x] diximus, etiam apud Italos ſumitur, in quorum lingua paſſim plures idiotiſmi reperiuntur, maxime ſimiles Hebræorum.

Verè fruſtrà ſeruaui omnia quæ huius erant.] Mirari ſatis non poſſumus quid ſit quare Dauid mitiſſimus, & moribus placidiſſimis in Nabal & domum eius vniuerſam tam vehementer exarſerit. Et auget admirationem Theodoretus ex proximo exemplo inauditæ in Saulem clementiæ & manſuetudinis. Quid enim hoc eſt vt hoſti ſæuiſſimo & implacabili, à quo viis omnibus aperte & per inſidias conquirebatur ad necem, tam placidum ſe, mitemque præbuerit; ignotum vero hominem, ob id tantummodo quod ſua elargiri noluerit, tam grauiter vlciſcendum putauerit; vt in ipſius odium quæcunque ad illum pertinerent ferro, flammaque vaſtare decreuerit? An leuiora erant quæ à Saule, quàm quæ à Nabale pertulerat? An minùs ille agreſtis, aſper, improbus, quam Nabal? An ſoceri nomen patri proximum & ſacroſanctum tam nefarie ab illo violatum, minus erat, quam hoſpitij iura neglecta, & ſupplicum poſtulata ſurda aure tranſmiſſa? Quid ergo hoc eſt? Certe illud eſt quod aliàs monui: tam graue malum eſſe intemperantiam linguæ, vt facilius nonnunquam ſit aliorum in ſe hoſtiliter facta negligere, quam contumelioſe dicta æquanimiter tolerare. Propterea Dauid Saulem liberum dimiſit, à quo tot hoſtilia paſſus erat; Nabalum vero etiam abſentem perdere ſtatuit, à quo verbo contumelioſiſſimo fuerat laceſſitus. Grauius ergo exiſtimauit Dauid & ſeruum, & fugitiuum, & fugitiuorum ducem appellari, quam quicquid ad eam diem tota ab imis ſedibus Iudææ terra ſæpius concitata, Saul in ſe fuerat inimiciſſimè molitus. Theodoretus [y] hoc
y Quæſt. 57. in 1 Reg. ipſum vberius explicans, inde etiam factum Nabalis exaggerat, quod nullam, vel leuiſſimam occaſionem habuerat in Dauidem inſolentius ſe gerendi: at verò Saulem & metu regni amittendi, & Dauidis gratia apud omnes, & inuidia glorioſè geſtorum, acrius concitatum, mirum non fuiſſe ſi quid grauius in illum strueret, à quo ſe læſum grauiſſime putabat. Proinde hunc magis excuſandum quàm Nabal; cùm nullam hic inſaniendi cauſam habuerit, ille nonnullam. Quod ſi dicas paria non eſſe aliquem ad mortem perſequi, quod Saul faciebat, & ſua non elargiri, quod Nabal; reſpondet Theodoretus Nabalem non contentum preces afflictorum reſpuere, petulantiſſima maledicta etiam adiunxiſſe; quibus maledictis atrocia Saulis facta Dauid leuiora putauit. Adeo verum eſt, quod iam dixi, facilius eſſe, quæ quis in ſe hoſtiliter fecerit, æquanimiter tranſmittere, quàm quæ impuro ore contumelioſè dixerit, tolerare. Sed de linguæ & verborum intemperantia, & quàm grande malum illud ſit; alibi opportunius.

Reddidit mihi malum pro bono.] Quærendum de hoc opportune videtur, & aliquid preſſius explicandum de peccato Nabal, cum Dauid poſtulata reiecit. Et primo an peccauerit. ſecundo quam grauiter. De primo nonnulla dubitatio eſſe poteſt: quia neque ex iuſtitia, neque ex miſericordia ad id tenebatur non igitur id omittendo peccauit. Non ex iuſtitia: nam quod ſuum quis poſſidet, nulli ex iuſtitia tenetur elargiri, niſi extreme laboranti. Dauid autem cum ſuis nulla ſuprema neceſſitate premebatur. non igitur ex iuſtitia tenebatur illi Nabal ſua elargiri. Neque ex miſericordia: nam tenetur vnuſquiſque ſibi hanc prius impendere, quam aliis [z]. *Miſerere*, inquit, *prius animæ tuæ.* Sed ſi Nabal Dauidis miſertus eſſet, in ſe & omnes ſuos immiſericors fuiſſet. inde enim certum ſibi videbat à Saule exitium paratum, cum ante oculos verſaretur Achimelech, & ſacerdotum cædes, & integrum oppidum ferro flammaque vaſtatum quod paucos inde panes Dauid accepiſſet. Non ergo poterat Dauidi ſe præbere munificum; quin in ſe, & omnes ſuos impius probaretur. Ad hæc à ſapiente præcipitur vt tantum in bonos munifici ſimus [a]. *Da*, inquit, *bono, & ne receperis peccatorem.* Quo non contentus prohibet panes illi dare. At Nabal Dauidem & ſocios pro peccatoribus habebat, quos videbat à Rege ſuo proſcriptos, hinc inde profugos incerta exilia mutare, quacunque incederent, turbas & tumultus ſecum ferentes, & arma quoque ſua, ſimul & operam Iudaici populi hoſtibus locare. Quod ſi alia defuiſſent, an iuſtum & probum Nabal poterat exiſtimare quem Rex Iſrael loco perduellis haberet? An fas erat vt priuatus vir iudicium ſui Regis excuteret, & contra illum pronunciaret, & Dauidem abſolueret? Hoc autem neceſſe erat, ſi quem Rex vt ſceleſtiſſimum perſequebatur, ipſe iuſtum ſanctumque putaſſet. At poterat ſaltem minus inhumanè dimittere, neque etiam id illi tutum fuiſſet. occaſio enim poterat inde facile arripi illum ad Saulem deferendi, quaſi cum Dauide ſecreta colloquia miſcuiſſet. Voluit ergo ne qua ſibi labes ſuſpicionis hæreret, vt omnibus in familia conſtaret quam aſpere Dauidis nuncios excepiſſet.

z Eccl. 30. 24.

a Eccl. 12.

Ex his ergo & aliis quæ poſſunt afferri, ſatis videtur non ſolum dignus excuſatione Nabal, ſed etiam laude; quod ſibi, ſuiſque proſpexerit, & ſumma prudentia Regis ſui offenſionem vitauerit. Sed hæc tanti nobis eſſe non debent, vt propter leuia argumenta illum abſoluendum

Sopran. in Dauid.

putemus, quem tam apertè Scriptura condemnat. Et vbi condemnat? Condemnat. Primò, cum antequam factum iſtud enarret, præmittit de Nabal quod erat *Durus, peſſimis moribus & malitioſus.* vt ſciremus ſcilicet mirum non eſſe tale reſponſum redditum Dauidis nunciis ab homine ſolito etiam grauiora peccare. Secundò, condemnat cum paulo poſt dicit [b], Percuſſum Nabal à Domino, & intra decem dies extinctum eſſe. Tertiò. Cum Dauid ſibi redditus, & omni iam iracundia depoſita, morte Nabalis audita, dicit; [c] *Benedictus Dominus, qui iudicauit cauſam opprobrij mei.* Neque enim Deus illum puniiſſe, & Dauidis cauſam iudicaſſe rectè diceretur, niſi grauiter in Dauidem deliquiſſet. Alij adiungunt appellatum eſſe propterea ſtultum [d] *iuxta nomen ſuum.* Sed quia ab Abigail ſic appellatur apud Dauidem virum excuſante, non ſatis inde probatur Nabalem peccaſſe; ſi firmum ex Scriptura argumentum requirimus ad illius peccatum aſtruendum. Prima ergo illa ſufficiant cum clariſſima ſint, accedente præſertim conſenſu Patrum [e], qui omnes grauiſſimè Nabal hîc peccaſſe contendunt.

b ver. 38.
c ver. 39.
d ver. 25.
e *Amb. epiſt. 13. Eucher. Beda, Iſidor. Angel. hoc loco. Rupert. 2. Reg. 12. Lyran. Abulen. Hugo Dionyſ. Caiet. hoc loco.*

Sed tunc difficultas eſt in quo propriè peccatum ipſius ſitum fuerit: quod conſtabit, ſi quam grauiter ille peccauerit, oſtendamus. Grauiſſimè ergo peccaſſe; dubium non eſt, ex pœna illi diuinitus inflicta: grauitas autem hæc ex multiplici capite deriuatur. Primò, quia ingratus fuit in beneficos. Secundò, quia immiſericors in extrema inopia laborantes. Tertiò, quia iniuſtus in illos, qui ſibi tantopere profuiſſent. Quartò, quia procax in miſeros, & contumelioſus in immerentes. Quæ omnia Patres & expoſitores adducti latiùs expendunt.

Neque quicquam Nabal excuſare poterant vel metus Saulis, vel Dauidis exilium. Primò, quia cum illis abnuit quæ rogabatur, nullo ſe metu Saulis id feciſſe verbis illis oſtendit. *Tollam ergo carnes meas, & dabo viris, quos neſcio vnde ſint?* Neque enim iſta proueniunt ex Saulis metu, aut ex honeſta reuerentia; ſed ex auaritiæ, & nimiæ parcitatis affectu. Secundò, quia iam vulgatum erat Saulem iterum Dauidi placatum. Tertiò, quia apud omnes conſtabat Dauidem à Rege iniuſtè vexatum, alieni ſceleris pœnas perſoluere. Quartò, Denique quia ſatis ſibi à Saule cauebat Dauidis nuncios vacuos dimittendo: vt quid ergo illos verbis laceſcere, & contumelioſè proſcindere?

Hæc faciat Deus inimicis Dauid.] Hoc iuramentum eſſe, & execratorium; inter omnes conſtat: qualis autem execratio, & in quos ſit; non ita certum. Ratio dubitandi eſt, quia in Dauidis inimicos directa videtur. At quæ hæc ratio ſe per execrationem obſtringendi, mala ſuis hoſtibus imprecando, niſi id præſtiterit; quod iurat executurum? An quis vnquam tale iuramentum execratorium concipiat. *Pereant inimici mei, niſi iſtud fecero?* At huiuſmodi eſt hoc Dauidis iuramentum, ſi execratio in illo contenta Dauidis hoſtes reſpicere intelligatur. Caietanus nomine inimicorum Dauid, ipſum Dauid intelligit: dure nimis omnino, vt ante Caietanum Dionyſius aduertit, qui hanc expoſitionem etiam ſuo tempore à nonnullis approbatam adducit, & reiicit. Hugo Cardinalis intelligit inimicis ſuis bona & proſpera optare Dauidem; ac proinde tacitè ſibi mala imprecari. Qui enim hoſtibus ſuis proſpera precatur, eo ipſo ſibi infortunium quærit: vnde vult eſſe iuramentum execratorium; non reſpectu hoſtium ſed ipſius Dauidis. Niſi enim hoc fecerit, hoſtibus bona cuncta precari; quod niſi cum ſui execratione eſſe non poteſt. Alij recentiores volunt eſſe perturbata verba, nulloque certo ſibi ſenſu conſtare, qualia ſolent effundere vehementer irati, Propterea cum dicere vellet Dauid; *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat*; dixiſſe *Hæc faciat Deus inimicis Dauid.* Sæpè enim Scripturam per *mimeſim* quandam quum aliquem turbatum & loquentem inducit, ipſius etiam orationem turbatam ſolet confuſamque proponere; vt paulò poſt etiam licet aduertere in oratione Abigail, quæ ſatis etiam ipſa perplexa eſt, vtpote à fœmina profecta multis ſimul affectibus agitata. Mihi probabilior eſt Hugonis expoſitio, quæ Dionyſio quoque probatur, ſic verba Dauidis explananti. *Hæc faciat Deus hoſtibus meis*, id eſt *proſperitatem det Deus hoſtibus meis in malum meum bene illis faciendo.*

Mingentem ad parietem.] Hyperbolicas minas nonnulli in his verbis agnoſcunt; quibus ita ſe Dauid omnia quæ Nabalis ſunt ferro flammaque vaſtaturum minetur, vt ne canem quidem vnum incolumem ſit dimiſſurus. Mingentem enim ad parietem canem interpretantur. Sic Hebræi, quos Caietanus, aliique [f] ſequuntur. Simili phraſi aliæ quoque gentes vtuntur. Ad ingentem enim cladem ſignificandam alicuius vel ciuitatis vel oppidi, dicimus nec canem quidem vnum eſſe relictum. Alij per mingentem ad parietem, mares intelligunt; quaſi Dauid iuret nulli ſe parciturum virilis ſexus ex Nabalis familia. Hi enim ad parietem exonerandæ veſicæ, vt Tertullianus loquitur, tunicam leuant. Sic Abulenſis, & alij citati non improbant. Lyranus & hanc vtramque & aliam præterea expoſitionem adiungit. per mingentem ad parietem eum qui morbo decumbit intelligens, cui ob imbecillitatem virium, neceſſe ſit inter lectum & parietem naturæ neceſſitati patere. Prima expoſitio verior; ſecunda, non improbanda; tertia, planè Rabinica. Quod autem primam expoſitionem confirmat, libet hoc loco lepidum Aureliani Imperatoris dictum referre, vt eſt in vita ipſius apud Vopiſcum. Obſidebat ille Florianam ciuitatem, & indignatus diutius ſibi ab obſeſſis obſiſti, dixiſſe fertur *canem in hoc oppido non relinquam.* Paulò pòſt vrbe potitus, cum milites vrbem diripiendam iuxta ipſius promiſſum poſtularent; Canem, inquit, in hac vrbe me relicturum negaui. ite ergo canes omnes occidite.

f *Vatabl. & Clar. hic.*

Si reliquero de omnibus quæ ad ipſum pertinent vſque mane.] Dubium eſſe non poteſt quin in hoc Iuramento Dauid multipliciter peccauerit. Primò quia iurauit occiſurum ſe Nabal, quod priuata auctoritate facere nõ poterat, quantumuis ab eo grauiter læſus. Secundò, quia in ipſius odium tot innocentes perdere ſtatuerat; quod eſt ſcelus maximum & execrandum. expreſſe enim à Deo prohibetur [g] ne filij occidantur propter iniquitatem patris. & id etiam ſi pater læſæ maieſtatis crimine damnetur [h]. Tertiò, peccauit quod hæc omnia male decreta peius etiam iuramento adiuncto exequi voluerit. quaſi enim veritus ne ſanior factus propoſitum reuocaret, ſacramento ſe obſtrinxit ab iniquo propoſito non diſcedendi. In quibus tamen omnibus excuſandus

g Deut. 24.
h *vt colligitur 4. Reg. 14.*

ſandus eſt, quod quæ temerè iurando concepit, non ex animi certa deliberatione decreuit, ſed ita ſubita tranſuerſus actus: quod aduertunt Abulenſis, & alij [i], & ante illos Auguſtinus [k], cuius verba in Gratiani Decreto referuntur [l]. Non ergo audiendum puto Theodoretum [m], qui dicit hoc iuramentum iuſtè conceptum, quod in eo emittendo Dauid iuſta indignatione fuerit commotus.

i Lyran. Dionyſ. Caiet. k Serm. de decol. Ioan. Ioan. Bapt. l c. quod Dauid. & c. iurauit. 24. q. 4. m Q. 58 in 1. Reg.

℣. 23.) Cùm autem vidiſſet Abigail Dauid, feſtinauit, & deſcendit de aſino, & procidit coram Dauid ſuper faciem ſuam, & adorauit ſuper terram,

℣. 24.) Et cecidit ante pedes eius, & dixit; In me ſit, Domine mi, hæc iniquitas: loquatur obſecro ancilla tua in auribus tuis: & audi verba famulæ tuæ.

℣. 25.) Ne ponat, oro, Dominus meus Rex cor ſuum ſuper virum iſtum iniquum Nabal: quoniam ſecundum nomen ſuum ſtultus eſt, & ſtultitia eſt cum eo: ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos, Domine mi, quos miſiſti.

℣. 26.) Nunc ergo domine mi, viuit Dominus, & viuit anima tua, qui prohibuit te ne venires in ſanguinem, & ſaluauit manum tuam tibi: & nunc fiant ſicut Nabal inimici tui, & qui quærunt domino meo malum.

℣. 27.) Quapropter ſuſcipe benedictionem hanc, quam attuli ancilla tua tibi domino meo: & da pueris qui ſequuntur te dominum meum.

℣. 28.) Aufer iniquitatem famulæ tuæ: faciens enim faciet Dominus tibi domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, domine mi, tu præliaris: malitia ergo non inueniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ.

In me ſit, domine mi, hæc iniquitas.] Hebraica vox *Ghauen*, quæ à noſtro redditur *iniquitas*, ambigua eſt, vt alias monui, ad peccatum ipſum ſignificandum, & pœnam debitam peccato; quam ambiguitatem ſeruant etiam in ſacris litteris voces illæ, quæ pro *Ghauen* in noſtra verſione redduntur, vt ſunt iniquitas, & peccatum. Hoc loco ergo quid ſit *iniquitas*, an peccatum ſcilicet, an pœna pro peccato luenda, poſſet dubitari; niſi quod vtro modo exponatur in eundem ferme ſenſum ſententia redit, quæ multiplex à variis his verbis aptatur. Hugo Cardinalis quatuor diſtinctas expoſitiones affert. Prima minus probabilis eſt. *Si putas eſſe peccatum non facere quod iuraſti; mihi hæc iniquitas imputetur.* neque enim Abigail quicquam nouerat de iuramento Dauidis, nec ab illo congrue exoraſſet deprecationem ſuam ſi nouiſſet. Secunda eſt, *Condona mihi hanc iniquitatem viri mei.* Tertia *quam de viro meo vindictam ſumere vis, de me ſume.* Quarta denique *propter me dimitte hoc quod vis facere, id eſt vlciſci te de Nabal*, quæ parum à ſecunda diſtat. Vatablus duas etiam interpretationes adducit. Prima *in me ſit, Domine mi, hæc iniquitas, id eſt reputa me illam eſſe quæ peccauit; tu tamen audi me, & exaudi.* Altera, *vltionem de me ſume, omiſſo viro, ego enim peccaui.* Dionyſius etiam ſuam affert. Abulenſis quoque ſuam, & ſuam Lyranus.

Mihi verò ad horum verborũ ſententiã eruendam, duo diſtinguenda videntur. alterum eſt finis, in quem proferuntur; alterum eſt ſenſus, quem proximè continent. Finis quem ſpectant, eſt venia impetranda; vt non dubiè ſignificant auctores citati, & ante ipſos Ioſephus [n], qui ſic Abigail loquentem inducit. *Quare obſecro, domine mi, da veniam mihi.* non tamen quia finem hunc verba illa reſpiciunt, dicendum ſtatim eſt eorum ſenſum eſſe *da mihi veniam.* Quis enim non videt aliud eſſe, *In me ſit Domine mi, hæc iniquitas;* & *parce mihi?* In quo fortè lapſus eſt Hugo Carenſis, quia vt dixi non ſolùm in hac ſententia ſed in pluribus aliis, ſeiungendus eſt finis, quem verba ſpectant, & ſenſus quem faciunt. Senſus ergo quis hic erit? Qui maximè aptus ad finem illum obtinendum; ſiue ſit per hoc quod in ſe culpam transferat Abigail; ſiue quod ſe paratam pœnæ præbeat pro marito ſoluendæ. Duo ergo ſenſus aptiſſimi erunt horum verborum, & & præ cæteris probandi. Primus eſt. *In me iniquitas.* Sic enim propriè eſt in Hebræo, id eſt; Ego ſum quæ peccaui. Eſt enim abrupta oratio, & perturbata; qualis eſſe ſolet ex magna animi agitatione profecta, & in maximè præſenti periculo deprehenſi. Sic etiam ille apud Virgilium. [o]

n lib. 6. antiq. c. 14.

Me me adſum qui feci, in me conuertite ferrum,
O Rutuli; mea fraus omnis, nihil iſte nec auſus,
Nec potuit.

o lib 9.

Non diſſimiliter enim Abigail in ſe culpam omnem transfert, ſi quæ fuit; & quicquid peccatum eſt, ſe vult peccaſſe, maritum vero nequaquam. Cur non? Quia, inquit, ſtultus eſt, & in corda ſtultitiam gerit alligatam. Qui ergo in hoc potuit peccare? Se verò, quicquid id eſt, peccaſſe, quæ abfuerit in aduentu nunciorum. Hunc ſenſum amplectitur ſcholiaſtes in LXX. & cum Caietano videtur indicare Vatablus. Secundus ſenſus eſt qui ex hoc ſequitur, vt pœnam in ſe depoſcat illi ſoluendæ paratа pro marito ſuo. Quem ſenſum cum aliis [p] Lyranus probat. Similiter D. Paulus cum deprecatorem ſe apud Philemonem pro Oneſimo interponeret, quicquid illi luendum erat, in ſe recipit & depoſcit. [q] *Si aliquid, inquit, nocuit tibi, mihi imputa. Ego reddam.* Eſt enim imputare, cuipiam aliquid adſcribere, vt ab illo debitum. Nulla eſt autem melior ratio pro alio intercedendi, quam pro illo ſe exhibere paratum, ſi quid ſit ab illo ſoluendum; quod fecit Chriſtus Dominus apud Patrem.

p Abulen. Dionyſ. Hugo Carenſ.
q Ad Phil. cap. 1.

Ne ponas, quæſo, cor tuum ſuper virum iſtum.] Quid ſit in corde ponere, & cor apponere ſuper aliquid, & ad aliquid; infra [r] ſatis explicatur in deprecatione Semei apud Dauidem.

r lib. 2. c. 19.

Dominus meus Rex.] Quomodo Rex viuente Saule, viuente Ionatha, & incolumi familia Regia? Caietanus notat in Hebræo non eſſe *Rex*, nec etiam apud LXX. ſed tantum, *Dominus meus.* Ex quo dubitatio oritur de fide noſtri interpretis, qui contra veritatem Hebraicam de ſuo id addiderit, quod falſum ſit & Abigail orationem

uid. Quorſom ergo timere ne io illos ſæuiat tam militia in iſtum, propter quem tantum eſſet in alios ſæuiendum? Placet in hoc coniectura Abulenſis; reputaſſe ſecum Saulem fortè ſibi ignoiſſe Dauidem; vt offeoſionem aliorum euitaret, eaque re ſibi rationibuſque ſuis conſuleret; oon ignarus plurimum ſibi apud populum obfuturum ſi manus regio ſanguioe polluiſſet. At regnum iam adeptus eum metus hic omnis abeſſet timebat Saul ne Daoid & ſui vlciſcendi, & regni ſtabilieodi cauſa ſtirpem regiam tolleret à qua ſibi turbas aliquaa timere poſſet. Vt ergo ſuæ poſteritati caueret, hoc iureiuraodo Dauidem obſtringit, qood quatenus illom, & ad quid obligauerit, & quomodo ſeruatum fuerit; 7 lib.2.c.21. ioſrà 7 dicemus.

Aſcenderunt ad tutiora loca.] Nimirum lachrymis illis Dauid planè ooo credidit; vel ſi pro tempore credidit, noo diu duraturas potauit. Ideo oec ſe ſoceri fidei nunc committit, & porro etiam io poſterum magis cauet. Quod totom egregium documentom oobis præbet, quemadmodum cum vitiis ooſtris nos gerere debeamus; ita nimirum vt quantumuis blanda ſe io ſpecie præferant, & remiſiſſe vires ſoas & impetus videantur; ab illis tameo nonquam ooa ſecuros exiſtimemos, nunquam bona fide arma depoſuiſſe, pacem firmaſſe, inſidias omoea & dolos amouiſſe. Proinde ſemper cauendum intelligamos, io cuſtodia vigilandum, circunſpectè occaſiones omnea, & pericula vitanda. Denique à Saule etiam placato timendum, & tunc in tutiora loca diſcedendum cum ipſe magia pacem ſimolauerit. Nullæ enim ſunt ioſidiæ maiores, qoàm quæ ſub blando pacis nomioe deliteſcuot.

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT XXV.

ARGVMENTVM.

INTER hæc vt omni prorſus ſolatio Dauid ſpoliaretur in terris, Samuel vates ſanctiſſimus, quo plurimum ille fidebat, è viuis exceſſit: cui cum ab vniuerſo Iſraele eſſent iuſta ſoluta, Dauid iterum relicta terra Iudæa, in ſolitudinem Pharan receſſit cum ſuis: ibi cum rerum omnium inopia premeretur, miſit qui ſuis verbis à Nabal omnium ditiſſimo qui Carmeli regiones incolerent, ſubſidium aliquod feſſis rebus humiliter implorarent. At ille agreſtis & ferus orantes aſpernatus, poſtulata eorum abnuit; inſuper etiam ludibrio, & verbis procacibus exceptos, contumelioſè dimiſit. Quo comperto Dauid, improbi procacitatem non ferendam ratus, ſtatuit omnino, vt Nabal Dauidem experiretur iratum, quem ſupplicem deſpexiſſet. Et iam omnia quæ ipſius erant, ferro, flammaque vaſtaturus inuaſerat, cum Abigail quæ vxor illius erat occurrens, iuſtum impetum furentis auertit, inſano marito venia impetrata. Ita vnius fœminæ virtus innumeris periclitantibus ſaluti fuit. Interim tamen Nabal ex periculi magnitudine conſternatus, graui morbo contracto intra decem dies confectus eſt: & Abigail quæ facunda oratione & elegantia forma mirè placuerat, vxor eſt Dauidis effecta; dignum ſortita virum tanta virtute; Cum eodem tempore Saul ad ingenium reuerſus & iterùm infenſus genero, vxorem Micol ab illo abductam alteri viro collocaſſet.

℣. 1.) Mortuus eſt autem Samuel, & congregatus eſt vniuerſus Iſrael, & planxerunt eum, & ſepelierunt eum in domo ſua in Ramatha. Conſurgenſque Dauid deſcendit in deſertum Pharan.

℣. 2.) Erat autem vir quiſpiam in ſolitudine Maon, & poſſeſſio eius in Carmelo, & homo ille magnus nimis: Erantque ei oues tria millia, & mille capræ: & accidit vt tonderetur grex eius in Carmelo.

℣. 3.) Nomen autem viri illius erat Nabal; & nomen vxoris eius Abigail. eratque mulier illa prudentiſſima, & ſpecioſa: porro vir eius durus, & peſſimus, & malitioſus: erat autem de genere Caleb.

℣. 4.) Cum autem audiſſet Dauid in deſerto quod tonderet Nabal gregem ſuum.

℣. 5.) Miſit decem iuuenes, & dixit eis; Aſcendite in Carmelum, & venietis ad Nabal, & ſalutabitis eum ex nomine meo pacificè.

℣. 6.) Et dicetis, ſit fratribus meis & tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus quæcunque habes ſit pax.

℣. 7.) Audiui quod tonderent paſtores tui qui erant nobiſcum in deſerto: nunquam eis moleſti fuimus, nec aliquando defuit quicquam eis de grege

ge, omni tempore quo fuerunt nobiſcum in Carmelo.

℣. 8.) Interroga pueros tuos & indicabunt tibi. Nunc ergo inueniant pueri tui gratiam in oculis tuis: in die enim bona venimus. quodcunque inuenerit manus tua, da ſeruis tuis, & filio tuo Dauid.

MORTVVS *eſt autem Samuel.*] Quo tempore Samuel extremum diem clauſerit, quot annos natus, quo in loco, & inter quos, quoto item anno regni Saulis; in propria diſputatione eſt explicandum, in qua etiam quæ ad vniuerſam chronologiam vitæ ipſius pertinent, accurate proſequemur.

Planxerunt eum, & ſepelierunt.] De hoc publico luctu nihil eſt quod nunc exponamus; ſatis quæ ad illum ſpectant exequuti, vbi de funeribus [a] Hebræorum à nobis Apparatu hiſtorico actum eſt.

a lib. 5. de priſcis ritibus fun. Heb.

In domo ſua.] Id eſt in ſepulchro patrum ſuorum & familiæ ſuæ. Domus enim hic pro familia appellatur, vt bene Caietanus obſeruat; niſi cuipiam magis probetur, domum hoc loco pro ſepulchro poni? Nam & apud Latinos in hanc ſignificationem non ſemel vſurpatur. Vnde ille [b] loquens de oſſibus & cineribus quæ poſt cadaueris cremationem veteres legebant, & iuta ſepulchro inferebant,

b Tibul. lib. 3. eleg. 2.

Poſt hæc carbaſeis humorem tollere velis
Atque in marmorea ponere ſicca domo.

Hîc enim *domus* eſt vrna & conditorium ipſum. Similiter vetus inſcriptio Romæ prope ædem diui Stephani ad diuam Luciam

M.... IVNIO. M. L. PAL. RVIO
Hæ ſunt parua tua meaque ſedes
Hæc certa eſt DOMVS, hæc colenda nobis
Hæc eſt quam mihi ſuſcitaui viuus.

Et ſanè ſi domus vniuſcuiuſque eſt quam incolit: nihil magis nomen domus hominis meretur, quam ſepulchrum [c]. Domus enim illorum ſepulchra illorum in æternum. Vide [d] quæ ſuſe diximus de priſco Hebræorum funere.

c Pſal 48.
d lib. 5. appar. hiſtor. par. 4.

In deſertum Pharan.] In hoc deſerto poſt emenſas ſolitudines montis Sinai vagati quoque ſunt filij Iſrael; cum terram promiſſam peterent ab Ægypto profecti. De quo deſerto ex variis Scripturæ locis hæc [e] Adrichomius collegit. *Pharan*, inquit, *deſertum ampliſſimum, vaſtiſſimum, inuium & inaquoſum, à monte Sinai vſque Cadesbarne vndecim dierum continens iter: cuius terra tota ſterilis, arida, ſqualida; neque arari poteſt, nec ſeri; hominibus inhabitabilis; villis, domibus, & caſis carens; vbi nedum homines, ſed nec aues videntur; immò nec arbores, nec germen aliquod; ſed tantùm rupes & montes ſaxoſi, altiſſimi, aſperrimi, vndique prærupti, ſolis ardoribus exuſti, miſti coloris inter nigrum & rubrum: vnde ſplendente ſole repercuſſi, quaſi oleo eſſent vncti, ipſo viſu ſpeciem horroris & imaginem mortis aſpicientium oculis intentant. Tanta autem aquarum eſt ex terra caloque penuria, vt ſteriles arenæ vapore ſolis accenſa intolerabiles æſtus emittant, veſtigiaque gradientium prorſus exurant. Luctandum inſuper eſt non tantùm cum ardore & ſiccitate regionis; ſed cum denſiſſimo ſabulo, quod prælentum, & veſtigia abſorbens, ægerrimè pedes moliuntur. In hoc deſerto vagati ſunt filij Iſrael annis 38. quo toto tempore non veſtimenta, non calceamenta eorum detrita ſunt? non manna eos, non aqua defecit. Atque ex ipſis pluſquam ſexcenta virorum millia præter mulieres & paruulos ibi extincti ſunt, ibique eorumdem cadauera conſumpta. Accipitur autem aliquando Pharan pro prima parte deſerti Arabiæ prope montem Sinai; aliquando pro vltima parte deſerti eiuſdem qua vertit ad terram promiſſionis, aliquando vocatur etiam deſertum Scin, quod nomē littera eſt apud Hebræos.* Hæc ex Adrichomio de hoc deſerto collegimus ex quibus aperte ſatis conſtare poteſt quantopere ſibi Dauid timeret à ſocero; quando vt illius vitaret inſidias in hæc ſe luſtra ferarum potius, quàm hominū ſedes penetrauit.

e In ſua deſcrip. ter. ſanc.

Et poſſeſſio eius in Carmelo.] Licèt vir iſte habitaret in Maon; ea tamen quæ poſſidebat, erant in Carmelo. Hebraice propriè eſt; *& opus, cultura, operatio eius in Carmelo.* Hebræi enim poſſeſſiones appellant *Maaſac*, id eſt *opera.* per id ſignificantes omnia opera hominum, labores, & induſtriam in iis maxime verſari & exerceri, quæ illi poſſident, vt ſunt diuitiæ, armenta, pecora; in quibus acquirendis, cuſtodiendis, augendis totus eſt homo. Hiſpanice vno verbo quicquid à priuatis poſſidetur appellatur, *Hazienda*, non diſſimili idiotiſmo. Quod ergo hic dicitur, *& poſſeſſio eius*, ſiue *opus eius in Carmelo*, eſt, *Su hazienda en el Carmelo.* Alibi noſter interpres nomen quod hoc loco vertit *poſſeſſionem*, reddit *munitiones*; vt apud Ieremiam [f]. *Pro eo*, inquit, *quod habuiſti fiduciam in munitionibus tuis, & in theſauris tuis, tu quoque capieris.* Pro munitionibus enim alij vertunt *in cellariis*, vt Chaldæus; alij, *in pecudibus* vt R. Chimchi, & Vatablus; alij, *in operibus* vt Pagninus; alij, *in poſſeſſionibus.* f Cap. 48. 7.

Magnus nimis.] In ſacris literis, vt alibi [g] fuſiùs obſeruauimus, *magni* pro *diuitibus* appellantur. Qui etiam apud Italos & Hiſpanos ſimili forma dicuntur *Grandi.* Magnus autem nimis, eſt ditiſſimus ea phraſi Hebræa, & ſic legit Vatablus. Simili modo de Iſaac ſcribitur [h], cum maiores opes in dies acquireret. *Quod ibat proficiens & ſuccreſcens, & quod locupletatus eſt homo; donec magnus vehementer effectus eſt.*

g lib. 2. c. 10.
h Gen. 26.

Vt tonderetur grex eius.] Tonſio iſta gregum apud Hebræos ſolemni ritu peragebatur. Feſto enim conuiuio cognatos & amicos excipiebant, & familia tota in hilaritate compoſita, liberalius epulabatur. Vnde & Abſalon ea occaſione vſus ad feſtam celebritatem fratrem Amnon inuitauit, & dolo intercepit [i]. *Tondentur*, inquit, *oues ſerui tui. veniat, oro, Rex cum ſeruis ſuis.* De quo rurali conuiuio, & eius ritibus plura in apparatu [k] hiſtorico.

i 2. Reg. 13. 24.
k lib de conuiu Hebr.

Mulier illa prudentiſſima & ſpecioſa.] Præclara laus in fœmina, in qua, vt ille dixit, [l] *raram facit miſturam cum ſapientia forma.* Vnde ſapiens; [m] *Veſtigium cordis boni & faciem bonam difficile inuenies & cum labore.* Vnde autem id? Quia forma & pulchritudo impudicam plerumque fœminam faciunt, & arrogantem. quo vtroque vitio nullum eſt prudentiæ magis inimicum. *Externa corporis pulchritudo*, inquit Chryſoſtomus, [n] *plena eſt multa ſuperbia & arrogātia:* quod exprobrat Deus populo Iudaico dum illum ſub ſpecie mulieris alloquitur. [o] *Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo.* Bene ergo ille cecinit, [p]

l Petron. in ſatyr.
m Cap 13. 32.
n Homil 20. ad Eph.
o Ezech. 28.
p Ouid. lib. 2. faſt.

Faſtus ineſt pulchris, ſequitur ſuperbia formam.

Sed & impudicitia: propterea Deus populum

ſuum

ſuum itidem alloquens ſub typo mulieris formoſæ,[q] *Et habens*, inquit, *fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es.* Meritò ergo ille conquetebatur quod in fœmina

q Ezech. 16.

[r] *Lis ſit cum forma magna pudicitiæ.*

r Ouid. ep. Par.

Et Iuuenalis[ſ]

ſ Sat. 10.

Rara eſt adeo concordia formæ
Atque pudicitiæ; ſanctos licet horrida mores
Tradiderit domus, ac veteres imitata Sabinos.

Vnde autem hæc diſcordia formæ & pudicitiæ, meritò quæri poteſt placet inter alia, quæ poſſunt afferri, quod traditur alicubi à D. Hieronymo,[t] quia quæ pulchræ ſunt, à pluribus ſuſpiciuntur, deſiderantur ſollicitantur aliquando autem expugnantur, quod vndique & aſſidue oppugnatur; nec facile cuſtoditur, quod à pluribus amatur; & in quod totius populi vota ſuſpirant. Scriptura autem quas fœminas à pulchritudine laudat, ſimul etiam à prudentia commendat, vt ſanam ſcilicet laudem complectatur. At quæ hæc prudentia Abigail, & in quo ſita? Quod in noſtra vulgata eſt *prudentiſſima*; in Hebræo proprie habetur *bona intellectu*, vt vertunt Vatablus & Caietanus; alij exponunt *claro ingenio.* Patet autẽ per id in hac fœmina laudari præter formæ bonum, vim & perſpicacitatem intelligendi; qua quia ad ea vtebatur, quæ in quaque re ex vſu & decoro eſſent; idcirco à noſtro meritò prudentiſſima eſt appellata. Ergo per hanc prudentiam, non ſolum intelligimus ab illa vitia abfuiſſe, quæ ſolent vt plurimum formam comitari, ſed etiam virtutes illis oppoſitas adfuiſſe. Erat ergo pulcherrima; ſed non ob id faſtuoſa, non ſuperba, non tumida. Hoc enim prudentis eſt ex adeo fragili bono qualis eſt corporis ſpecies, non inſolenter efferri; ſed magis demitti, quod illa paulo poſt fecit cum humili demiſſione Dauidem placauit. Erat etiam maximè pudica: vnde paulo poſt etiam cum Dauidem adiret pueros præmiſit, quos ipſa deinde cum ancillis ſequebatur; in illa etiam feſtinatione ſeruans id, quod in primis decorum illuſtria fœminæ poſtulabat; vt non niſi inter famulas conſpiceretur procul à miniſtris virilis ſexus. Si enim ne tunc quidem cum ſubitæ turbæ omnia præcipitare cogebant, eſt pudoris oblita; quid illam feciſſe putandum eſt in conſuetudine quotidianæ vitæ? Merito ergo Dauidi placuit; & ita placauit, vt ſtulto viro, & omnibus eius facultatibus veniam impetrauerit, vt paulo poſt videbimus.

t lib. 2. cont. Iou.

Vir durus, & peſſimus, & malitioſus.] Diſſimile eſt valde hoc viri elogium, ab vxoris laudibus. Ita plerumque fit, vt quemadmodum olim Maxentius mortua corpora viuis alligabat; ſic etiam nonnunquam in matrimonium copulentur fœmina honeſtiſſima & ſanctiſſima cum viro perdito. Primum ergo erat *durus.* id eſt, vt interpretatur Abulenſis, *auarus*; vt Caietanus, *obſtinatus*; vt Dionyſius, *immiſericors.* Hebraicè propriè eſt, vt vertit Vatablus, *difficilis.* Refertur autem ad mores & animi habitudinem, ſiue ad naturam & ingenium ipſum, vt Theologi loquuntur, *in actu primo.* Eſt porrò *durus* idem quod *intractabilis*: metaphora ducta à cera, cuius laus eſt ſi cedat, & artificis digitos facile ſequatur: contra verò quæ tractari nequit, quia nec fingi, nec figurari poteſt, vt minus idonea reiicitur. Qua de re eſt Plinij epigramma in fragmentis antiquis

Vt laus eſt ceræ mollis, cedenſque ſequatur,
Si doctos digitos iuſſaque fiat opus:
Sic hominum ingenium flecti, ducique per artes
Non rigidum docta mobilitate decet.

Et ex hoc hominem aſperum difficilem qui nunquam aut ægrè aliorum voluntatem ſequatur, *durum* antiqui dixerunt; quem etiam *moroſum* appellarunt; quod nihil homines ægrius ferant, quam moras ſibi, & difficultates obiici, cum aliquid cupiunt & expectant. Talis erat hic Nabal; nulli ſe dare ſolitus, nullius votum ſequi, nullius ſe voluntati accommodare; propterea *durus.* Additur deinde, *Et peſſimus.* illud referebatur ad ingenium, & inſitos mores; hoc ad actiones ipſas, & opera. Malam animam ſortitus erat, quod eſt durum fuiſſe. Sed & peiùs inſtitutus & educatus, peruerſum ingenium male agendo fecerat improbius, quod eſt fuiſſe *peſſimum.* Hebraicè eſt quod hoc ſignificat, *Vir difficilis, & malus operibus*, vt ad verbum vertunt Caietanus & Vatablus: pro quo noſter habet, *Peſſimum & malitioſum.*

Erat autem de genere Caleb.] Sic etiam in Hebræo; neſcio tamen quid LXX. & Complutenſes reſpexerint, qui hoc loco verterunt, *Et erat homo ille caninus*; fortaſſis quia radix Hebræa כָּלֵב *queleb*, à qua nomen כָּלֵב *Caleb*, canem ſignificat. Vnde & R. Salomon hoc loco vertit; *Et erat vir ille de genere canino* noſtra tamen editio melius nomen expreſſit viri ſanctiſſimi, ex cuius ſtirpe Nabal erat; vt intelligamus maiorum gloriam poſteris quaſi lumen eſſe, quod eorum neque bona, neque mala patitur occultari.

Quod tonderet gregem ſuum.] Ea occaſione vſus eſt Dauid in communi omnium lætitia, ratus ea, quæ ſibi opus erant, & poſtulabat, facilius impetraturum.

Aſcendite in Carmelum. Euſebius apud Theodoretum[u] Carmelum hoc loco non montem vult eſſe; ſed eiuſdem nominis vicum, qui ipſius Euſebij tempore adhuc exſtabat. In vico enim habitaſſe Nabal quando poſſeſſionem ſuam inuiſebat, & non in campeſtribus inter tabernacula paſtorum; ſed vtrumuis dicatur in tenui labor eſt.

u Q. 58. in 1. Reg.

Salutabitis pacificè.] Id eſt pacem precando, quæ ſolemnis erat ſalutandi forma apud Hebræos. Illis enim pacis vocabulo bonorum omnium cumulus ſignificatur; vt nos alibi, & hic alij[x] obſeruant.

x Lyran. Abulen. Dionyſ. Hugo. Caietan. Vatab.

Sit fratribus meis & tibi pax.] Fratres ſuos appellat qui erant in familia Nabal: Nabal autem ipſum quaſi dominum ſuum à cæteris ſeiungit; eo ipſo tacitè ſignificans ſe quoque eſſe in numero ſeruorum. De hac vero ſalutandi formula nihil hic adiungimus, ea quæ ad ipſam ſpectant in apparatu hiſtorico fuſius exequuti.

Quo fuerunt nobiſcum in Carmelo.] Hic Carmelus mons eſt, & vallis illa fertiliſſima, in qua Nabalis poſſeſſiones erant.

Nunquam eis moleſti fuimus.] Duo per hæc amplectitur, quæ plane Nabalis animum mouere poſſent; niſi plus ille feritatis, quam humanitatis haberet. Alterum ſpectat ad animi moderationem; alterum ad vitæ integritatem Dauidis & ſociorum: per illam, ita cum paſtoribus agebant, vt omnibus comes faciles, placabiles, nihil illi rudi & ſimplici hominum generi moleſti eſſent: per hanc verò ab omni in illos iniuria temperabant. vtrumque rarum in militibus; vagis præſertim, & qui in ſumma rerum inopia

profu

profugi per ſolitudines agebantur. Ex quo diximus quomodo comites ſuos Dauid habuerit, & quam vere illa ad ſe venientibus fuerit proteſtatus [y]; *Venite filij, audite me; timorem Domini docebo vos*; vt ſupra [z] pluribus exequuti ſumus. Non deſunt tamen qui apud Magiſtrum & Dionyſium iſta ad tempus referant, cum Dauid gregem patris ſui in deſerto paſcebat. Sed omnino perperam. nam mirum non fuiſſet Dauidem pene puerum, & paucarum tantum ouium cuſtodem modeſte ſe gerere cum paſtoribus Nabal. LXX. hoc loco habent quod magis Dauidis moderationem & ſociorum commendat. *Non prohibuimus eos, nec imperauimus eis quicquam omnibus diebus.* Quod eſt cum inter illos ita verſaremur, vt & ipſi & omnia illorum in noſtra poteſtate eſſent; non tamen eis quicquam vnquam imperauimus; illud quod ſuos admonet D. Petrus [a]; *vt non dominentur in cleris.*

y Pſal. 33.
z Cap. 19.
a 1. Petr. 5. 3.

Inueniant pueri tui gratiam.] Solemnis apud Hebræos formula cum quid ab aliis poſtulabant; de qua plura dicemus libro ſecundo [b]. Nec diſſimilis apud Latinos, quandoque obſecrandi ratio vſurpatur. Ouidius [c]

b Cap. 16.
c l. 6. tranſfor.

Iam tempora Titan
Quinque per Autumnos repetitis duxerat annis,
Cum blandita viro Progne; ſi gratia, dixit,
Vlla mei eſt, vel me viſendam mitte ſorori,
Vel ſoror huc veniat.

In die enim bona venimus.] Dies bona eſt feſta dies, & læta celebritate ſolemnis; in qua nihil fere ſolet negari petentibus ab iis quorum cauſa dies ille feſtus agitatur. Quæ conſuetudo cum ſemper apud omnes nationes valuerit; tum maxime ab Hebræis eſt religioſe ſeruata. Inde enim eſt quod Herodes diem feſtum agens natalis ſui, puellæ optionem dedit poſtulandi quod vellet; & cum illa caput Ioannis poſtulaſſet, *noluit* [cc] *illam contriſtare propter ſimul diſcumbentes.* Quia nimirum nefas Iudæis erat *die bona* quemquam à ſe triſtem dimittere. Similiter Romani Præſides in die feſto paſchæ, quæ erat *dies bona valde*, conſuetudinem habebant Ieroſolymitanæ plebi quem vellet reum & damnatum liberum concedere: adeo illi genti religioſum erat quidquam aliis in die bona negare, aut largum munificumque non eſſe. Hoc ergo argumento ab opportunitate temporis ducto Dauid ſuus vti vult, quo magis Nabal, ad ſuis ſibique opitulandum permoueat. Cæterùm *diem bonam* pro feſta die etiam Latini dixerunt. Ouidius [d].

cc Mar. 6. 26
d lib. 1. faſt.

Proſpera lux oritur linguis animiſque fauete
Nunc dicenda bono ſunt bona verba die.

Vnde & vulgo manaſſe puto vt in mutuis congreſſibus & matutina ſalutatione bonum inuicem diem nobis precemur, fauſtum nimirum, & læta feſtiuitate fœlicem.

Quodcunque inueneris manus tua.] Extenuat id quod poſtulat. ſignificat enim mendicorum more illud omne ſecum gratia ſuſcepturum, quod ille ſibi tranſmittere dignabitur; quicquid tandem id ſit. Obſeruat hoc Theodoretus [e], & illud inſuper; hoc loco Dauidem veram inopis, & mendici ſpeciem præ ſe tuliſſe; verbaque illorum propria vſurpaſſe. Hi enim ad egeſtatem ſuam ſignificandam, quid ſibi dari velit, in ſua poſtulatione non definiunt; ſed aliquid tantum poſtulant, quicquid illud ſit, & eo ſubleuatos ſe eſſe demonſtrant. Illud autem, *Quicquid inueneris manus tua*; Hebraiſmus eſt, quo ſignificatur quicquid vile eſt, & minimi pretij, vt ex Deuteronomio [f] colligitur, & hîc Abulenſis cum aliis [g] obſeruat. Talia enim prima cuique obuia ſunt, & vltro etiam in manus incidunt non quærenti, cum pretioſa quæque ſeponantur, & in arculis ſeruata non ita in promptu ſint. Illud vero. *Da pueris tuis*; obſeruat Ambroſius [h] proprium eſſe mendicorum verbum. *Quæ vox*, inquit, *alia egentis eſt, quæ vox alia ſtipem publicè poſtulantis, niſi da mihi, quia egeo; da mihi, quia aliud vitæ ſubſidium habere non poſſum; da mihi, quia non eſt mihi, panis ad victum, nummus ad pretium, ſumptus ad alimentum ad indumentum ſubſtantia. Da mihi, quia tibi Dominus dedit, vnde largiri debeas, mihi non dedit; da mihi, quia niſi tu dederis, habere non potero.* Vt ergo Dauid mendicum ſe prorſus oſtenderet, verba hîc mendicorum propria non effugit, dicendo; Da mihi, & comitibus meis ſeruis tuis.

e Q. 57. in 1. Reg.
f Cap. 5 & 12.
g Lyran. & Dionyſ.
h lib. de Nabuth. c. 2.

Filio tuo Dauid.] Sæpiùs alibi docuimus *dominos* antiquitus patres appellatos. Vnde apud Romanos etiam ſupremus herus in domo, *paterfamilias*, famulorum ſcilicet pater, non dominus dicebatur. Ab ea conſuetudine Dauid filium nunc ſe Nabalis appellat. per id reuerenter illum dominum ſuum confitendo; nec qualemcunque ſed pium, ſed clementem, ſed æquiſſimum & benigniſſimum, & patrem potiùs eorum, quibus præerat, quam dominum appellandum. Se autem filium dicit, non quia ex ipſo prognatus; ſed quia ſeruum ſe illius agnoſcit. In Scriptura enim nonnunquam & filij nomen ad ſeruos extenditur, quod conſequens eſt, ſi ſeruorum dominus, pater appellatur. Propterea Iob ad hoc diſcrimen reſpiciens diſtinctè dixit, [i] *Halitum meum horruit vxor mea, & orabam filios vteri mei.* Signanter *vteri mei*; vt ſignificaret loqui ſe de veris filiis ex ſe genitis; non de ſeruis & aliis, qui etiam filij nuncupantur.

i Cap. 19. 17.

ỷ. 9.) Cúmque veniſſent pueri Dauid, loquuti ſunt ad Nabal omnia verba hæc ex nomine Dauid: & ſiluerunt.

ỷ. 10.) Reſpondens autem Nabal pueris Dauid, ait; Quis eſt Dauid? & quis eſt filius Iſai? Hodie increuerunt ſerui qui fugiunt dominos ſuos.

ỷ. 11.) Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonſoribus meis, & dabo viris, quos neſcio vnde ſint?

ỷ. 12.) Regreſſi ſunt itaque pueri Dauid per viam ſuam, & reuerſi venerunt, & annunciauerunt ei omnia verba quæ dixerat.

Quis eſt filius Iſai?] Quos deſpicimus, eos appellare proprio nomine non ſuſtinemus. propterea cum Nabal Dauidem proprio nomine appellaſſet, poſtea filium Iſai nuncupat, quaſi ſe corrigens. Nam proprio vocabulo appellare amantis eſt. [k] *quos amamus*, inquit Nazianzenus, *eorum nomina libenter vſurpamus.*

k Orat. 40. init.

Ideo increuerunt ſerui.] Grauiſſima contumelia per hæc verba Dauidem à Nabal affectum omnes agnoſcunt, & res ipſa loquitur: ſeruum enim & fugitiuum, & fugitiuorum ducem & anteſignanum appellauit; quo quid poterat non

dieo in Dauidem regium generum,& regiæ iam militiæ magiſtrum ; ſed in quemlibet hominem liberi capitis grauius vſurpari? Quin non ſolum contumelia ipſa grauiſſima eſt ; ſed verba etiam maxime aculeata , & loquendi modus amaro maxime ſcommate contortus. *Increuerunt* , inquit, *bodie ſerui.* Hebraicè , *Multiplicati ſunt* , &

l Compluten. Theodoret. Caietan. Vatabl. hic. ita com LXX. alij [l] legunt. Quaſi dicat : viuere non licet præ moltitudine fugitiuorum , qui à Dominis receſſerunt,& regiones latè inſident, & ſeruili agmine peterrant. Per id tacitè indicans adeo indignos illos eſſe , quibus ope aliqua ſuccurratur, vt potius digni ſint quos omnes ad pœnam & ſupplicium perſequantur.

Aquas meas.] Cur aquas nominat? Sunt qui potent in regione illa propter ſoli ſiccitatem fuiſſe etiam venales aquas ; præſertim quæ ad potum eſſent : qua aquarum penuria non ſolùm laboraſſe volunt bonc terræ tractum,in quo hæc contigiſſe narrantur ; ſed Iudæam etiam totam, & quæ etant illi conterminæ regiones;licèt minùs in vna parte quàm in alia. Nam & Filios Iſrael cùm per Idumeæ fines tranſire vellent , ſic ab Idumenrum Rege commeandi facultatem

m Num. 20. poſtulaſſe. [m] *Non ibimus per agros,nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis ; ſed publica gradiemur via.* Similiter Deus Iſraelitis præſcribens quomodo ſe gerere debeant in hoc itinere per Idumeam , iobet vt traoſeuntes per *fines Edon*, id eſt Idumeæ , aquas ab incolis pretio ſibi pa-

n Deuter 2. rent. [n] *Cibos,* inquit, *emetis ab eis pecunia , & comedetis;aquam emptam haurietis , & bibetis.* Denique aquas ad potum emi ſolitas indicat illud

o Cap. 55. 1. Iſaiæ. [o] *Omnes ſitientes venite ad aquas;& qui non habetis argentum emite & comedite.* Significat enim futuram tantam aquarum abundantiam, vt viliſſimo pretio ſint diſtrahendæ , nempe , vt ab iis quoque emi poſſint , qui argentum non habeant. vnde ſubdit ; *Venite, emite abſque argento*, indicans non auro , aut argento opus eſſe ; ſed ære,& aſſibus & pretio viliori quod totum non diceretur niſi in terra Iſrâel aquæ ad porandum emi conſueuiſſeot. Ex quo id intelligitur quod

p Matth. 10. 42. Chriſtus Dominus dixit apud Matthæum. [p] Qui dederit gratis potum aquæ frigidæ;mercede non carituros.

Verùm quicquid ſit de hoc ; an in tota illa regione , vel in parte illius aliqua tanta eſſet aquæ penuria,vt illius potus venalis eſſet ; certa res eſt locum in re præſenti hoc habere non poſſe. Neque enim Nabal miſſurus erat aquas in deſertum Dauidi , & ſociis ; neque id Dauid poſtulauerat; neque poſtea Abigail cum munera expediuit,

q Abulen. Dionyſ. Lyran. Clar. Vgo Carenſis. aquas inter illa computauit. Alij [q] ergo aquarum nomine vinum intelligunt. Quemadmodum enim Hebræis panis eſt omne eſculentum , ſic aquæ nomine omnia poculenta deſignari. Vnde Eliſæus ad Regem Samariæ de hoſpitibos exci-

r 4. Reg. 6. 22. piēdis [r], *Pone*, inquit, *eis panem & aquam.* Et ſubditur ; *Et appoſita eſt illis magna ciborum præparatio.* Probabilis expoſitio,quæ congruit Septuaginta & Complutenſibus clare legentibus non *aquas meas* ; ſed *vinum.* Probabile tamen etiam mihi eſt aqoarum nomine vſum Nabal in maiorem Daoidis contemptum & ſociorum quaſi ſignificare vellet illos nec aqua quidem dignos eſſe.qua iumenta porantur. Porrò quod dicebatur de aquis venalibus apud Iudæos ex locis adductis mions exploratè colligitur. Nam Iudæi tranſituri per fines Edon pollicentur *ſe aquas de puteis illorum non bibituros.* Qood eſt dicere non tranſituros per vineas & hortos,oec illorum domos ingreſſuros. Deos autem præcepit aquas emi hyperbolicè , per id intelligens , vt nihil ab illis acciperent niſi pretio ſoluto, quantumuis minima res eſſet. Iſaias verò tranſlate aquarum nomeo vſurpat : vnde ex eo ad hoc concludendum nihil effici poteſt. Non omittam quibuſdam etiam videri aquas hîc pro balneis appellatas. Antiquitus eoim ſolebant in ſolemnioribus epulis etiam maiori cura balnea parari : à quo

ritu viri [ſ] docti dictum illud obſcurum nobilis ſ Turneb. & Lambin.

poetæ [t] ioterpretantor vbi conuiuatorem *aqua* t Horat. lib. 2. Sat. 4.

præbitorem appellat. Sic enim nuncupatum volunt quod lautus conuiuator etiam balneas præberet. Poſſeot ergo hoc loco verba Nabal intelligi *de balneis.* qoaſi diceret ; Hæc omoia quæ mihi meiſque paraui , in vſom ſcilicet cedent ignotorum hominom. Sed eruditè magis hæc dicuntur, quam verè , & appoſite ad locum quem tractamus. Quomodo enim de aquis balneatibus hæc accipi poſſunt, cum de iis loquatur Nabal , quæ Dauidi eſt per nuncios tranſmiſſurus? An balnea ipſa ex ſuis reuolſa ſedibus accepturi , & alio comportaturi aduenerant Dauidis milites? Vltima ergo expoſitio vt probablior admittenda.

Quos neſcios vnde ſint.] Antea dixerat ; *Quis eſt Dauid ? Quis eſt filius Iſai ?* Quomodo nunc ergo dicit neſcire ſe vnde , & qui iſti ſint? Nec enim probabile eſt audito Dauidis nomine quod non ſolùm per totam Iudæam terram ; ſed etiam per Paleſtinorum regiones fama vulgauerat , potuiſſe Nabal virum Iudæum ignorare quis eſſet Dauid. An vlla erat aut eſſe poterat tunc fabula notior,quam Daoidis conditio? Regius gener, Regiis copiis præfectus , hoſtium victor & triumphator,profugos à patrio ſolo, etiam intra ipſa terræ viſcera à ſocero perquirebatur ad necem , omnia permiſcente vt id aſſequeretur : & quiſquam poterat ignorare præſertim homo Iudæus quis eſſet Dauid , & qui cum illo erant? Quomodo ergo nunc Nabal dicit nihil ſe daturum viris,quos neſcit vnde ſint? Dicendum modum hunc loquendi non ignorantiam ſignificare, ſed contemptum. Nam & ad deſpicientiam quandam , ſuique ipſius extenuationem , quis etiam cum de ſe loquitur id vſurpat , vt ſupra

Dauid [o]. *Quis ſum ego;aut quæ domus patris mei.* o Cap. 19.

Neque enim Dauid ſe, & genus ſuum ignorabat; ſed extenuabat per id & deprimebat. Cum autem in alios ea forma loquendi adhibetur , clariùs adhuc contemptus exprimitur. Sic de Chri-

ſto Iudæi aliquando [x]. *Hic autem vnde ſit,neſci-* x Ioan 9. 19.

mus;Cum tameo aotea ſæpius dixiſſent [y]; *Nónne* y Matth. 13. 55.

hic eſt fabri filius , & nonne pater eius , & mater eius ſunt apud nos ? Et iterum : *Hic autem vnde ſit ſcimus.* Similis loquendi forma ad contemptum indicandom à Latinis etiam in illis prouerbialibus figuris vſurpatur , cum de homine etiam ſibi bene noto dicunt,neſcire ſe cuius ille

coloris ſit. Sic ille [z] in Cæſarem. z Catul.

Nil nimium ſtudeo,Cæſar, tibi velle placere,
Nec ſcire vtrum ſis ater,an albus homo.

Huc referendum eſt quod Chriſtus dicturos eſt

aliquando reprobis [a] ; *Amen dico vobis neſcio* a Matth. 25. 12.

vos. Neqoe enim verbom illud erit neſcientis, ſed abiicientis,& eum contemptu repudiantis.

ỳ. 13.)

℣. 13.) Tunc ait Dauid pueris ſuis; Accingatur vnuſquiſquis gladio ſuo. Et accincti ſunt ſinguli gladiis ſuis, accinctuſque eſt Dauid enſe ſuo: & ſequuti ſunr Dauid quaſi quadringenti viri: porro ducenti remanſerunr ad ſarcinas.

℣. 14.) Abigail aurem vxori Nabal nunciauir vnus de pueris ſuis dicens; Ecce Dauid miſit nuncios de deſerto vr benedicerenr Domino noſtro: & auerſarus eſt eos.

℣. 15.) Homines iſti boni ſatis fuerunt nobis, & non moleſti: nec quicquam aliquando periir omni rempore quo fuimus conuerſati cum eis in deſerto:

℣. 16.) Pro muro erant nobis tam in nocte quam in die, omnibus diebus quibns pauimus apud eos greges.

Vt benedicerent.] Benedicere apud Hebræos eſt ſalutare, & ſolemnibus verbis vti, quæ in congreſſu accedendo, aut diſcedendo officij cauſa mutuo ſolemus vſurpare: orta antem loquutio quod iis bona omnia & fauſta precemur, quibus cum primnm coogredimur, aut à quibos diſcedimus. Bona enim dicere, nihil aliud eſt proprie, quam fauſta ominari & augurari. Vnde ille apud Comicnm [b] *certatim omnes omnia bona dicere,* id eſt bene ominando fauſta mihi omnia & fœlicia ex ram bene morato adoleſcente ſpondebaot. Quod ergo hoc facere ſoleant inter ſe ſalutantes: bona enim ſibi mutnò optant, vt vitam, valetudinem, & quicquid denique humana vota reſpicinnt: ideirco *benedicere* ſimpliciter Hebtæis ponitur pro *ſalutare*, vt hoc loco; vbi Varablus vertit; *Miſit nuncios ſalutatum herum noſtrum.* Et in Geneſi [c]; *introduxit Ioſeph patrem ſuum ad Regem, & ſtatuit eum coram eo, qui benedixit illi* (Iacob ſcilicet Regi) *& interrogatus ab eo &c.* Quæ perſpicnè accipienda ſunt de benedictione in primo congreſſu: de alia autem in digreſſu, infra ſuo loco pluribus.

b Terent. in Andr. act. 1.

c Cap. 47.

Et auerſatus eſt eos.] Hebraicè propriè eſt; *Et auolare eos fecit.* quod ſignificantius exptimit inhumanitatem, qua illos excepit. Id quod ooſtris diuitibus antiqnum & ſolemne eſt, vt non alio genere humanitaris in pauperes vtantur, qui oſtiatim victum mendicato quæritant: ita enim illos dimittunt, vt aliquando non eiiciant ſolum, ſed anolare faciant. LXX. hoc loco verbum habeot minus aſperum. *Et declinauit ab eis.* Noſter proptius ad Hebtæum; *Et auerſatus eſt.* quod & verbis, & geſtu ſignificat illos à ſe dimiſiſſe.

Et non moleſti.] In qoa re moleſti non fuerint explicant LXX. qui ſic habent; *Et non prohibuerunt nos, neque imperarunt nobis quicquam.* Sanè enim nihil moleſtius eſt, quàm aliorum imperia experiri, & buc illuc agi pro eotum arbitrio, quibus ſubeſſe non debes. ex qoo poſſumus aduertere quanti ſit apud Deum meriti religioſa obedientia, per quam homines liberi, ita ſe comparant, vt ioti ex aliorum pendeant voluntate. Quid eoim hoc aliud eſt, quàm in perpetua moleſtia viram ducere? Ex quo vlterius debent religioſi Præſides aduertere quàm moderatè ea poteſtate ſit illis vtendum, qui ſe ob Chriſti amorem ſponte aliis ſubdiderunt. Cùm *imperare aliquid alicui* in Scriptura, aot *illum ab eo quod vult prohibere*, pto eodem pooaint, ac illi moleſtum eſſe.

Nec quicqnam aliquando periit.] Quod vel ipſi nobis abſtulerint, vel prædones, aut agreſtes feræ tapuerint; illis nimirum ope ſua nos ſtipantibus.

Pro muro erant nobis.] Hac tranſlatione nihil apud ſactos & profanos ſcriptores frequentius, qua qui tutantur alios, & ſeruaot, earom rerum nomine nuncupantur, quæ ſolent paſſim præſidio, & monimento eſſe; qualia ſunt *ſcutum, clypeus, turris, arx,* & ſimilia; de quibos latiùs libro [d] ſecundo. in primis autem *murus*, qui prouerbiali formula in honc ſenſum à Græcis ſimul, & latinis Scriptoribus vſurpatur Cbryſoſtomus; [e] *maxima enim ſecuritas, & inexpugnabilis murus eſt gratia Dei.* Propius aurem ad id quod agimus, alicubi Seneca [f] Hectorem murum appellat Troiaootum.

d Cap. 22.

e Hom. 46. in Gen.

f In Troade act. 1.

Columen patria mora fatorum
Tu præſidium Phrygibus feſſis
Tu murus eras, humeriſque tuis
Stetit illa decem fulta per annos.

Ab eadem aotem tranſlarione quicunque defendit & tutatur aliom dicitur in Scriptuta *circa illum caſtrametari*, ſiue illum vallare & circuodare more caſtrorum. Hæc enim ſunt loco muri; cum in aperto, & in cāpeſtribus degitur. Vnde Sathan de Iobo [g] ad Deum, *Nonne tu vallaſti eum.* id eſt defendendom ſuſcepiſti, & pto muro te contra impugnantes oppoſuiſti? Valſum enim propriè eſt pro muro, qoia illius vices gerit. Sic alibi miſericordia dicitur ſperantibus io Domino pro vallo eſſe. [h] *Sperantem*, inquit, *in Domino miſericordia circundabit.* Verbum eſt enim caſtrenſe hoc loco *circundabit.* Alibi dicitur Angelos futurus loco caſtrorum in circuitu timentinm Domioum. [i] *Immitet*, inquit, *Angelus Domini in circuitu timentium Deum, & eripiet eos.* Hic enim *immittet* verbum eſt, qood ſi propriè ax Hebræo exprimatur, ſigoificat diffundet ſe, & expandet more caſtrorum; quod eſt ſeipſum in caſtra conuertere ad illos tutandos.

g Iob. 1. 9.

h Pſal. 31. 10.

i Pſal. 33. 8.

Qua ergo figura ſerni iſti dicnnt Dauidem & comites fuiſſe ſibi pro muro; eadem dicitnr apud Iob Deus eſſe pro vallo ſeruis ſuis. Angelus à Dauid eſſe pro caſtris timentibus Deum. Et apud externos à Pindaro Hector *ſolida Troia columna*; à Theocrito Achilles *turris Græcorum*; à Theognide boni viri *turres & arces populorum*; à Tyrtæo fortis imperator *propugnaculum patria.*

℣. 17.) Quamobrem conſidera, & recogira quid facias: quoniam completa eſt malitia aduerſum virum ruum & aduerſum domum ruam; & ipſe eſt filius Belial: ira vr nemo poſſit ei loqui.

Completa eſt malitia.] Quid ſit alicnius iniquitatem completam eſſe; non adeo obſcurum eſt. Quid autem ſit aduerſus aliquem eam eſſe completam; non ita clarum: alternm tamen ex altero poteſt explicari. *Completa malitia*, vel *iniquitas alicuius*, aliquando ſignificat illius pœnam & ſupplicium eſſe abſolotum; & in bonam partem ponitur ad animum erigendum, & in ſo-

latium;quaſi nil amplius pœnæ iuendum ſuper-
k Thren. 4. 22. ſit. Sic apud Ieremiam, [k] *Completa eſt iniquitas tua filia ſion: non addet vltra vt transmigret te.* Quo in loco Origenes, *Sat*, inquit, *pœnarum exoluiſti.* cui interpretes [l] reliqui conſentiunt.
l Theodor. D. Thom. Lyran. Hugo, Dionyſ.
Clarius autem adhuc id habetur ex Iſaia [m].
m Cap. 42. *Loquimini ad cor Ieruſalem, & aduocate eam: quoniam completa eſt malitia eius, dimiſſa eſt iniquitas illius: ſuſcepit de manu Domini duplicia pro vniuerſis peccatis ſuis.* Quo in loco non omittendum quod noſter habet *malitia eius*, in Hebræo eſſe צְבָאָהּ *Sebaha.* quæ vox propriè ſignificat *malitiam eius.* Vnde Mercerus contendit D. Hieronymum ſcripſiſſe, *Militia eius.* Sed fallitur. Quia D. Hieronymo *malitia* ponitur pro toto tempore afflictionis, & vexationis Ieruſalem; quod appellatur Hebraicè *militia*, à noſtro vulgato *malitia*, ſicut & à LXX. ταπείνωσις *tapinoſis*, quia malitiæ nomen vt hoc loco ſumitur, ſignificat laborioſum alicuius ſtatum & conditionem, vt pluribus D. Hieronymus [n] ad Amandum.
n Ep. 147.
Completa ergo *malitia* eſt completa vexatio, quæ meritò etiam militia dicitur; non ſolùm ea generali ratione, quod [o] *militia eſt vita hominis ſuper terram*; & quod omnis ærumnoſus ſtatus militiæ comparatur; ſed etiam quia militia nonnunquam ponitur pro ſtipendio militari. Vnde ij, qui miſſionem impetrant, & militare deſinunt, *abſoluere ſtipendia* dicuntur. Porro peccatis aliud nullud ſtipendium debetur, quam pœnarum & afflictionum; vt dicebat Paulus; [p] *ſtipendium peccati mors.* Vnde qui iam ſatis pœnarum dederunt, dicuntur militiam compleuiſſe; quod Latini dicunt feciſſe ſtipendia. *Militiam* ergo Ieruſalem, ſiue *malitiam* completam eſſe, ſignificat eam quod debebat ſupplicij perſoluiſſe. Et hoc quando *compleri malitiam* in bonum ponitur.
o Iob. 16.
p ad Rom. 6. 26.

Alibi verò in malum vſurpatur; & ſignificat quod quis ſcelus animo concepit, opere etiam patraſſe, vel perficere decreuiſſe; quod nimirum tunc ea quæ animo agitamus compleri dicantur, cum ad exitum perducuntur. Sic vſurpatus eſt loquutio ſupra [q] cum Dauid de Saule dicebat; *ſi autem fuerit iratus; ſcito quia completa eſt malitia eius*, id eſt odium quod aduersùm me concepit, omnino ſtatuit explere interitu meo. At alibi *completa malitia* alicuius ſignificat ſupremum illius tempus aduenisſe; ſi tamen is non vulgariter, ſed inſigniter prorſus improbus & ſceleſtus ſit. Qui enim talis eſt, aliam peccandi metam non habet, quam viuendi. Completam ergo eſſe malitiam eius eſt, ipſum iam amplius peccandi ſpatium non habiturum, quia victurus diutius non ſit. Eò autem ſignificat hoc excreuiſſe illius improbitatem, vt amplius tolerari non debeat, aut poſſit; quales ij ſunt, de quibus Seneca; [r] *Tollantur de cœtu mortalium facturi peiora, quæ contingunt; & quo vno modo poſſunt, deſinant mali eſſe moriendo.* Adagiali itaque formula de viro ſceleſtiſſimo dici poteſt *ipſum finem facturum peccandi* quando ſignificare voluerimus illi mortem inſtare & extremum de illo ſupplicium vel à Deo, vel ab hominibus ſumendum.
q Cap. 20. 7.
r lib. 1. de ira cap. 7.

Quia ergo Nabal, *durus, malitioſus, peſſimis moribus & vir Belial erat*, illius ſeruus innuere volens prope ab illo extremum infortunium abeſſe ob Dauidis irã, dixit *completam eſſe malitiam illius*, deſiturum ſcilicet agere malè & peruersè; non quia à malitia ceſſaturus, ſed quia cum ſua malitia extinguendus. At quid eſt *aduersùs illum, & aduersùs domum eius malitiam eſſe completam?* Illud ipſum, quod modo dictum eſt; ſed ſignificantius expreſſum. Deſiturum nempe Nabal peruerſe agere; non tamen aliter, quam eum malo ſuo, & exterminio ſuorum. Nec abſunt ab hac noſtra interpretatione expoſitiones aliorum, vt apud illos [ſ] videre eſt. Ex quibus horum verborum quæ tractamus hic ſenſus elicitur; vt illum Carthuſianus proponit. *Tanta eſt*, inquit, *prauitas viri* tui, vt diutius tolerari non poſſit, & tempus ſuæ punitionis iam inſtet; non ſolum in malum ipſius, ſed domeſticorum.
ſ Abul. Lyran. Hugo. Caiet. Vatab.

Hinc autem facilè poſſumus litteralem ſenſum eorum habere, quæ de Amorrhæis in Geneſi dicuntur [t]; *Nondum completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum.* ſignificat enim victuros adhuc, & quia victuros maiores etiam progreſſus in malitia facturos, ac proinde eorum improbitatem ad faſtigium aliquod perueniſſe.
t Cap. 15.

Et ipſe eſt filius Belial.] De hac voce plura ſæpius, præſertim ſupra hoc eodem libro [u]. Diximus autem ea ſignificari quod apud latinos *exlex*, & apud Italos *ſcapigliato*, vel antiquum & elegans, ſed minus vſitatum verbum *dilegiato.* Quod eſt propriè ſine vlla lege, vt de hoc verbo teſtatur Hetruſcum Dictionarium Academiæ Florentinæ.
u Cap. 2.

Ita vt nemo poſſit ei loqui.] Quorſum nunc iſta ab hoc ſeruo dicantur, ambigi nonnihil poteſt. Non enim ſatis apparet quomodo cum ſuperioribus nectantur. An qui dixerat à Nabal & à domo ipſius proxime abeſſe malum; vult nunc ſignificare mereri hæc illum omnia, & grauiora quia ſit filius Belial? Non puto. ſed potius exiſtimo, quod modo dixerat his verbis aſtruere, nimirum plane iam actum eſſe de ſalute Nabal. Cur id? Quia ex vna parte Dauidis nuncios tam contumelioſe dimiſit; ex altera vero ipſe filius Belial nullius voces audiat; vnde ſpes vlla ſit quicquam illum pro ſano facturum, rationem aliquam excogitando, qua quod in illos peccauit emendet, & poſſit incenſos animos placare. Propterea ergo completa eſt malitia ipſius; quia cum tantum illi infortunium immineat, & ipſe vir Belial ſit, & nullos monitores admittat; nulla via reliqua eſt, vnde poſſit ab illo infortunium propulſari. Abulenſis putat occurriſſe ſeruum tacitæ obiectioni. poterat enim Abigail ipſum ſic obiurgare: Cur ergo tu hæc omnia de Dauide & eius comitibus & quam vtilis vobis in deſerto fuerit, Nabalo non ſuggeſſiſti, cum Dauidis ad illum venere nuncij? Omiſſum ergo id à ſe ſeruus ſignificat quia Nabal vir Belial ſit, & cui nemo poſſit, & audeat loqui ob duritiam morum ſuorum quod probabile eſt.

℣. 18.) Feſtinauit igitur Abigail, & tulit ducentos panes & duos vtres vini, & quinque arietes coctos, & quinque ſata polentæ, & centum ligaturas vuæ paſſæ, & ducentas maſſas caricarum, & poſuit ſuper aſinos.

℣. 19.) Dixitque pueris ſuis; Præcedite me, ecce ego poſt tergum ſequar vos. viro autem ſuo Nabal non indicauit.

℣. 20.) Cùm ergo aſcendiſſet aſinum, & deſcenderet ad radicem montis,

Dauid,

David, & viri eius deſcendebant in occurſum eius: quibus & illa occurrit.

℣. 21.) Et ait David; Verè fruſtrà ſervavi omnia quæ huius erant in deſerto, & non periit quicquam de cunctis, quæ ad eum pertinebant: & reddidit mihi malum pro bono.

℣. 22.) Hæc faciat Deus inimicis David, & hæc addat, ſi reliquero de omnibus quæ ad ipſum pertinent vſque mane, mingentem ad parietem.

Hæc quæ Abigail ad placandum David, & comites munera paravit, & ante ſe præmiſit, quid ſingula ſint; alibi à nobis eſt explicatum, vbi egimus de polenta, de caricis, ſiue palatis, de paſſis vuis. Quod dicitur de arietibus; Caietanus & Vatablus de ouibus interpretantur ſic legentes; *& quinque oues factas*; quomodo legunt etiam LXX. In Hebræo vt notat Abulenſis, ambiguum verbum eſt ad oues & arietes. Probabilius autem eſt arietes fuiſſe; quod iſti præſertim cum exſecti ſunt, ad veſcendum aptiores ſint, quam oues. *At aries factus* Hebraiſmus eſt pro aries coctus & paratus. Hebræis enim faciendi verbum ſignificat aptare aliquid, & expedire, prout vſus exigit, ad quem deſtinatur. Quam in
x lib. 2. c. 19. ſignificationem, vt alibi [x] diximus, etiam apud Italos ſumitur, in quorum lingus paſſim plures idiotiſmi reperiuntur, maxime ſimiles Hebræorum.

Verè fruſtrà ſeruaui omnia quæ huius erant.] Mirari ſatis non poſſumus quid ſit quare David mitiſſimus, & moribus placidiſſimis in Nabal & domum eius vniuerſam tam vehementer exarſerit. Et auget admirationem Theodoretus ex proximo exemplo inauditæ in Saulem clementiæ & manſuetudinis. Quid enim hoc eſt vt hoſti ſæuiſſimo & implacabili, à quo vita omnibus aperte & per inſidias conquirebatur ad necem, tam placidum ſe, mitemque præbuerit; ignotum vero hominem, ob id tantummodo quod ſua elargiri noluerit, tam grauiter vlciſcendum putauerit; vt in ipſius odium quæcunque ad illum pertinerent ferro, flammaque vaſtare decreuerit? An leuiora erant quæ à Saule, quàm quæ à Nabale pertulerat? An minùs ille agreſtis, aſper, improbus, quam Nabal? An ſoceri nomen patri proximum & ſacroſanctum tam nefarie ab illo violatum, minus erat, quam hoſpitij iura neglecta, & ſupplicum poſtulata ſurda aure tranſmiſſa? Quid ergo hoc eſt? Certe illud eſt quod aliàs monui: tam graue malum eſſe intemperantiam linguæ, vt facilius nonnunquam ſit aliorum in ſe hoſtiliter facta negligere, quam contumelioſe dicta æquanimiter tolerare. Propterea David Saulem liberum dimiſit, à quo tot hoſtilia paſſus erat; Nabalum vero etiam abſentem perdere ſtatuit, à quo verbo contumelioſiſſimo fuerat laceratus. Grauius ergo exiſtimauit David & ſeruum, & fugitiuum, & fugitiuorum ducem appellari, quam quicquid ad eam diem tota ab imis ſedibus Iudæa terra ſæpius concitata, Saul in ſe fuerat inimiciſſimè molitus. Theodoretus [y] hoc
y Quæſt. 57. in 1 Reg. ipſum vberius explicans, inde etiam factum Nabalis exaggerat, quod nullam, vel leuiſſimam occaſionem habuerat in Davidem inſolentius ſe gerendi: at verò Saulem & metu regni amittendi, & Davidis gratia apud omnes, & inuidia glorioſè geſtorum, acrius concitatum, mirum non fuiſſe ſi quid grauius in illum ſtrueret, à quo ſe læſum grauiſſime putabat. Proinde hunc magis excuſandum quàm Nabal; cùm nullam hic inſaniendi cauſam habuerit, ille nonnullam. Quod ſi dicas paria non eſſe aliquem ad mortem perſequi, quod Saul faciebat, & ſua non elargiri, quod Nabal; reſpondet Theodoretus Nabalem non contentum preces afflictorum reſpuere, pe[illegible]lantiſſima maledicta etiam adiunxiſſe; quib[illegible] maledictis atrocia Saulis facta David leniora putauit. Adeo verum eſt, quod iam dixi, facilius eſſe, quæ quis in ſe hoſtiliter fecerit, æquanimiter tranſmittere, quàm quæ impuro ore contumelioſè dixerit, tolerare. Sed de linguæ & verborum intemperantia, & quàm grande malum illud ſit; alibi opportunius.

Reddidit mihi malum pro bono.] Quærendum de hoc opportune videtur, & aliquid preſſius explicandum de peccato Nabal, cum David poſtulata reiecit. Et primo an peccauerit. ſecundo quam grauiter. De primo nonnulla dubitatio eſſe poteſt: quia neque ex iuſtitia, neque ex miſericordia ad id tenebatur non igitur id omittendo peccauit. Non ex iuſtitia: nam quod ſuum quis poſſidet, nulli ex iuſtitia tenetur elargiri, niſi extreme laboranti. David autem cum ſuis nulla ſuprema neceſſitate premebatur. non igitur ex iuſtitia tenebatur illi Nabal ſua elargiri. Neque ex miſericordia: nam tenetur vnuſquiſque ſibi hanc prius impendere, quam aliis [z]. *Miſerere*, inquit, *prius animæ tuæ.* Sed ſi Nabal Davidis mi- z Eccli. 30. 24.
ſertus eſſet, in ſe & omnes ſuos immiſericors fuiſſet. inde enim certum ſibi videbat à Saule exitium paratum, cum ante oculos verſaretur Achimelech, & ſacerdotum cædes, & integrum oppidum ferro flammaque vaſtatum quod paucos inde panes David accepiſſet. Non ergo poterat Davidi ſe præbere munificum; quin in ſe, & omnes ſuos impius probaretur. Ad hæc à ſapiente præcipitur vt tantum in bonos munifici ſimus [a]. *Da*, inquit, *bono, & ne receperis peccatorem.* a Eccli. 12.
Quo non contentus prohibet panes illi dare. At Nabal Davidem & ſocios pro peccatoribus habebat, quos videbat à Rege ſuo proſcriptos, hinc inde profugos incerta exilia mutare, quacunque incederent, turbas & tumultus ſecum ferentes, & arma quoque ſua, ſimul & operam Iudaici populi hoſtibus locare. Quod ſi alia defuiſſent, an iuſtum & probum Nabal poterat exiſtimare quem Rex Iſrael loco perduellis haberet? An fas erat vt priuatus vir iudicium ſui Regis excuteret, & contra illum pronunciaret, & Davidem abſolueret? Hoc autem neceſſe erat, ſi quem Rex vt ſceleſtiſſimum perſequebatur, ipſe iuſtum ſanctumque putaſſet. At poterat ſaltem minus inhumanè dimittere, neque etiam id illi tutum fuiſſet. occaſio enim poterat inde facile arripi illum ad Saulem deferendi, quaſi cum Davide ſecreta colloquia miſcuiſſet. Voluit ergo ne qua ſibi labes ſuſpicionis hæreret, vt omnibus in familia conſtaret quam aſpere Davidis nuncios excepiſſet.

Ex his ergo & aliis quæ poſſunt afferri, ſatis videtur non ſolum dignus excuſatione Nabal, ſed etiam laude; quod ſibi, ſuiſque proſpexerit, & ſumma prudentia Regis ſui offenſionem vitauerit. Sed hæc tanti nobis eſſe non debent, vt propter leuia argumenta illum abſoluendum

putemus, quem tam apertè Scriptura condemnat. Et vbi condemnat? Condemnat. Primò, cum antequam factum iſtud enarret, præmittit de Nabal quod erat *Durus, peſſimis moribus & malitioſus.* vt ſciremus ſcilicet mirum non eſſe tale reſponſum redditum Dauidis nuncijs ab homine ſolito etiam grauiora peccare. Secundò, condemnat eum paulo poſt dicit [b], Percuſſum Nabal à Domino, & intra decem dies extinctum eſſe. Tertiò, Cum Dauid ſibi redditus, & omni iam iracundia depoſita, morte Nabalis audita, dicit; [c] *Benedictus Dominus, qui iudicauit cauſam opprobrij mei.* Neque enim Deus illum puniiſſe, & Dauidis cauſam iudicaſſe rectè diceretur, niſi grauiter in Dauidem deliquiſſet. Alij adiungunt appellatum eſſe propterea ſtultum [d] *iuxta nomen ſuum.* Sed quia ab Abigail ſic appellatur apud Dauidem virum excuſante, non ſatis inde probatur Nabalem peccaſſe; ſi firmum ex Scriptura argumentum requirimus ad illius peccatum aſtruendum. Prima ergo illa ſufficiant cum clariſſima ſint, accedente præſertim conſenſu Patrum [e], qui omnes grauiſſimè Nabal hîc peccaſſe contendunt.

b ver. 38.
c ver. 39.
d ver. 25.
e *Amb epiſt. 33. Eucher. Beda, Iſidor. Angel. hoc loco. Rupert. 2. Reg. 12. Lyran. Abulen. Hugo Dionyſ. Caiet. hoc loco.*

Sed nunc difficultas eſt in quo propriè peccatum ipſius ſitum fuerit: quod conſtabit, ſi quam grauiter ille peccauerit, oſtendamus. Grauiſſimè ergo peccaſſe; dubium non eſt, ex pœna illi diuinitus inflicta: grauitas autem hæc ex multiplici capite deriuatur. Primò, quia ingratus fuit in beneficos. Secundò, quia immiſericors in extrema inopia laborantes. Tertiò, quia iniuſtus in illos, qui ſibi tantopere profuiſſent. Quartò, quia procax in miſeros, & contumelioſus in immerentes. Quæ omnia Patres & expoſitores adducti latiùs expendunt.

Neque quicquam Nabal excuſare poterant vel metus Saulis, vel Dauidis exilium. Primò, quia cum illis abnuit quæ rogabatur, nullo ſe metu Saulis id feciſſe verbis illis oſtendit. *Tollam ergo carnes meas, & dabo viris, quos neſcio vnde ſint?* Neque enim iſta proueniunt ex Saulis metu, aut ex honeſta reuerentia; ſed ex auaritiæ, & nimiæ parcitatis affectu. Secundò, quia iam vulgatum erat Saulem iterum Daudi placatum. Tertiò, quia apud omnes conſtabat Dauidem à Rege iniuſtè vexatum, alieni ſceleris pœnas perſoluere. Quartò, Denique quia ſatis ſibi à Saule cauebat Dauidis nuncios vacuos dimittendo: vt quid ergo illos verbis laceſcere, & contumelioſè proſcindere?

Hac faciat Deus inimicis Dauid.] Hoc iuramentum eſſe, & execratorium; inter omnes conſtat: qualis autem execratio, & in quos ſit; non ita certum. Ratio dubitandi eſt, quia in Dauidis inimicos directa videtur. At quæ hæc ratio ſe per execrationem obſtringendi, mala ſuis hoſtibus imprecando, niſi id præſtiterit; quod iurat exequuturum? An quis vnquam tale iuramentum execratorium concipiat. *Pereant inimici mei, niſi iſtud fecero?* At huiuſmodi eſt hoc Dauidis iuramentum, ſi execratio in illo contenta Dauidis hoſtes reſpicere intelligatur. Caietanus nomine Inimicorum Dauid, ipſum Dauid intelligit: dure nimis omnino, vt ante Caietanum Dionyſius aduertit, qui hanc expoſitionem etiam ſuo tempore à nonnullis approbatam adducit, & reiicit. Hugo Cardinalis intelligit inimicis ſuis bona & proſpera optare Dauidem; ac proinde tacitè ſibi mala imprecari. Qui enim hoſtibus ſuis proſpera precatur, eo ipſo ſibi infortunium quærit: vnde vult eſſe iuramentum execratorium; non reſpectu hoſtium ſed ipſius Dauidis, Niſi enim hoc fecerit, hoſtibus bona cuncta precari; quod niſi cum ſui execratione eſſe non poteſt. Alij recentiores volunt eſſe perturbata verba, nulloque certo ſibi ſenſu conſtare, qualia ſolent effundere vehementer irati, Propterea cum dicere vellet Dauid; *Hac faciat mihi Deus, & hac addat*; dixiſſe *Hac faciat Deus inimicis Dauid.* Sæpè enim Scripturam per *mimeſim* quandam quum aliquem turbatum & loquentem inducit, ipſius etiam orationem turbatam ſolet confuſamque proponere; vt paulò poſt etiam licet aduertere in oratione Abigail, quæ ſatis etiam ipſa perplexa eſt, vtpote à fœmina profecta multis ſimul affectibus agitata. Mihi probabilior eſt Hugonis expoſitio, quæ Dionyſio quoque probatur, ſic verba Dauidis explananti. *Hac faciat Deus hoſtibus meis*, id eſt *proſperitatem det Deus hoſtibus meis in malum meum bene illis faciendo.*

Mingentem ad parietem.] Hyperbolicas minas nonnulli in his verbis agnoſcunt; quibus ita ſe Dauid omnia quæ Nabalis ſunt ferro flammaque vaſtaturum minetur, vt ne canem quidem vnum incolumem ſit dimiſſurus. Mingentem enim ad parietem canem interpretantur. Sic Hebræi, quos Caietanus, aliique [f] ſequuntur. Simili phraſi aliæ quoque gentes vtuntur. Ad ingentem enim cladem ſignificandam alicuius vel ciuitatis vel oppidi, dicimus nec canem quidem vnum eſſe relictum. Alij per mingentem ad parietem, mares intelligunt; quaſi Dauid iuret nulli ſe parciturum virilis ſexus ex Nabalis familia. Hi enim ad parietem exonerandæ veſicæ, vt Tertullianus loquitur, tunicam leuant. Sic Abulenſis, & alij citati non improbant. Lyranus & hanc vtramque & aliam præterea expoſitionem adiungit. per mingentem ad parietem eum qui morbo decumbit intelligens, cui ob imbecillitatem virium, neceſſe ſit inter lectum & parietem naturæ neceſſitati parere. Prima expoſitio verior; ſecunda, non improbanda; tertia, planè Rabinica. Quod autem primam expoſitionem confirmat, libet hoc loco lepidum Aureliani Imperatoris dictum referre, vt eſt in vita ipſius apud Vopiſcum. Obſidebat ille Florianam ciuitatem, & indignatus diutius ſibi ab obſeſſis obſiſti, dixiſſe fertur *canem in hoc oppido non relinquam.* Paulò pòſt vrbe potitus, cum milites vrbem diripiendam iuxta ipſius promiſſum poſtularent; Canem, inquit, in hac vrbe me relicturum negaui. ite ergo canes omnes occidite.

f *Vatabl. & Clar. hic.*

Si reliquero de omnibus quæ ad ipſum pertinent vſque mane.] Dubium eſſe non poteſt quin in hoc iuramento Dauid multipliciter peccauerit. Primò quia iurauit occiſurum ſe Nabal, quod priuata auctoritate facere nō poterat, quantumuis ab eo grauiter læſus. Secundò, quia in ipſius odium tot innocentes perdere ſtatuerat; quod aſt ſcelus maximum & execrandum. expreſſe enim à Deo prohibetur [g] ne filij occidantur propter iniquitatem patris. & id etiam ſi pater læſæ maieſtatis crimine damnetur [h]. Tertiò, peccauit quod hæc omnia male decreta peius etiam iuramento adiuncto exequi voluerit. quaſi enim veritus ne ſanior factus propoſitum reuocaret, ſacramento ſe obſtrinxit ab iniquo propoſito non diſcedendi. In quibus tamen omnibus excu-

g Deut. 24.
h *vt colligitur 4. Reg. 14.*

ſandus

ſandus eſt, quod quæ temerè iurando concepit, non ex animi certa deliberatione decreuit, ſed ira ſubita tranſuerſus acta: quod aduertunt Abulenſis, & alij[i], & ante illos Auguſtinus[k], cuius verba in Gratiani Decreto referuntur[l]. Non ergo audiendum puto Theodoretum[m], qui dicit hoc iuramentum iuſtè conceptum, quod in eo emittendo Dauid iuſta indignatione fuerit commotus.

i Lyran. Dionyſ. Caiet.
k Serm. de decol. Ioan. Ioan. Bapt.
l c. quod Dauid. & c. inuenit. 24. q. 4.
m Q. 58. in 1. Reg.

℣. 23.) Cùm autem vidiſſet Abigail Dauid, feſtinauit, & deſcendit de aſino, & procidit coram Dauid ſuper faciem ſuam, & adorauit ſuper terram,

℣. 24.) Et cecidit ante pedes eius, & dixit; In me ſit, Domine mi, hæc iniquitas: loquatur obſecro ancilla tua in auribus tuis: & audi verba famulæ tuæ.

℣. 25.) Ne ponat, oro, Dominus meus Rex cor ſuum ſuper virum iſtum iniquum Nabal: quoniam ſecundum nomen ſuum ſtultus eſt, & ſtultitia eſt cum eo: ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos, Domine mi, quos miſiſti.

℣. 26.) Nunc ergo domine mi, viuit Dominus, & viuit anima tua, qui prohibuit te ne venires in ſanguinem, & ſaluauit manum tuam tibi: & nunc fiant ſicut Nabal inimici tui, & qui quærunt domino meo malum.

℣. 27.) Quapropter ſuſcipe benedictionem hanc, quam attuli ancilla tua tibi domino meo: & da pueris qui ſequuntur te dominum meum.

℣. 28.) Aufer iniquitatem famulæ tuæ: faciens enim faciet Dominus tibi domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, domine mi, tu præliaris: malitia ergo non inueniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ.

In me ſit, domine mi, hæc iniquitas.] Hebraica vox *Ghauon*, quæ à noſtro redditur *iniquitas*, ambigua eſt, vt alias monui, ad peccatum ipſum ſignificandum, & pœnam debitam peccato; quam ambiguitatem ſeruant etiam in ſacris litteris voces illæ, quæ pro *Ghauon* in noſtra verſione redduntur, vt ſunt iniquitas, & peccatum. Hoc loco ergo quid ſit *iniquitas*, an peccatum ſcilicet, an pœna pro peccato luenda, poſſet dubitari; niſi quod vtro modo exponatur in eundem ferme ſenſum ſententia redit, quæ multiplex à variis his verbis aptatur: Hugo Cardinalis quatuor diſtinctas expoſitiones affert. Prima minus probabilis eſt. *Si putas eſſe peccatum non facere quod iuraſti; mihi hæc iniquitas imputetur.* neque enim Abigail quicquam nouerat de iuramento Dauidis, nec ab illo congrue exorſa eſſet deprecationem ſuam ſi nouiſſet. Secunda eſt, *Condona mihi hanc iniquitatem viri mei*. Tertia *quam de viro meo vindictam ſumere vis, de me ſume.* Quarta denique *propter me dimitte hoc quod vis facere, id eſt vlciſci te de Nabal*, quæ parum à ſecunda diſtat. Vatablus duas etiam interpretationes adducit. Prima *in me ſit, Domine mi, hæc iniquitas, id eſt reputa me illam eſſe quæ peccauit; tu tamen audi me, & exaudi.* Altera, *vltionem de me ſume, omiſſo viro, ego enim peccaui.* Dionyſius etiam ſuam affert. Abulenſis quoque ſuam, & ſuam Lyranus.

Mihi verò ad horum verborũ ſententiã eruendam, duo diſtinguenda videntur. alterum eſt finis, in quem proferuntur; alterum eſt ſenſus, quem proximè continent. Finis quem ſpectant, eſt venia impetranda; vt non dubiè ſignificant auctores citati, & ante ipſos Ioſephus[n], qui ſic Abigail loquentem inducit. *Quare obſecro, domine mi, da veniam mihi.* non tamen quia finem hunc verba illa reſpiciunt, dicendum ſtatim eſt eorum ſenſum eſſe *da mihi veniam*. Quia enim non videt aliud eſſe, *In me ſit Domine mi, hæc iniquitas; & parce mihi?* In quo fortè lapſus eſt Hugo Carenſis, quia vt dixi non ſolùm in hac ſententia ſed in pluribus aliis, ſeiungendus eſt finis, quem verba ſpectant, & ſenſus quem faciunt. Senſus ergo quis hic erit? Qui maximè aptus ad finem illum obtinendum; ſiue ſit per hoc quod in ſe culpam transferat Abigail; ſiue quod ſe paratam pœnæ præbeat pro marito ſoluendæ. Duo ergo ſenſus aptiſſimi erunt horum verborum, & & præ cæteris probandi. Primus eſt. *In me iniquitas.* Sic enim propriè eſt in Hebræo, id eſt, Ego ſum quæ peccaui. Eſt enim abrupta oratio, & perturbata; qualis eſſe ſolet ex magna animi agitatione profecta, & in maximè præſenti periculo deprehenſi. Sic etiam ille apud Virgilium.[o]

n lib. 6. antiq. c. 14.
o lib. 9.

Me me adſum qui feci, in me conuertite ferrum,
O Rutuli; mea fraus omnis, nihil iſte nec auſus,
Nec potuit.

Non diſſimiliter enim Abigail in ſe culpam omnem transfert, ſi quæ fuit; & quicquid peccatum eſt, ſe vult peccaſſe, maritum vero nequaquam. Cur non? Quia, inquit, ſtultus eſt, & in corde ſtultitiam gerit alligatam. Qui ergo in hoc potuit peccare? Se vero, quicquid id eſt, peccaſſe, quæ abfuerit in aduentu nuntiorum. Hunc ſenſum amplectitur ſcholiaſtes in LXX. & cum Caietano videtur indicare Vatablus. Secundus ſenſus eſt qui ex hoc ſequitur, vt pœnam in ſe depoſcat illi ſoluendæ parata pro marito ſuo. Quem ſenſum cum aliis[p] Lyranus probat. Similiter D. Paulus cum deprecatorem ſe apud Philemonem pro Oneſimo interponeret, quicquid illi luendum erat, in ſe recipit & depoſcit.[q] *Si aliquid, inquit, nocuit tibi, mihi imputa. Ego reddam.* Eſt enim imputare, cuipiam aliquid adſcribere, vt ab illo debitum. Nulla eſt autem melior ratio pro alio intercedendi, quam pro illo ſe exhibere paratum, ſi quid ſit ab illo ſoluendum: quod fecit Chriſtus Dominus apud Patrem.

p Abulen. Dionyſ. Hugo Carenſ.
q Ad Phil. cap. 1.

Ne ponas, quæſo, cor tuum ſuper virum iſtum.] Quid ſit in corde ponere, & cor apponere ſuper aliquid, & ad aliquid; infra[r] ſatis explicatur in deprecatione Semei apud Dauidem.

r lib. 2. c. 19.

Dominus meus Rex.] Quomodo Rex viuente Saule, viuente Ionatha, & incolumi familia Regia? Caietanus notat in Hebræo non eſſe *Rex*, nec etiam apud LXX. ſed tantum, *Dominus meus*. Ex quo dubitatio oritur de fide noſtri interpretis, qui contra veritatem Hebraicam de ſuo id addiderit, quod falſum ſit & Abigail orationem

 reprehenſioni

reprehenſioni reddat obnoxiam; quæ viliſſimæ tantum adulationi intenta, nullo diſcrimine habuerit vera ne, an falſa proferret; modo ea adduceret, quæ poſſent Dauidis aures mulcere. Dionyſius hoc loco dicit Dauidem ab Abigail regem appellatum, quia nouerat illum vnctum in regem; & certiſſimè credebat regnaturum. Sed hoc quod etiam placet Abulenſi difficultatem propoſitam non ſoluit. Eſto enim quod vere ipſa Regem appellauerit, quod ſciret regem deſtinatum; cur à noſtrò interprete hæc nunc Regis appellatio adiungitur contra quam ſit in Hebræo fonte; & ex qua ſententia potius impeditur, quam explicatur? Exiſtimo hic ergo dicendum à noſtro interprete Regis nomen vſurpatum eſſe, non prout eſt vocabulum notæ dignitatis; ſed vt honeſtus titulus à Latinis auctoribus adhiberi ſolitus, vbi famuli, clientes, & aſſeclæ Patronos, & Dominos honeſtius appellabant. In quam ſignificationem ſæpius ſumitur à Terentio, Columella, Martiale, & aliis. vnde illud eſt.

r Mart. lib. 2. epig. 18.

[r] *Cum te non noſſem, Dominum, Regemque vocabam.*

Qui Rex eſt Regem, Maxime, non habeat.

ſ Præf. in lib. 1.

Et alicubi Columella. [ſ] *An honeſtius duxerim mercenarij ſalutatoris aucupium mendaciſſimum, circumuolitatis limina potentiorum, ſomnumque Regis ſui rumoribus augurantis.* Falſum ergo eſt quod Caietanus tam ſecure pronunciat quod Rex in noſtra verſione Dauid appellatur, in Hebræo non eſſe. In eo enim ſenſu, quo vulgatus interpres nomen Regis vſurpat id omnino, & quidem latiniſſime exprimit quod eſt in Hebræo. Nam Abigail honorificentiſſima appellatione ſtudebat demereri Dauidem, qualis apud Latinos eſt Regis, Dominique appellatio illi reſpondens, quæ in Hebræo ab ipſa Abigail vſurpatur. An autem quicquam compertum habuerit Abigail de Dauidis inunctione ad regnum; paulo poſt exquiretur.

Super virum iniquum Nabal.] Hebraicè, *Virum belial*; qui certè titulus Nabalis cauſam nihil iuuabat; quin potius in illum, Dauidis animum magis accendebat. Sed intelligendum eſt verbum hoc Abigail quaſi inuitæ excidiſſe: tota enim cum eſſet in viro excuſando, veriſimile eſt aliam orationem vſurpare non voluiſſe, quam quæ Dauidi maximè illum redderet miſerandum: & propterea veniam illi facilius impetraret: verum cum perculſa eſſet ex magnitudine mali imminentis, & ſimul etiam ex Dauidis occurſu variè affecta & agitata, perturbatè etiam loquuta eſt: & eius orationem, vt iam dixi, talem nobis Scriptura proponit, qualis à fœmina trepida, anxia, ſui ſuorumque ſollicita ſolet haberi.

Stultus eſt.] Nimis hoc quidem liberaliter ab Abigail in Nabal, ab vxore in virum. Verùm nihil erat quod appoſitè magis afferri poſſet ad placandum Dauidem, ad excuſandum Nabal, & ſimul etiam ad verbum ipſum corrigendum quod ipſa protulerat cum virum ſuum iniquum & *belial* appellauit. Stultum enim volebat dicere cum dixit iniquum & improbum; quæ duo longe inter ſe diſtant. Nam *iniquitas* iram Dauidis augebat in Nabal; at *ſtultitia* placatum reddebat. Vno ergo hoc verbo Abigail complexa eſt quicquid ad virum excuſandum poterat excogitari. Omnia enim facta, quæ purgantur & defenduntur, optima ratione excuſantur, cum in ignorantiam & ſtupiditatem referuntur. Vnde illa ſunt ſolemnia verba ſupplicum & pœnam ſibi, vel aliis deprecantium. *Ignorans feci*; vel *imprudentia lapſus ſum.* Quæ verba naturæ ductu, doctore nullo quiſque nouit vſurpare, dum veniam ſuis erratis poſtulat, aut alienis. Et hinc præceptum Rhetorum [r] eſt vt qui ira factum defendunt, vt apertè veniam poſtulent dicant non odio aut crudelitate, quod factum eſt accidiſſe; ſed ſtultitia, & imprudentia. Superflue igitur quærit hoc loco Abulenſis & alij, an peccauerit Abigail viro ſuo ſic contumelioſe appellato. Stultum enim dixit, vt omnes ſimul imprudentiæ ſpecies amplecteretur, ex quarum aliqua ſatis illa ſuperque quæ à Nabal inconſulte, temere, & arroganter in Dauidem iactata fuerant, poterant excuſari. At qualis iſta ſtultitia, & quomodo accipienda? An ea qua malus omnis ſtultus eſt de qua Saluianus [ſ] dixit; *Omnis malus ſtultus eſt: ſi enim ſaperet, bonus eſſe mallet?* At hæc ſtultitia accuſat potius, quam excuſet peccantem. Verum eſt apud Deum, & propterea paulò poſt Nabalis interitus adiungitur à Deo percuſſi; ſed apud homines veniam nonnunquam impetrat etiam culpanda ſtoliditas. Qua de re alibi.

r Ariſtot. lib. 1. rhetor. Rhetor ad Heren. lib. 2.

ſ lib. 3. de prou. Dei.

Secundùm nomen ſuum ſtultus eſt.] Vocabulum Nabal à ſtultitia deduci cum interprete noſtro omnes [t] fatentur. Solus Caietanus diſſentit qui dicit ab *ignominia* deriuari; & ſubdit id ab Hæbræis pluribus exemplis in ſcriptura probari. *Apud quos*, inquit, *Nabal idem ſonat quod hominem vituperoſum.* Sic ipſe loquitur. Qua in re bis eſt, meo iudicio, deceptus. Primò, quod more ſuo fidem potius habendam putauit Hebræo ſulphuratori, quam tot catholicis, & doctiſſimis tractatoribus qui omnes cum aſſerant Nabal idem eſſe quod ſtultum & inſipientem; non debebat eos omnes reiicere, vt auctoritatem Rabini, quem ſibi inſtitutorem ſumpſerat, tueretur. Nabal enim & ſtultum, ſiue inſipientem idem eſſe; Patres [u] omnes teſtantur. Vnde quod eſt in vulgata: *Dixit inſipiens in corde ſuo*; Hebraice eſt נבל *Nabal.* Quod alij vertunt *ſtultus*, Auguſtinus habet *inſipiens.* Secundo improbatur Caietanus, quia hac ratione virum non excuſaſſet Abigail; ſed eius potius crimen exaſperaſſet, & in eum Dauidis animum magis accendiſſet. Quis enim propterea cuiquam pateat, quod homo ſit, vt Caietanus loquitur, *vituperoſus?* Si enim dignus, quem omnes probro afficiant, quomodo ob hoc ipſum ab alio impetret meritam ſibi noxam condonari, quod indignus ſit, cui condonetur; Stultum ergo, non probroſum virum ſuum Abigail appellauit, & id iuxta nomen ipſius, & per hoc etiam illum Dauidi excuſauit. Simili ratione Iob [x] cum vxor verba illi impia in Deum dicenda ſuggereret, ſic ipſam excuſauit. *Quaſi vna de ſtultis mulieribus loquuta es.* Ea hoc enim excuſandam ſignificat, & non pro merito plectendam, quod non ex malitia, ſed ex ſtultitia peccaſſet. quaſi tacitè dicens. Niſi te ob ſtultitiam tuam excuſandam putarem; oſtenderem tibi quid ſit hæc verba proferre. Ibi enim *ſtulti* vocabulum à Nabal deductum eſt.

t Lyran. Abulenſ. Dionyſ. Vatabl. Hugo Carenſ.

u Theod. q. 58. in 1. Reg. Ioſeph. lib. 6. 14. Hieron. & Hilar. Pſal. 13. & 52. & ibid. Auguſt.

x Cap. 2.

Viuit Dominus, & viuit anima tua.] Quid nunc iuramento opus eſt, & quid iurat Abigail? Quod enim proxime præceſſit, quorſum iuramento firmetur, & ſimiliter quod mox ſubditur, non apparet. Sunt qui ad omnia quæ præceſſerunt, vel ad vnum aliquod, iuramentum referendum

dum putent, vt Caietanus. Perturbata eſt enim oratio, vt dicebam, quemadmodum & perturbatus eſt animus loquentis: itaque quæ primo loco dixerat Nabalis nec verba nec facta eſſe attendenda, quod ſtultus ſit, id iuramento confirmat. Quaſi dicat; Deum teſtor & ſuperos omnes ita eſſe vt dixi, illumque ſtultum eſſe. Sic etiam Niſus apud Virgilium cum medios in hoſtes irruiſſet, vt Eurialum periculo eriperet, illa primum protulit

Ne me adſum qui feci, in me conuertite ferrum,
O Rutuli. Tum ſubdit;
Cælum hoc & ſydera teſtor.

Nam & iuramenta frequenter etiam ab iis qui turbato ſunt animo mittuntur; præſertim cum ſe, vel alios purgant. Dionyſius vult iuramentum ad hoc tantum referendum, quod dixerat pueros ſe Dauidis non vidiſſe. Aliis tamen non placet eſſe iuramentum; ſed obſecrationem vt Abulenſi, qua Dauidem per Deum Abigail obteſtatur & obſecrat vt iram deponat. Melius meo iudicio Ioſephus, qui putat hæc verba non continere iuramentum; ſed gratiarum actionem & laudationem: vt perinde ſit, *Viuat Deus*; ac quod alibi ſcriptura vſurpat, *Benedictus Deus.* ſenſus ergo eſt. Deo gratias ago, ipſumque laudo & extollo, qui te hactenus ſeruauit, ne manus tuas hoc degeneri ſanguine commaculares, Ioſephi verba ſunt; *Ago gratias Deo qui per me tibi obſtat, quominus manus polluas humano ſanguine.*

Qui prohibuit te ne venires in ſanguinem.] Id eſt ne hoc cruentum facinus perpetrares. Sanguis enim in ſacris libris, quod alias monui, ſignificat mortem atrocem & violentam; atque adeo quodcumque immane flagitium. Vnde eſt vt facinoroſi dicantur in Scriptura [y] *viri ſanguinum.* & [y Pſ. 54.24. Ezech. 3.18.]
ſanguinem alicuius de manu alterius requirere, ſit illius necem in homicidæ capite vindicare. Prohibere ergo *ne quis veniat in ſanguinem* eſt non permittere vt alteri necem inferat illius ſanguinem effundendo.

Et ſaluauit manum tuam tibi.] Abulenſis & alij eiuſdem temporis legerunt *Animam tuam.* interpretantur autem de præſeruatione à culpa. Sicut enim dicit Abulenſis, Homo ſaluari dicitur, quando à morte liberatur; ita anima ſaluatur, quando à peccando prohibetur. Ergo Deus dum prohibuit ne Dauid corpus Nabalis perderet, animam ipſi Dauidi ſeruauit: quod tanto præſtantius beneficium fuit, quanto magis animi, quam corporis interitus eſt timendus. Sed hæc licet veriſſima; parum tamen videntur huic cohærere ſententiæ. Quomodo enim Dauidis anima à culpa præſeruata? Si enim quod ab illo peccatum hic fuit, patratum iam tunc fuit, cum animo deſtinauit domum Nabalis perdere, cunctos, qui ad ipſum ſpectabant de medio tollendo. Non ergo ab illo peccato præſeruatus eſt Dauid. Nam quod prohibitus eſt ne malè, quod conceperat, prius exequeretur, non fuit id à peccato ſeruare, ſed conſummationem iam admiſſi facinoris impedire. Neque enim actus exterior ipſe per ſe peccatum eſt, niſi quatenus cum mala animi mente copulatur. Verum ad hæc dici poſſet hoc loco loquutam Abigail, vt vulgo ſolent. Hominum enim ſtudia non ex animo homines, ſed ex externis actionibus metiuntur: & contra quàm res eſt animi habitum æſtimant ex qualitate factorum; cum potius operum factorumque conditio ſit ex animi qualitate pendenda. Non ergo illum innocentem pronunciant, qui ſcelus in animo non agitat; ſed cuius manus ſcelere non polluuntur. Hoc Abigail ſequuta, Dauidis animam dixit à Deo ſaluatam; quando prohibuit *ne veniret in ſanguinem*, ſceluſque quod animo deſtinauerat opere compleret. Verum, vt dicebam, hæc benè dicta alibi reſeruanda, cum loco quem tractamus iis opus non ſit. Neque enim vera lectio habet *animam*; ſed *manus.* vt legunt omnes cum vulgata. ſed tunc dubitatio illa modò leuiter tacta videtur adhuc inſurgere. An ſit nouum peccatum actus malus exterior, additus interiori. Si enim non eſt, quod beneficium Deus Dauidi contulit, propter quod laudandus ſit, cum prohibuit ne exterius exequeretur, quod iam deſtinatione patrauerat? De hac re quid ſentiendum ſit, opportunius in diſputationibus exponemus.

Et nunc fiant ſicut Nabal.] Verus & germaniſſimus horum verborum ſenſus in quem omnes conueniunt iſte eſt. Non quia tu manus à Nabal abſtinebis, ille propterea impunitus abibit. Satis enim ſuperque pœnarum tibi daturus eſt: ſed deinde inter ſe expoſitores diſſentiunt de quibus pœnis hic Abigail loquatur. Ioſephus & Rabi Salomon putant hæc referenda ad mortem, quam paulo poſt Nabal eſt obiturus, & quam Abigail prophetico afflatam ſpiritu præuidiſſe voluot. *Quod*, inquit Ioſephus, *Nabalem manet infortunium omnium inimicorum capitibus contingat.* Per id autem infortunium, mortem ipſius intelligit paulo poſt ſequutam, quod ipſum alij Rabini ſentiunt apud Abulenſem. Sed probabilius eſt hæc intelligenda non in futurum; ſed de præſenti conditione Nabal. quaſi nimirum dicat hæc prudentiſſima mulier; *Et quid nunc tibi, mi Domine, cum Nabal, aut quid in illū moliris, & agitas? An pœnas vt ab ipſo ſuæ improbitatis expoſcas, iratus in illum tendis? Me miſerum. an parum illud eſt quod patitur à ſtultitia ſua, & improbitate agitatus? Tale illud eſt vt ſi id omnibus inimicis tuis obueniret; liber & otioſus ab omni metu ſecuriſſimè degeres.* Huc ſpectat quod etiam à ſapientibus huius ſæculi dici ſolet. Improbum quemque & qui alteri iniuriam fecit; eo ipſo ſatis pœnarum dare, quod illam fecerit. Senarius eſt in hanc ſententiam dignus qui memoriæ altius infigatur.

Feciſſe, facta iniuria pœna maxima eſt.

Optimè illa Seneca [x] quæ huc maximè faciunt. [x lib. 3. de
Quid ergo inquit, impune illi erit? (loquitur de il- ira cap. 26.]
lo qui fecit iniuriam, quam docet non perſequendam) *Puta te velle; tamen non erit. Maxima eſt enim facta iniuria pœna, feciſſe; nec quiſquam grauius afficitur, quam qui ad ſupplicium pœnitentiæ traditur.*

Benedictionem.] In ſacris literis & apud Eccleſiaſticos tractatores frequens eſt *benedictionis* nomen pro munere, dono, & beneficio quolibet; inde ſic appellatum, quod vt plurimum qui munus aliquod accipiunt, illis bene precari ſoleant à quibus accipiunt. Rectè enim Dauid naturam cuiuſlibet hominis explicauit cum dixit. [a] *Con-* [a Pſal. 48.]
fitebitur tibi cum benefeceris ei. Laudabit & extollet te, hoc eſt enim *confiteri.* Quod ergo bona verba pariat beneficium, donum, munus; *benedictio* metonymicè eſt appellatum: nihil eſt enim quod homines facilius faciant & libentius, quàm bona dicta rependere pro benefactis. Hinc apud Iob *benedicere* poſitum eſt per eandem figuram,

pro

Digitized by Google

pro eo quod eſt munere afficere. [b Iob. cap. 31.20.] [b] *Si deſpexi,* inquit, *pauperem, eo quod non haberet indumentum, ſi non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus eſt.* Hic enim latera pauperis benedixiſſe Iob, eſt illa liberaliter ipſius munere ea eius velleribus eſſe contecta. In quam [e Pſ. 144.6.] eandem ſignificationem dicit alicubi Dauid [e] *aperire Deum manum ſuam, & implere omne animal benedictione.* Quia ea eius liberalitate cunctis aoimantibus tribuitur, quod ſingulis opus eſt. Vnde omnia deinde animalia laudant Domioum & pro modo ſuo gratias aguot. Quod vtromque in ſacris literis eſt *benedicere.* Io hunc ſeoſum benedictionis vocem accepit Aduentius Epiſcopus Mediomatricum in epiſtola ad Nicolaum Papam anno DCCCLXV. *Legatum,* ioquit, *veſtra dilectionis dirigimus & paruulam benedictionem, quam nimio veſtri amore ſuccenſi dirigimus, ea affectione ſuſcipiatis oramus, qua mittitur.*

Porro quem vſum habet *benedictio*, eundem habet Græca vox *eulogia*, quæ ad verbum eſt *benedictio*, & paſſim etiam à Latinis Patribus [d Epiſt. 1.] vſurpatur pro dono & munere. Paulinus [d] ad Seuerum: *Panem Campanum de cellula noſtra, tibi pro eulogia miſimus; tantum meritis in Domino tuis freti, vt plena ad te perferendum ſui gratia crederemus: in licet vberioribus micis à Domino ſaturatus ſis, dignare, & à peccatoribus acceptum in nomine Domini panem in eulogiam vertere.* Id eſt, in benedictionem. Eraſmus improbati nominis interpres, vult eulogiæ vocem non à λόγος *logos*, qui eſt ſermo & oratio; ſed à λέγω *lego*, qood eſt colligo deductum; & propterea opponi in D. [e 2. ad Cor. 9.] Paulo [e] *parcè ſeminare, & metere,* ad *ſeminare & metere in eulogiis*, quod noſter interpres eo loco vertit in *benedictionibus.* Vnde vult ipſe εὐλογίαν *eulogiam*, præſertim eo loco Pauli, congruentius verti *munificentiam*, ſiue *beneficam largitatem*, quæ opponitur parſimoniæ. Verum io eo quod vult eulogiam eſſe munificentiam, non omnioo fortaſſe decipitur; dummodo munificentiam accipiat pro re muoifice data; qui eſt effectus illius. Quod autem vult eulogiam dici *benecolectionem*, & non *benedictionem*; audiendus non eſt. Primo, quia noſter interpres eulogiam ſemper à logo deriuauit, vertendo *benedictionem.* Vnde & hoc loco Biblia regia, LXX. & Complutenſes habent, *Et nunc accipe eulogiam hanc.* Secundo, quia ratio etymologiæ ſatis conſtat: cur nimirum liberaliter datum nomine *benedictionis* appelletur. Sic enim ex duplici reſpectu nuncupatur; nempe tam dantis quam accipientis: dantis, quia proprium illius eſſe debet, qui beneficium præſtat, munus ſuum ornare verbis, & non illud vultuoſa oratione perdere. ex parte accipientis, quia munus quodcunque tale eſt, vt laudem & gratiarum actionem io dantem extorqueat.

Hinc duo diſcimus. alterum eſt eleemoſynam ipſam per ſe cauſam dantis agere apud Deum, etiamſi mutus, & ingratus ille ſit, qui accepit. Vt enim ille taceat, ſatis cooperta latera loquuntur; & veſtimenta pauperi collata per ſe ſunt abunde diſerta, vt colligitur ex Iob loco citato. Si enim ipſa eleemoſyna benedictio eſt, ſemper per ſe accepta, ſuo benedicit auctori, & coram Deo gratias agit. Alterum hîc obſeruandum eſt, vt quod aliis benefacimus, non in maius augeamus, ſed quantum poſſumus extenuemus, *benedictionem* potius appellantes, quàm *benefactum.*

Aduerte tamen, qood io etymologia, & deriuatione nominis inſiſtendo, *benedictio* ſolet potius ſignificare largam muoificentiam. quia populares acclamationes, voceſque gratias agentium, non extorquet, niſi effuſa benignitas. Qualis eſt Dei erga homines, & eorum eam etiam in animantes, & ſtirpes. Propterea *benedictio, & benedicendi* vocabulum in Hebræo dum io hac ſignificatione, nempe pro munere ſumitur, à piſcinis, & aquarum vbertate deriuatur. Quod nihil ſit in quo magis affluentia conſpiciatur, quam in irriguo fonte.

Da pueris qui ſequuntur te.] Mirè quidem per ſiogula verba hæc prudentiſſima fœmina Dauidis beneuolentiam captat; ſed hac officioſiſſima vrbanitate nihil poteſt eſſe venuſtius, aut efficacius ad illum ſibi demerendum. Extenuat enim munus quod attulerat; illudque non rogat vt ipſe ſibi Dauid, aut amicis accipiat; ſed vt in infimos famulos diſtribuat. Se enim non tanti eſſe, vt munera ſua digna Dauide putet. Satis ſibi, ſuperque futurum, ſi non indigna exiſtimetur quæ famulis ipſius ſeruiendo, aliquod Dauidi obſequium præſtare poſſit. Vide quæ diximus [f] de ſimili extenuatione munerum in fraudulenta oratione Siba. [f lib. 2. Reg. cap. 16.]

Qui ſequuntur te.] Hebraicè. *Qui ambulant in pedibus* quod Vatablus explicans vertit. *A pedibus* qui ſunt infimi in ſeruorum numero.

Aufer iniquitatem famulæ tuæ.] Placati animi argumentum eſt munera, quæ offeruntur admittere. Propterea dixit Abigail; *Aufer iniquitatem ancillæ tuæ,* id eſt ignoſce quæſo quicquid hîc peccatum eſt: quod, quicquid eſt in me luendum ſuſcepi; & oſtende te pepercisse accipiendo benedictionem hanc ancillæ tuæ. Sic Deus quorum vota placatus exaudit, eorum oblationes benignus admittit. Quare vbi in Geneſi de Deo ſermo eſt hominum generi placato, ad hoc ſignificandum dicitur oblatum ſacrificium admiſiſſe, odoratuſque eſſe odorem ſuauitatis. Quod Tertullianus [g] Hebraiſmum ſoluens vertit, *libenter odoratus.* [g lib. 2. cont. Marc.] Quod enim effectus ſit placationis, & iodicium tributæ veniæ læta munerum acceptio, poſitum etiam eſt apud Hebræos vnum pro altero; et is qui parcit, dicatur munera libenter accipere; qui vero parci ſibi poſtulat ſua non ſperni munera precetur. Sic apud ethnicos *litatum* dicebatur, cum ſacrificium rite à diis videbatur acceptum; & *litaſſe* erat numinis iram, indignationemque ſedaſſe. Quam autem Abigail *iniquitatem* appellat; ex Hebræo tranſgreſſionem, & rebellionem poſſumus intelligere. Loquitur verò de viri ſui iniquitate, quam in ſe luendam receperat, dum dixit; Mihi imputa ſi quod ab hoc peccatum eſt. Hanc autem auferri poſtulat, id eſt ſibi condonari. Hoc eſt enim *tollere, & auferre peccatum, & iniquitatem*, eius pœnam remittere, quod eſt illam condonare; inde ducta loquutione, quod munera antiquitus apud Hebræos, quæ diuino cultui offerebantur, ſimul tollebantur, & eleuabantur. vnde tollere, eſt *condonare*, & ſimiliter *auferre* quando cum peccato coniungitur. Vnde illud eſt B. Iob, [h] *Cur non tollis peccatum meum; & quare non aufers iniquitatem meam?* [h cap 7.21.] Fortaſsè autem in ſacro ſermone Deo placuit condonationem peccati ſic appellare, quod non aliter illa remittantur; niſi quia à Dei filio tolluntur. tolluntur, inquam, quaſi onus, quod à nobis, noſtriſque ceruicibus depellitur, & cui ipſe

succedit,

ſuccedit, humeroſque ſupponit. De quo apud i Cap. 53. Iſaiam [i]; *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.* Tulit, inquam, quia leuauit & ſibi impoſuit, quaſi aliò traoſportandos, & in profundum maris demergendos.

Faciens enim faciet tibi domum.] Parci ſibi ſuiſque poſtolat, quia rex futurus ſit Dauid. Ita k lib. 6. c. 54. Ioſephus [k] apud quem ſic Abigail. *Iram qua in virum meum, & familiam commotus es in gratiam meam remitte placatus; & hac munera propitius accipe. Decet enim clementiam regnaturum.* Et ſanè nulla virtus eſt, Regum magis propria, quam clementia. Qui enim debeant aliis magis pareere, quàm qui poſſunt maximè nocere? Ouidius.

Regia, crede mihi, res eſt ſuccurrere lapſis.

Qua de re plura paulo poſt & iterum ad illa ver- l lib. 1. Reg. cap. 22. ba ſequentis libri [l] *Manſuetudo tua ipſa me docebit.*

Domum fidelem.] ſtabilem, firmam, perpetuam, in ſæcula duraturam. Propterea fidelem. *Fidelem* enim dixit vel reſpondentem votis Dauidis; vel diuinis promiſſis; & vtroque modo ſtabilem intellexit. Quid autem ſit ſimpliciter m Oleaſt. in Cap. 1. & Cod. v. 21. Petr. Caiet. & alij cum Lipom. in Catena. *facere domum*; fusè alij [m] alibi declarant.

Malitia ergo non inueniatur in te.] Quidam ex Hebræo per præteritum vertunt boc facto. *Malum à diebus tuis non eſt inuentum vllum in te.* vel *mali nihil dum vixiſti in te hactenus inuentum eſt.* Sic Vatablus & Septuaginta. Noſter verò per optandi modum, & Complutenſes per futurum reddunt; in idem tamen ſenſus recidit, quoeunque modo legatur; niſi quod oratio maiorem emphaſim babet, vt eſt à noſtro ioterprete tranſlata. Nam & nihil hactenus à Dauide ſignificat iniquius admiſſum, & propterea ab omni poſt hac violentia maximè temperandum. Nam quia, inquit, te talem hactenus præbuiſti, & prælia Domini præliaris, domum tibi fidelem eſt erecturus. Non ergo gloriæ tuæ crimen inferas; eum te nonc exhibe, quem hactenus exbibuiſti, vt nulla in te malitia reperiatur. Malitia autem hoc loco Græcè, *chachia*, & Hebraicè *ghauon*, peccatum eſt, quod prudeotiſſima fœmina, dicit maximè Dauidi caueodum. Quia Dominus illi facturus eſt domum fidelem. Qua in re duo tacitè inſinuat, propter quæ omnes quidem; ſed maximè Reges & viri Principes præcipue, curare debeot ne malitia inueniatur in illis. Primum eſt ne ingrati ſint. Deus enim qui tot in illos & tanta contulit, qui ſuo numine peculiariter illis adeſt, quos fouet, effert, protegit, in inuidiam quodammodo adducitur, & quaſi in ſuffragio ferendo deceptus ſit, aliorum ſermonibus accuſatur, ſi ipſi peccant. Peccare ergo non debent, præſertim verò ab innoxio ſanguine temperare; ne gratia quæ Deo ab illis debetur, in maleficium vertat. *Deus*, inquit, *faciet tibi domum fidelem. Non* ergo *malitia inueniatur in te*, quaſi dicat. Caue ne ſuffragium illius de te, factis confundas; ne parem te factis neges ſpei, coi admotus es. Rex ab illo electus & deſignatus innocentia vitæ dignum te finge Deo. Alterum quod debet illos a peccandu reducere, eſt vt illorum *domus ſit fidelis & ſtabilis. Domum*, inquit, *fidelem tibi faciet Deus. Quid ergo. Non igitur malitia in te reperiatur.* quia nimirum hæc eſt, quæ domos ſubuertit & integras ciuitates ab imo diruit, & regna de- n Thren. c. 1. ſtruit [n]. *Peccatum*, inquit Ieremias, *peccauit Ieruſalem: propterea inſtabilis facta eſt.* Quia peccauit, *inſtabilis* facta, id eſt mota de loco ſuo, nec potuit in eo conſiſtere; ſed abducta eſt, & in Babylonem tranſlata, vt explicant dum literalem ſenſum huius loci proſequuntur Olympiodorus & alij [o]. & hoc eſt quod ſapiens abſolutè pro- o Raban Hugo, S. Thom. in c. 1. Thren. nunciat [p]; *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtitias & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos.* p Eccli. 10. 8. Rectè ergo concludit Abigail ad Dauidem, ſi tibi domom fidelem cupis & perpetuò duraturam, *malitia non inueniatur in te.* ſed hæc latiùs in diſputationibus proſequemur.

ỳ. 29.) Si enim ſurrexerit aliquando homo perſequens te, & quærens animam tuam; erit anima Domini mei cuſtodita, quaſi in faſciculo viuentium, apud Dominum Deum tuum: porro inimicorum tuorum anima rotabitur, quaſi in impetu, & circulo fundæ.

ỳ. 30.) Cùm ergo fecerit Dominus tibi domino meo omnia quæ loquutus eſt bona de te, & conſtituerit te ducem ſuper Iſrael,

ỳ. 31.) Non erit tibi hoc in ſingultum, & ſcrupulum cordis domino meo, quod effuderis ſanguinem innoxium, aut ipſe te vltus fueris: cùm benefecerit Dominus domino meo, recordaberis ancillæ tuæ.

Quaſi in faſciculo viuentium] Locus hic eſt obſcuritate ſua clarus, & inclytus, quem propterea ab huius prudeotiſſimæ fœminæ reliqua oratione ſeiunximus; vt maiore cum cura expenderemus. De eo autem cui non aliquid dictum? Vt propterea etiam obſcurior inde ſit redditus, quod tanta vndique expoſitorum varietate verius obrutus fuerit, quàm illuſtratus. Omiſſo ergo myſtico ſenſu, quem alij [q] proſequuntur, q Beda, Iſid. Euch. Raban. Angelom. vterque Hugo. & nos paulò poſt in loco reddemus, ſenſus proprius & literalis hîc à nobis quam breuiſſimè poterit expedietur.

Tota autem difficultas in tribus maximè ſita eſt, quibus explicatis, borum verborum ſententia clariſſimè conſtabit. Primum eſt, De quo hîc perſequutore, & de qua perſequutione loquatur Abigail. Secundùm. Quid intelligatur per faſciculum viuentium. Tertium. Quid ſit io eo animam eſſe alligatam.

De primo ſunt qui volunt Abigail per huoc perſequutorem deſignare Saulem. Ita Rabini & hebraixantes. Accedit Caietanus, & clarè Vatablus, qui ſic totum locum reddit ex Hebræo. *Inſurgat licet homo, nempe Saul, vt te perſequatur; & inſidietur vita tua; erit tamen anima Domini mei ligata in faſciculo.* Idem dominus meus diutiſſimè viuet colendo Deum. Addunt Hebræi apud Abulenſem conſultò dixiſſe Abigail *hominem* & non *Saulem*; vt abſtineret nomine malè ominato; & quia populus illum flagitauerat, non Deus elegerat. Sed aliorum communis [r] r Ita Lyran. Abulen Hugo Cardin. Dionyſ. ſententia eſt hîc eſſe ſermonem de perſequutione qualibet in genere. Quæ ſatis clare ex ipſo textu cui ſententia ſua non aliter conſtat. Senſus ergo eſt, quicunque contra té quomodocunque

Digitized by Google

que inſurrexerit; ſecutus & tutus ſemper eris, impetúſque & conatus hoſtium tuorum irritos cecidiſſe ridebis. Recte autem ſic cum ſuperioribus hæc connectuntur. Quia dixerat Abigail; factam iam Dauidi à Domino domum fidelem, & in præmium innocentiæ: ſubdit ergo; certo id & inconcuſsè futurum, quia etiam ſi innumeri in illum hoſtes, & aduerſarij conſurgant; illum tamen Deus ſit protecturus, & ab omni iniuria vindicaturus. Ita proximè adducti; quod an omni ex parte probabile ſit; paulo poſt conſtabit.

De ſecundo, in quo tota fermè ſita eſt difficultas, & ex quo aliorum intelligentia dependet; operoſior eſt diſputatio. Quid eſt *faſciculus viuentium?* Sunt qui *Limbum Patrum* intelligant apud Hugonem Cardinalem; nec longe abeunt, qui *collegium ſanctorum* interpretantur; quod appelletur faſciculus; quia ſancti pauci ſunt in comparatione reproborum; quia omnes numerati, & in manu Dei & Chriſti. *Viuentium* vero quia ea, quam ipſi viuunt eſt vera vita. Senſum ergo iſti [s] eſſe volunt, perinde ſecurum Dauidem in quacunque hoſtium ſuorum inſectatione futurum? vt illi ſunt, qui in faſciculo viuentium nihil ab vllo iniuriæ ſibi timent. Propterea non dici ab Abigail *Erit dominus meus in faſciculo*; ſed *quaſi in faſciculo*. Confirmari porro iſta poſſunt ex ſententia Hebræorum, qui vt hoc loco refert Iſidorus Clarus, faſciculum intelligunt ſolium maieſtatis, ſub quo dicunt animas iuſtorum in alio ſæculo quieſcere. Vnde & tumbis ſuis, inquit Clarus, hanc paſſim ſententiam inſculpunt. *Sit eius anima ligata in faſciculo viuentium.* Quod alij confirmant ex illo Apocalypſis [t] *ſub Throno Dei omnes ſancti clamant.* Clarè enim ibi indicatur ſub ſolio maieſtatis Diuinæ, quaſi in abſcondito faciei ipſius recipi animas iuſtorum. Alij [u] verò ex *faſciculo viuentium* ſic intellecto vulgatiſſimam illam ſcripturæ phraſim exponunt de ſanctis vſurpatam, qui cum decedunt, dicuntur *recipi, colligari, congregari, apponi ad patres ſuos.* quaſi ſcilicet ad faſciculum adiuncti. Denique non deſunt qui huius expoſitionis, qua per faſciculum viuentium ſanctorum collegium intelligitur, ſiue in Lymbo, ſiue in cælo, ſiue ſub Dei throno exiſtentium; non deſunt, inquam, qui auctorem faciant interpretem Chaldæum; qui ſic legit; *Erit anima mea alligata in theſauro vitarum ſeculi coram Deo.*

s Hugo Cardin. Dionyſ. Magiſ. hiſtor. hoc loco Ribera noſter in Amos c. 9. n. 8 Pineda in Iob cap. 14. 13.

t Cap.

u Antonin. Guev. in Abc.

Aſt alij pro *faſciculo viuentium*, legunt *faſciculum vitium.* Quam lectionem afferunt magiſter hiſtoriæ & alij. [x] & ſecundum illam gloſſa his antiquior ſic hunc locum exponit; *Faſciculus vitium viuit in aqua, cum ad tranſplantandum præparatur.* Quod vberius Lyranus explicans addit; *ſicut ramuſculi alibi tranſplantandi, vel inſerendi, in faſciculo ligantur; & in aqua ponuntur, & poſtea tranſplantantur, vel inſeruntur; ſic iuſti in præſenti vita conſeruantur in humore gratiæ, vt tranſplantentur in terram viuentium per adeptionem gloriæ. De quorum numero Dauidem hæc fœmina reputabat.* Sed hanc expoſitionem in mendoſa lectione fundatam reiicit Martinus [y] Delrio. Corrupte enim legi pro *faſciculo viuentium, faſciculum vitium*, docent exemplaria Latina accuratè emendata, Hebræus fons, verſio LXX. & Paraphraſis Chaldaica. LXX. enim habent, *In faſciculo vitæ.* Chaldæus, *In theſauro vitarum.* Hebræus textus ad verbum *In faſciculo vitarum.* Et Complutenſes, *In vinculo vitæ.* Vnde ergo venit in mentem hic vites inſerere, & faſciculum vitium, pro *viuentium faſciculo* corrupta lectione reponere?

x Lyran. Abulen, Dionyſ. Hugo Cardin.

y In ſacr. Adag. tom. 1. num. 153.

Tertiò ergo alij faſciculum viuentium intelligunt viuentes; non quoſcunque ſed qui peculiari ratione ſub Dei protectione degunt à periculis omnibus eius tutela ſeruati. Per circumloquutionem autem ſic illos Abigail appellaſſe, quos claſius poterat vno verbo deſignare. Quod non mirum, cum etiam periphraſes illas addenſet non neceſſarias. *Anima Domini mei erit*, pro tu eris. Suſcipiens benedictionem ancillæ tuæ, & *da famulis qui ſequantur Dominum meum.* Ita Abulenſis & alij [z].

z Caietan & Vatab à quibus puto non diſſentire Delrio loco citato.

Iam verò ex his iuxta hos omnes auctores facilè eſt Tertium expedire, nimirum quid ſit hoc loco *anima*; & quid in *faſciculo* illam alligari: eſt enim anima poſita pro vita, & ſenſus eſt *Dauidis vitam perinde ſecuram & tutam ab omni hoſtili incurſu futuram; ac ſi iam alligata eſſet vel collegio Patrum ſanctorum in limbo; vel vt conſeruantur ſurculi, qui reponuntur in aqua ad tranſplantandum.* Ita omnes adducti. Nam qui *animam* hic vitam æternam exponunt, nimis abeunt à ſenſu litterali, à quibus parum Vatablus abit præter ſolitum nimis hic allegoricus, qui vitam Dauidis eius poſteritatem exponit; vt ſit ſenſus daturum Dauidi Deum prolem, quæ diutiſſime viuat, & ſedeat ſuper eius ſolium.

Hæc alij. ex quibus nos vberiorem expoſitionem eiuſdem loci proponemus. In primis ergo certum illud, & omnibus exploratum puto: prudentiſſimæ huius fœminæ orationem hoc loco metaphoricam eſſe. Quod ante nos ab aliis [a] obſeruatum, ſatis per ſeipſa verba teſtantur. Nam & *anima ligari in faſciculo* niſi tranſlatè ſumpto vocabulo non poteſt; & cum additur particula quaſi *in faſciculo*, argumento eſt non proprie id, ſed per ſimilitudinem intelligendum. Tota ergo difficultas eſt quid per hunc faſciculum illã intellexerit, ad quem in hac tranſlata ſua loquutione reſpexit. Puto ergo faſciculum florum, & odoramentorum eam reſpexiſſe. In qua ſententia magis etiam confirmatus ſum vbi vidi illam etiam aliis [b] placere. Moueor primò quia apud Hebræos *faſciculus florum & odoramentorum* appelletur faſciculus *vitæ*, ſiue *vitarum*, & vt noſter loquitur, *viuentium.* Quod ſcilicet vitam ipſam vel reuocet fugientem; vel ſuſtentet & recreet languentem; vt ſit *faſciculus vitæ* quaſi viuificus, & vitam propter ſuauem olentiam ſpirans; ſicut etiam nos Itali de huiuſmodi dicere ſolemus, *che dà la vita.* Secundò quia *faſciculus viuentium* reſpondet ex oppoſito *rotationi fundæ.* ſicut ergo rotatio fundæ ſignificat quod quis à ſe longè proiicit; ita faſciculus viuentium, id quod in manus quiſque ſumit & retinet, & ori admouet. Tertiò quia ſumma ſimilitudo eſt inter flores, qui *in faſciculos alligantur*, vt manibus geſtentur odoris gratia; & iuſtos ipſos. Mirè enim geſtatio illa florum, id exprimit quod vult hæc ſancta fœmina, protectionem nimirum quam Deus habet Sanctorum ſuorum. Explicemus iam ſingula.

a Abulen. Vatabl. ibid. hic.

b Antonin. Guev. in Abc. cap. 5. Ioan. Oſor. in Euang. Dom. 5 poſt Epiph.

Primò Iuſti quique veluti flores ſunt Deo & hominibus. Audi quomodo illos appellet Spiritus ſanctus [c] *Obaudite me*, inquit, *diuini fructus.* vel vt Græca habent; *filij ſancti, & quaſi roſa*

c Eccli. 39. 17.

plantata

plantata ſuper riuos aquarum fructificate, florete flores quaſi lilium, &c. Et ſponſa de ſe quoties illud repetit in typo omnium iuſtorum, quod ſit quaſi *flos, roſa, lilium?* Præterea hi flores Deo
d Gen. 21.
ſuauiſſimè ſpirant; vnde illa ſunt; [d] *Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuauitatis*; non ex nidore arietis vſtulati, ſed ea iuſtitiæ fragrantia, quam ſpirabat Noe. Et Iſaac patris æterni no-
e Gen. 27. 17.
bis imaginem gerens, illa profert [e]; *Ecce odor filij mei quaſi odor agri pleni.* cum nimirum omnigenum florum copiam latè redolet.

Secundò. Ex iſtis floribus fit quaſi faſciculus qui in manu Dei geſtatur; tū vt ea illis ſe oblectet; tum vt illos protegat; Et vt quiſque ſciat haud illos poſſe impune violari, quod ſapientis
f Sap. 3. 1.
verba ſignificant [f]. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Ad quod ipſum reſpexit Dauid ad Deum de ſanctis
g Pſal 30. 21.
loquens [g]; *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à contradictione linguarum.* Faſciculi enim iſti florum à quo geſtantur, odoris gratia ori identidem & naribus admouentur.

Tertiò, hinc optimè intelligitur qualis hæc ſit comparatio, qua vtitur Abigail. Quemadmodum enim ſi in alicuius Regis manu tales flores eſſent, nullum periculum illis immineret, quòd illos nemo vel carpere vel decutere vel leuiter auderet attingere; ita anima & vita iuſtorum in quorum numero Dauid, cuſtodita erit *in abſcondito diuinæ faciei*; id eſt ſub tegumento & protectione faciei diuinæ; quaſi id quod ſemper ante oculos, & nares habet. Cætera enim Regum aliquid ab aliis pati poſſunt: At ea quæ ipſi geſtant in manibus ſemperque ante os, & oculos verſant, quis auſit attingere? Hæc in ſenſu litterali, qui totus tamen eſt metaphoricus. Cætera quæ ad hunc locum myſticè illuſtrandum pertinent, in diſputationibus exequemur.

Inimicorum tuorum anima rotabitur; quaſi in circulo fundæ.] Nam impij extolluntur, vt deiiciantur, quod fit in iactu lapidis ex funda. Certe ſi quis lapidis ſtatum attentiùs æſtimet, antequam funda rotetur, optimè cum illo agi putabit. Primum enim à funditore ſeligitur; tum peræ cuſtodiendus immittitur; inde extractus attente cauo fundæ inſeritur, libratur, extollitur, circum iacientis caput adducitur, omnia prorſus ob quæ ſibi maximè lapis applauderet, ſi lapis non eſſet. At quid inde? Poſt hæc omnia, quæ videntur ad lapidis exaltationem magno impetu lapis excutitur, alliditur, frangitur, & ſolo redditus ictum inter ſua rudera ſepelitur. Sic impij

[h] *tolluntur in altum,*
h Claudian. in Ruffinum lib. 1.
Vt lapſu grauiore ruant.

Quin minus hoc exprimit, quàm verè ſit. Nunquam enim verè in altum tolluntur nunquam exaltantur; ſed tunc etiam deiiciuntur dum ex-
i Pſal. 72.
tolli videntur [i]. *Deiecisti*, inquit, *eos, dum eleuarentur.* Non poſtquam eleuati deiecti: ſed ipſa eorum eleuatio deiectio erat; & propterea deiecti dum
k Ariſt. 7. Phyſ.
alleuatērut. Motus enim omnis ſpeciem ſuam ſumit à termino, vt axioma eſt Philoſophorum [k]. Cum quis ergo brachio quid attollit, num motus ille ſit alleuatio, aut depreſſio ex eo vbi ſiſtit motio eſt decidandum; ſi in ſublimi, alleuatio eſt; ſi deorſum, vno ductu vergit; vbi tandem clauditur, depreſſio eſt. Quia ergo tota impiorum alleuatio continenti ductu ad ima deprimitur, nullo modo exaltatio dicenda eſt, ſed deiectio. At cur hæc alleuatio impiorum rotationi fundæ, & ipſi impij lapidibus rotatis comparantur? Quia dum illos Deus exaltat, & exaltando deprimit, iis vt lapidibus vtitur ad aliorum duritiam frangendam, contumaciam vindicandam, peccata denique omnia etiam ſeruorum ſuorum punienda. Quomodo lapide quis vtitur ad aliud deturbandum? Ad illud lapidem incutit, & ita lædit, vt ſimul lapis ipſe incuſſus diſſiliat, & fractus etiam minuatur. Sic impij ſeruos Dei ad eorum ſuperbiam ſanandam & animos deprimendos vlciſcuntur ſuper illos impoſiti, & poteſtatem nacti ad illos ſubiugandos; ſed eadem opera ipſimet; qui percuſſerunt percuſſi diſſiliunt & frangun- l Ierem. 30. 17.
tur [l]. *Qui comedunt te, deuorabuntur; & vniuerſi hoſtes tui in captiuitatem ducentur.* Sic Deus populo ſuo promittit per Ieremiam, & in populo ſuo iuſtis omnibus. Illuſtribus in hanc rem exemplis vniuerſæ hiſtoriæ refertæ ſunt. Inſigne illud eſt quod anno Domini contigit DCCCIL. de m An Dom. 849.
quo Baronius [m]. Multa Romani peccauerant, & in cultu B. Petri ſupino animo multa tranſmiſerant, flagitia ſuccreuerant, morum diſciplina labebat. Quid factum? Viſitauit Deus iniquitatem populi ſui: lapidem ſelegit, quem miſit in fundam, & circunductum impegit in vrbis mænia. Saracenos enim gentem validam armauit, qui copiis ingentibus Vrbem irruentes diripuerunt, & in ea diu barcbati, templum etiam D. Petri aggreſſi ſunt, & expilarunt. Côuerſi hinc Romani ad Patronos ſuos, & lapis hic qui alias alleuatus percuſſerat, etiam fractus eſt. Saraceni enim victoria læti, præda ditati, ſarta ſupellectile naues onuſtas in Africam ſoluerunt, & ecce tibi ad orationem pij Pontificis tempeſtas ſubitò coorta

Disiecitque rates, euertitque æquora ventis

Eo ſucceſſu vt omnes vel demerſi perierint; vel ad littus deiecti in Romanorum poteſtatem deuenerint; à quibus alij ſuſpenſi, maior pars catenati ad opus addicti ſint in obſequium eius templi quod expilauerant.

Abigail ergo hac comparatione dum vtitur, tacitè futurum ſignificat vt Saul, & alij, quicunque Dauidem perſequuntur; qui nunc quaſi lapides in funda, ſublimes eſſe videntur procul excutiantur, & alliſu ſuo quo alios offendunt, ipſi penitus atterantur.

℣. 32.) Et ait Dauid ad Abigail; Benedictus Dominus Deus Iſrael qui miſit hodie te in occurſum meum; & benedictum eloquium tuum.

℣. 33.) Et benedicta tu, quæ prohibuiſti me hodie, ne irem ad ſanguinem; & vlciſcerer me manu mea.

℣. 34.) Alioquin viuit Dominus Deus Iſrael, qui prohibuit me ne malum facerem tibi; niſi citò veniſſes in occurſum mihi, non remanſiſſet Nabal vſque ad lucem matutinam mingens ad parietem.

℣. 35.) Suſcepit ergo Dauid de manu eius omnia, quæ attulerat ei: Dixitque ei; Vade pacificè in domum tuam, ecce audiui vocem tuam, & honoraui faciem tuam.

Honoraui faciem tuam.] Honorate faciem

alicuius in ſacris literis eſt aliquid in gratiam illius præſentis accipere quod ipſe donauerit, aut facere quod poſtulauerit: ſicut enim faciem, vel vultum alterius ignominia afficere dicuntur, qui coram illius munera reiiciunt, vel poſtulata repellũt; quod in ſacris litteris eſt *faciem confundere*; ſic qui votis annuunt, coram aliquid poſtulantis, vel offerentis, illius *faciem honorare dicuntur*. Quod aliter etiam Scriptura dicit *faciem reuereri*. Vere enim hoc pacto facies illius dupliciter honoratur. primo illius pudori parcitur & verecundiæ conſulitur. Qui enim ſpe ſua cadit precibuſque fruſtratur, coram eo maximè confunditur à quo repellitur. Secundo, quia quod quis negaturus erat abſenti, ſi præſenti tribuit, ipſius ſe vultum ſignificat reuereri. Quod ne

l Deuter. 11. Prouer. 28. 21. fiat in iudicio vetat ſeuere Deus [l] edicens ne *potentium vultus in eo reſpiciatur*; id eſt æquo plus honoretur, aut timeatur aliter ipſis præſentibus in eorum fauorem vel aliorum odium conniuendo, quam cauſa poſtulet.

m Eccli 7. [m] *Noli*, inquit, *fieri iudex, ne extimeſcas vultum potentis, & non valeas irrumpere iniquitatem*. Reliqua quæ huc ſpectant in diſputationibus.

℣. 36.) Venit autem Abigail ad Nabal: & ecce erat ei conuiuium in domo eius, quaſi conuiuium Regis, & cor Nabal iucundum: erat enim ebrius nimis: & non indicauit ei verbum puſillum, aut grande vſque ad mane.

℣. 37.) Diluculo autem cùm digeſſiſſet vinum Nabal, indicauit ei vxor ſua verba hæc, & emortuum eſt cor eius intrinſecus, & factus eſt quaſi lapis.

℣. 38.) Cumque pertranſiſſent decem dies, percuſſit Dominus Nabal & mortuus eſt.

Circa hanc Abigail ad virum regreſſionem quinque ſunt breuiter obſeruanda. Primò in quo ſtatu & articulo Nabal offenderit. Secundò. Cur tum ei nihil eorum quæ geſta fuerant, indicauerit. Tertiò. Quando ea demum nunciauerit. Quartò. Vnde Nabal tantopere ea eius oratione perculſus. Quintò denique quomodo Nabalis interitus hinc ſequutus.

De primo Scriptura refert commodùm ad virum Abigail perueniſſe cum bis ſodalibus & amicis adiunctis in omnem lætitiam effuſus opiparè conuiuaretur. *Erat*, inquit, *illi conuiuium quaſi conuiuium Regis*. Opiparum nimirum & apparatiſſimum. Quæcunque enim magnificè ſplendideque parantur, in ſcripturis non ſolum, ſed etiam à profanis auctoribus *regiè* parari dicuntur; Quod Regum ſit humile nihil admittere.

n In Pen. Hinc apud Plautum [n] *baſilicè, ſiue Regiè agere, ſaluere, & viuere*, pro eo quod eſt magnifice, & quantum quiſque cupit optatiſſime. maximè verò vbi conuiuij alicuius ſplendor exaggeratur, id inſtructum Regiè dici ſolet, quod apparatiſſime ea opipareque ſtruatur. Vnde illud huic ſimile quod tractamus.

o Sil. Ital. lib. 11. [o] *Regificè extructis celebrant conuiuia menſis.*

Et Virgilius,

——— *Epulæque ante ora parata.*
Regifico luxu.

In eiuſmodi ergo conuiuio cunctis in feſtam lætitiam ſolutis ebrius agebat Nabal vbi ad illum Abigail regreſſa.

Quoad ſecundum ſuperſedit Abigail eo tempore quicquam eorum quæ acciderunt indicare. primo ne conuiuas turbaret. Illiberalis enim hominis eſt vbi quos aduocaueris, vt eos domi tuæ feſta hilaritate recipias, eos triſti nuncio percellere, & domeſtica vel mala, vel infortunia, aut ſi quid in familia aut aliter turbatum fuerit, coram illis arguere, aut lamentari. Secundo quia licet exteri conuiuæ abfuiſſent, Nabal vino grauis ſana monita non admiſiſſet. Diſſimulauit igitur Abigail, & in lætitiam ipſa quoque compoſita conuiuialem hilaritatem adauxit aduentu ſuo.

Quoad tertium quando illum adiuerit, & geſta indicauerit; Scriptura dicit; *Poſtera die diluculo.* quando ſcilicet crapulam iam Nabal edormiuerat. Vtrumque cautè, & circunſpectè; quod poſtera die, & quod diluculo. *Poſtridie*; quia, vt vt iam dixi, Nabal in vino concoquendo occupatus, minus habebat otij ad Philoſophandum, & aures Abigaeli præbendas, officia ſibi boni viri, in quæ tantopere ipſe deliquerat commemoranti. *Diluculo* verò, vt prima viro renunciaret, quæ ſcire illum opus erat: Ne ſi fortè quippiam ad ipſum aliunde manaret, apud illum minus obtineret, quod ipſa prima nuncium afferendo ſpectabat. Quod erat vel illius animum placare, vel emollire.

De quarto vnde tanta in Nabal ex vxoris oratione commotio. Scriptura aliud ſignate non refert quam illum poſt Abigail verba commotum. Explicari igitur hoc minus poteſt, niſi ſimul explicetur quid illud fuerit, quod Abigail illi indicauit. Quid ergo hoc fuit? Scriptura diſtinctè non exprimit; ſed quæ facta fuerant indicaſſe refert. Multa autem facta fuerant. Quid ergo ex his nunciauit? An omnia? An vnum aliquid? & cur potius hoc quàm illud? *Diluculo* inquit, *cum digeſſiſſet vinum indicauit ei vxor ſua verba hæc*. Id eſt, hæc facta, hæc geſta; conſueta Scripturæ phraſi in qua *verbum* pro re geſta ponitur: & *verba nunciare*, pro eodem eſt ac illa referre, quæ in negotio aliquo contigerunt. Multa autem ſine dubio hoc exiguo temporis interuallo tranſacta fuerant. Dauid enim ſuos armauerat, aciem ex illis inſtruxerat, in Nabalis domum direxerat, eam expugnaturus, & omnes ex ipſius familia cum Nabale perditurus; obuiam illi proceſſerat Abigail, munera quæ maritus abnuerat, ipſa cumulatiùs inſtruxerat, adiuerat, placauerat, & acceptis muneribus dimiſerat. Quid ergo horum indicauit, aut quod in iſtis fuit quod nunciatum Nabali illum tantopere perturbauerit?

Communis recentiorum ſententia eſt extremum certi exitij periculum nunciatum, à quo ea duritia ſua proximè Nabal abfuerat, ſi Dauid in ſententia perſtitiſſet, & illius iracundiam Abigail non mitigaſſet. Eo enim audito feciſſe Nabal quod repente deprehenſi in ſumma crepidine montis vnde in immenſum horribile præcipitium dehiſcat. Attoniti enim obſtupeſcunt, & ſine ſenſu in veſtigio figuntur. Sic Nabal propoſito ſibi rerum omnium ſuarum interitu à quo tam prope abfuerat, ex vicinia ſupremi periculi horrore perfuſum obriguiſſe. Sic vt dicebam recentiores [p]. At vereor vt hæc expoſitio ſolida omni ex parte ſit. Primò enim eſto

p Vatabl. Caiet. Sanc. bic. Salian. an. mun. 1997.

Digitized by Google

eſto; ex vicinia ingentis periculi homines obſtupeſcunt, rigent, attoniti redduntur, & ſine ſenſu. At id tantiſper dum putant adhuc in eo ſe periculo verſari, aut vere verſantur. At vbi illud euanuit, & euanuiſſe cognoſcunt, animum ſtatim reſumunt & recolliguntur. Stupet attonitus, ante cuius oculos in immenſam voraginem terra ſubitò dehiſcit; nec ſibi redditur. Quare? Quia ita videt periculum, vt in eo ſentiat adhuc ſe maximè verſari. Stupet attonitus prope quem turris fulmine percuſſa deiicitur; at ſibi redditus ſtatim reſpirat vbi videt ſe periculo defunctum. Ratio autem huius rei eſt, quia timor omnis eſt impendentis mali, non præſentis. Si ergo quod impendet, euitari poſſe ſperatur; ceſſet timor. Si non poteſt; iam timor in triſtitiam vertitur. Malum enim quod ita impendet vt euitari non poſſit, & id aduertitur; non futuri iam, ſed præſentis rationem habet. Magnum enim iam, & præſens malum eſt in eo ſtatu eſſe, vt malum quod inſtat, euitari non poſſit. Ideo qui in eo eſt, non iam amplius in timore, ſed triſtiſſimus eſt. At hæc quem locum in Nabal habebant? Nuntiatum illi eſt maximum periculum, cui ipſe cum ſuis omnibus tam proximus fuerat, quam qui in eo maxime verſantur. At ſimul nunciatum eſt illud periculum difflatum. Vnde ergo tanta in eo perturbatio aut qualis? An timor? Et quid timeret, cum iam ſe omnia diceret Abigail auertiſſe? Triſtitia? Ex quo? An quia periculum euaſiſſet? At hoc materia gaudij, non mœroris erat. Eſto ergo quod interim dum Abigail iram Dauidis exponeret, illius apparatum deſcriberet, inſtructam comitum aciem & omnium animos in exitium Nabalis intentos, ipſe Nabal contremuerit, horruerit, attonitus hæſerit. at cum continuato ductu illa ſubiecit, totam illam tempeſtatem à ſe precando diſcuſſam; ſine dubio debuit ſerenari. Cum quiſpiam aliquando neſcio qua de cauſa ſubita formidine eſſet occupatus,

a Virgil, 3. Æne.

Obſtupuit, [a] ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit.

At quandiu hoc? Donec aduerteret id quid eſſet quod obiectum, tanto ſe horrore perfuderat. Vbi enim ſenſit, vel id non tantum malum eſſe, quantum prima ſe ſpecie ferebat; vel ſi magnum, iam euanuiſſe, & ſtupor excuſſus, & comæ demiſſæ, & vox faucibus reddita eſt. Nec aliter eſſe poteſt. Vbi enim cauſa timoris abeſt, ibi locum timor habere nequit. Ibi autem timendi cauſa non eſt, vbi malum quod impendebat difflatum eſt; vel quod ignoratum, cæca formidine turbabat animum, quale ſit deprehenſum eſt. At quid ſi loco timoris ſuccedat mœror? Primò, id non eſt, niſi quando quod primò timetur, aduertitur vitari non poſſe; quod locum non habet in Nabal, qui non ſolùm poſſe vitari, quod primò timuerat agnouit; ſed iam eſſe vitatum. Secundò etiam vbi timorem mœror ſequitur; nihil hoc ſecius attonitæ mentis ſtupor excutitur. Ouidius in his vicibus mœroris & timoris verſatus.

b De triſtib. lib. 1. elid. 3.

[b] Non aliter ſtupui, quam qui Iouis ignibus ictus
Viuit, & eſt vitæ neſcius ipſe ſuæ.
Vt tamen hanc animi nubem dolor ipſa remouit,
Et tandem ſenſus conualuere mei.

Non ergo ſolum mentis ille ſtupor attonitæ diſcuſſione periculi cuius timore creatus eſt, planè diſcutitur; ſed etiam ex dolore, & triſtitia ſubſequente: ſi quod primo, dubia formidine trepi-

datum eſt, ita ſeotiatut inſtare, vt propelli non poſſit. Et hoc, conceſſo, propoſitum quod Dauid habuerat, vniuerſam Nabalis domum exeidendi, Nabali ipſi nunciatum, meritò potuiſſe, aut debuiſſe tanto eſſe terrori. Quid enim hic noui audiuit? Dauidem deſtinaſſe ipſum perdere, in id ſuos armaſſe, & inſtruxiſſe. At quid interim ipſe? Non ſuos habebat? Non domi ſuæ tutus erat oppugnandus? Ad ſummum ergo certum erat certæ pugnæ periculum; in qua vt varius eſt euentus belli, tam timendum erat aggreſſoribus, vt oppugnatis. At Dauid cum quadringentis aduentabat; & numerus familiæ Nabal fortè hunc excedebat; quod ſupra fidem non putabit, qui nouit quot examina ſeruorum veteres alere ſolerent. Denique Nabal Dauidem pro fugitiuo habebat, pro perduellionis damnato, pro latrocinantium duce & anteſignano, qui ſibi & ſuis raptò & violenter victum quærebat. Quid ergo ad hoc vt inauditum, & inopinatum tantopere formidare? cùm præſertim quod ſæpius eſt repetendum, eodem nuncio & periculum audierit, & præteriiſſe cognouerit?

Quid ergo fuit hoc quod nunciatum, Nabalem tanto ſtupore defixit, attonitum reddidit, & ex ingenti triſtitia ſine ſenſu? Puto viro ſuo Abigail ante omnia nunciaſſe quæ ipſa munera Dauidi detulerat, ad periculum quod ab illo imminebat, diſcutiendum; & hoc audito Nabal conſternatum, non tam timore periculi, quod iam nullum erat, quam ſtimulis auaritiæ confoſſum. Hanc eſſe ſententiam veterum Hebræorum teſtatur Abulenſis, veram autem eſſe res ipſa loquitur, & ea quæ de Nabal hîc & paulo ante in Scriptura narrantur.

Quid enim præmittitur? Ipſum præparcum fuiſſe, rei ſuæ attentiſſimum & ſeruantiſſimum, durum, immitem, & ad aliorum preces inflexibilem. Audito ergo tot, & tanta ab vxore Dauidi donata, totus contremuit amiſſæ rei dolore perculſus, non tranſacti periculi horrore percuſſus. At mirum & nouum eſt adeo quenquam cupidum, reique ſuæ tenacem, vt ex tantulæ rei iactura tanti poſſint in eius animo fluctus excitari. Itane verò? An affectus vllus eſt, qui planè poſſit homines in lapides immutare, ſi iſte non eſt? Nec ea quæ Abigail aſportauit ex domo, & Dauidi dedit, tantula dicenda ſunt, ſi auari æſtimatione pendantur; ſed prorſus ingentia. Audi Scripturam. Ducenti panes, quinque arietes, quinque ſata polentæ, duo vtres vini, ligaturæ vuæ, maſſæ caricarum. An hæc omnia exigua ſunt, illi præſertim cui paulo ante graue, & magnum fuit aquas ſuas dare? Adde obiectum Nabali eſſe hæc initia dolorum; nec ludum hîc finiendum, ſed exemplum deinceps ſæpius repetendum. At ægrè adeo harum rerum iacturam ferre non poterat alioquin tam liberalis, vt conuiuio regio inſtructo conuiuas exciperet: quaſi vero prouerbij loco non iactentur auarorum cœnæ. Quo enim quis parcior & auidior, eo aliquando profuſior vbi & quando non debet. Nec eſt ea profuſio argumentum liberalitatis; ſed animi nimia repletione laborantis. Maneat ergo Nabal obſtupuiſſe ad nuncium Abigail ex rei domeſticæ dolore, quam videbat ab illa tam enormiter diminutam. Si hoc enim Nabal non perturbauit ei nihil potuit indicari, quod hos poſſet in illius animo motus excitare.

Quintum iam reſtat explicandum. Quomodo

ex hac animi commotione Nabalis interitum ſequutus. Scriptura dicit morbum prius præceſſiſſe, decem inde poſt dies interitum ſequutum. Morbus illis verbis indicatur. *Emortuum eſt cor eius intrinſecus; & factus eſt quaſi lapis.* Quod ſignificat eum tanto mœrore correptum ex ſubſtãtiæ & facultatum ſuarum diminutione, vt immobilis hæſerit & ſine ſenſu; perinde ac ſi lapideus effectus eſſet, aut cor quod principium ſentiendi eſt, emortuum in ipſo fuiſſet. Particula enim *quaſi*, ante *lapis* claré præpoſita, tacite etiam ante *emortuum* eſt præmittenda, conſueto ſcriptoræ more, in qua particula hæc ſæpius omittitur, nihilominus intelligenda, vt eſt à nobis alias obſeruatum. Interitum verò decimum poſt diem ſequutum dicit. De quo dubium quomodo, aut à quo an nimirum ex morbo ab agitatione illa ingentique mœſtitudine contracto; & ſi ille, quis morbus fuerit. Ratio autem dubitandi eſt ex vna parte: quia morbus in cauſa fuiſſe videtur. Dicitur enim præceſſiſſe, & ad ipſum interitum perduxiſſe. At quod aliud argumentum mortis ex morbo aliquo ſequutæ, quàm morbum præcedere, & ad mortem vſque perſeuerare? At ex alia parte ſcriptura indicat à Domino percuſſum, & ex ea percuſſione expiraſſe. Sed dicendum ex morbo interiiſſe. Quis iſte? Quem *ſiderationem* vocant, qua pars aliqua corporis, vel totum corpus neruis obrigentibus immobile defigitur. Quod vitium quia repente ingruit, & toto impetu incumbit, quaſi è cælo miſſum *ſideratio* nuncupatur? Et hinc eſt quod ſcriptura ſignificat à Domino percuſſum dicens. Morbus enim ille à cælo, à ſideribus, à Deo ipſo eſſe videtur; quod nulla eius cauſa pateat, aut clare cernatur. Quæ ergo poſt vxoris aduentum, & allocutionem cum Nabal acta ſunt, ſic ſunt diſponenda. Primum enim nuntium audiuit, inde ex iactura rerum ſuarum hæſit immobilis, tum facilè fuit vt ex illa triſtitia ſideratio ſequeretur, ex qua poſtmodum confectus eſt. Quod totum Ioſephus non obſcure ſignificat, morbum quo Nabal extinctus eſt *ſiderationem* appellans, eumque non ex timore periculi contractum; ſed ex mœrore diminutæ ſubſtantiæ; quam etiam in poſterum exemplo ſimili videbat minuendam. Et hæc in vniuerſum. Nunc ſi quid in ſingulis verbis eſt ſalebræ complanemus.

Erat ei conuiuium.] Ad veſperam Abigail eſt egreſſa; quo diei tempore apud Hebræos feſta conuiuia celebrabantur. Vnde eſt quod toties in Euangelio cum lautiores epulæ memorantur, & in exemplum trahuntur, nunquam prandij, ſed cœnæ mentio fiat. Qua de re alibi in apparatu.

Quaſi conuiuium Regis.] Sic ſunt auari & præparci: aut nihil, aut omnia; & vtrobique quando & vbi non debent. Ob id nulla apud quemquam gratia, ſi quid bene faciunt; & ſummo cum pluribus eorum odio? quod plurimis obſint; aut, cum nullo ſuo incommodo poſſint, prodeſſe nolint. Cæterum auarorum conuiuia cum præter ſolitum inſtituuntur, loco iam prouerbij ceſſerunt apud plures gentes vt pro lautiſſimis, & magnificentiſſimis vſurpentur. Quod enim raro, vel ſemel in vita fecerunt, id ſi occaſione aliqua aggrediantur, in eo non largi ſunt ſed profuſi. Vt iam ſciant omnes nullibi, & apud nullos lautè magis & opiparè dapes inſtrui, & conuiuia parari, quàm apud auaros.

Erat enim ebrius nimis.] Hæc cauſa ſubiicitur cur Nabal tam lætus ageret, interim dum ſua à tot ſimul muribus arroderentur. Erat enim ebrius, quod ſi ſui compos fuiſſet, nunquam tam læto animo ſua conſumi vidiſſet, quantumuis vltro qui comederent aduocaſſet. At vinum largius epotum cauſas omnes mœroris excluſit. Vbi enim quis ſe liberalius inuitauit,

[a] *Tunc veniunt riſus, tunc pauper cornua ſumit* a Ouid. 1. de arte.
Tunc dolor & cura rugaque frontis abeſt.

At quod hic Scriptura dicit videtur nonnihil habere difficultatis. *Iucundus*, inquit, *erat; quia ebrius nimis.* Ebrietas enim mœrorem diſcutit & in lætitiam animum diffundit vbi moderata eſt: ſi modum excedat, non iam riſus inde & lætitia; ſed triſtitia mœror, & rixæ ſuſcitantur. Vnde ille.

[b] *At ne quis modici tranſiliat munera Liberi:* b Horat. Od. 18 lib. 1.
Centaurea monet cum Lapithis rixa ſuper mero
Debellata

Sed dicendum id non eſſe perpetuum; ſed pro eorum ingenio variari, qui vino ſe proluunt; Quoſdam enim reperias, qui quo magis ebrij ſunt, eo in lætitiam magis effuſe ſoluuntur; donec tandem defatigati ſomno & ſopore obruantur.

Non indicauit verbum.] *Verbum* hîc, vt ſæpe monui pro facto, & re ipſa ponitur: in quam eandem ſignificationem paulo poſt etiam ſumitur. *Indicauit*, inquit, *ei vxor ſua verba hæc*, id eſt res iſtas quæ acciderant.

Et emortuum eſt cor ipſius intrinſecus.] Subaudienda vt monui particula, *quaſi*. neque enim verè cor mori potuit, & Nabal in vita ſupereſſe. Mortuum autem dicitur, quia perinde ſtupidus hæſit Nabal, ac ſi cor, quod vitæ principium eſt, & ſenſus omnis, & motus origo in animali, extinctum eſſet. Sæpiſſime autem in ſacris libris eſt obſeruare particulam hanc omitti, quæ tamen eſt neceſſario ſupplenda. Qua de re alibi. Cæterùm verbis iſtis exprimitur quos affectus ſoleat in auari animo rerum ſuarum iactura vel viſa vel audita mouere. Tanto enim ex ea mœrore deiicitur, vt inde exanimetur, id eſt quaſi anima amiſſa obrigeſcat omni motu priuatus. Nam nec exterius quicquam ſe commouet; & ſi interius ad ſinum manus admoueas, totus friget. Propterea Scriptura dicit; *cor emortuum*, quod ſignificat intrinſecus omni motu deſtitutum. & ſubdit *quaſi lapidem effectum*, vt indicet etiam extrinſecus ab omni motu ceſſaſſe, in veſtigio planè defixum, qui ſolent effectus eſſe ſummi mœroris.

Poëta feſtiuiſſimus alicubi deſcribens auari hominis ſtatum in ſubita rei ſuæ iactura deprehenſi, ſic illius affectus graphicè proponit; Inducit enim Euclionem ſenem parciſſimum, qui ſuſpicatus ollam auro plenam ſibi furto ſublatam, extra ſe plane poſitus, hæc ſecum eiulando miſerè lamentatur.

[c] *Perij, interij, occidi, quo curram? quò non curram?* c Plaut. in Aul.
Tene, tene: quem? quis? neſcio: nihil video, cæcus eo atque
Equidem quò eam, aut vbi ſim, aut qui, nequeo cum animo
Certum inueſtigare.

Sane hæc homines ſunt in lapidem mutati; ſi poſtquam lapis effectus eſt, loqui poſſet. Quod enim de Nabal ſcriptura dicit, ſenex iſte fatetur,

Cor

Digitized by Google

Cor in ſe ſuum ſibi emortuum. *Perij*, inquit, *interij, occidi*. & totum ſe quaſi lapidem effectum. *Vbi ſim*, inquit, *aut qui nequeo cum animo certum inueſtigare*. Lapidis enim hæc verba ſunt hominis adhuc figuram gerentis; & non hominis, ſi rectè æſtimentur.

Diluculo.] Pridie, veſpere lætus, & ebrius; poſtridie ſummo mane triſtis & ſobrius. ſic oppoſitæ ſunt iuſtorum & peccatorum vices. De illis enim dicitur [a], *Ad veſperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia*. Dolor, lachrymæ gemitus præcedunt, & finiuntur. poſtmodum lætitia, riſus, gaudium ſiue fine duratura. At impij hîc in peruigilio triumphant, vt feſta die perpetuo triſtentur. Id quod Nabal peccatorum typus egregius hîc exprimit exemplo ſuo. Veſpere conuiuatus, & multo vino in omnem lætitiam ſolutus, euigilat ſummo mane perpetuo infortunio plectendus.

a Pſal. 29.

Percuſſit Dominus Nabal.] Quia morbus, quo extinctus ſideratio fuit, qui quod ſubitus ingruat, & certam patentemque cauſam non habeat, cœlo & ſideribus imputatur, aut vltori numini facta hominum impia, quamuis occulta debito ſupplicio plectenti. Cæterum hic etiam aduerte quam iuſtè reſpondeat pœna delicto. Nabal enim qui durus, immitis inflexibilis; & plane ſine ſenſu erat ad aliorum preces, alia pœna mulctatus non eſt; quam vt totus lapis efficeretur, qui corde lapideo ſolitus erat aliorum calamitates excipere.

ỽ. 39.) Quod cum audiſſet Dauid mortuum Nabal, ait: Benedictus Dominus qui iudicauit cauſam opprobrij mei de manu Nabal, & ſeruum ſuum cuſtodiuit à malo, & malitiam Nabal reddidit Dominus in caput eius. Miſit ergo Dauid, & loquutus eſt ad Abigail, vt ſumeret eam ſibi in vxorem.

ỽ. 40.) Et venerunt pueri Dauid ad Abigail in Carmelum, & loquuti ſunt ad eam dicentes; Dauid miſit nos ad te, vt accipiat te ſibi in vxorem.

ỽ. 41.) Quæ conſurgens adorauit prona in terram; & ait; Ecce famula tua ſit in ancillam, vt lauet pedes ſeruorum domini mei.

ỽ. 42.) Et feſtinauit, & ſurrexit Abigail, & aſcendit ſuper aſinum, & quinque puellæ ierunt cum ea, pediſſequæ eius & ſequuta eſt nuncios Dauid: & facta eſt illi vxor.

ỽ. 43.) Sed & Achinoam accepit Dauid de Iezrael: & fuit vtraque vxor eius.

ỽ. 44.) Saul autem dedit Micol filiam ſuam vxorem Dauid, Phalti filio Lais, qui erat de Gallim.

Audita morte Nabal narratur hîc quomodo ſe Dauid deinceps geſſerit. Primò erga ipſum Nabal. Secundò erga Abigail. Tertiò quid ipſa egerit Abigail.

Sopran. in Dauid.

De primo dicitur ob Nabalis interitum Dauid Deo gratias egiſſe. Qua in re dubium eſt quàm rectè id egerit, & an in eo functus officio boni viri. Ratio ambigendi. Primò quia non licet de aliorum infortuniis gaudere. Si enim præceptum eſt flere cum flentibus ſi iubemur aliorum mœſtitiam doloremque conſolando detergere; quæ iniquitas hoc non ſolum non agere; ſed inſuper eorum lachrymas acerbare ridendo? Et mala quibus ipſi premuntur, in materiam trahere lætitiæ noſtræ? Audi Sapientem [b]. *Cum ceciderit*, inquit, *inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum*. Vnde Beatus Iob cum ſciret hoc boni viri non eſſe, longe id ab ſe deteſtatur [c]. *Si*, inquit, *gauiſus ſum ad ruinam eius, qui me oderat, & exultaui, quod inueniſſet eum malum*. Cum ergo Dauid gratias agere Deo non potuerit ob Nabalis interitum; niſi beneficij ingentis loco eum accipiendo, & ob id in eo plurimum gaudendo, boni viri officio functus non eſt. Secundò, Non licet aliorum mortem & interitum deſiderare; nec etiam ſi hoſtes ſint, quibus nominatim iubemur & bene velle, & facere [d]. *Diem*, inquit Ieremias, *hominis non deſideraui, Domine, tu ſcis*. quod eſt; Quamuis vndique inimicorum turba circundatus, & obſeſſus; nullius tamen mortem deſideraui. Nec ergo licet in cuiuſpiam interitu lætari. mutuo enim ſe conſequuntur quidpiam deſiderare, ſi abſit; & eo præſente lætari.

b Prouer 24. 17.

c Cap. 31. 29.

d Cap. 16.

Dicendum tamen rectè Dauidem lætatum, & etiam rectiùs gratias egiſſe. Ad quod explicandum, vt anguſtiæ commentarij permittunt, duplex eſt diſtinctio notanda. Altera de *complacentia*, lætitia, gaudio: altera, de infortunio alterius, aut alio quocunque actu externo qui malus ſit. *Complacentia* duplex eſt: alia *ſimplex, & inefficax*: alia *efficax, & abſoluta*. ita in ſcholis loquuntur. *Efficax* complacentia eſt, quæ ordinatur ad rem in eſſe ponendam, in qua quis complacet. Et propterea totam vt in ſe eſt abſolutè reſpicit; quia non poteſt aliter effici res, & in eſſe poni, quàm vt in ſe eſt; at *inefficax* complacentia non ordinatur ad rem ponendam in eſſe, neque eam reſpicit vt verè in ſe eſt, & ſecundùm omnia, quibus adiungitur dum verè eſt; ſed vt tantùm ſub aliqua conſideratione menti obijcitur. Rurſus *infortunium* & alius quicunque actus externus, qui malus ſit ex obiecto ſuo, dupliciter etiam ſpectatur. Primò ſub ratione mali, vel pœnæ, vel culpæ illius, in quo eſt. Secundò ſub ratione boni quam coniunctam habet vel reſpectu noſtri, vel eius qui facit & patitur, vel aliorum, vel etiam ipſius Dei. His poſitis

Tria certa ſunt. Primò poſſe quemcunque in aliorum infortunio lætari per ſimplicem, & inefficacem complacentiam; non qua malum infortunati eſt; ſed vt aliquam boni rationem habet, vel reſpectu ipſius, vel reſpectu noſtri, vel reſpectu Dei, vel etiam omnium aliorum. *Reſpectu ipſius*; vt cum ex illius infortunio, puta morbo, interitu, aut alia calamitate, vtilitatem ille aliquam mentis, aut corporis conſequitur. Sic gaudet hac inefficaci complacentia pater in morbo filij, quod per eum à praua vitæ conſuetudine, quam inſtituerat, ſperet abduci poſſe; ſic lætamur aliquando in eorum morte, qui per eam diuturnos, & grauiſſimos cruciatus euaſerunt. *Reſpectu noſtri*; cum ſimiliter ex aliorum calamitate aliquid nobis prouenit vtilitatis, in corpus, aut

animam redundans. ſic filius inefficaci complacentia gaudet in motre patris, ex qua ſibi obtigit hæreditas opulenta. Quinetiam hoc pacto Theologi [a] docent poſſe etiam cuipiam nocturnas illuſiones honeſtè placere, quod aduertat, inde ſibi minui ſtimulos concopiſcentiæ, & libidinis incentiua refrigerari. *Reſpectu Dei*; cum in aliorum infortuniis illius prouidentiam cernimus elucere. Audi Dauidem [b]. *Lætabitur*, inquit, *iuſtus cum viderit vindictam; manus ſuas lauabit in ſanguine peccatorum. & dicet homo; ſi vtique eſt fructus iuſto.* Ad quæ verba rectè Theodoretus [c]; *Gaudebit*, inquit, *iuſtitia ſtudioſus operarium malitia ſupplicijs affectum videns, non illi illudendo; ſed diuinam prouidentiam laudando, nolentem deſpicere ab aliis iniuria affectos.* Denique. *reſpectu aliorum omnium*; cum alia mala ſiue pœnæ, ſiue culpæ, in aliorum proficinot exemplum; vt cum ſcietint talia patrantibus ſupplicium paratum à peccato deſiſtant; aut cum viderint aliorum lapſus, inde diſcant minus ſibi fidere, & magis cauere.

a *Angel Sylueſt. Armil. Tabiena Caietan. in ſum. verbo pollutio, & illuſio nocturna.*
b Pſal. 57.
c *In Pſal. 57.*

Secundò. Certum eſt non poſſe quemquam nec affectu ſimplici complacentiæ de alieno infortunio lætari, *vt malum illius eſt* ſiue pœnæ, ſiue culpæ. Et hoc eſt quod à ſe deprecatur Iob, & quod longè iubet eſſe Salomon ab omni iuſto. dum dicit; *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas in ruina eius.* ita vt id vnde lætatis, & gaudes, ſit ruina eius. Et hoc cur? Subiicit; *Ne fortè ſi ita gaudeas, ab illo Deus iram ſuam auferat*; & in te ſcilicet transferat. Ratio autem huius rei eſt; quia non poteſt hæc complacentia in quoquam eſſe, qui non ſit in eum, cuius infortunio gaudet, ex odio, aut inuidia malè animatus. At nefas eſt quenquam odiſſe. Nefas ergo & tali pacto itidem in eius infortunio complacere. quod egregiè ante nos illuſtres Theologi [d] obſeruarunt.

d *D. Thom. 2. 2. q. 25. ar 6. & q. 76. ar. 1. Vide Vaſq. 1. 2. diſp. 42. n. 11. & 12. poſt Scotum & alios.*

Tertiò, denique certum eſt complacentia efficaci, & abſoluta non poſſe quemquam de alieno malo ſiue culpæ, ſiue pœnæ gaudere; niſi ſimul ius habeat ei malum illud inferre: in quo caſu etiam eatenus tantum poterit efficaci *complacentia* malum illud intendere, quatenus tantum bonum eſt vel ei cui infertur, vel aliis quibus in exemplum cedit. Quod bene D. Thomas [e] obſeruauit. Ratio eſt; quia *complacentia* efficax in totum obiectum tendit, prout in ſe eſt, & ſubſiſtit, & in ordine ad ſuam exiſtentiam conſideratur, vt alibi à Scholaſticis [f] auctoribus explicatur. Efficax enim voluntas dicitur reſpectu obiecti per efficaciam eius, in ſua exiſtentia collocandi. Quod igitur prohibetur quis agere, prohibetur *efficaciter* velle, ac proinde in eo *efficaciter* gaudere, complacere, & lætari, quandoquidem hæc eſſe non poſſunt, niſi ſimul adſit abſolutum votum, & efficax propenſiſſimæ voluntatis. Et hinc eſt quod poteſt filius in morte patris affectu ſibi ſimplici gaudere; quam tamen cupere non poteſt efficaci voto. Quia votum efficax tendit ad id quod vouetur, vt in ſe ſpectatur: At vero ſimplex affectus, vt ſub aliqua ratione noſtræ conſiderationi ſubiicitur: Et ſimplex affectus obiectum non reſpicit vt efficiendum; ſed votum efficax. Vnde cum quid, ſi fiat malum eſt; in id efficaci voto voluntas ferri non poteſt. Sed ex his quæ latius in ſcholis exponuntur, videamus iam quomodo ſe Dauid hîc geſſerit.

e *2. 2. q. 76. art. 1.*
f *Scot. Capreol. Caiet. Fer tamen ex quibus Vaſq. 1. 2. diſp. 42.*

Lætatus eſt, ſine dubio, in morte Nabalis: & aliter eſſe non potuit, ſi ſerio de ea gratias egit Deo; ſi beneficium ſingulare per eam collatum ſibi eſſe cognouit; ſi denique ex animo Deum propter illam laudauit. Sed eius lætitia *complacentia inefficacis* fuit, non efficacis. Neque enim ordinata erat ad id faciendum, in quo lætabatur; ſed in eo dumtaxat, quod iam factum fuerat gaudendum. Præterea id vnde ſibi complacuit in morte Nabalis, non fuit ipſius infortunium, ſed ſui ipſius vtilitas, & Dei gloria. Propria vtilitas; quod inde ſibi occaſionem videret ablatam vlterius ſæuiendi *Benedictus*, inquit, Deus, *qui ſeruum ſuum cuſtodiuit à malo.* Quod malum? Quod antea deſtinauerat, & periculum erat ne iterum moliretur, & inferret, ſi Nabal in vita perſtitiſſet. Licèt enim in gratiam Abigail iam ſemel illi pepercisset; poterant tamen adhuc illius iniuriæ in animum recurrere; poterat extincta ira, vel ſopita rurſus accendi; poterat ille, vtpote durus & immitis, alias, & grauiores occaſiones præbere. Propterea dicit Dauid, *Benedictus Deus qui*, Nabale ſublato, *me ab hoc periculo liberauit.* Et hic Dauidis vtilitas propria agebatur. *Dei verè gloria* in eo erat quod inde ipſius prouidentia in rerum humanarum gubernatione prodebatur, dum ſuorum iniuriis adeo opportunè vlciſceretur; & perperam facta iuſto ſupplicio vindicaret. *Benedictus*, inquit, *Deus qui vindicauit cauſam opprobrij mei; & malitiam Nabal reddidit in caput eius.* Et hæc Dauid circa Nabal, & eius interitum.

De ſecundo quid circa Abigail; Scriptura dicit ipſam ſibi deſpondiſſe. Qua in re tria quæri poſſunt. Primò vnde ad id motus Dauid. Secundò. Quando id aggreſſus. Tertiò, quomodo. De primo facilis reſponſio. Abigail enim prudentia ſua & gratia illum ceperat. *Prudentia*; quæ in conſiliis elucebat. *Gratia*; quæ ex reſponſis emicabat, & ex honeſtiſſima ſpecie, & totius oris ductu ſplendebat. Viderat illam maximè ſollicitam in viri ſalute curanda; viderat in id ſapientiſſimum conſilium excogitaſſe, expediſſe, perfeciſſe; viderat ante ſe proſtratam, preces illius lachrymis admixtas exceperat; & quod ſummum erat, ad animi quamcunque duritiam expugnandam, & quicquid poſtulabatur extorquendum, hæc omnia ſingulari formæ pulchritudine commendabantur. Amauit ergo illico tam prudentem, tam pulchram, *quod raram ſcilicet mixturam faciat* ex veteri prouerbio *cum ſapientia forma.* Nec id diſſimulauit Dauid. illam enim dimittens apertè indicauit omnia ſe illius pulchritudini & prudentiæ condonaſſe. *Prudentia*; cum illius orationem commendauit. *Pulchritudini*; cum eius ſe faciem teſtatus eſt honoraſſe. *Vade*, inquit, *in domum tuam. ecce honoraui faciem tuam.* Hoc enim ſignanter adiunctum eſt; non ex conſueta tantùm Scripturæ phraſi, ſed ad eximiam Abigail pulchritudinem exprimendam. Quæ cum precibus, lachrymiſque coniungitur, nulla machina validior eſt ad viri pectus expugnandum. Audita ergo morte Nabalis, cum priùs amaret, vt fas erat & æquum alienam vxorem, facile fuit ad eam animum adiicere vt vxorem propriam deinceps adamandam.

Sed quando id aggreſſus? Scriptura diſtinctè non memorat, ſed ſi textus narrationis inſpicitur apparet prima ſpecie illico poſt Nabalis interitum id optaſſe & obtinuiſſe. Sed cur tam feſtinaret, & luctui tempus legitimum non tributum? Si quod legitimum tempus Hebræis eſſet,

intra

Digitized by Google

intra quod alteri nubere, priori viro defuncto, de more non eſſet; incertum eſt. Certum illud eſt ſi quod fuit, illud à Dauide exactè ſeruatum. Quod ſi mox vt extinctus Nabal, Abigail eſt per ſuos alloquutus; aliud eſt nuptias inire, aliud poſtulare: aliud contrahere, aliud agere de contrahendis. Ad illud legitimum tempus detur excurrere; ad iſtud nullum tempus eſt præfinitum. At quod illud, & quantum erat, ſi quod ſtatutum erat? Dixi ea de re libro ſecundo. [a] Probabilior opinio eſt ſeptem tantum dies apud Hebræos legitimo luctui præſtitutos. quos moris non erat honeſtè præuenire, mortuo priore viro ſecunda vota petenti. Recentiores interpretes [b] exiſtimant vno, vel altero menſe poſt Nabalis mortem enim Abigail conueniſſe Dauidem. Quod ſi intelligant de nuptiis re ipſa peractis; probabile eſt. Si de deſponſis; non item. Clarè enim Scriptura ſignificat mox à Nabalis interitu illam à Dauide conuentam, & ſua voluntate deſponſam.

a Cap. 11.

b Salian. in Anal. ann. 2977. n. 13.

At quomodo conuenta? Miſit Dauid qui ſuo eam nomine alloquerentur, & conditionem proponerent; num vellet ſibi, (vt Romano more loquamur) *in matrem familias tradi*. Si virgo adhuc & puella ſub parentum cuſtodia fuiſſet Abigail illiberale erat ipſam potius, non illos adire. Nunc quia viduata viro ſui iuris erat, ipſam adit: vt autem pudori conſulat, non coram per ſe illam aggreditur, ſed per nuncios ſuos. Et hæc Dauid erga Abigail ab obitu Nabal.

Reſtat. Tertium quid ipſa Abigail. Primò conditionem ſibi oblatam non ſolùm admittit; ſed ſumma cum animi moderatione & demiſſione exoſculatur; quaſi per eam longè ſuper id omne tranſgreſſa, quod ipſa vel optare vnquam, vel ſperare potuiſſet. Secundò conditione accepta, impriſque depactis, ad iter accingitur; & expeditis quæ domi componi opus erat, quinque puellis honorariis comitata, & ancillis ſubſequentibus quæ à pedibus erant, aſina de more conſcenſa ad Dauidem deuenit vxor illius effecta. Nunc ſi quid in ſingulis elucidandum, percurramus.

Benedictus Deus.] Conſueta gratias agendi formula apud Hebræos, qua nulla poteſt hominibus aptius conuenire, dum ſe numini gratos præbent, & illius in ſe beneficia recognoſcunt: ille bene nobis agendo, patris in nos animum teſtatur & prodit; nos illi bene ex animo dicendo, filiorum in illum affectum, qua poſſumus, comprobamus. Nam quid aliud reſtat; Aut quid tantæ magnitudini tantuli & imbecilli referre poſſimus, niſi vt ingentibus benefactis leuia ſaltem dicta rependamus? Grati animi ſpecies tres notiſſimæ ſunt apud Latinos; ei nempe à quo beneficium acceperis, gratias habere, agere, referre. *Habentur* animo, *aguntur* ore; mutuis officiorum vicibus *referuntur*. Ex his duas priores ſapientes [c] noſtri conuenire dixerunt minoribus erga maiores. Quid enim certent illi paria cum maioribus facere mutua cum illis beneficia commutando? Argumentum imbecillitatis eſt, ab aliis, & inferioribus poſſe iuuari. Qui ergo maiores ſunt, cum longè minoribus benefaciunt, inde gratias expectant, quas ſibi habeant, & agant, non quas referant. Et ſi hoc homo requirit ab homine; ſi indignum eſt vt minor exiſtimet à ſe poſſe gratiam referri maiori; quid de Deo dicendum? Haberi illi gratia & agi tamen poteſt, non referri: haberi animo, agi voce & oratione illum laudando, extollendo, celebrando; cui etiam, quia nos impares eſſe cognoſcimus, in id alij vocandi, excitandi, commouendi; qui nos iuuent, & voces ſuas noſtris aſſocient in eo extollendo. Sic & Deum ipſi cum gratias agere volumus benedicendo laudamus, & alijs, quaſi minus ad id idonei, laudandum proponimus; quæ conſueta magis eſt formula gratias agendi, breui hoc verbo explicata. *Benedictus Deus.* ideſt ab omnibus ille laudetur & extollatur. Et id cur? In gratiarum actionem. quia nos homunciones, aliud nihil habemus, quod ipſius in nos ingentibus factis reponamus quam leuia dicta. Quibus etiam quia nos nec pares eſſe cognoſcimus, alios non ſolum homines; ſed mutas animantes, & elementa ſurda vocamus. At ille nec noſtris, nec aliorum laudibus indiget, vt extollatur. Quis id neget? ſed alia nobis via nulla relinquitur, qua ingrati animi notam poſſimus effugere.

c Cic. 1 & 2. de offic. Sen. l. 2. de benef.

Et obſeruandum quod hanc gratiarum actionem, quæ laude & prædicatione peragitur, non ſolum Deo homines; ſed hominibus homines, inferiores nempe maioribus exſoluunt. vt enim iam diu officiorum viciſſitudine pares amicitiæ coniunguntur. Diſparis ſortis homines aliter ſociantur; maiores enim benefaciendo, minores gratias agendo iunguntur. Rectè quiſpiam hac tota de re diſſerens obſeruauit. Iis quos ſupra cæterorum conditionem euectos in ipſo rerum humanarum faſtigio diuina prouidentia collocauit, illud cum corporibus cœleſtibus eſſe commune; quod vt illa in hæc inferiora vim ſuam, efficientiamque benefaciendo declarant, nihil ab illis accipiendo; ſic iſti poteſtatis ſuæ, copiarumque documenta minoribus præbent, illis ſubueniendo, à quibus tamen, præter laudem & prædicationem, viciſſim nihil accipiunt, quo gratum erga illos animum conteſtentur. Verum in hac gratiarum actione, quæ laudando fit, longè ſe res aliter habet cum Deus & homines gratias illis agendo laudantur.

Cum enim Deo id perſoluimus, cum gratias illi habemus & agimus laudádo, prædicando, extollendo, nunquam primam grati animi ſpeciem quæ ſita tamen eſt in ſimplici beneficij recognitione tranſcendimus. At cum homines gratias agendo laudamus, eo ipſo gratiam referimus, quod habemus. Et id ex duplici capite. Primo quia cum homines laudamus, prædicamus, extollimus, nihil illis ſuum rependimus, nihil quod ab illis acceperimus, nihil quod illorum aliunde poſſit eſſe, ſinon illis à nobis donetur. Aliud ergo hic ab illis accipimus, aliud refundimus. Ob id mutua poteſt hîc officiorum viciſſitudo verſari. Dant nobis aurum, veſtes, gemmas; dignitates conferunt; honoribus efferunt, quæ ſua ipſorum ſunt: accipiunt viciſſim laudum & prædicationis encomia, quæ noſtra ſunt. Mutuis ergo officiorum vicibus vtrinque res agitur. Quia cum hoc pacto gratiæ hominibus ab homine habentur; etiam referuntur. At cum Deo longè diſpariter fit: nec enim hoc, quod illi gratias habemus, & agimus, quod ipſius beneficia cognoſcimus & prædicamus, aliud quam nouum ipſius beneficium eſt ab illo nobis benignè collatum. Suum eſt quod morbo releuemur; ſuum ſimiliter eſt quod illi gratias velimus agere morbo leuati; ſuum quod agamus; ſuum [d] *quod à portis mortis exaltemur*; ſuum quod ob

d Pſal. 9. 14.

hoc beneficium acceptum *laudationis eius in* a Solil. c. 10. *portis Sion annunciemus.* Audi Auguſtinum [a]. *Nō valee laudare te ſine te; habeam erge te, vt laudem te. Quid enim ſum, Domine per me, vt laudem te? Puluis, & cinis ego ſum.* Quod ipſum vt b Pſal. 50. Dauid ſignificaret, orabat [b]; *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Orat, vt os aperiat; orat, vt inde laudem Dei poſſit expromere. Cur id? Quia quod Deum laudamus ob munera ſua, beneficium etiam ipſius eſt, non tantum meritum noſtrum. Vnde & alibi c Pſal. 70. ſimiliter optabat [c] *repleri os ſuum laude Dei.* à quo repleri? ab ipſo Deo. Propterea Auguſtinus hoc laudis ſacrificium gratuitum appellat, quia d August. in Pſal. 49. gratia datum [d]. *Non,* inquit, *hoc emi quod efferrem,* cum tibi ſacrificium laudis immolaui; *ſed tu donaſti. Nam nec hoc haberem,* niſi tu dediſſes. At cum homines ab hominibus ob accepta beneficia celebrantur, hæc prædicatio, non beneficium illorum eſt, ſed horum meritū. Propterea cum ſic illis gratiæ habentur, etiam referuntur. Vnde ille pro eodem poſuit laudare, quod gratias referre.

e Stat. 7. Theb. [e] *Nec laudare ſatis dignaſque rependere grates,*
Sufficiam; referent ſuperi.

Et alius cum præmiſiſſet nō poſſe pro meritis illū laudare, à quo beneficio affectus fuerat; ſubiecit.

f Plaut. in Moſtel. [f] Nunquam ego illi poſſum gratiam referre, vt merita eſt de me. Primum ergo diſcrimen eſt quod quod cum homines laudamus; noſtrū illis, quod eſt tribuimus. cum vero Deum; quod ſuum.

Secundum diſcrimen eſt, quod ex laude noſtra Deo nihil accreſcit [g]. g August. c. 10. ſolil. Eſto ergo noſtrum quid illa ſit, eam dum Deo offerimus, nihil offerimus, vnde gratia pro acceptis beneficiis referatur. At homini, cum laudatur ab homine, magnum quid accedit; & hoc tantum eſt, vt aliquando longe plus ille retuliſſe credatur, qui celebrauit largiētem; quam, qui ditauit laudantem.

Conſtat ergo ex his tam Deo, quam hominibus agi gratias poſſe benedicendo; ſed Deo, cum benedicendo laudatur, gratia tantum habetur & agitur; hominibus vero etiam aliquādo refertur.

Qui iudicauit cauſam opprobrij mei de manu Nabal.] Quod hoc opprobrium; quid eius cauſam Deum iudicaſſe; quid de manu Nabal? *Opprobrium* illud intelligit Abulenſis, quo Dauid & eius comites amariſſimo conuicio proſciſſi, cum h Vatab. Caietan. Sanc. bis. ſerui, & fugitiui ſunt appellati. Alij hoc [h], & inſuper ignominiam illi irrogatam, cum tam arroganter illius iuſta poſtulata reiecit. In eo enim quod quis honeſtè poſtulat ſemper ignominiæ genus eſt repulſam pati: at cum arrogantia, cum faſtu, cum ſuperbo faſtidio repelli planè ignominioſiſſimum. Si enim ſacræ litteræ *confundi* illum dicunt qui in ſua petitione fruſtratur; quid cum ſuper gratiam denegatam, etiam arrogantis animi contemptus adiungitur? At quid *cauſam alicuius iudicare?* Merus Hebraiſmus eſt, pro eo quod Italicè dicimus *alicui iuſtitiam facere.* ſecundum illum ſcilicet pronunciare, & competitorem illi addicere pœnam irrogādo, vel pecunia, vel corpore luendam. Phraſis in ſacris litteris notiſſima, pro qua idem valet *iudicium* i Pſal. 9. 5. Pſal. 34. 23. Pſal. 42. 1. *alicuius facere* in Pſalmis [i] ſæpiùs repetitum. *Iudicaſſe ergo Deum* cauſam opprobrij Dauidis, eſt illum ſententia ſua condemnaſſe Nabalem quod malè ſe geſſiſſet erga Dauidem, opprobrium illud duplex irrogando: ſententiam autem hanc pronunciaſſe, & iudicium abſoluiſſe pœnas de Nabale ſumendo. At quid eſt, *de ipſius manu iudicaſſe?* Et hic etiam Hebraiſmus eſt, *De manu enim alicuius* alterius cauſam iudicare, eſt aduerſus illum, & ipſius inſolentem poteſtatem hanc iuſta ſententia vindicare. Obſeruandum porro potuiſſe Dauidem ad hæc omnia reſpicere, quæ in hac vltione Nabal acciderunt, quando in Pſalmia [k] canebat iuxta verſionem Auguſtini, & k Pſ. 73. 22. Auguſt. ibi Apollin. in Paraphr. Apollinaris; *Exurge. Deus, indica cauſam meam: memor eſto opprobriorum meorum, quæ ab inſipiente ſunt tota die: ne obliuiſcaris voces ſupplicum tuorum.* Quod enim per iſta verba apud Deum precibus implorat, & optat; hic obtentum, & liberaliter indultum gratulatur. In Pſalmis enim poſtulat, vt Deus exurgat, & cauſam ſuam iudicet, non quamcunque ſed opprobrij, quod ab inſipiente patiatur aſſiduè. Hic autem hæc omnia vt impetrata gratulatur. Et cauſam ſuam iudicaſſe, & opprobria in mentem Deo recurriſſe; & illa aduerſus inſipientiam Nabalis vindicaſſe.

Malitiam Nabal reddidit in caput eius.] Reddere vel redire malitiā alicuius ſuper illum, Hebraiſmus eſt ſignificans quod quis male patrauit; pro eo iuſto ſupplicio puniri. At *in caput redire*, vel reddi, eſt non quacunque pœna, ſed capitali puniri. Multa autem, quæ ſunt omnia accurata obſeruatione digna, ea ratione loquendi continentur, quæ fuſius in Diſputationibus proſequemur.

Miſit nos ad te.] Signanter *ad te.* Si enim vt iam monui, nō *vidua*, ſed *innupta* adhuc & virgo fuiſſet Abigail; non ipſa, ſed parentes erant alloquendi. Mos enim hic apud omnes gentes naturæ ductu ſeruatus, apud Hebræos maximè valebat; vt in matrimoniis ineundis non ipſi de ſe coniuges; ſed illorum parentes appellarentur. Sic de Dinæ [l] coniugio non ipſa, ſed fratres & pater l Gen. 34. eius appellantur Sic vxor cum Sampſoni [m] quæ- m Iudic. 15. ritur, non ipſa conuenitur, ſed parentes. Sic denique Thamar ad Amnon [n]. *Loquere*, inquit, *ad* n 2. Reg. 13. *Regem & non negabit me tibi.*

Quæ conſurgens adorauit prona in terram.] Non id nunciis; ſed Dauidi datum. Conſuetum enim Hebræis erat, quos in ſublimi gradu locatos honorabant, eos de genu, & totius inclinatione corporis vel adorare præſentes, vel abſentes etiam eorum vel audito nomine, vel accepto nuncio venerari. Qua de re plura in Apparatu.

Vt lauet pedes ſeruorum Domini mei.] Vxorum apud Hebræos erat, maritos de via feſſos variis fomentis excipere: In primis vero ad ſordes & laſſitudinē detergendā pedes abluere. Quod ergo hic dicit Abigail eſt, adeo ſupra ſortem ſuam eſſe Dauidis cōiugium, vt pro magno ſibi futurum ſit cuipiam ſeruorū illius in matrimoniū copulari.

Quinque puellæ.] Has diſtinguit ab ancillis; vt intelligamus eas honorarias, & à cubiculo, non ab infimis miniſteriis fuiſſe: quales *domicellas*, & corrupto vocabulo *damigellas* appellamus. Domicellæ enim dicuntur, quaſi minores dominæ, maiori ita ſubiectæ vt inferioribus ipſæ dominentur.

Feſtinauit, ſurrexit, & ſequuta eſt nuncios Dauid.] Hæc omnia ſine dubio clare ſignificant exiguum omnino tempus inter acceptum nuntium, & iter arreptum interceſſiſſe.

Saul autem dedit Micol filiam ſuam.] Fortaſsè indignatus quod regiæ filiæ vnam & alteram Dauid ſuperinduxiſſet; ex quo iterum reſciſſa gratia, & aperta Saulis perſequutio in Dauidem, & rurſus inſidiæ repetitæ ad illum perdendum: de quibus in capite ſequenti.

LIBRI

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT XXVI.

ARGVMENTVM.

AT Ziphæi Regis ira in Dauidem iterum diuulgata, præſto illi fuere indicium, & auxilium prolixè deferentes ad illum perſequendum. Quo nuncio lætus Saul tribus electorum millibus ſtipatus in generum mouit, inter abrupta collis Hachilæ latitantem. Caſtris poſitis, cum Rex vndique collem obſidione cinxiſſet, noctu Dauid audaciſſimum facinus aggreſſus, per medios hoſtes ad Regis tabernaculum tacitus penetrauit. Vbi cum ſecundò hoſtem acerbiſſimum, & implacabilem ſuæ poteſtati traditum haberet obnoxium, parcere maluit. Ablata ergo tantummodo lancea, & regio ſcypho, diſcedens, in proximum tumulum euaſit. Inde Abner inclamans regiæ cuſtodiæ præpoſitum, amariſſimè ſimul irriſit, & obiurgauit, quod Regem cubantem, tam negligenter haberet: & cum dicto lanceam, & regium ſcyphum protulit, quibus abundè fidem ſuis verbis aſtrueret. Obſtupuit primùm Abner & expauit: inde ad clamorem inter ſe loquentium excitatus Saul, in lachrymas rurſus, gemituſque ſolutus, ipſum ſe grauiſſimè incuſat, à genero veniam poſcit, & bona fide odium omne amaroremque animi deponit; paulò pòſt tamen ex ingenio reſumendum.

℣. 1.) Et venerunt Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes; Ecce Dauid abſconditus eſt in colle Hachila, quæ eſt ex aduerſo ſolitudinis.

℣. 2.) Et ſurrexit Saul, & deſcendit in deſertum Ziph, & cum eo tria millia virorum de electis Iſrael, vt quæreret Dauid in deſerto Ziph.

℣. 3.) Et caſtrametatus eſt Saul in Gabaa Hachila, quæ erat ex aduerſo ſolitudinis in via: Dauid autem habitabat in deſerto. Videns autem quod veniſſet Saul poſt ſe in deſertum,

℣. 4.) Miſit exploratores, & didicit quòd illuc veniſſet certiſſimè.

℣. 5.) Et ſurrexit Dauid clam & venit ad locum vbi erat Saul: cúmque vidiſſet locum, in quo dormiebat Saul, & Abner filius Ner princeps militiæ eius, & Saulem dormientem in tentorio, & reliquum vulgus per circuitum eius,

℣. 6.) Ait Dauid ad Achimelech Hethæum, & Abiſai filium Saruiæ, fratrem Ioab, dicens; Quis deſcendet mecum ad Saul in caſtra? Dixitque Abiſai; Ego deſcendam tecum.

IN hoc Ziphæorum ad Saulem de latebra Dauidis indicio, primò, quæri poteſt vnde ad illud faciendum adducti. Secundò quid illo accepto Saul aggreſſus. Tertiò quid Dauid Saulis inſectatione comperta.

De primo facile eſt ſignare reſponſum. Vt enim gratiam Regis inirent, illud indicium fecerunt. At vnde illis exploratum, in Dauidem iterum Saulem exarſiſſe. Iam dixi, Michol regia filia à connubio Dauidis abducta; & viro alteri collocata patris iram vulgauerat. Ruptum enim per id omne animorum vinculum omnes agnouerunt, occaſione inſuper ablata rurſus in gratiam redeundi. Quid ergo Saul Dauidis latebrâ compertâ? Tria ſibi millia virorum delegit; iis inſtructus generum circumcluſurus in deſertum peruenit; vbi locum caſtris cepit in collem eductum, vnde ſcilicet longè pateret aſpectus, & ſubiectæ regiones, & ſi qui illas inequitarent, vndique poſſent obſeruari. At Dauid à longè tanta multitudine conſpecta, ſtatim veritus (id quod erat) ad ingenium ſocerum rediiſſe; vt id certo cognoſceret, ſpeculatores emiſit; à quibus exploratò docetur iterum ſe ad perniciem Saulis armis, & inſidiis vrgeri. Statuit ergo ſimiliter illum eludere, vt iam antea feciſſet; & vno Abiſai comitatus, caſtra quæ prius fuerat ex edito loco ſpeculatus nocturnus ingreditur, & per medios hoſtes tabernaculum Regis accedit, altiſſimeque ſopitum iterum ſuæ voluntati, & omnium iniuriæ videt obnoxium. Cui quomodo pepercerit, inde ſubiicitur.

Abſconditus eſt in colle Hachila.] Timebat ergo ſibi iam Dauid. At cur? Neque enim poſt gratiam reconciliatam quicquam adhuc Saul in illum mouerat. Ad quid ergo latebram quærere, & à quo hoſte? Nonne ſtultorum eſt fugere, nemine perſequente? Aliud hic dici non poteſt, niſi Dauidem; cui ſoceri ingenium erat probe perſpectum, illi non fidiſſe etiam quieſcenti; Niſi dicamus aliquid illum inaudiſſe de ſoceri indignatione propter Abigail, & Achinoham Micholi ſuperinductas.

In colle Hachila.] Qui ſitus in extremo ſolitudinis ad Ziphæos pertinentis ad dexteram illiu deſerti partem, vt ſupra [a] indicatur. a Cap.23.19

In Gabaa Hachila.] Gabaa nomen hîc appellatiuum eſt, non proprium, & collem ſignificat. Ibi ergo Saul caſtris locum cepit, vbi delatum

tum illi fuerat latere Dauidem. Quomodo ergo non illum interclusit? Quia iam Dauid inde ſe tulerat, & inſtinctu numinis in interiora deſerti ſeceſſerat, Saule deluſo, & perfidis indicibus in vanitate deprehenſis, & ex mendacij ſuſpicione confuſis.

Videns autem quod veniret Saul poſt ſe.] Quem locum ipſe reliquerat, vidit ſtatim ab aliis occupari; qui autem, aut ad quid illi eſſent; incertus animi fluctuabat, licet Saulem ſuſpicaretur.

Et didicit quod illuc veniſſet certiſſimè.] Suſpicabatur ergo tantùm Dauid in conſpecta armatorum multitudine eſſe Saulem; quod certiſſimum deinde habuit & exploratum regreſſis exploratoribus, & quæ viderant nunciantibus.

℣. 7.) Venerunt ergo Dauid & Abiſai ad populum nocte, & inuenerunt Saul iacentem, & dormientem in tentorio, & haſtam fixam in terra ad caput eius: Abner autem, & populum dormientes in circuitu eius.

℣. 8.) Dixitque Abiſai ad Dauid: Concluſit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas: nunc ergo perfodiam eum lancea in terra, ſemel, & ſecundo opus non erit.

℣. 9.) Et Dixit Dauid ad Abiſai; Ne interficias eum: quis enim extendet manum ſuam in chriſtum Domini, & innocens erit?

℣. 10) Et dixit Dauid; Viuit Dominus quia niſi Dominus, percuſſerit eum, aut dies eius venerit vt moriatur; aut in prælium deſcendens perierit,

℣. 11.) Propitius ſit mihi Dominus ne extendam manum meam in chriſtum Domini: Nunc igitur tolle haſtam, quæ eſt ad caput eius, & ſcyphum aquæ, & abeamus.

℣. 12.) Tulit igitur Dauid haſtam & ſcyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, & abierunt: & non erat quiſquam, qui videret, & intelligeret, & euigilaret; ſed omnes dormiebant; quia ſopor Domini irruerat ſuper eos.

Circa hunc in hoſtilia caſtra Dauidis ingreſſum quatuor videnda ſunt. Primò quomodo id, & quam cautè tentauerit. Secundò, quid ibi fecerit. Tertiò, quid inde ſuſtulerit. Quartò, ad quid.

De primo circunſpectiſſimè planè facinus hoc audaciſſimum aggreſſus eſt, nec aliter æquum erat. Cum enim fortiſſimus eſſet Dauid, non temerè ſe periculis obiiciebat, quod eſt ſtolidæ ferocitatis; ſed cum cura, & attente; quod eſt veræ fortitudinis. Hoc ergo vt faceret, multa
a Ver. 5. præmiſit, quæ proximè [a] Scriptura narrauit. *Surrexit*, inquit, *Dauid clam; & venit ad locum, vbi erat Saul: cumque vidiſſet locum vbi dormiebat Saul & Abner; & Saulem dormientem in tentorio, & reliquum vulgus per circuitum eius, dixit; Quis deſcendet mecum in caſtra.* Primo ergo in editum locum aſcendit, vnde in Saulis caſtra patebat aſpectus. Propterea enim cum illa ſpeculatus eſſet, ea verba ſubiunxit; *Quis deſcendet mecum in caſtra?* Secundò, ex eo loco diligenter obſeruauit, caſtrorum ſitum, diſpoſitas ſtationes, tabernaculorum ordines, in primis verò Regij tentorij collocationem. Tertiò clam ſuis omnibus præter vnum vel alterum eſt id aggreſſus. *Clam*, inquit, *ſurrexit Dauid.* Et id ſcitiſſimè ex diſciplina caſtrenſi, in qua nihil à Ducibus curatur attentiùs, quàm vt eorum conſilia & incepta ſecreta ſint. Quartò, cunctis accurate perſpectis, tum non ſolus, ſed vno tantum, eoque fortiſſimo & volũtario milite comitatus, inimicas ſtationes ingreſſus eſt. Non ſolus eſſe voluit: quia fuiſſet id improbæ temeritatis. Non plures aſſumpſit: quia difficilius latuiſſet. Fortiſſimum adhibuit: quia periculum, quod adibat pectus prorſus impauidum requirebat. Voluntarium autem eſſe voluit, & in id ſe ſponte offerentem: quia quæ extra ordinem fortia facinora patranda ſumuntur, tales exoptant. At quo diei tempore caſtra Saulis explorauit? Noctu ſine dubio. Quomodo enim Saulem dormientem aduertiſſet, & reliquum vulgus pariter conſopitum? Sed ſi hoc; quomodo potuit à longè nocturnas inter tenebras hæc omnia diſcernere? Fortaſſe cælo nullis obducto nubibus, clara Luna nitore ſplendebat. Et quando id non eſſet; ignorum non eſt in caſtris paſſim faces, & ignea alios accendi, quibus & tenebræ pellantur, & nocturnus rigor arceatur; & ſi quis ſubitus tumultus ingruat, opportunè poſſit occurri. Et hæc de primo, quàm caute Dauid facinus hoc aggreſſus.

De ſecundo, nempe quo euentu, & quid illuc ingreſſus effecerit; Scriptura dicit eum ad tentorium Saulis acceſſiſſe, & ipſum dormientem deprehendiſſe, & omnes circa ipſum excubias conſopitas: in primis verò Abner totius militiæ magiſtrum, & cui primæ curæ erat Regem ſuum tegere, & in eius ſalutem excubare. Sed ex hoc quid ſequutum? Singulare certamen Dauid iniit, & difficillimum planè ſuſtinuit; ſed demum cum victoria glorioſiſſimè depugnatum. Simili enim ratione vt in ſpelunca Odolla factum fuerat, hic pro Saulis incolumitate aduerſus eam impugnantes dimicauit. Sed longè hæc quam illa pugna facilior. Ibi enim primo contra ſeipſum dimicauit. Secundo contra commilitones ſuos, qui pariter inſurrexerant, & Saulis interitum iunctis dextris & animis flagitabant. At hic ſeipſum aduerſarium paſſus non eſt. Vt enim ex contextu ipſo factæ narrationis apparet, Dauid pacato prorſus animo ad Saulem deſcendit; & qui iam ſecum ipſe obfirmaſſet quid eo deprehenſo, & ſuæ poteſtati tradito facturus eſſet. Nihil hic ergo fuit ſecum ipſi luctandum, nulla iracundia frangenda, nullus impetus opprimendus, qui in adeo implacabilem hoſtem repentinus inſurgeret, cum ſedato, & præmeditato animo illuc acceſſiſſet. At cum Abiſai nonnihil ſibi fuit negotij tranſigendum. Vt enim tunc milites, ſic nunc fortiſſimus iſte Dux ad conſpectum Saulis exarſit, in eius interitum totus intentus. Dimicandum ergo cum illo Dauidi fuit; & dimicauit, & ita illum perfregit & vicit, vt comites ante vicerat. Ergo Sauli parcens incolumique relicto, ad ſuos reuerſus eſt.

Sed quid inde ſecum abſtulit? Ex regio tentorio Saulis haſtam & aquæ ſcyphum. Circa

quod

quod vtrumque primò dubium eſt quid, & ad qoid eſſet hæc haſta. Scriptura dicit ad caput
a Apud Sanc. hic. lecturi fuiſſe defixam. Et per eam oonnulli [a] intelligunt reginm ſceptrum. Sed dicendum, quod aliàs monui, fuiſſe priſcis illis temporibus militaribus hominibus haſtas, quod deinceps, & nunc noſtro tempore ſunt omnibus enſes. Vt enim nullus qui militiam profiteatur enſa nuſquam non accinctus aſpicitur; & cum ſomno concedit enſem etiam habet vel accinctum, vel ad lectuli caput dependulum; ſic olim militares viri nuſquam & nunquam ſine haſta & lancea prodibant. Sic hic Abiſai vult in Saulem non enſem diſtringere, ſed lanceam: quod non eſſet, niſi cum hoc diceret illam manu teneret. Haſtam ergo abſtulit Dauid quod perinde fuit, ac ſi enſem ad lectulum viri militaris locarum abſtuliſſet. Sed & *aquæ ſcyphum*. Quid hic? Mirum eſt quam ſubtiliter & anxie plerique de iſto quæſierint. Sunt qui velint fuiſſe vas ad vrinam faciendam; quam verecunde ſacra Scriptura hoc loco per aquam intelligit, conſueto tropo prophanis etiam auctoribus vſurpato. Latinis enim, quod nunc etiam Itali obſeruant, honeſte pro lotio aqua appellatur, & aquam mittere aut facere, eſt illis mingere, quod pluribus alij. Placet hoc mire nouis ſacræ Scripturæ verſoribus; damnatæ præſertim lectionis, in primis Caſtallioni. In quibus omnibus vt in Bibliis Gallicis Caluiniſtarum pro *ſcypho aquæ*, vas eſt ad vrinam. Vno verbo ergo ſcyphus hic illis matula eſt. Sed ſi hoc; cur ad caput Saulis locatus? An is locus idoneus in quo matella reponatur, & non potius imus lectulus, vel ad ſpondas? Alij volunt vas fuiſſe ad ſolemnes Iudæorum purgationes. quas etiam noctu adhibebant, ſi quid obſcænum Venerem imaginantibus incidiſſet;
b li.4.Strom. vt Clemens [b] Aleaandrinus auctor eſt. Sed exquiſitam hanc purgationum curam per ablutiones ſæpius repetitam, certum eſt Saulis tempore nondum apud Hebræos viguiſſe; cum ea longe poſt inducta fuerit à ſecta Phariſæorum, quæ
c Mar.7.4. tota erat circa [c] *baptiſmata calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectulorum*. Alij ergo malunt vas fuiſſe ad ſedandam nocturnam ſitim, qua militares viri propter diurnos labores, & ſollicitam quietem, quam ſæpius interrumpunt, vrgeri ſolent. Ad quam explendam Iudæi, non vinum, ſed aquam adhibebant; quem tunc caſtrenſem potum fuiſſe volunt. Propterea ſcyphum hunc ad illum vſum paratum, non vini, ſed aquæ ſcy-
d lib.2.ant. conuiu. phum appellari. Ita Succbius [d] damnatus auctor. Alij quid operoſius comminiſcuntur, nempe clepſydram horariam fuiſſe ad noctis tempora diſtinguenda; cuiuſmodi plures in caſtris haberi ſolitas ad vigilias nocturnas, & militares cuſtodias ſignandas ea Cæſare & Vegetio plures obſeruant.

Simpliciſſimè dicendum puto vas fuiſſe aquæ ſeruandæ attributum ad quotidianos vſus. in primis ad elutionem matutinam omnibus vſitatam, cum ſomno diſcuſſo ſtratoque relicto nocturnus torpor excutitur, & mentis hebetatæ
e Exhort. ad gent. vigor aquæ aſpergine ſuſcitatur. Clemens [e] Alexandrinus alicubi ſolemne hoc Hebræis tradit, vt nunquam à cubili ſurgant, quin abluantur.

Ad quid ergo Dauid hæc abſtulit, & cur illa potius, quam alia? Aliquid ex regio tentorio tollere ſecum voluit ad fidem & Regi, & Abneri, & aliis omnibus adſtruendam, ſe in regio tentorio fuiſſe. Duo vero hæc potius quàm alia; vel quia nihil erat magis obuium, & ad manus expoſitum & quod habilius aſportari poſſet; vel vt omnibus conſtaret quàm prope regium corpus adſtitiſſet; quàm in ſua poteſtate, Regem ipſum obnoxium habuiſſet. Nam ſi haſtam abſtulit, inermem illum reliquit; & ſi ſcyphum qui ad caput erat locatus, eadem opera qua ſcyphum abſtulit, Regis caput petere, & ipſum confodere potuiſſet.

Venit ad locum vbi erat Saul.] Duo loca diſtinguenda ſunt. alter, quem Saul occupauit, integer nempe collis & editus; alter, in hoc colle locus ipſe caſtrorum. De illo priore ſermo nunc eſt, cum dicitur Dauid in locum veniſſe vbi Saul erat. Nec enim nunc venit in caſtra; ſed eius collis in quo caſtra erant, & qui propterea dicitur locus Saul, quod ab illo totus occupatus, in partem aliquam editiorem, ex qua facilis erat proſpectus in caſtra, quid in illis ageretur, vbi ſtationes diſpoſitæ, quomodo excubiæ paratæ.

Perfodiam eum in terra.] Quomodo hoc ſi Saul in lectulo iacebat? An prius illum vult excitare, & ex lectulo excutere & aggredi in terra deiectum? At inconſultum id omnino fuiſſet. Saul enim excitatus, impulſus, deiectus, exclamaſſet, & ad exclamantem ſui accurriſſent; quate nihil ad id importunius quod Dauid moliebatur. Quid ergo dicit in terra ſe illum perfoſſurum? Omnino Hebraiſmus hic eſt, quo omnia quæ perdi ſignificãtur, *in terram & ad terram* dari dicuntur. Sic ſupra [f] *nullum ex Samuelis* f Cap.3.
verbis in terram dicitur cecidiſſe, quod eſt non irritum, non inane, non ſucceſſu vacuum fuiſſe. Similiter infra, [g] quod propius ad hunc locum g lib.2.Reg. c. 17.
facit, quem tractamus. Ioab obiurgat militem quod Abſalon *ad terram non confodiſſet*; cum tamen ille ſublimis de quercu penderet. Nec poſſet ſimul vulnerari, & in terra configi. Ratio autem Hebraiſmi eſt inde ducta, quod quæcunque perdere volumus, ad terram proiiciuntur; & in re de qua agimus, qui lethaliter vulnerantur, ad terram proſternuntur: vnde eſt vt cum terra configere vulnerare, aut perfodere, ſit lethali vulnere proſternere in terra deiectum, aut terræ mandandum.

Percutiam ſemel, & ſecundo opus non erit]Hoc erat omnino neceſſe; ſi tutum ſibi volebat eſſe, quod audebat. Niſi enim ad primum ictum Saul eſſet extinctus, excitus exclamaſſet, & alij accurrentes in ipſo facinore Dauidem & Abiſai oppreſſiſſent.

Et ſecundo opus non erit.] *Semel.* aliquando primam vicem ſignificat, poſtquam alia ſuccedit, idipſum vel aliquid deinde ſimile repetendi. Aliquando verò *ſemel aliquid facere*, eſt perſectè omnino, & abſolutiſſimè facere; ita vt nihil in eo genere reſtet, quod denuo ſit iterandum; nec locus ſit idem repetendi, quando quod perfecte iam actum eſt, amplius agi non poſſit. Hanc autem ſignificationem particula *ſemel* tunc ſine vlla ambiguitate habet, cum illi hoc adiungit quod nunc dicit Abiſai. *Et non erit opus ſecundo.* Licet aliquando idem valeat ſine iſto. *Semel ergo illum confodiam*, eſt vnico ictu illum ita exhauriam, vt plane extinguam. Et in hunc eundem ſenſum ſæpius hæc particula *ſemel*, & nomen *vnus*, tam ſacris quam prophanis auctoribus vſurpatur. Vt ea omnia ſemel fieri dicantur quæ penitus abſoluuntur. Talia enim ſecundo agi

non

non poſſunt, cum vt iam dixi actum non agatur. Hinc ille feſtiuus luſus eſt Hiſpani Poëtæ [a].

Martial. a lib. 12. ep. 56.

Ægrotas vno decies, aut ſæpius anno
Nec tibi ſed nobis hoc Policarme, nocet
Nam quoties ſurgis ſoteria poſcis amicos :
Sit pudor : ægrota iam Policarme ſemel.

Ita nimirum, vt locus alteri morbo non ſit. Similiter Ouidius [b].

b Epiſt. 5.

Nulla reparabilis arte
Læſa pudicitia eſt : deperit illa ſemel.

Cum perit, perfectè perit, vt in eum ſtatum amplius reparari non poſſit, in quo iterum deperdatur. In eandem formam alicubi Cicero illud in laudem Cæſaris dixit. *Illum facile & ſemel exorari ſolere.* Nempe quia non maligne, non tergiuerſando, non frontem ſæpius corrugando poſtulantium preces admittebat, ſed ſtatim, & pleno animo, ita vt opus non eſſet vota, & preces ſæpius ingeminare; quod proprium liberalis eſſe Seneca monet [c]. *Neque enim hic diu per os verſat beneficium, quod expeſcitur*; ſed eaertè ſtatim aut concedit ne gratiam perdat; aut ſi tergiuerſatur, omnino negat. Ad idem quoque illud eſt Virgilianum

c lib. 2. de benef.

——*Qui ne quid tale videret*
Procubuit moriens, & humum ſemel ore momordit.

Idem nimirum nunquam amplius repetiturus. In quam eandem formam illud eſt D. Pauli [d]. *Statutum eſt hominibus ſemel mori.* & nonnulli etiam intelligunt quod de Chriſto dicitur [e]. *Quod autem mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel.*

d Ad Heb 6.
e Ad Rom. 6.

Hanc autem eandem vim retinet vocabulum *vnus*, quod etiam ſæpe ponitur pro completo, abſoluto, perfecto, & cui opus non eſt aliam manum aduenire, aut ſecundam operam admouere vt perficiatur. Sic alicubi Cicero; *Quod tibi in prouinciam proficiſcenti euenit, vt omnes execrarentur, malè precarentur, vnam tibi illam viam & perpetuam eſſe vellent.* Nec diſſimiliter in ſacris litteris. Apud Ezechielem [f]. *Afflictio vna, afflictio ecce venit.* id eſt perfecta, grauiſſima, quæ non det locum ſequenti. Sic etiam illud Nahum [g] eſt intelligendum. *Conſummationem ipſe faciet, nec conſurget duplex tribulatio.* id eſt talem vexationem immittet, vt ſecunda opus non ſit futurum. Loquitur enim propheta de calamitate quam Deus Aſſyriis erat immiſſurus. At hanc ingentem adeo futuram ſignificat, vt alteri locus non reſtet, qua funditus deſtruantur. Quem ſenſum verba confirmant, quæ paulo poſt à propheta ſubiiciuntur. *Conſumentur*, inquit, *quaſi ſtipula ariditate plena.* Vt enim aredri ſtipulæ igne ſemel immiſſo locus alteri igni non eſt, qui illam incendat; ita Aſſyrij tam ingenti calamitate opprimentur, vt repetendus ictus non ſit, quo proſternantur. Non conſurget ergo duplex tribulatio, quia vna deſtruentur. Hunc eundem ſenſum habet verſio LXX. Pro eo enim quod nos habemus, *Non conſurget duplex tribulatio* legunt ipſi, *Non iudicabit Dominus bis in idipſum in tribulatione.* ſignificat enim eodem modo ita iudicaturum Deum Aſſyrios prima vice, pœnam de illis ſumendo, vt non ſit locus alteri iudicio futurus, quo quicquam de illis pœnæ repetatur.

f Cap. 7. 5.
g Cap. 1.

Niſi Dominus percuſſerit eum.] Abiſai tacitè ſignificauerat Dei voluntatis eſſe vt Saul occideretur. Ad hoc enim iterum illum in Dauidis manus incluſiſſe. Huic tacitæ propoſitioni tacitè quoque nunc Dauid reſpondet. Non deeſſe Deo rationem, qua Saulem interimat, ſi cordi illi ſit illum perimi; poſſe illum fulmine, poſſe dextera hoſtili cadere; poſſe naturali morte defungi. Non ergo per hoc quod ſibi obnoxium tradiderit, exiſtimandum illum velle à ſe perimi, & iugulari. Senſus ergo videtur eſſe. Si Deus vult Saulem extinctum, aut fulmine, aut morbo, aut enſe cadat, ab hoſtili dextera; à me non cadat. Et hoc mihi fixum eſt, oroque Deum vt in hoc perpetuo permaneam.

Aut dies eius venerit.] Sic in ſacris & prophanis locis naturalis mors quæ à violenta diſcernitur deſignatur. Apud Ieremiam [h]. *Diem hominis non deſideraui, Domine, tu ſcis.* & Virgilius. h Cap. 16.

——*Stat ſua cuique dies.*

Præfixum vnicuique tempus eſt, quo naturali cauſarum curſu niſi aliud præuertat, ſuo fato fungantur. Illud Ieremiæ rectè in antiquis Italicis verſionibus redditum eſt. *Non hò deſiderato la morte ad alcuno.* quod hanc expoſitionem confirmat.

℣. 13.) Cumque tranſiſſet Dauid ex aduerſo, & ſtetiſſet in vertice montis de longè, & eſſet grande interuallum inter eos,
℣. 14.) Clamauit Dauid ad populum & ad Abner filium Ner, dicens; Non reſpondebis, Abner? Et reſpondens Abner, ait; Quis es tu, qui clamas, & inquietas regem?
℣. 15.) Et ait Dauid ad Abner; Numquid non vir tu es? Et quis alius ſimilis tui in Iſrael? Quare ergo non cuſtodiſti dominum tuum regem? Ingreſſus eſt enim vnus de turba vt interficeret regem dominum tuum.
℣. 16.) Non eſt bonum hoc quod feciſti. viuit Dominus, quoniam filij mortis eſtis vos, qui non cuſtodiſtis dominum veſtrum chriſtum Domini. nunc ergo vide vbi ſit haſta regis, & vbi ſit ſcyphus aquæ, qui erat ad caput eius.

Digreſſus è caſtris Dauid, in collem ſe recepit qui non ita diſſitus à caſtris erat, vt inde vox emiſſa non poſſet audiri; nec ita propinquus, vt à Saulis milite facilis illuc eſſet incurſus. Ex eo loco cœpit Abnerem Dauid inclamare, vt excitaret dormientem. Excitatum & alloquentis vocem excipientem, amare illudit obiurgatione, quod dux vetus militiæ tam ſupinè caſtrorum excubias ageret, & regij corporis tutelam adeo oſcitanter haberet; vt impune quiuis de populo poſſet in regis tabernaculum ſe penetrare. Quibus autem verbis hæc omnia Dauid ſit exequutus; hic ſatis clarè Scriptura commemorat.

Sopor Domini irruerat ſuper eos.] Quis ſit *ſopor Domini* nonnulli dubitant. Aliqui [i] à Deo præter ordinem naturæ, & miraculo immiſſum putant. Qui enim aliter potuiſſet tanta multitudo tota ſimul in caſtris conſopiri, vbi ſemper tot vigiles adſtant ad omnia arreptis auribus intenti. Sed an hic miraculum interuenerit incertum

i Salian. an. 2975.

aſt:

eſt : ex Scripturæ certè verbis affirmari noo poteſt. *Soper* enim *Domini*, non eſt qui ſit à Domino miſſus; ſed iogens, altus, profundus, conſuera ſcripturæ phraſi ſic appellatus; quod quæcunque in ſuo genere magna & conſueta ſunt *à Domino*, & *Domini* eſſe dicantur. Nec nouum, aut mitum ſit in ranta multitudine vigilaſſe onllom; Aut aliquo ſtrepitu pulſum, ſomnum non excuſſiſſe. Nam ſic vſus eſt vhi de via feſſos ſopor inuadit. At excubias omitti; magnum erat in militari diſciplina flagiriom. Quis id negei? Sed oum ad id & vt hoc flagitium fieret; opus miraculo erai? Quam ſtequens enim id eſt, vt in multitudine læta, & nullo propinquo hoſte ſecura, cuſtodiæ remittantur? At omnes ad vnom conſopitos; pro miraculo ſit. Primò nonum non eſt, vt cum Scriptura qoid ab omnihus factum eſſe pronunciat; id ira non intelligamus, vt nullum qui id non feeerit excludamus. Exempla poſſunt innumera ad hoc adferri; ſed omittuntur; quia oota nimis, & aliis excuſſa. Non ergo ex hoc quod omnes dicat Scriptura ſopitos; id ita dehet intelligi vt vigilauerit omnino nullus. Sed pauciſſimi; quorum tamen vigilia non facit vt vere dici non poſſit omnes fuiſſe ſopiros. Seeundò, eſto; nullus in totis caſtria vigilauerit. Cur id miraculum ſit? An quod vnus altè ſopitus in profundam ſomnolentiam mergatur, miraculum noo ſit; ſit autem ſi omnes faciant, quod omnes poſſunt & ſolent, quod nox ſuadet, quod labor diurnus & laſſitudo conciliat? Denique ſatis argumento poteſt eſſe miraculum non interceſſiſſe; good Dauid omnes regios excuhitores reos mortis eſſe pronunciat, quia tam profundè dormierint. Vult ergo ex ipſorum iniuria & animi nimia remiſſione profunde adeo ſoporatos. Maneat ergo *ſoporem Domini* hic eſſe ſoporem, ſomnolentiamque grauiſſimam vt cum Ioſepho
a Lib. 7. c. 2. veteres ioterpretes [a] intellexere.

Ingreſſus eſt enim vnus de turba, vt interficeret
b *Salian loco citato.* *regem*] [b] Solliciti ſunt aliqui quàm verè hoc à Dauide dicatur. Quis enim ad id ingreſſus? Non ipſe: & ſi non ipſe; quis alius? Lyranus Abiſai putat intelligendum, qui ſine duhio malè in Saulem animatus, etiam in illius interitum Dauidem inſtigabat. Sed ſimplicior expoſitio eſt, vt hæc dicta non de eo quod factum eſt, ſed (qoantum in excuhitorihus erat) fieri poterat intelligamus. Illi eoim ita ſe habuerunt vt poſſet quiuis de populo ad Regem accedere, & illum otioſè coofodere.

℣. 17.) Cognouit autem Saul vocem Dauid & dixit; Nunquid vox hæc tua fili mi Dauid? Et ait Dauid vox mea, domine mi rex.

℣. 18.) Quam ob cauſam dominus meus perſequitur ſeruum ſuum? Quid feci? aut quod eſt malum in manu mea?

℣. 19.) Nunc ergo audi oro domine mi rex verba ſerui tui. Si Dominus incitat te aduersùm me; odoretur ſacrificium: Si autem filij hominum; maledicti ſunt in conſpectu Domini: qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate Domini, dicentes; Vade; ſerui diis alienis.

℣. 20.) Et nunc non effundatur ſanguis meus in terram coram Domino: quia egreſſus eſt rex Iſraël vt quærat pulicem vnum, ſicut perſequitur perdix in montibus.

Nunquid vox tua hec, fili mi Dauid?] Quomodo Saol ad Dauidis vocem tam repeotè placatos? Nempe iam colloquium ipſius cum Abner inaudierat; ſuum periculum iam aduerterat, eios ohiurgationem perceperat amiciſſimi aoimi indicem & tota cura de regis ſui incolumitate ſolliciti. Cuius ad hæc rabies non placaretur? Præſertim calente adhuc animo ex grataria ouper inita ſimili erga ſe generi heneuoleoria perſpecta? Licèt enim nondum totum ſuum periculum perfectè aduertiſſet; nec quantum ſibi Dauid pepercisset, & illi quantum ipſe deberet; animaduerſa tamen tam ſupina negligentia ſuorum per quam omnium iniuriæ omnihus expoſitus impune iacuerat, oon potuit non indignari in ſuos; & in illum, à quo pericoli commonitus, pietatis affectu non commoueri.

Quid feci, aut quod eſt malum in manu mea?] Tacitè ſignificat non incertas coniectutas ſequendas, vhi de capitali crimine diſquiritur, & alterios vita in diſcrimen adducitor; ſed ipſa facta ſpectaoda, quæ maou tangi, & oculis ſubiici poſſunt. *Quod eſt*, inquit, *malum in manu mea? Quid feci?* Non quid cogitauerim, non quid animo voluerim; ſed quid fecerim obtrectatores mei, & accoſatores deferant. Et facta tibi mea, Rex, non ficta de me crimina ſuot perpendenda.

Nunc ergo audi domine mi rex verba ſerui tui] Semel, inquit, hoc inter nos abſoluatur; aut me ounc interfice, ſi iuſtè tibi videor ioterimeodus; ſi quod to verè crimen in me deprehendis; aut ſi non ex eo quod ſcis, & vides; ſed in me maleuolorum vocibus & artihus incitaris illos abs te ſegrega, & in malam rem prorſus abeant qui inter oos diſſidium volunt.

Si Dominus inciiat te aduersùm me.] Si ſerio & ex animi tui ſeotentia iudices me morte dignom, & ob id gratum futurum Deo ſupplicium meum; præſto ſum. hoc enim eſt, *ſi te Dominus incitat in me.* Notum enim in Iſrael erat Deum Regum, & Præſidum animos in nullos alios, quam in maleficos incitare; de quihus ei præcepetat qui temp. gerit; [c] *Maleficos non patieris* c Exodi. 22.
viuere. 18.

Odoretur ſacrificium meum.] Si verè nocens ſum, & oh id tihi puniendus videor, quod verer Deus talihus parci; præſto ſum; to me iam interfice. *Si malum in manu mea deprendiſti*, non io ore, & liogois inimicorum meorum. Si putas oh id à Deo contra me incitari; & ex hoc *ſacrificium* Deo me occidendo *præſtare*; oon recuſo; ſacrificium perfice; victimam paratam habes, quam Deus odoretur. *Odorari* autem Deus ſacrificium dicitur, illi cum hoſtia mactatur, quam mactandam præſcripſit, cum illi ſacrificiom exhibetur. Porrò Deo oulla gratior hoſtia cadit homine nocenti. Nec eoim illi taororom, aut hircorum; ſed noxiorum ſanguine litatur, vt alicubi rectè Cicero [d]. d *Or. pro Flac.*

Si autem homines; maledicti ſunt in conſpectu Domini.] Si hoc non enunciando, ſed imprecando dixiſſet; clarius loquotos videretur. Eſſet

enim ſenſus ſpectiſſimus. Si verè tu me nocentem iudicas; occide me: ſin tuo non ipſe genio, ſed aliorum ſermonibus tranſuerſus actus; maledicti iſti ſint. Quid eſt *maledicti*? Pereant, abſcindantur à te, in malam crucem abigantur. At cum dicat enunciando; *Maledicti ſunt in conſpectu Domini*; paulò obſcurius eſt quod hac tota ſententia continetur. in idem tamen facile redire poteſt, ſi per hypallagen enunciatiuè dictum velimus, quod per modum execrationis eſt intelligendum. Porro ſicut in ſacris literis *benedicti* ſunt, qui in omnium ore, & oculis feruntur, ab omnibus amati, laudati, culti; ita *maledicti* ſunt quos omnes auerſantur, & à quorum ſe conſortio, conſuetudineque ſubducunt.

Qui eiecerunt me hodie.] Tacitè per hoc ſignificat in aula homines non deeſſe, qui ſubdolis criminationibus & ſe Sauli deferrent, & malignis ſermonibus aduersùm Saulem ſe quoque incitarent. Quorſum autem hoc? Nempe quia diſtinctim duo illa ante poſuerat: Vel tu ex te ipſo noxium me iudicas, & morte dignum; vel ex aliorum ſermonibus alienatus. Si illud; ſemel hic omnia claudantur; exhibe Deo ſacrificium hoc, me victimam gratiſſimam illi cædendo. Sin verò me non ex tuo genio, non ex eo quod de me noſti; ſed ex aliorum ſermone diiudicas; pereant illi, abeantque penitus in malam rem, qui & me tibi deferunt & te mihi. Quemadmodum enim tacitè tibi contra me ficta crimina ſuſurrant; ſic mihi viciſſim auctores ſunt, vt aulam deſertam, vt te fugiam, vt hæreditatem Domini relinquam, & in gentilium terras transferam domicilium meum; videlicet vt cum me fugientem tu videris, ex mea fuga argumentum capiant criminationis ſuæ, malè conſcium animum inde colligentes. Ergo *eiecerunt*, non eſt ex effectu intelligendum, ſed ex affectu & conato. Quantum erat in illis, eiecerunt me ex terra Iudæa.

Dicentes; Vade, ſerui diis alienis. Non verbo ſed factis hoc illi dicebant, qui cogebant Dauidem exulare, nec vllum in terra Iudæa tutum perfugium habere. Eo ipſo enim ad ethnicos erat illi declinandum, inter quos immorari, aliud non erat quam periculum veræ religionis adire. Ita Theodoretus [a] & Procopius. a Quæſt. 60. in 2. Reg.

Non effundatur ſanguis meus in terra.] Paretica oratio, & abrupta, neceſſarióque ſupplenda, ſi rectus inde ſenſus eſt eruendus. Quorſum enim cauſalem illam adiungere. *Non effundatur ſanguis meus quia egreſſus es?* An hæc iuſta cauſa non occidendi Dauidem; quia ad hoc Saul egreſſus erat, vt illum occideret? Nectenda ergo hæc ita ſunt, & ſupplenda, Quia ſiue à Deo, ſiue ex inuidorum ſermonibus incitatus, egreſſus es, vt me perſequaris ad necem; & hoc certum eſt, licet vnde ad id incitteris ambiguum; oro quæſoque te vndecunque hic in te malus in me animus oriatur, vt tandem placeris, & deſiſtas ab exitio mihi pernicieque ſtruenda.

Sicut perſequitur perdix in montibus.] Sumpſit hîc noſter Interpres *perſequendi* verbum ſignificatione paſſiua; quod in illo calumniantur quicunque vulgatam lectionem etiam ex hoc impugnant quod imperitè loquatur: imperitiſſimi prorſus ipſi, & eius ignari linguæ, in qua ſe iactant, & gloriantur, nempe Latinæ. Cui enim notum non ſit ex iis verbis, quæ deponentia Grammaticis appellantur, pleraque promiſcua ſignificatione ſumi? Quin ſi propius ad normam rectè loquendi res exigatur; potius eſt vt ea paſſiuam ſignificationem habeant, quam actiuam. Antiquitus enim etiam actiuam terminationem habebant. Vnde illa ſunt in priſcis [b] auctoribus; *Crimino, proficiſco, contemplo, miſero, tuto, oſculo, populo, perſcruto, modero.* Quid ergo mirum, aut contra rectas loquendi leges; ſi cum antiquitus actiuè diceretur; *oſculo, modero, perſequo*; nunc aliquando paſſiuè ſimul & actiuè dicatur moderor, oſculor, perſequor? b V. Serar. in Iud. c. 2.

℣. 21.) Et ait Saul; Peccaui. reuertere, fili mi Dauid: nequaquam enim vltra tibi malè faciam, eo quod pretioſa fuerit anima mea in oculis tuis hodie: apparet enim quod ſtultè egerim, & ignorauerim multa nimis.

℣. 22.) Et reſpondens Dauid ait: Ecce haſta regis: transeat vnus de pueris Regis & tollat eam.

℣. 23.) Dominus autem retribuet vnicuique ſecundùm iuſtitiam ſuam, & fidem: tradidit enim te Dominus hodie in manum meam, & nolui extendere manum meam in Chriſtum Domini.

℣. 24) Et ſicut magnificata eſt anima tua hodie in oculis meis; ſic magnificetur anima mea in oculis Domini, & liberet me de omni anguſtia.

℣. 25.) Ait ergo Saul ad Dauid; Benedictus tu, fili mi Dauid: & quidem faciens facies, & potens poteris. Abiit autem Dauid in viam ſuam, & Saul reuerſus eſt in locum ſuum.

In hac tam ſæpè repetita gratiæ reconciliatione, quam nunc Saul offert Dauid; videndum primò quomodo illam deferat. Secundò ad id, vnde motus. Tertiò quid illi ſpondeat.

De primo gratiam ſuam ita genero defert, vt ſimul à ſe factorum veniam, tacitè poſcat. In gratiam enim cum vtrinque reditur, aliqua ſatisfactio neceſſe eſt intercedat ab eo, qui læſit. Ab hoc autem nulla poteſt gratior ſatisfactio prouenire; quam cum veniam poſcit, & quod à ſe geſtum eſt, perperam geſtum eſſe fatetur. Hoc nunc facit Saul. *Apparet*, inquit, *quod ſtultè egerim, & ignorauerim multa nimis.* Peccatum à ſe dicit; ſtultè egiſſe fatetur: At à ſe ignoranter factum; vt apud læſi animum excuſetur. Quod enim in alterum peccatur; ſi odio, ſi mala malitia, ſi deſtinatò peccatur, minus omnino veniam meretur; ſi per inſcitiam admiſſum eſſe ſciatur, habet & excuſationem & veniam paratam.

At vnde motus iterum Saul; vt ita Dauidi placaretur? Res ipſa loquitur, & ipſe diſertè fatetur. *Quod*, inquit, *pretioſa fuerit anima mea in oculis tuis hodie.* Pretioſum omne quod eſt, charum ſimul eſt; & ab eo magni fit, cui tale eſt. Nec enim magno pretio quidquã æſtimatur, aut emitur, quod charũ illi non ſit, à quo æſtimatur. Ergo pretioſam animam ſuam illi fuiſſe, eſt ſe charum, ſe amatum illi fuiſſe. *Quia*, inquit, experiendo didici me maximè à te amari, cum mihi pepercisti.

Quid autem illi in poſterum ſpondet? Omnem

nem à ſe incolomitatem, totamque apud ſe ab omni iniùria manſionem. *Reuertere*, inquit, *nequaquam enim tibi vltra malè faciam.* Nam in ſatisfactione danda cum ex vna parte iniuria præceſſit, non ſolum venia ab eo, qui læſit poſtulatur, errorem fatendo; ſed in poſterum cauetur, ne ſimilia reperantur.

Peccaui.] Primus hic aditus eſt cum eo gratiæ reparandæ quem quis læſit; agnoſcere ſe iniuſtè feciſſe, & id fateri. propterea Saul & nunc dicit; *Peccaui.* Et iterum; *Stultè egi.*

Pretioſa fuerit anima mea in oculis tuis hodie.] Triplex hebraiſmus in hac ſententia. cum *pretioſum* ponitur pro eo quod charum eſt, & attentè ſeruatur; cum *anima* ponitur pro vita ipſa, aut toto homine, cum *oculi & conſpectus* alicuius, pro ipſomet appellantur; & idem eſt in oculis alicuius charum eſſe, quo illimet eſſe.

Apparet quod ſtultè egerim.] Quomodo ſtultè? Quia dum te perſequor, penè me ipſum perdidi. Qoid enim ſtultius, quam vt alienæ vitæ inſidieris, tuam in diſcrimen adducere; & tuam ſalutem negligere, vt alteri perniciem machineris? Hoc porro Saul admiſerat; Dauidem perſequebatur, inſidias illi ſtruebat, vitam modis omnibus tentabat eripere; id tamen dum vrget, in diſcrimen priùs adductus eſt vitæ ſuæ, quàm compos factus alienæ. Et quid eſt ſtulte agere, & inſanire, ſi non hoc eſt? Rectè Seneca [a] de nimia cupiditate vindictæ dum ageret, (qua maximè Saol in Dauidem laborabat) breuem inſaniam eam eſſe definiuit. Cur id? Quia quæ ſtimulante illa fiunt, omnia ſtultè fiunt: qualia ſunt ipſum ſe negligere, vt alteri noceatur; obliuiſci decoris; immemorem eſſe neceſſitudinum, in quod cœpit pertinacem eſſe, & intentum, vanis agitari cauſis; & denique vt aliquid obruatur, ſuper illud infringi.

a lib. 1. de ira cap. 1.

Et ignorauerim multa nimis.] Nempe hoc illud eſt, quo magna Regum faſtigia laborant, ipſiſmet etiam fatentibus, eorum ignorantia, quæ ſcire eos maximè opus eſſet. Audi Senecam [b]. *Monſtrabo tibi*, inquit, *cuius rei inopia laborent magna faſtigia, & quod omnia poſſidentibus deſit. Ille ſcilicet qui verum dicat, & hominem inter mentientes ſtupentem, ipſaque conſuetudine pro rectis blanda audiendi ad ignorantiam veri perductum videlicet à contemptu ſuorum.* Quòd hic Seneca docendo tradit, experiendo Saul comprobat exemplo ſuo. *Apparet*, inquit, *quod ignorauerim multa nimis.* quæ æquum à me erat non ignorari.

b Epiſt. 63.

Reſpondens Dauid.] Ex hoc Dauidis reſponſo apertè ſatis apparet ita Saulis ſatisfactionem Dauid admiſiſſe, vt illi ſe tamen non credat, aut exiſtimet hunc in eo animum diuturnum fore. Itaque verba nulla profert, quibus oſtendat gratiam reconciliatam. Sed graui tantùm oratione conatur illum in propoſito ſtabilire, ſe ipſum iterum non perſequendi; & id ex duplici capite. Primò, ex grati animi officio; ſecundò, ex irrito conatu, quem ſit in hoc poſitutus. *Ex officio*; quia vitam, quam poterat eripere, illi benignè donauit; in cuius rei fidem vocat qui *haſtam ſcyphumque* reſumat; argumenta certiſſima regij diſcriminis, & Dauidis clementiæ. *Ex irrito conatu*; quia, inquit, certum tibi debet eſſe non minori me curæ Deo futurum, quam tua mihi ſalus & vita fuerit. Habui te mihi expoſitum; & plane cuicumque obnoxium iniuriam inferre volenti: & tamen tibi peperci. Non putes hoc mihi denegaturum Deum, quod indulſi tibi. Nam ſi bene quid facta valent; hoc ab illo poſco, vt quemadmodum te ego ſeruaui, ſic ipſe me ſeruet ab omni, & tui præſertim violentia ſecurum.

Benedictus tu fili mi Dauid.] Solemnia verba in amico digreſſu Hebræis vſurpata, in quo mutuò inter ſe benedicebant & precabantur: Omnibus enim naturale eſt, inuicē cum ſeparantur, vt alteri bene alteris precentur. Quod votum Latinis exprimitur vnico verbo. Vale, & valete. In bona enim valetudine omnia bona claudont, aut claudi volunt. Hebræi vero alter ab altero diſcedentes mutua ſe benedictione proſequebantur? Apparet autem ex hoc loco intereiſe loqoutum & ex affectu turbatum quem multiplicem conceperat, verecundiæ, indignationis, amoris. *Verecundiæ* ſui ipſius; *indignationis* in ſuos; *amoris* in Dauidem. *ſui*; quod ingratè ſe adeo gereret, & geſſiſſet in bene merentem. *ſuorum*; quod ſui cuſtodiam tam negligenter haberent. *in Dauidem*; à quo tot in ſe certiſſima amoris argumenta cernebat.

Faciens facies, & potens poteris] Senſus iſtorum verborum alius non eſt, quàm quem verba continent, ab eodem Saule prolata, cùm in ſpelunca deprehenſus eſt à Dauide, & dimiſſus incolumis. nimirum, certiſſimè regnabis, & tuum iam erit in Iſrael, poſſe, & facere quæcunque voles. Ita cum aliis Caietanus. Eſt autem notiſſimus & frequentiſſimus hebraiſmus. *Faciens facies, & potens poteris.* De quo quia bene ſemel perceptus, aliis pluribus Scripturæ locis lucem dabit, integra fortaſſe diſputatione pluribus exponetur.

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT XXVII.

ARGVMENTVM.

SAVLIS præteritam pertinaciam Dauid apud ſe perpendens, illius indulgentia nihil credendum ratus, ab illo ſibi magis cauendum putauit, cum minus ille ſe contra Dauidem commotum præferret. Decernit ergo ex tota Iudæa terra ſemel excedere, vt hac ratione cauſam omnem Sauli præcideret vlterius ſæuiendi; & aliquando tandem hoſtes ſuos hoc voluntario exilio mitigaret. Sexcentis ergo bellatoribus comitatus ad Allophilos iterum ſe contulit, Achiſque Regi Gethæorum opera ſua, comitumque delata, benignè ab eo exceptus eſt, oppido non ignobili conceſſo, in quo non ſolùm ipſe & comites, ſed tota inſuper domus cum vxoribus tutum domicilium collocarent. Tum verò ſerio Saul cum ſpe quidquam potiendi, ſimul animum quoque depoſuit profugum vlteriùs inſectandi. Ita Dauid non exigua moleſtia; & Rex caſſo labore, quem in illo perſequendo ſumebat, leuatus eſt.

℣. 1.) Et ait Dauid in corde ſuo; Aliquando incidam vna die in manus Saul. nonne melius eſt vt fugiam, & ſaluer in terra Philiſthinorum, vt deſperet Saul ceſſetque me quærere in cunctis finibus Iſraël?

℣. 2.) Et ſurrexit Dauid, & abiit ipſe, & ſexcenti viri cum eo, ad Achis filium Maoch Regem Geth.

℣. 3.) Et habitauit Dauid cum Achis in Geth, ipſe & viri eius, & domus eius, Dauid & duæ vxores eius, Achinoam Iezrahelitis, & Abigail vxor Nabal Carmeli.

℣. 4.) Et nunciatum eſt Sauli quod fugiſſet in Geth, & non addidit vltra quærere eum.

IN hoc Dauidis conſilio de Iudæa deſerenda, & ethnicorum terris adeundis quinque diſcuti poſſunt. Primò. Cur nunc potius hoc conſilium ſuſceptum. Secundò. Quam rectè. Tertiò. Ad quos ſe contulerit. Quartò. Cum quibus. Quintò. Quo euentu.

Primò. Cur nunc potiùs hoc de fuga conſilium in Dauide? Ratio ambigendi, quia minus quam vnquam aliàs illi videbatur à Saule timendum. Cur ergo nunc maioris metus argumenta prodit, cum æquum eſt ipſum ſecuriùs agere, & minus timere? Sed dicendum non nunc primum fugam à Iudæa Dauidem molitum, aut ſuſcepiſſe. Ante enim iam fugit, & infidelium terras adiuit, cùm in Geth ſe cõtulit, vbi periculum quod imprudens inciderat, vt euitaret, inſaniam in tempore ſimulauit. Nunc autem idem conſilium reſumit, quod ſibi magis à Saule timeat, quominus illum videt apertè ſæuire. Et id ex triplici capite, primò ex ipſius ingenio, quod erat inſtabile, varium, & ſemper in deteriora pronum, ſciebat ipſum non diu in officio perſtiturum; ſed ex iis quæ præceſſerant, arguebat iterum ad inſaniam rediturum. Secundò. Non ignotabat ipſum malo dæmone exagitatum, quando alia incentiua deeſſent, in ſe ſæuiturum. Tertiò videbat in tanto periculo minus ſibi facile futurum eius inſidias vitare, cum Saul quietus ageret; quam cum apertè fureret & inſaniret. Nam tunc poſſe ſe etiam ſibi apertè conſulere, manus armatorum cogere, varias arces occupare, procul ab aula degere; quorum omnium nihil eſſet, quod quiſquam miraretur. Æquum enim omnes exiſtimarent, vt quem Rex perſequeretur, is quantum poſſet Regis iram fugeret. At nunc cum ille pacatus ageret; ſi Dauid in armis eſſet, inuidioſum id apud omnes eſſet illi futurum; ſi vacous, & otioſus, incautus opprimeretur. Vt igitur hunc vtrumque ſcopulum vitaret, ex terra Iudæa ſtatuit excedere. Hoc enim pacto ſibi à ſubita Saulis incurſione cauebat, & Iſraelitarum offenſionem vitabat. Quibus alia ſibi ratione cauendo, moleſtus futurus erat; ſi nimirum militaribus viris inſtructus, vt opus erat ad ſubitas inimicorum inſidias vitandas, inſtitiſſet, hac illac in terra Iudæa profugus euagari.

Sed hoc conſilium quàm rectè ſuſceptum? Et prima facie videri poteſt inconſultè omnino Dauid feciſſe, & contra iura veræ pietatis. *Inconſultè*; quia minus periculum vt effugeret maius adiuit; Saulem vt euitaret, incurrit in Achis; Iſraelitas vt euaderet, ethnicis ſe credidit; domeſticis vt tutus eſſet ab hoſtibus, externis & implacabilibus inimicis populi Iudaici ſe tradidit. An probabile erat æternos Hebræorum hoſtes Chananæos fidos magis Dauidi, quam Saulem & eius ſatellites futuros? *Inconſultè* ergo videtur hoc conſilium ſuſceptum. Sed & parum piè. vbi enim fiducia in Deum? vbi reuerentia in eius numen, cultum, ſacra, quæ relinquebat emigraturus ad gentes? An non illius eæ voces ſunt proximo capite querentis, quod inimici, & obtrectatores ſui illi auctores eſſent, vt terram Iudæam deſereret, & ſe conferret ad gentes? Cur ergo quod vt magnum malum ſibi dolebat ab illis ingeſtum, vltro nunc arripit, & alienigenarum ſe fidei permittit?

Dicendum tamen eſt nihil hîc improuidè, nihil quod pietatem læderet admiſſum eſſe à

Dauide. Non *improuidè*, quia in hoc conſilio ſu-
mendo & ratio, & modus ab eo ſeruata ſunt,
quæ recta ratio requirit. Primo enim non im-
petu, non ſubita animi commotione, non rui-
bido motus alicuius impulſu; ſed pacatè, & lon-
ga priùs deliberatione præmiſſa conſilium hoc
tandem ſuſceptum eſt. Hoc indicant primò ver-
ba quæ initio huius capitis ponuntur. Signifi-
cant enim seriò ſecum diu id priùs deliberaſſe
Dauidem, quàm decreuerit; & eo tempore de-
liberaſſe, quo magis erat à Saulis perſequutione
ſecurus. Vbi enim tempeſtas illa remiſit, cum
omnia in tranquillo viderentur eſſe; tum *in die*
bonorum memor cœpit eſſe malorum; & ita præ-
ſenti paci fidebat, quæ ſibi à Saule promitteba-
tur; vt interim mala præterita ex animo non
deleret; atque ſimilis ſibi in poſterum cauenda
non ignoraret. Secundo diutius ea de re & at-
tentè deliberaſſe cum ſuis, argumento eſt Pſal-
a *Salianus an 1972. num. 31.* mus 10. qui totus, vt alij [a] ante nos obſeruarunt,
de hoc argumento conſcriptus eſt. In eo enim
quaſi in inſtituta deliberatione variæ ſententiæ
dicuntur. Miſſum in deliberationem erat, quod
eſſet Dauidi conſilium capiendum aduerſus iram
Saulis, & eorum malignitatem qui illum in Da-
uidem accendebant. Et primo illi inducuntur
b Pſal. 10. 2. qui vagam fugam ſuadebant dicentes [b] *Tranſmi-*
gra in montem; vel vt alij legunt. *In montes ſi-*
cut paſſer. Quomodo ſicut *paſſer*? Nuſquam cer-
ta in ſede morando, quod paſſeres maximè ſo-
lent vbi aucupum inſidias eludunt. Et hoc cur?
Quia, inquit, *peccatores* nempe Saul, & qui cum
eo *intenderunt arcum, & parauerunt ſagittas ſuas*
in pharetra, vt ſagittent in occulto rectos corde.
Aucupium nempe hi aduerſus te, & omnes tuos
inſtituunt; & iam habent omnia parata ad te
perdendum. Et obſerua per hæc tempus iſtud ſi-
gnificari, quo Saul videbatur in gratiam maxi-
me recepiſſe Dauidem. Et tamen campia adhuc
inequitabat, & cum tribus illis millibus electo-
rum virorum regiones circuibat. Eſto ergo pla-
catum ſe præbuiſſet; illi fidendum negant: An
enim fidant paſſeres aucupi; quem vident adhuc
intento arcu pharetras expedire? Sic Sauli non
credendum quantumuis omnia ſecura pollicenti
ſemper armato, ſemper ſatellitum turba ſuccin-
cto, & hinc illuc armato ſemper cum milite va-
ganti. Hæc ergo Dauidi plerique ſuadebant. At
ille primo tenuere: quod fugam hoc tempore
arripere non ſolum degeneris animi videretur;
ſed ingrati & Dei in ſe beneficia non agnoſcen-
c Pſal. 10. tis. [c] *Quomodo dicitis*, inquit, *anima mea*; *Tranſ-*
migra in montem ſicut paſſer? Et vbi fiducia nu-
minis, vbi tot eius in nos argumenta benignita-
tis? An omnia penitus ex animo deleta? Hæc
& ſimilia in mea deliberatione diu vltro citro-
que iactata ſunt. Ex quibus apparet & diu ea de
re diſceptatum fuiſſe, & huius conſilij de terra
Iudæa deſerenda non ipſum ſibi primum aucto-
rem fuiſſe Dauidem, ſed alios. Quos cum pri-
mò repuliſſet, admiſit tandem & ratione victus
ſequutus eſt. Quæ hæc ratio? Quam Dauid ipſe
huius initio capitis inſinuat. *Aliquando*, inquit,
vna die incidam in manus Saulis. Melius eſt ergo
vt fugiam. Non ergo conſilium hoc inconſultè
ſuſceptum; cum & longa priùs deliberatione
diſcuſſum & certa ſuadente ratione firmatum.
Quid enim magis rectæ rationi congruum, quam
vitæ ſuæ conſulere, non alienam impetendo, ſed
illatam violentiam vitando? Hoc fecit hîc Da-

a *Sopran. in Dauid.*

uid. Iræ ceſſit, quod tanto poſt admonuit Apo-
ſtolus [d] *Date*, inquiens, *locum iræ*. Et eo pacto vi- d Ad Rom. 12. 19.
tæ ſuæ ita conſuluit, vt non inſidiaretur alienæ.
Rectè ergo hoc conſilium ſuſceptum ratione
modi, finis, medij. *Modi*; quia cum diſcuſſione.
Finis; quia ad vitam propriam ſeruandam. *me-*
dij; quia ad illam tuendam non vi vis repulſa eſt,
ſed fugiendo declinata.

Sed & *pium* conſilium fuit, non tantùm pru-
dens. egreſſus enim ille è terra Iudæa non erat
ex veræ religionis odio, nec cum illius perdendæ
periculo; ſed ex ſuæ, & alienæ ſalutis amore:
nec alienigenas, & veræ pietatis extorres adibat
Dauid, vt illorum ſacris immiſceretur; ſed vt
inter illos tutus occaſionem alieno ſceleri non
daret. At malum erat homini ex ſemine Abra-
hæ terram illam relinquere, quæ Dei propria
hæreditas erat, & ratione cuius ipſimet Iſraeli-
tæ hæreditas Domini dicebantur. Verum id eſt
ſi deſerta illa ſit nullo, aut malo fine fuiſſet, &
nunquam in perpetuum repetenda: ſed ex iuſta
cauſa, & tantiſper illam deſerere, dum perſe-
quutio deferueret, non malum, ſed iuſtum erat.
Si enim poterat illa relinqui, & regiones genti-
lium peragrari fame prementi; quod Abraham,
Iſaac, & Iacob, quod Patriarchæ, quod ſanctæ
plures viduæ fecerunt; quanto magis id poterat
inimico atrociſſimo perſequente?

Quò ergo Dauid ſe contulit? & quos ex fini-
timis adiuit? In Geth ſe contulit ad Achis eius
regionis regem, filium Maoch. At hoc quam
prudenter? Eſto enim deſerenda fuerit Iudæa
terra, & gentilium fines adeundi. Cur Gethæos,
& Achis potius, quam alios adiuit; immo cur
Gethæos ante omnes, & eorum Regem Achis
non declinauit? Hos enim ipſe ſæpius cladibus
afflixerat, eorum præcipuum Goliam funda de-
iecerat; ab illis comprehenſus, [e] & ad Achis de- e lib. 1. c. 21.
ductus fuerat occidendus; ab hoc ludibrio ex-
ceptus inſuper etiam iuſſus fuerat à ſuis finibus
exulare. Quorſum ergo in tanta vicinia tot gen-
tilium populorum aliis omnibus Gethæos ante-
ferre, & Regem Achis in primis à quo illuſus
fuerat & excluſus?

Sed dicendum Gethæos præ cunctis aliis opti-
ma ratione maluiſſe Dauidem: quod illum ſcili-
cet pluris, quam omnes alij Gentiles æſtima-
rent. Nam & illum fortiſſimum ſciebant, à quo
eorum fortiſſimus ſingulari certamine fuerat
ſuperatus; & præterea dignum putabant qui poſt
Saulem regnaret & ita quoque fore credebant:
quod vtrumque maximè faciebat ad nomen Da-
uidis augendum, illumque aliorum animis con-
ciliandum. Nam virtus etiam in hoſte ſuſpici-
tur, & regio nomini, etiam in regem deſtinati,
& nondum regnantis, occulto quodam naturæ
ductu impensè fauetur. Nec quod antea exclo-
ſus & illuſus, aut etiam ad pœnam quæſitus fue-
rat eum nunc debuit deterrere. Nam tunc inter
Gethæos adhuc Saulis acerba in Dauidem per-
ſequutio non percrebuerat: tantùm enim illum
fortiſſimum eſſe non ignorabant, & inter viros
militares virtute præcipuum, ob quam etiam
nouerant à Saule regium in generum aſſum-
ptum. Cum ergo repente illum ſuis in finibus
viderent, inſidias ſuſpicati ſunt; & vt aliquid
contra eos occulte molitetur aduenisse. Quod
ſi offenſæ inter eum, & ſocerum iactabantur.
colludi ex condicto, & ſimulari putabant vt tu-
tius fallerentur. At nunc horum nihil illis ve-

zendum erat. Clariùs enim ſe Saulis odia prodiderant, quam vt ſuſpicioni locus eſſet ea in re quicquam ſimulari, aut fingi. Ergo Dauid quia tutum effugium non ſperabat, niſi apud quos & plurimi fieret, & verus Saulis hoſtis baberetur, Gethæos elegit; qui ſuam fortitudinem, & in ſe vera Saulis odia non ignorabant.

De quarto quos ſecum adduxerit; duplex genus comitum habuit; quoſdam quaſi domeſticos, alios forenſes. Domeſticos; vxores duas cum reliqua familia; forenſes armatos milites. Illi erant ad vitam honeſto more traducendam, & propagandam; iſti ad iniuriam arcendam. Addit ſcriptura non ſolum ipſum vxores ſuas ſecum adduxiſſe; ſed & illius milites idem quoque feciſſe.

De quinto quem ſucceſſum migratio hæc ad Gethæos habuerit; Scriptura deinceps enarrat hoc toto capite. Primò enim à Rege ipſo & aliis omnibus benignè & in regia vrbe receptus. Secundò quod in ea anguſtius ageret, & fortaſſe etiam mutuo ſuſpectus oppidum ab illis accepit, in quo cum ſuis verſaretur. Tertiò ex eo finitimos gentilium populos prædabatur; prædam tamen quaſi ab Iſraelitis captam ſimulando. Quartò ea ratione Gethæis, & ipſi Regi mire conciliatus eſt; quaſi ſerio & ex animo ſuæ generis hoſtis, aduerſus illos arma moueret, & gentilium cauſam bona fide iuuaret.

Ait in corde ſuo.] Hæc illa conſilia ſunt, quibus in corde ſuo diu vtrimque verſatis angi
a Pſal.12. ſe apud Deum querebatur in Pſalmis, [a] *Vſquequo*, inquiens, *Domine, obliuiſceris me in finem: quamdiu ponam conſilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem.* Pſalmum enim illum adhæc tempora ſpectare quibus incertus ſui Dauid vagabatur, ad necem à Saule nunc aperte, nunc occulte petitus; plerique fatentur, præſertim recentiores.

Hîc autem facilè ſignificatur, quæ ſit recta ratio quicquam conſultandi, & conſilium de re aliqua ineundi. Obſeruandum porro in omni conſultatione, & conſilio capiendo duarum rerum genera ſpectari. quædam in omni conſultatione communia, quædam propria. Communia ſunt origo & vſus conſilij; propria ſunt quibus rectum & malum conſilium mutuo ſeparantur. Quomodo *origo, & vſus* idem in omni conſilio reperitur? Quia vt plurimum omnia conſilia tam bona quam mala ab eodem principio ſunt, & idem præſtant. Omnis enim conſultationis principium metus eſt, licèt aliquando maior, aliquando minor; & aliàs patentior, aliàs occultior. ſemper enim cum conſultatur, quidpiam à conſultante timetur: nam ſaltem timet ne ſi ſolus id aggrediatur, quod in conſultationem mittit, alienum ab eo quem vult, exitum ſortiatur. Ob id
b Ariſt. 2. recte Philoſophus [b] dixit. *Timore homines ad conſultandum induci.* nam vel timent aliquid quod extrinſecus impendet; vel ſi quid optant & ſperant, & in id aſſequendum curas intendunt, timent ne minus illud aſſequantur, ſi ſibi ſoli credant; & quæ ſibi primo ſuccurrunt, ſine diſcuſſione ſequantur. Ab hoc principio, nempe à timore, conſultatio Dauidis, & eius hoc conſilium profectum eſt. Timebat Saulem grauius, quam vnquam antea. ſerio ergo animum adiecit ad ea expedienda, quibus impendens malum cauere poſſet. Et in hoc vt dicebam mala, & bona conſultatio diuerſa non ſunt; vtrique enim idem à timore principium, cum omni conſultationi commune hoc ſit: vnde & cuidam dicebat Iſaias valde timenti [c] *Ini conſilium, coge concilium.* Et c Cap.16.30
Principes [d] ſacerdotum cum ſcribis & Phariſæis d Ioan.16.
cum plurimum ſibi, propter Chriſtum, & vndique timerent, impenſius etiam conſultabant, & plura conſilia miſcebant. Sed nec differunt bona, & mala conſilia ex *vſu, & vtilitate* quam præſtant. Vtrique enim commune eſt fundamentum, & baſim eorum eſſe, quæ cum deliberatione geruntur. Propterea Dauid; *Quamdiu*, inquit, *ponam conſilia in anima mea.* Ponendi enim verbo vſus eſt, quod ſi propriè ex Hebræo vertatur, ad fundamentum ſpectat, & baſim alludit, quæ prima ponitur in aliqua extructione; vt in ea reliqua fabrica elatur, & ſurgat. Vnde Hebraicè inter alia nomina conſilium סוד *ſod* appellatur, quod e 2.Paral.33
proprie fundamentum [e] eſt, & tota ædificij conſtitutio animo præcepta. Et inde eſt quod conſilia etiam *ſecreta* dicuntur? Nam fundamentum procul à conſpectu in imum depreſſum eſt; nec aliter conſpicuum, quam in fabrica quæ ſuper illo nixa conſurgit; ſic conſilia, conſilia non ſunt, niſi ſecreta ſunt: propterea *poni* dicuntur, & *in corde. Poni*; quia fundamenti loco reliquis agendis ſtatuuntur. *In corde*; quia procul ab aliorum notitia. Porro hoc vtrumque in omni conſilio f Eccli.22.
reperiri; ſapiens explicauit; dum dixit; [f] *Loramentum ligneum colligatum in fundamento ædificij non* 19.
diſſoluetur; ſic & cor confirmatum in cogitatione conſilij. Siue enim bonum; ſiue malum conſilium ſit, ſemper hoc habet vt qui ex conſilio agit, in eo quaſi in fundamento locet, quæ ſtatuit expedire.

At vt bonum conſilium ſit, tria debet habere; Certum modum, media, & finem. *Modum*; vt cum cura, & attente diſquiratur, & omni animi perturbatione ſemota. *Media*; vt hæc non ſolum ad finem aſſequēdum apta ſint; ſed etiam vt in ſe honeſta. *finem* verò; vt ad aliud aſſequendum non reſpiciat, niſi quod iuſte & recte ſit appetendum. Licèt enim conſultatio & conſilium propriè de fine non ſint; ſed de idoneis ad finem aſſequendum; ad finem tamen reſpiciunt; qui ſi rectus non ſit, quantumuis idonea media ſint ad illum expediendum & aſſequendum, bonum conſilium non erit, quod illa propoſuit, exquiſiuit, parauit. Nam cum media idonea ad aliquid inhoneſtum aſſequendum conſultando parantur; erit quidem conſilium illud aſtutum, callidum, & ſolerter excogitatum; non tamen rectum, non ſanctum, aut prudenter initum.

Videamus ergo num tria hæc quæ in bono conſilio requiruntur, fuerint in hoc conſilio Dauidis. Prorſus omnia fuere. nam, vt communia in omni conſilio prætermittam, eius principium à timore; eius vſum, fundamentum Dauidi præbendo eorum quæ deinceps ab illo geſta ſunt; modum habuit, qui in recta conſultatione maximè requiritur. Diu enim & attentè Dauid prius deliberauit, & quod præcipuum eſt in omni conſultatione, animo maximè pacato. Quod indicant verba initio huius capitis propoſita. *Et ait Dauid in corde ſuo.* Quaſi enim cor in conſilium ſecum vocauit, quod clarius ſignificat in
Pſalmis. [g] *Quamdiu ponam conſilia in anima* g Pſal.12.
mea, & dolorem in corde meo per diem? Quid eſt *per diem?* aſſiduè, quotidie; ſiue, vt Græcè eſt, die & nocte. Secundò. Media habuit quæ honeſto fini maximè congruebant. Nam ad ſalutem ſuam

tutandam,

tutandam, non vim aduerſus violentiam parauit, ſed fugam, & declinationem impetus ingruentis, qua quid honeſtius? Tertiò denique finem reſpiciebat rectæ maximè rationi congruentem; quod erat vitam ſalutemque ſuam tutari. *Melius eſt vt fugiam.* hoc conſultando decreuit, & hoc ad quid? *Vt ſaluer*, inquit.

Aliquando incidam vna die in manus Saul.] Multi ſunt Regibus oculi, multæ manus illi prorſus in longinqua proſpiciunt; hæ procul etiam diſſita pertingunt. Propterea ille dicebat:

An neſcis longas Regibus eſſe manus?

Ab his vnum ſibi tamen perfugium *in fuga* Dauid eſſe cognouit. Hanc ergo nunc eligit concludens; *Nonne melius eſt vt fugiam?*

Ad Achis filium Maoch.] An hic ille idem ad quem Dauid ſex ante annos adiuit? Negant aliqui; quod probabile non ſit ad eum Dauid reuerſum, à quo ignominiosè dimiſſus. Probabilius tamen eſt quod omnes alij affirmant eundem fuiſſe; nec enim probabile eſt tam exiguo interuallo duo ſibi Reges cognomines ſucceſſiſſe, nam ſex tantùm anni abierunt à primo adito Gethæorum ad hunc ſecũdum. Adde hunc Achis filium appellari Maoch cui autem probabile tot reges tam breui ſpatio defunctos? Nec Dauid vbi primum Gethæos adiuit vlla cum ignominia dimiſſus eſt, quam non ipſe quæſierit. Inſaniam enim vltro ſimulauit, & vt inſanus abire permiſſus. Cæterùm poſt eius diſceſſum cognito honeſto dolo Gethæis; potius eſt conciliatus. Inde enim vt iam monui cognouerunt inter generum & ſocerum vera odia exerceri; ſerio Dauidem fugere, ſerio ſocerum inſtare; ſe verò reliquis alienigenis à Dauide prælatos & lectos quibus præ aliis fideret, quibus ſuam ſalutem crederet, quibus militaret. Quis ergo de tanti viri iudicio non ſibi plauderet, & ad ſe venientem non benigne reciperet?

Ipſe & viri eius, vir & domus eius.] Non ſolùm Dauid cum tota domo ſua, ſed quilibet etiam ſuorum cum tota familia illuc immigrauit. Illud enim; *Vir, & domus eius*; valet aliquando pro vniuerſali ſigno, & idem eſt quod *quilibet.*

Et non addidit vltra quærere eum] Futurum ſubobſcurè Scriptura ſignificat, vt iterum Dauidem Saul inſectaretur; tantumque ab eo conſilio deſtitiſſe, cum ſpem ſibi omnem præciſam vidit illum aſſequendi. Sic ſunt perditi peccatores; vitia non deſerunt, niſi planè deſerantur ab illis; eatenus innocentes, quatenus occaſionem nullam poſſunt habere nocendi.

℣. 5.) Dixit autem Dauid ad Achis; ſi inueni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in vna vrbium regionis huius, vt habitem ibi: cur enim manet ſeruus tuus in ciuitate regis tecum?

℣. 6.) Dedit itaque ei Achis in die illa Siceleg: propter quam cauſam facta eſt Siceleg regum Iuda vſque in diem hanc.

℣. 7.) Fuit autem numerus dierum, quibus habitauit Dauid in regione Philiſtinorum quatuor menſium.

In hac Dauidis poſtulatione videndum primò, quomodo hactenus in vrbe regia moratus. Secundò cur ab ea nunc diſceſſum paret & petat. Tertiò in quam ſe vrbem recipiat.

De primo videtur hactenus Dauid in vrbe regia quaſi hoſpes honorarius verſatus, à Rege lautè exceptus, & regiis impenſis ſimul cum ſuis auctus & ſuſtentatus. Quod ſi cuipiam mirum ſit voluiſſe Dauidem mœnibus hoſtilibus includi; ſunt qui volunt illum fidem publicam prius accepiſſe, & ſic vrbem regiam cum ſuis ingreſſum. Sed id, vt verum fatear, opus Dauidi non erat: ſexcentis enim bellatoribus iiſque fortiſſimis, inſtructus, potius erat ipſe timendus; quam vt ipſe quidquam timeret in vrbe receptus. Tantum ergo probabile eſt vtrinque prius amicas legationes inter Dauidem & Achis præceſſiſſe; quibus liberum ille acceſſum in vrbem regiam poſceret; & iſte non tantum daret, ſed vltrò deferret. Par autem eſt exiſtimare dies aliquot læta per conuiuia tranſactos, vt in feſta gratulatione ſolet, cum viri Principes à Principibus excipiuntur. Tum vero Dauidem hoc quod nunc ſcribitur poſtulaſſe, quid illud? vt certa ſibi ſedes aſſignaretur, in qua liberè cum ſuis eſſe poſſet.

Cur ergo hoc poſtulauit? Ambigendi cauſam, cauſa præbet, quam Dauid ipſe ſui poſtulati proponit. *Detur*, inquit, *mihi locus in vna vrbium regionis huius, vt habitem ibi.* Et ſubdit; *Cur enim maneat ſeruus tuus in ciuitate tecum?* Cauſa cur hoc poſtulet; quia æquum non eſt habitare cum Achis Dauidem, ſeruum cum Domino Hoc enim loquutio iſta ſignificat per modum interrogationis expreſſa. *Cur enim manet ſeruus tuus?* At hoc difficultatem habet. Vnde enim notum adeo, & perſpicuum ſit æquum non eſſe ſeruum habitare cum Domino; vt id debeat quaſi notiſſimum, tanquam cauſa ſuæ poſtulationis interrogando proponi?

Dicendum ergo plures hoc poſtulandi cauſas, habuiſſe Dauidem; ſed alias expreſſiſſe, alias reticuiſſe. Quas reticuit, tacite nos poſſumus aſſequi coniectando; quas expreſſit, his verbis continentur. Quas ergo reticuit? Quæ ad ſalutem Dauidis, & ſociorum tuendam ſpectabant; & quibus ab omni ſibi, & illis incuria & periculo cauebat. Nec enim quieto Dauid & tranquillo animo in vrbe regia degebat. Nam vel ſemper illi & comitibus erat in cuſtodia manendum, turmatim quocunque pergerent incedendum, ſemper armatis, anxiis, ſollicitis; & hoc illis graue, ciuibus odioſum, Regi ipſi ſuſpectum: vel omiſſa cura, negligenter omni ſublata cuſtodia viuendum; & hoc plenum diſcriminis erat. Eſto enim fidem publicam accepiſſet; An hoc non erat aliorum in ſe iniurias prouocare, & ſopitas hoſtium iras incendere, antiqua odia ſuſcitando, ſic omnium iniuriæ expoſitum incedere; nulla alia cuſtodia, quam fide publica, ſed hoſtis perpetui munitum? Vt ergo Dauid ſibi caueret, & ne cauendo Regis offenſionem incurreret minus illi fidendo; & aliorum etiam inuidiam, timorem incutiendo; commeatum ab vrbe regia poſtulauit, & ſimul oppidum in quo poſſet ipſe libere degere cum ſuis. Et hanc rationem non expreſſit, licet eam facilè poſſet Rex, & ciuitas omnia aſſequi coniectando. Quam autem expreſſit? Quod in vrbe regia morando ſuus aduentus inutilis eſſet Regi & Gethæis, & etiam damno-

ſus. *Inutilis*;quia nullæ ex vrbe regia fiebant, aut facilè fieri poterant excurſiones in hoſtile ſolum;milites interim ſui otio torpebant, hoſtium fines non infeſtabant? At etiam *damnoſus*; quia dum in vrbe regia degebat, expenſis Regiis alebatur. Aliter enim pro decoro non fuiſſet regiæ magnitudinis; ſi Principem virum, qualis iam erat Dauid,hoſpitio exceptum, non etiam ſumptu regio benignè ſuſtentaſſet.

Quam ergo vrbem & quomodo recipit? *Dedit*, inquit, *ei Achis Siceleg.* Non ergo tantum inhabitandam; ſed & poſſidendam. Nam,*dedit*, hîc eſt donauit. Quod clariùs indicant verba ſequentia. *Facta eſt ergo Siceleg Regum Iuda vſque ad hodiernum diem.* Ideirco enim in regum Iuda poſſeſſione manſit hæc ciuitas: quia iuſtus titulus eam poſſidendi dominium erat illius vrbis ab Achis Dauidi conceſſum.

Sed ſi liber hic à Samuele conſcriptus eſt; quomodo adiungitur *factam eſſe deinceps vrbem hanc regum Iuda vſque ad hanc diem?* cum longè poſt hæc poſſeſſio facta fuerit Regibus Iuda, quàm Saul extinctus: Sed dicendum hæc & ſimilia verba,quæ nonnunquam in ſcriptoris adduntur,nec poſſunt ab auctore eſſe cui liber tribuitur; illius diſcipulis attribui, vel Eſdræ qui totam Scripturam concinnauit; vel Iſaiæ, aut Ieremiæ, qui libros Regum digeſſerunt, vt ante nos obſeruauit Abulenſis.

Quatuor menſium.] Controuerſia nonnulla eſt quandiu manſerit Dauid inter Gethæos. Difficultatem facit quod ex vna parte habetur hic in vulgata quatuor menſium hanc moram fuiſſe. Ex altera quod eſt in Hebræo *manſiſſe ibi Dauidem dies, & quatuor menſes.* Illud enim *dies*, nonnulli pro anno interpretantur,vt cum aliis [a] Lyranus; & totum manſionis tempus ſuper annum quadrimeſtre fuiſſe volunt. Mouentur primò quod *dies*, in plurali numero frequentiſſimè Hebræis eſt pro anno, vel annis. Vnde illa ſunt toties repetita; *fuerunt omnes dies vitæ eius, tot, vel tot anni* primo quia diſertè Achis ipſe teſtatus eſt diutius inter ſuos & ſecum Dauidem, quam quatuor menſibus diuerſatum [b]. *Eſt*, inquit, *apud me multis diebus vel annis.* Primò denique quia clarè id videntur ſignificare LXX. Agentes enim de tempore manſionis Dauid inter gentiles, ſecundi quoque anni meminerunt. Alij [c] piaculum iam putant ſi ſupra quatuor menſes apud Philiſthæos Dauid fuiſſe aſſeratur. Diſertè enim vulgatam, à qua iam non licet diſcedere, hoc definire. Quam etiam ſententiam, vt D. Hieronymi antiquiores [d] interpretes ſequuti ſunt. Probabilius mihi eſt diuturniorem hanc Dauidis manſionem, quam quatuor tantum menſium fuiſſe, & ſi tempus ſit definiendum; propemodum vt quadrimeſtri ſpatio annus etiam ſit adiungendus. Moueor primò. Quia vulgata quando dicit vniuerſum tempus manſionis Dauidis apud Gethæos, non id abſolutè dicit de tota manſione, ſed de pacata,& quieta, & quæ præceſſit excurſiones Dauidis. Hoc enim ſatis apertè textus ſacræ narrationis inſinuat, qui ſic habet; *Fuit autem numerus dierum, quibus habitauit Dauid in regione Philiſthinorum quatuor menſium.* & ſtatim ſubiungitur; *Et aſcendit Dauid & viri eius, & agebant prædas.* Hic enim modus loquendi ſatis apertè ſignificat, *quatuor menſes*, non eſſe totum ſpatium,quo Dauid in terra Philiſthiim abſolutè manſit; ſed quo apud illos fuit antequam prædas ageret,& finitimos inciperet infeſtare. Quod eſt ſatis rationi conſonum: nam multos dies otiosè in vrbe regia tranſegit: inde Siceleg ad habitandum impetrata illuc ſe contulit: eo vxores ſuas adduxit & comitum ſuorum. Quis autem non videt antequam omnia parata eſſent, quæ domeſtico vſui opus erant, vt vnuſquiſque familiam ſuam componeret; quæ etiam neceſſaria erant ad oppidum ipſum muniendum, & contra ſubitos incurſus, etiam Gethæorum, ſi fidem frangere vellent,obfirmandum, tempus non exiguum effluxiſſe? Nam ſimulatque peruenit Dauid in Siceleg finitimos infeſtaſſe, ſibi difficile perſuadeat, qui viri prudentiam cogitabit. An adhuc incertus ſui priuſquam, ipſe vſpiam pedem figeret, alios conaretur ex gradu deiicere? Conſtat ergo ex his editionem vulgatam contrariæ ſententiæ adeo non fauere, vt potiùs repugnet. Secundò Moueor; quia etiam in contraria ſententia, vulgata deſeritur dum veritas Hebraica defenditur. omnes enim dicunt illud, *Dies & quatuor menſes*; interpretandum vt minimum eſſe de diebus aliquot ſupra quatuor menſes. At hoc iam eſt à vulgata diſcedere. quæ ſpatium tantum quatuor menſium definit. Effugium enim quod aliquot dies ſuper quatuor menſes omittuntur; vt integer menſium numerus apponatur, nõ ſaluat quin aliter in vulgata, aliter in Hebraica veritate dicamus hunc numerum definiri ac proinde alteram ab altera diſcrepare. Tertiò denique, quia nimis id apertè Rex Achis enunciat, dum dicit apud ſe Dauidem multis diebus vel annis eſſe verſatum. An id dici queat de eo qui dies tantum aliquot, ſupra quatuor menſes apud ipſum fuiſſet? Et hæc tantum, vt quod mihi probabilius in hoc apparet inſinuem; alioquin non ignarus; vtrumuis aſſeratur in tenui laborem eſſe.

a Caiet Vatabl. hic. Adricom. in tribu Simeon Verbo, Siceleg.

b lib. 1. reg. cap 29.

c Salian. an. 2979. Emman. Sa, hic. ar. 496.

d Abulen. q. 15. cap. 27. & alij apud illum.

℣. 8.) Et aſcendit Dauid, & viri eius, & agebant prædas de Geſſuri, & de Amalecitis: hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus euntibus Sur vſque ad terram Ægypti.

Et aſcendit Dauid & viri eius.] Quo, & cum quibus & ad quid aſcendebat? *Quo*, ſcriptura dicit in Ieſſuri, Gerzi, & Amalech, de quibus, Primo dubium eſt in vniuerſum an iſtæ eſſent vel regiones, vel populi Philiſthæorum, aut ad illos pertinerent. Affirmant quidam [e]; non tamen ſub ditione regis Gethæorum. Alij probabilius negant: nec enim Dauidem hoc toto tempore prædas vllas ex Philiſtæis; ſed ex aliis tantum gentibus egiſſe, ſatis apertè Scriptura ſignificat dum dicit, egreſſum, Dauidem in regionem meridionalem; ipſi nempe Iudææ terræ, qua tenditur ab ingreſſu deſerti Sur, Ægyptum verſus: at Philiſthæos ad occidentem Iuda nullus ignorat. In ea autem regione auſtrali præter hos tres populos diſtinctè, notatos alij plures incolebant; Idumæi, Madianitæ, Iſmaelitæ, Agareni, Cedareni. Ex his ergo populis qui à Dauide vaſtati ſint; primò Geſſuræos Scriptura recenſet. Qui iſti, & vbi propriè? Geſſur vrbs ſine dubio fuit à qua nomen etiam circumregioni datum, & populis illam incolentibus. Dupliciter autem Geſſur fuiſſe certum quoque eſt; alteram trans Iordanem Syriæ conterminam

e Salian. an. 2979.

Digitized by Google

minam, proptereaque Geſſut Sytiæ appellatam, & pertinebar ad tribum Manaſſæ, licet ab ea uoo
a Ioſue 13. 13. poſſeſſa [a]. *Noluerunt* enim inquit ſcriptura, *diſperdere filij Iſrael Geſſuri, & Machati; & habitarunt in medio Iſrael vſque ad præſentem diem.* Et ita habitarunt, vt ſui iuris eſſent, & ſuis vtentes legibus Regem quoque proprium haberent, ipſo Dauide regnante, oomine Tholmai, cuius filiam Dauid ſibi matrimonio iunxit; ex eaque
b 2 Reg. 3. 3. Abſalon [b], & Thamar ſuſcepit. Altera Geſſur hæc eſt, quam none Dauid aggreſſus extra fines Iſraelitarum, meridiem verſus Amalecitis conterminam. De ea præterquam boc loco nuſquam alibi in Sctiptura mentio. Secundo loco *Gerzai* nominantut. Hi qui ſint diſtinctè ſignari uou poteſt, cum nec de ipſis alibi quidpiam ſcriptura
c Deuter. 3. 14. Ioſue 12. 5. c. 15. 19. commemotet. Vnus tamen Abulenſis [c] Getzæos, Machatæoſque confundit, & vult Gerzi idem eſſe, quod *Machati*; de qua vrbe vel populo ſæpius eſt in ſcriptura mentio. Sed omnino fallitur: nam Machatæi in medio ſui erant Iſraelitarum, vt apertè Scriptura teſtatur [e]. At Gerzæi longe extra Iſraëlitarum fines illis ad meridiem erant, & vt probabile eſt Amalecitis finitimi, vt alij ante nos obſeruatont. Amalecitæ tertio loco diſtinctè pouuotur.

Cum quibus ergo ad hus aſcendit? Non ſolùm cum ſexcentis illis bellatotibus, quos ſecum addoxit; ſed cum pluribus alijs viris fortiſſimis qui ſubinde ad illum aggregabantur. Qui iſti? veteres amici, clientes, ptopinqui, qui hactenos diſſimulauerant. Nunc autem cum viderent tutum ſibi ad illum acceſſum, vtpote fines egreſſum Iſraëlitatum; libere ſe ad illum
d lib. 1. Paral. c. 12. contulerunt. De quibus ſic alibi Scriptura [d] commemorat. *Hi quoque*, inquit, *venerunt ad Dauid in Siceleg cum adhuc fugeret Saul filium Cis, qui erant fortiſſimi & egregij pugnatores tendentes arcum, & vtraque manu fundis ſaxa iacientes & dirigentes ſagittas, de fratribus Saul ex Beniamin*, nimirum ex tribu Beoiamin de qua etiam Saul erat: frequentet enim contribules in Scriptura fratres appellantut. Hos aotem ad Dauidem vel amicitia ptiſtina pertraxit, vel viri nomen vbique iam inclytum, vel quod illorum plerique certiſſimè iam illum in Iſraël regnaturum ſperabant; & ob id illius gtatiam aucupabantur. Plures enim orientem ſolem, venerari; quam occidentem, vetus ſemper & verum verbum fuit. Ex hoc porrò ſoluitur dubitatio, quæ ſcropulum hîc nonnullis iniecit, quomodo potuerit Dauid, aut auſus fuerit cum ſolis ſexcentis viris vrbes munitas aggredi & expugnare; quem nodum vt ſoluerent varia excogitarunt: nempe non vrbes munitas, nec incolarum copia frequentes; ſed vicos ignobiles fuiſſe, & potius mapalia paſtorum. Quicquid enim de hoc ſit; an hæc iuſta oppida fuerint, propugnatorum viribus & loci natora munita; certa tes eſt non ſolos ſexcentos, ſed alios plures ſecum traxiſſe Dauidem, omneſque fortiſſimos; quos nimirum prædæ cupiditas, & Dauidis demerendi ſtudium ad illum excitabat.

Ad quid ergo contra iſtos aſcendebat Dauid? Vt illos deprædaretur. *Aſcendit inquit Dauid, & viri eius; & prædas agebant*. Sed hanc vt auferrent omnia plane ferro flammaqoe vaſtabant, nullo ſexus aut ætatis diſcrimine, mortales omnes intetimendo. Sed tunc animum ſubit inquirere quam iuſtè hoc potoerit? Si de Amalecitis loquamur; dubium nullum eſt quin iuſtiſſimè. De illis enim ſæpius Duminus præceperat vt [e] e. Exodi 17. 14. 16. Deuter. 15. 19. 1. Reg. 15.
viuere non permitterentut. De alijs operoſior aliquanto reſponſio; ſed facillima eſt ſi dicamus Dauidem cum ephod ſacerdotem ſecum habuiſſe, quo non niſi conſulto nihil quod maioris momenti eſſet, aggrediebatur. Hic ergo omnino tenendum fuiſſe quoque à Deo illi mandatum vt illos perderet. Quæ reſponſio mihi magis videtur expedita; quam quæ laborioſius ab alijs excogitatur.

℣. 9.) Et percutiebat Dauid omnem terram, nec relinquebat viuentem virum, & mulierem; tollenſque oues & boues, & aſinos, & camelos, & veſtes, & reuertebatur, & veniebat ad Achis.

℣. 10.) Dicebat autem ei Achis in quem irruiſti hodie? Reſpondebat Dauid: Contra meridiem Iudæ, & contra meridiem Ierameel, & contra meridiem Ceni.

℣. 11.) Virum & mulierem non viuificabat Dauid, nec adducebat in Geth, dicens Ne fortè loquantur aduerſùm nos. Hæc fecit Dauid, & hoc erat decretum illi omnibus diebus, quibus habitauit in regione Philiſthinorum. Credidit ergo Achis Dauid, dicens; Multa mala operatus eſt contra populum ſuum Iſraël: erit igitur mihi ſeruus ſempiternus.

Diſtinctios hîc iam narratut vaſtitas quam Dauid Gentiliom regionibus inferebat. In qua nobis etiam preſſiùs videndum primò, quas prædas ageret. Secundò quomodo. Tertiò, quàm iuſtè. De primo Scriptura dicit auertiſſe illum *oues, boues, aſinos, camelos & veſtes.* Quibus rebus mobilium bonorum genera continentur, domeſticum, & campeſtre. *Domeſticum*, nomine *veſtium* intelligitur; *campeſtre* pet hæc animalia deſignatur. Cùm enim hîc de præda ſit ſermo, certum eſt alia bonorum genera, quàm mobilium, per illam ſpectari non poſſe. Præda enim bonorum eſt quæ auehuntur, qualia tantum mobilia ſunt, aut ſe mouentia. Ex his autem mobilibus alia ſunt ad domum inſtruendam; alia ad fructum gignendum. Ad cultum domus ſpectat ſuppellex cuius pars præcipua veſtes ſunt, non ſolum quibus homines induuntur; ſed quibus tota domus inſtruitur, in ſtragulis, culcitris, auleis. Ad fructum vero, greges, armenta, & iumenta ſunt; Greges ouibus, armenta bobus, iumenta camelis & aſinis deſignantur. Hæc ergo prædabatur Dauid.

At quomodo? Prorſus omnia vaſtando. Eſt autem *vaſtare* diripiendo deſtruere; qui terram aliquam ferro exſcindit, & flamma conſumit, proprie non vaſtat. qui eam tantum diripit nullum alium damnum inferendo; nec etiam vaſtat, ſi propriè loquamur. Vt enim hoc ſit; debet illam prædari, & quod ſupereſt ex præda deſtruere. Quod vtrumque Dauid aduersùs gentiles exercebat. Vidimus de præda; deſtructionem videamus.

videamus. Illa planè ingens erat; hæc prorſus atrox: nam nõ ſolũ vrbes & oppida, &. in iis ædificia & domos exſcindebat; ſed ætatis & ſexus nullo diſcrimine omnes ad internecionẽ de medio rollebat. Quod vtrumque Scriptura ſignificat dum dicit *percuſſiſſe omnem terrã nec reliquiſſe viuentem virũ, & mulierem*. Nam *percuſſiſſe* omnem terram, eſt illam *vaſtaſſe*. Quod eſt, vt dicebam illam deſtruendo diripere. Cum vero adiungitur *non reliquiſſe viuentem virum aut mulierem*; ſignificatur in hac vaſtitate homines non præda abductos in captiuitatem, ſed necatos. Id enim in vaſtitate intelligitur; vt quicquid non diripitur deſtruatur.

Sed hæc omnia quam iuſtè Dauid, præſertim occiſio tot innocentium imbecillioris ætatis aut ſexus? Fuiſſe enim hæc omnia maximè plena crudelitatis & ſæuitiæ, dubitare non poſſumus; an etiam iniuſta fuerint; poſſumus. Sed dicendum nec crudelia propriè fuiſſe, nec iniuſta. Nam, vt iam indicaui, præceptum Domini erat vt quæ gentes à ſuo populo vincerentur; eæ viuere non ſinerentur, Nolebat enim illas in captiuitatem ſeruari, ne capti caperent victores ſuos, & ad falſum cultum impiæ religionis auerterent. Licèt enim de Cananæis propriè dictum [a] ſit: *Percuties eos vſque ad internecionem*. & iterum; *Nullum omnino permittas viuere; ſed interficies in ore gladij*; tamen id quoque de gentibus omnibus intelligebatur; quas Iſraelitæ erãt aliquando ditioni ſuæ ſubiecturi. Non ergo hoc iniuſtum potuit eſſe, quod Dei fuit iuſſione peractum; ac proinde nec atrociter, nec crudeliter factum videri poteſt. quia nihil iuſtum eſt, quod crudele meritò poſſit appellari: Seuerè quidem factũ dici poterit; atrociter, non poterit.

a Deut. 7. 1.

Maius eſt; an ſi non crudeliter, nec iniuſtè, ſaltem cum fraude & malo dolo geſta hæc à Dauide fuerint. Ambigendi cauſam præbet, quod hæc omnia ſimulauit, quaſi contra Iſraelitas, & veri Dei cultores: non contra ethnicos & gentiles à ſe patrari. Quod quando alio crimine careret; mendacij certe culpa vacare non poteſt; præſertim cum interrogante Achis, diſerte Dauid ex Iſraelitis hæc arrepta eſſe reſpondit. Interpretes in hoc diuiſi ſunt. Alij [b] Dauidem officioſi mendacij condemnant. Alij [c] ab omni culpa abſoluunt. Alterorum cui amplecti placuerit, auctores vtrobique quos ſequatur habebit.

b Abulen. q. 25. Serrar. hic.
c Salian. an. 2918.

Virum & mulierem non viuificabat Dauid.] *Viuificare* hìc eſt *non occidere, in vita relinquere, vitam non eripere permittere vt quis viuat*. Quod valde notandum eſt vt intelligamus vocabula quæ propriè actionem ſignificant in ſacris litteris frequenter vſurpari tantum ad permiſſionem ſignificandam. & quæ valent in ſua proprietate *facere, promouere, iuuare*, pro eo tantum poni quod eſt *non impedire*. Quæ maximè faciunt ad ea intelligenda quæ de Dei concurſu circa hominum peccata aliquando in ſcriptura dicuntur. Cum enim de illis agitur, ſæpe verba illa Deo tribuuntur, quæ videntur effectionem importare; cum tamen ex idiotiſmo notiſſimo, & frequentiſſimo nihil aliud contineant, quàm nudam permiſſionem.

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT XXVIII.

ARGVMENTVM.

PALESTINIS iterum bellum aduersùs Iudæos reparantibus, Saul quò potiſſimùm egrederetur, aut quid tentaret incertus, oraculum adiit, animo cæca trepidatione deiectus; à quo nullum reſponſum cùm retuliſſet, ad vetitas artes conuerſus eſt, Per mulierem ergo, cuius viſcera ſpiritus erroris impleuerat, Samuelem euocat, alloquitur, interrogat, de ſumma Iudaicæ rei ſollicitus inquirit; triſtiſſimum reſponſum refert, futurum vt poſtera die Iudaicis copiis ad internecionem cæſis, ipſe cum liberis in acie extinctus præceps ad inferos agatur. Hac ille denunciatione perculſus, & ſimul corporis viribus defectus, diu iacuit conſternatus. Inde verò ſuorum vocibus tantiſper erectus in caſtra regreditur, & ad infalicem pugnam accingitur; ad quam illum cæleſte decretum vocabat; & ſua ſcelera perurgebant.

℣. 1.) Factum eſt autem in diebus illis, congregauerunt Philiſthiim agmina ſua, vt pararentur ab bellum contra Iſrael: dixitq; Achis ad Dauid. Sciens nunc ſcito, quoniam mecum egredieris in caſtris tu & viri tui.

℣. 2.) Dixitque Dauid ad Achis; Nunc ſcies quæ facturus eſt ſeruus tuus. Et ait Achis ad Dauid; Et ego cuſtodem capitis mei ponam te cunctis diebus.

℣. 3.) Samuel autem mortuus eſt, planxitque eum omnis Iſrael, & ſepelierunt eum in Ramatha vrbe ſua, & Saul abſtulit magos, & ariolos de terra: & interfecit eos, qui pythones habebant in ventre.

℣. 4.) Congregatique ſunt Philiſthiim, & venerunt, & caſtrametati ſunt in Sunam: congregauit autem & Saul vniuerſum Iſrael, & venit in Gelboe.

IN *diebus illis*.] Quibus Dauid in Siceleg habitauit. Qui dies omnes expleuerunt

Digitized by Google

runt vnius anni ſpatium & quatuor menſes. Malè autem qui putant apparatum hunc bellicum Philiſthæorum in finem manſionis Dauid inter illos eſſe referendum. Tantum enim eruptio ipſa,& egreſſus militaris cum copiis inſtructis in illud tempus incidit. Apparatus vero ad egrediendum,etiam cœptus eſt agitari cum Dauid inter illos maximè verſaretur.

Congregauerunt agmina, vt præpararentur ad bellum.] De bello Iſraelitis inferendo inter ſe conuenerunt, in id delectus habuere, cohortes conſcripſere, quod eſt *agmina congregaſſe.* Nec enim ſignificat hoc,inſtructum iam exercitum in aciem educere; aut ſub ſignis, campis inſultare; quia non eſt hoc præparari ad bellum, ſed illud inferre, & ſerio gerere. Hic autem dicuntur *agmina congregaſſe* Philiſthiim,vt præpararentur. Non eſt ergo hoc aliud, niſi cohortes conſcripſiſſe,& ſub ſua ſigna milites coëgiſſe.

Philiſthiim.] Qui iſti? Quinque illi notiſſimi populi Gazæi, Aſcalonitæ, Azotij, Accaronitæ,Gethæi,de quibus ſupra [a] pluribus.

a Cap 7.

Sciens nunc ſcito.] Hebraiſmus notiſſimus pro eo quod eſt omnino certum habeas mihi deliberatum, vt in hac expeditione mecum ſis aduerſus Iſraelitas. Repetitio enim illa *ſciens ſcito*,magnam aſſeuerationem continet aliquid ſerio denunciantis.

Nunc ſcies quæ facturus eſt ſeruus tuus.] Ambigua reſponſio verbis in neutram partem certò propendentibus temperata. Quam tamen Achis in rem ſuam intellexit, & pro voto quod agitabat. Itaque ſtatim ſubiungit; *Et ego cuſtodem capitis mei ponam te cunctis diebus.* Quod eſt conſtituam te Prætorianorum militum præfectum, cuius præcipua cura eſt in ſalutem & tutelam regij capitis excubare. Dubium porro grauiſſimum hic eſt,quomodo Dauid hoc admittere potuerit;& operam ſuam Regi ethnico deferre aduerſus gentem ſuam,& populum illum qui hæreditas Domini dicebatur. Omitto multa quæ latius in Diſputationibus exquiruntur. Satis nunc ſit duo breuiter admonere. Alterum nihil hic Dauidem peccaſſe. Siue enim Gethæo Regi operam ſuam verè deferre potuerit,ſiue non potuerit,de quo non diſputo;certe verba quæ Regi ſe appellanti reſpondit,nullam talem promiſſionem continent. Ambigua enim ſunt,vt iam monui. Quod ſi Achis aliorſum, & pro eo quod animo deſtinauerat,illa intellexit;id non Dauidi loquenti;ſed illi malè intelligenti eſt [b] *imputandum.* Alterum quod obſeruandum hic eſt, nimis hac in re ſeuerum ſe iudicem, & præter morem ſuum Caietanum præſtare. Nam non contentus condemnare Dauidem quod inconſulte, improbe,temerè multa dixerit & patrauerit; illius inſuper intima viſcera rimatur,& occulta conſilia, cogitationeſque cordis introſpicit, vt ibi reperiat vnde Dauidem accuſet, & paradoxum contra illum proferat hactenus piis omnibus inauditum; nempe Dauidem longè grauius & plura peccaſſe quam Saulem;& in his quæ cum Achis tranſacta ſunt,non ſolum mendacem, ſed ingratiſſimum & proditorem fuiſſe. *Mendacem*; quia aliud omnino pollicitus quam præſtaturus; *ingratiſſimum*,quia contra Achia inſurgere deſtinauerat,à quo tanta benignitate receptus,detentus, ditatus;*proditorem*,quia militem illius profeſſus, illum erat oppugnaturus,arma contra illum vertendo, quæ Sacramento ſe adſtrinxerat pro illo

b Salian.an. 1979.

ſumpturum. Ex quibus Caietanus admirando concludit inſcrutabilia eſſe diuina iudicia,quando propter vnicum peccatum illudque non grauiſſimum,Saul ex Regno deiectus, & vita priuatus: Dauid vero tot peccatis & grauiſſimis implicitus, non ſolum ſit toleratus, ſed ad regnum euectus. Hæc, inquam, in Dauidem virum ſanctiſſimum contra communem Eccleſiæ ſenſum à Caietano [c] declamata, notanda ſunt, vt ab illis caueamus. Videntur enim non tantum Dauidis accuſationem continere,ſed etiam diuinam prouidentiam, eiuſque iudicia damnare; quod aliquam haberet excuſationem, quando de rebus ageretur, quæ pari rationum pondere librarentur,& tenui tantum diſcrimine diſtarent. Nunc de Saule agitur,& de Dauide; de illius immanitate, & vecordia per tot ſcelera debacchata, de huius fragilitate tam ſerio deinde ab illo defleta. Vnde ergo Caietano ſubit Dei iudicia profunda,incerta, inſcrutabilia mirari circa Saulem & Dauidem;quod illum abiecerit, hunc eius loco ſubſtituerit;illum oderit, hunc vnice dilexerit? Sed de hoc aliàs.

c Salian. an. 1979 n.33.

Samuel autem mortuus eſt. Quorſum hîc iterum obitum Samuelis inſerere? Hebræi dicunt quia Saul ipſum erat aditurus, ſi vixiſſet; & vt cur non adierit intelligatur, eius hic obitum iterum inculcari. Noſtri, quia de eius vocatione paulo poſt ſubiicitur, iccirco ipſum extinctum denuo referri.

Et abſtulit magos, & ariolos.] Quando hoc à Saule? Cum nullus adhuc erat in tota gente iudaica melior illo. Qui autem hic *magi*, Græcè *ventriloqui* dicuntur;de qua voce paulo poſt; & qui,*arioli*, *cognitores*. quibus ſcilicet propoſitum eſt,vt occulta cognoſcant, fas omne, nefaſque confundere. Cæterum,hoc nunc de horum expulſione refertur,vt intelligatur quantæ difficultatis fuerit, talem reperire mulierem; & in hoc flagitio patrando,non inſcitia Saulem, aut incogitantia,ſed malitia peccaſſe.

Congregati ſunt Philiſthiim in Sunam, & Saul in Gelboe.] Eodem nempe die,vt accurati temporis enarratores [d] obſeruant, quo Philiſthæi in Sunam,Saul in Gelboe caſtra cum vniuerſo exercitu metati ſunt.

d Salian an. 1979.n.38.

In Sunam.] Circa *Sunam* in Ioſue [e] *Sunem*, apud LXX. & Ioſephum *Senam* appellatam,quæ fuit ciuitas in tribu Iſachar, ad Auſtrale latus montis Hermon, vt ait Adrichomius, [f] & poſt illum Salianus. [g] D. Hieronymus apud iſtos vicum eiuſdem nominis agnoſcit qui ſuo tempore adhuc in finibus Sebaſte,ſiue Samariæ viſebatur; quæ cum longè diſtet ab Iſachar apparet hanc *Sunam* de qua nunc ſermo,eſſe non potuiſſe. De hac autem ciuitate ad quam nunc caſtrametatur,inſignes illæ duæ mulieres fuerunt, quarum altera Abiſag, idonea viſa eſt, quæ [h] Dauidis ſenectutem foueret;altera, [i] cui cum Eliſæo ius intercedebat arctiſſimæ hoſpitalitatis. Vtraque enim Sunamitis erat.

e Cap.19.18.
f In Iſacar. n.57.
g an. 1979.
h 3.Reg.1.
i 4.Reg.

Vniuerſum Iſrael.] Cum Scriptura copiarum numerum non definiat, ſi coniecturæ locus eſt haud improbabiliter poſſumus affirmare ſupra trecenta Iſraelitarum,Iudæorum verò pluſquam triginta millia ſecum traxiſſe Saulem. Moueor quod cum diu bellum Philiſthæi apparauerint, & id Saul reſciuerit(nec enim aliter eodem fere momento illis potuiſſet occurrere) qui nec viribus,nec numero, nec Iſraelitarum odio mi-

ous

Digitized by Google

nus erant timendi, quam Ammooitæ; probabile noo eſt Saulem minores aduerſus iſtos copias paraſſe, quam contra Ammonitas eduxerat. At contra Ammoniras à Samuele ſimul, & Saole trecenta Iſraelitarum millia, & triginta Iudæorum, ſiue ex tribu Iuda ſuh ſignis educta ſunt; Quæ ergo ratio vt cootra Philiſthæos pauciores educerentur? An minus iſti, quam illi caoendi? & cur? An nomerus homioum io Iſraele minutus? Et vnde? Nulla ah eo tempote clades Iſraelitis illata, ńolla temporum calamitas ſequuta, nulla ea cæli intemperie peſtis; ſed omnia læta pace floruerant. Ratio ergo potiùs eſt vt aoctos in immenſum Iſraelitas exiſtimemus, & maiores inde delectus aduerſus Philiſthæos habitos, qoam cootra Amalecitas. Tantæ ergo Saulis copiæ fuere, vt non improbabiliter dicere poſſimus quadringeota hellatorum millia ſuperaſſe. Quod aliis [a] etiam aote nos video placuiſſe. At vhi caſtra raotæ moltitudini capta ſunt?

a Salian. an. 2979. n. 42.

In Gelboe.] Mons erat, vt Ioſepho placet in eadem tribu Iſachar, ſitus è regione Sunam; ſic vt Saulis, & Iodæorum caſtra Meridionalem plagam occuparent; Philiſthæi vero ſepreotrioaalem circa mootes Hermon. Vtroſque autem vallis Ieztael inretiecta dtuideret de qua ſermo ſequeoti capite [b].

b verſ. 11.

ỳ. 5.) Et vidit Saul caſtra Philiſthiim & expauit cnr eius nimis.

ỳ. 6.) Cnnſuluitque Dnminum, & nnn reſpondit ei neque per ſomnia, neque per prophetas.

ỳ. 7.) Dixitque Saul ſeruis ſuis; Quærite mihi mulierem habentem pythnnem & vadam ad eam, & ſciſcitabnr per illam. Et dixerunt ſerui eius ad eum: Eſt mulier pythonem habens in Endor.

ỳ. 8.) Mutauit ergn habitum ſuum, veſtituſque eſt aliis veſtimentis, & abiit ipſe, & dun viri cum eo, venerúntque ad mulierem nocte, & ait illi: Diuina mihi in pythone, & ſuſcita mihi quem dixern tibi.

ỳ. 9.) Et ait mulier ad eum: Ecce, tu nnſti quanta fecerit Saul, & quomodo eraſerit magos & harinlns de terra. Quare ergo inſidiaris animæ meæ, vt occidar?

ỳ. 10.) Et iurauit ei Saul in Dnminn dicens: Viuit Dnminus, quia nnn eueniet tibi quicquam mali propter hanc rem.

Et vidit Saul caſtra, & timuit.] Vnde vidit, & cur iode taoto pauore correptus? Com caſtra Iudæorum eſſent io monte locata; Philiſthæi verò ea adoerſo valle Iezrael inrercedente in planitie retcodiſſent; facilè Sauli fuit in tumolnm aliquem teliqois editiorem, & caſtris hoſtium magis propinquum euadere, & ea eo vires hoſtium ſpeculari; quod manus maaimè proptiom Ducis eſſe, ſuo loco plutibus eaplicahitor. Nec enim facile aliis, quam ſibi ipſi de oumero, & robore hoſtilium copiarum credere debent. At vnde ex hac exploratione taotus illi terror iniectus; aut quid vidit in hoſtium caſtris, quod illom tantopere rerrere dehuerit? Ao quod fortiores milites haberent? At hoc probaturus erat eoentus, non ocoli poteraot eaplorare. Ao quia numero bellatorum hoſtium copiæ ſuperabant? At in principio regni ſui Philiſthæorum congreſſum non timoit, com ſeacentos tantom milites haberet; illi vero cootra Iſrael triginta millia curruum, ſex millia equitum, & reliquum ſine nomero vulgos, vt arenam qoæ eſt in litrore maris, eduxiſſeot. Quid ergo nunc, & vnde tantopere timet, & quis, aut qualis hic timor? Liberè dicam, timorem cœcom, inconſulrumque fuiſſe; De qno Saul ipſe rogatus qoalis, aur qua de re eſſet, aut qoid, & quare timeret; nec certum ſignate reſponſum putuiſſet, quorſum, aot qoid trepidaret ignarus; tantum ſibi conſcius, quod intimis viſceribus timore concnteretur. Vnde ergo cœcus hic terror? Ea duplici cauſa. Primo, ex aoimo ſibi male conſcio. Secundo, ex ingenti infortunio proxime ſequuturo. Quando ſexcentos illos viros in Philiſthæos eduxit impauidus, ralis adhoc erar Saul vt alius in Iſrael ilio melior non eſſet. in virum alterum mutatus eſt, flagitia ſuper flagitia cumulauit, inde mens tot ſcelerum rea, ſihique male conſcius animus, omnia etiam tota timere cœpit; quanto magis ergo plena diſcriminis timeret? Et hæc prima cauſa timoris, præterita ipſius ſcelera ſpectahat; quorum, vt ille dicebat, aſſidui comites ſunt pauor & metus, vt metirò cecioerit.

O ſemper pauidum ſcelus!

Altera cauſa, non ea præterito, ſed ea futuro pendebat; non ex ſcelere; ſed ea ſupplicio. Suprema ſors Saulis in proaimo erat, infauſta, infanda, miſera. Neſcio autem quo pacto magna infortonia & ingentes calamitates qoo proprius admooentur, animum cæca qoadam mœſtitudine deiicioor, ſoa ſibi mala præſagientem; ita vt nec attolli, nec erigi vocibus vliorom poſſit, licet adhoc oihil habeat aut afferre poſſit vode triſtetur. Er eſt illa cœca trepidatio magni prænuncia luctus paulo poſt ſequuturi. Siue quod magna mala ſuos velut apparitores habeant cœcos terrores & metus; ſiue quod animus ipſe qui tot aliquando præſentit, cœca quadam diuinatione mala ſibi ſua trepidando præooncier, neſcius vnde trepidet, at quid formider. Tertiam caoſam Abolenſis [c] addit; immiſſum Sauli diuino conſilio terrorem, vt oraculum conſuleret, pythooiſſam ioterrogaret, Samuelem audiret ſoas ſibi clades eounciantem, vt inde graoios & diotius cruciaretur. Primò, denonciatione mali, tum triſti eios toleraotia. Melius diaiſſet, immiſſum à Deo vt reſipiſceret, & ad illum ſeriò colendum verteretur.

c Quæſt. 11. in c. 28.

Conſuluitque Dominum.] Quomodo conſuluit? De multiplici ratione Deum cooſuleodi: & eius reſponſa ſciſcitandi; ſupra ſatis expoſuimus. Hic dubium eſt qua ratione Deom Saul interrogaoerit. Ambigendi ratio; quia quæ ſubiiciuntur iodicant eum per ſomnia, per ſacerdotes, per propheras interrogaſſe. Cum eoim Scriptora dicat per nihil horum Deum conſultum reſpoodiſſe; tacitè qoidem, ſed ſatis indicat illum per hæc eadem Deum ioterrogaſſe. At noo apparet quomodo Saul per hæc interrogare potuerit. Nam per ſomnia; nouum erat; &

ſonſita

inuſitatum. nec enim poteſt ediſſeri quomodo Deus per ſomnia conſuleretur. Per ſacerdotes & Prophetas non poterat; cum neutros haberet. illos enim internecione deleuerat; iſtos abegerat ſæpe contemnendo. Ad hæc ſacerdotes oracula Dei non aliter fundebant, quam per ephod: at ephod Abiatar ſecum abſtulerat qui cum Dauid erat. Non ergo per ſacerdotes Deum potuit interrogare.

Propter hæc interpretes diuiſi ſunt. Qui-
a Auct. tradit. nom Hieron. Lyran. Dionyſ.
dam [a] volunt per hæc omnia Deum à Saule conſultum; per ſomnia, per ſacerdotes, per prophetas. Cum obiicitur nullam fuiſſe rationem per ſomnia conſulendi; negant hoc. Sicut enim Deus olim occultos euentus per ſomnia reuelabat, non ſolum bonis & piis vt Ioſepho, & Salomoni, ſed & impiis, vt Pharaoni & Nabuchdonoſori; ſic etiam ſolitum per ſomnia cõſuli. Mo-
b Lyran. & Sanc. hic. Sa Abulen. q. 22. c. 28.
dum autem conſulendi fuiſſe dicunt [b] vt oratione & ieiunio, diuino oraculo præpararentur. At quod de ſacerdotibus dicebatur illos aut nullos, aut ſine ephod fuiſſe apud Saulem; vtrumque falſum. Nam licet omnes qui fuerunt in Nobe, Saul extinxerit; adhuc tamen multi ſuperſtites aliis in vrbibus fuerunt. Ephod autem non vnicum erat. Vnde licet Abiatar ſuum ſecum, quod præcipuum erat abſtuliſſet; poterant alij ſacerdotes ſuum aliquod ephod habere. Denique quod de prophetis adiungitur, minus valere dicunt. Quando enim Saul illos contempſiſſe narratur; aut illos ex terra Iſrael abegiſſe?

c Salian. an. 2979. n. 56.
Alij [c] tamen probabilius exiſtimant Saulem Deum conſuluiſſe vt ſuam voluntatem, & incerta belli ſibi reuelaret. Quod eum Deus abnueret; hoc eius ſilentium per partes exprimi, non ſolum vniuerſe negando Deum reſpondiſſe; ſed ſingulas ſpecies recenſendo, quibus Deus cum hominibus loqui ſoleret, & earum nullâ reſpondiſſe narrando.

Dixitque Saul ſeruis ſuis.] Triduum totum Saul expectauit, dum aliquod à Deo reſponſum ſibi redderetur. Sua ſpe fruſtratus, & impatiens moræ, quaſi non tantum dixit,

Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta mouebo.

A Deo deſertus, ad ſatanæ caſtra confugit, & mulierem pythoniſſam ſibi reperiri mandauit. In quo dubium eſt, primò cur hoc diuinationis genus exquiſierit. Secundò, cur per mulierem. tertiò, an & quantum in hoc peccauerit. De primo dubitandi ratio ex ipſomet Saule deriuatur. ipſe enim iam pridem hariolos omnes magos, diuinos, maleficos exterminauerat. Cur ergo nunc illos expoſcit? An eius oblitus quod tam ſeuere mandauerat, & ardenter adeo, vt efficeretur, inſtiterat? Et ſi non oblitus; quomodo quæri ſibi vult, & ſiſti qui nuſquam erant, quos procul exegerat, aut prorſus extinxerat? Reſpondeo Saulem nihil eius oblitum quod edixerat, hoc nunc ſuis mandare; ſed probè gnarum improbos ſemper ab vrbibus arceri; ſemper tamen in vrbibus reperiri, non dubitauit plures adhuc hariolos in terra Iſrael eſſe, quantumuis omnes exulare iuſſiſſet. Hoc nouum non eſt in omni genere nocentium & maleficorum: ſemper fures, adulteri, fraudatores ex humano conſortio pelluntur, vel eum vita priuantur, vel cum ſolum vertere coguntur; ſemper tamen in mediis vrbibus herba veluti irrigua ſuccreſcunt. Quod ſi verum eſt in omni genere, maxime valet in iis qui per vetitas artes occultorum notitiam pollicentur. Rectiſſimè dixit ille de mathematicis & diuinis; *Genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod in ciuitate noſtra & vetabitur ſemper, & ſemper retinebitur.* Nimirum, quia dum exilia mulctantur, & ſolum vertere iubentur plures identidem patronos habent, à quibus occultantur & aluntur. Hoc cum Saul non ignoraret audacter vnum aliquem iſtorum ſibi mandat adduci; certus non omnes exactos, quantumuis omnes exigi ipſe mandauerit.

At cur mulierem potius conſulendam ſibi putauit, quam viros? Quia ex hoc ſexu plures in Iudæa adhuc ſupereſſe non dubitabat quod dubitare poterat de viris. Primò quia longè plures mulieres, quàm viri per has vetitas artes inſaniunt: facilius ergo poterant ex illo ſexu, quam ex virili ſupereſſe, hac ſacrilega ſuperſtitione contaminati. Secundò quia viri faciliùs & à pluribus cognoſcuntur; ac proinde minus poſſunt latere. Tertiò quia mulieres plures reperiunt à quibus occultantur. Quartò denique quia ſciebat in omni crimine, ſed in hoc ſuperſtitioſæ diuinationis, viros à fœminis ſuperari; magiſque obnoxias illi eſſe. Vnde non dubitabat edictum ſuum minus ab illis quàm à viris obſeruatum.

An ergo Saul hîc peccauit? Omnino, & quidem grauiſſimè. Primò ex vniuerſali ratione, qua Deus omnes generali præcepto conſtrinxit ne tales artes adhibeant ad occulta ſciſcitanda, aut homines talium peritos interrogent vt per illos occulta doceantur [d]. *Non inueniatur,* inquit, d Deuter. 18. 10.
in te qui hariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia, atque auguria; nec ſit maleficus, neque incantator, nec qui pythones conſulat, nec diuinos, aut quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter huiuſmodi ſcelera delebit eos in introitu tuo. Quæ prohibitio alibi ſæpiùs inculcatur, in Leuitico [e] præſertim vbi qui hoc e Cap. 19. 31.
audeat, inimicum ſibi depoſcere videtur, in quem ipſe per ſe Deus inſurgat, & ad mortem perſe- Cap. 20. 6.
quatur. *Anima,* inquit, *quæ declinauerit ad magos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam de medio populi ſui.* Interficiam, inquit illam. non dicit vt à magiſtratu interficiatur; ſed *ego?* inquit, *interficiam.* Quod hîc Sauli contigit, dicente Scriptura. [f] *Mortuus eſt* f 1. Paral. 10.
ergo Saul propter iniquitates ſuas, eo quòd præuaricatus ſit mandatum Domini; ſed inſuper etiam pythoniſſam conſuluerit, nec ſperauerit in Domino, propter quod interfecit eum & tranſtulit regnum eius ad Dauid filium Iſai. Secundò grauiùs adhuc peccauit; quia nullam poterat excuſationem prætexere, quaſi non in totum, aliqua ſaltem ex parte culpa flagitij minueretur. Quos enim ipſe expulerat, nunc vltrò reuocat; quos ab aliis aditi vetauerat, ipſe nunc adit. Quid ergo poteſt afferre vnde hoc ex obfirmati pectoris inſania profectum non cenſeatur?

Quærite mihi mulierem habentem pythonem.] Dubium hîc quale genus maleficarum propriè ſint pythonem habentes; deinde, an hæc propriè pythoniſſa fuerit.

De primo; *pythoniſſa* mulier ſiue *pythonem* habens, Hebraicè dicitur בַּעֲלַת אוֹב *Domina*, ſiue *potens Ob*, ſiue *Oph.* quod ſignificat habere *ob*, aut *oph* in poteſtate. Quid ergo eſt Hebræis אוב g Leuit. 19. 31.
Ob? Non eſt planè certum vt conſtat ex diuerſis Cap. 20. 6.
ſcripturæ [g] locis, in quibus variè vertitur. ſed ex- Deut. 18. 11.

Sepran. in Dauid.

R preſſior

preſſior eius ſignificatio vas, vtrem, & dollum ſonat. LXX. autem & alij Græci habentem *ob*, vel *oph*, vertunt ἐγγαστρίμυθον, id eſt *ventiloquum*, vt eſt apud Heſicbium [a], quem poſſe quoque *vtriloquum* appellari, Serratius [b] obſeruat. Alij volunt *ob*, & *oph* ſignificare *ſerpentem*, quem Græci *pythona* appellant (quæ vox aliquibus etiam dolium ſonat) à quo Apollo Pithius dictus eſt quod *centum pythona ſagittis confeciſſet*. Cum ergo Apollo oraculorum omnium præſes haberetur, eius miniſtri per quos ille oracula fundebat Pithij quoque, vel Pithiæ & pythoniſſæ dicebantur, quaſi pithyium, Apollinem ſcilicet qui pithius erat, habentes, & inde factum vt quæ Hebræis *habens ob*, vel *oph*, dicitur; Græcè *habens pythonem*, ſiue *pythoniſſa* dicatur. Quomodo autem *pythonem* habebant? In ventre, quaſi in vtre illum concipientes. verè enim ſpiritus iſte nequam quos afflabat, velut vtres, & tamquam vaſa, eorum ventres implebat. Modum plures explicant ſacri [c], & prufani [d] auctores. Mulier enim quæ hoc profitebatur tripodi diuaricatis cruribus inſidebat, cum interim infernè per os anguſtiſſimum halitus erumpens obſcænas fatidicæ partes ingrederetur, & inflatam ſimul etiam vatem redderet; vt non mirum ſit quæ vento plena prophetabat, digna tantum prompſiſſe, quæ ventis mandarentur.

a Leuit. 33.
b quæſt. 1. in cap. 28.
c Origen. l. 3. & lib. 6. cont. Celſ. Chryſ. apud Eugub. l. 8. de peren. Phil. cap. 37.
d Plutarc. de defect. orac.

Propriè ergo pythoniſſa, ſiue pythonem habens, fœmina erat quæ ventre tanquam vtre vel doliu erroris ſpiritu concepto, occulta humanæ intelligentiæ loquebatur. Dubium nunc eſt quomodo hæc oracula funderet. ſunt qui putant ore prompſiſſe. Ventriloquam enim à Græcis dictam, non quod ventre loqueretur, ſed quod ventre priùs erroris ſpirito repleto conſulentibus reſponſa ſignaret. Sed magis recepta [e] ſententia eſt fatidicas iſtas, inſanum ſpiritum non ſolùm ventre concepiſſe, ſed eo repletas, ventre quoque reſponſa dediſſe. qua in re fœdiſſimam turpitudinem gentilium ſacrorum meritò ex hac quoque parte veteres [f] Patres exagitant. Quid enim fœdius auditu, quam prophetidem & ſacrorum antiſtitam foramini ſacri ſpecus diuaricatis cruribus inſediſſe; inde per muliebria fatidici ſpiritus auram concepiſſe, & per eadem pudenda voces deinde ſpurciſſimas emiſiſſe? Ob hoc ergo ventriloquæ dictæ, quod tali pacto reſponſa referrent. Cuiuſmodi ſe vnam vidiſſe teſtatur Rodiginus [g]; per cuius obſcænas partes ſonus emiſſus in verba formabatur. Hæc ergo mulier quam Saul ſibi iubet inquiri, propriè ne talis erat & ex earum genere quæ fanaticum ſpiritum tam fœdè conciperet, & tam ſpurce redderet? An talis fuerit incertum eſt. illud certum; hoc diuinandi genus nec ab illa quæſiuiſſe Saulem, nec illam exercuiſſe; tantum enim ab illa quæſiuit vt excantatos manes ſibi ſiſteret, & hoc illa præſtitit. Quod diuinationis genus non ad pythones ſpectat propriè ſumptos; ſed longè eos etiam continet qui necromanticè dicuntur, vt alij [h] ante nos obſeruarunt.

e Viues 7. de ciuit. c. vlt. Rodigin. libr. 8. cap. 10. Lorin. apud quē alij Act. 16.
f Origen. Chryſoſt.
g lib. 8. Ant. lect. cap. 10.

In Endor.] Ciuitas fuit intra ſortes Iſachar; ſed quæ ad Manaſſæos pertinebat, vt conſtat ex libro Ioſue. De qua hæc Maſius accuratiſſimus eorum explanator, quæ terræ ſanctæ deſcriptionem continent. *Endor*, inquit, *quod eſt ac ſi fontem Dore dicas. Exiſtebat in iugo quod à monte Tabor Auſtrum verſus decurrit, atque Hermenem minorem; vrbs excitato ab inferis Samuele nobilitata. Et hanc quoque propè torrentem Ciſon fuiſſe; argumento ſunt Regij vatis verba, quibus commemorat cladem, qua Siſara præfectus Regis Iabin apud illum torrentem afflictus eſt à Delbora & Baraco.* Hæc Maſius, quibus illa conſentiunt, quæ de eadem Vrbe ab Adrichomio traduntur [i]. Porrò certum eſt non longe admodum à Sunam, & Gelboe ſitam fuiſſe; quando Saul à Pythoniſſa digreſſus, eadem nocte caſtra repetiit, vnde diſceſſerat, in Gelboe prope Sunam locata. Adrichomius vult quatuor tantum horarum itinere diſtaſſe; licèt Saul totum fermè diem in eo conſumpſerit, vſus fortaſsè circuitu, vt hoſtium ſtationes prope tendentium vitaret; aut ne in eorum manus incurreret, qui paſſim vagabantur.

h Abul. q. 22 cap. 28. Martin. delr. lib. 4. c. 2. q. 6. ſect. 2. diſp. Mag. Salian. ann. 2979. n. 68.
i In Iſachar. num. 17.

Mutauit ergo Saul habitum ſuum.] Ad quid habitus iſta mutatio? vt occultius è caſtris abiret: vt in itinere non agnoſceretur ab obuiis vt pythoniſſa nihil vereretur artem ſuam prodere, & exercere; fortaſsè negatura, ſi Saulem primo conſpexiſſet, regem ſuum qui tam ſeuere pythones omnes exterminauerat ex terra Iudæa.

Abiit ergo ipſe, & duo viri cum eo.] Probabile eſt Saulem quod ſeruis ſuis edixerat, vt ſibi pythonem quærerent, non omnibus, ſed certis duntaxat, & ſecretò dixiſſe; ne ſi percrebuiſſet inter ſuos ipſum incantatores adire, & aduocare, quos Deus non ſolum iubebat expelli; ſed ipſe quoque acerrime fuerat perſequutus, omnium odium infamis & execrabilis incurriſſet. Propter hoc ergo, & in diſſimulationem ſui compoſitus, hæc omnia peregit, & hos tantùm duos viæ comites aſſumpſit, eos fortaſsè, qui ſibi indicium detulerant vbi pythoniſſa lateret.

Diuina mihi in pythone.] Quod eſt; Aliquid volo à te quærere & ediſcere ope pythonici ſpiritus, quo tu repleta, & quem in poteſtate habes.

Cur inſidiaris animæ meæ.] Callidè mulier ſe negat impij huius artificij peritam, verita ſcilicet ne qui illam alloquebatur, occultus explorator eſſet à Saule ſubmiſſus ad pythonicos deprehendendos. Temperat itaque ſic orationem ſuam; vt dum interrogationem hanc ad calumniam ſibi ſtruendam factam queritur, innocentem ſe talis ſacrilegij demonſtret.

Iurauit illi.] Et hoc iuſiurando grauiter offendit Saul, & eo emiſſo nihil adſtringebatur. *Peccauit*, quia cùm ſupremus ipſe Princeps eſſet, ac proinde deberet ab omnibus exigere obſeruantiam cæleſtium mandatorum; & illud in primis ipſe exequi deberet, quod maximè ad illum ſpectabat, de maleficis occidendis, contrario ipſe iureiurando voluit adſtringi, vt quod Deus facere iubebat, id ille negligere teneretur. Eo autem non *adſtringebatur*; quia turpe quodcunque iuramentum, ſi ſeruetur, improbitatem duplicat iurantis; quæ vt minuatur, malè iuratum, ſaltem debet bene [k] reſcindi.

k Vide Abulen. q. 26 cap. 20.

℣. 13.) Dixitque ei mulier: Quem ſuſcitabo tibi? Qui ait Samuelem mihi ſuſcita.

℣. 12.) Cùm autem vidiſſet mulier Samuelem, exclamauit voce magna, & dixit ad Saul: Quare impoſuiſti mihi? Tu es enim Saul.

℣. 13.) Dixitque ei Rex; Noli timere. Quid vidiſti? Et ait mulier ad Saul:

Deos

Deos vidi aſcendentes de terra.

℣. 14.) Dixitque ei : Qualis eſt forma eius ? Quæ ait ; Vir ſenex aſcendit,& ipſe amictus eſt pallio. Et intellexit Saul quod Samuel eſſet ; & inclinauit ſe ſuper faciem ſuam in terra, & adorauit.

Quem ſuſcitabo tibi?] Ex his apparet hanc mulierem pythoniſſam,quod ſupra monui ex eo genere fuiſſe, quæ necromanticæ dicebantur, & per mortuorum euocationem diuinabant. Hoc enim Saul ipſe ſignificat dum vult illam ſibi in pythone reſpondere, non quomodocunque ſed quem voluerit excitando ; qua conditione accepta,nunc iſta rogat quem ſibi velit excitari.

Cùm vidiſſet mulier Samuelem.] An illum verè,an illius ſpectrum viderit, & quomodo viderit;diſtincta diſputatione diſſeretur.

Tu es enim Saul.] Dubium non exiguum eſt, vnde mulier hæc Samuele conſpecto,cognouerit eum qui ſe rogauerat eſſe Saulem. Multi multa. Caietanus dicit id ſciri non poſſe. Ioſephus Samuelem ipſum primum omnium vbi euocatus adſtitit,id mulieri nunciaſſe. Rabini & Hebræi ex reuerentia Regibus exhiberi ſolita, & quam tunc Samuel apparens Sauli detulit vt adhuc regnanti. Quod mihi mirificè probatur ; & facit maximè ad maieſtatem regij nominis inſinuandam. Tanta enim eſt, vt quantumuis ſceleſtiſſimus quis ſit, modo Rex adhuc ſit, honorandus, à ſubditis excolendus, & omni reuerentiæ genere ſit proſequendus ; nedum vt illi quiſquam poſſit auſu temerario manus ſacrilegas intentare.

Noli timere. Quid vidiſti?] Fortaſsè mulier hæc reuerentia conſpecta quam Samuel habuerat Sauli, & ipſa quoque venerabunda illi accidit timoris plena.& ex Saule præſente, & ex inſolita ratione viſorum. Non enim quæ videbat, erant huiuſmodi, qualia ſolerent ipſi ſiſti magicis excantationibus euocata. Saul ergo bono nunc eam animo eſſe iubet, quantum quidem ſpectat ad timorem,quem ex ſua præſentia conceperat. Quod verò ad viſa ſpectabat, ediſſeri ſibi vult qualia illa ſint,vt intelligat qua ratione mulier ex illis deprehendere potuerit ſe eſſe Saulem.Quod totum manifeſtè conuincit,ex aliquo geſtu,aut alia conformatione corporis illius,qui apparuerat,ipſam didiciſſe qui eam rogauerat,& cui magica ſacra inſtituerat,eſſe Saulem.

Deos vidi aſcendentes de terra.] Cur vtitur plurali numero, cum vnum tantum viderit, & cur *deos* appellat,qui homines apparebant ? Hebræi more ſuo multa fabulantur. Dicunt enim viſos à pythoniſſa Moſem, ſimul & Samuelem, quod perſpicuè Scripturæ repugnat,de vno tantùm Samuele loquenti. Alij item Rabini circa Samuelem miniſteria multorum ſiue angelorum, ſiue animarum fuiſſe;idcirco plurali numero pythoniſſam non *deum*, ſed *deos* ſe vidiſſe clamaſſe. vera ratio ex Hebraica phraſi ſumenda eſt, in qua non ſemel pluralis numerus ponitur pro ſingulari;& *Deus*,ſiue dij, pro iudicibus & viris inſigni magiſtratu fungentibus appellantur.

a Pſal.81.1. *Deus*,inquit, [a] *ſtetit in ſynagoga deorum.* nempe iudicum, & eorum qui populis cum magiſtratu præſunt. Videre ergo ſe deos mulier dicit ; quia Samuel eo ſe habitu oſtendit, quo iudicem cum ageret Iudæorum, ſolebat incedere.

Sopran. in Dauid.

Vir ſenex aſcendit, & ipſe amictus eſt pallio.] Tunc enim Samuel ante biennium extinctus annum egiſſet ſeptuageſimum nonum. Meritò ergo ſenex.Pallium autem quo ſe obuolutus oſtendit,non improbabiliter illud fuit [b] quod abſcidit illi Saul, dum lacinia apprehenſum Samuelem, ne à ſe diſcederet detinebat. b ſuprà cap. 15.27.

Adorauit.] Quis ? Quem ? Mariana putat Saulem adoraſſe Deum. Sed vnde hæc illi religio, & quæ noua cauſa ſuborta vt illud faceret? Fortè terrore correptus,ex inſolita nempe ratione viſorum. Alij volunt adoratum à Samuele Saulem reuerentiæ ſignum exhibendo, quale ſolebat Regibus præſtari. Ex quo mulier illico deprehendit Regem eſſe Saulem. Communis [c] tamen & vera ſententia eſt adoratum Samuelem à Saule,non quod illi cultum tribuerit, qui ſoli Deo debetur ; ſed quod illum ſic honorauit, vt par erat à Rege calamitoſiſſimo prophetam maximum, iam extra aleam degentem præſentis vitæ;& à quo tot ingentia beneficia fuerat conſequutus. c Lyran. Abul.Caiet. hic.

℣. 15.) Dixit autem Samuel ad Saul; Quare inquietaſti me vt ſuſcitarer? Et ait Saul ; Coarctor nimis : ſiquidem Philiſthiim pugnant aduersùm me, & Deus receſſit à me, & exaudire me noluit neque in manu prophetarum, neque per ſomnia. vocaui ergo te,vt oſtenderes mihi quid faciam.

℣. 16.) Et ait Samuel ; Quid interrogas me, cùm Dominus receſſerit à te, & tranſierit ad æmulum tuum?

℣. 17.) Faciet enim tibi Dominus ſicut loquutus eſt in manu mea, & ſcindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid.

℣. 18.) Quia non obediſti voci Domini, neque feciſti iram furoris eius in Amalec. idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie.

℣. 19) Et dabit Dominus etiam Iſrael tecum in manus Philiſthiim : cras autem tu & filij tui mecum eritis : ſed & caſtra Iſrael tradet Dominus in manus Philiſthiim.

Quare inquietaſti me.] Verbo vſus eſt ſecundùm quod in communi vita vſurpatur. *Inquietari* enim dicuntur non ſolum qui turbantur, & commouentur;ſed circa quos aliquid ab aliis fit, quod ex ſe poſſit illos *inquietare*. Itaque non effectus hic, ſed affectus & conatus exprimitur, eo modo, quo diximus alibi [d] de verbis *expugnandi,ſuſcitandi,cogendi*. Cæterum cum *inquietare* ſit propriè ex ſede in qua quid quieſcit, aliquid amouere ; in hac ſignificatione potuit dici Samuel à Saule *inquietatus*, quo agente licet nec per ſe,nec per alium cogente Samuel eam ſedem tantiſper deſeruit,in qua hactenus fuit. d 2 Reg 12.

Loquutus in manu mea.] Id eſt per me. quod enim barbarè dicitur *quid aliquo mediante facere*, ſacræ litteræ frequentiſſimo Hebraiſmo dicunt

eunt *in manu alicuius facere quid, aut dicere*, per illum ſcilicet.

Craſtina die tu, & filij tui mecum eritis.] Particula *cum* frequenter in ſacris litteris nota ſimilitudinis eſt, non coniunctionis; & idem valet quod, *ſicut*. In quem ſenſum hic vſurpatur. *Mecum eritis* enim non eſt in loco vbi ego ſum, vos quoque eritis mihi ſocij; ſed tales eritis, qualis ego ſum, nempe mortui. Quod aliis verbis obſeruauit Auguſtinus alicubi dicens particulam *cum*, non *ad æqualitatem fœlicitatis, ſed ad parem mortis conditionem hic eſſe referendam.* Quam
a Pſal. 105. 5. eandem ſignificationem habet in Pſalmis[a] vbi Dauid; *Peccauimus*, inquit, *cum patribus noſtris, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus.* Hic enim cum patribus peccaſſe, non eſt ſimul & iunctis opera in eodem loco peccaſſe; ſed ſic peccaſſe vt illi peccauerunt. Cætera in diſputationibus fuſius.

℣. 20.) Statimque Saul cecidit porrectus in terram: extimuerat enim verba Samuelis, & robur non erat in eo, quia non comederat panem tota die illa.

℣. 21) Ingreſſa eſt itaque mulier illa ad Saul (conturbatus enim erat valde) dixitque ad eum; Ecce obediuit ancilla tua voci tuæ, & poſui animam meam in manu mea: & audiui ſermones tuos, quos loquutus es ad me.

℣. 22.) Nunc igitur audi & tu vocem ancillæ tuæ, & ponam coram te buccellam panis, vt comedens conualeſcas, vt poſſis iter agere.

℣. 23.) Qui renuit, & ait; Non comedam. Coëgerunt autem eum ſerui ſui & mulier, & tandem audita voce eorum ſurrexit de terra, & ſedit ſuper lectum.

℣. 24.) Mulier autem illa habebat vitulum paſcualem in domo, & feſtinauit, & occidit eum: tollenſque farinam miſcuit eam, & coxit azyma.

℣. 25.) Et poſuit ante Saul, & ante ſeruos eius. Qui cum comediſſent, ſurrexerunt, & ambulauerunt per totam noctem illam.

Cecidit porrectus in terram] Animi defectum paſſus ex duplici cauſa. Primò, horrore perculſus ex denunciatione Samuelis. Secundò, ex inedia diu tolerata. nec enim toto illo die quicquam guſtauerat. Addunt Græci, Nec tota nocte: vſque ſcilicet ad illam horam. Cæterum quod noſter habet; *Cecidit porrectus in terram*; Hebraicè eſt; *Ceciditque plenitudo ſtaturæ eius*; Hebraiſmus Italico idiotiſmo ſimillimus. Dicimus enim. *Caſcò quant era lungo.*

Ingreſſa eſt itaque mulier illa.] Quo? Nempe in cubiculum in quo magicis artibus operata Samuelem Sauli euocauerat, & inde locum vtrique dederat quæ vellent ſecretò loquendi.

Ecce obediuit ancilla tua voci tuæ.] Pythoniſſa viſo Saule non ſolum animo conſternato, ſed corporis viribus captum iacere proſtratum, ſerio ſibi timuit, ne ſi fortè (quod non raro contingit ſacra & infanda tractantibus) ille expiraret, obitus ſibi Regis imputaretur; & eo nomine in inuidiam totius Iſrael adducta, præſentis ſimul & præteritæ nequitiæ pœnas legibus daret. Anxia ergo & ſollicita partes ſe in omnes verſat, vt Regi vires collapſas reſtituat. Audito autem nihil illum diu adeo guſtaſſe, primum omnium vt vires comedendo reparet hortatur, vſa argumento; quod cum ipſa in illius gratiam capitis diſcrimen adire non recuſauerit; ille ſibi viciſſim gratiam referat aliquid vt vitæ ſuæ conſulat deguſtando.

Poſui animam meam in manu mea.] Extremum adire periculum, vt tibi morem gererem, non recuſaui. Hoc enim phraſis iſta ſignificat, de qua cum plurima ſupra[b], nunc plura non addo. b Cap. 19.

Coëgerunt eum ſerui ſui, & mulier.] Quomodo coëgerunt? Hortando, obſecrando, rationes varias afferendo, quibus obfirmatum pectus à ſententia tantum dimouetur, & expugnatur. Vtrorumque autem ſeruorum, nempe & mulieris maximè intererat Saulem viuere. Nam quid illi duo ab vniuerſo Iſrael paſſi eſſent, ſi Rex, qui ſe illorum fidei permiſerat, & clanculū ille tantum comitatus ex caſtris exceſſerat, inter illorum manus occubuiſſet; & id dum magicis incantationibus operaretur? illorum ergo vocibus, fletibus, obteſtationibus fractus, id quod hortabantur admiſit. Nullus enim tam durus eſt, & obfirmatus in mortem, qui tandem ſi diutius obſecretur, ſibi perſuaderi non patiatur vt viuat.

Et ſedit ſuper lectum.] Non erat opinor hic lectulus ad diſcumbendum & triclinialis; ſed ad quietem ſomnumque captandum. Vt enim alias monui, Iudæi tempore illo non accumbendo, ſed ſedendo veſcebantur. Sedit ergo ſuper lectulum, interim dum cœna pararetur quieturus; non inde paratis, & illatis dapibus accubiturus.

Feſtinauit & occidit vitulum paſcualem.] Qui domi paſcebat & alebatur; ob id inter altilia reponitur, & alibi *vitulus ſaginatus* appellatur[c]. c Luc. 15.
Mirum autem quomodo tam breui ſpatio caro vitulina recens extincta parari ita potuerit, vt eſui eſſet. Sed mulier excantationibus aſſueta & mortuorum manes ſolita mouere carminibus aliquid arcani fortaſſis habebat ad eſcas celeriter macerandas. Licèt etiam non improbabiliter dici poſſit, honeſtis hoſpitibus vbi ex improuiſo excipiuntur, apponi non ſolùm cibos, vt ab illis comedantur; ſed vt ſedulitas hoſpitantis appareat, & animus in omnem obſequium paratus. Alij dicunt *vitulum paſcualem* faciliimæ coctionis eſſe. Quod vt verum ſit, ſi cum aliis carnibus conferatur; non ita tamen vt vnius horæ ſpatio cæſus, excoriatus, coctus illam teneritudinem habeat, vt eo poſſit quis aptè veſci. Melius alij adiungunt ſi non carnem ipſam; at iuſculum ex illa eſui eſſe, & aptiſſimum ad vires reparandas & per ſe & aliis adiunctum. Sanè Abraham[d] d Gen. c. 18.
cum Angelus excepit hoſpitio, qui peragrantium ſpecie ad illum diuerterant, occidit ilico vitulum ſaginatum, & apparatum appoſuit aut ad veſcendum, aut ad officij ſui ſedulitatem hoſpitibus conteſtandam.

Coxit azyma.] Nullus eſt cibus qui poſſit facilius parari. Farinæ miſcetur aqua, cōtera ſubigitur, igni admouetur, & ſine fermento ſolidata panis ſimul & obſonij vicem præbet; Eduij genus Hebræis in ſubitis præſertim occurſibus maximè familiare. Quare & Abraham illud

ipſum

ipſum ſimul cum vitulo parauit angelis aduentantibus. (a Gen. 18.) Quos enim ibi Scriptura [a] ſubcineritios panes appellat, illud ipſum ſunt, quæ nunc *azyma* nuncupantur; ſubcinericei panes appellati, non quod cineri ſuppoſiti coquerentur, ſed quòd ad coquendum cineri impoſiti, ſub illis aliquid ſemper cineris hæreret.

Ambulauerunt totam noctem illam.] Ab Endor in caſtra quatuor horarum iter erat, vt iam monui. Probabile autem eſt, quod & verbum *ambulandi*, ſi in ſua proprietate ſumatur, inſinuat, illos iter pedibus confeciſſe. Sic enim facilius & ſuis, & hoſtibus occultius erat futurum, quos vtroſque Saul eo in itinere maximè latere volebat. Nullus autem ignorat faciliores eſſe, & longè plures pediti latebras quàm equiti; vt omittam vbi diuerticulis, & per ignotas ſemitas iter inſtruitur, multa loca patere pediti, quæ equiti impetuia ſunt.

DISPVTATIO I.

Ad illa verba. In diebus illis congregauerunt Philiſthiim agmina ſua, vt præpararentur ad bellum contra Iſraël.

De ſupremo bello Saulis aduersùs Philiſthæos in quo ipſe cæſus, & tota fermè regia progenie ſublata Iudæorum exercitus ad internecionem deletus eſt, aut fuga præcipiti diſſipatus.

QVONIAM hoc & duobus capitibus quæ ſubſequuntur, & librum claudunt, poſtremum Saulis bellum aduersùs Philiſthæos continetur, in quo cæſus ipſe, regij liberi magna ex parte ſublati, & tota fermè Iudæorum acies deleta, diſtinctiùs hîc illud eſt à nobis enarrandum. De eo ergo. Primò quæremus cauſas quæ vtrinque præceſſerint. Secundò Apparatum. Tertiò. Quandiu durauerit, & à quibus geſtum. Quartò quo tandem exitu patratum.

De primo appatet bellum à Philiſthæis, Iudæis quieſcentibus excitatum. Vnde ergo moti? Primò ex odio antiquo & inueterato, quod inter vtrumque populum ſemper ardebat, licèt non ſemper aperta per incendia deſæuiret; ſed tantùm cum vtrinque opportuna occaſio dabatur. Sic enim cõtingat neceſſe eſt in vicinia duorum, qui inuicem inuiſi & infeſti, vigilant ſemper alter in alterius exitium parati. Secundò occaſionem nunc erumpendi Philiſthæi ex proximis Dauidis excurſibus habuerunt. Infeſtabat ille latè regiones Hebræis finitimas quæcumque à Gentibus habitabantur, inde prædas agebat, homines occidebat, omnia vaſtabat, & nuſquam certa ſede morando terroribus cuncta cædibuſque complebat. Ea omnia gentiles cum non ignorarent ab Hebræis geri, Saulis conſilio patrati putabant à quo contra ſe cohors illa expedita Dauidis immitteretur, quæ cuncta ſubitis latrociniis infeſtaret. Primò ergo inter ſe queſti, deinde etiam re tota Philiſthæorum conuentibus delata, facile fuit hoa ad bellum impellere. Nam licèt, vt ſuprà monuimus à Philiſthæis vexandis Dauid abſtineret; non ita tamen vt dum inter illorum fines armatus & prædabundus excurreret, omni ex parte eos dimitteret intactos, & alij gentiles ab illo vaſtati Philiſthæis finitimi ſuas ad illos querelas referebant, vt pote perpetuos Iudæorum hoſtes, & quibus omnis illorum magnitudo ſuſpecta erat. Tertiò denique peculiaris huius belli cauſa diuina prouidentia fuit, quæ Saulis peccata vltum ibat, & regnum iam pridem Dauidi deſtinatum, Saule cum ſtirpe ſublato conferre parabat. Quam vtramque cauſam Samuel ab inferis excitatus inſinuat dum Sauli reſpondet interroganti [b]. *Faciet tibi Dominus ſicut loquutus eſt in manu mea; & ſcindet regnum tuum de manu tua & dabit illud proximo tuo Dauid, quia non obediſti voci Domini.* (b Cap. 28. 17.)

Sopran. in Dauid.

Secundò. Quomodo bellum hoc apparatum? Generali verbo tacitè hoc Scriptura ſubindicat. *Congregauerunt*, inquit, *Philiſthiim agmina ſua, vt præpararentur ad bellum contra Iſrael.* Per hæc enim ſignificatur quod iam dixi à Philiſthæis bellum initium cœpiſſe. Primi enim dicuntur *agmina congregaſſe.* quod eſt delectus in ſingulis pagis, & vrbibus habuiſſe. Nec enim congregare agmina propriè hic eſt milites in acie diſponere, aut ſuos per manipulos ordinare; ſed eſt illos conſcribere, & ex variis partibus in vnum cogere. Hic ergo apparatus etiam dum inter illos Dauid ageret, à Paleſtinis fieri cœptus eſt. At verò de Saulis & Hebræorum apparatu, nihil Scriptura dicit; ſed æquum eſt exiſtimare, Saulem quoque vbi ad illum de Philiſthæorum motibus eſt allatum, nihil ceſſaſſe; ſed milites conſcripſiſſe & reliqua quæ bello ingenti adminiſtrando opus eſſent, expediſſe. Nam ſimulatque Philiſthæi ſuas copias eduxerunt, Saul quoque non ſolum eodem tempore, ſed etiam eodem quoque die ſub ſignis egreſſus eſt; quod non feciſſet, niſi bellum diu priùs apparaſſet.

Tertiò. A quibus & quandiu geſtum eſt? Ex vna parte Philiſthæi erãt; ex altera, Iſraelitæ. Philiſthæi quinque illos notiſſimos populos amplectebantur; Azotios Accaronitas, Gazzæos; Getthæos, Aſcalonitas. Iſraelitæ ex duodecim tribubus conflabantur [c]. (c ver. 4.) *Congregauit*, inquit Scriptura, *Saul vniuerſum Iſrael*; id eſt ex omni tribu Iſraelitarum qui idonei erant; notiſſima phraſi in ſacris litteris, qua nota *vniuerſalis* non omnes omnino complectitur; ſed vel plurimos, in quorum comparatione reliqui numerandi non ſint; aut ſi omnes & ſinguli excepto nullo, non abſolutè id; ſed in certo genere & definito eſt intelligendum, vt hoc loco. Vniuerſum enim Iſrael vel maiorem partem, & aliam longè quæ remanſerat excedentem debemus accipere? vel certe vniuerſos, qui poſſent arma geſtare, & publicæ rei opera ſua in bello prodeſſe. Cæterùm numerus copiarum quantus vtrinque fuerit, Scriptura non memorat; nec Ioſephus alioquin talium rerum diligens, hic quicquam diuinat. Si locus coniecturæ detur; iterum quod in Commentario [d] dixi probabile mihi videri confirmo, nempe Iſraelitarum copias quadringenta (d ver. 5.) millia militum ſuperaſſe; quod vnde credibile fiat; ea quæ ibi protulimus, ſatis oſtendunt. Dubium de Ducibus maius eſt. ex parte Iſraelitarum? certum eſt vnum omnium ſupremum Ducem & Imperatorem fuiſſe, nempe Saulem. Minores autem Duces Ionathas, Aminadab, Melchiſua regij filij fuerunt, poſt quos Abner & alij viri fortiſſimi ſua quoque agmina curabant. At ex parte Philiſthæorum vnus tantum Rex Achis in

Scriptura nominatur, reliqui Principes & ſatrapæ dicuntur. Vnde Ioſephus videtur indicare, ſicut Saul exercitus Iſraelitici ſupremus Imperator erat, ſic Achis omnibus Philiſthæorum copiis imperaſſe. Sed dubitare non poſſumus, præter Achis alios etiam aliorum gentium reges in hac expeditione fuiſſe; & de omnium conſilio non vnius tantum Achis, omnia adminiſtrata. Colligitur primò quia ſi Gethæi cum ſuo rege aderant; cur non Azotij, cur non Gazzæi, cur non alij, quique cum ſuo? Secundò ſatis apertè id indicatur, dum infrà dicuntur Principes Philiſthæorum caſtra luſtraſſe, & Dauidem deprehendiſſe. Qui enim iſti Principes niſi reges ſingulorum populorum? Tertiò denique quia cum Achis ſatis pro imperio loquuntur. demiſſiùs certè loquuturi, ſi rex ipſe ſolus, hi vero tantum priuati, & non alio quam militari magiſtratu fungerentur. Quomodo enim loquuntur inter Gethæorum manipulos Dauide comperto? *Quid ſibi volunt*; inquiunt [a], *Hebræi iſti?* Et rurſus;

a Cap.29 3.

Irati ſunt aduerſus eum (Achis) *Principes Philiſthæorum, & dixerunt ei; Reuertatur vir iſte, & ſedeat in loco ſuo.* Bene enim hîc obſeruat Abulenſis [b] verba hæc eorum non eſſe qui inferiores ſint; ſed qui ſuperiores, aut æquali dignitate cum Achis. Communi ergo conſilio ab his quinque regibus probabile eſt bellum adminiſtratum.

b Q. 4. 8. & 9. in cap. 29.

Quandiu ergo geſtum? Septem tantùm dies durauit. Bellum enim propriè geri non dicitur, niſi cum primum vtrinque vel ex vna parte ſub ſignis miles educitur, campis inſultatur, & caſtra locantur. Nam reliqua quæ præmittuntur, ad bellum gerendum non ſunt, ſed apparandum. Geri ergo cœptum eſt, quo primum die vtrinque in campos egreſſi Philiſthæi & Iſraelitæ idoneo quique loco caſtrametati ſunt. A quo die ad victoriam perfectè obtentam, ſeptem tantum intercesſere, qui nobis hic diſtinctè cum tribus ſubſequentibus ſignandi ſunt, vt quid quoque die in hoc funeſtiſſimo bello contigerit, quo regnum Iudaicum pene euerſum, & mira conuerſione ex vna familia & tribu in aliam Dei nutu translatum eſt non ignoretur.

c Cap. 28 4.

Prima ergo die locus [c] idoneus ab vtroque exercitu caſtris eſt captus; à Philiſthæis quidem in *Suſam*; à Saul & Iſraëlitis in *Gelboe*.

d Cap.29.2.

Poſtridie, qui dies fuit ſecundus inchoati belli ſuas Philiſthæi copias luſtrarunt [d] *incedentes in centuriis & millibus.* in nouiſſimo autem agmine Dauid cum ſuis repertus in Principum Philiſthinorum ſuſpicionem venit. De eo ergo apud Achis conqueſti [e], auctores illi ſunt vt amanderent. Interim Saul hoſtiles dum copiæ luſtrarentur, eas ſimul & caſtra ſpeculatus ingenti terrore deiectus [f] *Dominum conſuluit*; à quo nec per ſomnia, nec per ſacerdotes, nec per prophetas vllo reſponſo [g] dignatus eſt.

e Cap.29.4.

f Cap 28.3.

g Cap 28 6.

Die tertio albente cælo Dauid ab Achis honeſte prius appellatus, è caſtris cum ſuis egreſſus Philiſthæos metu liberat; Siceleg [h] verſus iter arripiens. A quo dum abeſt Amalecitæ latrocinij potius more, quam belli cum expedita manu oppidum aggreſſi irrumpunt, expugnant, diripiunt. Mortalibus omnibus qui cædi ſuperfuerant, in captiuitatem abductis [i]. At Philiſthæis quò propiùs hoſtes accederent, Iezrael, quæ vallis Sunam inter & Gelboe iacebat, caſtra [k] promouerant, interim dum Saul quod nullum à Domino reſponſum acciperet, anxiè ſollicitus in omnes ſe partes verſaret illud obtinendi.

h Cap.29.11.

i Cap.30.1.

k Cap.29. 11.

Quarta die Daoid adhuc in itinere pergebat, omnium quæ in Siceleg obtigerant ignarus: incedenti tribuni octo ex tribu Manaſſe [l] *illi ſe comites adiungunt* viri fortiſſimi cum eo in Siceleg futuri, & omne fortunæ periculum pro eo, & cum eo ſubire parati. Saul interim in concepto ſemel terrore perſeuerans diuinum oraculum requirebat, nihil æquè cauens, quam ne hoſtibus id expetentibus prælij locum daret.

l 1. Paral. 12. ver. 19. 20. 21.

Quinta die belli? quæ tertia fuit à qua Dauid è caſtris emiſſus; in Siceleg tandem ille peruenit; ibique ſuorum clade, & oppidi vaſtatione, maximè autem vxorum captiuitate perculſus, ante omnia Dominum per pontificem conſulit quid agi velit; & reſponſo de latronibus perſequendis accepto ſuos illico adhuc ex itinere palpitantes educit, tanta celeritate fugientibus inſiſtens, vt ad torrentem [m] Bezor cum peruenisset, ducenti ſuorum præ laſſitudine ſubſiſtere coacti ſint. Cum reliquis autem ductu, & indicio pueri Ægyptij in Amalecitas progreſſus, illos tandem ſub veſperam aſſequutus inuaſit; ita autem itinere intercluſo, vt elabi non poſſent ſuis requiem dedit, in poſteram diem prælio dilato. At Saul quod per veras non poterat, illicitis artibus aggreſſus, reſponſum quod à ſuperis non retulerat ab inferis exquiſiuit. Ergo mulierem pythoniſſam nactus ad eam noctu peruenit in Endor; vbi à Samuel per illam euocato triſtiſſimum nuncium accipit mortis ſuæ & internecionis Iudæorum poſtera die in acie futuræ. Inde leuiſſimo [n] cibo tantiſper viribus reparatis, itinere tota nocte non interrupto *peruenit* [o] *in caſtra.*

m Cap.30 4. & 9.

n Cap. 28. 19.

o Cap. 28. 25.

Sexta die Saul vrgente numine cum Philiſthæis congreſſus, quibus hactenus quantum poterat, locum pugnæ non dederat, ab iis fuſus [p], fugatus, & tandem cæſus eſt, exercitu magna ex parte trucidato, qui ſuperfuerant trepida fuga dilabentibus. At Dauid vix cum diluxiſſet, latrunculos Amalecitas aggreſſus, ingenti ſtrage à prima luce ad veſperam vſque mulctauit, abacta præda quam ex direpto Siceleg auexerant [q].

p Cap. 31. 1.2. 1. Paral. 10.1.

q Cap. 30. 17.

Septima die Philiſthæi victoria potiti caſtra hoſtium inuadunt, & interim dum ſpolia colligunt cæſorum, Saulis & Ionathæ corpora reperiunt, à quibus capita præcidunt. At Dauid omni præda ſua recuperata, & inſuper hoſtili [r] ditatus ad ſuos reuerſus eſt, qui laſſi ſubſtiterant ad torrentem; cum quibus in Siceleg eodem die peruenit omnium quæ Sauli & Iudæorum legionibus à Philiſthæis acciderant ignarus.

r Cap 31.8.

Octaua die quæ tertia erat ab accepta clade, & à Dauidis reditu ſecunda, capita Saulis & filiorum in gratulationem victoriæ tota Paleſtina circumferuntur. Trunca verò corpora ad ludibrium ſuſpenſa viri fortiſſimi Iabeſitæ per medias hoſtium regiones euadentes deponunt, & ſecum abripiunt honeſte tumulanda: interim cum Dauid nuncios, & partem prædæ quam Amalecitis ademerat in Iuda dimitteret, vt illatam à ſe communibus hoſtibus cladem edocerentur.

Nona die quarta ab infauſto prælio, & tertia poſt Siceleg à Daoide recuperatum, primo diluculo [ſ] *apparuit homo veniens de caſtris*, & funeſtiſſimo nuncio Dauidis animum vulnerauit; & quotquot cum eo erant ſummo mœrore compleuit.

ſ 2. Reg 1 2.

uit. Vnde in lachrymas omnes effuſi ad veſperam vſque illius diei ſuorum mortes impaſti ſolemni more luxerunt; cum Saulis & filiorum corpora ab hoſtium ludibriis fortiſſimè recuperata Iabeſitæ ſepulturæ mandarent.

Decima denique die videtur Dauid Dominum conſuluiſſe, in quam ſe vrbem potiſſimum conferre deberet. A quo reſponſo [a] accepto de Hebrone petendo, ſe illuc tulit cum ſuis.

a 2. Reg. 2. 1.

Et his decem diebus omnia contineri videntur, quæ ad huius funeſtiſſimi belli initia, progreſſus & exitus ſpectare poſſunt. Ea autem nos diſtinctius per dies ſingulos ſignanda putauimus quod inuerſo ordine pleraque ſint in Scriptura narrata, in quibus hæreat intelligentia neceſſe eſt, niſi ſignate ſic diſponantur, vt à nobis digeſta ſunt. Vt omittam qui diligentius hæc per chronicas rationes enarrarunt, etiam videri alicubi offendiſſe. Nam Salianus [b] qui chronologicam huius belli expoſitionem omnium accuratiſſime proſequitur, animum lectoris omnino non ſedat. Ponit enim ſeptima die belli, quæ poſtridie fuit, quam pugnatum eſt, nuncium ad Dauidem cum armilla & diademate peruenisſe; cum tamen Scriptura diſerte tradat quarta die id accidiſſe.

b An. 2979. n. 40.

Ex his autem vltimum quod circa hoc bellum propoſuimus, facilè poteſt explicari, quem nimirum exitum habuerit. Patet enim ſucceſſum habuiſſe lætum, & optatum Philiſthæis; funeſtiſſimum verò Iſraelitis. Primò, quia ſupremus eorum Dux & Imperator extinctus in acie eſt. Secundò, quia tres etiam cum illo Regij filij. Tertiò. Quia præter hos fortiſſimi quique Iudæorum occiderunt, & totius robur exercitus deletum eſt. Quartò. Qui cladi ſuperfuerunt, vaga & præcipiti fuga diſperſi ſunt. Quintò. Ciuitates & oppida Iudæorum loco commiſſi prælij propinqua, deſerta ſtatim ab habitatoribus in poteſtatem hoſtium venere [c], *Videntes*, inquit, *filij Iſrael qui erant trans vallem quod fugiſſent viri Iſraelitæ, & quod mortuus eſt Saul, reliquerunt ciuitates ſuas; veneruntque Philiſthiim, & habitauerunt ibi.* Facilè enim fuit omni defenſore vacuas inuadere & integris potiri. Sextò denique magna cum Iudaici nominis ignominia Regis ipſius & filiorum capita per vrbes hoſtium clariores oſtentui traducta, & opima ſpolia falſorum numinum templis appenſa ſunt. Et hæc de toto hoc bello, & eius adminiſtratione & ſucceſſu in vniuerſum dicta ſint; reliqua minutiora commentarius explicauit.

c Cap. 31. 7.

DISPVTATIO II.

Ad illa verba v. 14. **Et intellexit Saul quod Samuel eſſet, &c.**

An verus Samuel à pythoniſſa fuerit excitatus & Saulem præſens præſentem ſit alloquutus.

MIRVM eſt quàm variè & à variis hæc tota de re priſcis olim temporibus & his etiam proximè lapſis fuerit diſceptatum; vt piaculum ſit inſignem & maximè celebrem controuerſiam propriè finibus illis incluſam, quos explanandos ſuſcepimus, omittere, quam alij vltrò accerſitam, & extra id quod agebant poſitam accuratiſſimè pertractarunt. Hîc ergo qui maximè ipſius locus eſt, eam nos quoque tractabimus vniuerſam ad tria capita reuocantes. Primum an qui Sauli ſe oſtendit, illum eſt alloquutus, ab illo rogatus reſponſa dedit, verus Samuel fuerit, aut Samuelis Spiritus. Secundò ſi fuit; an id vi magici carminis factum fuerit, aut fieri potuerit. Tertiò. Quomodo, & in quo corpore prodierit. Ordiamur à primo.

An verus hîc Samuel, ſiue Samuelis ſpiritus fuerit, qui cum Saule loquutus.

CAPVT I.

AVctores diuiſi ſunt, alij dubitant, alij negant, alij prorſus affirmant, quæ maior & ſanior pars eſt, & omnino ſequenda. Dubitant Auguſtinus [d]; qui tamen poſtea dubitatione poſita ſententiam aſſerentem eſt exerte ſequutus. Auguſtinum dubitantem potius, quam ſuam dubitationem corrigentem, ſequuntur ex veteribus Beda [e], & Angelomus; ex recentioribus Pamelius [f]. Dubitandi cauſam pares illis rationes præbent, quæ ſuo pondere libratæ neutram potius in partem illis propendere videntur.

d lib. 2. ad ſimpl. q. 3. ad Dulcit. q. 6.

e In Cap. 28. 1. Reg.

f In Tertul. de an. c. 57.

At diſertè negant poſt plures antiquos plures totis [g] eccleſiaſtici conſulti. Probant primò quia ſi Samuel fuit, vel adfuit coactus, vel voluntarius. ſi coactus; an non piaculum ſit virum ſanctiſſimum, & qui placide in Abrahami gremio quieſcebat, obnoxium fateri magicæ poteſtati; vt quoties ſatanæ, vel eius turpiſſimo mancipio libuerit, huc euocetur, & inuitus ante mortales oculos, & ora ſiſtat? Si voluntariè; ergo qui in ſanctitate deceſſit, poſt deceſſum ſanctitatem perdidit. Peto enim num qui veneficam illam dum magicis & impiis ſacris operabatur, opera, conſilio, ſuaſione, & iuncto labore iuuiſſet, quicquam peccaſſet. Si negetur; & quando malè agentibus conſentiendo, & opem præſtando peccatur, ſi non tunc peccatur? Si affirmatur; cur ergo Samuel non peccauit, ſi voluntarie vocatus adfuit, cum ſic adeſſe non ſolum ſit maleficam in ſuo maleficio iuuaſſe; ſed ipſum illi maleficium perfeciſſe? Secundò. Verus Samuel adorari ſe nunquam paſſus eſſet; exclamaſſet illico; *Deum adora.* At hic qui apparuit à Saule adorationem placidus admiſit. Non ergo Samuel; ſed Samuelis & totius humani generis hoſtis fuit, qui nihil cupit ardentius, quam cultum ſoli Deo debitum ſibi interuertere & vindicare. Tertiò qui cum Saule loquitur, dicit illum poſtera die ſecum futurum: at Saul cum damnatus exceſſerit, non inter pios exceptus qualis erat Samuel; ſed impiorum cœtui eſt aggregatus.

g c. nec mirum cap. illud 26. q. 2. vbi Turrecr. & alij.

At Scriptura Samuelem hunc qui loquitur appellat. Dicit à Saule intellectum illum eſſe Samuelem, qui etiam illi ventura prædicit. Quæ omnia prorſus vt ab illo prædicta ſunt euenere. Non ergo potuit hîc alius eſſe quàm Samuel, niſi dicamus Scripturam mentitam, quæ Samuelem appellat; aut velimus aliter quam diuina virtute poſſe futura prædici. Reſpondent ad hæc primo nouum non eſſe imaginem alicuius eius nomine, qui per illam exprimitur appellari. Secundò. Verum eſt intellexiſſe Saulem illum eſſe Samuelem, non quod eſſet, ſed quod talis appareret, & ſic ipſe conciperet. Tertiò. Quod euentorum

tum ſpectrum iſtud prædixit; vel ſatanæ vires non ſuperabat; vel certe Dei voluntate hoc illi prædixit, qui hac ratione volebat & præterita, & præſentia Saulis peccata punire.

Vera tamen, & communis ſententia eſt verum hîc Samuelem apparuiſſe. *Verum* cum dico, non ipſum ſpirantem, viuentem, & in ſuo corpore iterum vitæ reſtitutum dico; ſed ipſius animam intelligo, per corpus aſſumptum mortali ſe conſpectui ſiſtentem. Ita plures veteres Patres,[a] & omnes ferme antiquiores interpretes[b] tradiderunt. Recentiorum verò iam nullus eſt, qui contrarium audeat affirmare. Ratio eſt quia in Eccleſiaſtico diſertè ſcribitur quædam Samuel Sauli prophetaſſe, quæ non poſſunt niſi de hac apparitione intelligi & explicari. Verus igitur hic Samuel fuit, qui talia Sauli prædixit. Eccleſiaſtici verba clariſſima ſunt hæc. Cum enim plura de eodem Samuele dum adhuc viueret præmiſiſſet, inde ſubdit[c]; *Et poſt hæc dormiuit, & notum fecit Regi finem vitæ ſuæ, & exaltauit vocem ſuam de terra in prophetia delere impietatem gentis.* Quid clarius poterat? loqui hic Scripturam de vero Samuele defuncto; nullus poteſt ambigere. *Poſt hæc*, inquit, *dormiuit.* Sic autem defunctum Regem alloquutum, & illi ſua fata narraſſe; diſerte explicat. *Et notum*, inquit, *fecit Regi finem vitæ ſuæ.* Modum præterea adiungit; *Exaltauit*, inquit, *in prophetia de terra vocem ſuam.* quia nimirum Samuel hic ita apparuit, vt de terra in Saulis conſpectum prodiret. Vnde dicit hic pythoniſſa; *Video deos aſcendentes de terra.* Quando oro, hæc aliàs, quam hoc tempore contigerunt? Ex hoc ergo loco tam illuſtri duo habemus, quæ præſentem quæſtionem plane decidunt.

Primum eſt ita pro certo tenendum verum Samuelem hic apparuiſſe, nullus vt ea de re ſit iam reliquus viro Catholico dubitādi locus. Ratio eſt quia Eccleſiaſticus qui iam liber canonicus definitus eſt, hoc exerte pronunciat. Non ergo licet id amplius in controuerſiam vocare. Vnde D. Thomas loco citato, merito dicit hac de re dubitari non poſſe, ſi liber Eccleſiaſticus canonicus ſit & irrefragabilis auctoritatis.

Secundum, quod hinc colligitur, eſt hac in re priſcos Patres & aliquos antiquos interpretes alia ſenſiſſe, quod ab Eccleſia definitum nondum eſſet Eccleſiaſticum in catalogo Scripturæ canonicæ numerandum: Inde factum eſt vt alij Patres hunc locum non aduerterint, alij qui obſeruarunt, illius auctoritate permoti ſententiam correxerint, vt Auguſtinus, qui quod ad Simplicianum[d] & Dulcitium[e] tradiderat, poſtea retractauit.

Hac ergo veritate fundata, difficultates oppoſitas diſſoluamus. Primò quærebatur inuitus ne an libens Samuel ipſe ſe ſtiterit. Reſpondeo plane libentem; & id non vt morem veneficæ gereret; aut impia dæmonia ſacra ſua præſentia promoueret, ſed vt magam confunderet, veritas illius artes eluderet, & nullius eſſe vigoris oſtenderet; & denique vt Sauli dutus nuncius exiſteret imminentis exitij & hæc omnia Deo permittēte ad iuſtum eorum ſupplicium, quibus apparuit. Secundò. Adoratio Samueli à Saule præſtita verus latriæ cultus non fuit Deo tantum debitus; ſed honor ciuilis viris principibus aut alia re illuſtribus ſolitus exhiberi. Tertiò *Mecum eritis* dicit Samuel; non quod in eodem loco cum Samuele Saul futurus; ſed quod parem cum eo ſtatum poſtera die ſit habiturus. *Statum*, inquam, non conditionem. Nam vt Samuel non iam amplius inter viuentes, ſed mortuos computabatur; ita Saul poſtera die non iam viuus ſed mortuus futurus erat: vt enim dixi in Commentario, particula, *cum*, non raro ponitur in ſcriptura pro, *ſicut*. In quem ſenſum Samuel illam nunc accipit, cùm ad Saulem de ipſo & filiis dicit; *Craſtina die mecum eritis.*

a Iuſt. Dial. cum Triph. Auguſt. de cu. pro mor. cap 15. Baſil. ep. 80. Nazian. or. 3. Ambroſ c. 1. Luca. Hier. 7. Eſa. 13 Ezech Tertul. lib 3. carm. contr. Marcion. Zeno Veron. ſer. Lactan. lib. 7. cap. 13.

b Lyran. Abul. de quibus hic Seruan. D. Thom. 1. p. q 89. ar. 8. ad 2. Galat. in lib. 6. cap 8. Bellar. lib. 4. de Chr. c. 11. lib. 2. de purg. cap 6. & 8. Suar. tom. 2. in 3. p. diſp 42. ſect. 2. Perer. in Exod. Martin Del. lib 2. diſq. mag. q. 6. & q. 26. ſect 4. Serrar. in c. 31. 1. Reg. q. 3. Barrad. tom 1. in Euang.

c Eccli. cap. 46. 23.

d lib. 2 q 3.

e q 6. poſtea retractauit de cura pro mort. c. 15.

An Samuel à pythoniſſa virtute magici carminis fuerit euocatus aut, euocari potuerit.

CAPVT II.

NOn fuiſſe virtute illius euocatum; certum ex Scriptura eſt; vt enim alij[f] ante nos obſeruarunt, prius quàm fanatica mulier ſuas excantationes inciperet, aut inceptas perageret, adſtitit illi Samuel, ad cuius adſpectum territa conclamauit. Vnde enim illi terror & clamor? Non ex horrenda ſpecie, quam Samuel obiecerit: ſenis enim faciem & habitum in omnem planè modeſtiam præferebat. Non ex alio terrifico ſpectro: nihil enim tale hîc indicatur; & ſi tale quid fuiſſet, mulierem talibus aſſuetam non terruiſſet. Vnde ergo conterrita? Quia nondum nefarios ritus abſoluerat; nondum ſolemnes diras expreſſerat, nec adhuc triſtes imprecationes adhibuerat; & tamen vmbras ſe ſiſtere non vocatas aſpexit. Ex quo cognoſcens alia id virtute, quàm magica fieri, conterrita vocem emiſit, quæ terrorem ſuum ſimul, & artis imbecillitatem teſtaretur.

Operoſior aliquantò quæſtio num ſaltem potuerit, & in vniuerſum, num magica virtute non ſolùm Samuelis, ſed cuiuſcunque iuſti, & adhuc generaliùs an defunctorum animæ quæcunque ſint, cieri poſſint, & mortalium ſiſti conſpectibus.

Ex veteribus alienios nominis id duo affirmant, Iuſtinus, & Lactantius; vterque hoc argumento vſi ad animorum immortalitatem conuincendam[g]. *Animas*, inquit Iuſtinus, *poſt mortem manere ſuperſtites; etiam eo demonſtrauerim quod & Samuelis animam ventriloqua pythoniſſa, ita vt Saul petierat, euocauit.* Et hoc non contentus adiungit; *Apparet autem ad eum modum omnes animas virorum iuſtorum & prophetarum ſub poteſtatem eiuſmodi virtutum cadere.* Nec diſſimilia Lactantius. Agens enim in vniuerſum de operibus maleficorum[h]; *falſa ergo eſt*, inquit, *Democriti Epicuri, & Dicæarchi de animi diſſolutione ſententia; qui profectò non auderent de interitu animarum mago aliquo præſente diſſerere, qui ſciunt certis carminibus cieri ab inferis animas, & adeſſe, humaniſque ſe oculis præbere videndas, & loqui, & futura prædicere.*

Communis tamen ſententia eſt non ſolùm Samuelem non euocatum; ſed nec illum, nec vllius animam defuncti poſſe vi magici carminis euocari. Quod ex veteribus Patribus[i] plures recentiores[k] oſtendunt. *Abſit*, inquit Tertullianus[l], *vt animam cuiuſlibet ſancti, nedum prophetæ, à dæmonibus credamus excitatam.* Et paulo ante hæreticum id eſſe contendit. *Ecce hodie*, inquit, *eiuſdem Simonis hæreticis tanta præſumptio artis exiſtit, vt etiam prophetarū animas ab inferis mouere*

f Bellar lib. 4. cap. 11. de Chriſto 2. de purg. cap. 6. & 8.

g Dial. cum Triph.

h lib. 7 inſtit. cap. 13.

i Anaſt. Nicen quæſt 37. Phyleſtr. Ex. 26. Cyril. lib. 6. de adorat.

k Salian an. 2979. an 80. Serrar. q. 3 in c. 31. 1. Reg.

l Tert. c. 57. de anima.

mouere ſe ſpendeant. Nec minua aſpere eandem ſententiam Theodoretus exagitat. *Nonnulli dicunt*, inquit, *ventriloquam vere ſtitiſſe Samuelem. Ego autem hoc exiſtimo eſſe impium.* Tum addit; *Exiſtimo enim mulieres necromanticas ne quamlibet quidem animam reducere poſſe, tantum abeſt vt prophetam, & tanti prophetam. Eſt enim perſpicuum quod in aliquo alio loco degunt animæ expectantes reſurrectionem corporum. Eſt ergo impium credere ventriloquas habere vim tantam.* Hæc ille. vnde minus mirum videri debet ſi quiſpiam ex recentioribus *ſceleratiſſimum & omnibus rationibus improbiſſimum* eſſe exclamaoerit tantæ potentiæ mulierculam credere, vt virum ſanctitate & amicitia, commercioqne diuino maximum *frigidis potuerit incantationibus excitare.* Quæ dum protulit improbandus nou eſtjat omnino in iis, quæ ſubiecir. Scriptorem enim libri Regum non obſcutè in crimen adducit, quod narrationem ſuam ita concepir; vt niſi præmuniti ad illius orationem accedamus, hunc errorem in nobia inſtillet omnino abſorbendum, niſi valida ratio ſuccurrat. Ineptè hæc ne dicam parum piè. Quia enim neſcit, quæ à ſcriptore ſacro ſunt, à Deo eſſe non ſolùm res ipſas dictante, ſed etiam modum narrandi præſcribente? Quorſum ergo hunc accuſare, eoi animus noo eſt in Deum linguam armare ſacrilegam?

Sed in gradum iterum. Teneodum ergo nec Samuelem excitatum, nec excitari aut ipſum, aut cuiuſliber alterius animam defuncti magico carmine poſſe, aut potuiſſe. Nam qui defuncti ſunt aot iam Deo fruuntur, aut pœnas ſcelerum damnati luunt, aut expiantur. Si Deo frountur, aut fruituri eapiantur; quæ ratio patitur, vt adhuc malia ſatanæ conatibus obnoxij ſint? Si pœnas vero ſcelerum in æternum luunt; iam alterius cuiuſcunque arbitrio eaempti ſunt mancipia pœnæ facti et cui addicti ſunt. Vlteriùs, ſi coguntur, vel efficientia phyſica; & hanc iuporos ſpiritus nulla per ſe poteſt creata virtos exercere. vel efficientia morali qoæ imperando, rogando, aliiſque id genus modis perficiatur; & id multò minùs. quia ſequeretur inde libetum eſſe ſpiritibus quocunque vagari; non eſſe illorum ſtatum in ſolius Dei poteſtate; commercia eſſe vitæ ſocialis inter viuos, & vita defunctos; quod eſſe non poſſe gẽtiles quoque philoſophi tradiderũt.

Maneat ergo hoc, & vt indubitatum teneatur non poſſe vi vlla creata cieri ita animas defunctorum, vt mortalium oculis iterum cogantur adſiſtere. An autem iuſtorum animæ non quidem ex ſua virtute, ſed ea indulgentia diuina libetum habeaot quoties accitæ fuerint, aut certè aliquando, & aliquibus apparere vocantibus; D. Auguſtinus alicubi viſus eſt affirmare; videtur tamen aliis probabilius id io animarum poteſtate etiam iuſtarum non vſquequaque relinqui, ſed perinde illas apparere, aut non apparere mortalibus, vt fuerit à Deo peculiari diſpenſatione diſpoſitum, nunc has, nunc illàs apparere viuentibus permittendo.

Quomodo & in quo corpore, & cuius virtute formato Samuel apparuerit.

Capvt III.

TRia quæri poſſunt vt hæc quæ propoſuimus explicemus. Primò an in ſuo corpore prodierit. Secundò an ſi non in ſuo, ſaltem quod eſſet carne oſſibuſque compactum. Nam quod eſſet humana ſpecie, & quæ Samuelem ipſum referret; eaplorata res eſt. Tertiò. Si ex alia materia; quæ illa, & à quo in eam formam temperatum.

Deprimo, ſacrilega diuinatio qoæ per mortuorum deuotiones exercetur, non vnius modi eſt. Vuus[a] autem & præcipuus eſt eum per corpora recens extincta ab impuria ſpiritibus reſponſa redduntor. Poſſet ergo dubium hic eſſe, an Samuel, noo quidem vi carminum; ſed ea virtute qua potuit & voluit hic oſtendi, in ſuo corpore ſe ſtiterit à ſe tantiſper animato dum hoc miniſterio fungeretur, enunciandi Sauli fatum eatremum quod imminebat. a Salian an. 2979. n. 68.

Et dicendum eſt potuiſſe quidem id fieri; factum tamen non eſſe. Quod potuerit; res clara eſt. Diuina enim virtute hic omnia peragebãtur, quæ facta narrantur. At factum non eſſe; conſtat, quia miraculum hoc nouum fuiſſet. Quod cum in ſacra hiſtoria non narretur, nihil eſt vnde hic interceſſiſſe dicatur ex generali regula Theologorum. Sicut enim axioma eſt Philoſophorum *non eſſe multiplicanda entia ſine neceſſitate*; ſic illorum effatum eſt miracula noua nulla eſſe ponenda, quæ certa ratione non probentur. Non ergo verum Samuelis corpus hic oſtenſum eſt. Quale ergo.

Communia ſententia eſt non carne, neruis oſſibuſque concretum; ſed aëreum fuiſſe. Non *illud*; quia vel aliud corpus extinctum fuiſſet aſſumptum, vel de nouo formatum. Si corpus aliud; quomodo potuit id tam ſimile Samueli reperiri? Quomodo non iam tabidum, exangue, exſuccum? Si hoc; qua ratioue ſine communia generatioois modo verum corpua ex neruis, carne, oſſibus potuit compaginari? Miraculum dices. At hoc non eſt ponendum, cum ratio non ſuadet. Hic aotem non ſuadet, cum oibil in Scriptura ſit, quod id inſinuet..

Aëreum ergo fuiſſe corpus dicendum eſt. Quod primò volunt Patres[b], omnes qoi Samuelem, & hoc totum quod hac in viſione contigit phantaſma dixere. Per hoc enim intelligunt non verum Samuelis corpus, aut aliud carne concretum apparuiſſe; ſed aërem in corpus addenſatum ſpeciem Samuelis retuliſſe. Secondo id conuincitur, quia conſuetus modus, quo ſpiritua oculia mortalium apparent, eſt vt aërea ſibi corpora circundent, vt cum[c] D. Thoma Theologi tradunt. Congruens ergo eſt cum Samuelis hic ſpiritus apparuerit, in alio corpore, quam aëreo, oon produiſſe. b Auguſt. ro-lartus c. illud 26. quæſt 2. c 1. p. q 51 art. 2. ad 3.

Cuius ergo virtute formato? Plures veteres pythoniſſæ putant[d]. Vt enim negant illius vi Samuelem apparuiſſe; ſic affirmant ipſius magicis obteſtationibus illam totam ſcenam adornatam. Et probari poteſt; quia in ſacris litteris hæc mulier dicitur Samuelem excitaſſe; & Saul dicitur illum euocaſſe, ope ſcilicet pythoniſſæ. Cum ergo Samuel ipſe virtute magici carminis huc adactus non fuerit; ſi pythoniſſa ſimulacrum ſaltem ipſius non fecit, & alia phantaſmata non concinnauit, hic nihil omnino fecit, & otioſè ſe habuit. Quomodo ergo quicquam eorum illi tribuitur, quæ hic geſta ſunt? d Tertul. Anaſt. Niſſen. Cyril. Euch. apud Serrar q. 3. in cap. 31.

Alij cenſent virtute diuina corpus efformatum. Ita Theodoretus[e]. *Siue, inquit, viſus fuerit angelus in figura Samuelis eius oſtendens formam,* e q. 62. in 1. Reg.

ſiue

ſine anima ipſius Samuelis , ſciendum eſt in hac viſione non fuiſſe hoc factum præſtigiis & incantatione ventriloquæ ; ſed Dei ſapientia & virtute, qoi per homines etiam impios, aliquando multa prædixit futura.

Sed dicendom eſt virtote quidem diuina factum hoc eſſe; ſed ipſo ſimul Samuelis ſpiritu cooperante. Cum enim non excedat virtutem ſpiritus eiuſmodi molitio , qualis eſt ex aëre corpus compingere; non eſt qood ab illo factum eſſe negemos , quod fieri potuiſſe fatendum eſt. Id autem virtutem ſpiritus noo excedere; clarum eſt. Formatio enim illa corporis in ſcita aëris condenſatione conſiſtit , quam poſſe à ſpiritibus fieti ; norunt omnes , qui ſcinnt poſſe ſpiritus virtute ſua corpora loco mouere ; ſolo autem locali motu opus eſſe; vt aër condenſatione ſpiſſetur.

Quid ergo fecit hic pythoniſſa, ſi nec Samuelem adduxit, nec quicquam circa illum exhibuit, nec vlla phantaſmata concinnauit ? Plurima omnino fecit. Nam licet Samuelem huc noo attraxerit; occaſio tamen ipſa fuit , cur hic ille ſpontè ſe ſiſteret occultæ Dei diſpenſationi, vt Auguſtinus loquitur [a], obtemperando. a *lib. 2. ad Simpl* q. 3.

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT XXIX.

ARGVMENTVM.

CVM ex alienigenarum finibus in vnum coacta copiæ confluxiſſent , caſtris in hoſtili ſolo poſitis , primum omnium Satrapæ Paleſtini deliberant ex re ne publica ſit Dauidem, & ſocios aut in aciem ſecum educere , aut in caſtris interim dum pugnaretur habere , Hebræum hominem aduerſus Hebræos. Res omnibus viſa plena periculi , & euentus ambigui : proinde dimittendum communi voto decernunt, Achis vt retineretur fruſtra admitente. E caſtris ergo dimittitur , verbis tamen ab Achis honorificentiſſimè prius appellatus ; à quo digreſſus iterum Paleſtinos fines repetit cum ſuis in euentum ancipitis expeditionis expectatione ſuſpenſus.

℣. 1.) Congregata ſunt ergo Philiſthiim vniuerſa agmina in Aphec : ſed & Iſraël caſtrametatus eſt ſuper fontem qui erat in Iezrahel.

℣. 2.) Et ſatrapæ quidem Philiſthiim incedebant in centuriis , & millibus : Dauid autem & viri eius erant in nouiſſimo agmine cum Achis.

℣. 3.) Dixeruntque principes Philiſthiim, ad Achis, Quid ſibi volunt Hebræi iſti ? Et ait Achis ad principes Philiſthiim; Nunquid ignoratis Dauid qui fuit ſeruus Saul regis Iſrael & eſt apud me multis diebus vel annis , & non inueni in eo quicquam ex die qua transfugit ad me vſque ad diem hanc ?

℣. 4.) Irati ſunt autem aduersùs eum principes Philiſthiim , & dixerunt ei; Reuertatur vir, & ſedeat in loco ſuo, in quo conſtituiſti eum : & non deſcendat nobiſcum in prælium , ne fiat nobis aduerſarius, cum præliari cœperimus : quomodo enim aliter poterit placare dominum ſuum , niſi in capitibus noſtris ?

℣. 5.) Nonne iſte eſt Dauid , cui cantabant in choris dicentes percuſſit Saul in millibus ſuis , & Dauid in decem millibus ſuis ?

QVæ hoc capite narrantur , iſterologiâ manifeſtâ poſt illa referuntur , ante quæ contigerunt. Nam quod capite proximo de Samuelis apparitione , & eius cum Saule colloquio continetur , pridie factum eſt eius diei, qua prælium ioſaoſtum ab Iſraelitis initum eſt. At quæ hîc habentur , quinque ſaltem diebus pugnam præceſſerunt. Nam Dauid poſtera dia, qua deprehenſus, & obſeruatus à ſatrapis eſt , illorum caſtra reliquit , vt hoc capite [b] narratur. a Ver. 10.
Conſumpſit autem tres ſaltem dies io itinere maturando , in Amalecitis perſequendis , in illis debellandis. Iode reuerſus eſt in Siceleg, vbi tres poſt dies ab aduentu ſuo , qui totidem erant à Saulis obitu vt habetur libro ſecundo [c] nuntium c Cap. 1. 1.
infauſtum miſerabilis cladis accepit. Si ergo dies vnus computetur , quo deprehenſus ; alter, qno dimiſſus; tres, quibus Amalecitas perſequutus, & aſſequutus expugnauit, & in Siceleg cum præda reuerſus eſt ; quinqne ſaltem diebus , hic quæ narrantur omnia pugnam præceſſiſſe conſtabit, vt latius in diſputationibus [d] oſtenſum eſt. d *Diſput. 1. in cap. 28.*

Congregati ſunt ergo.] Prima die congregati ſunt prope Sunam vnde paolulum progreſſi, quo propius Hebræis fierent, ad Aphec caſtra mouerunt; quod ſecunda die factum eſſe probabile eſt , & ſimul etiam illuc dum contenderent, ſuas copias luſtraſſe.

Sed & Iſrael caſtrametatus eſt ſuper fontem.] Eodem, vel poſtera die, quam Philiſthiim Aphec ſua caſtra promouerant. Obſeruandus autem hîc eſt vſus particulæ , *ſuper* , in Scripturis freqoenter obuius, vt pro *iuxta* ponatur. Nec enim propriè potuerunt hîc Iſraelitæ caſtra ſuper fontem metari , ſed iuxta fontem. Sic Chriſtus Domi-

ous

a Luc.4.39. nus ſtetiſſe dicitur [a] *ſuper ſocrum Simonis*, & imperaſſe febri, & eam diſceſſiſſe. Simili enim modo vt caſtra locata ſunt ſuper fontem, non quod eſſent ipſi ſuperimpoſita, ſed quod iuxta ipſum; ſic ſtetit Ieſus ſuper ſocrum Simonis, non quod ipſi ſuperincumberet; ſed quia iuxta ipſam proxime ſtetit.

Et ſatrapæ quidem] Qui nunc, & aliàs in hoc libro ſatrapæ, Reguli etiam alibi dicuntur. Et illi quinque ſunt, qui notiſſimis illis Chananitidis regionis populis imperabant [b].
b Ioſ.13.3. *Terra Canaam*, inquit, *quæ in quinque regulos diuiditur*. Erant igitur hi ſatrapæ non particulares ordinum ductores, quales Centuriones, aut Tribuni ſunt; ſed ſuæ quiſque gentis Principes & moderatores; In commune tamen bellum adminiſtrantes; ob id non ſinguli ſingulas, ſed omnes vniuerſas acies obibant. Qui enim aliter auſi eſſent tanto cum imperio Regem Achis interrogare; ſi non ſinguli fuiſſent illi dignitate pares, at omnes ſimul ſuperiores? Minus ergo rectè recentiores nonnulli ſatrapas iſtos centuriarum, & chiliadum præfectos interpretantur, quod bene poſt Abulenſem ante nos alij obſeruarunt.

Incedebant in centuriis & millibus.] id eſt centurias, & chiliadas luſtrabant. Quomodo id? vel ipſimet agmina obeundo, vel ordinibus ante ſe militari traiectione tranſmiſſis copias obſeruando. Cur autem dicit: *In centuriis, & millibus?* Vt intelligamus non manipulatim, & per ſingulos milites; ſed tumultuario quaſi per denſiora agmina cateruatim incedentia, ordines integros luſtratos.

Dauid autem & viri eius erant in nouiſſimo agmine.] Gethæi Philiſthinorum fortiſſimi erant & habebantur: merito ergo in nouiſſimo agmine ponuntur. Poſtulat enim diſciplina caſtrenſis, vt robur & vires exercitus poſteriora loca teneant in bello. Cum ergo Dauid cum Gethæis eſſet, ob id in nouiſſimo agmine reperitur.

Cum Achis.] An hic ſupremus imperator in hac expeditione fuerit; dubitari meritò poteſt. Fuiſſe, multa ſuadent. Quod ſolus hic ſuo nomine appellatur; quod Rex exertè dicitur, reliqui ſatrapæ; quod tenet agmen nouiſſimum. Cur enim id; niſi vt vbi robur, & vires exercitus ſolent, is quoque reſideat, qui bellum vniuerſum adminiſtrabat? Denique quia disertè Io-
c lib.6.c.14. ant. ſephus [c] illi ſummam huius belli dicit fuiſſe permiſſam. In contrarium tamen eſt quod bellum hoc, non Gethæorum tantùm eſt, ſed omnium Philiſthinorum; quod ſatrapæ iſti ſatis pro imperio cum illo loquũtur immo etiam cum amara increpatione; quod inuitum Dauidem dimittere compellunt, denique nos ipſi capite ſuperiori docuimus belli ſummam nequaquam penes illum ſolum fuiſſe. Vt hæc concilientur dici probabiliter poteſt Achis per ſe, & cum ſingulis ſpectatum alios omnes dignitate ſuperaſſe; at cum alij communi conſilio quid decreuiſſent, omnibus inferiorẽ fuiſſe. prorſus ad eum modum quo nunc pleraque bella geruntur. Principes enim quorum illa auſpiciis adminiſtrantur, ſupremum imperatorem, toti bello præficiunt; cui tamen legatos adiungunt, quibus ille cum quid communi decreto mandauerint, obnoxius teneatur; ſic erat Achis, per ſe ſolus omnia ſupremi Ducis auctoritate curabat; at vbi reliqui Principes conuenïſſent, illos audire, & morem gerere tenebatur.

Quid ſibi volunt Hebræi iſti.] Hinc & deinceps narratur egreſſus Dauidis è caſtris Philiſthinorum, circa cuius dimiſſionem intereſt vt explicetur eius occaſio, modus, cauſa, & quomodo ſe Dauid in ea, quomodo Philiſthæi, ipſi ſe prudenter habuerint.

Occaſio fuit ex luſtratione copiarum. Interim dum ſatrapæ Paleſtini ſuas acies curioſi obſeruabant, in Hebræorum cohortem inciderunt: Ad cuius aſpectum hæſerunt admirandi. *Quid*, inquiunt, *ſibi volunt Hebræi iſti?* Nec enim præferunt iſta verba contemptum, ſed admirationem. Sed quid, & cur admirantur? Hoc eùm quærimus, & materiam, & cauſam admirationis quærimus. *Materia*; erant Hebræi. *cauſa*, quod hoſtes, & quod in caſtris. Apparet ergo ſatrapas vbi primum in hos inciderunt, nec Dauidem agnouiſſe; nec antea quicquam de ipſo, & eius apud Achis commoratione ſciuiſſe. Si enim nouiſſent; non quid Hebræi; ſed quid ibi Dauid ageret interrogaſſent. Hos autem ſtatim agnouerunt, & quod lingua, quod habitu, quod armis, Hebræi, & Paleſtini diſtarent. Illos autem hîc eſſe; non temerè mirati ſunt. Hoſtes enim Paleſtinorum erant, & ex eo genere contra quos à Paleſtinis pugna parabatur. Merito ergo exclamant; *Quid ſibi volunt Hebræi iſti?* Contra Hebræos arma mouemus, & Hebræi nobiſcum hic ſunt aduerſus Hebræos pugnaturi? Quid hoc monſtri eſt? Hæc illi ad Achis. At is probè gnarus inconditam multitudinem, & obſcuram turbam transfugarum ſemper eſſe ſuſpectam; & ob id non immerito rationem ſui conſilij Satrapas admiratos, quod quos viderãt, ignobile tantum vulgus exiſtimaſſent, ad admirationem illorum abſtergendam illud adiecit, quod ipſam magis adauxit. *Num ignoratis*, inquit, *Dauid?* An qui hîc ſunt, gregarios eſſe milites exiſtimatis? Dauid hic eſt, & Dauidis comites. Sua ergo admiratione eorum admirationem compeſcere conatur. Mirantur illi quod in caſtris Philiſthinorum videant Hebræos; miratur iſte viciſſim quod illi neſciant Dauidem acerrimum eſſe hoſtem Hebræorum, & apertas cum Saule inimicitias profiteri, & iam diu apud ſe eſſe. *Num*, inquit, *ignoratis Dauid qui fuit ſeruus Saul, & qui iam diu apud me eſt?* Per hanc reſponſionem putauit Achis abundè Principum interrogationi poſſe ſatiafieri. Nihil eſt minus factum. longè enim magis illius conſilium admirati; vt præceps, vt anceps, vt ſummi periculi plenum, non iam tantum admirationis, ſed indignationis contra illum ſigna dederunt; & illico communi ſuffragio decernunt Dauidem cum ſuis extemplo dimittendum.

Quomodo ergo dimittunt? Leniter, & blandè, ſed planè cautè. *Blandè*; vt Dauidis virtus, & Achis in illum beneuolentia poſcebat. *cautè*; ne Dauid è caſtris digreſſus hoſtibus adiungeretur, & acceſſu tot fortiſſimorum militum illorum vires augeret. Blandiſſime ergo illum Achis appellat: & quod illum dimittat; nulla id ſua in eum ſuſpicione, ſed aliorum Principum dicit voluntate fieri; qui ſimul ipſi etiam excuſandi, ſi Dauidem ſolo nomine notum, nec aliter quam vt hoſtem acerrimum Paleſthinorum, nunc ægre ferant ſocia cum Paleſthinis arma coniungere. *Viuit Dominus*, inquit, *quia rectus es tu, & bonus in conſpectu meo: ſed ſatrapis non places. Reuertere ergo in pace.* Quantum ad ſe ſpectat, abundè
ſibi

ſibi per omnia Dauidem probari, aliis non item; Non quod aliquid habeant vnde illius mores improbent; ſed quod in ſolo nomine Dauidis offendant, à quo iam fuerit Gethorum fortiſſimus obtruncatus.

Videamus ergo quàm illi propriè cauſam habuerint eum dimittendi, & quam prudenter dimiſerint. Cauſa ſine dubio iuſtiſſima fuit. Probabilis enim metus erat; primo ex generali ratione transfugarum. Anceps enim, ambiguum, & ſummi plenum diſcriminis eſt, quicquid cum illis transfigitur. Semper enim hæret animus ſuſpenſus & dubius num bona fide ſuos deſeruerint, & hoſtes adierint, quod ſæpiſſimè transfugia ſimulentur; & ſub hoc nomine nimis creduli Duces eludantur; quod denique. ſæpiſſimè ſuorum odium profeſſi, tunc illorum maximè cauſam iuuabant, cum in illos maximè videbantur inſurgere. At metus aggrauabatur, cum ex hac generali ratione, qui propriè transfugæ iſti eſſent, attentius obſeruabāt. Nec enim quicunque aut qualeſcunque. Hebræi erant; ſed inter illos fortiſſimi; quos probabile non erat, quicquam ſuorum minus, quam Paleſthinorum cauſa velle. Denique dux omnium Dauid erat, regius gener, alienigenarum ſemper hoſtis acerrimus, & quod caput eſt, in ſumma ſemper gratia populi Iudaici, in cuius ore, & oculis ferebatur, à quo laudibus & carminibus celebrabatur. An ergo quicquam probabilitatis habebat aduerſus populum ſuum cui vnice charus erat pro Paleſtinis futurum? A quibus quid tandem ſperaret cum iis conferendum, quæ poterat ab illo meritò ſibi ſpondere? Hæc illos cauſa mouit, ſine dubio iuſta cur Dauidem dimitterent. Quam ergo prudenter id exequuti? Planè prudentiſſime. Dimittendus erat Dauid, vir fortiſſimis comitibus accinctus: periculum erat ne retentus vt amicus, à tergo improuiſus inſurgeret apertus hoſtis. At non minus erat timendum, ne dimiſſos copias hoſtiles augeret, & contumelia irritatus iis conciliaretur, à quibus indignatus abſceſſerat. Quid factum? Conſilium cœptum, quod vtique malo caueret. Dimiſſus ſed in Siceleg eſt. Ita prouiſum ne poſſet in ipſo articulo prælij committendi fraudem vllam facere; & ne ad ſuos reuerſus illorum vires augeret. At cur Dauid hanc conditionem tam patienter admiſit, vt vir militaris in ipſo feruore conflictus ad Siceleg ſe reciperet, ibi otioſus euentum prælij præſtolaturus? Reſponſio facilis: ita tunc à Siceleg Dauid cum comitibus aberant, vt longa quaſi catena ligati adhuc in illa detinerentur, vxores vbi ſuas Dauid habebat, ſuas alij comites cum liberis, ancillulis, & reliqua familia. Compedibus iſtis alligati, liberum illis non erat quoquam ſe commouere. An quicquam Dauid aperte tentare poterat in Paleſtinos, inter quos tam chara pignora reliquerat? Atque ex his apparet non ſolùm Paleſtinos Principes prudenter egiſſe, reuerſionem hanc in Siceleg Dauid præcipiendo; ſed & ipſum Dauidem cautiſſimè ſe geſſiſſe illis obtemperando.

Nonne iſte Dauid cui cantabant in choris.] Dixerat Achis eſſe iam ſecum Dauidem à diebus multis & annis. Et eo toto tempore fideli ſibi. & egregia opera adfuiſſe: proinde nihil eſſe, quod in eo, merito vererentur, aut offenderent, quicquam ſiniſtri ſuſpicando. Contra hoc iſti Principes excipiunt, ſi fidat Achis Dauidi, poſſe eadem opera melius Sauli fidere. Nam veteri cantico notum eſſe multo acerbiorem hoſtem Paleſtinorum Dauidem quam Saulem fuiſſe. Quod hoc canticum? *Occidit Saul mille, at Dauid decem millia.* Quorum? nempe hoſtium Iudaici nominis qui nos ſumus.

Percuſſit Saul in millibus.] De hoc carmine nihil eſt, quod hic exponamus, abundè quæ ad ipſum ſpectant exequuti vbi [a] ſingulare certamen Goliæ, & Dauidis diſſeruimus. [a] *ſupra c.18.*

℣. 6.) Vocauit ergo Achis Dauid, & ait ei; Viuit Dominus, quia rectus es tu, & bonus in conſpectu meo: & exitus tuus, & introitus tuus mecum eſt in caſtris, & non inueni in te quicquam mali ex die qua veniſti ad me, vſque in diem hanc: ſed ſatrapis non places.

℣. 7.) Reuertere ergo, & vade in pace, & non offendas oculos ſatraparum Philiſthiim.

℣. 8.) Dixitque Dauid ad Achis; Quid enim feci, & quid inueniſti in me ſeruo tuo à die qua fui in conſpectu tuo vſque in diem hanc, vt non veniam, & pugnem contra inimicos domini mei regis?

℣. 9.) Reſpondens autem Achis, loquutus eſt ad Dauid; ſcio quia bonus es tu in oculis meis, ſicut angelus Dei: ſed principes Philiſthinorum dixerunt; Non aſcendet nobiſcum in prælium.

℣. 10.) Igitur conſurge mane tu, & ſerui domini tui, qui venerunt tecum: & cum de nocte ſurrexeritis, & cœperit diluceſcere, pergite.

℣. 11.) Surrexit itaque de nocte Dauid ipſe & viri eius, vt proficiſcerentur mane, & reuerterentur ad terram Philiſthiim: Philiſthiim autem aſcenderant in Iezrahel.

Viuit Dominus.] Quomodo Achis ethnicus cum ſit, veri Dei nomen vſurpat? Hic enim in Hebræo vox eſt *Iehoua*, quod proprium eſt Dei viuentis in Iſrael notum. Volunt alij [b] Achis cum Hebræis loquentem Hebræorum ſe conſuetudini etiam in iuramento concipiendo attemperaſſe. Alij [c] ex vicinia regionum facile fuiſſe vt plures loquendi formulæ communes eſſent. ſic enim paulo poſt Achis angeli nomen etiam vſurpaſſe; quod ſine dubio erat ex affrictu Hebræorum. Mihi probabilius eſt eſſe catacreſim ſacri Hiſtorici, qua ad vitandam impietatem malè ominatæ loquutionis, non refert quid ille iurando dixerit; ſed quid putauerit in teſtimonium ſuæ aſſertionis adducere. Putabat Achis veri Dei ſe auctoritatem interponere, dum Dei ſui nomen interponebat. Hunc illius affectum reſpiciens ſacer Hiſtoricus non refert ipſum dixiſſe; Viuat Baal. Aſtarthe, Dagon; ſed viuat *Iehoua.* non quod dixerit ille *Iehoua*; ſed quod falſum numen quod appoſuit verum eſſe putauit;

[b] *Abul q.8.*
[c] *Salian an. 1979 n.12.*

nit;qui eſt *Iehoua*. Et hoc mihi probabilius omnino eſt, quam quæ ab aliis afferuntur. Nam quis credat Regem in re tanta, qualis erat, iuramentum concipere, formulam potius Hebræorum vſurpaſſe, quam gentis ſuæ? Et hominem tantopere à Deo Iſraelis auerſum, & diis ſuis addictum illum inuocaſſe, iſtos neglexiſſe; dum fidem ſuam Dauidi aut Hebræorum cuipiam vellet adſtringere? Cur enim id? vt illis ſe magis beneuolum præberet? Itane vero? Vt Rex aliquis hoſpites ſuos demereatur, Deum, quem verum putat, omittat; & alieni numinis auctoritatem iuraturus adſumat? At vicinia regionum formulas certas loquendi faciebat eſſe communes: in aliis admitti poteſt; in cultu religionis, & iis quæ ad ipſam ſpectant, non poteſt: mordicus enim iſta retinentur, nec à finitimis populis mutuo communicantur.

Exitus tuus, & introitus tuus.] Dixerat Achis *bonum eſſe Dauidem in conſpectu ſuo*, quod eſt eum ſibi mirifice probari. Probat hoc ab inſigni argumento beneuolentiæ quod in illum oſtendit. *Exitus*, inquit, *tuus, & introitus mecum eſt in caſtris.* quod eſt: munus à me tibi in caſtris attributum, gratiſſimum te mihi eſſe conuincit. Tutelam enim & mei corporis cuſtodiam tibi credidi, omnia, quæ ad illam faciunt, arbitrio tuo permittendo. Hoc enim phraſis iſta ſignificat, *Introitus & exitus tuus mecum eſt in caſtris*, vt ex iis conſtare poteſt, quæ ſuper ea pluribus in
a Cap. 18. hoc eodem libro [a] diſſeruimus.

Sicut angelus Dei.] Eodem modo intelligendus eſt hîc loquutus Achis, quo paulò ante dum iurauit. Vt enim ibi nomen *Iehoua* non adhibuit; ſed eius dei, quem verum putabat; ſic hîc nec *angelum* vſurpauit, ſed nomen alicuius cœleſtis poteſtatis, quam talem falſo putabat Achis, quales nobis vere ſunt angeli. Probabile eſt ergo dixiſſe Dauidi; Perinde mihi gratus & acceptus es, & te non alio loco ſemper habui, quam ſi mihi è cælo dimiſſus eſſes. Vno verbo; Talis mihi es, vt illi ſunt, quos nuncios ad nos dij è cælo demittunt, fauſti aliquid annunciatum. Gentiles enim & deorum nuncios agnouiſſe, qui medij deos inter, & homines reſponſa referrent, Iſis, & Mercurius abunde demonſtrant. Magna autem virtute homines è cælo veluti demiſſos dixiſſe, Heroum fabulæ teſtantur. Et conſimili formula dicendi, qua nunc Dauidem Achis appellat, externi ſcriptores quos extollere, & ſummæ omnibus charos oſtendere volebant, eos è cælo cecidiſſe iactabant. Sic Cicero [b] alicubi; *nam Græci*
b Ad Quint. Fratr. lib. 1. *quidem ſic te ita viuentem intuebantur, vt quendam ex annalium memoria, aut etiam in prouinciam è cælo delapſum putarent.* Sic etiam Iuuenalis.

c Sat. 2. [c] *Tertius è cælo cecidit Cato.*

Catones enim duo qui fuerunt, inſigni adeo virtute putabantur, vt non homines, ſed maius quid quam homines è cælo cecidiſſe dicerentur. Achis ergo Dauidi dixit eſſe illum ſibi velut vnum ex illis, qui ſolent ad homines à diis è cælo ſubmitti. Propterea noſter dixit velut angelum Dei ipſum Dauidem habuiſſe; non quod angelos Achis agnoſceret; ſed quod iis Dauidem ſimilem dixerit, qui eo loco gentilibus erant falſa perſuaſione deluſis, quo nobis ſunt angeli vera religione formatis.

Non aſcendat nobiſcum in prælium.] Verba futuri temporis apud Hebræos non tam ſignificant aliquando quod futurum eſt, quam quod fieri debet, aut præcipitur, vt fiat, vt hoc loco. *Non aſcendet* enim eſt non debet aſcendere, & omnino nobis deſtinatum eſt, vt non aſcendat. Eſt igitur hic duplex hebraiſmus; alter in verbo, alter in eius inflexione. in *verbo*; quia ponitur aſcendere pro eo quod eſt in aciem prodire, quod in Scripturis alibi dicitur [d], *egredi in virtutibus*. d Pſal. 43. 46. In *inflexione*; quia dicitur *non aſcendet*; pro eo quod eſt aſcendere non debet, aut non aſcendat, futurum indicatiui pro imperatiuo vſurpando, vt alibi ſæpiſſimè in Scripturis vſurpatur; quod ante nos plures obſeruarunt ad illud Iſaiæ; [e] *omnis vallis exaltabitur; & omnis mons & collis* e Cap. 40. 4. *humiliabitur. Erunt praua in directa, & aſpera in vias planas.*

Surrexit itaque Dauid de nocte.] Surrexit hîc eſt itineri ſe præparaſſe, ſuis & comitum vaſis collectis cum tota ſupellectile caſtrenſi.

Vt proficiſceretur mane.] Cur non de nocte diſceſſit, vt de nocte vaſa collegerat? In promptu ratio eſt. Fugientis enim ſpeciem reliquis præbuiſſet; & diſceſſus repentinus, nocturnus, acceleratus tot fortiſſimorum militum, tumultus aliquid excitaſſet in caſtris. Adde ea ratione caniſſe ſibi Philiſthæos ne Dauid, & comites ad Hebræos regrederentur. Propterea ſignanter additur; *ſurrexiſſe Dauid vt proficiſceretur mane, & reuerteretur ad terram Philiſthinorum.* ita ſcilicet iter inſtituendo, vt aduerterent Paleſtini recta illum tendere in terram Philiſthinorum. Non autem putandi ſunt Principes iſti ſuperuacua cura laboraſſe, & nimis ſibi ſubtiliter à Dauide caniſſe. Rectiſſimè enim hic ſe geſſerunt. Cum enim Dauid hoſtis natus eſſet Paleſtinorum, & diu etiam in illos hoſtilia exercuiſſet; quantumuis eum illis nunc reconciliatus videretur; ita ſe cum illo gerebant, vt Eccleſiaſticus cum hoſte reconciliato monet agendum [f]. *Non* f Cap. 12. 10. *credas*, inquit, *inimico tuo in æternum. Sicut enim æramentum æruginat nequitia illius; & ſi humiliatus vadat curuus, adiice animum tuum, & cuſtodi te ab illo.*

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT XXX.

ARGVMENTVM.

QVO tempore Dauid Paleſtina caſtra ſequutus oppidum Siceleg præſidio deſtitutum reliquerat, occaſione arrepta Amalecitæ latrocinium magis, quàm bellum inſtituentes, oppidum ex improuiſo aggreſſi irruperunt, & ferro cuncta flammaque vaſtantes, mulieres omnes, & quotquot erant imbecillioris ætatis, abduxere captiuos; in his duas Dauidis vxores cum paruulis filiis. Omnium Dauid ignarus incenſo & expilato oppido ſuperuenit: atque ibi nil propius factum eſt, quàm vt à populo rabie furente lapidibus obrueretur, quod illum ſibi præſentem cernerent, ob cuius abſentis inuidiam tantam cladem publicæ rei illatam non ignorabant. At Dauid, licèt ſuo periculo, & ſuorum calamitate perculſus, non tamen vlla ex parte animo fractus eſt: ſed numine prius conſulto, & ex eius nutu ſubita electorum militum manu coacta, abeuntes hoſtes inſequutus eſt, omnibuſque ad internecionem fermè deletis, prædam abduxit; omneſque captiuos, & in primis vxores cum paruulis filiis recepit incolumes. Ex quo ſucceſſu lætus, & ſuas cuique vxores, filioſque reſtituit, & partam prædam non ſolùm his benignè diſtribuit, qui ſecum in Amalecitas pugnauerant; verùm etiam his, qui pugnantium ſarcinas ſeruaturi, procul à loco pugnæ ſubſtiterant.

℣. 1.) Cúmque veniſſent Dauid & viri eius in Siceleg die tertia, Amalecitæ impetum fecerant ex parte auſtrali in Siceleg, & percuſſerant Siceleg, & ſuccenderant eam igni.

℣. 2.) Et captiuas duxerant mulieres ex ea, à minimo vſque ad magnum: & non interfecerant quenquam, ſed ſecũ duxerant, & pergebant itinere ſuo.

℣. 3.) Cùm ergo veniſſet Dauid, & viri eius ad ciuitatem, & inueniſſent eam ſuccenſam igni, & vxores ſuas, & filios ſuos, & filias ductas eſſe captiuas.

℣. 4.) Leuauerunt Dauid, & populus qui erat cum eo, voces ſuas, & planxerunt donec deficerent in eis lachrymæ.

℣. 5.) Siquidem & duæ vxores Dauid captiuæ ductæ fuerant, Achinoa Iezraheliris, & Abigail vxor Nabal Carmeli.

℣. 6.) Et contriſtatus eſt Dauid valde: volebat enim eum populus lapidare, quia amara erat anima vniuſcuiuſque viri ſuper filiis ſuis, & filiabus. confortatus eſt autem Dauid in Domino Deo ſuo.

DIE *tertia*] Triduum ſcilicet in itinere Dauid & comites inſumpſerunt, antequam in Siceleg, ex quo à caſtris abſceſſerant peruenirent. Intra quod tempus interim dum Dauid à caſtris ſimul & Siceleg abeſſet, Amalecitæ ex eius abſentia opportunitatem nacti, Siceleg adorti ferro, flamaque vaſtarunt.

Amalecitæ impetum fecerant in Siceleg.] Eodem die quo Dauid è caſtris diſceſſerat; quod ſic colligit Abulenſis [a] & alij [b] poſt illum. Dauid a q.1.in c.30.
enim peruenit in Siceleg triduo poſt, quam ab b Serar.q.5.
Achis digreſſus, vt hic [c] dicitur; ſed eodem die in cap.29.
reperit puerum ab hero derelictum ægrotantem, Salian. ann. 2979.n.60.
& triduo iam cibo carentem; ex quo nempe à c verſ.1.
Siceleg Amalecitæ diſceſſerant. Fuit ergo idem dies qui Dauidi tertius erat, ex quo caſtra reliquerat, & ex quo vaſtato Siceleg Amalecitæ diſceſſerant. Ac proinde eodem die Siceleg incenſum & vaſtatum eſt, quo Dauid è caſtris egreſſus.

Amalecitæ.] Reliquiæ Amalecitarum, qui ad meridiem terræ Iſrael habitabant Ægyptum verſus, tum propter inteſtinum odium Hebræorum, tum quod aſſiduis à Dauide & eius cohorte cladibus affligerentur, in omnem occaſionem intenti erant illatas iniurias vlciſcendi. Commodum ergo comperto Dauidem cum comitibus abeſſe in caſtris Philiſtnorum, ibique detentum diu etiam abfuturum, expeditionem hanc auſi ſunt; ad quam nunquam animum adiecíſſent, ſi Dauidem à Paleſtinis diſceſſurum putaſſent.

Percuſſerant Siceleg.] Percutiendi verbum in Scripturis cum de hominibus & aliis viuentibus vſurpatur, pro frequenter ponitur quod eſt telo interimere. In quem ſenſum ſæpè etiam à Latinis aſſumitur: vnde percuſſores Cæſaris appellantur, qui mortem illi vulneribus inflictis attulerunt. Cùm verò de locis & vrbibus ſermo eſt, *percutere* in ſacris litteris idem eſt quod *vaſtare*, quod propriè vt dixi, eſt diripiendo deſtruere; ſiue ea deſtructio flammis iniectis, ſiue alia ratione fiat. Propterea cùm hîc præmiſiſſet, *Percuſſerant Siceleg*, ſubiicit; *Et ſuccenderant eam igni*, vt oſtendat quo demolitionis genere ipſam deſtruxerint, illam nimirum incendendo.

Et mulieres duxerant captiuas.] Cur de his tan- d q.3.in cap.
tùm ſignate commemorat? Putat [d] Abulenſis 30.
quia

Digitized by Google

quia ſolæ ex in Siceleg repertæ; quod Dauid ſecum viros omnes eduxiſſet. Ineptè ſanè. Quis enim ſanæ mentis exiſtimet Dauidem virum prudentiſſimum, & rei militaris in primis ſcientem, flagitium hoc admiſiſſe, vt in medio terræ hoſtilis vxores ſuas & ſuorum omni præſidio nudatas, abiiceret iniuriæ finitimorum quos ille perpetuis excurſionibus afflixerat? Dicendum ergo non ſolas mulieres abductas, ſed cum illis etiam plures viros; has autem ſignanter expreſſas; vt id quod maxime Dauidis animum, & ſociorum perculit, inſinuetur: vxores nempe ſuas abductas, impenſe quiſque dolebat, & inde omnes ad illas recuperandas accincti, quanuis de via feſſi non ſolùm, ſed planè fracti.

Et non interfecerant quenquam.] Quomodo hoc? An vi potuit oppidum irrumpi, expugnari, incendi, ſine vlla cæde propugnatorum? Abulenſis hoc dictum putat, quia cum nulli in Siceleg viri remanſiſſent, nulli erant qui poſſent occidi. Mariana [a] dicit Amalecitas incolas omnes interfeciſſe virilis ſexus; imbecilliori autem ætati & ſexui, pueris nempe & mulieribus peperciſſe. Quod autem Scriptura dicit *interfectum neminem*, intelligit de captiuis. Miror quomodo tam aperta verba Scripturæ tam frigida interpretatione alio torqueantur. Exertè dicitur *captiuas mulieres eductas à minimo vſque ad maximum* & poſt ſubiungitur *quemquam non interfectum*. An quiſquam ita deſipiat, vt quos intelligit *captiuos* abductos extinctos putet & non viuentes abductos; vt opus ſit monitore qui ſuggerat abductos in captiuitatem, non interfectos? Dicendum ergo prædones iſtos occidiſſe neminem. Nam qui viui remanſerant, Paleſtini erant: Hebræos enim omnes ſecum Dauid eduxerat. Non erat igitur cur in quemquam acerbius deſæuirent. Ergo vt Dauidem vlciſcerentur, vxores illius, & comitum auexerunt; ſupellectilem vniuerſam diripuerunt, oppidum ipſum euerterunt. In gratiam autem Paleſtini nominis viris omnibus pepercerunt. Quare probabile eſt nullam aut exiguam obſiſtentiam in oppidi expugnatione reperiſſe prædones: vnde eo ſtatim potitos, vltione, & præda contentos abſceſſiſſe.

a In not. in lib. 1. Reg.

Pergebant itinere ſuo.] Otioſè & omiſſo animo; læti de præda, ſecuri quod Dauidem abeſſe putarent, & abfuturum. Itaque non difficile Dauidi fuit audita clade ab illis illata; perſequi abeuntes, aſſequi & expugnare. *Pergebant itinere ſuo.* Hebraiſmus eſt quo lentus inceſſus, & ſine cura ſignificatur.

Leuauerunt vocem ſuam.] Mirum hîc tantæ mollitudinis lapidem, & comites eius, viros omnes fortiſſimos fuiſſe, vt ad nuncium, vel aſpectum repentinæ calamitatis, omnes muliebrem in morem vocem leuauerint, & fœmineo vlulatu cuncta compleuerint; inſuper etiam effuſe adeo in omnia argumenta doloris habenas laxauerint, vt plorantibus etiam lachrymæ ſiccatis oculis aruerint: nimirum de vxoribus agebatur; quas qui tangit, ipſos oculos virorum tangit, & ſi quid eſt, quod illis oculis charius ſit; vt minus hic mirum haberi debeat, ſi in lumine percuſſi oculorum ſuorum, oculis infortunium ſuum teſtati fuerint, plorando vſque donec illis lachrymæ deficerent.

Volebat enim eam populus lapidare.] Quæri poteſt à quibus hæc in Dauidem ſeditio, & vnde excitata. *Populus*, inquit ſcriptura, *volebat eum lapidare.* Quis iſte populus? Dubium non eſt fuiſſe milites, quos ſecum Dauid abduxerat, & reduxerat. Hi enim comperta iactura rerum ſuarum, abductione coniugum & liberorum, oppidi direptione, commoti ſunt in Dauidem, quem caput horum omnium cauſámque malorum eſſe cernebant. Quomodo id? Quia [b] nemine in oppido relicto, qui ingruentibus poſſet obſiſtere cunctos eduxerat. At turbat quod ſcriptura non milites, ſed populum appellat huius ſeditionis auctorem. Notum enim cuilibet eſt populi nomine; in ſcripturis præſertim, milites non deſignari. Propter hanc rationem non defuerunt qui vellent non milites, ſed vulgus ignobile, quem hic *populum* ſcriptura nuncupat, turbas has exciuiſſe. Sed quod iſtud vulgus, ſi milites demas? In oppido enim nulli remanſerant, omnibus in captiuitatem abductis. Ergo quotum vxores & liberi in hoſtium poteſtatem deuenerant, alij eſſe non poterant, quam Dauidis milites. At ab his qui coniuges abductas lamentabantur excitata ſeditio; à militibus igitur excitata. At cur iſti *populus* appellantur? Vt intelligamus non omnes milites, & ex his non inſigniores; ſed viliſſimos quoſque auſos iſta fuiſſe. Qui enim Dauid impetum hunc auertiſſet; ſi omnes in eum milites inſaniſſent?

Sopran. in Dauid.

b Ioſeph. lib. 6. cap. vlt.

Qualis ergo ſeditio hæc, & quam acris? Planè breuem, & non certo conſilio initam, ſed ſubito æſtu animi furentis demonſtrat euentus. Facile enim difflata eſt, vt merito ſuſpicari poſſimus inſaniſſe duntaxat populum inter primos animi commoti tumultus, & illico tranquillatum. Quod totum Scriptura clare ſatis inſinuat dum dicit; *Et volebat eam populus lapidare, quia amara erat anima vniuſcuiuſque.* Illud enim *volebat*, non certum & deſtinatum conſilium, ſed primum impetum ſignificat æſtuantis animi; nondum perfectum, ſed inchoatum, & primo erumpentem.

Confortatus eſt Dauid in Domino Deo ſuo.] Hic portus erat & fida ſtatio ad quam ſe Dauid vbi grauior procella conſurgeret ſubducebat. De qua eius in Dei protectione, fiducia, quod alibi [c] fuſiùs, hîc aliud non addo.

c lib. 1. Reg. cap 22.

℣. 7.) Et ait ad Abiathar ſacerdotem filium Achimelech; Applica ad me ephod. Et applicauit Abiathar ephod ad Dauid.

℣. 8.) Et conſuluit Dauid Dominum dicens; Perſequar latrunculos hos, & comprehendam eos, an non? Dixitque ei Dominus; Perſequere: abſque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam.

Applica ad me ephod.] Quid ephod, & qua ratione per illud oracula diuina, & à quo referrentur; alibi copioſè. Nunc difficultatem facit, quod Dauid ad ſe ephod poſtulat applicari. Erat enim tantum ſacerdotum proprium geſtare ephod, & per illud voluntatem numinis exquirere. Sed dicendum non poſtulare Dauidem ſibi ephod vt applicetur, quaſi illud ipſe ſit induturus; ſed vt ſacerdos ephod induat de voluntate numinis interrogandus. Ergo illud, *ad me*, poſitum hoc eſt pro *mihi*; & eſt, vt cum grammaticis

loquamur, datiuus commodi. Perinde enim bic eſt, *Applica ad me ephod*, quod, illud indue, vt poſſim per illud diuinom otaeulum interrogate.

Latrunculos iſtos.] Non quod latruoculi eſſent, qui vias obſiderent, aut rapto viuerent; ſed quia iuſta liceè manus & militaris eſſet, non militari ſe more gereret; ſed latrooum. Niſi malimus ad animi deſpectum ſignificandum latrunculos appellatos. Ab eo enim cuius vxores auexerant, aliter appellari non poterant, quàm latrones, quamuis milites eſſent.

Perſequere. Abſque dubio enim comprehendes.] Vnum Dauid quæſierat, tria Dominus reſpondet, ad votum ipſius potius, quam verba reſpiciens. Quæſierat num fugientium tergis deberet inſiſtere. Reſpondet Dominus vt inſiſtat. Futurum enim qnod volebat, & in qnem finem num perſequi deberet interrogabat, vt apprehenderet, expugnaret, internecione deleret; & ſi qui ſupereſſent, omni præda nudatos tota regione fugaret.

℣. 9.) Abiit ergo Dauid, & ſexcenti viri, qui erant cum eo, & venerunt vſque ad torrentem, & laſſi quidam ſubſtiterunt.

℣. 10.) Perſecutus eſt autem Dauid ipſe & quadringenti viri: ſubſtiterant enim ducenti, qui laſſi tranſire non poterant torrentem Beſor.

℣. 11.) Et inuenerunt virum Ægyptium in agro, & adduxerunt eum ad Dauid, dederuntque ei panem vt comederet, & biberet aquam.

℣. 12.) Sed & fragmen maſſæ caricarum, & duas ligaturas vuæ paſſæ. Qui cùm comediſſet, reuerſus eſt ſpiritus eius & refocillatus eſt: non enim comederat panem, neque biberat aquam tribus diebus, & tribus noctibus.

℣. 13.) Dixit itaque ei Dauid; Cuius es tu? vel vnde, & quo pergis? Qui ait; Puer Ægyptius ego ſum, ſeruus viri Amalecitæ: dereliquit autem me Dominus meus, qnia ægrotare cœpi nudiuſtertius.

℣. 14.) Siquidem nos erupimus ad auſtralem plagam Cerethi, & contra Iudam, & ad meridiem Caleb, & Siceleg ſuccendimus igni.

℣. 15.) Dixitque ei Dauid: Potes me ducere ad cuneum iſtnm? Qui ait; Iura mihi per Deum, quod non occidas me, & non tradas me in manus domini mei, & ego ducam te ad cuneum iſtum. Et Iurauit ei Dauid.

℣. 16.) Qui cùm duxiſſet eum, ecce illi diſcumbebant ſuper faciem vniuerſæ terræ comedentes, & bibentes, & quaſi feſtum celebrantes diem, pro cuncta præda, & ſpoliis quæ ceperant de terra Philiſthiim, & de terra Iuda.

℣. 17.) Et percuſſit eos Dauid à veſpere vſque ad veſperam alterius diei, & non euaſit ex eis quiſquam, niſi quadringenti viri adoleſcentes, qui aſcenderant camelos & fugerant.

Narratur hîc Dauidis expeditio in latrunculos Amalecitas. circa quam breuiter hæc explicanda. Primò qoos, & quot ſecum Dauid adduxerit. Secundò quomodo ſit latrunculos inſequutus & aſſequutus. Tertiò quando, & vbi illos repererit. Quarto quo ſucceſſu.

De primo Scriptura dicit Dauidem ſexcentos viros eduxiſſe, *qui erant cum eo*, nempe illos, qui cum ipſo in caſtris foerant, & pariter ab Achis cum illo dimiſſi. Non tamen omnes vt egreſſi cum illo ſunt in hac expeditione; ſic etiam progreſſi. Nam ex ſexcentis, ducenti ſubſtiterunt; dubium an certo conſilio Dauidis & aliorum, an ex eorum vel ignauia, vel imbecillitate. Hoc ſecundum editio vulgata præfert. *Venerunt*, inquit, *vſque ad torrentem Beſor, & laſſi quidam ſubſtiterunt*. Et rurſus; *ſubſtiterant enim ducenti, qui laſſi tranſire non poterant torrentem Beſor.* At in contrarium eſt primò quod Dauid iſtis ducentis ex æquo cum aliis, qui pugnauerant, prædam receptam pro ſua portione diuiſit; id vtique non facturus, ſi ex animi ignauia, aut vitiom imbecillitate ſubſtitiſſent. Præterea io editione Hebraica, vt habetur in traditionibus ad libros Regum, quæ nomine Hieronymi circunferuntur, legitur ducentos, noo *laſſos*, ſed *iuſſos* ſubſtitiſſe. Denique Dauid ipſe diſertè ſignificat ignauiæ nihil, aut imbecillitatis in his ducentis fuiſſe, quando in prædæ diſtributione pronunciat, illam ex æquo pugnantibus & ad ſarcinas curantibus partiendam. Apparet enim ex hoc ducentos iſtos . non ex occaſione, nec imbecillitate coactos, ſed certo coośilio, nempe vt ſarcinas aſſeruarent ſubſtitiſſe. Cui muneri certum eſt fortiſſimos qooſque milites aſſignari.

Dicendum exiſtimo ducentos iſtos ex certo conſilio remanſiſſe; ſed tamen ex aliqua occaſione ſumpto laſſitudinia & defatigationis; qua alij potiùs, quàm alij vrgebantur. Dauid eoim neceſſe habuit in hac expeditione caſtrenſem annonam, & militatem ſupellectilem ſecum educere, quæ ſufficeret in plures dies; erant illi latrooea perſequendi; in quam illi partem diuertiſſent incertus nec modum itineris ſciebat, & quandiu in ea ſibi expeditione vagandum ignorabat. In id ergo neceſſe habuit largum ſibi commeatum parare, & magnam impedimentorum copiam ſecum trahere; à quibus in eo quod maximè cupiebat, maximè ſine dubio tardabatur. Ad torrentem ergo Beſor cum perueniſſet, etiam incommodum magis ſenſit, quod ſibi ab impedimentis afferebatur. Ibi ergo re in deliberatiooem miſſa, optimum factu viſum eſt ſarcinas & impedimenta certo loco deponere, & quibuſdam ad illorum cuſtodiam relictis, alios omnes expeditos inſiſtere veſtigiis prædarorum. Electi ergo qui ſubſiſterent, noo ignaui nec imbecilles; ſed qui aliàs alia de cauſa maiori laſſitudine ex itinere premebantur. Et iſti ducenti fuere, quibus ſarcinarum cuſtodia demandata. Hoc pacto vtraque editio rectiſſimè cooc iliatur. Nam & *iuſſi*, & *laſſi* ſubſtiterunt: & quia *iuſſi*; certo conſilio dici poſſunt permanſiſſe: quia propter laſſitudinem

tudinem ad id potiùs, quàm alij ſelecti, ex eius occaſione; & quia *laſſi*, dici poſſunt ſubſtitiſſe. Conſtat etiam quàm iuſtè Dauid æquam eorum rationem cum iis habuerit, qui pugnarunt. Fortiſſimi enim erant, & interim dum ſarcinas cuſtodiebant, in aliorum omnium dextera pugnabant, qui ſecuri rerum ſuarum, quas eorum tutelæ reliquerant, manus alacrius cum hoſtibus conſerebant.

Quomodo ergo Dauid latronculos inſequutus & aſſequutus? Ex indicio ſerui Ægyptij, quem heros Amalecita in media via deſtituerat ægrotantem. *Inuenerunt*, inquit, *virum Ægyptium in agro, & adduxerunt ad Dauid*. Circa quem nobis eſt obſeruandum quam inhumaniter ab hero relictus, quomodo refocillatus, quid à Dauide timuerit; & quomodo ab illo confirmatus. Quod ſpectat ad herum; planè barbarus iſte, barbare & inhumaniter ab eo habitus eſt. Perinde enim quaſi iumentum eſſet, non homo rationis compos, illius opera tandiu vſus eſt, quamdiu vires illi labori & operi ſuffecerunt; ægrotantem ad eum modum abiecit, quo iumenta inutilia deſtituuntur. Sed non impune barbara illi inhumanitas ſtetit; eam enim ſuo & ſuorum ſanguine abunde luit. Quippe ſeruus hic miſere depoſitus, indicio ſuo, viam Dauidi præiuit, qua fugientes aſſequeretur & expugnaret. Si ergo herus iſte minus in famulum ſuum crudelis extitiſſet, integra Amalecitarum manus extremum infortunium vitaſſet.

Quomodo ergo refocillatus, & in quo ſtatu à Dauidis militibus repertus eſt? Planè deplorato. triduum enim iam erat eum cibo omni caruerat, & graui præterea morbo laborabat. Ad Dauidem ergo perductus ante omnia refocillatus eſt, vt poſcebat humanitas; & quia aliter in id vſui militibus eſſe non poterat ad quod ad Dauidem adducebatur. Quomodo ergo vt reſpondere poſſet recreatus? *Dederunt ei*, inquit, *panem & aquam, caricas & duas ligaturas vuæ*. Panis & aquæ nomine quæcunque pro cuiuſque ſtatu potui, & eſui communiter ſunt, Scriptura complectitur, vt aliàs ſignificaui. Quod adiungitur *de caricis & vuis*, id indicat quod ſupra monui, Dauidem itineris incertum plane ſibi de commeatu prouidiſſe, & annona caſtrenſi.

Sed quid, & cur à Dauide poſtea ſeruus hic timuit? Timuiſſe & quid timuerit; ipſius verba ſignificant. *Iura mihi*, inquit, *quod non occidas me; & non tradas in manus Domini mei*. Cur verò hoc vtrumque timuerit; facile poteſt intelligi. A Dauide enim timuit occidi: quia Ægyptium ſe faſſus; quia ſeruum Amalecitæ; quia cum illo & aliis Siceleg expugnaſſet: Hero verò ne traderetur; quia virtutis & fortitudinis Dauidis ignarus, exiſtimauit ſi prædatores aſſequeretur, facilè futurum vt in mutuas conuentiones deſcenderet, quibus ablata Dauidi reſtituerentur, & hic viciſſim ſua redderet Amalecitis; ac proinde ſe quoque in Heri poteſtatem venturum, à quo pœnam repoſceretur indicij [a] delati. At Dauid hoc eius timore comperto planè confirmauit, incolumitatem illi iureiurando pollicitus. Ex ergo eius indicio commodùm Amalecitas eſt aſſequutus; cum illi metu omni, curaque ſoluti, ſolo herbido ſtrati diſcubuiſſent. Quo ſucceſſu Planè Dauidi fauſto, triſtiſſimo Amalecitis. Aggreſſus enim vino madidos, crapula diſtentos, longo tripudio fatigatos, illico fugauit, & fudit; *Sopran. in Dauid.*

a *Abulen. q. 111. in c. 30.*

vt hac illac vagantes inuenire difficilius fuerit, quam ſternere. Singula iam videamus.

Vſque ad torrentem Beſor.] LXX. eum vocant *Beſer*, Ioſephus [b] *Baſelum*, qui torrens ſub fines tribus Simeon ab Adricomio [c] conſtituitur, & incertis incrementis ex montanis Iudæ deriuatus ad oppidum & portum Maioma in occiduo mare deducitur, non longè vltra vrbem Gazam ad quam ille pertinet.

b *lib. 6. ant.*
c *In tribu Simeon.*

Laſſi ſubſtiterunt.] Malè quidam [d] volunt legendum *iuſſi*, quod ex Hebraica lectione confirmant, & auctora traditionum, apud quem eſt; In Hebræo haberi *iuſſos*, non *laſſos*. Sed ſine dubio vulgata lectio retinenda eſt, à qua iam non licet diſcedere. Cæterum hos ita laſſos ſubſtitiſſe debemus accipere, vt ſimul etiam iuſſi ſubſtiterint, vt modo monuimus, & oſtendunt verba, quæ paulo poſt referuntur. [e] *Venit Dauid ad ducentos viros qui laſſi ſubſtiterant, nec ſequi potuerant, & reſidere eos iuſſerat in torrente Beſor.* Laſſi ergo ſimul & iuſſi remanſerant; ſed quia iccirco iuſſi ſunt remanere, quod laſſi eſſent; abſolutè quia laſſi erant remanſiſſe dicuntur.

d *Caietan & alij Hebraiz.*
e *Ver. 21.*

Fragmen maſſa caricarum.] Cibus aptiſſimus expeditioni caſtrenſi: nam & facillimè geſtari poteſt, & difficilè vitiatur, & celerrimè reficit, & nullo opere indiget vt apparetur.

Nudiuſtertius.] Ergo, vt iam ſupra [f] monui, quo die Dauid è caſtris egreſſus eſt, & Siceleg expugnatum, & Amalecitæ eo incenſo digreſſi, & hic ſeruus ægrotare cœpit.

f *Vet. 5.*

Ego ducam te ad cuneum iſtum.] Quærit Abulenſis [g] quomodo ſeruus iſte noſſe potuerit vbi nunc locorum degerent Amalecitæ. Triduo enim ab illis iam aberat, & eo toto tempore longum ipſi iter confecerant, aut conficere poterant. Quomodo ergo tanta fiducia pollicetur certum ſe illis ducem ad eos inueſtigandos futurum? Facilis reſponſio. Quando enim Amalecitæ præda onuſti patrios ad fines conuerſi ſunt, iter illud arripuerunt, & eas ante ſedes manſionibus ſuis deſignarunt, ex quibus Ægyptius hic relictus, vbi nunc potiſſimum eſſent, certo cognoſcere poſſet. Addit Abulenſis latronibus omnibus & qui rapto viuunt eſſe loca certa ſepoſita ad quæ conueniant; in quibus ablata furto reponant, & inter ſe pro cuiuſque meritis diſtribuant. Hæc Ægyptio famulo probè nota cum eſſent facilè potuiſſe Dauidi certum indicium polliceri, & quod pollicitus cum fide præſtare. Vera iſta ſunt; ſed minus appoſitè; quod, vt ſupra monui, non latrones iſti tantùm erant, ſed veri milites. Vnde & *cuneus* à Dauide dicuntur, qui manum militarem ſignificat. Latrones tamen appellantur, & ad deſpectum, & quod latronum more ex inſidiis inſurgentes oppidum fuerint deprædati. Latrones ergo; non quòd non milites, ſed quòd militiam latrocinando exercerent.

g *q. 12. in cap. 30.*

Et percuſſit eos Dauid.] Nimirum vbi eos Dauid eſt aſſequutus contra illos non pugna, ſed cædes erat. Subito enim deprehenſi nec tantum imparati, ſed ex recenti crapula, & vt diei tempus erat ad omne planè belli munus inepti, non arma, ſed fugam omnes circumſpexere. Hac itaque illac diſperſi, vt quiſque ſe dabant nullo negotio cædebantur.

Cæterùm ne quid hîc diſſimulemus, de hac inſigni, & tam ſubita Amalecitarum clade duo preſſiùs quæri poſſunt. Primum, quomodo ea Dauidi tam facilis. Secundum, quandiu durauerit.

De primo meritò dubitari poteſt, vnde Dauid tam facile, tam ſubito, tam ſine vlla clade ſuorum, latrones iſtos potuerit debellare. Nec modò quod diximus vſquequaque ſatisfacit. Quadringenti tantum milites cum illo erant; Amalecitæ tot, vt quadringenti adoleſcentes qui cladi ſuperfuerunt, aliorum reliquiæ fuiſſe dicantur. Cui autem dubium reliquias alicuius multitudinis non dici, niſi qui cum tota multitudine collati pauciſſimi ſint? Superabant ergo Amalecitæ numero, ſuperabant armorum genere, & copia caſtrenſis apparatus; quod quadringenti cameli demonſtrant ab adoleſcentibus fugientibus incenſi; & ita ſuperabant vt non improbabiliter affirmari poſſit vnicuique Dauidis militum cum quatuor aut pluribus aduerſariorum fuiſſe pugnandum. Vnde ergo tam facilè tam ſubitò potuit illos Dauid debellare? Multa dici poſſunt. Veriſſima cauſa fuit hoſtium ſecuritas, & ex ea neglectus diſcriminis ingruentis. Onuſti præda, & ex fœlici ſucceſſu in omnia argumenta lætitiæ effuſi, dimiſſa cuſtodia Dauidis incogitantes epulabantur. Et vt ille dicebat.

Stratique per herbam
Hic meus eſt dixere dies.

Quid mirum ergo ſi ſubitò occupati, ſolutis animis ab omni cura, ſtratis corporibus ad omnem luxum & hilaritatem, inermes, & imparati cæſi omnes ad internecionem fuerint, aut turpi fuga diſperſi?

Quandio ergo cædes iſta tenuit? *A veſpera vſque ad veſperam*, vt ſcriptura dicit; quod dubium eſt quomodo intelligatur. Difficultatem facit, quod ſi diem integrum & naturalem intelligamus, qualis eſt duabus veſperis incluſus; non apparet quomodo tota nocte, facile fuerit Dauidi diſperſos inſequi & cædere reſiſtentes, cum tanti illi eſſent, illi vero qui cum Dauide
a *Ioſeph. libr. 7. de bel. c. 27 Egeſip. in Anaceph. init. Lyr Oleaſt. in Ex. 12. 6.* tam pauci. Propter hoc ſunt qui [a] diſtinguant einſdem diei artificioſi duplicem veſperam apud Hebræos; alteram, vbi primum in occaſum notabili flexu ſol incipit à meridie declinare; alteram vero ad ipſum occaſum ſolis: illam in horam nonam, iſtam in duodecimam diei artificialis incidere. De hac autem duplici veſpera ſermonem hic eſſe cum dicuntur à veſpera ad veſperam Amalecitæ à Dauide perculſi. Quod eſt ab hora nona vſque ad duodecimam. Huius ſen-
b *lib. 6 antiq. c Sane. hic.* tentiæ. Ioſephus [b] eſſe videtur. *Durauit*, inquit, *ea cædes à prandio vſque ad veſperam.* Aliis [c] probabilius eſt integrum diem naturalem in hac cæde conſumptum? quod verba ſcripturæ clarè loqui videantur de veſpera propriè dicta, quæ vnica tantum eſt in eodem die artificiali; ac proinde cum dicatur à veſpera ad veſperam duraſſe cædes, intelligitur integra nox, & dies ſubſequens interceptus. Verum ſi ſemel admittatur vſus ille duplicis veſperæ apud Hebræos; non video cur potius quod hic dicitur *à veſpera ad veſperam*; non intelligatur de duplici veſperâ einſdem; quam de duabus veſperis inter quas integra nox media intercedit. Vt enim omittam difficile poſſe explicari quomodo quadringenti Dauidis milites potuerint Amalecitas variè diſperſos integra nocte perſequi; certe hinc ſequeretur tertio die poſtquam Dauid è Siceleg egreſſus eſt ad latrunculos perſequendos, iis deuictis in Siceleg reuertiſſe; Quod cum ratione temporis non congruit, quæ ex initio colligitur libri ſequentis.

℣. 18.) Eruit ergo Dauid omnia, quæ tulerant Amalecitæ; & duas vxores ſuas eruit.

℣. 19.) Nec defuit quiſquam à paruo vſque ad magnum tam de filiis, quàm de filiabus, & de ſpoliis, & quæcunque rapuerant: omnia reduxit Dauid.

℣. 20.) Et tulit vniuerſos greges & armenta, & minauit ante faciem ſuam: dixerúntque; Hæc eſt præda Dauid.

Eruit Dauid omnia.] Obſeruandus hîc eſt loquendi modus ſacræ Scripturæ paſſim vſitatus; vt primò quod narrat vniuersè & vno veluti ſub aſpectu proponat: deinde per partes explicatè ſingula recenſeat. *Eruit*, inquit, *omnia.* inde explicans quæ ſint hæc omnia, ſubdit; *Et duas vxores*; & vxores filiaſque comitum, & greges & armenta. Dixiſſe ſuffecerat omnia eruiſſe; vt tamen id clariùs exprimeretur exequitur ſingula; & hæc ita enumerat quaſi ſint extra omnia, aut ab Amalecitis ablata non fuerint.

Dixeruntque. Hæc eſt præda Dauid.] Non ſolùm ſua Dauid recepit; ſed longè plura, quæ finitimas regiones populando Amalecitæ rapuerant. In his greges & armenta, quæ omnia Dauid agmine compoſito præ ſe egit in morem triomphi, vt indicant illa verba; *Vniuerſos greges & armenta minauit ante faciem ſuam.* Interim autem agmine procedente Duci ſuo à militibus acclamabatur, ei victoriam & fœlicem expeditionis exitum gratulantibus. Inter ea autem quæ ſubinde lætis plauſibus reſonabant, hæ voces erant. *Hæc eſt præda Dauid.*

℣. 21.) Venit autem Dauid ad ducentos viros, qui laſſi ſubſtiterant, nec ſequi potuerunt Dauid, & reſidere eos iuſſerat in torrente Beſor: qui egreſſi ſunt obuiam Dauid, & populo qui erat cum eo. Accedens autem Dauid ad populum ſalutauit eum pacificè.

℣. 22.) Reſpondenſque omnis vir peſſimus & iniquus de viris, qui ierant cum Dauid, dixit; Quia non venerunt nobiſcum, non dabimus eis quicquam de præda, quam eruimus: ſed ſufficiat vnicuique vxor ſua & filij, quos cum acceperint recedant.

℣. 23.) Dixit autem Dauid; Non ſic facietis, fratres mei, de his, quæ tradidit nobis Dominus; & cuſtodiuit nos, & dedit latrunculos qui eruperant aduersùm nos, in manus noſtras,

℣. 24.) Nec audiet vos quiſquam ſuper ſermone hoc. æqua enim pars erit deſcendentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas, & ſimiliter diuident.

℣. 25.) Et factum eſt hoc ex die illa, & deinceps conſtitutum & præfinitum, & quaſi lex in Iſrael vſque in diem hanc.

Dauid integra aduersùs Amalecitas victoria
potitus ad ſuos reuerſus eſt, qui ad torrentem
Beſor ſubſtiterant ſarcinas cuſtodituri. Qua in
reuerſione tria obſeruanda. Quomodo, & quo
apparatu reuerſus; quomodo exceptus, quomodo
alios ipſe receperit. Quomodo reuerſus? Habitu
planè & apparatu triumphali: prædam enim
vniuerſam longo ordine diſpoſuit, & milite ſuas
per claſſes, & numeros incedente quaſi pompam
inſtituit ante ſpectatorum oculos traducendam.
Interim, vt in triumpho ſolet militibus accla-
mantibus & omnia læta, fauſta, fœlicia precan-
tibus. Duci ſuo, illo ſubinde carmine repetito.
Hæc eſt præda Dauid. Præda quam Dauidi furto
ſuſtulerat hoſtis, quam Dauid virtute ſua recupe-
rauit ab hoſte, Dauidis ergo dupliciter; & quod
ſua eſſet, & quod amiſſa furto, virtute recepta.
Hac ergo triumphali pompa procedens obuios
habuit ducentos illos quos & laſſos & iuſſos ad
torrentem Beſor impedimentis aſſeruandis reli-
querat. Illico enim vt fieri ſolet, præſertim cum
illis, qui in rei alicuius euentum ſuſpenſi ſunt,
accepto nuncio de Dauidis victoria, in illius oc-
a verſ. 21. curſum prodiere; quod indicant illa verba;[a] *Qui
egreſſi ſunt obuiam Dauid & populo qui erat cum
eo.* Nec dubitari poteſt in omnia geſtientis animi
argumenta effuſus, vt victorem ducem, & fortiſ-
ſimos commilitones, ea, qua par erat gratulatio-
ne reciperent. Viciſſim vero Dauid in omnem
læti animi ſpeciem compoſitus ad illos acceſſit,
b verſ. 21. *& illos*[b], inquit Scriptura, *pacificè ſalutauit.* pa-
cem illis annunciauit, & precatus eſt, quæ ſalu-
tandi formula apud Hebræos erat vſitatiſſima
cum læta omnia & fœlicia ſibi mutuo preca-
bantur. At non intra verba tantum ſtetit hæc
ſalutatio, ſed ad facta proceſſit. Dauid enim ita
illos excepit, vt ex ipſo geſtu ſalutantis appare-
ret eodem loco illos ipſum habere, quo reliquos
omnes qui ſecum in Amalecitas pugnauerant,
& pariter cum aliis omnibus in prædæ ſocieta-
tem vocaturum. Hoc ergo deterrimi quique Da-
uidis comitum ſubodorati, & ex Dauidis libera-
litate, & conſuetudine ſuſpicantes, tumultuari
cœperunt, & voces emittere teſtes indignationis,
c verſ. 22. & infamis cupiditatis.[c] *Reſpondens*, inquit Scri-
ptura, *omnis vir peſſimus & iniquus de viris qui
erant cum eo, dixit; Quia non venerunt nobiſcum,
non dabimus eis quicquam.* At Dauid quod tacite
ſignificauerat, expreſsè firmaturus; Et quos reli-
querat, erigens, & qui turbas ciebant libera vo-
d verſ. 23. ce compeſcens;[d] *Non ſic facietis*, inquit, *fratres
mei.* Statimque legem ſanciuit in omnem poſte-
ritatem duraturam; vt ſpoliorum & prædæ, quæ
victis hoſtibus capiuntur, æqua portio ſit pu-
gnantium, & eorum à quibus ſarcinæ cuſtodiun-
tur. His prælibatis, ſingula ſi quid opus eſt, ex-
cutiamus.

e verſ. 21. *Qui*[e] *laſſi ſubſtiterant, nec ſequi potuerunt, &
reſidere iuſſerat.*] Ergo & quia laſſi, & quia iuſſi
iſti ſubſtiterant. Vtrumque enim hic apertè
ſignificatur. Laſſitudo præceſſit, iuſſio ſequuta
eſt. Et ob id meritò tota remanendi cauſa in laſ-
ſitudinem refertur, quæ cauſam præbuit iuſſioni
obſeruanda vero in hoc Dauidis conſilio pru-
dentia ipſius & benignitas, vtraque ſumma.
Prudentia, quia quod caſus, vel naturæ curſus af-
ferebat incommodi, conſilio ipſe ſuo in maxi-
mam vtilitatem vertit. Ex ſexcentis viris ducenti
viribus deſtituti defecerant, & alios vlterius aſ-
ſequi non poterant, ea re nihil aduerſum magis
poterat Dauidis rebus accidere; tota cohors in-
ſigni parte detracta mutilabatur; qui ſupererant,
animo fracti ſegnius in hoſtes mouebant. Quid
ergo excogitauit? Rationem iniit, qua quod ne-
ceſſitatis erat, conſilium vltro ſuſceptum videre-
tur, & reliquis qui perrecturi erant in hoſtes vi-
res accreſcerent potiùs, quàm minuerentur. Im-
pedimenta omnia, quæ maximo cunctis erant in-
commodo, ſiue cùm hoſtes eſſent perſequendi,
ſiue cùm hac illac eos quæritando eſſet circum-
curſandum, ſiue cum illis acie confligendum, de-
poni iuſſit, in vnum omnia locum conferri, ſer-
uandis hos ducentos attribuit, qui ſequi non po-
terant properantes. Ita quod alieno vel flagitio,
vel vitio, vel imbecillitate peccatum fuerat, il-
lius egregio conſilio emendatum eſt; qua pru-
dentia quid excogitari poteſt conſultius. At
quanta hic benignitas in tanta ſagacitate conſi-
lii? Fortiſſimorum militum pudori conſulere,
præire votis, obſequi iam liberaliter indigentiæ;
& id demum agere, vt quod laſſitudo cogebat,
imperio Ducis facere viderentur? Vires illos
defecerant, vlteriùs progredi non poterant, illis
erat omnino ſubſiſtendum; ſed cum pudore, cum
nota alicuius dedecoris & non ſine ſpecie turpi-
tudinis. His omnibus incommodis occurrit Da-
uid id præcipiendo quod laſſitudo cogebat. Quid
ergo prudentia iſta benignius, quid hac benigni-
tate ſagacius? Sane aliud dici non poteſt, niſi
feciſſe hic Dauidem, quod ſolet Deus cum ſuis,
qui fingit laborem in præcepto. Laborem ſcilicet
qui neceſſitate aliqua nobis ſubeundus eſt præ-
cipiendo, vt ſubeamus; vt ea ratione quod neceſ-
ſitatis eſt, etiam ſit voluntatis, vtilitatis, & facili-
tatis, vt pluribus alibi[f] diſſeruimus. f Diſſ. 6. in c. 12. 2 Reg.

Egreſſi ſunt obuiam ei.] Nempe iam de Daui-
dis victoria aliquid inaudierant; inde comperto
ipſius aduentu obuiam triumphali congratula-
tione prodiere.

Populo, qui erat cum eo.] Nomine populi hic
perſpicue Dauidis milites ſiue qui remanſerant,
ſiue qui pugnauerant intelliguntur. Ex quo
quod ſupra[g] monui confirmatur, populum qui g verſ. 6.
Dauidem lapidare voluerat, alium non fuiſſe,
quam Dauidis milites, ſed viliores.

Salutauit eos pacificè.] Minùs aptè quidam
hoc expreſſum in Scriptura putant ad oſtenden-
dum Dauidem nullam irati animi ſpeciem ad-
uerſus illos præbuiſſe. Nam quia alios illi ſequuti
non fuerant, & vbi eorum opera maximè opus
erat, ibi maximè defecerant; propterea & Dauid
& eius comites re bene geſta reuerſi, poterant,
inquiunt, aliquid indignationis aduerſus iſtos
fouere, quod in tanta opportunitate defeciſſent.
Vt ergo Scriptura oſtendat nulla irati animi
ſigna Dauidem in eos præbuiſſe, diſerte nunc di-
cere eos à Dauide pacificè ſalutatos. Minus, in-
quam, hoc aptè, ne dicam prorſus ineptè. *Pacificè*
enim ſalutatos nihil aliud eſt, quam pacem illis
à Dauide nunciatam; quæ apud Hebræos ſo-
lemnis erat ſalutandi formula, cum læta omnia
& fauſta mutuo precabantur.

Reſpondens omnis vir peſſimus.] Cui iſti, aut ad
cuius verba reſpondent? Vel hebraiſmus hic eſt
in ſacris litteris frequenter obuius, quo reſpon-
dendi verbum non raro ponitur pro eo quod eſt
ſimpliciter dicere, aut loqui incipere; vel ſaltem
reſpondent, non iis, quæ Dauid loquutus fuerat;
ſed tacitus ſignificauerat. Adeo enim benignè
ducentos illos exceperat, vt non indubiè iſti

conciperent æqua ſibi cum illis ratione prædam diuidendam.

Omnis vir peſſimus.] Nimirum, vt eſt in prouerbio futilior quæque rota currus, prima ſtridorem mittit. Peſſimus quiſque non ſolum moribus, ſed militia, quod Italice diceretur; *Il più vigli acco, el più poltrone,* qui lingua magis prumpti quam manu iſta dixerunt. Veteres & recentiores hiſtoriæ percurrantur. In omni ſeditione primas faces accendiſſe, contempti magis, & deſpicabiles reperientur. Nec aliter fieri poteſt; quandoquidem incendium hoc non alio magis inualeſcit, quam flabello linguæ. In exercitu autem, quanto quiſque ſegnior eſt opera, tanto lingua procacior.

Qua tradidit nobis Dominus.] Perpetuus hîc mos Dauidis obſeruetur; vt omnes fælices euentus expeditionum ſuarum in Deum ſemper, vt in auctorem referat. *Tradidit*, inquit, *hæc nobis Dominus, & custodiuit nos.* non manus noſtra, non dextera noſtra; ſed manus Domini fecit

a lib.1.c.12. lib.2.cap.12. diſp.5.& 6. hæc omnia. Qua de re alibi [a] fuſius diſputatum eſt.

Latrunculos.] Cum Dauid loquitur, latrunculi dicuntur, cum facet hiſtoricus ſimpliciter *Amalecita*; vt intelligamus hos iuſtos milites cum ſuis ducibus & vexillis ſuis per ordines diſtinctos fuiſſe; quos tamen Dauid alio loco non habuit, quam latronum; quod eorum more oppidum aggreſſi irrupiſſent, expugnaſſent, incendiſſent.

Æqua pars erit deſcendentis ad prælium & remanentis ad ſarcinas.] Iuſtiſſima lex, quæ deinceps non ſolùm in populo Iudaico, ſed etiam in

b lib. 10. in expug. Cart. c Valtrin.lib. 6. c.2. Lipſ. l.5.cap.15.de milit.poſt Senecam cap.3. de tranq.

Romana Rep. Mundi victrice perpetuò obſeruata eſt, vt Polibius [b] teſtatur, & ex eo alij [c]. Qua de re, quia plura alibi, hîc aliud non adiungo.

℣. 26.) Venit ergo Dauid in Siceleg, & miſit dona de præda ſenioribus Iuda proximis ſuis, dicens; Accipite benedictionem de præda hoſtium Domini.

℣. 27.) His qui erant in Bethel, & qui in Ramoth ad meridiem, & qui in Iether,

℣. 28.) Et qui in Aroër, & qui in Sephamoth, & qui in Eſthamo,

℣. 29.) Et qui in Rachal, & qui in vrbibus Ierameel, & qui in vrbibus Ceni,

℣. 30.) Et qui in Arama, & qui in lacu Aſan, & qui in Athach,

℣. 31.) Et qui in Hebron, & reliquis qui erant in his locis, in quibus commoratus fuerat Dauid, & viri eius.

Quærendum breuiter quando, quibus, cur, & quæ ſpolia Dauid hoc loco diſtribuerit.

Quando? Probabile eſt audita nece Saulis & filiorum. Nam triduo poſtquam in Siceleg ab Amalecitarum cæde reuerſus Saulem audiuit extinctum. Quis autem putet illum in oppidum tam fœdè deformatum regreſſum, non animum ante omnia ad eius inſtaurationem adieciſſe, & commodam ſibi ſuiſque ſedem reparandam? Cum ergo toto eo triduo ad hæc munera mittenda, ei non vacauerit, poſt illud id exequutum neceſſe eſt; ac proinde Saulis interitu cladeque comperta.

Quibus ergo hæc munera miſit? *Senioribus Iuda.* qui iſti? viri primarij qui *ſeniores* in ſacris litteris appellantur, quod reliquos non ætate, ſed meritis, auctoritate, magiſtratu præirent. A qua nuncupatione apud pleraſque gentes vſus obtinuit vt *ſeniores* pro dominis & viris principibus appellentur: vnde Italica vox, Hiſpanis, Gallis, & aliis vſitata defluxit, qua domini *Signori* dicuntur. Senioribus ergo id eſt principibus familiarum, vel etiam magiſtratum aliquem gerentibus qui Italicè *Anziani* nuncupantur, quod officio & auctoritate alios antecedant, munera miſit Dauid; & his, non vnius oppidi, vel vrbis; ſed plurium, quæ hîc ſignatè recenſentur.

Cur ergo miſit? Primò ad conciliandum ſibi eorum gratiam, & animos demerendos. Mortuus erat Saul; de ſucceſſore agebatur; è re Dauidis erat Regis iam deſignati, vt principum virorum ſibi animos deuinciret; à quibus ſi quæ orirentur, in regno adeundo turbæ diſſlarentur; aut qui ſibi aduerſus repugnantes adeſſent. Secundò. Non ſolum vt nouam ſibi gratiam pararet; ſed vt accepta beneficia, aliqua compenſatione rependeret. Diu Dauid vagatus fuerat; multorum benignitate ſuſtentatus, apud pleroſque profugus diuerterat. His ergo nunc gratiam refert, memorem ſe beneficij accepti teſtando in hoſpitio deferendo. Propter hoc ſignanter adiungitur [d], *& reliquis, qui erant in his locis, in quibus commoratus fuerat.* d verſ.31.

Quid ergo, aut quæ munera miſit? Incertum id eſt; probabile tamen eſt ipſum ſelegiſſe quæ eſſent ad oſtentationem victoriæ, & illatam cladem perpetuis Hebraici nominis hoſtibus apud poſteros propagandam. Cæterùm ex hac tam liberali munerum diſtributione non obſcurè colligitur ingentem planè prædam fuiſſe, qua Dauid ſuper ea quæ recuperauit, Amalecitis fugatis potitus eſt.

LIBRI

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT XXXI.

ARGVMENTVM.

SAVL ut ingruentes hoſtes, à quibus ſui premebantur, auerteret, acie tumultuariò diſpoſita cum illis congreditur: conſerto prælio, funduntur Hebræi; filij Regis cadunt; Saulque ipſe equo delapſus, ne viuus in poteſtatem hoſtium deueniat, gladio incumbit, hoc infelici exitu Deo & Dauidi præteritæ impietatis pœnas perſoluens. Eius, & filiorum corpora prius ludibrio habita; deinde ab hoſtibus infruſtra diſcerpta mœnibus ſuſpenduntur; caput per Paleſtinas vrbes in argumentum lætitiæ circunfertur; arma victoriæ monumentum falſorum numinum fanis inferuntur. memorabili clade acceptâ Iudæa res afflicta & acciſa iacet. gentium populi lætabundi triumphant.

℣. 1.) Philiſthiim autem pugnabant aduersùm Iſrael: Et fugerunt viri Iſraël ante faciem Philiſthinorum, & ceciderunt interfecti in monte Gelboe.

℣. 2.) Irrueruntque Philiſthiim in Saul, & in filios eius, & percuſſerunt Ionathan, & Abinadab, & Melchiſua filios Saul.

℣. 3.) Totumque pondus prælij verſum eſt in Saul: & conſequuti ſunt eum viri ſagittarij, & vulneratus eſt vehementer à ſagittariis.

℣. 4.) Dixitque Saul ad armigerum ſuum: Euagina gladium tuum, & percute me: ne fortè veniant incircuncisi iſti, & interficiant me, illudentes mihi. Et noluit armiger eius: fuerat enim nimio terrore perterritus. arripuit itaque Saul gladium, & irruit ſuper eum.

℣. 5.) Quod cùm vidiſſet armiger eius, videlicet quod mortuus eſſet Saul, irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, & mortuus eſt cum eo.

IN hac ſuprema pugna, quam Saul aduerſùs hoſtes nominis iudaici tam fœdo exitu depugnauit, multa non leuem dubitationem continent, quæ ſunt hîc breuiter explicanda.

Primum eſt quomodo Saul, qui à Samuele reſponſum mortis acceperat, in ipſo articulo fuerit auſus cum Paleſtinis confligere, quo prædixerat illi Samuel in acie cadendum. An fortè Samuelis dictis fidem ipſe non habuit, & vanam prædictionem exiſtimauit? Quomodo ergo viribus animoque defectus, tanta violentia proſtratus eſt; vbi Samuelem talia ſibi prædicentem audiuit, ſi quæ futura narrabat, vana putabat? Varia hîc à variis afferuntur. Ioſephus in honorem ſuæ gentis, cuius egregia facta litteris apud ethnicos propagabat, dicit. Primum Saulem nihil omnino hæſitaſſe; ſed quicquid illi Samuel prædixerat, omne id pro certo indubitatoque crediſſe. Certus ergo cùm eſſet extremæ ſortis, quam fixam, immotamque putabat, animum adieciſſe vt eam glorioſo vitæ exitu decoraret: Propterea aciem diſpoſuiſſe, & prælium auſum, vt honeſtè caderet, & non inultus.[a] *Saul*, inquit, *& filij contra hoſtem egregiè certantes, & hoc tantùm agentes ne inulti caderent, vtque honeſtis vulneribus confecti cruentam hoſti victoriam relinquerent, totam vim hoſtium in ſe conuerterunt; & circumuenti multitudine, magna circa ſe ſtrage Paleſtinorum edita, poſtremo & ipſi telis hoſtium obruti ſunt.*

a *Ioſeph. lib. 6. antiq.*

Sed hæc adeo difficultatem non ſoluunt; vt potius augeant. Nam Samuelis prædictio *conditionata*, non abſoluta fuit, euentum non aliter habitura, quam conditione completa. Quæ hæc? Pugna cum hoſtibus. Neque enim dixerat Samuel, omnino futurum vt Saul poſtera die moreretur; ſed vt in acie, & cum Paleſtinis pugnando. Tacita ble ergo conditio complicatur; moriturum poſtera die Saulem; ſed ſi pugnabit; ſi manus cum hoſtibus conſeret; ſi in prælium deſcendet. Cur ergo Saul quantum potuit, à prælio non abſtinuit? Alij[b] volunt exiſtimaſſe Saulem ſententiam, & prædictionem Samuelis nec abſolutam, nec *conditionatam*; ſed tantùm comminatoriam fuiſſe: propterea auſum congredi prius expiatum. Rabini[c] cum Abulenſi dicunt vltrò Saulem & ſe, & filios morti obtuliſſe, vt hac ratione Deum ſibi iratum placaret, obſequendo decreto, quod ille in ſe de ſua morte pronunciauerat. Tunc ergo dubium ſecundò eſt; an vltro Saul in prælium cum Paleſtinis deſcenderit; an inuitus cum ingruentibus conflixerit, ab illis coactus. Rabini primum illud volunt, & ita videtur exiſtimare Ioſephus quibus alij[d] conſentiunt. Sed probabilius eſt, & Scripturæ verbia longe congruentius, inuitum ipſum & & coactum conflixiſſe, cum irruentes aliter non poſſet euadere. *Pugnabant*, inquit ſcriptura, *Philiſthiim aduerſus Iſrael; & fugerunt viri Iſrael.* Quid hoc eſt *illi pugnabant, & iſti fugiebant?* Quid hic ſibi vult modus dicendi? Non aliud, quam Paleſtinos irruiſſe, impetum, impreſſionemque primos in Hebræos feciſſe; hos autem pugnam & aciem detrectaſſe, & cum aliter non poterant, eam fugiendo declinaſſe. Cur ergo tanta in iſtis ignauia, tanta ſocordia, vt inſultibus & aſſultibus hoſtium ſæpe vexati, non ſolum illos

b *De quibus Sallan. an. 2979. n. 116.*

c *q. 3. in c. 31.*

d *Abulenſ. & Salian. loco cit.*

ſllos nunquam inuaderent, ſed aggredlentes non ſuſtinerent? Aliud dici non poteſt, niſi quod Saul ex oraculo ſibi timens, omnem occaſionem prælij conſerendi ſedulo declinabat: ob id ſuis edixerat; Ne boſtem laceſſerent, & laceſſenti nullum locum pugnandi darent. Ea re Hebræi timidiores effecti, cum *Paleſtini pugnabant*; id eſt inſurgebant, inuadebant, prouocabant, laceſſebant, illi non ſolum ocioſi ceſſabant; ſed fugiebant. Cùm verò fugientes, acrius ab hoſtibus premerentur, vt illos Saol erigeret aciem inſtruere auſus eſt, quem filij etiam ſequuti, prælium quod tanta cautione vitabant, inuiti conſeruerunt; in quo, vt Samuel prædixerat extincti ſunt. Hoc pacto ſi cuncta proceſſiſſe dicamus omnia quæ hic in Scriptura narrantur, planiſſima ſunt, & omnis quæſtio facile ſoluitur, quæ tacitè lectoris animum ſubire poteſt. Et ab Abulenſi [a] & aliis paſſim mouetur, ſed non ſedatur.

a q.3.& 4.in cap.31.

Quærunt cur ſi Saul oraculo credidit, ad pugnaodum ſuos eduxerit, & ſi cum Ioſepho dicatur id feciſſe, vt inultus non caderet; aut cum Rabinis, vt vltro neceſſitatem decretæ ſibi mortis amplecteos diuinam indignationem mitigaſſet; vlterius vrgent; cur ſaltem filios à prælio non auerterit? cur Iſraelitas omnes non in tuto locauerit? Cur denique certus denunciationem illam vim nullam habituram, niſi prælium conſereretur, omni ſtudio ipſe prælium non vitaueſit. Iſtis omnibus & aliis ſimilibus facile poteſt occurri; ſi quod poſuimus, & ſcripturæ verba non obſcurè ſignificans, intelligamus Saulem non vltro, ſed coactum conflixiſſe, coactum autem, vt ſuis periclitantibus ſubueniret. Quod clarius ſingula explicando conſtabit.

Pugnabant aduerſùm Iſrael.] Ergo, dicunt aliqui [b], viciſſim & Iſraelitæ contra Paleſtinos pugnabant. Falſum id, niſi qui fugiebant hoſtes, aduerſus illos etiam pugnaſſe dicamus, quos fugiebant. *Pugnabant* ergo Paleſtini: quia primi inuadebant, aggrediebantur, ingruebant, & modis omnibus ad pugnam Hebræos prouocabant. Iſti vero quid? fugiebant, omnem occaſionem pugnæ detrectabant.

b Sallan.an. 2979.n.14.

Et ceciderunt interfecti in monte Gelboe.] Nimirum infortunium, quod pugnam declinando vitabant, eo ipſo quod fugiebant incurrerunt. In bello enim fortis & ignaui militis, pugnantis & fugientis vnus exitus eſt cùm vterque cadit: hoc tantum diſcrimine, quod qui pugnat, glorioſe; qui fugit, cum ignominia decedit. Sic iſti: Paleſtinos aggredientes declinabant, illorum impreſſioni cedebant. Et id cur? ne manus conſererent; ne locum pugnæ præberent. Pugnam autem declinabant, vt mortem vitarent. At hanc hoc ipſo quod vitabant, incurrebant, eundem exitum fugiendo ſortiti, quem fugiendo declinabant, niſi quod ſi pugnaſſent, mortem ſuam luctuoſam hoſtibus & ſibi glorioſam feciſſent; fugiendo, & hoſtibus lætam, & ſibi ſuiſque ignominioſam fecerunt.

In monte Gelboe.] Hinc apparet in ipſis caſtris à Paleſtinis Iſraelitas oppugnatos, in ipſis & prope ipſa fugam arripuiſſe, & in fuga cæſos, hoſtibus libera caſtra reliquiſſe. Montem enim Gelboe, vt ſupra vidimus, Hebræi caſtris occupauerant.

Irrueruntque Philiſthiim in Saul.] Modus hic loquendi videtur nonnullis ſignificare Saulem quoque fugam arripuiſſe; fugientem vero Paleſtinos aggreſſos, acrius inſequutos. Sic Ioſephus. *Saul*, inquit, *ſtipatus ſuorum caterua fugiebat, in quē Paleſtini immiſſis ſagittariis omnes paucis exceptis confixerunt.* At hoc vt omittam cum aliis non congruere, quæ paulo ante ex eodem Ioſepho retulimus, ex verbis ſcripturæ nulla neceſſitate colligitur. *Irruerunt*, inquit, *in Saulem Paleſtini.* Primi ergo inuaſerunt; non tamen hinc neceſſariò fit vt fugientem, vt cedentem, vt terga dantem inuaſerint. Potuit enim Saul vbi primum Paleſtini ingruerunt, agmen cogere, & ingruentium impetum ſuſtinere, vt ſuis fugientibus locum daret, aut certè cum prætorianis ſubſiſtere, vt illis præſidio eſſet. in eum autem ſubſiſtentem irruêre Philiſthiim, & impetum non ſuſtinentem etiam cum aliis fugarunt; fugientem verò perſequuti, confixerunt.

Totum pondus prælij verſum eſt in Saul.] Solus enim cum prætorianis, aliis omnibus vel cæſis, vel fugatis reſiſtebat; non quod ipſe quoque non cederet, ſed quia ſic cedebat, vt ſeoſim, quantum poterat pedem referret, hoſtium impetum ſuſtinendo, & ſuos effuſe fugientes tegendo. Fugiſſe autem etiam ipſum, licet in ipſa fuga non omnino priſtinæ virtutis, nec regiæ dignitatis oblitum indicant ſagittarij qui in ipſum immiſſi. Dubium porro eſt an ex equo pugnauerit, & eo vſus in fuga. In ſcriptura nulla equi mentio. Seuerus tamen Sulpitius vult ex equo pugnaſſe, & ex illo delapſum vulnere debilitatum. quod probabile eſt. Nec enim ſi pedes fuiſſet, opus erat in illum cedendum equites & currus inuehi Paleſtinorum, quos in Saulem ab hoſtibus immiſſos, acceptæ cladis nuncius Dauid narrauit [c].

c lib.2.c.1.

Et vulneratus eſt vehementer à ſagittariis.] Pro eo quod noſter legit; *Vulneratus eſt*; ex hebræo alij [d] ad verbum vertunt; *Et timuit à viris ſagittariis.* Non tamen iſti negant vulneratum, ſed idcirco volunt timuiſſe, quia vulneratus. Timuiſſe inquam, non vulnus quod iam acceperat, ſed ne ex vulnere debilitatus in eorum poteſtatem deueniret. At LXX. non ſolùm cum noſtro legunt; *vulneratum*; ſed locum etiam vulneris deſignant; nempe in *hypocondriis.* Vocant autem hypocondria medici partes muſculoſas, ſupra vmbilicum, ſpuriis coſtis vtrinque ſubiectas. Theodotion ait vulneratum prope iecur. Cæterum vocem Hebræam, quam noſter *Vulneratum* vertit, eodem modo in ſuis verſionibus alij reddiderunt.

d Caiet. & Pagnin.

Euagina gladium tuum.] Mirum quod in ipſo feruore prælij gladius huius armigeri, cuius erat maximè Domini caput ab omni iniuria defendere, fuerit in vagina reconditus; ſed aduertentibus ex parte Iudæorum, non pugnam hanc, ſed fugam fuiſſe, minus mirum videbitur. Et ſi qua pugna erat, non comminus enſibus, ſed ſagittis eminus res agebatur.

Ad armigerum ſuum.] Hieronymus nuncupatus, quem alij ſequuntur. Hunc armigerum non improbabiliter putant fuiſſe Doëg Idumæū. Erat enim Doëg vnus ex primariis Sauli ſatellitibus & ſibi conſcius necis ſacerdotum, & eorum omnium, quæ malè in Dauidem molitus fuerat, tutum ſibi non putauit domino ſupereſſe; ne viuus in poteſtatem Dauidis veniret mox regnaturi.

Ne fortè veniant incircuncisi iſti, & interficiant me illudentes mihi.] Si tantum mortem timuiſſet Saul, inconſultè non ſolum, ſed ſtolidè planè

planè feciſſet, mortem ſibi inferendo, ne ab aliia occidetetor. Quæ enim maior dementia; aut, vt ille dicebat

Qua rego ſtultitia eſt ne moriare mori?

a Ep.70. *Stultitia eſt*, inqnit Seneca [a], *mori timere mortis. Venit qui occidat, expecta. Quid occupas? Quare ſuſcipis alienæ crudelitatis procurationem? Vtrum inuides carnifici tuo, an parcis?* Non ergo Saul tam ſtultus fuit, vt mortem taotum à Paleſtinis timendo, mortem ſibi conſciſceret. Quid etgo timuit? Non nudam mortem; ſed cum probro, & dedecote. Propterea non dicit tantùm. *Ne veniant incircumciſi iſti, & interficiant me*; ſed *ne interficiant, illudentes mihi.* Quæ ergo ab illis ludibria timebat, erant illi grauiora motte; propterea vt illa effugeret, hanc oecupauit. At quæ ludibria? Quæ barbari victotes ſolent victis inferte. Et erat ante oculos Sampſonis exemplum, quem Sauli dignitate ptoximum, vi pote rei Iudaicæ cum ſupremo iudicis impetio præfectum, captum oculis orbarant, & moli truſatili addictum, in iomentum ex Rege conuettetant.

Fuerat enim nimio terrore perterritus.] Quis tertor abdoxit armigerum ab hoc Sauli præſtando, quod adeo enixe togabat? Regiæ Maieſtatis. Expauit enim ad hoc verbum Saulia, cum audiret ſerous dominum, priuatua Regem talia loquentem, *Interfice me.*

Et irruit ſuper eum.] An Saul ex hoc vulnere fuetit extinctus; incertum eſt, & in varias ſententiaa à pleriſque diſceditur; quid probabiliter tenendum, in diſtincta de hac re diſputatione conſtabit.

Irruit & ipſe ſuper eum & mortuus eſt.] De ſui ipſius occiſione, an vnquam licita ſit; ſimulque nunc Saul damnatus exceſſerit, an veniam conſequutus; in diſputationibua expooetur.

℣. 6.) Mortuus eſt ergo Saul, & tres filij eius, & armiger illius, & vniuerſi viri eius in die illa pariter.

℣. 7.) Videntes autem filij Iſrael qui erant trans vallem & trans Iordanem quòd fugiſſent viri Iſraelitæ, & quòd mortuus eſſet Saul & filij eius, reliquerunt ciuitates ſuas, & fugerunt: veneruntque Philiſthiim & habitauerunt ibi.

Vniuerſi viri illius. Viri & homines alicuius, in ſacris & prophanis litteris dicuntur, qui præſto illi ſunt ad omne obſequium parati; præcipuè vero ad ipſum ab omni iniuria tuendum. *Viri* ergo *Saulis* hoc loco prætoriani milites ſunt intelligendi, & illum quicumque ſtipabant, honoris non ſolum, ſed tutelæ cauſa. Propterea

b lib.6.antiq. cap.vlt. Ioſephus [b] dicit vniuerſum ſatellitium Saulis hic extinctum. Sed turbat hîc non nihil quod in libro Paralipomenon habetur; *Omnem Saulis domum cum illo pariter cecidiſſe.* Quomodo enim hoc, cum Iſboſeth Saulis filius ſuperfuerit, illique in regno ex parte ſucceſſerit; cum Miphiboſeth Ionathæ filius; cum Semei ſanguine coniunctus; cum Abner patruelis Saulis diu etiam vitam poſt cladem prottaxerint? Sed dicendum in ſacris litteris aliquid tunc dici pleromque fieri, com cauſa præbetur vt id fiat, & ex qua certo id conſequuturum eſt, quod factum dicitur. Sic Adam dictor mortuus cum fructum comedit: qoia comeſtio cauſa fuit cor poſtea moreretur; niſi malimus conſuetum tropum Scripturæ eſſe notas vniuerſitatis apponere, non tantum vbi ſermo eſt de omnibus excepto nullo; ſed de pluribus exceptis paucis.

Videntes autem viri Iſrael.] Qui iſti? *Qui*, inquit, *erant trans vallem, & trans Iordanem.* Erant igitur Iſraelitæ iſti Iſſachatitæ, nempe ex tribu Iſſachar incolentes loca proxima valli Ieſrael, & Iordani; propè quæ, vel in quibus infauſtum prælium commiſſum. Ad verbum autem eſt in Hebræo, *Qui erant in tranſitu vallis, & in tranſitu Iordanis.* Quo modo loquendi ſignificatur Iſraelitas iſtos prope Iordanem incoluiſſe.

℣. 8.) Facta autem die altera, venerunt Philiſthiim, vt expoliarent interfectos, & inuenerunt Saul, & tres filios eius iacentes in monte Gelboe.

℣. 9.) Et præciderunt caput Saul, & expoliauerunt eum armis: & miſerunt in terram Philiſthinorum per circuitum, vt annuntiaretur in templo idolorum, & in populis.

℣. 10.) Et poſuerunt arma eius in templo Aſtaroth, corpus verò eius ſuſpenderunt in muro Bethſan.

Facta autem die altera.] Poſtridie eius diei, qua Iudæi fuſi, & fugati; qua die Dauid ex vna parte Iudaici nominis hoſtes expugnabat; ex altera Saule proſtrato; ex Iſraelitarum copiis deletis iidem hoſtes ſpolia legebant. Tantum momenti Dux affert in bello, & tanti refert ſub cuius auſpiciis pugnetur; Dauid cum paucis aduerſus ingentem vim hoſtium fœliciter dimicauit; Saul innumeris ſtipatus copiis armatorum exitu funeſtiſſimo conflixit.

Inuenerunt Saul & tres filios eius iacentes in monte Gelboe.] Quærunt hic aliqui quomodo inter alios, & ab aliis eos internoſcere potuerint. Nodus eſt non difficilis, & in quo ſoluendo non anxiè laborandum. Erant viri principes omnes; quorum proprium ab aliis armis, habitu, totoque ornatu diſtingui. Quid ergo mirum, ſi tot inter alios notis inſignes, etiam præ aliis ſtatim agnoſcerentur? Adde non defuiſſe in exercitu Paleſtinorum Iudæos transfugas: & ſi iſti defuiſſent, ex ipſa Paleſtinorum gente non deerant exploratores, quibus in omnia ſolitis penetrare, Saulis, & filiorum facies ignota eſſe non poterat. Denique quando alij non adfuiſſent, aderant Hebræi captiui, quos ſecum poterant in hoc ipſum Paleſtini producere; vt interim dum ſpolia legerent, ab iis illuſtrium cæſorum nomina docerentur. Potiùs hîc obſeruandum qood ſupra dicebam Saulem & filios, Ionatham præſertim longinquam fugam non arripuiſſe, ſed ſenſim cedentes preſſos, & oppreſſos; dum ſuos tegerent omni ex parte fugatos. Omnes enim in monte Gelboe ceciderunt; qui mons exiguus & totus ferme caſtris Hebræorum occupatus. Si ergo Saul hic extinctus, non procul à caſtris extinctus eſt: vbi non vulgus militum; vtpote qui ſibi longinqua fuga proſpexerat; ſed fortes Iſrael ceciderunt, vt Dauid ipſe poſtea [c] lamentatur. c 2.Reg.c.1.

Et præciderunt caput Saul, & expoliauerunt.]

Intereſt

Intereſt vt hic obſeruetur, qui, cuius, & quid amputent, & quid facturi. Qui? Paleſtini, & in his primi Gethæi. Cuius? Hebræorum Regis & ſupremi Ducis. Quid? Caput. Quid eo facturi? Per vrbes ſuas, ad ludibrium cæſi & deuicti circumlaturi, in gratulationem victoriæ de hoſte potentiſſimo relatæ. Præſtat hic ergo rerum humanarum vices attentius circumſpicere, & inde nihil in humana fœlicitate fixum, ſtabile, diuturnũ. Ex quo diſcamus æquè in proſperis vt in aduerſis arcana Dei iudicia vereri, & nũquã extolli.

Non ita pridem Paleſtini à Saule cæſi, & fugati fuerant; & nunc viciſſim Iudaicus populus à Paleſtinis cæditur & fugatur: ibi Golia [a] fortiſſimus hoſtium deiicitur; hic Saul Hebræorum ſummus imperator ſternitur. ibi Goliæ caput ſuo ipſius gladio præciditur; hic Saul ſuo ſe gladio transfigit. ibi Goliæ caput præciſum per Hebræorum vrbes ad ludibrium circumfertur, & tandem in Ieruſalem defigitur, victoriæ monumentum futurum; hic Saulis & filiorum capita per hoſtiles vrbes pariter circumlata, Dagonis tandem templo ſuſpenduntur: Goliæ gladius in tabernaculo Domini conſecratur; arma Saulis in Aſtaroth delubro quaſi anathemate collocantur. denique *lætati ſunt filiæ Iuda, & exultauerunt filiæ Sion* dum Goliæ & Paleſtinorum ſpolia in triumphum ducerentur; & nunc choros agunt iuuenculæ Gethæorum, dum Saulis & filiorum capita in triumpho circumferuntur. Quis hunc æſtum ſortis humanæ non admiretur alternas vndas tam certo curſu tollentis, & reſorbentis? Aut quis potius diuini numinis arcana conſilia ſuper filios hominum non vereatur, & hinc diſcat *ſub potenti manu Dei* iuxta præceptum [b] Apoſtoli *humiliari*, *terribilis* [c] *in conſiliis ſuper filios hominum*; quos æſtu reciprocante ſubinde deprimit, & extollit?

a 1.Reg.17.
b 1. Petr. 5. verſ. 6.
c Pſal.65.3.

Poſuerunt arma eius in templo Aſtaroth.] Perpetuus hic mos omnium gentium fuit vno conſenſu duce natura receptus, vt præcipua ſpolia inimicorum, arma præſertim deuictis ipſis detracta, templis inferrent, & numini conſecrarent. Vnde id? vt ea ratione teſtarentur Deum eſſe *qui bella* [d] *conterit*, & militares expeditiones læto fine concludit. Sic ex hoc more Princeps Poeta cecinit;

d Iudith.16.

e Virg. lib.7.

[e] Multaque præterea ſacris in poſtibus arma
Captiui pendent currus, curuæque ſecures
Et criſtæ capitũ, & portarum ingentia clauſtra,
Spiculaque clypeique ereptaque roſtra carinis.

Hæc autem templis illata ita diſponebantur; vt non ſolum in teſtimonium eſſent relatæ victoriæ; ſed in ornatum ædium ſacrarum. Liuius [f] in debellatione Volſcorum *Tanta*, inquid, *ſpoliorum multitudo fuit, vt non templum tantum Quirini, forumque his ornaretur; ſed ſociis etiam coloniiſque finitimis ad templorum ornatum diuiderentur.* Nec id ſolum apud exteras gentes inualuit; ſed etiam apud Hebræos ipſos obtinuit. Ab hoc enim more gladius Goliæ tabernaculo illatus eſt; Holophernis conopæum in templo locatum; & ab eodem nunc Paleſtini, Saulis & filiorum arma ſuorum numinum delubris inferunt. Qua de re ſatis eſt iſta libaſſe; Reliqua diligentius in diſputationibus exequutis.

f lib.10.

ỳ.11.) Quod cùm audiſſent habitatores Iabes-Galaad, quæcunque fecerant Philiſthiim Saul,

ỳ. 12.) Surrexerunt omnes viri fortiſſimi, & ambulauerunt tota nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro-Bethſan: veneruntque Iabes Galaad, & combuſſerunt ea ibi igni.

ỳ. 13.) Et tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt in nemore Iabes: & ieiunauerunt ſeptem diebus.

Tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethſan.] Egregium hoc inſignis pietatis opus Saulis, & filiorum reliquiis impenſum, operæ pretium habebis, ſi introſpiciatur attentius. Videamus ergo à quibus, cur, & qua ratione facinus audaciſſimum ſimul & maximè pium ſuſceptum fuerit. A quibus? *Habitatores*, inquit, *Iabes Galaad.* Qui iſti? Ciues erant vrbis Iabes in Galaaditide conſtitutæ, quæ ad ſortem Manaſſe trans Iordanem ſpectabat. Cauſa autem cur iſti præcipuè ſupremum hoc in Saulem officium aggreſſi ſint; acceptum ab eodem Saule beneficium fuit; cui vt ſe gratos, memoreſque præberent, hoc auſi ſunt. Iſti enim erant, quos ſuperioribus annis Nahas Amonitarum Rex adortus obſederat, & arctiſſimè preſſos, eo compulerat, vt vel illis cadendum eſſet; vel [g] dextris vnicuique oculis effoſſis in turpiſſima ſeruitute viuendum. In tali neceſſitate conſtitutos Saul non deſeruit; ſed ingenti conflato [g] exercitu, inſolentem hoſtem aggreſſus, à præſenti periculo Iabeſitas eripuit, & Ammonitas inſigni clade mulctatos fugauit, & fudit. Huius beneficij non obliti, gratiam nunc rependunt liberatori ſuo: laudandi maximè quod acceptæ gratiæ memoriam, benefactoris interitus non deleuerit; cui vt gratiam referrent, hoc audaciſſimum facinus auſi ſunt. *Ambulauerunt*, inquit, *tota nocte, & tulerunt cadauera Saul*; octaua nempe die ab inchoato bello, vt ſupra docuimus [h], audita barbara contumelia, in Saulis & filiorum cadauera, Iabeſitæ ſtatim delectu habito, viros fortiſſimos ſelegerunt, qui noctu iter aggreſſi, quod à Iabes in Bethſan octo horarum ſpatio claudebatur, infami ludibrio Saulis & filiorum cadauera ſubtraxerũt. Erat autem Bethſan Iſraelitarum vrbs in tribu Iſachar, ex illis vna quas Iſraelitæ clade Saulis perepta, reliquerant, & occupauerant Paleſtini. Ad cuius muros, vt maiori cederet ignominiæ, miſeras Hebræorum Principum reliquias ſuſpenderant in omnium conſpectu ſanie taboque conſumendas.

g 1.Reg.11.
h Cap.18.

Combuſſerunt ea ibi.] De toto ritu mortuorum cadauera cremandi fuſe egimus in apparatu, vbi de priſco Hebræorum funere diſſeruimus.

Ieiunauerunt diebus ſeptem.] Hoc nulla legis obligatione fecerunt. In luctu enim mortuorum ſolemne quidem Iudæis erat à cibis abſtinere. quandiu autem; nullo legis, aut cõſuetudinis iure taxatum. Itaque variatum in eo eſt, vt cuiuſque pietas in defunctum, vel temporis ratio ferebat. Sic Dauid vno die tantùm in [i] morte Saulis [i] & Ionathæ, & iterum in [k] morte Abneris ieiunauit. Iabeſitas autem ſeptem potiſſimùm dies abſtinuiſſe cibo probabile eſt; vt vicem Sauli redderent; & expreſſius memoriam ab eo beneficij recolerent [l]. Totidem enim dies cum Ammonitis pacti fuerant, quibus elapſis erat illis hoſtibus ſeruiendum niſi qui eos exemit intra tempus induciarum Saul aduenisset. Beda Venerabilis &

i 2.Reg.1.
k 2.Reg.3.
l *Salian. an. 2979.*

ieiunium

ieiunium ipſum, & ſeptenarium dictum nomerum illi tributum ad ſuffragium refert, defunctorum animis impenſum. *Recte*, inquit, *& ad literam pro mortuis vt ad requiem peruenire valeant, ſeptem diebus ieiunatur: quia poſt ſex huius ſaeculi aetates in quibus in carne laboramus ſeptima eſt in illo ſeculo, aetas requietionis animarum carne exutarum, in quo beata tempus illud glorificum quando reſurgere mereantur expectant.* Quod egregium Bedæ dictum à Bellarmino, & aliis expenditur, dum veritatem purgatorij contra hæreticorum calumnias defendunt.

LIBRI SECVNDI REGVM

CAPVT PRIMVM.

ARGVMENTVM.

C*VM Dauid in Siceleg cum ſuis latus ageret, nuncius illi repentinus aduenit, qui Iudaorum copias deletas, expugnata caſtra, Saul cum liberis extinctum nunciauit. Ad cuius voces admiratus Dauid vnde in immenſa populi ſtrage Saulis & filiorum interitus adeo cuipiam exploratus eſſe potuerit, vt id nihil haſitando referret, cauſam ſcientia nuncium interrogauit; à quo edoctus in mortem anhelanti Sauli illum ſuperueniſſe, & ipſius accitu triſtiſſimo miniſterio mortem acceleraſſe; vecordiam hominis execratus;* In caput, *inquit*, tuum auſus hoc vel patrare, vel fingere. *Statimque conuerſus ad ſtipatores, in Saulis interitu Regum omnium iniuriam vindicauit, è veſtigio obtruncari iuſſo, qui miſericordi ſtoliditate Regi manus intulerat; aut impia vanitate intuliſſe confinxerat. Inde non dubius Hebraos caſos, & cum illis Saulem filioſque proſtratos; quod id abundè Regius ornatus quem ſecum nuncius attulerat teſtaretur; in luctum cum ſuis effuſus, & publica cladi, & priuato dolori quem ex morte Ionatha conceperat, parentauit: edito in Saulis & Ionatha memoriam flebili carmine, quod vtriuſque virtutum, ſui in Ionatham amoris, & in Saulem egregia pietatis eſſet perpetuum monumentum.*

℣. 1.) Factum eſt autem poſtquam mortuus eſt Saul, vt Dauid reuerteretur à cæde Amalec, & maneret in Siceleg duos dies.

℣. 2.) In die autem tertia apparuit homo veniens de caſtris Saul, veſte conſciſſa, & puluere conſperſus caput & vt venit ad Dauid, cecidit ſuper faciem ſuam, & adorauit.

℣. 3.) Dixitque ad eum Dauid; Vnde venis? Qui ait ad eum; De caſtris Iſrael fugi.

℣. 4.) Et dixit ad eum Dauid; Quod eſt verbum quod factum eſt? indica mihi. Qui ait; fugit populus ex prælio, & multi corruentes è populo mortui ſunt: ſed & Saul, & Ionathas filius eius interierunt.

℣. 5.) Dixitque Dauid ad adoleſcentem, qui nunciabat ei; Vnde ſcis quia mortuus eſt Saul, & Ionathas filius eius?

℣. 6.) Et ait adoleſcens qui nunciabat ei; Caſu veni in montem Gelboe, & Saul incumbebat ſuper haſtam ſuam: porrò currus & equites appropinquabant ei.

Sepran. in Dauid.

℣. 7.) Et conuerſus poſt tergum ſuum, videnſque me vocauit. Cui cùm reſpondiſſem, Adſum.

℣. 8.) Dixit mihi, Quiſnam es tu? Et aio ad eum; Amalecites ego ſum.

℣. 9.) Et loquutus eſt mihi: Sta ſuper me, & interfice me: quoniam tenent me anguſtiæ, & adhuc tota anima mea in me eſt.

℣. 10.) Stanſque ſuper eum, occidi illum: ſciebam enim quod viuere non poterat poſt ruinam: & tuli diadema, quod erat in capite eius, & armillam de brachio illius, & attuli ad te dominum meum huc.

E*T maneret in Siceleg duos dies.*] Qui fuerunt totius belli ſeptimus; & octauus; à commiſſo prælio ſecundus, & tertius, vt ſupra [a] monuimus. Cur autem ad hoc oppidum regreſſus, in eo manſerit; meritò quæri poteſt. Incenſum enim repererat, & miſerè deformatum. Sanè ſcriptura cum ſignanter exprimit in eo manſiſſe; certum vult nobis eſſe, de quo poterat non temerè dubitari. Manſit ergo; quia licèt dicatur oppidum ab Amalecitis incenſum; non tamen ita intelligendum, vt totum in cineres & fauillas abierit. Incenderant enim illud

[a] *lib. 1. c. 28. init. & obſeruat Salian. ann. 2979. n. 120.*

Amalecitæ, non quod torum abſompſerint ; ſed qnia flammes diuerſia illius partibus immiſerant : eo conſilio , vt Danid cum comiribus regreſſus incendio extinguendo occuparetur ; vnde liberum illis eſſet ad tuta ſe cum capia præda recipere. Nou dubium ergo quin aliquam integrem ſedem repererit , in qua moreretur ; & interim partes alias reficeret ed habitandum. At cur oon aliò potiùs , oppido relicto , commigranit, quod ſi oon planè exciſum erat, & æquatnm ſolo ; magna ſaltem ex parte dirutum, & incommodum eret ed habitandum ? Illud non reliquit , quia nuſquam alibi pro eo tempore tutam manſionem poterat babere : non in terra Iſrael ; qoam iam vltrò reliquerer : non inter Paleſtinos , quia cum iam illis ſuſpectus euaſiſſiſſet, eorum ſuſpiciones grauiùs nolebat accendere oppidum deſerendo , quod repetere iuſſus erat , dum de illo ad Achis dixeruot [a] ; *Reuertatur vir iſte, & ſedeat in loco ſuo, in quo conſtituiſti eum.* Propterea ergo oppidum non deſeruit, licet ex parte dirutum , & incenſum. ſed in eo manebat interim dum bellum vtrinque Paleſtinos inter, & Hebræos agebatur. *Manebat* autem planè ſuſpenſus , & incertus ſui , quemcumque exitum res eſſet babitura, de ſua ſalute ſollicitos. Nam, vincerent Iſraelitæ ? At boc quod votis omnibus Dauidi videbatur optandnm , erat alia ex parte non leuiter timendum. Periculum enim erat ne Saul victoria lætus legibus Paleſtinis impoſitis, ipſum Dauidem, inter alia, de ipſorum manu reciperet. Vincerent Paleſtini ? At hoc per ſe miſerum, & longè Iudæo nomini luctuoſum : inde etiam ſollicitudinem Dauidis aogebat , quod videbat futurum vt Paleſtini , qui ſibi non pepercerant , euentu belli pendente , minime omninuo quippiem eſſent conceſſuri victores effecti : ac proinde aut in ſe quid grauius ſtatoerent , vel extorrem protſus è ſuis finibus exterminerent. Iocertus ergo animi manebat in Siceleg , & totus erat in expectatione futuri certaminis , eum nuncius ad illum venit rei malè geſtæ.

a lib.1. cap. 294.

In die autem tertia.] A commiſſo prælio, & reuerſione Dauidis in Siceleg ; vt intelligamua eodem [b] die (quod ſupra monui) quo Saul extinctus , & Iudæi profligati , cæſos Amalecitas à Dauide.

b Ioſeph. lib. 7. antiq. c. 1. & Salian. an. 2979.

Apparuit.] Modus loquendi ſignificat looge etiam poſitum conſpectum eſſe. nempe Dauid & comites de belli fortona ſolliciti , ſimul etiam oppidi cuſtodiæ intenti , cum omnia latè lettociniis & ſubitis incurſionibus ioſeſta eſſent, ex ſumma ſpecula longe cuncta luſtrebant. Obſeruantibus ergo procul hic viſus eſt : & propterea dicitur *apparuiſſe.*

Apparuit homo.] Hoc loco nonnulli ſuperfloa cura vexantur ; vt inuenient iſte quis eſſet; quaſi plurimum referat in eo operam ponere, quo reperto nullum operæ pretium, niſi leſſirudo conſequitur. Alij ergo volont Agag Amalecitatum Regis filiom fuiſſe; de quo , & ad quem Pſeudophilo [c] ex Thamuldiſtarum fabulis iſte refert dixiſſe Saulem; *Antequam*, inquit , *mortifices me , nuncia mihi quis es. Et dixit ei ille ; Ego ſum Edab filius Agag Regis Amalecitarum. Et dixit Saul; Ecce venerunt ſuper me verba Samuelis quando dixit; Qui natus fuerit de Agag, erit tibi in ſcandalum. Vade autem, & dic Dauid ; Ego occidi inimicum tuum. Et dices ei ; Hæc dicit Saul; Non memor ſis odij mei , neque iniuſtitiæ.* Meræ fabulæ , & deliria Rabinorum ; à quibus perum abeunt , qui volunt hunc eſſe Doeg Idumæum, eut eius filium. De qoibus auctor Traditionum nomine Hieronymi. In re tenui ſumme eſt, bunc quiſquis fuerit (de quo nihil intereſt exactè doceri) Dauidi nunciaſſe quæ hic referuutur.

c Antiq. bibl.

De caſtris.] Cur non de prælio , & ex acie ? Quie, vt iem dixi , totus ille conflictus ex parte Hebræorum, non pugna , ſed fuga fuit. In caſtris enim ipſis oppugnati , primum omnium fugam moliti, non dextræ & gladio , ſed pedibus ſalutem ſuam commiſerunt. Nec id veritus eſt nuncios de ſe fateri ; quando erimen id , non vnius duntaxat , ſed omnium fuit Hebræorum. Inueſi enim nihil auſi ſunt præter fugam.

Veſte conſciſſa , & puluere conſperſus caput.] Ex veteri id nunciorum more, qui veſtes in aduerſis lacerebant , & puluere caput aſpergebant; vt etiam ſupra factum vidimus in eo, qui cladem ab iiſdem Paleſtinis acceptam Heli nunciauit [d]. In lætis verò & proſperis leuro redimebantur, vt air Zonaras; & laureatas literas , aot laureum thyrſum præferebant, vt eſt apud Liuium, & pelmas nonnunquam, & niloticam lotum geſtabant, vt habetur in Heliodoto.

d lib. 1. Reg. cap 4.

Et venit ad Dauid.] Hunc eoim ille quærebat eo conſilio, vt apud illum gratiam tam fauſti nuncij primus iniret , qualem hunc illi futurom putabat de morte Saulis. Si enim tantùm latebram, aut loca tuta quæſiſſet, ad quæ ſe reciperet ab ita victorum ; incooſultè ſibi ſanè proſpexiſſet, qni terra Iudæa relicta, Siceleg peteret oppidum Paleſtinorum.

Cecidit ſuper faciem ſuam & adorauit.] Geſtoe hie erat ciuilis cultus, non qualiſcunque ſed qui viris principibus deferebatur. Præcipuè eutem epud omnes Orientales vſurpabatur; de qnibos Marcellinus, & alij. Quod aotem hic dicitur *in faciem cecidiſſe*, duplicem poteſt babere ſauſum. Primum, vt idem ſit, quod in genue procumbere, vultu in terram demiſſo. Secundum , vt ipſa facie ſolum contingatur. Vtrumque enim vſurpatum in *adoratione* non ſolùm religioſa & ſacra, ſed vrbana etiam , & ciuili. Porrò quod hîc dicitur. *Cecidit , & adorauit*; exegeticè dictum eſt, & & expoſitiuè , vt Grammatici loquuntur. Nec eoim prius cecidit, & deinde edorauit, qoeſi duo quædam ſint in faciem . cadere , & adorare ; ſed cecidiſſe ipſum . fuit edoraſſe.

Vnde ſcis quia mortuus eſt Saul & Ionathas ?] Meritò hoc Dauid interrogat. Dixerer nuncius è caſtris ſe fugiſſe. Quomodo ergo ſcire potuit, in prælio , cui non interfuit , Seulem cum filio proſtratum ? Et ſi interfuiſſet , etiem difficile erat quia, è quo , aut quomodo interficeretur aduertere; cum, vt ſæpiùa dixi , premerent vndique Peleſtini , & Hebræis vnica ſalus eſſet in fuga; cui inteoti , parom admodum vecare poterant, an quis caderet , & vbi concidiſſet ; an ex caſu conſurgeret, ao iaceret extinctus.

Fugit ex prælio populus.] Mirum quomodo nuncius hic eorum nihil , quæ cauſam ſuam , & communem Iſraelitarum plurimum granabant, reticuerit. Vnde id ? Forſaſſe vt fidem ſibi meiorem conciliaret , & iia qoæ ſobiecturus. Ob id ſtatim in principio ſermonis fugiſſe ſe de caſtris ingenuè fatetur ; tum nihil aliorom vecordiam excuſans, non decertaſſe illos , ſed de prælio fugiſſe, quaſi antequam confereretur adiungit. Poterat hæc tempetare, & infamiam ſuam , & ſuorum

rum verbis abſcondere: diſertè maluit vitamque proponere; vt poſtea dicturus Sauli ſe ſuperueniſſe, & ab illo rogatum, triſte miniſterium peregiſſe, dictorum fidem reperiat.

Caſu veni in montem Gelboe. Quomodo caſu, ſi caſtra in monte Gelboe locata, & in Gelboe prælium commiſſum, & fugiens ipſe de caſtris alio ſe ferre non poterat, quam ſi per Gelboe tranſiret? Sed obſeruandum caſtra Iudæorum primum in Gelboe fuiſſe locata; poſtmodum verò promota fuiſſe in vallem Iezrahel. Fugiens ergo è caſtris, cum poſſet aliunde ſibi fuga conſulere, quod potius in Gelboe ſit fuga delatus; non conſilio ſe id, ſed temerè feciſſe pronunciat.

Incumbebat ſuper haſtam ſuam.] Duo circa hæc quæri poſſunt, quæ ab hoc nuncio referuntur. Alterum quid ipſe dicat, & à Dauide velit intelligi: alterum, an vera quæ dicit. *Incumbebat*, inquit, *ſuper haſtam ſuam.* Quomodo vult incubuiſſe? An ab illa transfixum; an ſuper illam innixum? Hoc ſecundum nonnulli putant, qui iuuantur ex Hebræo, & LXX. in quibus ſi verbum de verbo reddatur propriè eſt; *Innitebatur*
a Salian. an. 1979. n. 17. *ſuper haſtam ſuam.* Alij [a] volunt incubuiſſe transfixum, & ita nuncium intellexiſſe, & à Dauide intelligi voluiſſe: quod certiſſimum eſt, & apertè ſignificant quæ ſubiiciuntur. *Sta*, inquit, *ſuper me, & interfice me: quia adhuc tota anima mea in me eſt.* Quid enim iſta ſignificant, niſi iacentis habitum, & eodem ferro transfixi, quo terræ nitebatur? Niſi enim hoc fuiſſet, haud ſatis erat dicere; *Sta ſuper me, & interfice me* inſeſſu, & impulſu tuo; ſed illud opus erat adiungere quod dixit armigero ſuo; *Euagina gladium tuum, &*
b lib. 7. ant. cap. 1. *percute me.* Et hoc vult Ioſephus. [b] Quod enim LXX. habent innixum Saulem gladio, vel haſtæ, ipſe exponens interpretatur eum proprij gladij mucroni incubuiſſe. Nec aliud ſibi volunt, quæ paulo poſt hic adoleſcens adiungit, ſignificans acceſſu ſolo, & impulſu Sauli à ſe mortem acceleratam, *eo quod*, inquit, *iam viuere non poterat poſt ruinam.* Quam, oro, ruinam? Qua ſponte in ferrum corruerat, vt corporis pondere, quod ad terram vergebat, aperiretur vulnus in mortem, & ferrum altius imprimeretur. Dicit ergo reperiſſe ſe Saulem haſtæ incumbentem, cuius ipſe mucronem induerat, & traiectus illius cuſpide, vel capulo terra ſubnixus pendebat.

At quàm vera ſunt quæ dicit? Multa volunt
c Sanctius hic. omnino mentitum receutiores. [c] Primò quod incumbentem haſtæ dixerit ſe reperiſſe. Saul enim gladio ſe ſuo transfixit, & illo traiectus, ad ſolum pendulus hærebat. Secundò quod ab illo necem ſibi inferri poſtulauerit. Quid enim minus probabile de eo qui tantopere formidabat ab incircuncifis interfici? An non incircuncifus Amalecites? An non Saulis hoſtis perpetuus, à quo fuerant Amalecitæ, omnes fermè deleti? Tertiò quia ſi verum erat, quod inſtabant iam currus, & equites Paleſtinorum; vnde tanta huic adoleſcenti pietas, vt ignoto, in terram proſtrato, transfixo, iacenti vellet potius opitulaturus occurrere, quam quod agebat ſaluti ſuæ fuga proſpicere. Quartò ſi videbat Saul iam currus, & equites irruentes, vnde illi quaſi per otium quis, aut vnde eſſet adoleſcens interrogare; & non potiùs id agere, vt quiſquis eſſet, omni mora ſublata, ſibi manus inferret, & ludibrio eriperet Paleſtinorum? Denique diſertè Scriptura dicit ipſum ſe Saulem occidiſſe. Non ergo niſi falſu

Sopran. in Dauid.

dicit hic adoleſcens à ſe peremptum.

Sed vt verum fatear, etſi permagni non referat iſta decidere, non conuincunt hæc adoleſcentem iſtum eſſe mentitum. Dixit *incumbentem ſe haſtæ reperiſſe Saulem*; non innixum, ſed transfixum & traiectum intelligens. At *Saul in gladium ſuum irruit, non in haſtam*: parum id refert; nec enim in ſubita narratione mirum eſt pro gladio haſtam appellatam. Sed *Amalecites erat incircunciſus.* Verum hoc: nec ab incircunciſis Saul tantum timebat interfici, quantum ludibrio haberi. Denique licet equites inſtarent; & genus, & patriam adoleſcentis interrogauit: quia rem tantam ab illo poſtulaturus, qualis hæc erat, naturalius nihil erat, quam vt aliquid de illius conditione cuperet edoceri. Denique veriſſimum eſt Saulem ſe occidiſſe, licet hic adoleſcens extremum illi ſpiritum excluſerit: tum quia lethale ſibi vulnus inflixerat, ex quo iam anhelabat in mortem; tum quia, qui ſupremam illi vim attulit, eius accitu & rogatione triſte miniſterium peregit. Nihil hìc ergo reperio, quod adoleſcens iſte videatur eſſe mentitus: quod ante non aliis [d] etiam video placuiſſe. d Ioſeph. li. 7. cap. 1. Serra: hic.

Currus, & equites.] Mirum quomodo currus in monte: ſed colles leniter aſſurgentes, & facilis accliuitatis etiam illos admittunt; & tales eſſe debebant montes Gelboe, per quos currus immitti poterant, & vſum ad celeritatem præſtare.

Appropinquabant.] Verbum militare, quo ſæpiùs noſter interpres vtitur per catachreſim, per illud intelligens non ſimplicem acceſſum, ſed cum impreſſione. Quo ſenſu etiam Latini dicunt *hoſtium tergis hærere*, pro eo quod eſt illos perſequendo premere, vrgere, cædere, & Italicè, *ſtringere; mettere alle ſtrette; eſſere addoſſo*; eſt toto impetu inſtare, & incumbere. Sic in Pſalmis Dauid de hoſtibus ſuis queritur; [e] *Aduerſum me* e Pſal. 37. 12 *appropinquauerunt, & ſteterunt.* Et alibi [f] *Redi-* f Pſal. 54. 19 *met in pace animam meam ab his, qui appropinquant mihi.* Quod alij vertunt; *Ab his qui mihi imminent, & præliantur contra me.* Non diſſimili forma Gallis, & aliis nationibus. *Faire les approches*, quod eſt appropinquare, appropiare, proximum fieri; & ad verbum *acceſſum facere*; phraſis eſt militaris, qua promoueri obſidio, vrbeſque & homines in anguſtias redigi ſignificantur. Eundem ſenſum & illa Dauidis oratio habet, qua Deum ſibi contra ſuos hoſtes adeſſe gratulatur. g Pſal. 26. 2.
[g] *Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo, dum appropiant ſuper me nocentes, vt edant carnes meas?* Appropiare enim hic eſt, quod alibi *appropinquare*; & eſt vrgere, premere, ſtringere, vt Patres [h] obſeruant. In eundem ſenſum illud etiam accipitur, quod Deus de ſe loquitur in Pſalmis. [i] *Quadraginta annis proximus fui generationi huic.* Hic enim proximum eſſe, idem eſt quod vrgendo premere, vt plures [k] ante nos obſeruarunt. *Appropinquabant ergo currus & equites*, eſt irruebant, vrgebant, & contra Saulem toto impetu ferebantur. Quod Italicè dicimus; *Gia gli erano addoſſo*, ſimili dicendi forma in ſacris & prophanis Literis & illa *tangi* dicuntur, quæ graui percuſſione cæduntur.

h Baſil. Theodor. Arnob. Pſal. 57.
i Pſal. 94. 10
k Genebr. in Pſal. 94. 10.

Sta ſuper me.] Adſiſte propiùs, & interfice me. illud enim eſt ſtare ſuper aliquem, vt ſupra diximus; licet hic propriè etiam accipi poſſit, vt eſt *incumbere.*

Tenent me anguſtiæ.] In iſtis anguſtiis mirum eſt quot & quanta Rabini, & quam ſpatioſè

a B. Leui. b B. Iona. delirent. Sunt qui [a] volunt loqui Saulem de veſtibus quibus implicatus hærebat. alij [b] volunt anguſtias iſtas fuiſſe cuneum hoſtium, quibus iam cingebatur. alij ſacerdotum vmbras & ſpectra, quos occiderat; à quibus nunc Saul infeſtabatur, vt Abulenſis. Omnes in re clara turbidum quærunt. Apertiſſimus enim ſenſus eſt, quem naturaliter vulgatus expreſſit, illam coarctationem intelligens, qua premuntur, qui iam incipiunt cum morte luctari. In quo ſtatu Saul erat lethaliter vulneratus. Chaldæus hîc habet; *Circundat me terror.* LXX. *Tenebra.* Rectè vtrique & ad noſtram vulgatam. Nihil eſt enim quod in maiores anguſtias animum coniiciat, quam terror inſtante morte conceptus, & ea iam vrgente primum omnium videntur cuncta tenebris obſideri.

Et adhuc tota anima mea in me eſt.] E vulgo, loquendi ratio petita. Significat autem ſenſibus adhuc omnibus ſe perfectè vigere. Seneca alicubi, quamuis Philoſophus à ſimili dicendi forma non abhorruit. Ita de anima loquens quaſi ſenſim & particulatim dum expirant homines à
c Ep. 30. corpore diuellatur. [c] *Senilis*, inquit, *anima in primis labris eſt, nec magna vi diſtrahitur à corpore.*

Stanſque ſuper eum, occidi illum.] Significat anniſu ſuo, & pondere incumbentis illum occidiſſe. Sic enim vulnus iam lethaliter inflictum altius impreſſit; vnde facilè Saul extinctus, qui iam in mortem anhelabat.

Poſt ruinam.] Qua ſcilicet irruerat in gladium
d De quibus Abul. q. 5. & 7. in c. 1. ſuum. Malè alij [d] ruinam interpretantur cladem totius exercitus; aut illata Sauli vulnera à ſagittariis.

e q. 2. 7. 8. in cap. 1. *Tuliqne diadema.*] Abulenſis [e] coniecturam ſuam ſequutus, quod hic adoleſcens filius fuerit Doeg Idumæi, vult annulum, & diadema non ab hoc iacenti Sauli detracta; ſed à Doeg accepta. qui illa ſeruabat, & filio tradidit vt Dauidi deferret; & ea ratione illius ſibi gratiam pararet. Abulenſi recentiores nonnulli conſentiunt; & in eo quod Doegi filium, nuncium iſtum putat; & quod illi Doeg annulum, & diadema tradiderit. Improbabile enim putant in ipſo feruore prælij Saulem aut coronam, aut diadema geſtaſſe. Quid enim aliud id fuiſſet, quam ſe hoſtibus conſpicuum facere, vt plurium iaculis feriretur? Vtrumque ergo tam diadema, quàm annulum, non apud Saulem, ſed apud Doegũ fuiſſe, qui illa vt armiger aſſeruabat. Mihi totum hoc de armigero, quod Doeg fuerit; de nuncio, quod Doegi filius; de diademate, quod ab illo ſeruatum, & ab iſto receptum, diuinatio videtur eſſe, & merum ſomnium. Planiſſima ſunt ſcripturæ verba; nihilque in illis eſt, quod abſtruſos ſenſus cogat inueſtigare. At probabile non eſt Saulem in capite diadema geſtaſſe. Cur id? Ne, inquiunt, ab hoſtibus agnoſceretur. Quomodo ergo totum prælium in Saulem, alij neglectis, incubuit; ſi præ aliis agnitus non eſt? Et ſi agnitus; vnde id, niſi quia conſpicuus inſigni aliquo omnibus reddebatur? At corona in prælio prorſus importuna pugnanti, cuius caput grauat, & inhabilem geſtantem reddit ad manus alacriter conſerendas. Verum id fortaſsè ſit de corona; de diademate nequaquam. Quod enim aliàs monui, diadema faſcia linea erat auro gemmiſque prætexta, qua nihil habilius ad geſtandum,

℣. 11.) Apprehendens autem Dauid veſtimenta ſua ſcidit, omneſque viri qui erant cum eo:

℣. 12.) Et planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vſque ad veſperam ſuper Saul, & ſuper Ionathan filium eius, & ſuper populum Domini, & ſuper domum Iſrael, & quod corruiſſent gladio.

℣. 13.) Dixitque Dauid ad iuuenem, qui nunciauerat ei; Vnde es tu? Qui reſpondit; filius hominis aduenæ Amalecitæ ego ſum.

℣. 14.) Et ait ad eum Dauid; Quare non timuiſti mittere manum tuam, vt occideres chriſtum Domini:

℣. 15.) Vocanſque Dauid vnum de pueris ſuis, ait; Accede, irrue in eum. Qui percuſſit illum, & mortuus eſt.

℣. 16.) Et ait ad eum Dauid: Sanguis tuus ſuper caput tuum: os enim tuum locutum eſt aduerſùm te, dicens; Ego interfeci chriſtum Domini.

Apprehendens autem Dauid veſtimenta ſua.] Hic, & deinceps exponitur quid Dauid cum ſuis egerit illis auditis, quæ nuncius Amalecita de Saulis, & Iſraelitarum clade narrauerat. Duo autem præcipue referuntur. Primò ſolemnem luctum vſurpaſſe. Secundò nuncium occidi mandaſſe. De vtroque quærendum quam ritè, quam rectè & iuſtè, & ad quid.

Primò ergo, caſu Saulis, & Ionathæ nunciato, cum ſuis in luctum effuſus eſt, eumque ſolemnem; & qualis de more ab omnibus vſurpabatur in amiſſione carorum. Multa autem in eo continebantur, & omnia ritè hîc à Dauide adhibentur. Primum erat veſtium dilaceratio ad primum nuncium acceptæ cladis, vel cuiuſcunque iacturæ, quæ eſſet hoc ſolemni luctu proſequenda. Hoc ritu nihil in ſacris & profanis literis frequentiùs. In ſacris; teſtis B. Iob [f], teſtis ſupra f Cap. 1.
Heli [g], teſtis hic idem nuncius [h], qui ad indicandum luctuoſa ſe ferre, conſpectui ſe Dauidis ob- g lib. 1. Reg. 3. h Verſ. 2.
tulit *ſciſſis veſtibus & cinere conſperſus caput*, teſtis denique nunc Dauid ipſe cum ſociis. De quibus Scriptura *Veſtimenta*, inquit, *ſua ſcidit, & omnes viri qui erant cum eo.* Apud externos verò ſcriptores innumera iſtud ipſum exempla teſtantur, à nobis allata, vbi de publico, & priuato Hebræorum luctu, & ritibus in eo ſeruari ſolitis, agimus.

Secundum quod in luctu adhibebatur, *planctus* erat. *ſcidit*, inquit, veſtimenta ſua, *& planxerunt.* Quid hoc? Palmas inuicem percutere, aut etiam in faciem, & alias corporis partes incutere ad dolorem animi teſtandum. Hoc enim propriè *planctus* erat, qui non tantùm à mulieribus, ſed à viris etiam, iiſque fortiſſimis, in luctu ſumebatur, præſertim apud Orientales. Teſtis de Ægyptiis, & finitimis Herodotus [i]; De aliis Diony- i lib. 2.
ſius [k] Halicarnaſæus; Denique de Romanis il- k lib. 11.
lud Taciti [l]. *Incendebat hæc*, inquit, *fletu, & pe-* l lib. 2. Annal.
ctus, atque os manibus verberans. Tertio loco *fletus* erat; emiſſio ſcilicet lachrymarum, quod eſt propriè lugere, & quo nihil efficacius exprimit animum mœrentis. *Planxerunt*, inquit ſcri-

ptura

ptura, *& fleuerunt.* Quarto loco fuit abſtinentiæ cibi. *Fleuerunt*, inquit, *& ieiunauerunt vſque ad veſperam.* Ritè id, & ex recepto more. Nec enim vacat in luctu ventrem cibis infarcire. Vnde illud eſt Tertulliani [a]. *Neque enim cibi tempus in periculis, neque ſaturitatis cultus in ſacco. Semper inedia mœroris ſequela eſt; ſicut lætitiæ acceſſio, ſagina* (malè in vulgatis; *lætitia acceſſio ſagina*) & hæc in luctu à Dauide & comitibus aſſumpta. At quàm rectè? Planè admodum. Si enim vnquam rectè lugendum eſt; hoc tempore Dauidi lugendum fuit ex publica, & priuata cauſa. *Publica*, quia copiæ Iſraelis attritæ, *priuata*; quia Ionathas amiciſſimus extinctus. At nimis ipſe credulus cum ſuis. Quid enim & à quo nunciabetur? Adoleſcens erat qui nunciabat, ignotus, abiectus, ex fuga pauidus: rem maximam nunciabat, & quam in alterutram partem credere, plurimum publicæ ſalutis intererat. Prudentis ergo ne fuit tam citò verbis illius fidem habere, & nihil hæſitãdo quæcunque dixerat pro compertis admittere? Hoc tantum poteſt hîc eſſe vnde videatur Dauid in hoc luctu minus ſe conſultè geſſiſſe. Sed dicendum nihil illum in credendo fuiſſe præcipitem. Vt enim de aliis dubitare potuerit; certè de Saulis & Ionathæ morte non poterat, cum diadema, & annulos cerneret, quæ ſolebat Saul perpetuò geſtare. Cur ergo luctum hunc, & hæc omnia luctuoſa ſigna animi mœrentis? Imò ad dolorem ſuum teſtandum, vt iam dixi: in hoc enim propriè ea aſſumebantur. Secundò ad mortuorum quoque animas iuuandas, quod ex Beda ſuprà [b] monuimus, & hic docent Procopius & Theodoretus [c], quamuis neget Abulenſis [d].

Secundum quod hîc præcipuè de Dauide narratur eſt, *occiſionem* adoleſcentis, qui iſta nunciauerat imperaſſe. *Vocans*, inquit, *vnum de pueris ſuis*; *Accedens*, inquit, *irrue in eum.* Circa quod quærendum primò quàm iuſtè id. Et videtur planè iniuſtiſſimè. Primò quia nullo iure poteſt pœna mortis inferri, tantùm ex eo quod occiſum quis à ſe hominem fateatur. Sunt enim multi, qui perire volunt, & audiendi non ſunt, vt legum conditores obſeruant, alicubi ſignatè mandantes ſi quis vltro de maleficio fateatur, ei fidem non ſemper eſſe habendam. Nonnunquam enim aut metu aliquo, aut alia de cauſa quoſdam in ſe confiteri. Secundò fuerit hoc Dauidi certum & exploratum, quod de ſe adoleſcens iſte fatebatur: at capitalem noxam non continebat. Nam Sauli volenti & in mortem anhelanti non mortem attulit, ſed finem vitæ luctuoſæ, & id, vt dicebam, non tantùm rogatu, ſed ipſius Saulis imperio; qui cùm Rex eſſet, poterat id imperare.

Sed ad hæc dicendum veriſſimum eſſe nullo iure licere quemquam ob id tantùm extremo ſupplicio mulctare, quod vltrò de ſe fatetur: id tamen eſſe cum duplici exceptione intelligendum. Prima eſt niſi aliæ adminicula adſint, quæ crimen admiſſum conuincant. Secunda niſi confeſſio ipſa criminis licèt falſa, crimen contineat morte plectendum. Quod vtrumque ante nos nobiles Iuriſconſulti [e] docuerunt. Si enim quis vltrò fatetur, quod eſt morte luendum, & præter ipſius confeſſionem alia etiam argumenta non deſint; quæ commiſſum ab ipſo crimen conuincant; certè non ob id eſt pœnæ eximendus, quod ſponte de ſe faſſus fuerit; ſed tantùm mitius tractandus, & aſperiori quæſtioni ſubtrahendus: quod ſi nullæ aliæ coniecturæ adſint, quæ certum crimen faciant, quod quis vltrò ſe ipſum accuſando detulerit; at erit nihilominus morte mulctandus, ſi confeſſio ipſa criminis ex ſe ſpectata crimen ſit morte luendum. Id, quod hîc Dauidi accidit cum hoc adoleſcente; licèt enim aliæ coniecturæ non adeſſent, quæ verum eſſe probarent, quod ille vltrò de Saule à ſe necato fatebatur, ipſa tamen ſola illius quamuis falſa confeſſio crimen continebat morte luendum. Sicut enim ſi quis vxorem ſe Regis violaſſe iactaret, licèt falsò, ſummo ſupplicio plectendus eſſet. Sic dicens ſe manus Regi ſuo intuliſſe, licèt id falsò dicat; eo ipſo plectendus ob id eſt quod falsò iactauit. Et per hoc patet reſponſio ad rationem ambigendi primo loco propoſitam. Ad ſecundam expeditior eſt ſolutio. Nec enim cuiquam licet in alterum manus inferre, quantumuis id rogantem & præcipientem. Vt enim nullus alienæ vitæ dominus eſt; ita nec ſuæ. Quare cum ſibi nemo poſſit mortem conſciſcere; ſic nec alteri cuiquam poteſt id imperare: quod diſertè iura præſcribunt tam ciuilia [f] quàm ſacra [g].

Secundò quæri poteſt cur tam inhumanum ſe Dauid huic adoleſcenti præbuerit, vt quod errore lapſus, & ſtudio obſequendi, & miſericordia motus inconſultè peccauit, tam ſeuerè ſit vltus. Et ex hoc capite videri fortaſſe poſſit hoc Dauidis imperium, ſi minùs iniuſtum, ſaltem durum & immite ſed dicendum non iuſtè ſolùm, ſed humaniſſimè planè hîc ſe Dauidem geſſiſſe. Licèt enim in hunc adoleſcentem priuatim videri potuerit inhumanus, at in publica cauſa fuit humaniſſimus. Intereſt enim reipublicæ ne opinio hæc inualeſcat, vt ad cuiuſquam preces aut imperium, quiſquis ille ſit, mors ei, poſſit inferri. Rectè D. Thomas alicubi [h]; *Qui occidit*, inquit, *hominem, iniuriam facit non ſolum homini occiſo; ſed Deo, & reip. Vnde Dauid damnauit illum ad mortem, qui non timuerat mittere manum vt occideret chriſtum Domini, licet illo petente.* Præterea Regum quoque ſalutis intereſt, vt omnes intelligant illis non eſſe parendum, ſi quando rerum aliqua deſperatione permoti, mortem ſibi inferri quantumuis commonendo præcipiant. Humaniſſimus ergo Dauid fuit in hoc adoleſcente occidendo; ſi non in ipſum, certè in omnes Reges. In quo ipſo & officio functus eſt, quod erat ipſius maximè proprium. Cùm enim iam Rex eſſet, maximè Regum incolumitati ſtudere debebat. Nam vt rectè Seneca [i];

Regi tuenda eſt maximè Regum Salus.

Sanguis tuus ſuper caput tuum.] Notiſſimus Hebraiſmus; quem tamen plerique non aſſequuntur. Vetus illius ſenſus eſt ex Hieronymo [k]. Si quis effuſi tui ſanguinis reatus eſt, tibi imputetur. Quod ait, ſi quæ hîc culpa committitur in te occidendo; ſi quid in te plectendo peccarur; eius culpæ, & peccati tu reus, & cauſa es. Nec alium ſenſum habent illa principum ſacerdotum cùm necem Chriſti Domini flagitabant. Cum enim Præſes veritus ne quid in illo peccaret, ægrè ad illam adduceretur; [l] *Sanguis*, inquiunt, *eius ſuper nos & ſuper filios noſtros.* Si quid in hoc occidendo peccatur, id in nobis recipimus, noſtra & filiorum morte luendum. Malè ergo nonnulli recentiores ſenſum verborum Dauidis exponunt, vt *ſanguis tuus ſuper caput tuum,*

a Cont. Pſych. cap. 7.
b lib. 1. Reg. 31 vlt.
c q. 3. in 2. Reg.
d q. 9. hîc.
e Guliel. de benedic. cap. Raynutius ver mortuo teſtatore 2. n. 34.
f l. liber homo. ff. ad l. aquiliam.
g c. contingit. de ſent. excom.
h 2. 2. q. 47. art. 6. ad 3.
i In Oedipo.
k In cap. 14. Oſe.
l Matth. 27.

tuum, idem ſit quod ſanguine tuo ſuper te effuſo, pœnas dabis effuſi ſanguinis è Regio corpore. Nihil enim hoc hebraiſmo de ſanguine Saulis innuitur, ob quem effuſum adoleſcens iſte plectatur. Sed tantùm ſermo eſt de cruenta morte ipſius adoleſcentis, quam Dauid non in ſe, non in alios; ſed in ipſummet vult eſſe referendam; cùm ipſe, non alij, ei cauſam præbuerit talia loquendo.

Os enim tuum loquutum eſt.] Cauſa cur ſoli tibi, & non aliis, mors tua debeat imputari, eſt quia talia loquutus. Quid igitur in his verbis, vnde huic adoleſcenti capitale ſupplicium debeat inferri? Quia, inquiunt, aliqui, [a] capitale crimen de ſe confeſſo, teſtibus opus non eſt, vt extremo ſupplicio damnetur; cum ſuo ſe teſtimonio configat. Malè omnino hoc. Nec enim vt proximè monui, iudici ſatis eſt ad crimen aliquod capitale pro explorato admittendum ſola cuiuſque confeſſio ſe occidiſſe fatentis. Sed alia plura adminicula requiruntur; quibus ipſius confeſſio fulciatur. Quid ergo dicit hîc Dauid, adoleſcentis *ſanguinem ſuper ipſum futurum*, eo quod os eius contra *ipſum loquutum eſſet?* Quia nuncius hic iſta de ſe cùm dixit, in ſe capitale crimen admiſit; etiam ſi falſum ſit, quod admiſiſſe fatetur? Nec enim capitale tantùm eſt vt id iterum repetā Regi manus inferre; ſed licèt non intuleris, intuliſſe fateri, ſenſus ergo verborum Dauidis hic eſt; Tu tibi mortis tuæ ſolus auctor, & cauſa propter hæc quæ dixiſti. Nam ſi verè Regem auſus attingere, plectendus es, quia occidiſti. Si falsò te occidiſſe fateris; etiam plectendus, quia dixiſti. Quædam enim non ſolùm capitale eſt facere; ſed ſe feciſſe iactare. In qua iactantia crimen occultum non plectitur, quod falsò iactatur; ſed linguæ procacitas, qua quis deturpatur. Sic qui dicit regium ſe thorum violaſſe, ſummo ſupplicio plectetur; non quod id credatur feciſſe; ſed quod piaculum ſit id etiam dixiſſe. Eodem pacto mortem nuncius iſte meretur. Si enim verba ipſius vera ſunt; occiſo Rege, plectendus eſt: ſi falſa; ſacrilege mentitur, ob id etiam plectendus.

a Sam. 1. 10

ỹ. 17.) Planxit autem Dauid planctum huiuſcemodi ſuper Saul, & ſuper Ionathan filium eius (& præcepit vt docerent filios Iuda arcum, ſicut ſcriptum eſt in libro iuſtorum) & ait.

Planxit autem Dauid planctum huiuſcemodi.] Argumenta doloris, quæ in publico, aut in priuato luctu antiquitus aſſumebantur, alia ſita erant in rebus & factis, alia in verbis. *Ad facta* ſpectabant veſtium ſciſſio, cineris ſuper caput aſperſio, corporis maceratio per planctus, lachrymas, abſtinentiam cibi; quæ à Dauide & ſociis vſurpata ſupra iam vidimus. *In verbis* erat ſolemnis lamentatio; lugubris nimirum querela ad numeros & modulos temperata; De qua nunc ſermo. Eam autem non ſolùm apud Hebræos, & alios Orientales; ſed apud omnes gentes vſurpatam, & adhuc vſurpari docemus infrà. Propterea Tacitus obſeruat alicubi [b] Romanos omnes admiratos quod ea in funere Germanici defuerit, Iactante volgo; *vbi illa veterum inſtituta? Propoſitam thoro effigiem, meditata ad memoriam virtutis carmina, & laudationes, & lachrymas, & doloris irritamenta.* Planctus ergo quem planxit hîc Dauid, & filiis Iuda tradidit addiſcendum, aliud quàm *carmen lugubre* non fuit, ad memoriam virtutis eorum, qui lugebantur; Ionathæ nimirum, & Saulis. Qui planctus, Latinis etiam *lamentatio*, Græcis *threnus* & *epitaphium* dicebatur. Quo nomine carmen hoc Dauidis LXX. & Ioſephus appellant.

b lib. 3. ann.

Dauidis lamentatio ſuper Saule, & Ionatha.

ỹ. 18.) Conſidera Iſrael, pro his qui mortui ſunt ſuper excelſa tua vulnerati.

ỹ. 19.) Inclyti, Iſrael, ſuper montes tuos interfecti ſunt: quomodo ceciderunt fortes?

ỹ. 20.) Nolite annunciare in Geth, neque annuncietis in compitis Aſcalonis: ne fortè lætentur filiæ Philiſthiim, ne exultent filiæ incircunciſorum.

ỹ. 21.) Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniant ſuper vos, neque ſint agri primitiarum: quia ibi abiectus eſt clypeus Saul, quaſi non eſſet vnctus oleo.

ỹ. 22.) A ſanguine interfectorum, ab adipe fortium, ſagitta Ionathæ nunquam rediit retrorſum, & gladius Saul non eſt reuerſus inanis.

ỹ. 23.) Saul, & Ionathas amabiles, & decori in vita ſua, in morte quoque non ſunt diuiſi: aquilis velociores, leonibus fortiores.

ỹ. 24.) Filiæ Iſrael, ſuper Saul flete, qui veſtiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui veſtro.

ỹ. 25.) Quomodo ceciderunt fortes in prælio? Ionathas in excelſis tuis occiſus eſt?

ỹ. 26.) Doleo ſuper te, frater mi Ionatha decore nimis, & amabilis ſuper amorem mulierum. Sicut mater vnicum amat filium ſuum, ita ego te diligebam.

ỹ. 27.) Quomodo ceciderunt robuſti, & perierunt arma bellica?

Conſidera.] Incipit hîc funebre carmen ab Dauide ſuper Saule & Ionatha compoſitum: de quo priuſquam ſingula, ſi quid difficultatis habent, exponamus, quærendum hîc & explicandum genus carminis, nomen, ratio nominis, argumentum, vſus.

Quod ad genus; iam dixi ex eo genere carmen eſſe, quod Græci *Threnum*, *Monodiam*, *Epitaphium*, Latini *Næniam* dicebant, in funere ſolitum flebili modulamine decantari, ad laudes defuncti celebrandas, aliorum fletum excitandum, & proprium dolorem paſcendum. Maior controuerſia eſt de nomine; an propriè cantilena hæc lugubris aliquid habuerit; & quid illud fuerit. Nam cantilenis aliquando nomen imponi ſolere, quo propriè nuncupentur, & veterum, & recentiorum exempla demonſtrant. Probabile

autem

autem mihi eſt quod ex Hebræo viri eruditi docent, *Arcum* cantilenam hanc appellatam. Quem enim planctum Dauid edidit, hunc docuit filios
vers. 18. Iuda. Docuit autem *Arcum*, vt hic [a] disertè traditur; idem ergo carmen, planctus; & arcus. *Et præcepit*, inquit, *vt docerent filios Iuda Arcum, ſicut ſcriptum eſt* (Sic legitur in eo; non, *ſcriptum eſt*) *in libro iuſtorum*. Per hæc enim verba ſignificatur apertè Arcus iſte quem docendi ſunt filij Iuda, ſcriptus eſſe in libro iuſtorum; ac proinde non eſſe aliud *Arcum*, quàm cantilenam iſtam, ab hoc nomine ſit appellatam. Nec vulgata noſtra ſenſum iſtum reſpuit. Licet enim in illa legatur, *ſicut ſcriptum eſt in libro iuſtorum*, in idem tamen hoc recidit, ac Hebræa lectio quæ habet; *Sicut ſcriptum eſt*. At quæ ratio huius
b Marian. Sanc. hic Salian. ann. c979. nominis? Alij [b] putant quia *Arcus* fuerit huius cantilenæ titulus; idcirco ab illo appellatam, & dictam *Arcum*. Nam ſicut cuilibet Pſalmo ſuus titulus eſt; ita iſtam & ſimiles funebres cantilenas ſuum habuiſſe. Alij quia Saulis, & Ionathæ mors deploratur, arcu & ſagitta inflicta Paleſtinorum; idcirco Arcum dictam, quaſi ad ſignificandum iacturam quæ hîc defletur, aſſa præcipuè in arcum referendam. Sic enim veteres Græcos ſuas cantilenas alium alio nomine nuncupaſſe; ab ea re, quæ cauſam aliquam, quantumuis longinquam, canendi præbuiſſet. Vnde ſunt illa nomina veterum Odarum, *Ouum, Ala, Securis*, Apud Symmium [c] Rhodium; & *fiſtula*, &
c De quo Athen. d De quo Ser. hic. *ſcutum* apud Theocritum [d], At alij putant Arcum eſſe hic nomen inſtrumenti muſici: vnde ſicut in Pſalmis ex his inſtrumentis plerique tituli deſumuntur; ita cantilenæ huius titulum ab Arcu inſtrumento muſico deſumptum eſſe per quod ſignificari, ad quod genus organi ſit cantilena modulanda. Denique volunt alij appellatam *Arcum*, quod ab hac voce canticum iſtud inciperet. Hebræis enim Græcis, Latinis, & omnibus fermè gentibus ſolemne eſt cantica ſua à prima voce, qua incipiunt appellare. Sic [e] Vir-
f egl. 5. gilius [e],

Hæc nos: *Formoſum Corydon ardebat Alexin*

Hæc eadem docuit: *Cuium pecus? an Melibœi?*

Hîc enim Virgilius duas cãtilenas altera *Formoſum Paſtor* appellat alterum *Cuium pecus*: quod vtraque à vocibus illis inciperet. Similiter apud Hebræos, non cantica ſolùm, ſed integri libri à prima voce appellantur; ſic liber Geneſis Hebraicè בְּרֵאשִׁית *Bereſcit* appellatur; quod ea vox ſit eius exordium, & paſſim nunc ſymbolum Apoſtolorum, *Credo* nuncupatur; quod inde incipiat. Denique. Iuriſconſulti omnes tractatus ſuos & leges ſingulas à prima voce deſignant, vt nobilis Iuriſconſultus [f] obſeruauit. Ex
g Alciat. Parer. lib. 2. ſimili ratione volunt iſti canticum hoc *Arcum* appellatum; quod eius prima vox *Arcus* eſſet, Cui interpretationi dicunt non obſtare, quod aliter hîc incipiat, quam ab Arcu; quia totum & integrum Canticum hic non habetur.

h Serar. Sanc. hic. Sed ab ij [h] nomine *Arcus*, antonomaſticè ſignificari putant omne inſtrumentum bellicum; quod eo tempore apud Iudæos & Orientales arcus; & ſagitta præcipua arma eſſent, quibus in bello pugnabant, Vnde quia Epicedion hoc totum eſt occaſione rei bellicæ decantatum, inditum illi fuiſſe nomen *Arcus*; vt totum de rebus & hominibus militaribus eſſe ſignaretur. Omnes iſtæ rationes huius nominis ſuos quæque aucto-
Pineda cap. 29. lib. 2. 20. res [i] habent. Quæ ex iis ſit certa; definiri non potaſt. Eligat ergo lector quam magis probauerit, cum ſingulæ ſua probabilitate non careant.

Ex his autem quod huius epicedij ſit argumentum, facilè conſtat: totum enim eſt in Saulis & Ionathæ laudibus celebrandis; Ij autem quia viri militares erant, & fortiter in pugna faciendo ceciderant; laudari non poſſunt; quin ſimul rei bellicæ laudes celebrentur, Et inde eſt quod argumentum quoque cantici ſit res militaris & bellica, arcus nomine deſignata; vt bene alij ante nos obſeruant, ſiue qui ſenſus hiſtoricos; ſiue qui tantum myſticos perſequuntur,

Reſtat quartò quærendũ [k] quis huius Cantici k verſ. 18.
vſus. Cuius quæſtionis occaſionem præbent verba illa *Planxit Dauid planctum iſtum* (*& præcepit vt docerent filios Iuda arcum, ſicut ſcriptum eſt in libro iuſtorum*. Videntur enim ſignificara idcirco inter alia compoſitum, vt illud addiſcerent filij Iuda. Ad quid autem, & quorſum hoc? Conſentiunt omnes ea duplici fine præcipuè. Primò, vt Ionathæ memoria propagaretur. Secundo, vt inde filij Iuda ſpiritus militares imbiberent, ante oculos ſemper habentes quam cladem ob inſcitiam, & neglectum rei militaris populus Iudaicus accepiſſet. Videamus iam ſi quæ in ipſo Threno ſeorſim notanda ſint.

Conſidera Iſrael.] Huc eſſe principium funebris huius carminis plerique [l] contendunt. Alij l Lyran. Cajet. & Dion.
quod hæc abſint in Hebræo, & ſuppleta ſint in alis verſionibus putant initium Cantici eſſe quod ſequitur. *Inclyti Iſrael, ſuper muros tuos interfecti ſunt.* Cui ſententiæ veteres adſtipulantur.

Sed qui volunt primam [m] vocem lamentatio- m S. Proc. & Hieronym. in Trad. hic.
nis Arcum fuiſſe; neutrum admittunt. In tenui labor eſt. verum enim dicatur; ad rectam verborum ſententiam eruendam minimum refert. Probabilius tamen eſt verba hæc; *Conſidera &c.* ad Canticum ipſum non ſpectare; ſed eſſe quaſi titulum ipſius. Obſeruandum porrò, quod aliàs monui: Nænias iſtas & funebria Cantica fuiſſe tota in attenta perpenſione iacturæ factæ à lugentibus & virtutis eorum qui lugebantur amiſſi. Propterea ibi diximus fæminas quæ has Nænias cantabant, *reputatrices* appellatas. Et Iſaiam alicubi querentem quod nullus eſſet ſuperſtes,
qui lugeret extinctos, dixiſſe [n]; *Iuſtus perit, &* n Cap. 57. 1.
non eſt qui recogitet in corde ſuo; pro eodem vſurpando recogitata virtutes defuncti, & illum lugere, Similiter hic; *Conſidera ô Iſrael*, inquit Dauid. Et ſtatim verbum proprium conſiderationis adiungit in huiuſmodi lamentationibus vſurpatum. *Quomodo ceciderunt fortes, Iſrael.* A qua eadem loquutione Threnos ſuos Ieremias ſubinde
deducit [o]. *Quomodo ſedet ſola ciuitas* [p]. *Quomodo* o Thr. 1.
obtexit caligine [q]. *Quomodo obſcuratum eſt aurum.* p Cap. 2. q Cap. 4.

Super excelſa tua.] Excelſa notiſſimo vocabulo montes & colles in ſcriptura dicuntur. Vnde paulo poſt, quæ nunc excelſa, diſerte montes appellantur. *Inclyti, Iſrael, ſuper montes tuos interfecti ſunt.* Obſeruandum porro myſterio non vacare; quod nomen excelſorum hic fuerit interpoſitum, Erant enim excelſa loca in quibus Iſraeliticus populus ad iracundiam Deum maximè prouocabat, impia ſimulacra colendo, vetitos ritus vſurpando, feſta profana celebrando, & per omnia luxus & impuritatis genera debacchando. Hîc ergo vbi delicias ſuas contra Deum repoſitas habebant Iſraelitæ, quid actum? Fortes & inclyti Iſrael vulnerati, proſtrati, occiſi,

& ſpoliati ſunt; quod ſuo loco fuſius.

Nolite annunciare in Geth.] exprimitur his verbis affectus, quo ſolent homines tangi, cum aliqua calamitate premuntur; nempe vt mala & infortunia ſua non diuulgentur; in primis vero lateant hoſtes, & qui inimico in eos animo eſſe putantur. Hoc ita eſſe; quiſque certo ſcire poteſt exemplo ſuo. Nullus eſt enim qui ſi ſe ipſum excutiat; id non experiatur. At vnde id? Primo ex generali affectu bona ſua diuulgandi, mala tegendi. Quiſque cupit honorari, & ſuſpici; deſpici renuit. Socialis enim natura ſua homo cum ſit, eadem duce natura cuncta proſequitur, quibus ad vitam ſocialem adiuuatur; omnia fugit quibus impeditur. At vbi quis fœlix & fortunatus cernitur, & rebus, votiſque florere, ſocietas eius ab omnibus amatur, quæritur, ambitur; Vbi infortunio aliquo premitur, deſtituitur. Vt ergo quiſque ne in ſociali vita degenda paruifiat, & contemnatur, quantum poteſt bona ſua liberaliſſimè profert; ita mala tegit, & abſcondit. Secundò nihil æquè timetur ac inimicis ſuis eſſe ludibrio. Morte ipſa grauius hoc eſſe; Saul hic teſtatus eſt; qui ne ludibrio à Paleſtinis acciperetur, carnificis in ſe officium occupauit mortem ſibi conſciſcendo. At ſummi ludibrij genus eſt in ſua calamitate irrideri, & ex ſuo infortunio gaudij materiam aliis parare. Quantum ergo poſſunt homines infortunia ſua celant hoſtes, ne videant illos in ſua calamitate geſtire; & aliter qui agit, parum cordatus habetur. Vnde ſunt illa Pindari [a]

a Apud Stobaeum ſerm. de luctu.

Alienis aperire noli
Quodnam laboris nos exercet.
Hoc te admonitum volo: Bonarum quidem verum
Sortem, & iucundarum, coram oportet
Toti populo declarare;
At ſi qua diuinitus grauior contigerit
Hominibus fortuna, eam abſcondere conuenit.

Nec alium ſenſum plerique putant illa verba ſapientis habere [b]. *Cor,* inquit, *quod nouit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio eius non miſcebitur extraneus.* Significatur enim qui ſapiens ſit, mala ſua non aliis decantare, ſed ſecum concoquere: ne ſi aliis communicentur, ex ipſius dolore ſumant extranei, & inimici materiam ridendi. Ad quod illa Euripidis [c] faciunt.

b Prou. 14. 10.

c Apud Stob. ibidem.

Palam enim ſortem ſuam teſtari
Apud omnes, imperiti hominis eſt;
Celare verò, ſapientis.

Et iterum;

Dolorificum eſt quidem in turpe damnum aliquod
Incidere: at ſi fiat, comprimendum eſt ſcitè,
Abſcondendo; nec omnibus enunciandum
Huiuſmodi enim gaudium hoſtibus & riſum mouet.

Et inde eſt quod ſæpius Dauid Deum precatur non tam vt non vexetur, & affligatur; quam ne ea ratione ludibrio ſuis hoſtibus exponatur [d]. *Qui tribulant me,* inquit, *exultabunt, ſi motus fuero.* Quid inde? ſubdit; *Ego in miſericordia tua ſperaui.* quæ tanta eſt, vt ab hoc ingenti malo, quale eſt inimicis gaudium præbere calamitate mea, ſperem me ereptum iri. Votum ergo primum eſt hac in re nullas in calamitates incidere; ne inde inimici noſtri lætentur. Secundum, vbi quis inciderit, quantum poteſt curare, ne alicunde mala noſtra vulgentur; vt ne ex illis nobis inſultent, qui malo noſtro lætantur. Et hoc

d Pſal. 12.

ſecundum nunc Dauid optat, *Nolite,* inquit, *annunciare in Geth; neque in compitis Aſcalonis cladem veſtram.* Et hoc cur? *Ne fortè lætentur filiæ Philiſthiim, filiæ incircumciſorum.*

Sed his ſic expoſitis, circa hoc Dauidis votum, vel admonitionem, vel præceptum ſunt quatuor accuratius explicanda: primum quid propriè, & à quibus velit. Secundum quo fine. Tertium quam prudenter. Quartum quam piè.

Circa primum vult ne clades hæc in Geth, & Aſcalone nuncietur. Per has præcipuas vrbes Paleſtinorum, vniuerſam eorum regionem intelligens, in qua non vult hanc cladem nunciari. Sed à quibus? A ſuis vtique quos alloquitur. Iccirco autem hoc vult, monet, præcipit. *Vt ne,* inquit, *Paleſtinorum, & incircumciſorum filiæ lætentur.* De his autem ne hoc reſciſcant, propriè ſollicitus eſt, & has præcipuè ſignat; quia moris erat antiquitus apud Orientales, vt ſuprà [e] monuimus, clades hoſtiles, & victorias ab hoſtibus relatas, iuuencularum cantu, & plauſibus celebrari. Quem morem latius interpretes exponunt ad illa verba Dauidis; [f] *Præuenerunt Principes coniuncti pſallentibus in medio iuuencularum tympaniſtriarum.* Quas eaſdem ibidem Dauid *euangelizatrices* [g] appellat, quòd earum eſt feſta nunciare, & ſpargere. Inter quæ primum locum clades obtinent inimicorum. Sed videamus hoc quod vult Dauid, quam prudenter velit. *Nolite,* inquit, *nunciare in Geth,* Quid quæſo? Cladem hanc adeo inſignem, qua populus Iudaicus affectus eſt. Itane vero? Ob id ergo quod Iſraelitæ non annunciabunt, in Geth, & in Aſcalone non reſcientur? Extinctus eſt Saul, Regij liberi trucidati, fugatus Iſrael, expugnata caſtra; & id ipſimet victores ignorabunt, niſi à victis annunciantibus edoceantur? Quos ergo hîc appellat Dauid, & quos alloquitur, dum dicit; *Nolite annunciare in Geth?* ſuos, an hoſtes? Iſraelitas, an Paleſtinos? Vtroſuis dicamus, negari non poteſt æque futiliter aut iſtos, aut illos appellari. Iſraelitas; quia illis tacentibus omnia nihilominus reſcientur. Hoſtes; quia ridiculè poſtulat, vt quod fortiter aduerſariis deletis fecerunt, inter ſuos non euulgent. Non ergo videtur hoc votum prudenter & circumſpectè conceptum. Nec ſufficit excuſare Dauidem, quod fuerit hîc à ſubito æſtu abſorptus animi mœrentis. Nam licèt hoc admitti poſſit, & debeat; vbi ad primos doloris appulſus, animus totus tumultuatur, & feruet: at vbi iam primus ille impetus reſedit, & homo iam apud ſe eſt, doloris æſtu refrigerato; ſi nihilominus in eiulationibus perſeueret, & inepta quærendo deliret; excuſationem idoneam non habet. Talis erat hic Dauid. Nec enim quæ nunc loquitur, in ipſo æſtu doloris effundit, ab illo ſubito correptus, & tranſuerſus actus; ſed diu poſt nuncium auditum carmen hoc meditatus, attentè compoſuit. Vnde igitur excuſari poteſt, qui tam futilia nugatur, & eiulando miſcet?

e lib. 1. c

f Pſal. 6

g ver. 1

Sed dicendum circumſpectiſſimè hæc & ſimilia, quæ prima facie nugæ videntur, huiuſmodi canticis immiſceri. Cum enim tota ſint ad defunctorum virtutes extollendas, & magnitudinem doloris oſtendendam, qui ex illorum iactura acceptus eſt; neceſſariò his affectibus abundant, qui res in abſurdas feruntur, & quæ fieri nec ſoleant, nec debeant, nec poſſint. Ingentes enim affectus amoris, doloris, timoris inanibus plerumque votis paſcuntur, ea ratione magnitudinem

dinem ſuam prodentes, & paulatim etiam reſidentas. Sic Dauid cum plangeret Abſalon [a]; *Fili mi, Abſalon, quis mihi det vt moriar pro te?* Mortuus iam ille erat: optabat tamen pro mortuo mori, quod nihil erat, aut illum reuiuiſcere, & eius vicem moriendo ſubire. quod fieri non poterat. Eodem modo Ieremias [b]; *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum?* Denique tam proprium eſt canticorum funebrium huiuſmodi votis abundare, quæ res in abſurdas ferantur; vt apud Latinos Nænia (quod proprium eſt talis cantici nomen) pro nugis & gerris vſurpetur, & omni eo, quod futiliter blateratur.

Cùm ergo Dauid hoc loco carmen funebre ſcribat, ex decoro maximè erat, vt ingentem affectum doloris prodetet, quo perculſus ex Ionathæ iactura fuerat, & deletis copiis Hebræorum. Hoc autem vnde meliùs poterat, quàm vota promendo rerum impoſſibilium, inanium, futilium? Talibus enim affectibus pleni ſunt quicunque in magna aliqua calamitate ſunt. Vnde miſeri optant vt dies conuertatur in tenebras; vt nox pereat in qua concepti ſunt; vt montes è ſuis auulſi ſedibus in illos cadant; cælum ruat; vt terra dehiſcat. Et quantò quiſque miſerior eſt, eò magis impoſſibilia cupit; quæ ſumma miſeria eſt, & ſimul argumentum maximum maximi mœroris.

Prudenter ergo Dauid hîc, & appoſitè; *Nolite*, inquit, *annunciare in Geth.* per quod ſignificat tantam eſſe vehementiam doloris ſui, vt velle cogatur, quæ nec eſſe, nec fieri poſſent, & ea ridiculum ſit ab aliis poſtulare.

At hoc quàm piè? Prima fronte non videtur admodum. Nam pœnæ quæ à Deo propter peccata noſtra nobis infliguntur, non tãtum ſunt ad noſtram emendationem, & compenſationem delicti; ſed etiam ad aliorum exemplum vt inde cautiores fiant, reſipiſcendo ſi lapſi ſint; aut ne labantur prouidè cauendo. Parum ergo piè facit, qui hæc exempla diuinæ iuſtitiæ alios celat. Adde affectum hunc eſſe animi ſuperbi & arrogantis, & fortunam ſuam non agnoſcentis. De quo Deus alicubi [c] queritur contra filios Iſrael, quod percuſſæ, vlceratæ, deiectæ; ceruice tamen elata incedant, nec humilientur.

Dicendum tamen quantum hic ſatis eſt, omnino piè votum hoc concipi potuiſſe à Dauide, & conceptum eſſe. Primò enim licet velle, & cupere ne inimici noſtri lætentur in malis & calamitatibus noſtris: & inter alia propter id quoque licet à ſe mala, & calamitates deprecari, ne inde capiant hoſtes materiam exultandi, & inſultandi. *Exaltabo*, inquit alibi Dauid [d], *te, Domine; quoniam ſuſcepiſti me; nec delectaſti inimicos meos ſuper me.* Propter hoc tibi gratias ago. Quid hoc? *Quod non delectaſti inimicos meos ſuper me.* Quod occaſionem illis abſtuliſti, qua de malis mei lætarentur. Cum ergo Deus hoc ſeruis ſuis vt ingens beneficium promittat; & ob hoc Dauid ſæpius illi gratias agat; omnino fatendum eſt hoc bonum eſſe, & quod ſanctè poteſt à Deo deſiderari.

Secundò licet mala noſtra celare inimicos noſtros, & id agere ne videant nos afflictos, nimis & deiectos in calamitatibus noſtris. Et hoc ex duplici fine. primo, ne occaſionem inde accipiant in Deum noſtrum inſurgendi; quaſi nolit, aut nequeat in calamitate ſuis opitulari. Hunc affectum Dauid ſæpius in Pſalmis expreſſit [e]. *Vſquequo, Deus, improperabit inimicus: irritat aduerſarius nomen tuum in finem.* Queritur enim hic Dauid quod affligatur, vexetur, agitetur. Cur maximè? Quia Dei hoſtes occaſionem inde capiunt improperandi Deo, quod infirmus ſit, aut infidelis: *infirmus*, ſi nequit: *infidelis*, ſi ſuis in calamitate poſitis negligit opitulari. Quem ſenſum eſſe huius, & aliorum ſimilium locorum Patres obſeruant. Ne ergo nomen Dei blaſphemetur, cupiunt aliquando ſancti vel non vexari; vel ſi vexantur, hoſtibus occultari. Secundus finis eſt ne fortè videant ſe nimis in calamitate deiectos; aut minus æquanimiter infortunia ſua tolerare; & inde quoque occaſionem ſumant vel Deo, vel ſtudio virtutis inſultandi. Propter hoc vult alicubi Micheas [f] ſimili modo loquendi, quo nunc Dauid vtitur, & iiſdem pene verbis, vt populi Iudaici mala Gethæis, & Aſcalonitis non euulgentur; ſed tacita, & inter priuatos parietes lugeantur. *Nolite*, inquit, *annunciare in Geth; ne audiant, & lætentur inimici.* Quid ergo faciendum vt illi mala noſtra non ſciant? Abſorbendæ lachrymæ, & tacite dolendum. *Lachrymis*, inquit, *ne ploretis: in domo pulueris puluere vos conſpergite.* Ad quæ verba D. Hieronymus [g], præfatus primo eſſe difficillima & obſcuriſſima, ſubiungit; *lachrymis, ne ploretis, id eſt ne dolor quidem in ſingultus erumpat; diſſimulate fletum, ne aduerſarij, gratulentur; lachrymas ora non habeant: nolite exire foras; ſed in domo pulueris & ruentis, cinere vos conſpergite ruinarum.* Et hæc omnia cur? Ne reſciſcant hoſtes & aduerſarij mala noſtra, & inde lætentur. At cur hoſtibus noſtris lætitiæ materia tanta cura inuidenda & amputanda? Tam quidem id per ſe clarum eſt, vt expoſitione non egeat; dicam tamen; ne ex eo alacriores effecti contra nos maioribus viribus inſurgant. Inde eſt quod in re militari clades acceptæ tantopere diſſimulentur; & flagitium Ducis ſit, ſi vulnera ſua paſſim vulgari permittat. Cur id? Quia, ſi vulgentur, hoſtibus inde vigor acceſcit, ſociorum vero animi franguntur. Ob id prudentiſſime diſſimulantur.

Cæterùm non omittendum; quemadmodum in ſacris litteris calamitates & mala noſtra celanda dicuntur; ne aduerſarij inde lætentur: ita viciſſim læti ſucceſſus euulgantur, vt ex illis hoſtes triſtentur & deiiciantur; noſtrorum vero animi erigantur [h]. *Fac*, inquit alicubi Dauid, *mecum ſignum in bonum; vt videant qui oderunt.* Quid videant? Beneficia tua mihi collata, promiſſiones tuas in me completas. *Quoniam tu, Domine, adiuuiſti me, & conſolatus es me.* Et inde quid? *Vt confundantur qui oderunt me*; hoſtes mei ſcilicet. At qui amico ſunt animo, & pati mecum iugo ſeruituris tuæ ſubduntur; vt videant & lætentur [i]. *Videant*, inquit Dauid, *quoniam exaudiuit pauperes Dominus, & vinctos ſuos non deſpexit. Videant, & lætentur.* Inimicis ergo noſtris mala noſtra diuulganda non ſunt; bona vero, ſi quæ à Deo accepimus, prædicanda. illa premenda; ne inde lætentur & erigantur. iſta ſpargenda, vt inde triſtentur & deiiciantur.

Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia cadat ſuper vos.] Circa hanc imprecationem quærenda. Primum vnde profecta. Secundò an ſine culpa fuerit, aut eſſe poſſit. Tertiò quam vim ſortita. Quartò ad quid adhibita à Dauide.

De primo conſentiunt omnes [k] à magnitudine doloris

a lib. 2. Reg. c. 18. 33.

b Thren c. 1.

c Eſa cap. 3.

d Pſal. 29.

e Pſal. 73. 10.

f Cap. 1.

g Mich. 1.

h Pſal. 85.

i Pſal. 68. 31.

k *Theod. q. 6. hic. Ambr. lib. 2. de Cain c. 8.*

doloris extortam. An ergo ſine culpa fuit, aut eſſe potuit vel poteſt; vt rebus inanimis, & ratione carentibus quæ nihil in nos peccarunt, quaſi noxam commeritis male precemor? Et videtur nec ſine culpa fuiſſe; nec eſſe poſſe primo quia ſummam id impatientiam prodit indignantis animi. Quæ enim doloris impatientia maior, quam vt inde excitetur, ea velle & agere, quæ non ſolum nihil dolorem alleuant; ſed potius grauant, ſi fiant; aut fieri omnino non poſſunt? Secundo quia ſummam inconſultæ vindictæ cupiditatem continet. Quid enim faceret in cladis auctorem, qui ſic iraſcitur nihil commeritis, aut ſentientibus; Tertiò ſummæ inſipientiæ, eſt, & planè non ſine mixtura dementiæ, ea velle, & cupere; quæ fieri non poſſunt; aut ſi fiant, nihil vulnera iuuant, vnde dolemus. Huiuſmodi ſunt, quæ Dauid bis montibus imprecatur. Vel non poſſibilia ſunt. *Nec pluuia*, inquit, *nec ros cadat ſuper vos.* An hoc fieri poteſt, aut vnquam futurum, vt montes cœlo perpetuò patentes, cæli iniuriis non ſint expoſiti? Vel ſi fiant, nihil iuuare poſſunt, & nulla ex parte doloris cauſam minuere.

Lata hæc quæſtio, nec huius loci tantum propria: Sæpius enim viri ſanctiſſimi in ſacris litteris referuntur, res inanimas male precando execrati: de quibus quod hic de Dauid quærimus, etiam quæri poteſt, Quantum ergo breſatis eſt, duo dicenda.

Primum licèt inanimis mala precari, non in eorum pœnam; ſed hominum qui peccarunt, & ad quos illa ſpectant. Si enim mala licet inanimis rebus inferre, ciuitates excidendo, domos incendendo, ſolum ipſum ſale ſpargendo; vt hominem quorum ea ſunt, illorum iactura plectantur; cur etiam non liceat hæc optare? *Propter hominum peccata & ipſa elementa damnantur*, dixit Ambroſius [a], hæc ipſa exponens, quæ nunc tractamus. Signanter autem dixi non poſſe hoc *in earum pœnam*: nam cum res inanimæ ſenſu careant, admittere nihil poſſunt, vnde plectantur, & eo quod illis infertur, nihil afficiuntur. Quod hic breuiter inſinuatum, & plenius à ſanctis Patribus & ſcholaſticis Doctoribus traditum, latius alibi proſequemur.

a *libr. 2. de Cain cap. 8. Greg. lib. 4. mor. cap. 36. Bernard. ſer. 54. in Cant. Chryſ. Philip. Polichron in cap. 1. Iob.*

Secundò Dauid in hac imprecatione nihil inſipienter egit, vt paulo poſt conſtabit; vbi quorſum illam adhibuerit exponemus. Ex his ea ſoluuntur, quæ rem dubiam facere videbantur.

Primò, Dicebatur execrationes iſtas impatientiam doloris habere coniunctam, quæ meritò culpari poſſit. Hoc falſum eſt: nam impatientia doloris eſt, cùm ea eliguntur ad dolorem leuandum, quæ fieri non poſſunt; aut eo aſſumuntur, quæ nihil illum iuuant. Tales non ſunt execrationes iſtæ. Non enim quid per illas eligitur *efficaci voto*; ſed optatur tantum *inefficaci* cupiditate: Et quod aſſumitur, ipſa nempe *execratio*, plurimùm planè leuando dolori conducit, quod mox explicabitur. Secundò dicebatur ſummam id prodere cupiditatem vltionis quoquomodo ſumendæ, & impetum animi in eam inconſulte ruentis. Quod etiam falſum eſt; nec enim ſemper cum rebus inanimis male precando dicitur, id in vltionem fit, quæ fit de vllo ſumenda; ſed ad aliquid aliud præſtandum, aut conſequendum, vel certe ſi in vltionem fit; ea non de rebus inanimis intenditur; ſed in eos refertur, quorum illæ ſunt. Tertiò denique ſtultum dicebatur eſſe, & plenum dementiæ, quæ fieri non poſſunt, optare. Verum id eſt, ſi deſtinato intendantur: at non item, ſi ſimplici voto voluntatis *inefficacis* deſiderentur. Sine culpa ergo Dauid hæc imprecatus.

Sed quam vim & effectum imprecatio iſta ſortita? Certum eſt primo non omnem. Nam duo Dauid illis montibus eſt imprecatus: primo, vt nunquam in poſterum complueren tur aut rore maderent: ſecundo, vt ſteriles fierent. Ex his primum illud certum eſt non euenſſe: ſaltem nullus eſt qui aſſerat, aut poſſit aſſerere. De ſecundo dubium eſt. Sunt qui [b] negent: quia non eo animo Dauid illa protulerat vt effectum vllum ſortirentur. Affirmant alij ſteriles omnino ab hac imprecatione Dauidis effectos; ſed diuerſa ratione. Quidam enim volunt antea ſteriles propter hanc imprecationem, perpetuò poſtea in ſterilitate duraſſe. Alij ante feraces, ex hinc ſterilitate damnatos. Quidam non ſtatim; ſed à tempore Eliæ ſterilitatem incepiſſe. In hac opinionum varietate certum illud eſt, montes iſtos diu ſteriles fuiſſe, & adhuc vſque ad noſtra tempora in ſterilitate perſeuerare; quod plerique oculati teſtes affirmant. An autem id fuerit ex hac imprecatione; ac proinde an hæc effectum vllum ſortita, prorſus incertum.

b *Abul. q. 36. in cap. 1.*

De quarto. Quorſum, & ad quid adhibita; facilis reſponſio. Ad duo enim præcipue. Primo ad magnitudinem doloris oſtendendam. Proprium enim huius eſt, cum vehemens eſt optare quæ fieri non poſſunt; accuſare quæ nihil merentur; in ea ruere, quæ non poſſunt attingi. Repræſentant hæc paſſim facti, profanique ſcriptores in magno luctu. Vnde ille [c].

c *Virg. Ecl. 5*

Cum complexa ſui corpus miſerabile nati
Atque Deos, atque aſtra vocat crudelia mater.

Et iterum [d];

d *Aen. 1.*

Quem non accuſaui amens hominumque deumque.

Cum ergo tales affectus à vehementia doloris exiſtant, mirum non eſt ſi eandem quoque vehementiam prodant; cum cuiuſlibet effectus proprium ſit de ſua cauſa teſtari. Rectè ergo Dauid cum magnitudinem doloris ſui vellet exprimere, per has illum imprecationes expreſſit in res inanimas, & nihil ſentientes. Secundo imprecationes iſtas adhibuit ad virtutes eorum extollendas, qui lugebantur; & tertio quod hinc ſequitur, ad iacturæ magnitudinem, quæ in eorum amiſſione facta fuerat, expendendam.

Agri primitiarum.] Ita ſteriles fiant; vt ne quidem ex illis colligi poſſit, quod in templo offeratur.

Ibi abiectus eſt clypeus fortium.] Eſt circumſcriptio ſummæ cladis, & exercitus profligati. *Non veniat ros ſuper montes Gelboe*; quod ibi fortes victi, proſtrati, cæſi ſunt; & robur totius exercitus Iſrael extinctum. Quod autem abiectio clypei pro clade ponatur; ex veteri ritu eſt, qui nunc etiam in re militari ex parte ſeruatur: in conflictu enim nihil æquè requirebatur à milite; quam vt clypei curam gereret: hic enim erat pugnanti pro munimento; flumen tranſmittenti pro cimba; cubanti pro lectulo; mortuo denique pro feretro, & ferali capulo. Meritò ergo ad exprimendum ſtatum planè perditum pugnatorum, per abiectionem, aut amiſſionem clypei Dauid illum circumſcripſit. Notum illud eſt de Epaminunda [e], quod quanta cuſtodia ſcutum ſeruaretur,

e *Iuſtin. l. 6. cap. vltim.*

narretur, oſtendit. Vt enim ex conflictu in quo fortiter pugnando lethaliter fuerat vulneratus exceſſit, & in caſtra ſemianimis relatus, vocem, ſpiritumque collegit r id vnum à circumſtantibus requiſiuit, num cadenti ſibi ſcutum ademiſſet hoſtis. Quod vt ſeruatum audiuit, allatumque languidum caput attollens, veluti laborum ſocium oſculatus eſt. Clypei ergo abiectio magnum ſemper in re militari flagitium eſt, & non ſine clade & ignominioſa iactura.

Cæterùm quod ad hæc verba Dauidis attinet; vt ea diſtinctius intelligantur, obſeruandum poſſe dupliciter explicari; propriè, & metaphoricè. *propriè*, ſi clypeus verè pro notiſſimo illo munimento corporis accipiatur *translatè* ſi pro viro forti ſumatur, & qui alios obiectu ſuo tuetur, & tegit. In primo ſenſu verba hæc duplicem ſantentiam poſſunt recipere, iuxta duplicem alluſionem, quam poſſunt habere. Prima eſt, vt abiectio facta ab hoſtibus intelligatur. Secunda, vt ab ipſis militibus clypeum gerentibus. In prima alluſione, ſignificatur tantum clades ab hoſtibus illata; quæ tanta fuerit, vt deuictorum clypeos & ſcuta proculcauerint, diſperſerint, abiecerint. In ſecunda ſignificatur ignominioſa fuga cedentium. Vtram autem ſententiam Dauid exprimere voluerit, an vtramque ſimul; incertum eſt. Et fortaſsè conſultò verbo ambiguo vſus eſt, vt poſſet lector vtrumque aut alterum intelligere pro captu ſuo. Claré autem noluit fugam notare, ne in laude ſuorum, quod ad eorum ignominiam faceret, intermiſceret.

Sed dicat aliquis; Cur Saulis, & aliorum fortium clypeus commemoratur, eiuſque abiectio lugetur; Ionathæ vero clypei nulla mentio? Conſultò ſine dubio factum id eſt à Dauide, vt Ionathæ, & aliorum diſcriman notaretur. Verè enim Saul & alij fugerant; & hi non quicunque ſad qui robur exercitus erant, & antonomaſticè *fortes*
a Cap 31 La appellantur; de quibus antea [a] dictum eſt; *Fugerunt viri Iſrael ante faciem Philiſthiim.* Non quicunque ſed *viri* fugerunt, per quos robuſti milites intelliguntur hic *fortium* nomine deſignati.
b Ibi. v. 3. De Saul verò; [b] *Conſequuti*, inquit, *ſunt eum viri ſagittarij*. Vbi notanda ſacri Scriptoris circunſpecta loquutio. Cum enim de aliis loquitur, flagitium, quod in re militari admiſerunt, apertè deſignat. *Fugerunt*, inquit: at cum de Rege ſermo eſt, eius maieſtatem reueritus, abſtinet verbis malè ominatis, & inſinuat ipſum potius fugiſſe, quam narrat; dicendo; *Conſequuti ſunt eum viri ſagittarij*; fugientem ſcilicet. Vtrique ergo fugerunt, & Saul, & eius fortiores milites. Propterea de vtriſque dicit hîc Dauid, eorum clypeum in monte Gelboe abiectum eſſa, tacitè ſignificans ipſos fugiſſe, & abieciſſe clypeos, vt ad fugam aptius expedirentur. Vt verò indicaret Ionatham reliquis fugientibus in veſtigio ſteriſſe, glorioſam mortem potius eligendo, quam turpem fugam coniunctam cum morte conſultò nullam de clypei ipſius abiectione mentionem intulit.

Hunc ergo ſanſum verba iſta præferunt, ſi propriè ſumantur. At ſi tranſlatè; ſignificant in monte Gelboe totum militiæ Iſraeliticæ robur eſſe proſtratum. Ad quod obſeruandum viros fortes, & qui alios defendunt, in ſacris & profanis litteris *clypeos* appellari. Quod idem ſignificant nomina præſidij, columinis, protectoris, quibus etiam viri fortes inſigniuntur. Quod enim ſcuti & clypei maximè proprium ſit corpus ab iniuria protegere; quicunque obiectu ſuo alium defendit, is protector, & à ſimilitudine *clypeus* illius appellatur. Hac de re plura dicimus alibi: [c] propterea nihil eſt, quod hîc ite- c infra p. 22.
rum eadem repetamus. Clypeum ergo fortium abiectú eſſe; ſi in hoc ſenſu clypei nomen tranſlatè ſumatur; eſt fortiſſimum quemque totius Iſraelis in hoc certamina cecidiſſe; qui nempe pro clypeo, præſidio, munimine aliis erat, non quibuſcunque ſed etiam *fortibus*. Fortes enim hic in eam ſignificationem ſumuntur, quam pluribus explicauimus loco citato. Et illi ſunt, qui italicè, *Braui*, nuncupantur. Antiquitus *ſtipatores*, & *laterones*. Vt ergo Dauid oſtendat adeo fortes Saulem & Ionatham fuiſſe, vt poſſent eos quoqua qui fortiſſimi erant, ipſi protegere; iiſque eſſe pro ſcuto, clypeo, & munimento; quando ipſi in monte Gelboe extincti ſunt, abiectum dicit eſſe & diſſipatum *clypeum fortium*. In hunc ſenſum Æneas dum luget Palantem, ea inducitur à Poeta [d] principe vſurpare. d lib. 11.

Hei mihi quantum
Præſidium Auſonia, & quantum tu perdis Iule.

Morte enim Palantis magnum dicit Auſoniæ præſidium cecidiſſe. Simili metaphora dicitur [e]. e Seneca in Troade.
Hector murus, præſidium, columen Troiæ fuiſſe

Columen patrea, mora fatorum
Tu præſidium Phrigibus feſſis,
Tu murus eras, humeriſque tuis
Stetit illa decem fulta per annos.
Tecum cecidit, ſummuſque dies.
Hectoris idem patriaque fuit.

Quaſi non eſſet vnctus oleo.] Quis vnctus; Saul an clypeus? Sunt qui velint clypeum, & explicant occiſum Saulem ſignificari ſimiliter ac ſi ſe eum cura ad prælium non accinxiſſet, arma non paraſſet, clypeum non vnxiſſet. Quod enim clypeus inter arma locum præcipuum haberet, eius præparatio, quæ per vnctionem fiebat, ponitur pro præparatione reliquorum armorum. Solitos autem dicunt antiquos arma, præcipuè vero in iis ſcuta & clypeos oleo & aruina perungare; vt facilè petitiones eluderent, & ictus elaberentur. In nitida enim ſuperficie facile tela fruſtrantur. Aliorum omnium communis, & vera ſententia eſt vnctum dici, non clypeum, ſed Saulem. Senſus ergo eſt proſtratum & cæſum Saulem ſicut gregarius quilibet miles occidi ſolet; quod maximè facit ad luctum augendum, & iacturam exaggerandam. Mortuus eſt, non vt vnctus oleo, non vt Rex; ſed vt quilibet de turba miles. At quumodo Reges moriuntur in bello? Magno ſuorum numero circunſepti, à quibus diu proteguntur, propugnantur, defenduntur, & tandem ſuper illos aceruatim cæſos ipſi poſtremi cadunt. At Saul ſolus ferme relictus, & deſertus à ſuis, vt priuatus miles extinctus eſt. In quo dum ipſius infortunium lugetur, aliorum ignauia accuſatur, & eius ſimul virtus extollitur.

A ſanguine interfectorum ſagitta Ionatha non eſt reuerſa retrorſum.] Quærendum hîc, & explicandum quam laudem propriè tribuat. Ionathæ, quam Sauli; & cur de Ionatha loquens ſagittas; de Saule verò gladium commemoret Ionatham ergo laudat quod *ipſius ſagitta non ſit reuerſa retrorſum ab interfectorum ſanguine, ab adipe fortium.* Tria proinde explicanda. quid ſit hic non reuerti retrorſum; quid à ſanguine Interfectorum; quid ab adipe fortium.

Reuerti retrorſum in ſcriptura pro vt hic accipitur,

eipitut, eſt caſſo ictu cadera, & ab eo fruſtrati, quod quis intendit. in qnam eandem ſignificationem quaſi ptouerbiali furmula ſumitur in ſacris litteris *conuerti, & vacuum redire.* Danid ali-
a Pſal. 39.15 eubi [a]; *Conuertantur retrorſum, & reuereantur qui volunt mibi mala.* Re iufecta, ſuo fine fruſtrati retro, vnde diſceſſerant, ignominia & pudore ſuffuſi eonuertantur, qni mala mibi mnliuntur. Et
b Pſal. 57.15 iterum de peccatoribus qui iuſtos inſectantur [b]; *Conuertentur*, inquit, *ad veſperam, & famam patientur vt canes.* Vbi tota die deſudauerint, ad veſperam tandem ſpe ſua votoque fruſtrati, canes vt venatici ſolant hianti ore illuc vnde diſceſſerant, reuertentur. Hi enim prædam tota die fruſtra ſectati, deluſi tandem exerta lingua, & fame anecti ad Dominos reuertuntur. Eodem modo
c Cap. 55.11 Eſaias [c]; *Quomodo deſcendit imber & nix de calo, & illuc vltra non reuertitur ſic erit verbum meum quod egreditur de ore meo: non reuertetur ad me vacuum.* Et ſtatim explicans quid ſit non reuartí vacuum; *Et faciet*, inquit, *quacunque volui.* Non abertabit à ſcopo; non ſuo fine, ſuoque voto fruſtrabitur. Quod Italicè dicimus, *Non andera in fallo.* Vnde ibi D. Hieronymus reuerti vacuum; *irritum* interptetatur. Cum ergo dicitur hoc loco ſagitta Ionathæ *non reuerſa retrorſum*, ſignificatur ea ſemper ſcopum attigiſſe, & nnnquam ab eo quod intenderat aberraſſe; quod eſt id, quod volebat Ionarbas perfeciſſe; nempe hoſtem ferire & ſolo ſternere. Senſus igitur horum
d Cap. 5.16. verborum idem eſt, qui apud Ieramiam, [d] vbi de Chaldæis dicitur, totoque eorum exercitu *pharetra eius quaſi ſepulchrum patens.* Quia nimirum quotquot inde ſagittæ extrahebantut, tot hoſtes ictu cettiſſimo vulnerari cadebant.

Eandem verò laudem, iiſdem pene verbis, quibus hic Dauid vtitur, tribuunt etiam ſuia he-
e lib. 9. soibus nobiles poetæ. Virgilius [e] de Camilla.

Quotque emiſſa manu contorſit ſpicula virgo,
Tot Phrygij cecidere viri.

f In Hip. Et Seneca [f] de Hippolyto quem ab arte ſagittandi commendat.

Aut ſi tela modo ſpargere Parthico
In calum libeat; nulla ſine alite
Deſcendunt: tepido viſcere condita
Pradam de mediis nubibus afferunt.

Nec minùs appoſitè ad verba Dauidis illa ſunt,
g Sta. lib. 7. Theb. quæ nobilis item pueta [g] non ſagitta; ſed de lancea fottiſſimi Ducis expreſſit. Cum enim præmiſiſſet ingenti clypeo leua prætenſo pectus obiexiſſe; ſubdit;

—— Nam tergo nunquam metus; haſta vetuſtum
Syluarum decus, emiſſa, cui peruia ſemper
Armaque pectoraque & nunquam manus irrita voto.

Quid nunquam irrita? Pulchre vetus interpres;
h Lactant. Plac. ad illud Statij. [h] *in percutiendo nunquam auctoris ſui vota decepiſſe.* Quod illud ipſum eſt Ionathæ ſagittis, & Saulis gladio à Dauide tributom. Quin iiſdem penè verbis idem poeta iternm vſus ad hoc ipſum exprimendum. Loquens de Moneci fottiſſimi bellatoris virtute;

—— Exanimes circum cumulantur acerui
Omne ſedet telum; nulli ſine cadibus ictus.

Omne ſedet telum. Quid hoc? explicat idem vetus interpres *omne Meneci vulnus lethale erat.* Muneci, inquam, non quod in illo, ſed quod ab
i Stat. lib. 10 Theb. illo. Ruſus idem [i] de Capaneu Tbebas oppugnante.

Nullaque tectorum ſubit ad faſtigia; qua non
Deferat haſta virum, perfuſaque cade recurrat.

Quod enim Dauid dixit de Ionathæ ſagittis *non rediiſſe retrorſum à ſanguine interfectorum*; & de Saulis enſe *non reuerſum inanem*; dicit hîc Statius de Capanei haſta: quoties emitteretur *detuliſſe virum.* Strauiſſe nempe, & fudiſſe, vt ibi Lactantius, & numquam inanem reductam; ſed ſemper ſanguina cædaqua perfuſam.

Hunc ego puto germanum aſſe ſenſum horum verborum. Alij duos alios affetunt, qui quatanns admittendi, lector ipſe diiudicet. Primus aſt, vt Ionathas laudetur, non ſolum à certitudine ictus, ſed etiam à validitate in iaculando. *Sagitta*, inquit, *ipſius nunquam eſt reuerſa retrorſum.* tam validè mittebatur, vt in quodcnnque fetretur, & impingeret, id penetratet, nec reſiliret. Secundus ſenſus eſt, vt ſignificetnr Ionathas in bello nnnquam fugiſſe; poſita ſagitta Ionathæ pro ipſo Ionatha; conſueto etiam Latinis tropo, quo paſſim quoque Itali vtuntur, cum de viro forti loquentes, anſem illius pro ipſomet appellant. *E vna buona ſpada.* Ionathæ ergo ſagittam nunquam retturſum verſam, volunt eſſe ipſum nunquam terga dediſſe. Quod quàm verum ſit, & admittendum; lectoris arbittio permitto.

Sed quid eſt *non rediiſſe retrorſum à ſanguine interfectorum*? Semper cùm emiſſa in aliquem fuit, eum quem petebat, aut occidiſſe, aut vulneraſſe: niſi velimus, quod ego probabilius puto, poſitnm hoc ad exaggeratam loqnutionem reſtringendam; quæ alioqnin nimia hypetbolica fuiſſet. Si enim dixiſſet abſolutè, *nunquam retrorſum rediiſſe*; ſenſum illum faceret, qui ſecundo loco poſitus à nobis eſt, & ſina dubio fidem ſuperexcedit: vt quocunque ſagitta Ionathæ mitteretur, nunquam raſiliret; ſed etiam duriſſima ſaxa penetrarat. Vt argo ſenſus hic nimis hyperbolicus excluderetur; adiungitur, qood orationem reſtringat; nunquam ſine ſanguine rediiſſe, quoties in animantem aliqnem mitteretur. Quæ laus eadem cum ea aſt à Seneca Hippolyto tributa.

Adiungitur tertio loco non rediiſſe retrorſum *ab adipe fortium.* quod eſt ictu non minus valido, quam certo fuiſſa vibratam. nam ſi tantùm dixiſſet ſemper cum in quempiam mitteretur, illum interfeciſſe; poterat excipi tantum in gregarios, & inferiores milites dirigi ſolitam; qui cum inermes ferme in prælia deſceodant; mirum non eſt, ſi certo ictn petiti, ſtatim ſternantur. Vt ergo intelligatur non ſolnm certo, ſed valido brachio vibrata, propriè exprimitur arma per media ſanguinem & adipem eorum hauſiſſe, qui petebantur. Nam *fortes* bie ponuntnr antonomaſticè pro primis, & egregiis bellatoribus, qui ſolent vndique valido armorum tegumento muniri. Sic etiam Virgilius de Camilla ſignanter dixit quot ab ea tela miſſa fuiſſent, totidem viros Phrigios eecidiſſe, *viros*, inquam, quod nomen illi teſpondet, quod bic à Dauide vſurpatur. Propriè enim *vir* à virtute dicitur, & fortem ſignat. At cur non ſanguinem tantum dixit; ſed adipem? Quia facilè eſt quacunque leui corporis ſtrictura ſanguinem elicere; at vt adeps extrahatur, profundo vulnere opus eſt, & quod in ima viſcera deſcendat.

Conſtat ergo ex bis Ionatham à magnitudine virinm, & rei militaris peritia maximè laudari. Vires extolluntur in vulneris validitate; peritia

in

in ictus certitudine celebranda cum ſagitta ab illo in quenquam mitteretur. Nuoc videndum cur ab vſu ſagittæ filius, à gladio verò pater extollatur. *ſagitta*, inquit, *Ionathe non redijt retrorſum, & Saulis gladius non eſt reuerſus inanis.* At quid hoc? Ob aliud non puto, niſi ad patris & filij laudes ſecernendas; & vt Ionatham patri longè præſtitiſſe conſtaret. Primo enim plus eſt numquam ſagittam redire retrorſum, quam enſem vacuum non referri. Nam ad illud neceſſe eſt in ſingulis iaculationibus collimare; hic ſatis eſt hoſtili ſanguine reſperſum ex toto prælio gladium reducere. Secundo plus eſt telum *non redire retrorſum à ſanguine interfectorum*; quam *vanum aut inanem non reuerti.* Illud enim ſignificat aliquem ſemper occidi; hoc, etſi tantum percutiatur hoſtis verum eſt. Tertio, longè etiam excedit *non redire retrorſum ab adipe*; quam *à ſanguine.* nam illud profundũ vulnus exigit; ad hoc extremam cutem perſtringere ſatis eſt. Quarto denique plus eſt nõ redire vacuum *ab adipe fortium*; quam gregariorum militum. Nam illi numquam niſi probe muniti, & omni armorum genere protecti, in bello procedunt; iſti fermè nudi vulneribus exponuntur. Vt ergo eorum adipi ferrum mergatur, opus eſt prius arma perfringere, quæ nulla hic perrumpenda. Atque ex his, opinor, habetur quorſum Dauid vt Ionathæ vires extolleret ſuper Saulem, illius ſagittas commendauerit & huius enſem.

Amabiles & decori.] Vtrumque de vtroque verum; Saul enim decorus, & honeſtiſſima ſpe-
a lib. 1. cap 9. & 12. cie, vt de illo ſæpius commemoratur,[a] Ionathas item non minus illo. Decore verò corporis, cum præſertim reliquæ dotes non abſunt, amorem conciliari dubium non eſt. Et Saulem ſuis impensè charum fuiſſe demonſtrant quæ ab illis in ipſius gratiam patrata ſunt; & quando cætera deeſſent, armigeri caſus, qui ſe ipſum in illius interitu confodit, id abunde teſtatur. Ionathas vero tam charus omnibus erat; vt populus para-
b lib. 1. Reg. cap. 14. 45. tus eſſet[b] potius à patre deſciſcere; quam quicquam pati in illum grauius decerni. Cæterum cum hæc in Saule; & Ionatha laudantur, mire decorum à Dauide ſeruatur, in cantico funebri requiſitum. In eo enim cum reliquis virtutibus animi, corporis quoque egregiæ dotes extolluntur; quales ſunt decor, & gratia corporis aptiſſimæ regnaturis, vt ſupra[c] pluribus oſtenſum eſt. c lib. 1. c. 16.

In morte quoque non ſunt ſeparati.] Signanter hoc additum puto, quod inter patrem & filium, aliquando dum viuerent, pluribus non conueniſſet. Vt ergo memoriam omnem priſtinæ diſſenſionis aboleret; conſulto Dauid hoc intulit: in argumentum planè conciliatæ gratiæ vertens, quod caſus obtulerat; vt vna ſimul & eadem ab hoſtibus impreſſione ſternerentur.

Aquilis velociores, leonibus fortiores.] Laudauit à decore corporis, à gratia & venuſtate, nunc laudat à viribus quarum duæ partes ſunt; pernicitas in curſu, & robur lacertorum. In quo vtroque comparat illos aquilis & leonibus hyperbolica loquutione vſus funebris næniæ maximè propria. Cætera quæ de pernicitate, & eius vſu in bello dici poſſunt[d]; alibi latiùs à nobis explicantur. d lib. 2. c. 22. v. 34.

Filiæ Iſrael ſuper Saul flete.] Fœminis enim maximè luctus iſte ſolemnis incumbebat, vt pluribus agentes de priſco Hebræorum funere declaramus.

Qui veſtiebat vos coccino in delicijs.] Ex multitudine prædæ quam ſæpius ex hoſtibus referebat, facilè erat vt peregrino cultu Iudæorum fœminæ ditarentur. Mirè autem ſeruit hic affectui, & decoro Dauid. Vt enim nihil eſt quod magis aueant fœminæ; quam exquiſito cultu ad ſpeciem componi; ſic nihil æque dolent, ac illo priuari. Facillimum proinde eſt, vt illum lugeant cuius morte veſte peregrina priuentur.

Super amorem mulierum.] Vel quo mulieres amantur; vel, quod probabilius eſt, & exigunt quæ ſequuntur, quo amant ipſæ filios ſuos, cùm vnici ſunt.

Perierunt arma bellica.] Non ſolum quia in hoſtium poteſtatem deuenerunt; ſed quia viri robuſti, qui iis vti poſſunt, perierunt. Perire enim ea dicuntur, quorum iam nullus vſus eſſe poteſt.

LIBRI SECVNDI REGVM

CAPVT II.

ARGVMENTVM.

HOC pietatis officio ritè perfunctus, ad regnum capeſſendum Dauid accingitur, in quod iampridem diuini decreto conſilij vocabatur. Ergo in tanta clade nominis Iudaici quid primum moliretur ambiguus, ante omnia Dominum conſulit, ne quid eo inconſulto moueret, cuius accitu regnabat: & reſponſo accepto de Hebrone petenda, ſuis ſtipatus aſſeclis illuc ſe tulit, vxores ſuas & comitum ſecum trahens. Ab Hebronitis ſummâ gratulatione ſuſceptus, inde à Iudaicis tribus Principibus rurſus inungitur, & Rex appellatur: cùm reliquis tribubus Abneris opera Saulis filius Isboſeth eſſet impoſitus. Hinc res Iudaica duo in regna diuiſa, periculum prope fuit ne viribus ciuili diſsidio diſtractis, hoſtibus funditus excidenda pateret; niſi ſuos Deus aſpexiſſet, & Dauid ſingulari prudentia tribus alias blandè ſibi potiùs ſtuduiſſet adiungere, quàm violentius agendo, acrius incendere. Ob id vt omnes ſuos faceret, ad Iabeſitas viros fortiſſimos legatione miſſâ, laudando virtutem pietati eorum gratias egit, quod Saulis filiorúmque cadauera ab hoſtili ludibrio vindicata, ſepulturæ mandaſſent. Ea re mollitis in Dauidem animis, non tam inter vtrumque regnum, quàm inter vtriuſque Regis cognatos diſcordia cruenta vigebat; ita tamen, vt vtrinque cuſtodiæ intentæ eſſent, & quiſque ſuis tutandis finibus inuigilarent: inde factum vt aliquando ſibi mutuò ſuis ſtipati militibus partis vtriuſque Duces occurrerent; Abner Isboſethi Præfectus, & Ioabus Dauidis. Cùm neuter altero prius aliò declinaret, fugæ ſpeciem præbere veritus; interim dum in eadem ſtatione manebant, ab Abnere ludicrum ſpectaculum Ioabo propoſitum eſt, quod inter ſe congreſſi duodeni hinc inde milites aliis præberent. Acceptâ conditione, paria duodecim prodiere; & eò res incaleſcentibus animis eſt ludendo progreſſa, vt omnibus pariter cadentibus, & mutuis vulneribus confoſſis, exitu nimis ſerio clauderetur. Inde verò ſuorum ex aſpectu triſtis adſtantes acies furor inuadẽs, vniuerſos in mutuas cædes armauit tumultuario prælio concurrentes. Sed breui Dauidicis præualentibus, aliis fugatis, Abner aduerſæ partis Ductor effuſa ſibi fuga conſulebat; cùm interim Azaël pedum pernicitate capreas etiam ſolitus anteire, vt vino potiretur, acrius cæpit premere fugientem: à quo ſæpiùs admonitus, nec deſiſtens, ab inuito tandem retro lancea vibrata confoſſus eſt; memorabili documento fugienti hoſti non eſſe temerè exitus intercludendos. Inde verò cùm qui ſubitò furor exarſerat effuſione cognati ſanguinis remiſiſſet, ſuos Ioab à cæde retraxit, trecentis ſexaginta ex Isboſethi militibus extinctis, ex Dauidis viginti tantùm.

ỳ. 1.) Igitur poſt hæc conſuluit Dauid Dominum, dicens; Num aſcendam in vnam de ciuitatibus Iuda? Et ait Dominus ad eum; Aſcende. Dixitq; Dauid; Quò aſcendam? Et reſpondit ei; in Hebron.

ỳ. 2.) Aſcendit ergo Dauid, & duæ vxores eius, Achinoam Iezraelites, & Abigail vxor Nabal Carmeli.

ỳ. 3.) Sed & viros qui erant cum eo, duxit Dauid ſingulos cum domo ſua: & manſerunt in oppidis Hebron.

ỳ. 4.) Veneruntque viri Iuda, & vnxerunt ibi Dauid, vt regnaret ſuper domum Iuda.

NARRATVR hìc initium regni Dauidis ſuper vnam ex duodecim tribubus Iſrael, nempe Iudaicam; de quo breuiter quatuor exponenda. Primum. Quomodo illud adierit. Secundum. Vbi, per quem, & quando Dominum conſuluerit. Tertium, quod reſponſum acceperit, & vt illud exequutus. Quartum, à quibus & cur adiutus in regno capeſſendo.

Quomodo ergo regnum auſpicatus? Ante omnia Deum, & eius voluntatem exquirendo. Perpetuum enim hoc illius inſtitutum fuit; inconſulto numine nihil aggredi quod momentum aliquod haberet in vita degenda. Videamus ergo quomodo conſuluerit; & primo quando. Qui ſubtilius tempora digeſſerunt, decimo die ab inchoato Paleſtino bello volunt conſuluiſſe; poſtridie nempe, quam nuncium acceperat [a] de Saulis interitu, & clade Hebræorum. Conſuluit autem Dominum in Siceleg. Sed per quem? Ioſephus [b] vult per prophetam aliquem: ſed perperam. ſecum enim Dauid quintum iam annum habebat Abiatar ſacerdotem ſummum, cuius erat ephod geſtare fatidicum; per quem ritè Dominus conſulebatur, à Dauide præſertim, vt ſæpius eſt adnotatum. Quod ergo reſponſum retulit?

a Ser. bis Sal. an. 2979 n. 192.

b lib 7. ant. c. 1.

ſetulit? Quæſierat num Siceleg, & Paleſtinorum tetra relicta, in vnam aliquam ſui populi, nempe Iudaici, ciuitatem deberet aſcendere. Reſponſum, vt aſcenderet; & vrbs Hebron exptesſa, in quam ſe conferret. At cut ea potiſſimum deſignaſa? Rectè Theodoretus, & poſt eum recentiores; [a] quia ſedem in ea habuerant Patriarchæ dum viuerent, & in eadem mortui quieſcebant: quia ciuitas etat in tribu Iuda, eaque præcipua, & aliasum caput; ad quam tribum ſceptrum regni Iudaici pertinebat; ante annos ſexcentos ſupta quatuor & triginta illi ex Dei [b] promiſſione, Iacobo vaticinante deſtinatam. Vrbs enim Ieroſolyma nondum hoc tempore in Iudaici populi poteſtatem tota deuenerat; cum magna ex parte Iebuſæi illam incoletent, & atcem Sion, quæ poſtea ciuitas Dauid, præſidio tenerent.

a *Abul. ſerm. cum Sal. loco citato.*

b Gen 35.

Hoc accepto teſponſo Dauid, omni ſublata mora, exequiis in Saulem & alios titè perfunctus, cum domeſtica ſimul familia, & forenſi comitatu, Siceleg relicto, contendit in Hebron. Domeſtica familia notatur, dum dicitur, [c] *Vxores duas ſecum adduxiſſe.* Forenſis; dum adiungitur, [d] *Adduxiſſe viros, qui erant ſecum, ſingulos cum domo ſua.* Quos tamen non omnes in Hebron retinuit; ſed varia per oppida ſparſit, quæ ad Hebron, vt vrbem principem pertinebant; vt inde ſibi maiori poſſent eſſe præſidio. Nec ex Siceleg omnes eduxit; ſed partem eorum aliquam ibi reliquit, vt eam vrbem præſidio firmatent, quod rectè notat Abulenſis. [e] Nec enim eredibile eſt vrbem illam ſine præſidio dimiſiſſe, cuius poſſeſſionem ſemper retinuit, & ad poſteros Regea tranſmiſit.

c verſ. 2.

d verſ. 3.

e Quæſt 3 hic

In Hebton ergo regni ſui primordia dedicauit. Sed à quibus & quorum opibus adiutus? *A viris Iuda.* Virorum autem nomine magiſtratum getentes, & principes illius tribus intelliguntur; notione vocis in ſacris & profanis litetia vſitata; à qua eſt, vt *virorum* nomine magiſtratus varij deſignentur, adiuncto tantum numero collegarum; vt *Duumuiri, Triumuiri, Septemuiri.* Regnauit ergo primum Dauid tantum in tribu Iuda. Saul enim extincto, reſpublica Iudaica duas in partes eſt ſecta; altera, tribu ſola Iudaica conſtabat; altera reliquas vndecim continebat. In illa regnauit Dauid quod verba ſignificant hîc adiuncta. *Vnxerunt* [f] *Dauid, vt regnaret ſuper domum Iuda.* In altera regnum obtinuit Iſboſeth: quo ſublato, Dauid vtriuſque ſceptrum tenuit, omnium pariter tribuum rex effectus, vt deinceps videbimus.

f verſ. 4.

Verùm dubium hîc non exiguum conſurgit, quomodo Dauid in Hebton domicilium fixerit, cùm ea vrbs eſſet ſacerdotalis, nec ad laicorum adminiſtrationem pertineret. Aliud dici non poteſt niſi Dauidem, quamuis popularis; non ſacerdos eſſet, potuiſſe in ea vrbe nihilominus habitare, ſicut & alij laici ciues habitabant, iure domicilij, non vllius dominij quod in eam exerceret. Potuiſſe enim laicos in ſacerdotalibus vrbibus ſedem habere; conſtat ex illis qui confugij cauſa ad eas ſe conferebant, ibi toto futuri. Supereſſet nunc vnctio ipſa Dauidis in regem explicanda, vt omnia complecteremur, quæ in primis Dauidici regni auſpiciis, contigerunt. Sed hîc aliud de ea non videtur addendum. Vide quæ diximus lib. 1. cap. 16.

Sopran. in Dauid.

℣. 4.) Et nunciatum eſt Dauid quòd viri Iabes Galaad ſepeliſſent Saul.

℣. 5.) Miſit ergo Dauid nuncios ad viros Iabes Galaad, dixitque ad eos; Benedicti vos Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum.

℣. 6.) Et nunc retribuet vobis quidem Dominus miſericordiam, & veritatem: ſed & ego reddam gratiam, eo quòd feciſtis verbum iſtud.

℣. 7.) Confortentur manus veſtræ, & eſtote filij fortitudinis: licèt enim mortuus ſit dominus veſter Saul, tamen me vnxit domus Iuda in regem ſibi.

Hinc & deinceps in hoc capite & proximis quæ ſequuntur, quinque narrãtur, quæ Dauid in regni ſui primordio præcipuè eſt exequutus. Primum fuit cõmendatio Iabeſitarum ob officium plenum pietatis & fortitudinis in Saulis & Ionathæ reliquias impenſum. Secundum, concertatio cum Iſboſetho ſuſcepta. Tertium, nouum cum aliis vxoribus connubium ad primas adiunctis. Quartum, fœdus occultè initum cum Abner de regno Iſboſethi in Dauidem transferendo. Quintum, luctus ob Abnetis cædem, & vltro ſumpta de interfectoribus Iſboſethi.

Primum ergo quod exequutus mox vnctus in regem ſuper Iudam, fuit laudate Iabeſitas à pietate quam Saulis reliquiis impenderant. Quod quomodo, & cur faciat, videamus.

Benedicti, inquit, vos à Domino.] Hoc & optantis eſt, & enunciantis: vtroque autem modo bonorum omnium cumulum complectitur, quem illis annunciat vouendo; vel iam ineſſe prædicat enunciando. Nec enim maius optari cuiquam poteſt; quam vt ab eo benedicatur, cuius eſt idem dicere quod facerẽ, *& qui dixit, & omnia facta ſunt; mandauit, & creata ſunt.* At vnde benedicti? ſubdit;

Qui feciſtis miſericordiam hanc.] Qui, cum quo, & quid fecerunt? ſerui cum domino, non qualicunque ſed Regiæ Maieſtatis inſignito faſtigio, *miſericordiam fecerunt*, Ita ne vero? Miſericordiam cum Rege? Prorſus ita: audiant hoc Reges & diſcant poſſe quoque ſe miſeros eſſe. Quid dico; Poſſe? Neceſſariò miſeros eſſe debere, à qua miſeria non ab aliis poſſint, quam à ſuis ſeruis & ſubditis liberari. Quæ hæc miſeria? Iacere inſepultum. Nullus eſt Regum qui mori non debeat: niſi ergo viui defodiantur, neceſſe eſt vt aliquando Reges omnes iaceant inſepulti, à qua miſeria, non niſi ſuorum miſericordia ſubleuantur. Et hanc nunc cum Saule rege ſuo Iabeſitæ fecerunt. Vnde ſubdit Dauid; *Et ſepeliſtis eum.* Quod eſt expoſitio præcedentis, Idem enim eſt *miſericordiam cum Saule feciſſe*; quod ipſum ſepeliſſe.

Retribuet vobis Dominus miſericordiam & veritatem.] Hæc eſt merces eorum, qui benignè quid aliis fecerunt; vt idem viciſſim, Deo ſic ſtatuente, recipiant, quod aliis impenderunt. Verbum Chriſti eſt [g]; *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur* Nullus eſt, qui aliena miſericordia non indigeat; quia nullus eſt,

g Mat. 5.

qui aliqua ſubinde miſeria non prematur; non Rex,non Dynaſta,non quacunque dignitare præfulgens. Quæ via ergo tuta, certa,expedita cam conſequendi? Vna tantum; ſed illa facillima: *miſericordia*. Vt miſericordiam, qua quiſque indiget,ab aliis conſequatur,ſit ipſe miſericors.

Cæterùm quod attinet ad iſta verba, *facere*, aot *retribuere miſericordiam,& veritatem*; pbraſia eſt in Scriptora frequens; de qua proptetea paulò accuratius eſt hic aliquid exponendum; quantum tamen anguſtiæ commentarij patiuntur; reliqua fuſiùs excutienda Diſputationibos reſeruando. Tria autem de ea diſtinctè exponemus. Primum, quid ſit propriè facere miſericordiam.Secundum.quid facere veritatem.Tertium, An idem facere miſericordiam, quod retriboere.

De primo *facere miſericordiam*;literali ſenſui, quem nonc inquirimus, inſiſtendo, eſt aliquid cuipiam benignè facere, ſed gratuito. Tradunt hoc veteres Patres [a], dum miſericordiam Dei, quam hominibus impendit,interprerantur, eius erga illos gratuitam benignitatem;ſiue, qua illis peccata condonat; ſiue cum gratia ſua præuenit; ſiue eum aliter immerentibus ſua beneficia largitur. Per hoc enim manifeſtè ſignificant *Miſericordia* nomine, gratuitam beneficentiam deſignari;ſiue ea homini ab homine; ſiue à Deo homini tribuatur. Et inde eſt quod aliquando nobiles interpretes, quod in editione vulgata eſt, *miſericordiam facere*;vertuot ipſi *gratiam*; per id intelligentes benignitatem, quæ ſponte liberalis animi, nullo iuſtitiæ debito, in alios exercetur. Ex quo fit *miſericordiam facere cum aliquo*; nil eſſe aliud, vt dicebam, quam illi beneficium aliquod ex propenſione liberalis animi conferre.

a *Hilar. Auguſtin. Arnob. Caſſiod. Pſal. 60 S. Baſil.*

Hoc ſic explicato,facilè eſt intelligere quid ſit *veritatem facere*, & cur hæc duo tam ſæpè in ſacris literis coniungantur. Vt enim *miſericordiam facere*,eſt quid conferre gratuito;ſic *facere veritatem*,eſt id præſtare,quod quis debet alteri: ſiue debitum id ex eo qood promiſerit; ſiue quod quid illius acceperit oriatur. Facit ergo quia cum alio *veritatem* præſtando illi quod ex iuſtitia tenetur. Et hoc docent Patres, qui pleromque *veritatem*,com *miſericordia* coniungitur, pro *iuſtitia* interpretantur; & nominatim *veritatem Dei, quam cum hominibus facit*,expouont eius fidelitatem,quam, vt iuſtum eſt exhibet, ea implendo, quæ ex miſericordi liberalitate promiſit. Hæc porro veritatis notio,vt pro iuſtitia ponatur,non tam propria eſt ſacrorum auctorum,vt apud profanos,eoſque elegantiſſimos, non reperiatur. Iis enim plerumque idem eſt *verum*, quod iuſtum, æquum,& rectum. Cicero [b] alicubi; *Negant verum eſſe allici beneuolentiam cibo.* id eſt negant æquum & iuſtum eſſe. Liuius [c]; *Cæterùm & ipſorum audiri poſtulata verum eſſe*;id eſt iuſtum. Cæſar [d]; *Negant verum eſſe qui ſuos fines tueri non poteſt, alienos occupare.* Denique Horatius. Metiri ſe quemque ſuo modulo, ac pede; verum eſt.

b *Orat. pro Mur.*
c *lib. 32.*
d *4. de bel. Gal.*

Si ergo idem *verum*, quod iuſtum; non mirum, ſi *veritas* quoque pro iuſtitia ponatur, vt diſerte nonnumquam etiam Cicero vſurpauit. *Tot tantiſque difficultatibus affectus, ac afflictus in ſuam C. Aquilij,fidem, veritatem* (id eſt iuſtitiam) *miſericordiamque Titus Quintius confugit.* In qua ſententia ſicut in ſacris literis ſæpius;*miſericordiam* Cicero, *veritatemque* coniunxit; vt per *miſericordiam*,quæ liberaliter;per *veritatem*, quæ ex iuſtitia tribuuntur,amplecteretur.

Sed hæc ſi vera ſint, leues aliquot dubitationes iniiciunt, haud hic ex toto diſſimulandas. Si enim *miſericordiam facere*, eſt quid gratuito, nullo intercedente debito conferre; primo fit, cùm quis cum alio paria facit; cùm vicem illi reddit officiorum; cùm beneficia accepta remuneratur,*miſericordiam* cum illo non facere. Facit enim totum hoc ex aliquo debito: niſi quia ita deſipiat, vt putet accepta beneficia non debere rependi. Secundo fit,eleemoſynam qui facit, *miſericordiam* non facere. Quo quid abſurdius? Omnes enim norunt nihil miſericordius fieri, quam vbi quid eleemoſynæ nomine pauperibus erogatur. At eleemoſyna ex debito fit; niſi quis velit,quam Chriſtus tantopere iubet,ad eam homines non teneri. Præterea ſequeretur Deum ipſum *miſericordiam* non facere, cùm maximè miſeretur. Cum enim hoc facit,id facit quod iuſtum eſt, & quod benignitati debet naturæ ſuæ quæ eſt [e] *bonum non ſolum eſſe, ſed aliis benefacere.* Denique ſi gratuitum donum,quodcumque illud eſt, miſericordia eſt; etiam cum illo *miſericordia* fit,qui à nulla miſeria liberatur. Quo qui abſurdius, vt quis miſericordiam intelligatur accipere, qui tamen miſer aliquatenus eſſe non deſinat,cum miſer non ſit? At hinc illud ſequi conſtat apertè; quia multa gratuito donari poſſunt,quæ à nullo malo liberant,cui donantur. Quis iam ſanus eſt,iam diues, iam potens, iam dignitate præfulgens; hunc Deus liberaliter ad maiores diuitias euehit, noua dignitate auget, in regnum ipſum extollit;hæc iſte cum accipit, ſine dubio *miſericordiam* accipit, quia gratuita bona accipit; à nulla tamen inde miſeria liberatur: quia qui iam ſanus & diues eſt, nulla morbi, aut paupertatis miſeria premitur,à qua ſubleuetur.

e *Leo ſer. 1. de natiuit.*

Sed hæc omnia facilè diluuntur, diſtinctione præmiſſa. Debitum duplex,alterum ſibi, alterum aliis. Sibi quiſque debet, quod ex recta ratione debet,& exigentia naturæ ſuæ. Aliis,quod debet, aut ex iuſtitia debet,aut ex gratitudine. *Ex iuſtitia*, quod quid cum illo contraxerit; aut quod illius eſt, ab illo acceperit: *ex gratitudine*, quod ab eo priùs aliquo beneficio prouocatus. His præmiſſis, obſtare quæ videbantur, facilè refelluntur. Cùm quid ex debito iuſtitiæ bene aliis fit;non *miſericordia*; ſed *veritas* ex nota ſcripturæ phraſi cum illo fit: cum ex alio debito fit; non veritas, ſed *miſericordia* fit. ſic miſericordia fit, cum quid pauperibus liberaliter erogatur. Quia licet id ex debito fiat; non tamen id debitum iuſtitiæ, ſed alterius virtutis eſt: & cum quis alteri vicem benignitate rependit, vt ab illo ſubleuatus, illi quoque laboranti non deſit; *miſericordiam*, dicitur facere; licet id cum facit, quod debet faciat. Quia ſimiliter debitum id,non iuſtitiæ eſt,ſed gratitudinis. Pari ratione cum Princeps aliquis, cum Rex, cum Deus ipſe benigne aliis faciunt, illos extollendo & locupletando, *miſericordiam* dicuntur facere. Quia licet ibi debitum aliquod ſit, non tamen reſpectu alterius, ſed ſui ipſius. Sibi enim & naturæ ſuæ Principes debent quod liberaliter, quod prolixè, quod benignè ſe cum aliis gerant, & hos ditent, illos augeant, alios euehant. Quæ ratio eſt cur alicubi D. Anſelmus [f] acute pronunciet Deum cum *miſericordiam* facit; id facere quod debet, & iuſtum eſt illum facere: ex debito nempe, quo non aliis tenetur; ſed bonitati naturæ ſuæ. *Naſcitur*, inquit, *de iuſtitia tua miſericordia tua: quia iuſtum eſt*

f *Proſlog. cap. 19.*

eſt te ſic eſſe bonum, vt parcendo ſis bonus.

At incongruum dicebatur eſſe, *miſericordiam* appellari cum benè quid aliis fit, per quod à nulla miſeria liberantur; ſed acceſſu nouæ fœlicitatis augentur. Hic ergo diſertè dicam nullum in hac vita bonum eſſe, quod *miſericordia* non ſit. Quia nullum eſt, quod rationem boni habebat, & miſeriam aliquam non depellat, vel quæ iam opprimat, vel quæ timeatur.

Reſtat ergo nunc tertium, vt quæramus num quod diſcrimen ſit inter facere *miſericordiam* & *veritatem*, & vtramque *retribuere*. Nec dubium eſt quin ſi vim vocis ſpectemus; aliquod ſit concedendum; ſi verò vſum; fortaſſe nullum. Pro eodem enim frequenter in ſcriptura ponuntur? cùm præſertim de Deo ſermo eſt, & *miſericordia* & *veritate*, quam nobis impendit. Id vt explicatè intelligatur, obſeruandum, *retribuendi* verbum, ſi propriè ſumitur; dupliciter vſurpari. Primò vt eſt vicem rependere, paria faciendo, ſiue ex iuſtitiæ debito, ſiue alterius virtutis. Secundò vt eſt *iteratò tribuere*. Vtroque autem modo conſtat, longe diſtare *miſericordiam* facere & *retribuere*, ſi vocis proprietas attendatur; Primo enim modo *miſericordiam retribuere* eſt beneficium, quod quia ab aliquo accepit, illi refundere; ſiue ſibi acceperit, ſiue ſuis. *Miſericordiam* autem *facere*, eſt primum in aliquem benignitatem exercere. Secundo autem modo *miſericordiam retribuere*, eſt ſua beneficia nouis beneficiis cumulare; quæ duplicata miſericordia eſt, & exaggerata benignitas. Et in hoc ſenſu cùm quis miſericordiam retribuit; etiam facit: non vero quicunque facit, etiam retribuit. Vnde eſt vt Deus ipſe in hoc ſenſu dicatur retribuere etiam quæ liberaliſſimè, & nullo erga nos debito largitur; cum duplicat beneficia ſua, & aliis iam conceſſis iterum maiora concedit.

Sed his excurſu paulò liberiore præmiſſis, locus iam poſtulat vt videamus cur hic, & in quem ſenſum Deus à Dauide dicatur Iabeſitis miſericordiam, & veritatem retributurus.

Primò. Ergo dicitur *retributurus*, quia miſericordiam iam prius cum illis factam; iterum cum illis repetet & replicabit. Iam enim Deus Iabeſitas multis beneficiis cumulauerat; & ea præſtando, miſericordiam cum illis, & veritatem iam fecerat. Vtramque ergo iterum repetendo, & à ſe iam tributa duplicando, *retribuet*; quia cum illis iterato benignus erit. At quæ hæc *miſericordia & veritas cum illis iam facta*? Planè multiplex & inſignis. Fortitudine illos armauerat, audacia pectus impleuerat, cogitationes egregij facinoris illis immiſerat; audentes, ad muros accedentes: corpora Saulis & Ionathæ detrahentes adiuuerat, protexerat. An hæc omnia cum à Deo acceperunt, ſummam miſericordiam ab illo non acceperunt? Cum ergo iterum noua beneficia illis propter hæc irrogabit, ſine dubio miſericordiam *retribuet*, quia *iteratò tribuet*.

Secundò illis *retribuet*, id eſt vicem rependet; non ob id quod illi Deo præſtiterint; ſed quod aliis. *Miſericordiam* illi *&* *veritatem* cum Saule fecerunt; *miſericordiam* viciſſim, & *veritatem* à Deo, bonum ob hoc meritum *reportabunt*. Sed quæ illorum in Saulem *miſericordia*, & quæ *veritas*? De miſericordia reſponſio facilis eſt. Cui enim factum Iabeſitarum expendenti, poteſt illa non eſſe conſpicua? De veritate tamen an vllam cum Saule fecerint, & quæ illa fuerit; aliquis fortaſſe poteſt ambigere. Sed quin aliquam fecerint; negari non poteſt. Si enim Deus illis *miſericordiam & veritatem* retribuet; ſicut ob hoc aſſerimus illos cum Saule *miſericordiam* feciſſe; ſic etiam debemus dicere *veritatem*. Quæ ergo hæc ab illis *veritas* in Saulem, & quomodo à miſericordia diſtincta: Breuiter dicam. *Miſericordia* fuit in eo, quod è muro Bethſan Saulis & Ionathæ reliquias tanto cum periculo detraxerunt. Totum enim hoc gratuitum planè in Saulem fuit; ad quod nullo iuſtitiæ, nullo gratitudinis debito tenebantur. Quis enim vnquam auſus hoc eſſet ab illis exigere, quod ſponte præſtiterunt? Fuit ergo hæc *miſericordia* in Saulem, non ſolùm quia ſummè gratuita; ſed quia in eum ſummè miſerum. Quid enim miſerius, quam inſepultum abiici, feris & volucribus exponi, ad ludibrium hoſtibus ex publicis mœnibus ſuſpendi? *Veritas* autem fuit in eo, quod detractas reliquias ſepelierunt, & honeſto funere tumularunt. Licèt enim nullo iure cadauera feris expoſita tanto ſuo cum periculo detrahere tenerentur; ſemel tamen detracta, ſepulturæ mandare iure optimo tenebantur. Vtrumque ergo Iabeſitæ cum Saule fecerunt: *miſericordiam*, cum ſe vltrò diſcrimini pro illius cadauere obtulerunt. *veritatem*, cum reliquias in poteſtatem redactas, ſepulturæ ritè mandarunt. Et cum vtramque ipſi Sauli præſtiterint, rectè Dauid hic illis pollicetur à Deo miſericordiam, & veritatem retribuendam; quod eſt iſto illos præmio, pro ingenti hoc in Saulem merito remunerandos.

Sopran. in Dauid.

Confortentur manus veſtræ.] Verba hæc Dauidis, oſtendunt quid ille ſpectauerit, in hoc erga Iabeſitas officio perſoluendo. Omnia enim directa erant ad illos ſibi iungendos. In id duo adhibuit hominum animis conciliandis efficaciſſima; *laudes, & promiſſa.* Laudes, à pietate, à fortitudine, ab egregia fide. *Promiſſa*; de gratia referenda. Nec dubium quin hoc tempore Dauidi tales viri maximè opus eſſent, quales Iabeſitæ erant; audaces, fortes, in officio fideque conſtantes. Cùm enim Iſrael vniuerſus, vna dempta tribu Iudaica, Regem Iſboſeth ſequeretur; malè vtique erat cum Dauide futurum, niſi bonis artibus aliorum in ſe animos placare, & quantum poſſet ſtuduiſſet adiungere.

℣. 8.) Abner autem filius Ner princeps exercitus Saul tulit Iſboſeth filium, Saul, & circunduxit eum per caſtra.

℣. 9.) Regemque conſtituit ſuper Galaad, & ſuper Geſſuri, & ſuper Iezrael, & ſuper Ephraim, & ſuper Benjamin, & ſuper Iſrael vniuerſum.

℣. 10.) Quadraginta annorum erat Iſboſeth filius Saul, cum regnare cœpiſſet ſuper Iſraël, & duobus annis regnauit: ſola autem domus Iuda ſequebatur Dauid.

℣. 11.) Et fuit numerus dierum, quos commoratus eſt Dauid, imperans in Hebron ſuper domum Iuda, ſeptem annorum, & ſex menſium.

Narratur hic quomodo reliquus Iſrael Iſboſeth ſibi Regem fecerit, indicato per quem, vbi, ſuper quos, & quot annorum regnare cœperit, & quandiu regnauerit. Hæc ergo nos omnia breuiter explicemus, initio ducto ab ipſo Iſboſetho. Quartus hic filius Saulis erat, & in Regnum euectus opera & conſilio Abner; qui cùm ſummus eſſet rei militaris præfectus, facilè potuit primum militum, deinde aliorum omnium animos illi conciliare. Quomodo autem id fecit? *Tulit, inquit, filium Saul, & circunduxit eum per caſtra.* Per quæ caſtra, ſi nulla erant? Expugnata enim à Paleſtinis & direpta etiam exciſa fuerant. Vt omittam poſt adeo inſignem cladem Iudaico populo à Paleſtinis illatam Iudæorum agmina, & milites planè diſperſos. In quibus ergo caſtris, aut per quæ circunductus Iſboſeth, & inter quos milites, ſi nulli erant? Propter
a L X X. Ioſeph. lib. 7. cap. 1. Auct. tradit. Theodor. q. 8. Serrar. hic. hæc communior [a] ſententia eſt hoc loco *caſtra* nomen eſſe proprium vrbis in tribu Gad, non appellatiuum habitaculi militaris. In qua vrbe Hebraico vocabulo Mahanaim appellata, [b] regia ſedes ab Abner & Iſboſeth eſt conſtituta. De
b Gen. 23. c Cap. 17. qua nos infra pluribus hoc eodem libro [c] Sed quomodo per eam Iſboſeth circunductus? Ob hoc verbum Abulenſis, & alij ipſum ſequuti, *caſtrorum* nomine intelligunt manipulos militum, qui à clade diſperſi varias ſtationes inſederant; per quas volunt Iſboſeth ab Abnere circunductum ad fauorem militum colligendum. Sed
d Ioſeph. L X X. & alij citati. probabilius [d] eſt Iſboſethum ab Abnere Regem acclamatum in vrbe Mahanaim, per illam poſtmodum celebri pompa ritè circunductum; vt in nouis Regum inauguratione ſolet.

Dubium autem nonnullum eſt ſuper quas potiſſimum tribus à principio regnauerit; oriturque dubitatio quod hic Scriptura dicat *ſuper Geſſuri Regem conſtitutum.* Quomodo enim ſuper *Geſſuri*, ſi gens hæc ethnica erat, & Tholmai
e 2. Reg. 3. 3. ſuo proprio Regi ſubiecta, cuius ſibi filiam [e] Dauid connubio copulauit? Sed dicendum poſitum hic *Geſſuri* pro Aſſuri, ſiue Azer, vt Græca habent, & Chaldæus paraphraſtes, obſeruatque ea illis Hieronymus, ſiue quis auctor, in traditionibus ad hunc locum, quem recentiores ſequuntur.

Operoſior eſt quæſtio de diuturnitate regni Iſboſethi. Scriptura hic videtur innuere duobus annis regnaſſe. *Quadraginta*, inquit, *annorum erat Iſboſeth, & duobus annis regnauit.* At hoc ſi verum eſt; quomodo tandiu tribus vndecim ſine rege vllo fuere? Dauid enim ſeptimo demum poſt anno ſuper totum Iſrael regnauit: ſi ergo duobus tantum annis regnauit Iſboſeth, interregnum quinquennale fuit in vndecim tribubus. Ad hoc, Scriptura dicit inter domum Dauidis & Iſboſeth diuturnam concertationem fuiſſe; quod quomodo verum ſit, ſi duos tantum annos iſte regnauit? Neque enim ſtatim poſt regnum initum bellum hoc, ſed longè poſt cœpit, vt apertè Scriptura ſignificat. Denique mox ab
f 2. Reg. 5. Iſboſeth extincto Dauid illi ſucceſſit. [f] totidem ergo annis ipſe in Iſrael regnauit, quot ſuper Iudam ſolum regnauit Dauid, qui ſeptem fuerunt; & ita omnino dicendum eſt; & quinquennium prorſus excludendum, quo regnante Dauid in Hebron, Hebræorum chronica volunt Iſraelis regnum vacaſſe; vt plures ante nos obſeruarunt. Nec obſtat quod Scriptura dicat duobus annis regnaſſe. Nec enim per id vniuerſi regni tempus definit; ſed tantum pacatè poſſeſſi; quibus tranſactis bellum inter illum & Dauidem eſſe ſuſcitatum, vt Doctores adducti pluribus tradiderunt.

℣. 12.) Egreſſúſque eſt Abner filius Ner, & pueri Iſboſeth filij Saul de caſtris in Gabaon.

℣. 13.) Porrò Ioab filius Saruiæ, & pueri Dauid egreſſi ſunt, & occurrerunt eis iuxta piſcinam Gabaon. Et cùm in vnum conueniſſent, è regione ſederunt: hi ex vna parte piſcinæ, & illi ex altera.

℣. 14.) Dixitque Abner ad Ioab; ſurgant pueri, & ludant coram nobis. Et reſpondit Ioab; ſurgant.

℣. 15.) Surrexerunt ergo, & transierunt numero duodecim de Benjamin ex parte Iſboſeth filij Saul, & duodecim de pueris Dauid.

℣. 16.) Apprehenſoque vnuſquiſque capite comparis ſui, defixit gladium in latus contrarij, & ceciderunt ſimul: vocatumque eſt nomen loci illius Ager robuſtorum, in Gabaon.

℣. 17.) Et ortum eſt bellum durum ſatis in die illa: fugatuſque eſt Abner, & viri Iſrael à pueris Dauid.

℣. 18.) Erant autem ibi tres filij Saruiæ, Ioab, & Abiſai, & Aſael: porrò Aſael curſor velociſſimus fuit, quaſi vnus de capreis, quæ morantur in ſiluis.

℣. 19.) Perſequebatur autem Aſael Abner, & non declinauit ad dexteram, neque ad ſiniſtram, omittens perſequi Abner.

℣. 20.) Reſpexit itaque Abner poſt tergum ſuum, & ait; Tu ne es Aſael? Qui reſpondit; Ego ſum.

℣. 21.) Dixitque ei Abner; Vade ad dexteram, ſiue ad ſiniſtram, & apprehende vnum de adoleſcentibus, & tolle tibi ſpolia eius. Noluit autem Aſael omittere quin vrgeret eum.

℣. 22.) Rurſumque loquutus eſt Abner ad Aſael; Recede, & noli me ſequi, ne compellar confodere te in terram, & leuare non potero faciem meam ad Ioab fratrem tuum.

℣. 23.) Qui audire contempſit, & noluit declinare: percuſſit ergo eum Abner auerſa haſta in inguine, & transfodit, & mortuus eſt in eodem loco: omneſque qui tranſibant per locum illum, in quo ceciderat Aſael, & mortuus erat, ſubſiſtebant.

℣. 24.) Perſequentibus autem Ioab, & Abiſai fugientem Abner, ſol occubuit & venerunt vſque ad collem aquæductus, qui eſt ex aduerſo vallis itineris

neris

neris deſerti in Gabaon.

ỳ. 25.) Congregatique ſunt filij Beniamin ad Abner: & conglobati in vnum cuneum ſteterunt in ſummitate tumuli vnius.

ỳ. 26.) Et exclamauit Abner ad Ioab, & ait: Num vſque ad internecionem tuus mucro deſæuiet? An ignoras quod periculoſa ſit deſperatio? Vſquequo non dicis populo vt omittat perſequi fratres ſuos?

ỳ. 27.) Et ait Ioab: Viuit Dominus: ſi loquutus fuiſſes, mane receſſiſſet populus perſequens fratrem ſuum.

ỳ. 28.) Inſonuit ergo Ioab buccina, & ſtetit omnis exercitus, nec perſequuti ſunt vltra Iſrael, neque inіere certamen.

De bello hoc eorum primo quæ regnandi cauſa Dauidem inter, & Iſboſethum geſta ſunt, videndum nobis eſt, quando, & quomodo cœperit; an iuſtum fuerit; à quibus & per quos adminiſtratum, & quo ſucceſſu.

Quando cœptum; Scriptura diſtinctè non ſignat; indicat tamen non obſcurè biennio poſtquam vterque Dauid nempe, & Iſboſeth regnare cœpiſſent. In quam ſententiam verba illa, quæ proximè præceſſerunt, plures exponunt.
a verſ. 10. *Quadraginta annorum* [a] *erat Iſboſeth cum regnare cœpiſſet & duobus annis regnauit*, pacatè nimirum, & ſine turbis. Nam vniuerſum tempus regni illius ſeptem annis ſupra dimidium circunſcribitur. Probabile autem id fit; quia cùm Rex vterque regnum iniiſſet, inuicem ſuſpectus alteri, & ſuſpectans; ante omnia curauit in regno priùs firmari; & ea quæ inuaſerat pacatè poſſidere, quam non poſſeſſa inuadere, & alios inquietare nondum ipſe ſecurus. Hoc ergo biennio tranſacto, quomodo, & qua occaſione pax vtrinque ſoluta, & bellum cœptum? Duplex eius occaſio notatur; altera longinqua; altera proxima. *Longinqua*? militaris Ducum vtriuſque Regis excurſus in regni fines. *Proxima*, occurſus eorundem Ducum, & ex eo duodecim vtrinque militum ſingulare certamen. Erat ſummus apud Iſboſethum copiarum præfectus Abner. Hic cuius maximè ſuffragatione regnum ſuper vndecim tribus ille erat adeptus, omnibus inuigilabat, quæ ſui muneris erant, vt ne ſceptrum ſuo beneficio in Saulis poſteritate ſeruatum, aliqua incuria dilaberetur. Et quia non minus erat a Dauide, & tota Iudaica tribu periculum; quam ab alienigenis, & perpetuis hoſtibus Hebræorum, fines armatus obambulabat Iſraeliticæ ditionis; qua maximè tribum Iuda ſpectabat. Hoc comperto Ioab, qui rem militarem apud Dauidem ſummo cum imperio curabat, & ipſe viciſſim cum armato milite ſuos fines adequitauit; ſi quid Abner hoſtiliter tentaret diſturbaturus. Inde factum; vt ſibi mutuo copiæ occurrerent; & cum alio vertere fugæ confeſſio videretur, vterque in mutuo conſpectu conſederе, caſtris idoneo loco munitis. Non ergo in hunc finem vt pugnarent, Abner, & Ioab egreſſi; ſed ad fines tutandos, aut cuſtodiendos: neque ex condicto in eundem locum venerunt; vt ferro decernerent; ſed vt alterius inceptis alter occurreret. Hinc factum vt è regione conſiſterent, & mutuo ex conſpectu ſurgerent iræ, quæ primo in ſingulare certamen eruperunt, & inde copias vniuerſas armarunt. Hæc omnia ſic contigiſſe, nec ex deſtinato bellum hoc ſuſceptum aut prælium commiſſum, ſuadent multa quæ fuſius alij [b] proſequuntur.
b *Abul. q. 12. hic & 1 Reg. c. 3. in expoſ. textus Salian. ann. 2981. n. 2.*

Primò enim Abner ex vrbe regia egreſſus, in ditione Dauidis hoſtile nihil attentat: ſed agmine compoſito pacatus incedit; regni limites luſtraturus: hinc Ioabo occurrens, inimicum nihil aggreditur, ſed in colloquium pacatè deſcendit: Et licèt ſingulare certamen proponat; ludum tamen id appellat; quaſi conflictus ille non cruenta pugna, ſed experimentum virium futurus eſſet. Denique cum fugientem Abner Aſael inſequendo premeret, in quot ille ſe vias vertit, vt ne cogeretur in hunc ferrum ſtringere? *Noli*, inquit, *me ſequi, recede, vade ad dexteram, ſiue ad ſiniſtram.* Cur id? Ne te interim confodere compellar. Itane verò? Timet hoſtis hoſtem confodere? Timet occidere contra quem ex deſtinato decernit?

Ex his ergo, & aliis coniecturis quæ ſimul iunctæ certiſſimæ mihi perſuaſionis argumentum faciunt, omnino non dubito bellum hoc non ex conſilio, & animi certa deſtinatione; ſed aliò dum pergitur, ex oblata occaſione ſuſceptum; quæ præbuit illi cauſam, ſed adhuc longinquam. *Proximam* enim ſingulare certamen admouit ab Abnere propoſitum, in experimentum potius virtutis, quàm in cruentum præludium funeſtæ pugnæ. Nam cum in conſpectum copiæ cum deueniſſent, vtrinque ſubſtitêre Duces: Nam ſi alter alterum declinaſſet, fugæ ſuſpicionem dediſſet. Ne igitur animum degenerem metus argueret, in mutuo conſpectu ſubſtiterunt. Ab Abnere primo colloquium profectum eſt; &, vt moris eſt inter militares viros, luſum propoſuit ſed armorum. *Surgant*, inquit, *pueri & ludant*; ſed vt milites, & armati ſolent. Vtrinque ergo duodeni concurrerunt; & progreſſu certaminis, incaleſcentibus animis, cum ferueren iræ ſimul omnes alter ab altero mutuis vulneribus conciderunt. Inde furor in vniuerſas copias diffuſus; cum quiſque ſuos doleret extinctos, collatis ſignis acies conflixere. Quod ergo dicebam, proximam cauſam conflictui, præbuit ſingulare duodenorum militum certamen.

Sed videamus iam quam iuſtè bellum ipſum, & decertatio ſuſcepta. Putat Abulenſis [c], quem recentiores [d] ſequuntur, vtrinque tam ab Abnere, quam à Ioabo peccatum; licet ab illo grauiùs. Vtrinque peccatum probat; quia nulla legitima cauſa cogebat duodenos hinc inde milites in arenam deſcendere; quaſi gladiatores, ſine miſſione, ſingulari certamine pugnaturos. Nam quæ poteſt hic afferri, quæ non potius factum aggrauet, quam crimen excuſet? At grauius ab Abnere peccatum; prouocatio ab illo facta conuincit. In omni enim iniuſto certamine ſemper grauius ab illo delinquitur, qui cauſam præbet. Sed, vt verum fatear, operoſa quæſtio nimis abruptè hîc ab Abulenſe deciditur. Sunt enim multa in ea diſtinguenda; quæ ſub vno omnia reſponſo malè ab illo miſcentur. Quæro enim num bellum quod vtrinque Ioabum inter, & Abner gerebatur, iuſtum eſſet. Si iuſtum; quomodo
c *Quæſt. 14. in cap. 2.*
d *Salian. an. 2982. n. 111.*

non in eo poterant ex condicto ſuorum Ducum certæ militum manus à reliquis abiunctæ concurrere? Poterat totus exercitus, poterant vniuerſæ copiæ ex condicto, & ſtata die confligere: cur non certi milites? Si iniuſtum; ex tota parte? Dauidis, an Iſboſeth an vtriuſque? Si Dauidis. Ergo Rex à Deo conſtitutus, & à ſenioribus & toto populo Iudaicæ tribus admiſſus, in iuſta regni poſſeſſione non erat, in qua ritè adeo receptus, & legitimè collocatus. Si Iſboſethi tantum; ergo falſum vtrinque bellum iniuſtum fuiſſe; ac proinde, falſum quoque vtrinque in hac decertatione peccatum; ſed ad ſummum ab eo tantum, qui primus auctor fuit, vt pugnaretur. Apparet ergo multa mouenda eſſe, & ſtabilienda; vt certum reſponſum de belli totius, & pugnæ huius iuſtitia ſignetur. Quæ commodius vt expediantur, in Diſputationes omittentur.

Superest hîc agendum de Ducibus & militibus per quos bellum geſtum & adminiſtratum. Summi duces vtriuſque partis iam conſtant, Abner, & Ioabus. Inferiores alij; nulli in Abneris exercitu notantur. In Ioabi; duo ipſius fratres Aſaël, & Abiſai, duces ambo fortiſſimi referuntur; quorum laudes hic, & alibi ſæpius memorantur. De militibus longior eſt inquiſitio; qui, & quot vtrinque copias conflarent. Sed ſi de genere & qualitate quæratur; in Abneris exercitu præcipui ex tribu Benjaminica fuerunt. Illi enim acrius, quàm reliquæ tribus in Dauidem pro Saulis poſteritate pugnabant; vt regnum in tribu Benjaminica retinerent; ad quam Saul, & eius tota cognatio ſpectabat. Dixi *præcipuos* fuiſſe Benjaminicos: quia alij quoque ex vndecim tribubus aderant; longè tamen militari gloria Benjamineis inferiores. At in exercitu Ioabi non ſolùm ex Iudaica tribu, ſed & ex aliis vndecim plures, iique fortiſſimi militabant. Licet enim dicatur hic ſola tribus Iuda Dauidi adhæſiſſe, non tamen eſt id intelligendum quaſi nullus ex reliquis tribubus illi adhæſerit; ſed tantum quod publico, & communi ſuffragio ſola in tribu Iuda receptus ſit; cum reliquæ vndecim integræ ſpectatæ, communi voto Iſboſethum ſibi Regem dixiſſent. Itaque vt plures Iudæi Iſboſethum ſequebantur; ſic plurimi quoque Dauidi ex aliis tribubus hærebant. In iis erant illi viri fortiſſimi, quorum elogia in libro [a] Paralipomenon re-
a lib. 1. c. 12. v. 14. 20. 21. cenſentur. Iam de numero copiarum; ſollicitam inquiſitionem facit quod in libris Paralipomenon habetur. Ibi enim dum agitur de bellico Dauidis apparatu, & militaribus copiis, quas hoc
b lib. 1. c. 12. 22. fermè tempore coëgerat; [b] *Per ſingulos*, inquit, *dies veniebant ad Dauid, ad auxiliandum ei, vſque dum fieret grandis numerus, quaſi exercitus Dei.* Quæ verba, duo indicant. Vnum, quod iam poſuimus; alterum, quod nunc inquirimus. Quod iam poſuimus; de qualitate, & genere militum Dauidis, eos nempe non ex ſola Iudaica tribu; ſed ex aliis quoque fuiſſe, quod illa ſignificant. *Per ſingulos dies veniebant ad Dauid, ad auxiliandum ei*; ex omni ſcilicet Iſrael ad eum milites confluebant. Alterum, quod inquirimus, eſt de numero militum. Et hic dicitur fuiſſe maximus. *Vſque dum*, inquit, *fieret numerus grandis*; & quaſi hoc non ſufficeret ad multitudinem exprimendam, ſubditur; *Quaſi exercitus Dei.* Quo nomine planè ingentes, & numeroſiſſimæ copiæ deſignantur. Et ſi ſubtilius inquirendo, ſummam ipſam cupimus; videntur ad CCLXXXVIII. millis militum perueniſſe. Scribitur enim [c] hoc
fere tempore xlj. turmas militum habuiſſe Dauidem, quæ ſingulæ conſtabant viginti quatuor c lib. 1. Paral. 27.
millibus armatorum cuius numeri ſumma ſi ſubducatur; eam quã dixi cõficient CCLXXXVIII. millium.

Iam verò ſi tantus erat hoc tempore numerus Dauidis militum; quis non miretur illum tandiu quieuiſſe, non Iſraelitas ad officium reducere tentaſſe; communes ſaltem Iudaici populi hoſtes non inuaſiſſe? ſed dicendum aliud, eſſe quantus eſſet exercitus hoc tempore vtriuſque Ducis, Abneris, & Ioabi, quod hîc inquirimus; aliud, quanta multitudo Dauidi diuerſo tempore militauerit; de quo nunc non agimus. Quod enim ex libris Paralipomenon allatum eſt, de duodecim turmis, ſingulis viginti quatuor millium; non eſt ad hæc tantum tempora referendum, vt ſuo loco dicemus. Quod ergo ad hoc tempus attinet, & bellum quod nunc geritur; exiſtimo non vniuerſas vtriuſque Ducis copias; ſed partem duntaxat conueniſſe; quod mox fuſius oſtendetur. Quantus autem præcisè numerus vtrinque conuenerit; certo definiri non poteſt. & qui definiat, exiguum operæ pretium conſequetur.

Potius eſt vt quæramus quandiu bellum durauerit, & quo ſucceſſu. Breuiter autem dicendum toto quinquennio duraſſe, quo regnauit Iſboſethus. Lentè tamen, & vtrinque conniuenter adminiſtratum; ſucceſſu autem Dauidi proſpero; fere ſemper autem infauſto Iſboſetho donec ipſo per latrocinium extincto, rei totius ſumma ad Dauidem peruenit, vt deinceps narrabitur.

Egreſſus eſt Abner.] Ad quid egreſſus? *Ad bellandum contra Iudæos*, inquit Ioſephus [d] *illis* d lib. 7. c. 1.
iratus quod Dauidem regem creaſſent. Sed frigida prorſus hæc ira poſt biennium fuiſſet: & qui ad pugnam profectus eſſet, vt in conſpectum veniſſet hoſtis, aduersùs illum caſtra locaſſet, acies direxiſſet, arma intentaſſet; non in amicum, & pacatum colloquium deſcendiſſet; vt hîc Abner feciſſe narratur. Egreſſus [e] ergo cum lecta armato- e Abul. q. 13. in c. 2. Salian. loco citato.
rum manu, fines regni luſtraturus, & num omnia in tuto eſſent circumſpecturus. At vnde, & cum quibus egreſſus?

E caſtris.] Vrbe regia hoc tempore Iſraelitarum. Quod enim ſæpiùs monui, *caſtra* hic, non appellatiuum, ſed proprium nomen eſt. Hebraicè *Mahanaim*, quod noſter in ſuum ſignificatum reſoluit; retinet autem Ioſephus, & ſeptuaginta.

Et pueri Iſboſeth.] Lecti milites, qui de ſtipatoribus erant regij corporis; Iſboſethi propterea *pueri* ſignanter appellati; vt rectè alij [f] poſt Abu- f Salian. an. 2982.
lenſem.

In Gabaon.] Vrbem Benjamin tribui Iuda conterminam. Iter enim vt iam dixi, cœperat, vt regni fines inſpiceret, & conatibus occurreret Dauidicorum, ſi quid noui motus ab illis inſurgeret.

Ioab, & pueri Dauid egreſſi ſunt.] Motus armorum qui fines regni circumſtrepebat, Ioabum quoque excitauit. Vt eos ergo tueretur; non vt bello quenquam laceſſeret, ipſe quoque cum ſuis egreſſus eſt.

Et occurrerunt iuxta piſcinam Gabaon.] Locum videlicet non magnum, nutriendis tamen piſcibus idoneum. *Fontem* vocant LXX. Ioſeph *fonticulum*.

Dixit Abner ad Ioab.] Hinc apparet, quod ſupra

ſupra monebam, neutrum iſtorum Ducum vt prælio decertaret egreſſum. Quorſum enim mox vt in conſpectum venere, in amica colloquia deſcendere; & ſecum non vniuerſas copias trahere; ſed milites tantum Prætorianos; ſi fuiſſet vtrique deſtinatum acie decernere? Suſcepti ſine dubio inuicem agebant, & motus alterius alter obſeruabat; & vbi quis aliquo ſigna conuerterat, illuc alter aduolabat, obſtiturus, ſi quid hoſtilius moliretur. At animo pugnandi nunc egreſſos; nullæ coniecturæ probant. Cæterùm quod de colloquiis virorum principum, cum minus inuicem amico ſunt animo, politicæ doctrinæ magiſtri moneant, in diſputationibus non omittetur.

Surgant pueri, & ludant coram nobis.] Nimis omnino ſerius fuit iſte ludus; ſed ſic milites ſolent; & armis non aliter luditur, niſi vt tandem omnia cruento fine claudantur, vt hîc veriſſimum ſit illud, quod de omnibus oblectamentis præſentis vitæ pronunciatur. *Extrema gaudij luctus occupat.* Eatut per exempla veteris & recentioris hiſtoriæ; nulla fermè bellici congreſſus imitamenta ad ludicrum ſpectaculum vſurpata reperientur, quæ funeſtum aliquem exitum non habuerint; aut ſi non hoc, quæ fuerint ex omni parte ſine mixtura luctuoſi tumultus.

Quantum verò ſpectat ad præſentem ludum: quo illum animo propoſuerit Abner; incertum eſt. An ad cruentè, & ſine miſſione pugnandum; an ad ludricum experimentum. Et alterutrum ea his ſi voluit; quorſum tandem & in quem finem voluerit. Sunt qui [a] ad ſeriam & cruentam [a Salian. an. 1982. n. 7.] pugnam, qualis propriùs inter gladiatores committitur, ſine miſſione certantes. Et habent huius auctores ſententiæ; qui illis fauet, euentum luſus & pugnæ planè cruentum, & proprium gladiatorum; quem ſi nec Abner, nec Ioab intendiſſent, probabile non eſt, quin dum viderent pugnantium iras incendi, & animos incaleſcere, non diſturbaſſent. At hanc non pugnam, ſed luſum Abner appellauit. *Surgant*, inquit, *pueri & ludant.* Non ergo aliud quam ludricum ſpectaculum fuit. Reſpondent: luſum appellaſſe, non quod non ſeriò res eſſet agenda; ſed quod in eo quicquid erat vniuerſæ pugnæ *præludebatur.* Nec enim nouum, quæ quaſi *præambula* rebus aliis præmittuntur, appellari præludia, & luſus nomine deſignari; licet extra omne ludicrum res agatur? Aliis probabilius eſt, alium hîc Abner quàm ludicrum non ſpectaſſe, quod indicat *ludendi* verbum. Si enim aliter interpretetur; inuitum prorſus alio trahitur, quam quo recta eius ſignificatio perducit. Nec obſtat euentus: nam quod iam monui, nouum non eſt ludicra iſta ſpectacula quæ nudis armis exercentur, ad hæc licet non ſint, exitu tandem luctuoſo concludi; ſeu caſu aliquo; ſeu quod res à principio iocosè inchoata, dum crudeſcunt iræ, ſeriò; nec ſine cruore deciditur, vt in pugna Daretis, & [b lib. 5. Æn.] Entelli Poeta princeps [b] expreſſit. Sed ad quid nunc ludricum ſpectaculum? Multa Abneri; multa Ioab potuerunt eſſe propoſita. Probabiliſſimum eſt ad virtutis experimentum, & ex paucorum congreſſu de vtriuſque partis militibus iudicandum, vtri aliis in ſeria pugna præſtarent. Cùm enim mutuum in conſpectum Dux vterque cum ſua quiſque militum manu veniſſet; nec alter alterum declinaret, ne ſuſpicionem faceret degeneris animi; perſiſtebant vtrinque in ſtatione ſua. Diuque cum iam ſederent, hoc ab Abnere propoſitum eſt, ne viri militares ſe mutuo tandiu otioſi ſpectarent. Et in hoc ſenſu poteſt hic ludus proluſio, & præludium vocari: non quod eſſent *præambulum* vniuerſæ pugnæ ſi enim nec Abner illam, nec Ioab intendebat; quomodo poterant ad illam vlla præludia præmittere? Sed quod omnis armorum ludicrus decurſus & concurſus, proluſio nuncupatur: quia per illum ad ſeriam pugnam milites exercentur; omnis autem exercitatio proluſio quoque dicatur. Aſt alij qui contendunt veram hîc pugnam, & non ludicrum certamen intentum; alia via id oſtendunt: Dicunt *ludere* nonnunquam Hebræis idem eſſe quod dimicare, ferroque decernere. Quam in ſignificationem nunc vſurpari; ſicut & alibi cum de Dauide dicitur [c]. *Cum leonibus luſit,* [c Eccli 47. 3.] *quaſi cum agnis.* Hic enim *luſit* aliud non eſt quam *prugnans.* Inde factum vt *illudere*, non ſit aliquando ioco accipere; ſed ſerio vexare, cruciare, & exquiſitis ſuppliciis afficere; & tandem necare. De ſecundo Machabæo, qui ad extremum ſupplicium per diros ciuciatus ducebatur; *Mortuo*, inquit ſcriptura [d], *illo primo hoc* [d lib. 2 Machab. c. 7. 7.] *modo, ſequentem deducebant ad illudendum.* Quæ iſta luſio, & illuſio? Pergit; *Et cute capitis cum capillis abſtracta interrogabant.* Dira profectò luſio, quæ capitis cum decoriatione fiebat; niſi luſio ſignificare hîc intelligatur, quod ſeriò maximè & cruentè peragitur. Similiter in eodem capite [e] *poſt hunc tertius illuditur & linguam po-* [e Verſ. 10.] *ſtulatus.* & iterum *quartum vexabant ſimiliter torquentes.* Et de alio rurſus; *Et cum amouiſſent quintum, vexabant eum.* In his enim locis omnibus eadem vox eſt in originali, ſiue cum verbo illudendi, ſiue cum vexandi vtitur noſter interpres. Ex quo volunt manifeſtè fieri, *illudendi* verbum eſſe aliquando non ioco quid, & ludendo facere; ſed ſerio, & prorſus cruentè. Et hoc quia ludere nonnunquam ſignificat decertare pugnando. Quod Apoſtolus [f] indicauit dicens de [f Ad Gal. 4. 29.] Iſmaele quod Iſaacum perſequebatur; quem tamen in Geneſi [g] Scriptura dicit, cum Iſaaco lu- [g Cap. 21. 9.] ſiſſe. Cum ergo ludere ſit aliquando pugnare, & rem ferro decernere; non mirum ſi Abner dixerit de hoc ſingulari cruentóque certamine, *ſurgant, & ludant pueri.* Sed hæc omnia nihil id oppugnant, quod iam ſtatuimus. Non enim negamus iſtos pugnaſſe; ſed in eum finem, vt ſine miſſione decernerent. Duplex enim pugna eſt: alia cruenta & ſeria, alia ludicra. Quod ſi non eſſet, qui præliorum ſimulacra ludunt, pugnare non dicerentur, quod falſum eſſe norunt; qui primas literas delibarunt. Voluit ergo Abner milites iſtos pugnare, dum voluit *ludere*; ſed non ſic, vt more gladiatorum, ſine miſſione certarent.

Tranſierunt numero duodecim de Beniamin.] His enim plus erat animi ad hanc pugnam ineundam, quod illorum magis intererat Dauidem deprimi, & eius gloriam militumque illius obſcurari, quo regnum in tribu Beniamin ſeruaretur.

Apprehenſoque vnuſquiſque capite comparis ſui.] Quomodo vnuſque? An ita vt alter alterius caput apprehenderet, & mutuis inde vulneribus conficerentur? Id ſane verſiones omnes, & ipſa veritas Hebraica videntur innuere; vt ob id recentiores [h] affirment eſſe hanc communem [h Salian. an. 2982. n. 8. Ser. hic.] Patrum, interpretumque ſententiam. Quorum tamen auctoritate non ita alij terrentur, vt aliud non

non audeant exiſtimare. Dicunt ergo illud, *vnuſquiſque* de militibus tantùm Dauidis intelligendum, qui ſuos aduerſarios ita confecerint, vt illis extinctis, omnes incolumes ſuperfuerint. Ita nonnulli recentiores [a], ante quos idem ſenſiſſe Ioſephum, antiquiores quidam interpretes aſſirmarunt. Verùm quod ad Ioſephum attinet, ipſum, & non verſionem Ruffini, conſulenti, manifeſtè conſtat illum alia ſentire. Quod ad rem ipſam; non video cur ab eo quod tam clarè verſiones omnes inſinuant, & interpretum communis conſenſus affirmat, tam facilè diſcedere debeamus. Mutuis ergo vulneribus omnes tam Abneris, quam Ioabi milites extincti ſunt. Nec id mirum eſt, aut inſolitum. nihil enim facilius vbi res cominus agitur, & ad amplexus ab armato milite deuenitur. Eſt ergo hoc loco notandus hebraiſmus, italiſmo noſtro ſimilimus. *Apprehenſoque*, inquit, *vnuſquiſque capite comparis ſui, defixit gladium in latus contrarij*. Quod eſt italicè; *Eſſendo venuti alle preſe, l'vno cacciò la ſpada nel fianco dell' altro, e tutt' inſieme caſcarono morti*.

a Sanct. hic.

Ager robuſtorum] Propterea quòd omnes ex vtraque parte milites fortiter fecerant, occidendo vnuſquiſque comparem ſuum, & viciſſim ferrum non expàuendo, *robuſtorum* nomen, ab eorum omnium *robore* campus accepit: incongruè alioquin, ſi tantùm Dauidis milites aliis ſuperfuiſſent. Cur enim non potiùs ab aliorum ignauia qui ceſſiſſent, quàm ab horum virtute qui preualuiſſent, appellaretur?

Et ortum eſt bellum durum ſatis.] Ex occaſione mutuæ cædis illorum qui concurrerant; cum in vtroque exercitu eſſent eorum amici, & cognati; & quæque pars ſuos extolleret, & victoriam ſibi vindicaret, *ortum bellum eſt*, & ad manus ventum. Bellum enim pro prælio & conflictu hîc appellatur; cum alioquin bellum ſit, non conflictus ipſe, & pugna; ſed pernicioſa diſſenſio, quæ prælio pugnaque deciditur.

Perſequebatur autem Aſael Abner.] Erat Aſael vnus ex Dauidis Ducibus. Animaduerſo ergo Abnerem ſummum alterius partis imperatorem ſibi fuga conſulere, ratus ex illius comprehenſione finem prorſus vniuerſo bello imponendum, & maximum Dauidis rebus incrementum acceſſurum, id aggreſſus eſt pedum pernicitate confiſus. At cur ipſum potiùs non tentauit opprimere, & morti dare; quod erat facillimum? Quia vt ſæpius monui, Duces iſti lethalibus inter ſe odiis non diſſidebant; & prælium hoc ex occaſione fuit, non ex deſtinatione ſuſceptum. Ideo & ipſe Abner cum facile poſſet Aſaelem occidere, & ab ea ſe moleſtia liberare, noluit tamen, etiam ſi ab illo inſtantiùs vrgeretur: ſed vt ſe omitteret, amicè rogauit, dicens;

Vade ad dexteram, ſiue ad ſiniſtram: apprehende vnum de adoleſcentibus.] Quaſi dicat; viribus maiora tentas. aliò te verte, & laudem tibi ex aliis militibus quære, non ex ſupremo imperatore.

Ne compellar te confodere in terra, & leuare non potero faciem meam ad fratrem tuum.] Profectò ſi bellum internecinum fuiſſet, & ad hoc ipſum conuentum eſſet vt pugnaretur, & alterutrius partis funeſta cæde bellum finiretur; non hæc ab Abnere dicerentur. Nec vereretur offenſionem Ioabi; ſi quod in pugna & bello fieri ſolet & debet, fratrem eius occidiſſet, hoſtilia in illum faciens, qui ſe hoſtiliter inſectaretur. Omnia ergo hæc dicuntur ab Abner: quia nec ipſe, nec Ioab ex conſilio pugnam inierant; ſed quod furentes in arma milites, ex caſu ſuorum reprimere non potuiſſent. Obſeruandi porro hic ſunt plures hebraiſmi. *Declinare ad dexteram, ſiue ad ſiniſtram*; quod eſt aliò deflectere; viam aliam capeſſere, & iter aliud inſtituere. *Leuare faciem*: quod eſt ex alicuius conſpectu non confundi, nec illius faciem vereri, vt à ſe offenſi. *Confodere in terra*; quod eſt lethaliter vulnerare, & ictu ad terram proſternere. De quibus & ſimilibus aliud non adiungo, quod alibi ſint fuſius explicati.

Auerſa haſta.] Vel quod Abner ipſe auerſus haſtam impegerit: quo pacto Parthi etiam dicuntur *auerſas torquere ſagittas*, quas ipſi auerſi torquent. Et Virgilius alicubi dixit *ſceleratam haſtam*, quam ſceleſtus intentauit: vel quod *auerſa haſta*, poſteriore nimirum parte lanceæ, quæ in terra figitur; & ipſa ferrata Aſaelem tranſfixerit.

Transfodit.] Hoc verbo D. Hieronymus explicauit, quod in Hebræo, & LXX. diſtinctiùs habetur. *Et pertranſiit lancea ex poſterioribus eius*. Ita enim percuſſus ſignificatur vt à tergo lancea egrederetur. Abner ergo & ipſe auerſus, vt pote fugiens, & auerſa haſta, & auerſo ictu perſequenti Aſaeli vulnus inflixit; & ex vtriuſque impetu, ferientis nimirum, & irruentis in ima viſcera ferrum penetrauit. Sed vbi primum impreſſum? *In inguine*, quod Hebraicè eſt *in quinta*, nempe coſta, ad quam iecoris, & fellis eſt ſedes. LXX. habent *in regione lumborum*. Ex his autem perſpicuè refelluntur [b], qui volunt Aſaelem, non haſtæ ferro, ſed haſtili percuſſum. Quomodo enim potuiſſet illo tam profundo transfigi.

b De quibus Lyran. Abulenſ. Salian. an. 2982. n. 15.

Omnes qui tranſibant per locum illum ſubſiſtebant.] Fugientes Iſraelitas, non vna via Dauidici ſequebantur. Ij ergo tantum qui via illa fugam arripuerant, vbi mortuus iacebat Aſael, ſubſtiterunt. Reliqui porrò pergebant, alij fugiendo, alij vagos & diſperſos vrgendo, quid Aſaeli contigiſſet ignari. Inter hos erant Ioab & Abiſai qui de fratris nece reſcierunt, poſtquam receptui cecinissent. Hoc apertè ſatis ipſe textus inſinuat; vt inde intelligamus cur tam facilem Ioab Abneris ſe poſtulatis præbuerit, & ab illo perſequendo deſtiterit.

Num vſque ad internecionem tuus mucro deſæuiet?] Verba ſunt iſta non hoſtis peruicacis ad hoſtem; ſed amici ad amicum, cum ſubita inter eos contentione coorta, cædit alter alteri, & monet amicæ coniunctionis, vt vltra ſæuire deſiſtat. Certè quando alia argumenta deeſſent, hæc Abneris oratio conuincit, non huc à principio ab vtroque Duce conuentum, vt armis ad internecionem confligerent; ſed ob alias cauſas, quas ſupra commemoraui, & alij interpretes fuſiùs exponunt.

An ignoras quod periculoſa ſit deſperatio?] Aurea ſententia; Nulli ducum non ob oculos ſemper habenda, cum fælices illis in bello ſucceſſus eueniunt. Nihil enim illis eſt æquè cauendum, quam nedum victoriæ nimis indulgent, ad deſperationem victos impellant. Ea enim cum ſubit, illico victores proteruntur à victis. Vnde id? Rectè Curtius [c]; *Quia ignauiam quoque neceſſitas acuit; & ſæpe deſperatio ſpei cauſa eſt*. Et vt egregiè nobilis Poëta [d] cecinit.

c lib. 5.
d Stat. lib. 10. Theba.

Eſt vbi dat vires nimius timor:

Qua

Qua dè re quia longa nobis eſt habenda diſputatio, nunc plura non addo.

Se locutus fuiſſet.] Clariſſima verba, quorum ſenſus apertus: nimirum *ſi prius hæc loquutus eſſet*, à cæde iam pridem milites reuocaſſem. Sed aliqui turbant nouitatis ſtudio. Volunt enim ex Hebræo legendum. *Viuit Dominus, niſi loquutus fuiſſes, vt pueri luderent, hoc prælium ſequutum non eſſet.* In LXX. & Chaldæo nonnihil eſt quod hanc interpretationem iuuat; ſed illud editio vulgata non recipit; in qua clarè, vt dicebam ſignificatur à cæde populum prius ceſſaturum fuiſſe; ſi prius Abner id poſtulaſſet.

Mane.] Quomodo mane? An prima luce prælium cœptum, & hic conflictus admiſſus? Et ſi id quomodo *mane* receptui canere potuit Ioab, cum prælium adhuc non eſſet inchoatum? Sed dicendum, *mane*, hîc ex phraſi hebraica poſitum eſſe pro *prius*; ſicut & *veſpera* ponitur pro *poſterius*; & *cras* pro *futuro* tempore quocunque; & *heri* pro *præterito*, vt alicubi notat Auguſtinus.

Neque perſecuti ſunt vltra Iſrael.] Quem? Iſrael, & quomodo non vltra cum eo *inire certamen?* Caietanus à recentioribus non improbatus, intelligit de vniuerſo Iſraele, non tantum qui nunc ante Ioabi faciem *fugiebant*; & ſignificari ſic ab armis ceſſatum, vt deinde Dauidis, & Iſboſethi milites amplius non decertauerint. Omnino falsò: clarè enim ſequenti [a] capite dicitur longa fuiſſe concertatio Dauidem inter & Iſboſethum. Quod ergo nunc ſignificatur, eſt ceſſaſſe Ioabum perſequi Iſraelitas, qui tunc in Abneris exercitu militabant; & ad ſonitum buccinæ receptui canentis, auſum nullum amplius ex Dauidicis inire certamen, aut fugientibus hoſtiliter inſiſtere. Hebraicè ad verbum eſt; *Neque addiderant amplius ad pugnandum.* Quod ſummam cuſtodiam diſciplinæ militaris inſinuat in exercitu Dauidis ſeruatam.

a Verſ. 1.

℣. 29.) Abner autem & viri eius abierunt per campeſtria, tota nocte illa: & tranſierunt Iordanem, & luſtrata omni Beth-horon, venerunt ad caſtra.

℣. 30.) Porrò Ioab reuerſus omiſſo Abner congregauit omnem populum: & defuerunt de pueris Dauid decem & nouem viri, excepto Aſaele.

℣. 31.) Serui autem Dauid percuſſerunt de Beniamin, & de viris qui erant cum Abner, trecentos ſexaginta, qui & mortui ſunt.

℣. 32.) Tuleruntque Aſael, & ſepelierunt eum in ſepulchro patris ſui in Bethlehem: & ambulauerunt tota nocte Ioab, & viri qui erant cum eo, & in ipſo crepuſculo peruenerunt in Hebron.

Luſtrata omni Bethoron.] Gemina fuit Bethoron [b], & vtraque cis Iordanem; altera quæ ſuperior, dicta in tribu Ephraim; altera, quæ inferior, in Beniamin, vel tribu Manaſſe, vt in libro Ioſue [c] ſignificatur. Quomodo ergo tranſito Iordane, luſtrauerunt Bethoron? Sed hoc Scriptura non aſſerit; ſed tantum luſtraſſe Bethoron, & tranſiſſe Iordanem. Quid autem horum prius, aut poſterius fuerit; ſignatè non tradit, vt bene Abulenſis. Ad quod clariùs intelligendum, conſulenda quæ dicimus alibi de conſuetudine ſacræ Scripturæ in rerum ſerie texenda dum factum aliquod vniuersè proponit & inde per partes enarrat.

b *Adricom. n. 29 & 45. in Manaſ.*

c Cap. 16.

Venerunt ad caſtra.] Nomen vrbis proprium, quod ſæpè monui, Hebraicè *Mahanaim.*

Defuerunt.] Hebraicè *viſitati ſunt.* viſitare enim illis eſt *quærere*, & *requirere*; & viſitari, *requiri* & *deſiderari*, quod de abſentibus dicitur. Vnde ſicut Latinis deſideratos tot eſſe milites in aliquo prælio, ſignificat eos occubuiſſe; ſic Hebræis idem eſt *viſitatos eſſe.* Quem hebraiſmum noſter reſoluens, *pro viſitati ſunt*, reddit, *defuerunt.*

Tuleruntque Aſael, & ſepelierunt eum in Bethlehem, & ambulauerunt] Iſterologia manifeſta ſæpius in ſacris literis obuia. Non enim ſignificatur Aſael ſepultus in Bethlehem, & poſtea populus *ambulaſſe*; ſed quid factum fuerit de Aſaele nullo ſeruato ordine; vnico contextu proponitur.

In Bethlehem.] Erat in via venientibus Gabaon, Hebronem verſus; vnde facile fuit eadem nocte ipſum in Bethlehem inferre. At eadem nocte ſepulturæ mandatum; eius dignitas exiſtimari non patitur. Erat Ioabi ſupremi copiarum præfecti germanus frater; erat ipſe quintæ turmæ Dauidicorum militum præpoſitus; erat bellica laude clarus, & inclytus; & denique fortiter audendo & faciendo ceciderat. Quæ ergo ratio patitur vt à viris militaribus Dux ita clarus ignobili adeo funere conderetur?

Et ambulauerunt tota nocte.] Diurno labori nocturnum copulantes; & quidem non exiguum, vt poſt alios Salianus [d] obſeruat. Eſt enim illud iter à Gabaon vſque ad Bethlehem horarum quatuor; inde autem Hebronem vſque ſex horarum. Quod ab Adricomio traditum, rectè conuenit cum itinerario Beniamin, in quo habetur Bethlehem ſex leucarum itinere ab Hebrone diſtare.

d *An 2982. num. 17. poſt Adricom.*

LIBRI SECVNDI REGVM

CAPVT III.

ARGVMENTVM.

HAC clade temerè illata, & accepta, poſt id toto fermè regni Isboſethici tempore Dauidicos inter, & alterius partis milites nunquam ſigna collata ſunt, & vniuerſa acie dimicatum. Vigebat ergo diſſidium, & cruentis congreſſibus aſperabatur inter vtriuſque Regis familiam potiùs, quàm populos vtrique parentes: ita tamen vigebat, vt Dauidis domus ſemper ſe ipſa floridior nouis ſubinde liberis augeretur; Saulis verò, gratia & viribus, nulla ſuſcepta prole, decreſceret. Et iam ſexennium lenta hac iis concertatione defluxerat, cum Abner ab Isboſeth incuſatus quod patris memoriam violaſſet, illius olim concubina polluta, conſilia alio conuertit ex amico proditor effectus. Indignatus enim à Rege ſuo tam liberè obiurgari, à quo ſibi omnia deberi putabat, illo deſerto, Dauidem extollendum ſuſcepit. Occultè hinc cum illo conſiliis communicatis, inter eos conuenit vt primùm omnium apud Isboſethum ageret de Michole Dauidi tranſmittenda; quam Saul ab illo abductam, per ſummam iniuriam alteri collocauerat. Deinde verò vt per ſpeciem Micholem deducendi, cum ſelectis ſuorum Abner ad Dauidem in Hebron adiret, ibique deliberarent, qua tandem ratione cœpta perficerent, & reliqua tribus ad Dauidem verum Iſraelitarum Regem reducerentur. Micholem ergo regiam coniugem cum ſuis Abner comitatus, in Hebron nemine quicquam ſuſpicante peruenit; ibique tacito cum Dauide fœdere percuſſo, regiéque ab illo dies plures acceptus, commodùm ab vrbe diſceſſerat, ea quæ cum Dauide conuenerant expediturus; cum Ioab ſuperueniens, & Abneris arcano cum Dauide colloquio comperto, id, quod erat ſuſpicatus eſt. Agi nimirum vt Abneris opera reliquis tribubus Dauidi conciliatis, ſupremus apud Dauidem rei bellicæ principatus Abneri deferretur. Inuidia ergo & liuore, ſimulque metu primi gradus amittendi ſollicitus, interim etiam interempti fratris dolore recrudeſcente, miſit qui Abnerem ſpecie honoris in Hebron reuocarent; quaſi vellet illum Ioab in partem lætitiæ triumphalis admittere, quam cum reliquo exercitu qui re bene geſta aduersùs latrones aduenerat, acturus erat. Abner ergo nihil hîc fraudis ſubeſſe ratus, in Hebron omiſſa cura regreſſus eſt, & primo feſta lætitia à Ioab & comitibus exceptus, inde ſeorſim, quaſi ſecreti aliquid auditurus abductus, per ſummam perfidiam à Ioab addacto per inguina ferro peremptus eſt; vltione fraternæ cædis infami parricidio prætenſa. At Dauid interitu tanti Ducis accepto, veritus ne facinus indigniſſimum ſibi quaſi auctori aut conſcio imputaretur, in lachrymas, vniuerſo ſpectante populo, ſolutus, Abneris memoriæ per omnia pietatis officia parentauit. Ea re conſequutus, vt nulli dubium eſſet tantum ſcelus ſolâ Ioabi perfidia patratum; à quo cum maximè vellet Dauid pœnas exigere; coactus tamen vltionis ſolatium in aliud tempus omittere, quod cum viro forti, & militibus quibus præerat in primis accepto, ſine periculo maioris diſſidij lege agi non poſſet.

℣. 1.) Facta eſt ergo longa concertatio inter domum Dauid, & inter domum Saulis: Dauid proficiſcens, & ſemper ſe ipſo robuſtior, domus autem Saul decreſcens quotidie.

℣. 2.) Natique ſunt filij Dauid in Hebron, fuitque primogenitus eius Amnon de Achinoam Iezraheliride.

℣. 3.) Et poſt eum Cheleab de Abigail vxore Nabal Carmeli: porrò tertius Abſalom filius Maacha filiæ Tholmai regis Geſſur.

℣. 4.) Quartus autem Adonias filius Haggith: & quintus Saphatia, filius Abital.

℣. 5.) Sextus quoque Iethraam de Egla vxore Dauid. hi nati ſunt Dauid in Hebron.

℣. 6.) Cùm ergo eſſet prælium inter domum Saul, & domum Dauid, Abner filius Ner regebat domum Saul.

FACTA *eſt longa concertatio inter domum Dauid, & inter domum Saulis.*] Dubium qualis hæc fuerat concertatio; quomodo inter vtramque domum; & cur potius inter illas, quàm inter vtrumque regnum Dauidis & Iſboſethi fuiſſe dicatur. De primo; concertatio hæc accipienda eſt de bello, quod diuturnum, quinquennale nimirum, geſtum eſt inter Iſboſethum, & Dauidem. In quo variè ſubinde ſignis collatis eſt dimicatum; vt indicant verba, quæ paulo poſt referuntur.

a verſ. 6. referuntur. Cùm ergo [a] *eſſet prælium inter domum Saul, & domum Dauid*, cum ſcilicet vtrinque bellum arderet, & vtriuſque partis milites armia ſubinde confligerent. At quid eſt quod tam ſignatè repetitur, bellum non inter tribum Iudam, & reliquas vndecim; ſed inter Dauidis, & Iſboſethi domum fuiſſe? *Domus* hic (quod fortaſſe leuius eſt, quam debeat indicari) pro familia, & tota cognatione appellatur. Sicut enim *terra* non tantum ſolum ipſum eſt, quod calcatur, aut vrbs quæ incolitur; ſed homines in illa degentes; & ſicut *mundus* non hoc tantum viuorum hominumque domicilium eſt, quod ambitu ſuo vniuerſa complectitur; ſed homines in illo contenti: ſic domus non ipſum ſolum ædificium ſignificat; ſed qui in illa recipiuntur. Qui quoniam vt plurimum ſunt ex eadem cognatione; ſaltem ſic à principio fuiſſe non dubium; hinc factum eſt vt apud ſacros & profanos auctores, etiam qui elegantiſſimi ſunt, *domus* propriè pro familia & cognatione dicatur. Quod alicubi

b lib. 15. de ciuit. cap. 19. tom. 5. ſerm. 49 de temp. tom. 10. D. Auguſtinus [b] notauit, afferens ad id illud principis poetæ.

At domus Aſſaraci.

Vbi Virgilius gentem Romanorum domum appellauit Aſſaraci, quod eſſet ab Aſſaraco propagata. Hoc ergo loco Saulis, & Dauidis domus, eſt vtriuſque cognatio, & qui ex illorum erant ſanguine procreati.

Quomodo ergo inter hos tantùm, & cur ſcriptura commemorat eſſe decertatum? An non vtriuſque milites, an non fautores & aſſeclæ, an non denique tota tribus Iuda, quæ Dauidi parebat, cum reliquis vndecim tribubus decertabat? Cur ergo ſolum vtriuſque domus, nempe cognatio & familia nominatur; quaſi ſolæ ipſæ inter ſe decertauerint?

Sed dicendum vigilanti verbo ſacrum ſcriptorem vſum; cum belligeratum dicit, non inter Iudam, & alias tribus; ſed inter domum Dauid & Saulis. Primo enim per id intelligi voluit quamuis inter tribus vniuerſas certaretur, cum hinc Iudaica tribus inde reliquæ ſtarent; id tamen non fuiſſe quod ipſæ inter ſe tribus, ſed quod Saulis & Dauidis domus hoſtili odio diſſiderent. Amico inter ſe animo alij erant, fraternitatis memores, qua vt omnes ab eadem ſtirpe prognati iungebantur: bellabant tamen, pugnabant, inuicem hoſtilia exercebant, non quod vlla inter ſe odia internecina fouerent; ſed quod domus Saulis & Dauidis inuicem ſe regnandi cauſa perſequebantur. Et inde eſt quod Aſael, vt capite ſuperiore monuimus, cum facilè poſſet Abner occidere; noluit tamen; anxius tantum vt in poteſtatem redigeret, & viuo potiretur. Inde quod Abner tanto ſtudio, & tam ſollicitè cauit, etiam cum vitæ ſuæ libertatiſque periculo, ne Aſaeli manus inferret, & tandem non niſi coactus intulerit. Inde denique quod Ioab ad primam cedentis Abneris vocem receptui cecinit, memor coniunctionis, ſanguinis, fraternitatis. Cur enim tam facilem ſe præbuit, niſi quia totum quod hic turbarum & certaminis erat, non inter tribus totas, ſed inter domos iſtas vertebatur? Secundo per hoc intelligimus tam Dauidem, quam Iſboſethum aperte profeſſos, nihil ſe aduerſus alias tribus hoſtilis odij, aut cruentæ diſſenſionis habere. Rectiſſimè ſanè. Cum enim alter alterius regnum ſibi vindicaret, nulla erant odia, nullæ acriores iræ aduerſus alterius partis

Sopran. in Dauid.

homines profitendæ: potius erant humanitate, & omni officiorum genere flectendi; quod egregiè ab vtroque Duce ſeruatum eſt, à Dauide præſertim. Hic enim reliquas tribus, etiam dum Iſboſetho parerent, alliciebat, & beneficiis prouocabat, in Saulis cognatos culpa reiecta, quod ſibi Regi Dei nomine deſignato non adhærerent. Et hinc eſt quod cum de ſæuiori certamine ſermo fit Beniamitæ tantum nominantur, aduerſus quos arma Dauidis acrius exercentur; vtpote Saulis tribules & cognatos; ob id implacabilius in Dauidem pugnantes. Simile quid legimus in bello ciuili ſeruatum, quod Cæſarem inter, & Pompeium geſtum eſt. Cæſar enim ſemper, & vbique profitebatur [c] aduerſus alios, nihil ſe quod quæreretur habere; tantum Pompeio & Pompeianis, qui ſe modis omnibus perditum vellent, infeſtum eſſe. Ea ratione Pompeianorum plurimos ſibi placauit; facilem ſibi receptum apud illum ſperantes, à quo cernebant etiam dum aliena caſtra ſequerentur, tanta ſe benignitate tractari. Eiuſdem conſilij eundem exitum tanto ante quam Cæſar Dauid item ſortitus eſt. Bellum aduerſus Iſboſethum gerebat: in eo non vniuerſa acie, ſed leuibus ſubinde prælijs certabatur; & in omnibus quantum poterat, reliquis tribubus parci volebat; inimicitias tamen aduerſus Saulis tribum & cognationem, non aduersùs alias profeſſus. Ob hoc ergo ſignanter adeo repetitur, non inter Iſrael & Iuda, ſed inter domum Dauidis & Saulis arma commota.

c Cæſ. libr. 1. de bel. ciuil. Plutarc. in vita Cæſ. & Pomp.

Dauid proficiſcens, & ſemper ſe ipſo robuſtior.] Quomodo hoc. Quia, inquiunt aliqui, quoties inter Dauidicos & Iſboſethicos manus conſerebátur, ille ſemper victor abibat: frigida expoſitio. Licet enim hoc verum ſit, & in omni prælio probabiliſſimum ſit Dauidicos præualuiſſe; id tamen iſta verba non volunt, in quibus ſermo eſt non de profectu Dauidis pugnantis; ſed aucta & ſtabilita domo florentis. Vtriuſque enim hic familia Saulis, & Dauidis comparantur; & vt illa dicitur in dies ad deteriora prolapſa; ſic iſta dicitur incrementa quotidie maiora cepiſſe. Quia vero in regno nulla ſunt maiora præſidia, quam multitudo liberorum, ex quibus familia propagatur, & domus augetur; idcirco dicitur hic Dauid robuſtior effectus, & profeciſſe; quia familia eius nouis ſubinde ſuſceptis liberis augebatur; cum Iſboſethus & reliqui Saulis conſanguinei nullos ſuſciperent. Et hæc ratio eſt cur ſacer hiſtoricus, mox vt propoſuit Dauidem potentiorem effectum, Saulis verò domum quotidie decreuiſſe; quaſi rationem illius incrementi, & huius imminutionis inſinuans, vxores Dauidis ſubiiciat, & filios numeret, quos ex vnaquaque ſuſcepit. Rectiſſimè enim hoc quia, vt dicebam, nulla ſunt firmiora munimenta regni, quam liberi; in nouo regno præſertim; necdum longa ſucceſſione tranſmiſſo; quale hoc erat Dauidis. Ciuilis hiſtoricus [d] Auguſti Cæſaris incrementa narrans, & rationem, quam ille ſequutus eſt in Imperio firmando, quod ſibi recenter pepererat, obſeruat illum non contentum filiis naturalibus alios aſciuiſſe & adoptaſſe. *Adſciri*, inquit, *per adoptionem Germanicum Druſo ortum, à Tiberio iuſſit, quanquam eſſet in domo Tiberij filius iuuenis.* Cur id? *Quo pluribus*, inquit, *munimentis inſiſteret.* Munimenta ergo regiarum domuum liberi ſunt, etiam adoptiui, cum na-

d Tac. lib. 1. an. cap. 3.

tutalium multitndo non ſuppetit. Vt enim idem
a lib. 5. hiſt. Tacitus [a]. *non legiones, non claſſes perinde firma*
imperij munimenta; quam numerus liberorum. Pro-
b lib. 2. pter quam cauſam idem alibi [b] liberos in regno
ſubſidia dominatiouis appellat. Iis enim deſtitu-
tus Princeps, quantumuis legionibus & claſſi-
bus abundet; infirmus eſt; aliorum inſidiis ob-
noxius, qui in illum confidentius inſurgunt, quo
pauciores ſperantur ipſius iniurias vlturi. Recte
quidam, quod plurimum facit ad præſentem
Dauidis & Iſboſethi conditionem; *Facilius*, in-
c Muret. quit [c], *& confidentius aduersùs eum Principem po-*
pulus inſurgit, cuius morte fore ſe liberum putat; &
quem ſi occiderit, nullum paratum videt vltorem.
At ſi videat, eo ſublato, ſucceſſurum quempiam
ex eadem ſtirpe, malo canet, & futuri metu præ-
ſentibus acquieſcit. An non id totum in Iſboſe-
tho, & Dauide videtur expreſſum? Nullus in
Dauidem auſus eſt coniurare; timebatur ab om-
nibus & colebatur; & quotidie ſe ipſo robuſtior
proficiebat: contra, Iſboſethus in dies deſpectior,
etiam conſpirantium inſidiis eſt interceptus. Vn-
de id? Quia Dauidi plures ſubinde liberi naſce-
bantur: ea re firmior, & minus aliorum iniuriis
& conſpirationibus expoſitus, quod eo ſublato
videbant non defuturos vltores & ſucceſſores.
At Iſboſetho quia filij deerant, auſus eſt Abner
exitium moliri; deinde alij etiam inferre. Pro-
pter hanc cauſam in ſacris litteris appellantur fi-
d Gen 49.3. lij *robur, fortitudo, & arma parentum.* Sic Iacob [d]
de Ruben primogenito; *Tu*, inquit, *fortitudo*
e Pſal. 126. *mea.* Et Dauid [e] ipſe; *Sicut ſagitta in manu po-*
tentis, ita filij excuſſorum. Miſeris enim & hoſtili
incurſatione turbatis, arma nulla perinde ſubſi-
dio ſunt, vt numerus filiorum. Vnde ſubdit; *Bea-*
tus vir qui impleuit deſiderium ſuum ex ipſis non
confundetur, cum loquetur inimicis ſuis in porta.
Nihil eſt enim quod alios magis ab iniuria infe-
renda deterreat, quam ſi videant illis liberos
adeſſe quos inſectantur. Sed de hoc aliàs.

Natique ſunt Dauid filij in Hebron.] Hæc ni-
mirum cauſa cur quotidie Dauid fieret ſeipſo
robuſtior. Quia ſubinde illi filij naſcebantur.
Qui iſti, quot, & ex quibus vxoribus? Hæc om-
nia ſigillatim deinceps ediſſeruntur. Quando
vero, non leuis eſt controuerſia de numero filio-
rum Dauidis, & quo quiſque loco natus fuerit; id
autem exactè ſcire plurimum confert ad plura
loca enucleanda; breuiter hæc omnia comple-
ctemur, exponentes ex quibus vxoribus, quot, &
quos filios ſuſceperit.

In vniuerſum ergo Dauidi ſupra nouem vxo-
res fuerunt; concubinæ vero iuſtæ illæ quidem,
ſed inferioris conditionis vxores, longè plures.
Ex vxoribus, octo ſignatè nominantur; reliquæ
tacito nomine tranſmittuntur. Prima fuit Mi-
chol; ſecunda, Achinoa Iezrahelitis; tertia, Abi-
gail Nabalis vidua; quarta, Maacha filia Regis
Geſſur; quinta, Haggith; ſexta, Abital; ſeptima,
Egla peculiariter vxor Dauidis appellata; octaua
denique Bethſabea vxor Vriæ. Ex his autem &
aliis plures omnino filios ſuſcepit. Omnium
primus Amnon fuit ex Achinoa Iezrahelitide.
Secundus, Cheleab ex Abigail, alio nomine Da-
niel appellatus. Tertius, Abſalon, cui ex eadem
matre Maacha ſoror pulcherrima Thamar. Quar-
tus Adonias ex Haggith. Quintus, Suphatar ex
Abital. Sextus Ietraham ex Egla. Septimus, Sam-
mua; Octauus Sobal; Nonus Nathan. Decimus Sa-
lomon ex Bethſabea. Ex aliis verò vxoribus quo-
rum nomina non produntur, decem variis in lo-
cis numerantur, Nempe Ierinoth, Iebaar, Eliſa-
ma, Eliphaleth, Noge, Nepheg, Iaphe, alter Eliſa-
ma, Elinda, Eliphaleth, de quibus poſt Abulen-
ſem recentiores. His ergo filiis, & aliis pluribus
ex concubinis ſuſceptis Dauidis domus, quaſi
firmamentis, ſuffulta, creſcebat in dies, & ſplen-
dore & viribus augebatur, initio ducto ab Amnō
quem primogenitū alij quinque quos ordine re-
cēſuimus, ſequuti ſunt, omnes in Hebrō ſuſcepti.

Filia Regis Geſſur.] Mirum quomodo Dauid
vxori ſit alienigenæ copulatus; quod genus con-
iugij videtur in ſacris literis Hebræo populo
ſæpius interdictum; & auget difficultatem quod
Geſſuritæ Chananæi erant; à quorum coniugiis
volebat Deus maximè ſuos abſtinere. Reſpon-
dent Rabini, de quibus Auctor Traditionum,
Maacham à Dauide in prælio captam, in thori
ſocietatem non admiſſam, niſi cæſarie, vnguibus-
que præciſis iuxta legis præcepta prius expiatā.
Alij [f] hoc prælium contra Geſſuritas, & ex eo f Abul. q. 4. hic Caiet. Salian. an. 2981. n. 4.
captiuitatem regiæ filiæ, commentitiam putant.
Volunt ergo probabilius in lege Moſaica con-
iugium cum ethnicis vniuersè prohibitum non
fuiſſe; niſi cum ſeptem illis nationibus, quas Do-
minus deleri iuſſerat [g] in terra promiſſa. Ex quo- g Deuter. 7.
rum numero, vt ex libro Ioſue [h] colligitur, Geſ- h Cap. 12. 4. cap 13. 12. Lyran. Caiet.
ſuritæ non erant.

Egla vxore Dauid.] Dubium cur hæc præci-
puè Dauidis appelletur vxor, quaſi aliæ non vxo-
res. Reſpondent nonnulli quia Dauidi primò
ducta ſic antonomaſticè appellatam. At cur po-
ſtremo loco poſita; ſi primùm ducta? Quia, in-
quiunt, poſtremo loco peperit. At prima *Michol*
fuit, non *Egla.* Dicunt vnam & eandem fuiſſe
Michol, & Eglam. Sed quid quod Micholi nati
filij non ſunt (vt diſertè de ea traditur [i]) ob lin- i lib. 2. Reg. cap. 6.
guæ procacitatem ſterilitate percuſſæ. Reſpon-
dent [k] Micholi filium natum non eſſe vſque ad k An. Trad.
diem mortis ſuæ; quia ſicut olim Rachel, ſic ipſa
dum pareret extincta eſt. alij [l] volunt Micholi l Mar. hic.
non natos liberos poſt irriſum Dauidem; ante
vero natos, & in primis hunc Ietraham, de quo
nunc ſermo. Probabilius mihi eſt quod alij [m] m Abulen. q. 5. hic. Hiſt. Schol. Pineda lib. 7. de Sal. c. 5. Sa. Serrar. Salian. an. 2981. n. 8.
plerique tradunt diuerſas fuiſſe Michol & Egla.
Sanè quod hic de Egla dicitur, nullo pacto Mi-
choli poteſt aptari; nempe illam in Hebron Ie-
traham peperiſſe. Cum enim ſub ipſum diſceſ-
ſum Dauidis ex Hebron, ad illum reducta fuerit;
quomodo filium concipere, & eniti ibidem po-
tuit? Cur ergo ſignanter Egla, & nulla alia Da-
uidis vxor fuiſſe dicitur? Multa dici poſſunt, quæ
coniectura tantum, & leui ſuſpicione nituntur.
Quia autem in tenui labor is poneretur id cu-
rioſius non inquirimus.

Regebat Domum Saul.] Cum tot ſubinde
præſidiis Dauidis domus firmaretur in Hebron,
quot illi filios ibidem ſuſceptos oſtendimus;
Saulis domus vno duntaxat Abnere ſuſtentaba-
tur. Hoc eſt enim *domum Iſboſethi regebat*, ſuſten-
tabat, fulciebat. Quomodo id? Quia Iſboſeth
filiis deſtitutus, alium non habebat idoneum, qui
ſibi in regno ſuccederet, Abnere propinquiorem.
Erat enim patris ſui patruelis. Malè ergo quidam,
Regebat, interpretantur, *gubernabat*; quaſi Abner
regiæ domus præfectus eſſet. Non enim hoc
erat; ſed militiæ magiſter, & ſummus poſt Iſbo-
ſethum exercitus imperator. Chaldæus vertit
hic, *potentior erat cæteris*, præeminebat, quod
expoſitionem noſtram firmat.

℣.7.

℣. 7.) Fuerat autem Sauli concubina nomine Reſpha, Filia Aia.

℣. 8.) Dixitque Iſboſeth ad Abner: Quare ingreſſus es ad concubinam patris mei? Qui iratus nimis propter verba Iſboſeth, ait, Nunquid caput canis ego ſum aduersùm Iudam hodie, qui fecerim miſericordiam ſuper domum Saul patris tui, & ſuper fratres & proximos eius, & non tradidi te in manus Dauid, & tu requiſiſti in me quod argueres pro muliere hodie?

℣. 9.) Hæc faciat Deus Abner, & hæc addat ei, niſi quomodo iurauit Dominus Dauid, hoc faciam cum eo,

℣. 10.) Vt transferatur regnum de domo Saul, & eleuetur thronus Dauid ſuper Iſrael, & ſuper Iudam à Dan vſque Berſabee.

℣. 11.) Et non potuit reſpondere ei quicquam: quia metuebat illum.

Nunquid caput canis ego ſum?] Hic, ſecundùm aliquos [a], figenda nota interrogationis eſt, & quod ſubditur ad ſequentem ſententiam referendum. Dubium porrò eſt, cur tam grauiter indignatus Abner, & quid per hanc reſponſionem ſibi voluerit. Grauiter indignatus eſt quod grauiſſimi ſceleris ab Iſboſetho nulla præuia diſcuſſione, quaſi iam compertus argueretur. Si enim cum Abner ita Iſboſethus egiſſet, vt id tantùm leuiter ſuſpicari ſe oſtenderet ex coniecturis, ex aliorum delatione, ex diffuſo rumore; non adeo excanduiſſet Abner, nec indignè tuliſſet: purgaſſet ſe, defendiſſet obiecta, iuſtum illius dolorem excuſaſſet. At vbi vidit non quaſi dubium, ſed vt certum & exploratum, ſibi crimen illud inferri; quod etſi verum eſſet, certò tamen ſciri non poterat ab Iſboſetho; tum grauiſſime indignatus eſt: nihil enim magnis & gratioſis Aulicis grauius poteſt accidere, quam ſi regis ſui & principis aures ad ea faciles eſſe videat, quæ contra ſe ab aliis deferuntur. Adde nihil etiam poſſe Reges inconſultiùs admittere, quàm cùm delatum ſibi crimen crediderint, illud ſe credidiſſe ſignificent. Hac enim ratione aliorum in ſe animos concitant, & manus armant; qui certi deinde ſint Regem ſibi in poſterum infenſum, aut minus æquum futurum; quem etiam ſi de innocentia ſua doceant; haud tamen ambigunt in ſimilia pronum, quæ paſſim ab obtrectatoribus ingeruntur.

Sed quid per hæc verba vult Abner? Sunt [b] qui non crimen abnuere; ſed impunitatem (quicquid illud ſit quod admiſerit) ſibi deberi, propter dignitatem, qua pollebat, propter beneficia in Iſboſethum collata, propter res aduerſus hoſtes præclarè geſtas. Itaque ſenſum volunt eſſe; *Nunquid caput canis ego ſum hodie aduerſum Iuda*; nihilne ſum ego in hoc regno tuo contra Iudam? Nunquid inſtar canis, inani tantum latratu rem tuam, & Iſraelis totius, contra Iudam & Dauidem iuuo; vt hoc quicquid eſt, in me diſſimulare nolueris? Ergo ſecundum iſtos Abner culpam non purgat; ſed vltro quaſi faſſus, eius impunitatem, diſſimulationem, & conniuentiam ſibi putat ab Iſboſetho deberi. Aliis [c] ſecus videtur: exiſtimant enim verbis iſtis Abner à ſe crimen non ſolùm, ſed ſuſpicionem criminis amoliri; ſimul etiam Iſboſethum incuſare, quod nimis delatoribus facilis, & ex eorum vocibus nimis etiam præceps in iudicando. Cani duo vitia tribuuntur; *libido, & impudentia*. Sic apud Ariſtophanem quidam *cynocephalos*, id eſt canino capite dicitur ob vtrumque vitium obſcenitatis, & impudentiæ denotandum, vt videre eſt apud Pierium in Hieroglyphicis. Senſus ergo Abneris eſt ſecundum iſtos; Nunquid canis ego ſum, vt iſta de me non ſolum ſuſpiceris, ſed credas? Adeo ne impudens, inuerecundus, & incurioſus honoris tui, Saulis, & totius regiæ domus exiſtimor; vt hoc attentare potuerim, quod vix de cane credatur? Hæc expoſitio nimis mihi ſubtilis videtur, & operoſius conquiſita. Puto ergo, velle quidem Abner crimen, & ſuſpicionem criminis amoliri: ſed id non directa intentione, vt Rhetorici loquuntur, ſed obliquè. Quæritur enim quod tantus ipſe cum ſit, & tam bene de Saule, de Iſboſetho, de tota eius cognatione meritus; audeant hæc alij ad Iſboſethum deferre, eos ille patienter audiat; & quod audierit, vt certum & exploratum ſibi tam fidenter obiiciat nullo reſpectu dignitatis, & meritorum; & ita demum ſecum agit, vt cum quouis gregario, & viliſſimo milite ageretur; *Nunquid*, inquiens, *caput canis ſum hodie aduersùm Iuda?* Canis ergo vocabulum, conſueta in ſacris literis phraſi, non ad obſcenitatem; non ad impudentiam (quæ ſignificatio abſtruſior eſt) ſed ad vilitatem notandam ab Abner hîc vſurpatur; qui dum ſe canem amara interrogatione negat, vilem ſe & gregarium militem eſſe negat; ac proinde non ſic ſecum, vt cum gregario milite, vult agendum. De tali enim quiſque crimina, quæ vult, facilè defert; delata facile etiam admittuntur, & & euulgantur; ipſi vero ob quaſlibet, etiam leues ſuſpiciones obiurgantur non ſolùm, ſed puniuntur; quod facilis ſit in vili capite iactura. Secus cum magnis viris, & potentibus agitur. nec enim facilè reperiuntur qui liberè de illis obloquantur; & quas quiſque de illis ſuſpiciones concepit, tacitus premit; ne inde offenſi, ſæuius inſurgant, & dolorem vlciſcantur. Hoc ergo totum ſignificare voluit Abner, dum abrupta oratione ad increpantem Iſboſethum reſpondit, *Nunquid caput canis ego ſum hodie aduerſus Iuda?* Malè ergo; meo iudicio qui [d] poſt illa verba; *Nunquid caput canis ego ſum*, notam interrogationis adiungunt. Habent enim contra ſe non ſolum contextum ipſum verborum, qui eo pacto ſalebroſus hæret; ſed vulgatam editionem recenter emendatam.

Nunquid caput canis ego ſum.] Duplex hîc eſt figurata loquutio; altera, qua caput pro tota re ponitur; altera qua canis pro re viliſſima nuncupatur: vtraque in ſacris literis frequenter obuia; & paſſim etiam apud externos auctores eleganter vſurpata. Nam ex ea phraſi dicunt Latini; tot *capita* cenſa, tot deſiderata; & de homine feſtiuo *lepidum caput, ridiculum caput.* In quibus & ſimilibus loquutionibus *caput* aliud nō eſt, quàm totus homo, à præcipua ſui parte ſic appellatus. In hanc ſignificationem ſæpiſſimè Salomon in Prouerbiis vocem *capitis* vſurpat; à qua, niſi intelligatur, obſcurè ſatis loqui videtur. *Ne dimit-*

a *Ser. hic lo. & ex LXX.*

b *Salian. an. 2985 n. 4.*

c *Ser. hic, & LXX.*

d *Ser. hic.*

Sopran. in Dauid.

X 2 *ſas,*

a Prou. 1. 9. *tæ*, inquit,[a] *legem matris tuæ, vt addatur gratia* b Cap. 4. 9. *capiti tuo.* Et iterum;[b] *Arripe ſapientiam; & cùm eam fueris amplexatus, dabit capiti tuo augmenta* c Cap. *gratiarum.* Et rurſus, [c] *Benedictio Domini ſuper caput iuſti.* & denique in loco notiſſimo, cujus d Ad Rom. 12. 20. Prou. 25. 22. teſtimonio Apoſtolus vtitur. [d] *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitierit, potum da illi: hoc enim faciens prunas ignis congeres ſuper caput eius.* In his enim *caput tuum*, poſitum eſt pro te, & caput inimici pro ipſo inimico. Et perinde eſt *prunas ignis congeres ſuper caput ipſius ac ſuper illum.* In quem ſenſum dixit alicubi Virgilius *carum caput*, pro caro homine; *impurum & ingratum caput* Seneca pro homine ingrato, & impuro. Et Ouidius Achillem appellauit *caput inſuperabile bello.* Denique ex hac eadem ſignificatione ſunt illa; *caput obiectare periclis, redimere caput*; & quod Plautus alicubi; *ſiquidem hoc viuet caput; pro ſi vixeris.* Et alibi; *triginta minas pro capite tuo dedi.* Simili ergo dicendi forma; quod hîc Abner dicit *caput canis*; poſuit pro *cane ipſo.* Canis verò nomine rem viliſſimam ſignificauit; quod vſitatum e lib. 2. c. 19. magis Hebræis eſt, quam apud alios, vt infra [e] fuse docemus.

Cæterùm quæ hoc loco ex Rabinis narrat auctor Traditionum, qui nomine Hieronymi circunfertur, adeo incpta ſunt; vt vel ſola ſufficiant ad conuincendum eum non eſſe Hieronymum; licet ab Angelomo probentur, & tranſcribantur. Audiamus, quæſo, quam concinne verbum hoc Abneris dicat ab Hebræis exponi; & ita dicat, vt ſimul etiam non videatur improbare. *Nunquid caput canis ego ſum; id eſt propter te, & propter domum patris tui dicor caput canis eſſe contra Iudam; eò quòd non reducam domum Iſrael ad Dauid; quem ſcio vnctum eſſe Regem, & regnaturum ſuper vniuerſum Iſrael. Caput canis ſe dicit, id eſt vilem; eò quòd à domo Iuda ſic haberetur, ſicut latratus canis; & quod princeps eſſet canum, id eſt ſtultorum hominum.* Hæc ille: tam multa tam paucis verbis ineptiens: in quibus & aliis refellendis, quæ ſimilia his adducit Abulenſis, otio non eſt abutendum. Verus enim ſenſus orationis Abner eſt, quem iam propoſui: numquid adeo nullo loco, numero, nullius apud te meriti ſum; nihil pro te hactenus adeo contra Iudam geſſi; vt ita à te accipi debeam?

Niſi quomodo iurauit Dominus Dauid, ſic faciam cum eo.] Hactenus ergo Abner videos & ſciens contra fas & æquum Dauidem oppugnauit; & aduerſus illum Iſboſethum ſuſtinuit ſextum iam annum regno quod Dei decreto Dauidi debebatur inſidentem. Ob id nulla ratione excuſandus ipſe, licet Iſboſethus fortaſſe poſſit, vt in Deſputationibus fuſius.

A Dan vſque Berſabee.] Notiſſimi termini, quibus Iſraelitica terra, quæ à duodecim tribubus poſſidebatur, includitur. Dan enim erat in extremis Hebræorum finibus à ſeptentrione in tribu Nephtali. Berſabee vero ex oppoſito quam latè Iudæa terra porrigitur, in finibus ad Meridiem verſis, in Simeonis tribu locata, qua vergit in Idumæos, & Amalecitas.

Et non poterat ei reſpondere quicquam, quia metuebat eum.] Nunc primum imprudentia lapſum ſe Iſboſethus aduertit, cum quando non debebat Abnerem de vero, aut ſuſpecto crimine obiurgauit. Intempeſtiua remedia morbos accendunt, non extinguunt: & id aggredi, quod perficere non poſſis, aliud non eſt, quam velle plures imbecillitatis tuæ teſtes habere; vt omnes intelligant quibus malis reprimendis pares non ſimus.

Quia metuebat eum.] Minus hoc in Iſboſetho mirum: quando etiam Dauid, ob metum ne Ioabus non minus ſibi noceret iratus, quàm prodeſſet amicus, neceſſe cum eo habuit plura ſcelera diſſimulare.

℣. 12.) Miſit ergo Abner nuncios ad Dauid pro ſe, dicentes; cuius eſt terra? Et vt loquerentur; Fac mecum amicitias, & erit manus mea tecum, & reducam ad te vniuerſum Iſrael.

℣. 13.) Qui ait; Optimè. ego faciam tecum amicitias: ſed vnam rem peto à te, dicens; Non videbis faciem meam antequam adduxeris Michol filiam Saul: & ſic venies, & videbis me.

℣. 14.) Miſit autem Dauid nuncios ad Iſboſeth filium Saul, dicens: Redde vxorem meam Michol, quam deſpondi mihi centum præputiis Philiſthiim.

℣. 15.) Miſit ergo Iſboſeth, & tulit eam à viro ſuo Phaltiel, filio Lais.

℣. 16.) Sequebaturque eam vir ſuus plorans vſque Bahurim: & dixit ad eum Abner; Vade & reuertere Qui reuerſus eſt.

℣. 17.) Sermonem quoque intulit Abner ad ſeniores Iſrael, dicens; Tam heri, quàm nudiuſtertius quærebatis Dauid vt regnaret ſuper vos.

℣. 18.) Nunc ergo facite: quoniam Dominus locutus eſt ad Dauid, dicens; In manu ſerui mei Dauid ſaluabo populum meum Iſrael de manu Philiſthiim & omnium inimicorum eius.

℣. 19.) Loquutus eſt autem Abner etiam ad Benjamin. Et abiit vt loqueretur ad Dauid in Hebron omnia, quæ placuerant Iſraeli, & vniuerſo Benjamin.

Miſit nuncios dicens; cuius eſt terra.] Hæc abrupta oratio perplexam planè interrogationem continet. Quid ſibi vult, aut quorſum tendit? Et augetur illius ambiguitas ex Dauidis reſponſo. Hoc enim omiſſo, quod Abner prius iaculetur, ad ſecundum delabitur. *Optimè*, inquit, *faciam tecum amicitias.* At ad illud; *Cuius eſt terra*; reſponſum nullum. Quid ergo id ſibi vult? Miſit; inquiunt aliqui [g] nuncios nomine ſuo ad g Sal. an. 2985. n. 8. Dauidem, qui ei regnum Iſraeliticum offerrent, & dicerent; *Cuius eſt terra?* Id eſt vt agnoſcerent ac profiterentur terram vniuerſam ad ipſum Dauidem pertinere, eius ſcilicet liberalitate, *cuius eſt terra & plenitudo eius.* Dura ſanè expoſitio, licèt eam plerique ſubindicent, & amplectan- h Lyran. Abul. Dionyſ. Hugo. tur. Nec enim verbis iſtis tam paucis, tam præciſis aptantur. Quod enim hîc verbum de terra promiſſionis; de iure quod in illam Dauid habebat; de poſſeſſione illius in ipſum transferenda; de Deo primo eius auctore, & poſſeſſore?

Dicendum

Dicendum ergo primò orationem hanc abruptam, & acciſam eſſe; neceſſario proinde verbia aliquibus ſupplendam, quæ tacitè ſubintelligantur. Quod negari non poteſt: ſi per ſe ipſa ſpectentur, & multò magis ſi reſponſio Dauidis attendatur; & adhuc clarius, ſi quod hic agitur obſeruetur. Oratio enim refertur, quam qui proditionem molitur, annunciari ſecreto mandat. Vt ergo circunſpectam de talibus colloquentium trepidationem ſacer hiſtoricus imitaretur, conſulto etiam abruptam hanc orationem vſurpauit. Deinde dubium non eſt de terræ poſſeſſione ſermonem eſſe. *Cuius*, inquit, *eſt terra?* Quod perinde eſt ac, *Quis terram poſſidet?* Aut quod eſt in Hebræo cum ſimili reticentia; *Ad quem terra?* Nempe *pertinet*, aut *reſpicit*. Sed dubium eſt de qua terra loquatur, & de qua poſſeſſione. Tertiò denique certum eſt, interrogationem hanc ex Hebraica phraſi vicem habere certiſſimæ affirmationis. His poſitis enucleemus quæ dubia ſunt, nempe de qua terra, & de qua poſſeſſione ſit ſermo; & deinde quæ verba ſint hoc loco ſupplenda.

a Dionyſ. Hugo. hiſt. ſchol.

Sunt qui [a] *terram*, hic vniuerſam interpretentur, & de Deo agi putent poſſeſſore ipſius & conditore, *Cuius eſt terra, & plenitudo eius*. Idcircò autem hic appellari, quod ſermo ſit de iure, quod Dauid ad terram Iſrael habebat, à Deo illi, non aliunde collato. Qui id ſine dubio poteſt; cum tota terra, illius poſſeſſio ſit. Operoſa nimis expoſitio, & plus æquo longè petita. Alij terram Iſrael exponunt, quam dicunt ab Abnere pronunciari Dauidis eſſe; vt ſit ſenſus; *Cuius eſt terra? nonne tua?* nempe Dauidis. Sed hoc admiſſo minus apparet quomodo Dauidis reſponſio verbis iſtis aptetur. Ad quid enim proponenti, & aſſerenti quod terra Iſrael ſua eſſet, reſpondere Dauidem; *optimè: non videbis faciem meam, &c.* Puto ergo ſermonem eſſe de terra ſola & regno quod tunc Iſboſethus habebat; quam tacitè ſignificat Abner in ſua manu & poteſtate eſſe, & à ſe quodammodo poſſideri: non quod illam iure, vel titulo aliquo teneret; ſed quod eam ſuo arbitratu flecteret, regeret, adminiſtraret; & in illius poſſeſſionem poſſet facilè quem vellet inducere. Nuncij ergo iſti nomine Abneris dixerunt Dauidi, *Cuius eſt terra?* nempe Iſraelitica, cuius nunc rex Iſboſeth; Nonne ſub mea poteſtate eſt, qui illum rego arbitratu meo? Tacite ergo huic orationi ſubintelligendum Abnerem ſuggeſſiſſe Dauid in ſua poteſtate terram Iſraeliticam eſſe, & eam ad illum ſe reducturum; ſi vellet ſecum quæ æquum erat pro tanto munere paciſci. Quem ſenſum, & non alium, verbis iſtis includi; ſatis Dauidis reſponſponſio declarat.

Optimè, inquit. *Non videbis faciem meam.*] Duo hîc quærenda. Primum, cur Dauid ſit adeo de Michole recuperanda ſollicitus. Secundo cur illius reductionem ab Abnere depoſcat, quaſi pignus eorum quæ ſibi detulerat. De primo plerique omnes cenſent amorem in cauſa fuiſſe. Volunt enim Micholem inter alias vxores fuiſſe Dauidi præcipuè dilectam: quia primam, quia regis filiam, quia ſumma pulchritudine, quia de ſe optimè meritam, ſæpius ab illa periculo mortis erepto. Quæ omnia probabilia ſunt. Sed veriſſimam cauſam puto; voluiſſe Dauidem, qui totius Iſraelis regnum ſibi vindicabat, aduerſæ partis & qui Sauli adhærebant, animos lenire, filia Saulis, quæ ſua iam vxor erat in partem regni vocata. Videbantur enim hac ratione partium ſtudia mitigari; & qui ius diuinæ electionis in Dauide non agnoſcebant; ſaltem non ex toto poterant illum quaſi regno imparem reprobare: cum viderent illum regium generum eſſe, & eo regnante, Saulis quoque ſanguinem regnare. Nam propter hanc eandem rationem Adonias, cum filius Dauidis eſſet, vt pluribus tamen ſubſidiis ad regnum capeſſendum iuuaretur, Abigail, quæ vxor Dauidis fuerat, in vxorem popoſcit. Quanto maius ergo momentum Michol in hoc motu rerum erat habitura, quæ non vxor ſed filia Saulis erat; cuius alij poſteritatem non regnare indignè ferebant? De ſecundo, nonnulla ſanè videtur ratio ambigendi. Quid enim hoc ad Abner ſpectabat, & quid ad illum Michol pertinebat? Et ſi hoc, quid hic erat quod fidem Abneris Dauidi, quaſi accepto pignore firmaret; ſi Micholem is ad ſe reduxiſſet? Et vrget difficultas ex eo, quod paulò pòſt Dauid hæc cum Abneri propoſuiſſet, illorum quaſi oblitus, ab Iſboſetho non ab Abnere, vt par erat, vxorem ſuam ſibi poſtulat remitti.

Dicendum ergo non poſtulare hîc ab Abnere Dauidem, in pignus eorũ quæ conuenerunt inter illos addictionem Micholis; ſed tantum differre pacta conuentionemque per ſingula capita inter ſe & illum firmanda in aduentum ipſius Abneris ad ſe. Pignus itaque quod depoſcit, non eſt vt tradat ſibi Micholem, ſed vt ad ſe veniat in Hebron, vbi coram ſecum tranſigat, pacta conuenta firmando: venturum autem facilè, ſi occaſione vtatur deducendæ ſibi Micholis; cuius reſtitutionem ſit ipſe Dauid ab Iſboſetho poſtulaturus, & Abner apud eundem expediturus gratia, & auctoritate, qua pollet. Planiſſimus ergo Dauidis verborum ſenſus hic eſt. *Optimè* mihi propoſita probantur; ſed niſi videas faciem meam, niſi coram ſimul colloquamur; difficilè eſt vt poſſit inter nos commode conuenire de ratione totius Iſraelis ad me reducendi, de Iſboſetho deſerendo, de reliquis quæ tu tibi depoſcis in præmium officij mihi delati. Cura ergo apud Iſboſethum, vt quod ab illo petiturus ſum, Micholem mihi remittat, vxorem viro; & per ſpeciem deinde illius comitandæ, venias ad me in Hebron. Ibi deinde ſingula inter nos vtriuſque cum approbatione firmaturus. Hæc ſi non geſta intelliguntur; totius orationis textus implexus plane, & ambiguus eſt, qui ſic planiſſimè deuenit.

Non videbis faciem meam.] Vt hæc intelligantur, quæ à Dauide Abneri proponuntur, opus eſt multa ſubintelligendo ſupplere, quæ neceſſe eſt inter vtrumque interceſſiſſe. Dauid enim nunciis Abneris acceptis, & conditione regni ad ſe traducendi, ſtatim aduertit difficile poſſe hæc ad optatum exitum perduci, ſi nuntiis tantum tranſigerentur. Opus ergo eſſe in mutuum colloquium deſcendere: & cum nollet ipſe ad Abnerem primus accedere, quod ex regia dignitate non eſſet alterius ſe partis Duci permittere, aut transfugæ ſe credere, Abnerem ad ſe inuitauit. Tacitè ergo in his verbis: *Optimè: non videbis faciem meam.* Alia multa intelligamus, quæ ſacer hiſtoricus omittit; nempe vt *optimè*, ſit approbantis, & delatam ſibi ab Abnere conditionem admittentis. Id verò quod adiungitur; *Non videbis faciem meam, niſi reducta Michol*; non ſit

dubitantis, & quaſi pignora fidei depoſcentis, vt iam dixi; ſed tacitæ interrogationi reſpondentis. Dauid enim iam dixerat non poſſe hæc expediri, niſi mutuo colloquantur; id nunc quomodo poſſit, oſtendit, ſi Abner ad ſe accedat. Poſſe autem id facile per occaſionem Micholis ſibi deducendæ.

Sic ergo cuncta diſpoſita in hac conuentione Dauidis, & Abneris, debemus accipere. Vbi enim primum Abner ad Dauidem miſit, gratanter Dauid accepta conditione, remiſit, qui oſtenderent Abneri mutuo colloquio opus eſſe, vt coram inter ſe de ratione conſilij peragendi tranſigerent. Nec enim tantam rem nunciis vltro, citroque meantibus tuto committi. Ad Abnerem æquum non eſſe vt Dauid accederet; quod plenum id ſuſpicionis eſſet, & infra regiam dignitatem. Quærendum ergo colorem aliquem, quo poſſet Abner in Hebron ad Dauidem ſine perfidiæ ſuſpicione venire. Optimum futurum, ſi per ſpeciem legationis alicuius poſſit id obtinere. Petiturum ergo ſe ab Iſboſetho ſibi, vt Micholem remitteret; promoueret Abner petitionem; & id ageret vt annuente Rege poſtulatis cura ſibi regiæ ſororis ad regem virum deducendæ demandaretur. Id ſi fiat, opportunitatem ſummam mutui colloquij vtrique futuram, nullo quidquam occultioris conſilij ſuſpicante. His inter illos conuentis, ab Iſboſetho Dauid ſororem, quæ ſibi vxor erat remitti poſtulat; Abner quaſi neſcius in conſilium adhibitus, petitionem promouet; & cum remitti placeret, ex dignitate vtriuſque viſum eſt, vt magnifice comitata dimitteretur. Ad id ergo Abner electus eſt, quod illi nullus eſſet in Aula dignitate ſuperior. Accepit ergo illam Abner, deduxit, à Dauide exceptus eſt, & cum illo de iis, quæ tacitè ad eam diem agitauerant, mutuo percuſſo fœdere tranſegit. Hæc ſic intellecta, nihil in verbis iſtis Dauidis, & tota narrationis ſerie ſalebroſum relinquunt: alioquin plurima concurrunt, quæ rectam intelligentiam remorantur.

Miſit Dauid ad Iſboſeth.] Sic enim inter Abnerẽ & Dauidem cõuenerat. Nam quid attinebat ad Abnerẽ Michol vt ab illo potius, quam Iſboſetho eſſet repoſcenda? Nonne fuiſſet id aperta profeſſio proditionis quæ ſtruebatur; ſi palam eum Dauid ab Abnere poſtulaſſet; aut ſi per ſe hic, & auctoritate ſua Micholem Phaltieli abſtraxiſſet, & remiſiſſet Dauidi? Ex conuento ergo Dauid illam poſtulauit ab Iſboſeth, & Abner poſtulata promouit. Apparet autem ex his, quod ſupra iam monui concertationem fuiſſe potius inter domum ſiue familias vtriuſque quam inter populos vtrique ſubiectos, aut inter ipſos Reges. Diſſimulabant enim iſti inter ſe, tantumque ſuſpecti inuicem agebant; vt neceſſe erat inter eiuſdem ſceptri competitores. Si enim cruentum bellum inter vtrumque viguiſſet; ridiculus fuiſſet Dauid, tam pacate Micholem ab inimico rege poſtulando. Nec hic illam tam facile conceſſiſſet hoſti. Cùm ergo vtriuſque odia ſupprimerentur, abſurdum non fuit vxorem ſuam Dauidem repetere, & eam ab Iſboſetho remitti.

Dixit ad eum Abner, Vade & reuertere.] Abneri ergo cura mandata, Micholem à Phaltiele abducendi, & deducendi ad Dauidem. Sed quid hic plorabat? Quærit hoc quaſi arcanum myſterium Lyranus. Et reſpondet præ gaudio ploraſſe, quod vxor ipſius, quam ardenter amabat, vxor Dauidis fieret iam regnantis. Ridiculè ſanè hoc, ne dicam ſtolide. Quiſquam ne ſanus præ gaudio ploret, quod vxorem vnicè dilectam alius, quantumuis potentiſſimus ſit, habiturus? Plorabat ergo quia diligebat, & ægrè à ſe diuelli ferebat: vnde Abner acerbius illum dimiſit; ne comitatum eiulatu ſuo, & lachrymis obtunderet.

Ad ſeniores Iſrael.] Senior hic, vt aliàs monui, non eſt ætatis appellatio, ſed dignitatis. Ad Magiſtratus, Decuriones, & eos, qui italicè dicuntur *Antiani*, quod aliis munere dignitatis antecedunt, Abner adiuit, vt cum illis de Dauide recipiendo tranſigeret.

Dominus loquutus eſt ad Dauid dicens:] Mirum quam rationem hic Abner adhibuerit, vt ſenioribus quod de Dauide conuenerat, perſuadeat. Nihil enim ea futilius videri poterat. *Recipiendus*, inquit, *Dauid, deſerendus Iſboſeth.* Cur hoc? Quia dixit Deus vindicaturum ſe à ſeruitute Paleſtinorum populum ſuum virtute Dauidis. Rectè hoc ſi verum ſit. At quibus id Deus, & quando dixit? Ad ipſum Dauidem. *Loquutus eſt*, inquit, *Deus ad Dauidem dicens; In manu ſerui mei Dauid ſaluabo populum meum.* Ita ne verò? Et quis dum loqueretur interfuit? Tanta ne res, & tanti moliminis, qualis erat regem ſuum abiicere, nouum inducere teſtimonio peragenda erat regnum inuadentis? Duo ergo videnda ſunt. Primum, quale fuit hoc de Dauide vaticinium, & quando prolatum. Secundum, ad quem, vel quos factum.

De primo; dubium eſſe non poteſt fuiſſe illud certiſſimum & vulgatiſſimum. De eo enim hic loquitur Abner, tanquam de re notiſſima, & omnium ore iactata. Maius dubium eſt quando, aut vbi prolatum. Et ambigendi ratio, quia nuſquam alibi, niſi hoc loco quidquam de eo in Scriptura refertur. Quod enim quidam dicunt, idem hoc oraculum eſſe, quod de Dauide Samuel olim protulerat, de eo cum Saule loquens [a]. *Sciſſit Dominus regnum Iſrael à te, & tradidit illud proximo tuo* [a] lib. 1 Reg. 15. 28.
meliori te; Confutatione non indiget: cum clarè conſtet duo hæc inter ſe oracula longè diſtare. *In manu ſerui mei Dauid ſaluabo populum meum.* & tradidit Deus Regnum Iſrael meliori te. Fatendum ergo vltrò nuſquam alibi oraculum iſtud in Scriptura referri; ſed ex genere illud eſſe earum rerum, quæ à ſacris hiſtoricis obliquè tantum, non directè narrantur. Cuiuſmodi ſunt ea, quæ de planctu, lachrymis, flebilique comprecatione Ioſephi referuntur, dum fratres ſuos ne ſe Madianitis diuenderent, emollire ſtudebat. Directè enim de his lachrymis Scriptura non memorat; parcens ſcilicet pudori Patriarcharum, oblique tamen illas apertè ſatis enarrat, dum ſic inducit fratres loquentes [b]; *Meritò hæc patimur,* [b] Genes. 42. 21.
quia peccauimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtias animæ illius, dum deprecaretur nos & non audiuimus. Nec enim vſquam alibi vllæ anguſtiæ animi Ioſephi, vlla illius deprecatio refertur: & tamen dubitare non poſſumus illas interfuiſſe; cum fratres illas tam clarè commemorent, & ante oculos habeant obuerſantes, & pœnas à ſe feralis ſæuitiæ repoſcentes. Eodem modo ergo de hoc oraculo dicendum: nuſquam alibi illud haberi; ſed hic tantùm obliquè referri. Nec mirum id eſſe debet, quando non omnia quæ geſta aut dicta ſunt, ita neceſſe eſt ab hiſtorico ſacro narrari, nihil vt eorum omittatur.

Dubium

Dubiom tamen hîc poteſt eſſe qualem fidem mereantur, quæ obliquè hoc pacto, & non directè in ſcriptura traduntur. Reſpondeo non vſquequaque certam, inconcuſſam, & (vt in ſcholis loquimur) *infallibilem*; ſed eatenus attemperatam; vt locus, tempus, auctoritas eorum exigit, à quibus & quando dicta referuntur. Quæ enim ſacer hiſtoricus directè tradit, inconcuſſam auctoritatem habent; quod is afflatu ſancti Spiritus dirigatur; in quem nec error cadit, nec voluntas alios fallendi. At qui dixiſſe quidpiam in ſacris literis dicuntur; non ſemper tales ſunt, vt inſtinctu diuini ſpiritus agantur ad ea dicenda, quæ loquuti traduntur. Certum ergo duntaxat diuina & inconcuſſa fide eſt, eos id dixiſſe, quod narratur; an verum autem quod dicunt, non ita certum: ſed, vt dicebam, perinde vt ratio loci, temporis, perſonæ videtur exigere de quibus eſt
a verſ.25. ſermo. Tale illud eſt quod Dauidi paulo poſt [a] de Abnere Ioabus affirmat. *Venit*, inquit, *ad te vt deciperet te, & ſciret exitum tuum.* Tale quod Ab-
b verſ.18. ner ipſe dicit [b] *voluiſſe ſeniores Iſrael Dauidem ſuper ſe regnare.* Quam enim certum eſſe debet hæc ab vtroque dicta; tam incertum, an vera, & explorata quæ dixerint. Cæterùm quod ad oraculum iſtud attinet de Dauide prolatum; nemini dubium poteſt eſſe verum illud fuiſſe, & non ab Abnero confictum. De eo enim vt dicebam, Abner ſenioribus loquitur, vt omnibus comperto & explorato, non vtique facturus, ſi potuiſſet vno verbo reuinci.

Sed ad quem, vel quos oraculum iſtud emiſſum? Si enim ad Dauidem Deus de Dauide loquutus, dubia ſanè res eſſe poterat; & cui fidem alij non adhiberent. Cui enim non promptum de ſe oracula fingere, quibus ad ſceptrum vocetur; ſi ſceptum ſibi aſſerenti tradatur? Sed dicendum in hac ſententia; *Loquutus eſt Dominus ad Dauid dicens*; particulam *ad* conſueta ſcripturæ phraſi poſitam eſſe pro *de*; ſenſus vt ſit, loquutum fuiſſe Deum de Dauide, *futurum ipſum per quem populum ſuum de ſeruitute Philiſthiim*
c Sanct. Aß. 25. *liberaret.* Rectè enim notarunt alij [c] ante nos vulgato interpreti particulas *in*, & *ad* idem per-
d Mar.cap 9. ſæpe valere quod *de*. Sic alicubi Marcus [d]; *Quomodo*, inquit, *ſcriptum eſt in filium hominis.* id eſt de filio hominis. Et Petrus in concione celebri
e Act.2. ad Solymæ ciues [e]. *Dauid enim dicit in eum; Prouidebam Dominum.* Manifeſtè enim hic *in eum* eſt *de eo.* Sic etiam Lucas de Chriſto agens ad
f Luc.19. tribus de Zachæo loquente [f]. *Et Ieſus ait ad eum, Quia hodie ſalus huic Domui facta eſt.* Quomodo ad eum, ſi hæc Chriſtus tribubus, non Zachæo dicebat? *Ad eum* ergo dicebat, id eſt *de eo.* Simi-
g Hebr.1. liter Paulus [g]. *Et ad angelos quidem dicit*; id eſt de angelis. Et iterum cum vellet ſignificare lo-
h ibid cap.4. qui ſe de Chriſto [h]; *Ad quem*, inquit, *nobis ſermo*, id eſt de quo. Pari ergo ratione in hac ſententia *Dominus loquutus eſt ad Dauid*; de Dauid eſt intelligendum. At quibus & per quos id loquutus? Sine dubio per Samuelem, cuius de Dauide vaticinia, vulgata iam ſatis erant; licet non omnia, vt iam dixi, à ſacro hiſtorico literis conſignata.

Abiit vt loqueretur ad Dauid.] Quando hoc & quomodo potuit, ſine ſuſpicione perfidiæ? Tam lentus ne Iſboſeth, & ſtupidus erat, vt cum videret magiſtrum militum huc, illuc vagari, tribuum conuentus agere, circumcurſare ab illis ad illas, mali nihil timeret ab eo, qui ſibi tam procaciter denunciauerat auerſurum ſe tribus Iſrael, & Dauidi conciliaturum? Saltem ad conſilia tegenda diſſimularet aliquid Abner, occultius incederet, incomitatus abiret; at viginti viris, iiſque ſelectis ſtipatus, & à Dauide publico epulo inſuper exceptus, quomodo latere poterat, & ſe non prodere proditorem? ſine dubio ergo dicendum, acceſſum hunc ſuum ad Dauidem probabili aliquo prætextu coloraſſe. Quis ille? Vel deducendæ Micholis, quod verius puto; vel iam deductæ inuiſendæ, & fratris nomine ſalutandæ. Verius [i] autem primum illud exiſtimo, quod non video regiam coniugem & Iſboſethi ſororem quis alius, potuerit honeſtius deducere quam Abner. Et erat illa pro magnitudine fratris dimittenda, & viri ſuſcipientis honeſtiſſime plane deducenda. Quod ſi iam ab Abner deducta erat, quorſum tam breui interuallo iterum illam inuiſere? Sed contra hoc videtur eſſe ſacer hiſtoricus, ita rem narrans, vt hunc Abneris aduentum longè poſt Micholem receptam contigiſſe ſignificet. Sed hoc nihil mouere debet: frequentiſſimè enim rerum ſeries & ordo in narrando turbatur, vt quod prius per hiſterologiam refertur, non ſit dubium poſterius contigiſſe; quanquam ſi rectè verba expendantur, nihil hîc ſit, quod apertè ſignificet Abneris aduentum, cum Micholis aduentu non fuiſſe coniunctum. i Ioſeph. lib. 7. cap 1.

Omnia quæ placuerant Iſraeli.] Verbum *placendi* hoc loco forenſe eſt; & ſignificat, non quod quis ſimpliciter gratum habet, & probat; ſed quod decernit, aut cum alio conueniendo paciſcitur. In quem ſenſum paſſim ſumitur in iure ſacro & ciuili, & apud elegantiſſimos latinæ linguæ ſcriptores. Sic *placuiſſe* ſenatui dicuntur, quæ ille cenſuit, & decreuit; *placuiſſe* etiam priuatis, in quæ contrahendo conuenerint. Vnde eſt vt *placita*, ſint aliquando decreta, aut pacta conuenta. Hoc ergo loco *quæ placuerant vniuerſo Iſraeli*, ſunt quæ ille decreuerat, & inito pacto cum Abnere tranſegerat de Dauide recipiendo.

℣. 20.) Venitque ad Dauid in Hebron cum viginti viris: & fecit Dauid Abner & viris eius, qui venerant cum eo, conuiuium.

℣. 21.) Et dixit Abner ad Dauid: Surgam, vt congregem ad te dominum meum regem omnem Iſrael, & ineam tecum fœdus, & imperes omnibus ſicut deſiderat anima tua.

℣. 22.) Cùm ergo deduxiſſet Dauid Abner, & ille iſſet in pace, ſtatim pueri Dauid, & Ioab venerunt, cæſis latronibus cum præda magna nimis: Abner autem non erat cum Dauid in Hebron, quia iam dimiſerat eum; & profectus fuerat in pace.

℣. 23.) Et Ioab, & omnis exercitus, qui erat cum eo, poſtea venerunt: nunciatum eſt itaque Ioab à narrantibus; Venit Abner filius Ner ad regem, & dimiſit eum, & abiit in pace.

℣. 24.) Et ingreſſus eſt Ioab ad regem, & ait; Quid feciſti? Ecce venit Abner ad te: quare dimiſiſti eum, & abiit, & receſſit?

℣. 25.) Ignoras Abner filium Ner, quoniam ad hoc venit ad te vt deciperet te, & ſciret èxitum tuum, & introitum tuum, & noſſet omnia quæ agis?
℣. 26.) Egreſſus itaque Ioab à Dauid, miſit nuncios poſt Abner, & reduxit eum à ciſterna Sira, ignorante Dauid,
℣. 27.) Cúmque rediiſſet Abner in Hebron, ſeorſum adduxit eum Ioab ad medium portæ vt loqueretur ei, in dolo: & percuſſit illum ibi in inguine, & mortuus eſt in vltionem ſanguinis Aſael fratris eius.

Cum viginti viris.] Viri nomen hic, emphaticos ponitur, & eſt honoris & dignitatis; vt intelligamus Abnerem non cum viginti tantùm, cuiuſcunque conditionis, hominibus aduenisse; ſed vt virum principem decebat, viginti viris honeſtiſſimis, & primariis comitatum; quibus deinde ſingulis alij famulabantur. Propterea ſubditur feciſſe Dauidem *illis omnibus conuiuium* quod cum intelligi de famulis inferioris notæ non debeat: (nec enim Dauid qui Rex erat, vt Abnerem honeſtè ſuſciperet, ipſum cum famulis adhibuiſſet communi menſæ) neceſſe eſt iſtos viginti viros omnes primarios fuiſſe, & aut ſine famulis aduenisse; aut illos hic non commemorari; quod Scriptura tantùm recenſeat, non quot cum Abnere cuiuſcunque conditionis aduenerint; ſed tantùm viros primarios, & aliqua dignitate fulgentes.

Fecit conuiuium.] De ritu nobiles hoſpites læto conuiuio excipiendi, plura alibi.

Surgam.] Non è menſa: nec enim ſtatim ſoluto conuiuio diſceſſit Abner; nec quod tunc ſederet dixit *ſurgam*; ſed Hebraiſmus in hoc verbo eſt, quo ſignificatur operis cuiuſcunque aggreſſio, & ad illud inchoandum *exercitatio.* Qualem vim apud Latinos habent; *Age, agedum, & agite.* Quæ ſunt inchoantis aliquid, & ad illud ſe, vel alios excitantis. Verbum ergo licet ſit, *ſurgo, ſurge, ſurgat*; vim tamen apud Hebræos obtinet aduerbij, & id in prima, ſecunda, & tertia perſona; cum Latinis aduerbium excitantis, & exhortantis, in ſecunda tantum vſurpetur. *Age, agito.* Sic Dauid alicubi, [a] *Surge, Deus, & iudica terram.* a Pſal. 85.
Non enim ſedet Deus vt ſit illi ſurgendum; ſed *ſurge*, eſt *agedum*, vt alij [b] etiam obſeruarunt. Ad b *Maldon. in* quem modum *ſurgam* hîc eſt *age iam* quod in- *Luc. 15. 18.* ſet nos conuenit aggrediar, & diſcedam ad te populum reductutus.

Cum ergo deduxiſſet Dauid Abner.] *Deducere*, eſt honoris cauſa abeuntem proſequi, vel euntem aliquo comitari. Nec erat hoc magnum à Dauide in patruelem Saulis, & ducem adeo clarum, qualis erat Abner. Nihil ergo infra maieſtatem ſuam Dauid, dum hoc officio functus eſt. Hebraicè tamen habetur tantum; *dimiſit Dauid Abner, & iuit in pace.* Sed cum omnis honeſta dimiſſio, qualis fit comitando, *deductio* Latinis appelletur, rectè noſter interpres, vt ſignificaret à Dauide Abnerem honeſtè dimiſſum, dixit illum *deduxiſſe.*

Caſis latronibus.] LXX. *de exitu*, id eſt de expeditione. Chald. *de caſtris*, aut de exercitu.

Exitum tuum & introitum.] Statum rerum tuarum; quid agas, quid moliaris. De qua phraſi fusè alibi dictum. [c] c *lib. 1. c. 19.*

Miſit nuncios poſt Abner.] Qui *Dauidis nomine illum reuocarent*, inquit Ioſephus. [d] *quaſi per* d *lib. 7. cap. 1.* *obliuionem quidpiam illi ſignificare maxime ad rem pertinens omiſiſſet.* Probant hoc alij [e] quod ex e *Salian. an.* decoro non eſſet Abnerem ſummum militiæ *2985. n. 25.* magiſtrum, defunctique Regis patruelem, & præſentis adeo propinquum, Ioabi nomine reuocari; Nec apud Abnerem ſuſpicione caruiſſet, ſi Ioab illum per ſe vocaſſet, & retraxiſſet in vrbem. Memor enim Aſaelis à ſe perempti, timuiſſet à Ioabo, quod antequam illum perimeret præcauebat, dum Aſaelem hortaretur abſiſtere; *ne*, inquiens, [f] *confodiam te, & ad Ioab fratrem tuum* f *ſupr. cap. 2.* *leuare deinceps faciem non poſſim.*

A ciſterna Sira.] Siue, vt alij vertunt, à *puteo ſpinarum.* Quem Ioſephus ait viginti ſtadiis ab Hebron abfuiſſe.

Ut loqueretur in dolo.] Loqui ſimpliciter poſitum frequenter eſt in ſcriptura, ſecreto, &, vt occulta ſolent, aliquid communicare; vt hoc loco, & iterum paulo [g] ante; *Abiit vt loque-* g *verſ. 19.* *retur ad Dauid*, ſecreto nempe. Inde eſt quod apud Danielem [h] *loqui mulierem cum aliquo, vel* h *Cap. 13. 57.* *alicui*, eſt ſecreto cum illo conuenire & agere. *Loquebantur*, inquit, *vobis*, id eſt ſecreto vobiſcum conueniebant, & ad turpia vota conniuebant.

In dolo.] Doloſè finxit, habere ſe quæ ſecreto Regis illi nomine, remotis arbitris, communicaret. Ridicula porro ſunt, ſi vacaret in re ſeria ridere, quæ de hoc dolo Rabini veteres fabulantur. Solliciti enim quomodo Ioab potuerit Abnerem decipere, virum fortem, cautum, & ſolitum ſibi proſpicere, inter hoſtes verſantem; dicunt abductum à Ioabo, rogatum vt oſtenderet ſibi quomodo ex priſco ritu diſcalcearetur is, qui fratris vxorem defuncti nollet accipere, Abnerem vero ſe inclinaſſe, & ſimul calceum ſibi detraxiſſe, vt Ioabo quod petebat, oſtenderet, illico manu illius fuiſſe confoſſum. Nugæ nugaciſſimæ, quæ refelli non poſſunt, niſi nugando.

Ad medium portæ.] Ciuitatis ſcilicet. Ioab enim vt Ioſephus obſeruat, obuiam illi extra vrbem, quaſi honoris cauſa prodierat. Sed mirum ſane eſt quomodo tam immane facinus tam facilè à Ioabo potuerit, ſine tumultu patrari; & id ſi locus, ſi comites, ſi occiſi perſona ſpectetur. *Locus*; in medio enim portæ peremptus eſt, loco conſpicuo & patenti. *Comites*; plures erant, omnes egregij & fortes, vt æquum eſt de viris militaribus & inter plures electis exiſtimare. *Occiſus*, Abner, vetus dux, & circumſpectè cautos; inſuper à Ioabo ſibi non ſine cauſa proſpiciens. Quomodo ergo quod cogitauit, tam facile potuit Ioabus efficere?

De loco; admirationem auget quod noſter interpres videtur innuere, Abnerem in media porta confoſſum: nulli enim dubium quin in vrbe regia, & iuſta cuſtodia monita, quicquid in porta tumultus maioris acciderit, ingentes illico turbas ſoleat excitare. Quomodo ergo Ioab cui maximè propoſitum erat, & eſſe debebat, ſine ſtrepitu vllo cœpta peragere, portæ medium elegit, vbi quicquid accideret, omnia ſtatim tota vrbe cæco tumultu, & trepidatione compleret? Ioſephus non in portæ medio; *ſed ſenſim à porta, in loco ſolitario* dicit occiſum. Suſpicor

ergo

ergo noſtrum interpretem eum dixit; *ſeorſum adduxit eum Ioab ad mediam portam*; particulam *ad*, pro *de*, vel *ab* vſurpaſſe; vt ſit ſenſus adduxiſſe illum de porta in locum aliquem ſecretum prope illam. At quid interim Abneris comites? quid agebant? Vrbem fortaſſe nondum erant ingreſſi dum hoc peragebatur: illico autem re patrata, facile fuit illos excludere, ne quid maioris tumultus oriretur in vrbe. Conſultò autem Ioab illam loci opportunitatem prope portam captauit; vt cum nondum comites eſſent ingreſſi, ſine illorum interuentu, ſolum Abnerem haberet obnoxium. Cæterùm nihil eo tempore ſibi cauentem, quamuis alias cautum, & egregie fortem ducem, non difficile fuit opprimere.

a lib. 1. hiſt. ſac.

Et percuſſit eum ibi in inguine.] Malè ergo Seuerus [a] Sulpitius Abneris cædem dicit aliis à Ioabo mandatam. *Non ſine*, inquit, *regis dolore, cuius fidem cruentauerat.* Perſpicue enim hic ſcriptura tradit ipſius Ioabi manu perfoſſum.

In vltionem ſanguinis Aſael fratris eius.] An hæc vera cauſa fuerit, an prætenſa, incertum eſt. Veram fuiſſe; volunt recentiores: prætenſam; Ioſephus, quem alij ſequuntur. Ex quibus Theodoretus hæc; *Prætextum quidem habebat cædem Aſaelis; veram autem cauſam, inuidiam. Sciebat enim fore vt ille præeſſet exercitui, qui vniuerſum Iſraelem adducebat ad Regem. Imperandi ergo deſiderium eum armauit ad cædem illius faciendam.* At ſacer hiſtoricus clarè tradit in vltionem Aſaelis occiſum, nulla alia cauſa commemorata. Vera ergo illa fuit, non prætenſa. Sed hoc nihil eſt. Neque enim quoties in ſacris literis aliquid ab aliquo geſtum propter aliquem finem refertur; ſemper neceſſe eſt intelligere verum illum fuiſſe, & non prætenſum. Dicit alicubi Matthæus Herodem [b] contriſtatum quod Ioannem cogeretur occidere; propter iuſiurandum tamen occidiſſe. An ob id neceſſe eſt intelligere, vlla religione iuramenti tactum Herodem ſacrilegium extimuiſſe? Minimè verò. Sed *contriſtatum, & propter iuſiurandum id vnde triſtabatur peregiſſe*, eſt illum triſtitiam ſimulaſſe, & religionem iuramenti; qua vere tamen non mouebatur, parricidio prætuliſſe; quod ibi plures Patres obſeruant [c]. Quid tamen de hoc ſit quod ad Abneris cædem ſpectat; certum eſt illam à Ioabo patratam in fratris vltionem, ſiue ea vera cauſa fuerit, ſiue prætenſa, & ab illo iactata; probabiliſſimum vero eſt inuidia ſtimulatum ob hanc præcipue facinus patraſſe.

b Cap. 14.

c Hilar. Hieron. Strabo in c. 14. Mat.

℣. 28.) Quod cùm audiſſet Dauid rem iam geſtam ait; Mundus ego ſum, & regnum meum apud Deum vſque in ſempiternum à ſanguine Abner filij Ner,

℣. 29.) Et veniat ſuper caput Ioab, & ſuper omnem domum patris eius: nec deficiat de domo Ioab fluxum ſeminis ſuſtinens, & leproſus, & tenens fuſum, & cadens gladio, & indigens pane.

Imprecatio hæc eſt, non prædictio, eo modo intelligenda, quem D. Thomas alicubi [d] pluribus explicat. Quinque autem continet capita malorum; nempe vt non deficiat de domo Ioab primò ſeminifluus. Secundò leproſus. Tertiò tenens fuſum. Quartò violenter cæſus. Quintò pania indigens; quæ omnia clara ſunt. Illud *tenens fuſum*, plus aliquid obſcuritatis habet. Volunt alij per id effœminatum ſignificari. Vir enim nens, & colu ſtamina deducens, viri parum viri ſymbolum eſt. Vnde olim vt oſtenderetur quid poſſet impotens amor in viro, qui tantus aliquando eſt, vt per illum in fœminam homo degeneret, Hercules inductus eſt robuſto pollice fila ex colo deducens: ſunt qui per *fuſum*, ſtimulum, vel flagellum intelligunt, quo iumenta, & boues aguntur. Alij *fuſum*, ſaccum coriaceum longinquo ſanè intellectu interpretantur. LXX. habent, *ſcytalam*, quod Serrarius flagellum, vel ſaccum mendicantium exponit. Aquila, quem alij [e] ſequuntur, *fuſum*, pro baculo videtur accipere, quo nituntur cæci; & inde *tenentem fuſum* cæcum interpretatur. Quam expoſitionem recentiores ita probant, vt putent in vulgata mendoſe fortaſſe legi *fuſum* pro *fuſte*. Mihi maximè placet notari per hoc, malum *mendicitatis* extremæ; cui ſubleuandæ vult Dauid vt poſteri Ioab nullum miniſterium tam ignominioſum putent, vt ab illo, quaſi ſe indigno, manus abſtineant; quale eſt in viro ex colo fila deducere, & fuſum torquere. Cæterum cur hæc potius genera malorum Dauid, quam alia, ſit imprecatus; myſterio vacat; nec eſt anxiè quærendum. Ea enim mala congeſſit, quæ ſubitus æſtus indignationis animo ſubiecit, horrore tam immanis facinoris ex improuiſo correpto. Maius dubium poteſt eſſe cur Dauid non tantum Ioabum execretur; ſed imprecatione ſua domum illius vniuerſam tot infortuniis ſupponat. Sed dicendum familiam Ioabi totam conſtituiſſe tunc tantùm in Ioabo ipſo, & Abiſai, qui ambo cum rei eſſent patratæ cædis, non mirum ſi ab ipſis, & eorum quoque poſteris in eorundem vltionem pœnæ repoſcantur.

d 1. 2. q. 76. art. 1.

e Theodoret. quæſt. 12. hic Procop. & Scholiaſt.

℣. 30.) Igitur Ioab & Abiſai frater eius interfecerunt Abner, eo quòd occidiſſet Aſael fratrem eorum in Gabaon in prælio.

℣. 31.) Dixit autem Dauid ad Ioab, & ad omnem populum, qui erat cum eo: Scindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite ante exequias Abner. porrò rex Dauid ſequebatur feretrum.

℣. 32.) Cumque ſepeliſſent Abner in Hebron, leuauit vocem ſuam, & fleuit ſuper tumulum Abner: fleuit autem & omnis populus.

℣. 33.) Plangenſque rex, & lugens Abner ait; Nequaquam vt mori ſolent ignaui, mortuus eſt Abner.

℣. 34.) Manus tuæ ligatæ non ſunt, & pedes tui non ſunt compedibus aggrauati: ſed ſicut ſolent cadere coram filiis iniquitatis, ſic corruiſti. Congeminanſque omnem populum fleuit ſuper eum.

℣. 35.) Cúmque veniſſet vniuerſa multitudo cibum capere cum Dauid, cla-

ra

ra adhuc die iurauit Dauid, dicens; Hæc faciat mihi Deus, & hæc áddat, ſi ante occaſum ſolis guſtauero panem, vel aliud quippiam.

ỷ. 36.) Omniſque populus audiuit, & placuerunt ei cuncta quæ fecit rex in conſpectu totius populi.

ỷ. 37.) Et cognouit omne vulgus, & vniuerſus Iſrael in die illa quoniam non actum fuiſſet à rege, vt occideretur Abner filius Ner.

ỷ. 38.) Dixit quoque rex ad ſeruos ſuos; Numignoratis quoniam princeps & maximus cecidit hodie in Iſrael?

ỷ. 39.) Ego autem adhuc delicatus, & vnctus rex: porro viri iſti filij Saruiæ duri ſunt mihi: retribuat Dominus facienti malum iuxta malitiam ſuam.

Quæ ſpectant hoc loco ad ritos funebres in exequiis Abneris ſeruatos, interpretatione ooo indigent, cum ſint alibi à nobis fuſius explicata. Duo ergo tantùm ſunt ediſſerenda, quæ poſſunt aliquid difficultatis habere. Primum ſpectat ad laudes Abneri à Dauide tributas; alterum ad vltionem illius, & Ioabi ſupplicium diſſimulatum. Dum luget Abnerem Dauid, has illius laudes interſerit; quod mortuus non ſit, vt ignaui ſoleot; quod manus eius ligatæ non fuerint; quod pedes compedibus non aggrauati; quod denique ſic corruerit, vt ſolet coram filiis iniquitatis. Quid quæſo hæc omnia ſibi volunt, & quam laudem contineot? Reſpondeo breuiter; eo verba hæc Dauidis ſpectare, non ſolum vt Abner apud alios laudetur; ſed vt tacitè prius excuſetur. Nam quia ceciderat, & non in bello, in quo cadere, ſi per ſe ſpectetur, ignominiam nullam habet, cum Mars a Cicero Phil. 11. [a] incertus aliquando fortiores abſumat, ignauis relictis: cum, inquam, Abner cruenta morte cecidiſſet, & non in bello, continebat id prima ſpecie non leuem notam degeneris animi, & ignauiæ probroſæ; quam Dauid vt amoliretur, dicit Abnerem, non vt ignaui; ſed vt fortiſſimi ſolent, extinctum eſſe; dolo ſcilicet & inſidiis intercептum. Iſtos enim ob opinionem fortitudinis, apertè non audent hoſtes inuadere; ſed imparatos, & aliud agentes adoriuntur; ſic autem cum Abnere ſeruatum ab iis, qui perniciem illi machiosti. Quod totum illa verba ſignanter exprimunt; *Manus tua ligata non ſunt, & pedes tui compedibus aggrauati.* Quorum ſenſus eſt; ſciebant omnes, & in primis inimici tui nec manibus te, nec pedibus impeditum; nouerant quanto robore lacertorum, quanta pedum pernicitate præſtares. Quid inde? Non ergo recta te inuadere, non contra ex oppoſito ſtare ſunt auſi; ſed dolo circumuenerunt; certi non potuiſſe te aliter ante illos cadere, quam vt viri fortiſſimi ſolent ante hoſtes ſuos, à quibus niſi inſidiis intercepti, nil pati poſſunt.

Obſeruandæ porro in hac oratione ſunt duæ figuratæ loquutiones, & vnus hebraiſmus. *Manus*, inquit, *tua ligata non ſunt*. Figuram enim hæc continent, quæ Latinis *extenuatio* appellatur, qua minus dicimus, & plus intelligimus, vt illud b lib. 7. Virgilij [b]

Munera nec ſperno;

Ad quod notat Seruius figuram eſſe quæ λιτότης dicitur, pro eo quod eſt *libenter accipio*, cuius aliud exemplum paulo ante in eodem poeta præceſſit.

Non erimus regno indecores: nec veſtra feretur
Fama leuis; tantíve aboleſcet gratia facti.

Ad quæ notat idem Seruius hæc figuratè dici. cum enim qui loquitur velit oſtendere ſua coniunctione Latinis, quos alloquebatur, ornamenti plurimum acceſſurum, non hoc exprimit; ſed tantùm illis ſe non indecores futuros. In quem ſenſum, & cum ſimili figurata loquutione illud Beati Iob [c] eſt accipiendum; vbi loquens de ſera c Cap. 5. 14. pœnitentia peccatoris; *Non ei*, inquit, *placebit vecordia ſua*, pro eo quod eſt *ſummopere diſplicebis*; Et ſapiens ſimili forma loquendi; [d] *Memento* d Eccl. 12. 1. *creatoris tui in diebus iuuentutis tua; antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni de quibus dicas, Non mihi placent*, pro eo quod eſt, maximè mihi diſplicent. Sic ergo hic *manus Abneris* dum viueret *non fuiſſe ligatas*, eſt illas expeditiſſimas, & paratiſſimas habuiſſe ad pugnandum, & repugnandum; quod Latini dicunt, *Manu promptum eſſe*. & Itali, *eſſer maneſce, è* e De bel. Iug. *pronte à menar le mani.* Saluſtius [e] alicubi de Iugurta, quem ob eius fortitudinem Micipſa timens, auſus non eſt apertè de medio tollere, hæc habet, quæ plurimum locum illuſtrant, quem tractamus. *His difficultatibus circumuentus* (Micipſa) *vbi videt neque per vim, neque inſidiis opprimi poſſe hominem tam acceptum popularibus quod erat Iugurta, manu promptus, & appetens gloria militaris, ſtatuit eum obiectare periculis.* Obliquè nimirum aggreſſus eſt, cum recta non poſſet. Cur hoc? Quia manu promptus erat Iugurta; quia non habebat manus alligatas. *non teneua le mani a cintola*, cum caſus vrgebat. propter hoc ergo, & quia erat appetens gloriæ de medio tollere eum ſtatuit obiectando periculis, Hæc eadem figura verbis ſequentibus ineſt. Abneris *pedes compedibus non ſunt aggrauati*, pro eo quod eſt velociſſimus erat, & vt de eo ſupra eſt prædicatum, ſyluarum capreas curſu antecedebat. Et hæ duæ loquutiones, vt dixi, figuratæ ſunt. Illa hebraiſmum continet, *ſicut ſolent corruere coram filiis iniquitatis.* Filij enim hic pro hominibus appellantur, & nomen ſubſtantiuum in obliquo caſu, phraſi hebraica ponitur pro adiectiuo ſuperlato; vt *filij iniquitatis* hic ſint *homines iniquiſſimi.* Sicut alibi [f] *viri diuitiarum* ſunt f Pſal. 75. 6. homines ditiſſimi, quorumque animos totus in opibus cumulandis. Et obſeruandum qui proditoriè graſſantur, appellari hic *homines iniquiſſimos.* quod quam merito & rectè; alibi proſequemur. Supereſt iam de vltione omiſſa, & Ioabi ſupplicio diſſimulato. Cur enim tantum facinus, tam atrox, & Dauidi adeo exoſum, non eſt in Ioabi capite vindicatum? Vidit hoc ille ſui muneris eſſe; vidit omnes id à ſe petere, & expectare; propterea quod non faceret excuſauit. *Num ignoratis*, inquit, *quoniam princeps & maximus cecidit hodie in Iſrael?* Quorſum hæc? Vt oſtenderet facinus patratum immaniſſimum fuiſſe, nullique dubium quin deberet ſeueriſſimè vindicari. Sed cur id non fieret; ſtatim cauſam ſubiicit; *Ego autem adhuc delicatus & vnctus Rex*; idcirco ſe illud non vindicare, quod in primordio regni ſui non poſſit ſine tumultu, & maioris turbæ periculo, reum tantum, qualis erat Ioab, legibus conuenire. Quod ergo hic dicit *delicatus,*

tus, ſignificat adhuc in regno *tenellum* ſe eſſe; & alluſione ad plantas habita recenter inſitas, aut defoſſas, facili niſu ſe poſſe conuelli; cum nondum ſit in regno firmatus; in quo Ioab, eiuſque frater plus æquo poſſunt; vt notant Ioſephus[a] & Theodoretus[b].

a *libr. 7. antiq. cap. 1.*
b *Q. & in 2. Reg.*

LIBRI SECVNDI REGVM

CAPVT IV.

ARGVMENTVM.

AT Isboſethus, Abneris interitu nunciato, planè animo collapſus eſt; vniuerſique pariter; qui eius partibus adhærebant, ſimili perturbatione concuſſi ſunt. Ignari enim quod ad Dauidem ſtudia conuertiſſet, iacturam tantùm quam fecerant, amiſſo viro fortiſſimo reputabant. Qua cõſternatione perſpecta Rechab, & Baana duo Isboſethi duces ab eo pridem in exilium acti, eam occaſionem verterunt maiori cum emolumento patriæ repetendæ. Rati enim gratiam ſe ſummam apud Dauidem inituros, ſi regni æmulo ſublato, prona illi omnia facerent ad Iſraelis imperiũ capeſſendum, facinus audaciſſimum & indigniſſimum aggreſſi ſunt. In vrbem enim regiam delati, feruente die domum regis ingrediuntur: ibi cuncta reperiunt, omiſſa cura, cuſtodibus vacua; limenque ipſum regium vnius duntaxat muliercula cura permiſſum; quæ nec id tantùm agebat: nam ſimul & triticum purgabat, & Regis aditus cuſtodiebat. Interim ergo taciti, & occulti penetrantes, Isboſethum meridiantem offendunt, & altè ſopitum: illicoque diſtrictis gladiis inuadentes obtruncant, & amputatum caput è veſtigio ad Dauidem deferunt, ob æmulum ſublatum gratiam ſimul, & præmium relaturi. Sed ille parricidium quod in regem ſuum latrones impuriſſimi per ſummum ſcelus admiſerant auerſatus, aſperè priùs verbis acceptos, extemplò iugulari mandat. Et iugulatos, manibus pedibuſque præciſis, è ſublimi ſuſpendi; poſteris documento futuros piorum regum gratiam non benè quæri, ſi malis artibus ambiatur.

℣. 1.) Audiuit autem Iſboſeth filius Saul quod cecidiſſet Abner in Hebron: & diſſolutæ ſunt manus eius, omniſque Iſrael perturbatus eſt.

℣. 2.) Duo autem viri principes latronum erant filio Saul, & nomen vni Baana, & nomen alteri Rechab, filij Remmon Berothitæ de filiis Beniamin: ſiquidem & Beroth reputata eſt in Beniamin.

℣. 3.) Et fugerunt Berotitæ in Gethaim, fueruntque ibi aduenæ vſque ad tempus illud.

℣. 4.) Erat autem Ionathæ filio Saul filius debilis pedibus: quinquennis enim fuit, quando venit nuncius de Saul, & Ionatha ex Iezrahel. tollens itaque eum nutrix ſua fugit: cumque feſtinaret vt fugeret, cecidit, & claudus effectus eſt: habuitque vocabulum Miphiboſeth.

℣. 5.) Venientes igitur filij Remmon Berothitæ, Rechab & Baana, ingreſſi ſunt, feruente die domum Iſboſeth: qui dormiebat ſuper ſtratum ſuum meridie. Et oſtiaria domus purgans triticum, obdormiuit.

℣. 6.) Ingreſſi ſunt autem domum latenter aſſumentes ſpicas tritici, & percuſſerunt eum in inguine Rechab & Baana frater eius, & fugerunt.

℣. 7.) Cùm autem ingreſſi fuiſſent domum, ille dormiebat ſuper lectum ſuum in conclaui, & percutientes interfecerunt eum: ſublatoque capite eius abierunt per viam deſerti tota nocte,

℣. 8.) Et attulerunt caput Iſboſeth ad Dauid in Hebron: dixeruntque ad regem: Ecce caput Iſboſeth filij Saul inimici tui qui quærebat animam tuam: & dedit Dominus domino meo regi vltionem hodie de Saul, & de ſemine eius.

CONTINETVR hoc capite cædes Iſboſethi, & eius à Dauide vltio. De illa nobis exponendum à quibus, cur, quando, & quomodo facta: de hac, quomodo, & quam iuſte ſumpta.

Ordimur à cæde. Qui illam patrarunt? Baana, & Rechab filij Remmon. de quibus ad eorum ſcelus exaggerandum, tria Scriptura commemorat. Primò quod erant viri Iſboſeth. Secundò quod principes latronum. Tertiò quod Beniaminitæ. *Duo*, inquit, *viri erant filio Saul*; nempe Iſboſetho. Erant ergo iſti ex eorum militum genere, quibus cuſtodia regij corporis incumbit; & propriè appellantur quaſi antonomaſticè *viri Regis & principis*. Italicè *ſuoi huomini*, & *ſuo*

ſue lance ſpezzate. Erant prætetea *principes latronum*; nempe militum qui variis in hoſtiles regiones incurſibus prædas agebant; ob id latrones appellati, vt plerique [a] veterum volunt, qui

a LXX. Chald. Ioſeph. & ex illis Seruar. hic

propterea vocant iſtos, *Duces copiarum*, ſeu *capitaneos expeditionum.* Vnde alibi noſter interpres appellat eos *principes* [b] *turmarum*; per tur-

b lib.1.Paral. 22. 18.

mas intelligendo certos numeros militum excurſionibus deſtinatos. Aliis placet *latronum* nomine priſca ſignificatione milites intelligi, qui propriè cuſtodiæ principis excubabant, *latrones* prius appellati, & inde *latrones Lateranenſes*, & *laterales*, quod latera principum cuſtodirent, de quibus vetus Poeta apud Feſtum [c].

c Saliberien. Policr. libr. 7. cap. 19.

Stipati ferro circundant corpora regum.

In quo ſenſu *principes latronum* fuiſſe, eſt illos præfecturam aliquam in prætoriana militia geſſiſſe. Adiungitur tertio loco fuiſſe Beniaminitas, ea eadem nempe tribu, qua Saul & eius cognatio. quare illorum maximè intererat regium nomen in Saulis familia ſeruari, vt in tribu Beniaminica ſeruaretur. Quorſum autem hæc omnia ſcripturá? Iam dixi, vt infame virorum iſtorum parricidium magis ob oculos ponatur, qui tot nominibus Iſbosetho obſtricti, illum tamen atroci ſcelere prodiderunt.

Vnde ergo ad id inducti? Varijs à variis affeZruntur. Sunt [d] qui dicant mortuo Saule & Iona-

d Hieron. in Tradit.

tha, de Miphiboſetho Ionathæ filio in Regem euehendo cogitaſſe, cum illo conueniſſe, conſilia de Iſboſetho tollendo, & regno occupando communicaſſe: cuius rei indicio per Miphiboſethum ad patruum delato, meritò ſibi ab illo timentes, aufugiſſe, & vſque eo in exilio perſeueraſſe; donec oblata ex morte Abneris opportunitate reuerſi, Iſboſeth obtruncarunt. Sed hæc excogitata ad oſtendendū quorſum capitis huius initio mentio Miphiboſeth inſeratur; & iſti dicantur ex terra Iſrael aufugiſſe; perſpicuè refelluntur, quod Miphiboſeth quinquennis erat, cum pater extinctus eſt. Quis ergo putet ipſum de regno inuadendo cogitaſſe, aut vllos repertos, qui tanta de re peragenda cum eo conſilia communicarent? Alij [e] ergo volunt fuiſſe iſtos

e R. Salom. & Lyran.

duces fugitiuorum, illorum nimirum de quibus extremo ſuperiore libro dictum eſt, audita Saulis & totius exercitus clade, ſuis ex vrbibus aufugiſſe: diu vero rapto viuentes, & prædas tam ex ſua, quam ex hoſtili terra agentes, tandem morte Abneris audita, ſpe melioris fortunæ facinus hoc perpetraſſe. Sed nec iſta maiorem probabilitatem habent. Præterquam quod plane ficticia videntur. Quomodo enim fuerunt iſti duces fugitiuorum; ſi perſpicuè Scriptura dicit illos *Iſboſethi viros* fuiſſe, & *principes* ſiue *duces turmarum illius*? Alij [f] volunt hos primum de Mi-

f Caiet. hic

phiboſeth in regem aſſumendo cogitaſſe, quod eſſent præfecti turmarum ſub Ionatha, in cuius gratiam volebant filium ad ſceptrum promouere; quem deinde cum debilem, ac proinde regno minus idoneum reperiſſent, conuerſo conſilio de Dauide cogitaſſe, cuius vt gratiam inirent; Iſboſethum de medio ſuſtulerunt. Sed hæc nihilo magis probabilia ſunt. Scriptura enim manifeſtè ſignificat fuiſſe hos Iſboſethi duces, non Ionathæ. *Duo*, inquit, *viri principes latronum erant filio Saul.* Quis quæſo hic Saulis filius niſi de quo paulo ante Sermo? At nulla Ionathæ mentio præceſſit, cum de Iſboſetho dicatur; *Audiuit autem Isboſeth filius Saul.* Quæ ergo ratio patitur, vt cum poſt hoc ſubiicitur, *duo erant viri filio Saul*, de alio hoc, quam de Iſboſetho intelligatur; cum huius tantum filij Saulis, & nullius alterius mentio præceſſerit?

Probabiliſſimum ergo mihi eſt, duos iſtos turmarum principes conſiliorum Abneris fuiſſe participes: quare audita ipſius morte timentes ne res ſuo cum periculo proderetur, incepta maturaſſe, & opportunitate captata, Iſboſethum de medio ſuſtuliſſe. Sed quorſum nunc mentionem interponere Miphiboſethi? Fortè vt tacitæ dubitationi occurratur: cur iſti & alij Iſraelitæ ad Miphiboſethum animum non adiecerint; & de illo in regnum extollendo non cogitauerint: quia nimirum puer adhuc erat, & debilis pedibus; ob id impar ad regnandum. Quæ cum ita eſſent, voluiſſe duces iſtos ſibi conſulere, & vt Dauidem captarent, Iſboſethi capite illum ſibi demerendum putaſſe.

Sed videamus quomodo tam facilè id patrare potuerint. Admirationis autem non exiguæ cauſam præbet, quod cum Rex eſſet Iſboſeth in domo regia tam ſolitarius ageret; vt ſecurè, ſine vllo ſtrepitu potuerit obtruncari. *Cum* inquit, *ingreſſi eſſent domum, dormiebat ille in conclaui.* Solum ergo nacti ſunt, & ita diſtinctè Ioſephus exponit. Vbi ergo militaris cuſtodia? Quomodo non repulſi, non obſeruati? Sed quod admirationem auget, *oſtiaria*, inquit, *purgabat triticum*, quaſi regiæ domus excubiæ mulierculæ vnius fide, & vigilantia niterentur. *Nacti* [g], inquit Io-

g lib. 7. Antiq. cap. 1.

ſephus, *ſolum Isboſethum in cubiculo meridiantem, videnteſque nec ſatellitum quenquam adeſſe, neque ianitricem vigilare; ſed & ipſam partim laſſitudine, partim æſtu in ſomnum ſolutam, ſubintrogreſſi ad eum, dormientem interemerunt.* Quæ dubitationem conduplicant, non ſoluunt; nec nodum laxant, ſed adſtringunt. *Aberant*, inquit, *ſatellites, ita vt nullus adeſſet; & ianitrix dormiebat.* Qualis, oro, Rex hic erat in tanta ſolitudine ſuorum? Sed omnia plana reddentur, ſi intelligamus oſtiariam iſtam fuiſſe propriè affixam ianuæ interioris cubiculi; ſatellites autem non abfuiſſe à palatio, ſed nihil in iſtis duobus veritos, liberos dimiſiſſe. Quid enim de viris Iſboſeth, & præfectis regiæ cuſtodiæ ſuſpicarentur? Fœminam autem triticum purgaſſe; non quod illud vanno, aut cribro agitaret; ſed quod ab intermixtis granis ſegetis adulterinæ ſecerneret; vt inde panes & alia ſcitamenta pro regia menſa conficerentur. Inter alia enim regalia miniſteria focariæ fœminæ erant, à quibus panes electi, & alia dulciaria regibus parabantur; vt alibi [h] indicatur. Hæc ſi

h lib. 1. Reg. 8.

minus alicui probabuntur; eam rationem ſequatur huius nodi ſoluendi; quam vt expeditiſſimam, in argumento huius capitis amplexi ſumus. Nunc ſingula diſcutiamus.

Diſſoluta ſunt manus eius.] Nihil ergo fuerat adhuc de Abnere ſuſpicatus, nec illius conſilia de Dauide manauerant: alioquin ad illius cædis nuncium, non perculſus, ſed erectus eſſet. *Diſſolui autem manus*, vt alibi monuimus, hebraiſmus eſt, quo *cadere* ſignificantur; italico noſtro reſpondens, cùm dicimus alicui, *Caſcar le braccia*, pro eo quod eſt animum deſpondere.

Filio Saul.] Ionatham hunc intelligunt nonnulli [i], quod ſupra indicaui; cui volunt illos duos

i Caiet.

Berothitas militaſſe. Sed inde ſenſus iſte refellitur; quod dura nimis & longinqua fuiſſet alluſio, ſi proximè de Iſboſetho ſermone præmiſſo, quæ

ſequuntur

ſequuntur ad Ionatham olim defunctum, de quo nullus ſermo præceſſerat, referrentur. Ad hæc, apertè ſignificatur iſtos duos duces filio Saul eo tempore militaſſe, quo nuncius mortis Abneris allatus eſt. Illa enim relatâ, ſubditur; *Duo autem viri erant filio Saul.* Quis autem non videt ſi filius iſte Ionathas eſſet, dicendum fuiſſe, non, *Erant filio Saul*; ſed *olim fuerant?*

Siquidem & Beroth reputata eſt in Beniamin.] Tria hinc vſque ad *venientes* per parentheſim referuntur, quæ non leuiter intelligentiam turbant, quod non ita conſtet, quorſum & qua occaſione referantur. Primum eſt Berothitas ad tribum Benjamin pertinuiſſe; quæ parentheſis clarior eſt, apparet enim rationem per illam reddi, cur Berothitæ Beniamitici ſint appellati:
a Ioſ. 18. 25. Ioſeph. lib 9. ant. c. 17. quia nimirum Beroth[a] vrbs olim Gabaonitarum, illi tribui poſtea adſcripta eſt. Iccirco autem diſtinctè Beniamitas iſtos fuiſſe commemorat, vt oſtendatur, qui præfecturas apud Iſboſethum gerebant, vt plurimum ex illa tribu fuiſſe.

Et fugerunt Berothitæ in Gethaim.] Hoc ſecundum eſt per parentheſim interpoſitum; quorſum, & ad quid non ita clarum, vt quod præceſſit. Qui enim Berothitæ iſti qui fugerunt? Nonnulli duos iſtos duces intelligunt, & varias cauſas cur fugerint ariolantur; quorum ſententiam ſequuti nos ſumus in huius capitis argumento tradendo. Sed probabilius omnino eſt ſermonem eſſe de Berothitis omnibus qui fugiſſe ex ſuis ſedibus dicuntur, vt occurratur tacitæ obiectioni. Dictum enim fuerat Beroth fuiſſe vrbem tribus Beniamin: ea quando hæc à ſacro hiſtorico ſcribebantur, ſaltem illius tribus habitatoribus vacua. Cur id ergo eſſet, adiungitur: quia nimirum Berothitæ fugerunt, & vrbem ſuam reliquerunt. Quando hoc? Cum clades accepta eſt, in qua
b lib. 1. c. 31. Saul & Ionathas extincti. Tunc enim (vt ſupra[b] dictum eſt) vicini populi ſuis relictis vrbibus aufugerunt.

Erat autem Ionathæ, filio Saul filius debilis pedibus] Hæc eſt tertia parentheſis reliquis obſcurior; non quod obſcura ſint quæ narrantur; ſed quod non appareat, quorſum hic inducta. Probabiliſſimum mihi eſt afferri tacitè in cauſam perturbationis totius Iſraelis: de quo præmiſ-
c Hic ver. 1. ſum eſt Abneris morte nunciata[c], *vniuerſum Iſrael perturbatum.* Perturbatus enim eſt quod Abnere extincto, nullum viderent ex Saulis familia reliquum qui rei bene gerendæ eſſet idoneus: non Iſboſethum, virum placidis moribus & enetuem; non Miphiboſeth, qui nec in præſens, nec in futurum quicquam, quod de illo bene poſſet ſperari, pollicebatur, cum puer eſſet pedibus impeditus. Cùm hæc ergo ſecum cogitarent Iſraelitæ, merito perturbabantur, quo ſe tunc verterent incerti; qui præſertim nihil adhuc de conſiliis Abneris acceperant, & regno in Dauidem transferendo.

Ingreſſi ſunt feruente die in domum Iſboſeth.] Et vbi cuſtodes? Aberant, inquit Ioſephus, aut alia de cauſâ, aut ipſi quoque in domo quiſque ſua quieturi, rege quieſcente. Ita ne vero? Et quando rex maiori cura, & eius ſalus tutanda; quam cum ſomno concedit, omni ſui cura, cuſtodiaque ſolutus? An non perpetuum hoc eſt, vt excubitores alienæ ſalutis, in illum tunc acrius inuigilent, cum magis ille indiget opis alienæ? Ita ſine dubio. Nullum ergo tempus eſt quod exigat cuſtodes magis intentos, quam cum ſomno conceditur; cum alienæ iniuriæ tunc quiſque ſit maximè paratus, & ob id alienæ quoque opis magis indigeat. Non ergo puterant abeſſe cuſtodes, quod tempus eſſet dormiendi. Probabilius ergo dicunt alij principibus prætorianarum cohortium nullum fuiſſe, qui ad regem aditum auderet occludere. Quid enim aut quis ab illis regi timeret, quorum erat maximè regem periculo ſui capitis ab omni periculo cuſtodire? ſed expeditiſſima ratio eſt etiam ſi adeſſent cuſtodes, & vigilarent, non obſtitiſſe; quia latenter ingreſſi ſunt, vt ſcriptura dicit; nullo ſcilicet vidente, nec obſeruante; quod illis facile fuit omnia ſecreta regiæ domus probe tenentibus vel certè quia ſpicas tritici gerentes, agreſtes baiulos ſimularunt.

Super ſtratum ſuum meridie.] De hoc ſomno meridiano, plura diſſerimus, cum ea Berſabeæ conſpectu lapſum Dauidis explicamus[d]. Chal- d lib. 2. c. 11.
dæus Paraphaſtes vocat illum hoc loco *ſomnum Regum*; fortè quia nocturna quies, non Regum ſit, & eorum qui aliis præſunt; ſed priuatorum. Illi enim cùm alij dormiunt, vt ſecure dormiant, publicæ debent cuſtodiæ inuigilare; vt de Epaminunda, & Homerico Agamemnone dicebatur; vel certe quia meridianus ſomnus mollium videtur eſſe & delicatorum, quales Reges ſunt, vt notat de Herode Ioſephus, & Sophronius in Prato ſpirituali. Homerus tamen alicubi fures appellat *dormitores diurnos*, ſeu de die dormientes. Cum enim vt iugulent homines, aut alienas ædes expilent, de nocte vigilent, neceſſe habent ipſo meridie dormire.

Et oſtiaria domus purgans triticum.] Huius oſtiariæ nulla mentio eſt in Hebræo, nec in hebraicis Traditionibus vt Abulenſis, & poſt illum alij notarunt: ideoque adiuncta hîc aliqui putant verba nonnulla, quæ Arias Montanus in Bibliis regiis expungit; ea tamen vulgata correcta retinet, & D. Gregorius eleganter exponit.

Aſſumentes ſpicas tritici.] Ad quid has? vt ea ſpecie *munera, & primitias regi viderentur afferre*, inquit auctor traditionum; vel vt ſe ipſos ſpicia regerent, aut quaſi tritici emptores eſſent, vt vult Chaldæus & Rabi Salomon, & indicat D. Gregorius[e], vbi hæc ad mores informandos e loco citato.
ediſſerit. Quod probabile puto, iam dixi; tritici ſpicas hos attuliſſe baiulorum agreſtium ſpeciem ſimulantes, cum ianitrix regij cubiculi, tritico ſecernendo occuparetur ad panem, & alia dulciaria ſelectis ex granis regiæ menſæ paranda. Tantùm enim genus hoc purgationis tritici regiam habitationem non dedecet; alia ſunt illa prorſus indigna, qualia per vannum, aut cribrum.

In inguine. Totum illud ſpatium quod à quinta & extrema coſta, imum ad ventrem patet, inguinis nomine accipitur interpreti noſtro Locus autem is, quod vitalia maxime contineat & nullo munimento tegatur, maximè etiam patet iniuriæ, vnde eſt vt in eo grauiter vulnerati momento fere temporis expirent; vt hic accidit Iſboſetho, & ſupra Aſaeli, & paulo poſt Abneri, & iterum infra Amaſæ, qui omnes in inguine, aut quinta coſta vulnerati dicuntur.

Per viam deſerti tota nocte.] Forte enim reliquum diei latuerunt, à ſatellitibus Iſboſeth ſibi timentes, & iccirco noctis tantum Scriptura meminit. Ioſephus dicit itinere diu, noctuque continuato Hebronem perueniſſe; ad quam ea vrbe

Mahanſim, vbi Iſboſeth interfectus, iter triginta trium horarum Adricomius conſtituit, quod difficile noctis vnius ſpatio confici potuit.

ỷ. 9.) Reſpoodens autem Dauid Rechab, & Baaoa fratri eius filiis Remmoo Berothitæ, dixit ad eos: Viuit Dominus qui eruit aoimam meam de omni anguſtia,

ỷ. 10.) Quoniam eum, qui annuociauerat mihi, & dixerat; Mortuus eſt Saul: qui putabat ſe proſpera nuociare, tenui, & occidi eum io Siceleg, cui oportebat mercedem dare pro nuncio.

ỷ. 11.) Quanto magis nuoc cùm homines impij interfecerunt virum inooxium in domo ſua ſuper lectum ſuum non quæram ſaoguioem eius de manu veſtra, & auferam vos de terra?

ỷ. 12.) Præcepit itaque Dauid pueris ſuis, & ioterfecerunt eos: præcidenſque manus & pedes eorum ſuſpenderunt eos ſuper piſcinam io Hebron: càput autem Iſboſeth tulerunt, & ſepelierunt in ſepulchro Abner in Hebroo.

Narratur hîc indigna cædes Iſboſethi per Dauidem in auctoribus viodicata. De qoa videndum qualis vindicta ſumpta fuerit, & quàm iuſtè.
a verſ. 12. Qualis fuerit; illis verbis habetur [a]. *Præcepit Dauid pueris ſuis: & interfecerunt eos: præcidenteſque manus & pedes eorum, ſuſpenderunt eos ſuper piſcinam in Hebron.* Graue planè ſupplicium, ſi viuis irrogatum, & de ſpirantibus adbuc exactum. Quid enim acerbius, quam manibos pedibuſque truncari, & ſic miserè mutilatum, ſaoguine, taboque fluentem de cruce ſuſpendi, ludibrio ſpectatoribus & feris pabulo futurum? Sed ſi prius interemptis hæc illata, & in nihil iam ſentientes ſæuitum; non videtur admodum atrociter in impios parricidas indigniſſimus ſui principis interitus vindicatus. Quid ergo dicemus? Sanè ſcripturæ verba ambigua ſunt, & prima ſpecie potios inſinuant prius interfectos, & inde manibus, pedibuſque præciſis, è ſublimi ſuſpenſos;
b Sanc. hic. quod video placuiſſe nonnollis [b]. Conſtans tamen antiquorum ſententia eſt, viuentibus adbuc & ſpirantibus hæc ſupplicia prius irrogata, & poſtea interemptos, planè vt dignum erat in la-
c lib. 7. c. 2. trones impios, & perfidos perduelles ſæoiri [c]. *Iuſſit*, inquit, Ioſephus, *eos exquiſitiſſimis tormentis*
d Quæſt. 14. *excruciatos ſupplicio dedi.* Quod Theodoretus [d] quale eſſet exponens, *extremis*, inquit, *membris mutilatos, egit in crucem.* At Scriptura videtur innuere prius interfectos. *Præcepit*, inquit, *pueris ſuis; & interfecerunt eos: præcidenteſque manus ſuſpenderunt.* Prius ergo interfecerunt, & poſtea mutilarunt. Sed obſeruanda bic conſuetudo Scripturæ in facto aliquo referendo. Fere ſemper enim hoc ſeruat, vt illud prius vniuersè proponat; deinde per partes exponat, & exequatur, ea ſigillatim referendo, quæ ſpectant ad modum quo geſtum id eſt, quod vniuersè narrauit. Huius inſtituti in narrando ſeruati clariſſimum in hoc eodem capite habetur exemplum, abſque hoc qood tractamus. Paulò antè enim de duobus
iſtis fratribus dicitur [e]; *Ingreſſi ſunt domum latenter, aſſumentes ſpicas tritici, & percuſſerunt eum* e verſ. 6.
in inguine & fugerunt. Poſt quæ verba paulo poſt ſubditur; *Et percutientes interfecerunt eum; ſublatoque capite eius, abierunt per viam deſerti tota nocte.* Quid enim? Præmiſerat percuſſiſſe in inguine, & fugiſſe; poſtea dicit ingreſſos, & percuſſiſſe, & caput abſtuliſſe. Num ergo ſemel iam in inguine percuſſo fugerunt; & poſt redeuntes, iterum percuſſerunt, & interfecerunt, & caput abſtulerunt? Nequaquam boc; ſed quæ ſubiiciuntur, noo narrantur quaſi poſt id contigerint, quod præmiſſum eſt; ſed vt quomodo factum id fuerit intelligatur, exponendo ſingula quæ in exequendo, quod eſt vniuersè propoſitum, contigerunt. Simili modo hic cum dicitur; *Præcepit Dauid pueris ſuis; & interfecerunt eos*; res vniuerſe proponitur. Nempe iuſſu Dauidis à prætorianis militibus ioterfectos, qui Dauidis, & regij palatij cuſtodiæ excubabāt. Poſtea vero ſubditur, manus illis, pedeſque præciſos, & ſuſpenſos; non quod occiſis hæc illata fuerint, ſed quod eorum occiſio ſit hac ratione patrata. manus nempe, pedeſque illis amputando, & in crucem agendo.

Sed hoc taotom ſupplicium, quam iuſtè, & ritè? Planè iuſtiſſimè, & ex more recepto. *Iuſtiſſimè*; quia licet ſæuum fuerit; aliud tamen immaniſſimo facinori non debebatur. Scelus enim graoiſſimum leui non erat ſupplicio luendum. At vnde grauiſſimum? ex multis capitibus quæ ſtatim Dauid amplectitur, & illis exprobrat; quod *regem ſuum*, quod *innoxium*; quod *domi ſua*, quod *dormientem* ioterfecerunt. Adiuogit autem bis omnibus Impietatem, cum ſubiicit, *homines impios* hoc totum peregiſſe. Cum ergo tam diſtinctè Dauid hæc omnia commemoret ad magnitudinem criminis exprimendam, videndum eſt quomodo bæc illud aogeant.

Primò ergo vocat illos *impios*. at hoc quàm verè? Neque enim apparet quam impietatem admiſerint, qui in Deum nihil admiſerunt. Sed dicendum, verè impios fuiſſe io Deum, & Regem. *In Deum*; quia illum in partem admiſſi ſceleris vocarunt. *Dedit*, inquiunt, *Dominus domino meo regi vltionem hodie de Saul.* Auctorem Deum faciuot impij facinoris; *impij propterea* ipſi merito dicuntor, & iuſte illis à Dauide im-
pietas exprobratur [f]. *Impij*, præterea in Regem, f Salian. an. 2986. n. 13.
quem taio atrociter peremerunt. Quicunque iuſtæ dominationis titulo præſunt, inſtar parentum ſunt his, quibus præſunt, vt alibi docuimus: ob id in ſcriptura patres appellantur, qui rerum habenas iuſto dominandi titulu moderaotur. Qui hos ergo lædit, impius non eſſe non poteſt, cum impius omnis ſit, qui patrem lædit.

Exaggerat deinde crimen Daoid, quod innoxium occiderint. Quid boc eſt *innoxium* occidiſſe? Qui nibil illis nocuerat, à quibus occiſus: im-
mò, vt Ioſepbus [g] obſeruat, qui ſemper de illis g lib. 7. ant. cap. 5.
optimè meritus fuerat, eos ſingulari beneuolentia proſequendo, id teſtatus eùm præfecturis extulit, & prætorianis cohortibus impoſuit.

Addit deiode, *domi ſua, & in ſuo lectulo* illum interfeciſſe, quod maximè crimen auget. Proditores enim & perfidos hoc illos oſtendit, cum Regem ſuum nihil ſibi cauentem, tunc trucidauerint, cum maximè debebant illius ſaluti proſpicere, & inuigilare cuſtodiæ. Cum ergo in vno

facinore

facinore tanta ſint crimina; non potuit hoc illis ſopplicium, quamuis graue, oon eſſe iuſtiſſimum.

Sed quam ritè ſomptom? Dubium poteſt eſſe tam de genere ipſo ſupplicij, quàm de illius exactoribus. *De genere*; quia crucis ſopplicium videtur propriom fuiſſe gentilium, non Iudæorum. Minus ergo ritè Dauid illud in bis puniendis exequutus. Sed dicendom eſt primò non vſquequaque certum an iſti propriè fuerint in crucem ſublati. Licet enim id Theodoretus exiſtimet; claré tameo Scriptura oon tradit, quæ tantùm docet illos fuiſſe ſuſpeoſos. Deinde falſum eſt crucis ſupplicium quod alibi fusè, non fuiſſe Iudæis vſurparum. De exactoribus dubium poteſt eſſe: qoia quos circa ſe Dauid *pueros* habebat, ij prætoriani milites erant, & proinde honeſtiſſimi. In reos autem & damnatos extremo ſupplicio defungi, triſtios & deformius miniſterium eſt, quàm debeat per prætorianos milites exerceri. Sed dicendum io illuſtres reos, & quos Principis ſententia ſummo ſupplicio addicebat, olim etiam ſolitum militum, eorumque honeſtiſſimorum manibus animaduerti.

LIBRI SECVNDI REGVM

CAPVT V.

ARGVMENTVM.

HOC inſigni duorum latronum ſupplicio, ſimulque Dauidis in hoſtes etiam ipſos æquitate vulgata, cuius egregium adeo documentum præbuerat in Isboſethi interitu vindicando, reliquarum tribuum principes ad meliora conſilia reducti ſunt. Cogitare enim cæperunt hinc ſe rege deſtitutos, quaſi ſine capite fluctuare; inde Abnere extincto, quem pro illo Ioabo opponerent non habere; Dauidem verò ex alia parte inſtare populi fauore, & ſua virtute florentem: quem ſi ſponte reciperent, æquiſſimum eſſent habituri; ſin peruicacius agerent, eſſent nihilominus inuiti paſſuri; eum iratum, & tota virium ſuarum mole ruentem arcere non poſſent. Occupandam proinde gratiam, & vltro quod illi negare non poterant, offerendum. Animis igitur ea in deliberatione firmatis, Dauidem adeunt, eique regno, quod Isboſethus hactenus inſederat, vno conſenſu delato, totius Iſraelis Regem humano ſuffragio conſtituunt, in quod iam pridem fuerat diuina deſtinatione vocatus. Vnctus ergo iterum & rite ſacratus, Hebrone relicto, Ieroſolymam conceſſit, amplitudini imperij parem deinceps ſedem ſequentibus regibus præbituram. Duobus autem ea tempeſtate populis; hinc Iebuſæo, hinc Iſraelitico ciuitas tenebatur. Arcem Iebuſæus habebat; vrbem reliquam Iſraelita, erat autem arx adeo manu & natura munita, vt Iebuſæus eius firmitate confiſus, ſolo cæcorum & claudorum præſidio contra quoſcunque Dauidis inſultus, iactaret poſſe defendi. Sed illam Dauid aggreſſus, obſidione cingit, breuique expugnata, & hoſte depulſo, integra eſt vrbe potitus. Ad quam muniendam amplificandamque conuerſus, arcem, quam vi ceperat, ornatam & auctam, nouis etiam præſidiis firmauit, in eaque domo magnificentiſſima ædificata, de ſuo nomine ciuitatem Dauid appellauit; & reliqua ſubiecta vrbi circunducto muro coniunxit. Inter hæc Paleſtinis affertur Hebræam rem latè viribus auctam; duobus regnis in vnum coniunctis & Dauide viro fortiſſimo in regem eunctorum ſuffragiis aſcito. Rati ergo creſcenti magnitudini occurrendum, vndique copias contrahunt, & armati tota Raphaitarum valle diffunduntur. Eo nuncio Dauid accepto, oraculum conſulit, & eius monitu hoſtes adortus, fundit, fugatque ſed illi nihilo malo ſuo ſapientiores effecti paulo poſt iterum aciem audent; & eadem valle diffuſi opportunitatem Dauidis opprimendi ſpeculantur. Ille verò oraculo iterum conſulto, de illis non vi, ſed dolis, & inſidiis inuadendis admonitus, à tergo nihil opinantes aggreditur; & exterritos occulto pauore, quem Deus pro Dauide pugnans illis immiſerat, ingenti ſtrage proſternit longo ſpatio à Gabaa, vſque Gezarim perſequutus.

℣. 1.) Et venerunt vniuerſæ tribus Iſrael ad Dauid in Hebron, dicentes: Ecce nos, os tuum, & caro tua ſumus.

℣. 2.) Sed & heri, & nudiuſtertius cùm eſſet Saul Rex ſuper nos, tu eras educens, & reducens Iſrael: dixit autem Dominus ad te: Tu paſces populum meum Iſrael, & tu eris dux ſuper Iſrael.

℣. 3.) Venerunt quoque & ſeniores Iſrael ad regem in Hebron, & percuſſit cum eis rex Dauid fœdus in Hebron coram Domino: vnxeruntque Dauid in regem ſuper Iſrael.

℣. 4.) Filius triginta annorum erat Da-

uid cùm regnare cœpiſſet, & quadraginta annis regnauit.

ỳ. 5. In Hebron regnauit ſuper Iudam ſeptem annis & ſex menſibus; in Ieruſalem autem regnauit triginta tribus annis ſuper omnem Iſrael, & Iudam.

VNIVERSÆ *tribus.*] Quomodo hoc? ſi enim tribus vniuerſæ coufluxerunt iu Hebron; vacuis ergo ſedibus Iſraelitica tota terra, ſine defenſore relicta eſt. Quod ſi fuit; quid Paleſtini tanta in opportuuitate ceſſabant? Sed obſeruanda phraſis hic eſt in Scriptura ſæpius vſitata, qua quod aliqui tantum, ex aliqua moltitudine fecerunt, omnes feciſſe dicuutur. Quod dupliciter contingit. Primò cum illi aliquot vicem aliorum gerunt, & ab ſentes referunt, quorum etiam nomine agunt, quicquid agunt. Quo pacto quoties quid à paucis ex aliqua multitudine peragitur; veriſſimè & propriiſſimè omnes id peregiſſe dicuntur. Quod enim quis per alium facit, ipſe quoque veriſſimè facere cenſetur. Secundo modo; cum maior pars totius multitudinis quid agit; & tunc loquutio, qua toti multitudini tribuitur, quod nun omnibus & ſingulis conuenit, ſed maiori parti duntaxat, tranſlata eſt, & non propria, ad id de quo ſermo eſt, eum exaggeratione exprimendum, per figuram, etiam in communi, ſermonis conſuetudine ſeruatam. Hoc ergo loco cum dicuntur *omnes tribus aduenisse*; primo modo eſt intelligenda loquutio; non quod omnes, & ſinguli cuiuſque tribus, aut quod etiam illorum pars maior aduenerit; ſed quod primores tantum; à quibus tamen aliorum nomine cum Dauide tranſigeretur. Reliqua, quæ ad vniuerſales iſtas loquutiones, vniuersè non intelligendas, in Diſputationibus commodius exequemur.

Ecce nos os tuum, & caro tua ſumus.] Hebraiſmus notiſſimus, pro eo quod eſt; ex eadem omnes ſtirpe prognati ſumus; vt ante nos alij, & nos alibi fuſius explicamus. Sed quorſum nunc hoc? vt occurrant tacitæ obiectioni, quodammodo ſe ipſos excitando, & animos ad id quod agunt addendo; vt alacrius id agant, & obſtantia cuncta repellant. Saul ex Benjaminica, Dauid ex alia tribu erat. In hunc ergo regnum transferendo, ſceptrum ex tribu Benjaminica mouebatur: hoc nihil eſſe dicunt; quando omnes ex eodem Iacob deſcendant, & ſint omnes Iſraelitæ; tam Saul, quam Dauid; tam Benjamin, quam Iuda.

Sed & heri, & nudiusſtertius.] Tria argumenta proponunt cur in Dauidem vota conueniant, & illi ſuffragium ſuum tribuant ad regnandum. Primum, à ſanguine. Secundum, à bellica virtute experimento probata. Tertium, ab oracolo. Tria enim hæc Deus Iſraelitis in Regis electione mandauerat [a] primò vt eſſet ex ſua gente. Secundò vt præliaretur bella Domini tertiò vt in eo eligendo ductum numinis ſequerentur, illum aſſumendo, quem Deus oſtenderet. Hæc tria ergo cum in Dauide conuenirent; nihil eſſe demonſtrant, vnde poſſit illius electio repelli. Sed ad quos iſta? Videntur enim ad Dauidem directa. Quorſum autem, non ſatis apparet. An erat ille verbis, & arguta oratione permouendus, vt pateretur ſibi regnum deferri? Et cum illo excuſandum; cur deferrent? Et ſi non hoc; quorſum tot illi rationes ingerere ad factum ſuum probandum? ſed dicendum orationem fuiſſe de Dauide, non ad Dauidem. Populus enim paſſim alter alterum cohortans, & populi principes ſecum iſta de Dauide iactabant; vt omnibus conſtaret quàm prudenter, quàm iuſtè quàm ritè tunc Dauid in regem admitteretur. Propterea ſignanter exprimitur *in Hebron omnes veniſſe dicentes; Os tuum ſumus, & caro tua.* Hoc enim in via, hoc in diſceſſu, hoc in Hebron inter ſe iactabant, non ad Dauidem, ſed de Dauide loquentes. Illud; *Heri, & nudius tertius*; hebraiſmus eſt etiam notiſſimus, quo tempus de proximo lapſum ſignificatur, ad eum modum quo Itali dicunt de tempore quod paulo ante præceſſit, *l'altr' hieri*, & *l'altro giorno.*

a Deut. 17. 2.

Tu paſces populum meum.] Paſcendi verbum in ſcriptura rectionem, adminiſtrationemque ſignificat. Negant id hæretici, non minùs impudenter, quam ſtolidè; dum poteſtatem à Chriſto Domino, Petro & ſucceſſoribus traditam nituntur euertere. Quando enim alia deeſſent; locus hic cum ſimilibus apertè conuinceret, *paſcere* eſſe [b] aliquando cum poteſtate præeſſe: vnde autem id, fuſiùs in Diſputationibus exequemur. Interim ſatis eſt indicare loquutionem eſſe tranſlatam, qua per ſynecdochem cauſa pro effectu, & ex duobus intimè ſe mutuò inferentibus alterum pro altero nuncupatur. Ex eo quod quis alium paſcit, & nutrit, oritur hominis in hominem regendi poteſtas; & ex eo rurſus quod quis habet ius hoc regendi & imperandi, oritur obligatio, quos regit, paſcendi. Quid mirum ergo, ſi tanto nexu duo hæc ſe mutuo conſequuntur, vt alterum quoque pro altero dicatur; & *paſtoris* nomen pro rege ponatur? Sic enim quia abſcondere & tueri diuelli non poſſunt; ſimili figura loquendi, quibus tutela præſtatur, ij in ſacris literis abſcondi dicuntur, vt infra fuſius exponemus.

b *Sic Auguſt. in Ioan. c. 21. Chryſoſt. 2. de Sacerd. Amb. c. 2. in Luc. & 5. de ſacram. c. 3. Hieron. pro eodem vertens reges, & paſces in 5. 14. & 35. Iſaia, in Ozea 3. in Mich. 2. Sophon. 3 Zach. 2. & 10. Euſeb. Apollin. Caſſiod. Arnob. in Pſal. 77. 25 & 71.*

Venerunt quoque & ſeniores ad Regem.] Non quod vniuerſæ prius tribus, deinde ſeniores venerint. Quomodo enim id poterat; ſi in ſingolis tribubus etiam ſeniores clauduntur? Sed *vniuerſas tribus veniſſe*, eſt ſeniores, qui omnium vices gerebant ad Dauidem acceſſiſſe. Quod ergo nunc dicitur, *ſeniores venerunt*; expoſitio diſtinctior eſt eius, quod vniuerſe fuerat præmiſſum; *Venerunt vniuerſæ tribus.* Sed qui ſeniores iſti? Sæpiùs dixi, qui reliquis non ætate, ſed dignitate præibant; & erant propriè qui verbo non abſimili dicuntur Italis, *Antiani.* Obſeruanda porrò conſuetudo narrandi ſacræ ſcripturæ; de qua nos ſæpius; vt prius vniuersè rem totam proponat; inde vero ita per partes exponat, vt videatur non eandem rem propoſitam explicatè diſtinguere; ſed nouam narrare. Quod ſi non obſeruatur, facile eſt vt lectoris intelligentia turbetur, dum ſeriem aliam rerum videt, aliam narrationis.

Coram Domino.] Coram Domino quidquam in ſcripturis agere, aliquando eſt ante arcam [c], vel in ſanctuario, & ante altare quid agere. quod hic eſſe non poterat, vbi nec arca, nec ahuc ſanctuarium locatum erat. Arca enim erat adhuc in Cariathiarim; tabernaculum vero in Gabaon. Quid eſt ergo hic, *Coram Domino?* Vel publicè, & in omnium oculis; vel Deo in teſtem iureiurando vocato. Quæ enim ſic peraguntur, coram Deo fieri dicuntur; quod vbi res iuramento firmatur, ibi Deus auditor, teſtis, & ſponſor interuenit, & interuenire putatur. Vnde illi dicebant [d]; *Dominus, qui hæc audit, ipſe mediator & teſtis eſt.*

c *Abulen. q. 3 in c. 5.*

d *Iudic. 11. 10.*

Er

Et ob hoc ipſum D. Paulus [a] quod iuramento firmabat, id alicubi *coram Domino* ſe loqui dicebat. vel certè, *coram Domino*, vt aliquibus [b] placet, & in ſanctuario aliquo, ſacrorum cauſa à Dauide excitato, illos iuraſſe. Nec enim pro illius pietate fuiſſe putant, vt cùm longius arca diſtaret, & tabernaculum Moyſi in Gabaon detineretur, quo non ita liberum ſuis erat accedere Iſboſetho regnante, tamdiu diuino cultu deſtitui populum pateretur. Excitaſſe ergo ſanctuarium, & in eo altare, in quo ſacris operaretur, & ſacrificia per ſacerdotes offerret. Si enim hoc in Hebron non licuiſſet; Abſalonem [c] non auſurum à patre poſtulare, vt illuc ſibi ſacrificandi cauſa liceret accedere: nec illi Dauidem fuiſſe permiſſurum. Quod ergo fœdus inter ſe Dauid & ſeniores in hoc ſanctuario percuſſerint; idcircò dici eos *coram Domino* id percuſſiſſe. Quæ vt probabilia ſint; non tamen vſquequaque certa. Cùm enim *coram Domino iurare*; ſit tantum Dei interpoſito nomine pacta firmare; ſiue coram Arca, ſiue in ſanctuario; ſiue nullis, ſiue pluribus præſentibus res agatur; non video cur vt explicetur quomodo fœdus hoc coram Domino percuſſum fuerit neceſſe ſit à Dauide ſanctuarium aliquod antea excitatum: quod an aliunde probabile ſit; iterum diſputo.

a *Ad Gal.* 1. 20.
b *Abul. q.* 3. *hic Sanc. Salian. ann.* 2986.
c *lib.* 2. *c.* 15.

Percuſſit cum eis Rex David fœdus.] Vterique viciſſim mutuo obſtricti ſunt. Populus enim Dauidi fidem, obedientiam, ſubditionemque ſpopondit; Dauid verò populo protectionem; pro eo quod diuina lex Regi futuro iubebat, ſedulo & cum fide præſtandam.

℣. 6.) Et abiit Rex & omnes viri, qui erant cum eo, in Ieruſalem ad Iebuſæum habitatorem terræ: dictumque eſt Dauid ab eis; non ingredieris huc, niſi abſtuleris cœcos & claudos dicentes; Non ingredietur Dauid huc.

Abiit Rex, & omnes viri qui erant cum eo.] De hac expeditione, quam Dauid mox vt rex appellatus, primam ſuſcepit, videndum nobis cur hoc tempore, cur in hanc potius vrbem, & cum quibus & quot militibus ſuſcepta ſit.

Cur hoc tempore? Quia tunc paratos milites habebat. Ex omnibus enim terræ Iſraeliticæ partibus, non popolares modo; ſed militares homines confluxerant ad illius inaugurationis auſpicia celebranda. Arripuit ergo occaſionem Dauid, & antequam omnes dimitteret præclarū aliquod ſibi propoſuit, quo ſui regni primordia dedicaret. Et hoc fuit vrbis Ieroſolymæ obſidio & expugnatio. Ab hac enim potius cœpit, illius periculo, & opportunitate ductus. *Periculo*; quod ſibi, ſuiſque imminebat, ſi diutius vrbs intra ipſa viſcera Paleſtinæ ſita à perpetuis Iudæorum hoſtibus detineretur. *Opportunitate*; quæ rerum omnium inde conſequebatur, ſi ſublatis hoſtibus vrbem totam ipſe in poteſtatem redigeret. Erat enim Ieroſolyma in centro fermè Paleſtini ſoli, quod Iudaici populi iuris erat. Sedem ergo ibi regiam figi, regis ipſius, & totius populi commodis maximè conducebat. Huic ergo ante omnia animus adiectus, omni ex parte ab hoſtium poteſtate vindicandæ. Qui autem iſti, quomodo, & quam partem illius haberent; paulo poſt diſſeremus.

Sopran. in David.

2. Quos ergo nunc Dauid, & quot ſecum milites hac in expeditione tetinuit? Prima ſtatuendum eſt habuiſſe illum in Hebron ingentes planè copias paratas. Indicant hoc verba præmiſſa; *veniſſe ad eum tribus vniuerſas*; quod non ſolum de vulgo promiſcuo, ſed multo magis de manipolis militum, qui toto regno Iſraelitico diſperſi erant; intelligi debere conuincunt, quæ in libris Paralipomenon [d] habentur. *Sed & per ſingulos dies veniebant ad David ad auxiliandum ei, vſque dum fieret grandis numerus, quaſi exercitus Dei.* Hæc enim verba male ab aliquibus in aliud tempus relata, rectiſſime ad hoc inaugurationis referenda, ante nos alij [e] monuere. Secundo ſtatuendum, totum numerum militum, qui confluxerant, ingentem plane ſummam confeciſſe; quæ ſi ſupputetur, ex his quæ diſtinctius in libro Paralipomenon [f] traduntur, ſupra ſexcentos viginti duos ducenta quinquaginta ſex millia complectebatur. Is autem numerus, vt ſupra fidem non habeatur, alij [g] faciunt, qui longe maiorem ſummam conficiunt; & vltra trecenta quinquaginta militum millia extendunt. quod quam recte, non eſt hic ſubtilius inquirendum. Iam verò an hos omnes hac in expeditione duxerit; incertum eſt. Duxiſſe ſignificant quæ hic dicuntur. *Abiit*, inquit, *David & omnes viri qui erant cum eo, in Ieruſalem ad Iebuſæum habitatorem terræ.* De quo ipſo diſtinctius alibi [h]. *Abiit David & omnis Iſrael in Ieruſalem, hoc eſt Iebus, vbi erãt Iebuſæi habitatores terræ.* Aſt aliis non videtur pro Dauidis prudentia fuiſſe 357. hominum millia ad arcis vnius expugnationem perducere. Putant [i] ergo reliquis ex magna parte dimiſſis, tribum Iuda & Beniamin fuiſſe hac in expeditione retentas. Quod ſi ſequimur; quod hic & in libris Paralipomenon habetur, *omnes viros, & omnem Iſrael abiiſſe cum David in Ieruſalem*; intelligendum eſt, vt ſæpe in ſcriptura ſolet, cum diſtributione accommoda, omnes nimirum, non abſolutè, ſed qui idonei ſint ad id iudicari, quod agebatur.

d *libr.* 1. *cap.* 12. 2.
e *Ioſeph. libr.* 7. *cap.* 7. *Abul q.* 25. *&* 28. *in Paral. Lyran. & Caietan ibi Torniel ann. David.* 8 *n.* 3.
f *libr.* 1 *c.* 12.
g *Salian. an.* 2986. *n.* 28.
h *lib.* 1. *Par. cap.* 11. 4.
i *Serrar. hic*

In Ieruſalem ad Iebuſæum habitatorem terræ.] Erat locus, vbi Ieroſolyma ſita, quaſi centrum & vmbilicus terræ Chananitidis; ex qua facile erat in vniuerſam, ſi quid opus eſſet, æquis fermè ſpatiis diffundi: propterea diuino monitu, à Dauide in ſedem regni, & ſacrorum domicilium deſtinata. Quomodo autem nunc à Iebuſæo habebatur? Abulenſis exiſtimat non ſolum Ieroſolymæ partem; ſed plura quoque circum vicina loca, tunc Iebuſæum tenuiſſe; & id verba ſcripturæ indicare Iebuſæum *terræ habitatorem* appellantis: illius ſcilicet regionis, in qua Ieruſalem ſita poſſeſſorem. Sed probabilius eſt, quod aliis placet, ſolum Ieroſolymæ partem aliquam tunc à Iebuſæo poſſeſſam. Nec aliud illa verba ſignificant; *Ad Iebuſæum habitatorem terræ*; illius nimirum de qua proximè ſermo, nempe Ieroſolymæ. Terra enim nonnunquam etiam bonis auctoribus, vrbs, & ciuitas eſt; vnde *conterranei dicti, quia ex eadem ciuitate.*

Quæ ergo pars à Iebuſæo, & quomodo poſſeſſa? Ad hoc obſeruandum, quatuor in partes, ſeu regiones Ieroſolymam fuiſſe diſtinctam. Prima, & reliquis ſublimior, mons Sion erat, ciuitas ſuperior, & poſtea ciuitas Dauid appellata. Secunda illi è regione reſpondens, erat mons Acra Septentrione verſus, qui ſuperiorem

ciuitatem quaſi ſuſtinendo excipiebat, paululum illi ſubiectus, vt ait Ioſephus.[a] Tertia collem complectebatur inter duos ſuperiores, Sion ſcilicet,& Acram,interiectum,qui Moria dicebatur, in quo poſtea templum Salomon ædificauit. Quarta denique pars reliquis interiacens, & adiacens,Bezeta erat, ipſa etiam in collem educta, & noua poſtea ciuitas appellata. Ex his quatuor præcipuis Ieroſolymæ regionibus Iebuſæi, non niſi vnam,nempe collem Sion,hoc tempore poſſidebant;cæteris tamen omnibus ampliorem, & firmiorem, vt fusè ſacri Geographi[b] tradiderunt. At quomodo hanc poſſidebant?Difficultatem facit,quod arduum videtur potuiſſe populos internecino inter ſe odio diſſidentes,tandiu duas eiuſdem ciuitatis partes incolere. Quod enim in tanta vicinia poterat otium, & quæ quies à mutuis cædibus ſperari? Sed dicendum quo tempore Iebuſæi Ieroſolymæ partem tenebant, omnia quæ Ieroſolymæ nomine comprehendebantur,non itidem vno ambitu murorum fuiſſe concluſa. Mons enim Sion ſuis mœnibus & illis quidem validiſſimis cingebatur;ita vt per ſe ſpectatus,oppidi inſtar haberet, & diceretur; reliquæ autem,quas diximus partes,ſuis & ipſæ mœnibus clauſæ,licet non ita validis, ab arce Sion ita diſiungebantur,vt non facile poſſent hoſtilia inuicem pati, aut exercere. Vtraque verò loca tam ab Hebræis poſſeſſa,quæ ciuitas inferior dicebatur; quam à Iebuſæo, quæ ciuitas ſuperior, fuiſſe Ieroſolymæ nomine nuncupata;documento eſt,quod Dauid Goliæ caput in Ieruſalem dicitur intuliſſe,[c] & nunc idem dicitur in Ieruſalem expeditionem mouere: quod non eſſet, niſi tam Iebuſæi,quam Hebræi Ieroſolymorum partem aliquam poſſediſſent.

a lib.6.de bel. cap 6.

b Burcar. 1. p.cap.7.§.42. Villalpan.t.3. lib.1.cap 6.

c lib.1.Reg. cap.17.

Dictumque eſt Dauid ab eis.] Præceptum[d] à Domino fuerat Iſraelitis, vt ſi quando accederent ad expugnandam ciuitatem *offerrent ei primum pacem.* Hoc nunc Dauid ſeruauit cum Iebuſæis. Amicè enim ab eis arcem poſtulauit, abeundi quo vellent, libera poteſtate permiſſa. Sed illi pacis conditiones non ſolum contumaciter recuſarunt; ſed procaciter inſuper illi offerentem hoc reſponſo quod ſequitur, irriſerunt. At poteſt ambigi quam iuſtè Dauid arcem poſtulauerit,& in illam quid ipſe,quid populus Iudaicus Iuris haberet. In facili reſponſio eſt. Ab iis enim Dauid arcem dum poſtulabat, id quod ſuum erat,& populi Iudaici poſtulabat;ſiue quod tam alias à Iudæis expugnata, & iuſtè poſſeſſa fuiſſet; ſiue quod etiamſi nunquam expugnata, ad regionem tamen pertinebat, quæ iam expugnata,tota in Iudæorum poteſtatem belli iure,& Dei aſſignatione conceſſerat. Videamus ergo quid Dauidi ſua pacatè poſcenti fuerit ab illis reſponſum.

d Deuter.20. 10.

Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos, & claudos, dicentes: Non ingredietur Dauid huc.] Obſcura verba per ſe ſatis ambigua; & longè magis interpretum varietate perplexa.

De cœcis ergo iſtis & claudis eſt primo nobis quærendum;de quibus,qui eſſent, cur ſic appellati, & ad quid à Iebuſæis in hoc ſuo reſponſo Dauidi propoſiti,duæ præcipuæ ſententiæ feruntur. Altera,aſſerit fuiſſe ſtatuas; altera,veros homines. *Statuas*,tripliciter. Primo, fuiſſe ſimulacra duo; alterum, Iſaac cæcutientis; alterum, Iacob claudicantis. Propterea autem propoſita Dauidi volunt,& eius militibus vt fœderis olim inlti cum Abimelech admonerent; quod iureiurando firmauerant; nec illi ſe,nec illius poſteris nocituros. Vt ergo ab oppugnanda vrbe auerterent, huius fœderis memoriam illis obieciſſe. Quod vt acrius moneret, imagines vtriuſque Patriarchæ propoſuiſſe; in quarum ore fœdus ipſum deſcriptum. Senſus ergo eſt horum verborum;*non ingredieris huc,niſi violato* prius fœdere, quod Iſaac,& Iacob cum Abimelech pepigerunt; per illorum tibi latus enſis eſt adigendus, quem nobis intentas. Secundo, fuiſſe ſtatuas ſtramentitias malè conſarcinatas quales in hortis ſuſpenduntur,auium terrori.in contemptum autem Dauidis,& militum eius erectas, quorum impetum, quaſi auicularum auertere imagines illæ poſſent,ipſis Iebuſæis nihil agentibus: vt ſenſus horum[e] verborum ſit; non ingredieris niſi hæc ludibria hominum ſuſtuleris, cum quibus tibi bellandum eſt,non cum hominibus. Tertiò,appendiſſe Iebuſæos ſtatuas ædium faſtigiis;Dauidi autem deditionem poſtulanti reſpondiſſe, ſuperanda prius illi eſſe ædium faſtigia,vt arce potiretur;& volatu, non aſſultu rem peragendam; Ad ſignificandam nimirum difficultatem oppugnationis ex altitudine vrbis,& arcis.

e Indicat. Eraſm. in Adag.

Hæc opinio cum ſuo triplici membro falſa eſt; & communiter prius refellitur, quatenus hos cœcos, & claudos *ſtatuas* interpretatur. Nam qui cæci dicuntur, clamare dicuntur; *Non ingredietur huc Dauid*; ſtatuæ autem clamare non poterant. Clamaſſe autem, quod in ore haberent aliquid ſcriptum;eſt rabinica fictio; qui cum quid volunt, ſolent illud mero meridie ſomniare;& quæ ſomniauerint,pro veris obtrudere. Præterea,cœci iſti dicuntur *odiſſe animam Dauid.* hoc in ſtatuas cadere quomodo poterat?

Secundò peculiariter membra ſingula refelluntur. Primum quidem, quod eſt commentum rabbinicum,& anili fabula futilius reiicitur;quia non Iſaac & Iacob; ſed Abraham cum Abimelech pactus eſt,illi ſe, & eius poſteris non nociturum.Quorſum igitur huc Iacob,& Iſaac aduocare?Præterea progenitores ambo Dauidis erant; quomodo ergo animam ipſius odiſſe dicuntur? Ad hoc,volebant Iebuſæi illarum imaginum obiectu placare Dauidem; quorſum ergo illas ſub contumelioſo ſchemate proponere? Denique, quare cœcus Iſaac, quare claudus Iacob; cum neuter verè talis fuerit?Et cur cœci & claudi dicuntur auferendi; ſi vnus erat tantùm cœcus & vnus claudus?

Secundum membrum minus abſurditatis videtur habere; inde tamen etiam refellitur,quod durum nimis eſt cœcorum, & claudorum nomine rudes hominum effigies intelligere ventorum ludibrio ſuſpenſas. Quid enim eſt diuinare; ſi non hoc eſt? An nullum aliud vocabulum ſuppetebat, quo ſtramineas, & pannoſas imagines appellarent; quam cœcorum & claudorum? Et hac eadem ratione tertium membrum reiicitur. Quia ſenſum illum verba contortè nimis & violenter admittunt: quanto enim circuitu opus eſt,vt hoc intelligamus per iſta verba, quod per hanc expoſitionem illis affingitur? Cœcorum nomine accipiuntur imagines; imaginum vocabulo denotantur faſtigia; per hæc innuitur altitudo turrium. *Auferendos ergo eſſe cæcos, & claudos*;eſt,tranſcendi ſublimitates vrbis oportere,vt oppidum dedatur. At hoc pacto tota Ilias Ho-

meri

meri his paucis verbis poſſet adaptari.

Eſt ergo ſecunda opinio, de veris bominibua hic ſermonem eſſe, cùm de claudis & cæcis Iebuſæi loquuntut? Trifariam autem poſſe hos honorea accipi. Primò, intelligi ipſos Iebuſæos, qui per contumeliam à Dauide *cæci & claudi* appellari, maledictia ſperitate commoti, poſtulanti deditionem, cum amara exptobratione reſponderunt, vrbe aliter non poritutum, quam cæcis, claudiſque ſublatis: id eſt niſi plane deuictis & debellatis, quos ille claudos & cœcos appellauerat. Probabilis interpretatio [a]; quæ tamen aliquid affictum videtur habere, in illa contumelioſa appellatione comminiſcenda: ſctiptuta id non loquitur; & hoſtes ab hoſtibus *cæcos & claudos* appellari, nec conſuetum, nec militate conuicium eſt. Et ſi eſſet; ſic appellatos à Dauide Iebuſæos, & ad id eos adeo doluiſſe; planè eſt diuinare.

a *Hiſt. de qua Hiſt. ſchol. Gloſ. ordin. Hier. in Tradit. Abulen. q 7. bic.*

Secundò, nomine cœcorum & claudorum intelligi volunt alij [b], qui tales ſunt, non corpore, ſed animo; peccatores ſcilicet & flagitioſos. Hi enim verè cœci & claudi ſunt. *cæci*, ex peruerſa intentione; *claudi* ea mala operatione. Sed hæc intempeſtiua philoſophia hoc loco nimis importunè ſe ingerit; ſcilicet Iebuſæi quos Dauid premebat & oppugnabat, id curabant; vt qui eſſent peccatores & flagitioſi Dauidem docerent; & ipſos auferendos monerent.

b *Ionnis Chald. Paraphr.*

Tertiò ergo, fuiſſe veros claudos & cœcos, & alios ſimili corporis debilitate confractos; qui per vrbis arciſque faſtigia diſpoſiti à Iebuſæis fuerant in hoſtium cōtemptum, & argumentum firmitatis mœnium, quæ nullo alio præſidio egebant aduerſus hoſtiles incurſus, quam cœcorum & claudorum. Et ſimile quid factum legimus in obſidione Tyri apud Ezechielem [c]. Vbi ſignificantur poſitos homunciones, qui ob id pigmei appellantur, in ambitu murorum vrbis, vt eam ab hoſte defenderent, quod ob ſui firmitatem inexpugnabilis, aliis ipſa propugnatoribus non egeret. Hunc ſenſum reſponſo Iebuſæorum Ioſephus attribuit, quem alij ſequuntur [d]. *David*, inquit, *cum omnibus his Ieroſolymam eſt profectus, Iebuſæi verò, qui tunc vrbem incolebant, Chananæorum & ipſi generis, clauſis ad eius aduentum portis, & in mœnibus ad contemptum Regis quot quot erant cæci, vel claudi, aut alioqui mutili, collocatis, dictitabant hos ad arcendum hoſtem ſufficere, freti munitionum firmitate.* Iſti ergo claudi & cæci Dauidem odio habebant; quia erant eius hoſtes, & clamabant; *Non ingredietur huc David.* Quia ſic eos ſui principes iuſſerant. Id autem totum fiebat, vt ſuis animus accreſceret; & ex contumelia Dauidi facta, veniam omnem deſperarent obſeſſi. Proinde ipſe tota in armis & dexteris collocata ſtrenuè cuncta obſidionis incommoda ſuſtinerent.

c Cap. 27. 11.

d *Salian. an. 2987 n. 8.*

Dicemus non ingredietur David huc.] Ironia hic amariſſima continetur. Dicunt enim principes Iebuſæorum non ſecum, ſed cum cæcis & claudis agendum eſſe Dauidi; & cum illis deditionis negotium tranſigendum. Eos enim eſſe qui Dauidem recipere recuſent; illos ergo prius alloquendos & placandos. Iccircò autem Dauidem nolle ipſos admittere; quod oppugnationi ſolos ſe ſuffecturos exiſtiment; tanti nimirum Dauidem, & eius milites faciebant. Manifeſtè ergo ea verbis iſtis eorum opinio reiicitur, qui claudos & cæcos, milites quos ſecum David habebat, interpretantur; quos dicunt ſic à Iebuſæis appellatos, quod iam olim cum ex Ægypto Iudæi educerentur, affecti ſimili conuicio fuiſſent. Egrediente enim Moſe, ab idololatris exprobatum [e], quod cæcos, & claudos educeret. Ad hanc ergo veterem contumeliam Iebuſæos alludentes, *claudos, & cæcos* Iudæos intelligere; quos volunt à Dauide dimitti, ſi in arcem ipſe cupit admitti. Vt vno verbo ſenſus ſit; ſi vis ad nos ingredi, & arcis tibi portas aperiri, armatorum tuorum copias dimitte. Ita illi; qui ſi non aliunde, verbis iſtis vt dicebam, manifeſtè redarguuntur. Quomodo enim cæci & claudi Iudæi milites intelligi poſſunt, ſi iſti Dauidi adſunt ad arcem expugnandam; cæci verò & claudi, de quibus Iebuſæi, Dauidem nolunt in arcem recipere, clamātes identidem; *Non ingredietur David huc?*

e *Ioſeph. con. Appian.*

℣. 7.) Cepit autem Dauid arcem Sion, hæc eſt ciuitas Dauid.

℣. 8.) Propoſuerat enim Dauid in die illa præmium, qui percuſſerit Iebuſæum, & tetigiſſet domatum fiſtulas, & abſtuliſſet cæcos & claudos odientes animam Dauid. idcirco dicitur in prouerbio: Cœcus & claudus non intrabunt in templum.

Arcem Sion.] Hia verbis arcis oppugnatio, & expognatio vniuersè proponitur; ſequentibus modus, quo capta & expugnata, narratur. Innuitur autem hac ratione loquendi ſumma celeritas expeditionis confectæ. Statim enim poſt contumelioſa verborum ludibria ab obſeſſis in obſidentes iactata, ſubiicitur cepiſſe Dauidem arcem, & expugnaſſe. Cuius celeritatis tacitè quaſi ratio redditur, cùm ſubditur; *Propoſuerat enim David in die illa præmium.* Per hæc enim non mirum oſtenditur; ſi tam cito locus arte & natura munitus, fuerit expugnatus, ad quem ſuperandum præmio ingenti propoſito, militum animi fuerant excitati.

Propoſuerat enim David in die illa præmium.] De hoc præmio quod, & quale fuerit, & ſub quam multiplici conditione propoſitum; multa ſunt, quæ non leues difficultates obiiciunt: eas hic nos breuiter diſcutiemus & reſoluemus.

Primò ergo, quod hoc præmium fuit? Id hoc loco Scriptura non exprimit; ſed in libris Paralipomenon [f], quod hic omittitur, diſtinctè ſuppletur. *Dixitque* (David) *omnis qui percuſſerit Iebuſæum, in primis erit princeps & dux.* Præmium ergo propoſitū fuit præfectura aliqua militaris. Qualis igitur? Multæ enim ſunt in militia; maiores, minores, & omnium ſuprema. Pleriique hanc intelligunt, & volunt [g] ei, qui primus hæc peregiſſet, imperium totius exercitus conferendum. Hanc autem cauſam fuiſſe cur tam celeriter arx fuerit expugnata. *Omnes enim* inquit [h] Ioſephus, *accenſi ſumma præfecturæ cupiditate, certatim contendebant.* Sed hoc incredibile planè videtur. Primo, enim quæ militaris prudentia fuiſſet, munus illud, ex quo ſumma ſalutis publicæ dependet, non iudicio, ſed caſu deferre? Caſus enim hic locum potuit habere, & non ſola virtus: & ſi virtus, ea non erat neceſſe vt imperatoria eſſet, ſed gregarij militis, qui cæteris audacior & promptior, & per pericula ruens, ſtolidè ferox in

f *lib. 1. c. 11. 6.*

g *Abulen. q. 7. in cap. 5. Salian. ann. 2987 n. 11.*

h *lib. 7. c. 2.*

mœnia primus euaderet,& deiiceret Philiſtæos? Huic ne ergo cura totius exercitus erat mandanda,ſolum ob hoc,quod omnium audaciſſimus, & & ſui ſanguinis inconſultè prodigus , quod plures alij conſultios eſſent aggreſſi , ſolus ipſe fœlicius,quam fortius peregiſſet ? Adde quod longè difficultatem vrget , ſummum totius militiæ præfectum tooe Ioabom fuiſſe : quorſum igitur illum hac denunciatione tam acriter irritate? Nam vel erat ei ſummus principatus ademptus; vel adhuc perſeuerabat. Si ademptos;quando, & qua occaſione ? Contraria enim omnis Scriptura ſignificat,quæ refert Abneris mortem lo Ioabo diſſimulatam,quod propter illius potentiam, & gratiam , quid in illum grauius non auderet. Si ergo ſuus adhuc honor Ioabo manebat ; quæ Dauidis prudentia fuiſſet , in ipſo articulo obſidendæ vrbis,qua tantopere potiri cupiebat, magiſtrum militum tanta contumelia irritare ?

Probabilius ergo mihi eſt principatum & præfecturam militarem pro præmio propoſitam,non certam,& deſignatam ; ſed pro ratione ordinis in quo quiſque conſcriptus ; vt manipularis fieret centurio;Centurio Pentacontarchus; hic Chiliarchus,& ſic deinceps.Hoc enim pacto periculum non erat,vt fauente fortuna , audaciſſimi cuiuſpiam votis , incommoda propoſitā ſequerentur. Sed hæc prima ſpecie probanda, non videntur omnino difficultatem tollere. Quid enim ſi gradu dignitatis , imperatori proximus præmium abſtuliſſet ; illo ne abdicato , aut de gradudeiecto,ipſe ſucceſſiſſet?Non opinor. Sed aliquem alium principatum ſortitus eſſet ; qualem , aut quem ; non eſt hic ſubtilius inquirendum.

Quis ergo præmium hoc conſequutus ? Nec de eo quicquam hic Scriptura commemorat, quod in libris Paralipomenon [a] diſtinctè ſigna-
a li.1.c.11.7
tur. *Aſcendit* , inquit , *primus Ioab filius Saruia, & factus eſt princeps.* Quis, aut qualis ? Ioſephus & alij, quos adduxi , ſummum volunt ; factumque dicunt tunc Ioabum , quem Galli nunc appellant,*Conneſtable*,vniuerſæ nempè rei militaris in toto regno Dauidis ſummo cum imperio præfectum. Sed quomodo muneri huic nunc Ioab admotus,quod iam habebat? Rectè reſpondeor,hactenus fuiſſe Ioabum in vna tantum Iudaica tribu militiæ Magiſtrum ; nunc totius Iſraelis ſummam rei bellicæ cum imperio accepiſſe. Et hæc de præmio ipſo:iam de conditionibus ſub quibus propoſitum.

Tres hîc referuntur,in libris Patalipomenon vna tantùm. Prima quæ hic refertur, eſt de *Iebuſao percutiendo*;ſecunda,de *domatum fiſtulis* tan-
b hic ver.8.
gendis ; tertia , *de cæcis , & claudis* auferendis [b]. *Propoſuit*,inquit, *Dauid in die illa præmium , qui percuſſiſſet Iebuſæum , & qui tetigiſſet domatum fiſtulas,& abſtuliſſet cæcos & claudos odientes animam Dauid.* Ea his prima tantum in primo Pa-
c Cap.11. 7.
ralipomenon [c] habetur. *Omnis* , inquit , *qui percuſſerit Iebuſæum in primis , princeps erit.* Mirum autem eſt quot in ſingulis conditionibus difficultates inuoluantur. Ordiamur à prima.

Qui percuſſerit,inquit,*Iebuſæum*;quomodo hoc accipiendum ? Qui quempiam ea hoſtibus omnium primus occiderit, vt in libris Paralipomenon indicatur,vbi eſt; *Qui percuſſerit Iebuſæum in primis* ; hoc ſic intellectum ſua difficultate non caret. Quid enim habet eximium in ardenti conflictu , cùm manus conſeritur , & gladiis res tota decernitur , aliquem aduerſæ partis occidere ? At qui primus hoſtilem ſanguinem hauſit, aliquid habet eximium ; vt propterea præmio donandus ſit. Eſto hoc ; ſed in tanta multitudine quis poteſt aduertere quis primus,quis ſecundus banè rem geſſerit ? Propter hoc exiſtimarem,non ſimpliciter præmium propoſitum Iebuſæum quemcunque promiſcuè occidenti ; ſed primarium aliquem, & præfectura fungentem. Quod fortaſsè indicant verba Paralipomenon ; *Qui Iebuſæum percuſſerit in primis* ; illud enim *in primis*, non ad occidentem , ſed ad occiſum eſt referendum; vt ſit ſenſus ; Qui occiderit Iebuſæum , qui ſit in ſuis inter primos.

Sequitur ſecunda conditio longè abſtruſior; *Qui tetigerit domatum fiſtulas.* Quid enim hæ fiſtulæ,aut quomodo tangendæ? Sunt qui fiſtulas hoc loco *cuniculos ſubterraneos* interpretantur; & habent adſtipulatorem ſententiæ ſuæ Theodoretum, qui tamen cum illis manifeſtè refellitur. Quid enim cuniculis cum domate , cùm domata ſint in domibus pars omnium ſuprema, cunctiſque conſpicua : cuniculi vero prorſus in ipſa terræ viſcera ducantur ? Alij [d] fiſtulas intel- d Abul.q.7.
ligunt tigna *domatum* prominentia : quod perinde eſt , ac ſi quis cucurbitam quercum interpretetur. quid enim affine habent tigna cum fiſtulis ? Tigna ſolida ſunt, & eſſe debent , excauatæ *fiſtulæ* ; tigna,lignea ſemper , immo ipſa lignum ; *fiſtula*, ex quacunque materia : tigna ad fulciendum ; *fiſtula*, ad liquorem admittendum, aut emittendum. Volunt ergo alij *domata* , hic eſſe tecta non teſtudinata, nec in faſtigium educta,ſed plana ; qualia vulgus Hiſpanicum *Terrados* appellat,in Paleſtina terra maximè frequen-
tia,vt Hieronymus [e] refert. Horum *fiſtulas* ca- e Epiſt. 135.
nales intelligunt,ad imbres recipiendos,& emittendos in illa extructos ; nam quia plana ſunt, emiſſarium aliquod habeant neceſſe eſt , quod aquas pluuias admiſſas exoneret : alioquin aquâ ſenſim influente,periculum eſt ne domus vniuerſa vitium ducat , & labefactetur. Probabiliſſimum mihi eſt , *fiſtulas* hic tubos prominentes intelligi in ſummo arcis faſtigio locatos , ad aquas pluuias recipiendas,& in ſua conceptacula deriuandas. Quia enim in arcibus ſummum periculum eſt ab aquæ penuria , cautè prouidetur,vnde eius copia poſſit haberi;ſic vt ab hoſtibus eius facultas non intercludatur obſeſſis. Hoc præſtant canales , & imbrices fiſtulati ſummis ædium faſtigiis diſpoſiti. *Domata* enim rectè dicebatur , aliud quam tecta,non ſunt ; apud Paleſtinos & Orientales coronata, & ſuis pinnis diſtincta ad tutelam ſimul & proſpectum. Quare noſter interpres pro eo quod in Græco *δῶμα doma* eſt,ſæpiſſimè *tectum* vertit,& *ſuperiora domus*, vt cùm de Petro dicitur. [f] *Aſcendit Petrus* f Act.10.
in ſuperiora domus vt oraret circa horam ſextam; vbi Græcè eſt *δῶμα doma*.Et quod Chriſtus præ-
cipit; [g] *Quod in aure auditis,prædicate ſuper tecta*; g Mat. 10.
Græcè *δώματα domata.* Cum ergo hæ ſint *fiſtulæ* ; quid eſt illas tangere ; vt id facienti ſit præmium propoſitum ? Aliqui de *tactu* intelligunt, qui miſſilibus fiat,per iacula & ſagittas. Voluiſſe enim Dauidem aquæ copiam obſeſſis auferre,ad eum modum, quo longè poſtea Caius Marius eum Saturnium in Capitolio obſidebat , *fiſtulas*,
vt dicit alicubi Cicero [h],*quibus aqua ſuppedita-* h Pro Caio
batur, Iouis optimi maximi templis,ac ſedibus præ- Rabir.in fine.
cidi imperauit. Mihi probabiliſſimum eſt tactum hunc

hunc accipiendum, de eo qui primus in arcis faſtigium euaſiſſet, & ipſas fiſtulas ex ſummitate turris extantes tetigiſſet. quæ eſt Ioſephi expoſitio à pleriſque [a] probata. Declarans enim quomodo Ioab præmium propoſitum abſtuliſſet; *Ioab*, inquit, *Saruiæ filius alios præueniens, & arce conſcenſa, ſublato clamore promiſſum à Rege copiarum imperium repoſcit.*

a Salian. an. 1987. n. 10.

Reſtat tertia conditio *de cæcis & claudis* auferendis. Ij, qui ſint, quomodo auferendi, quare Dauidis animam odiſſe dicantur, idem conflictus, & varietas eſt opinionum, quæ de cœcis clamantibus. *Non ingredietur huc Dauid.* Breuiter ergo dicendum, cœcos auferendos, eſſe vel ipſos Iebuſæos ſic per contumeliam appellatos, vt placet aliquibus vel, quod omnino probabilius eſſe docuimus, verè *claudos & cæcos*, in Dauidis & exercitus eius [b] contemptum, quaſi defenſores arcis idoneos in mœnibus collocatos. Sed quomodo auferendi? Res clara erat, niſi turbaret Theodoretus. Cum Dauid, inquit, *cœpiſſet Iebus, alios quidem Iebuſæos iuſſit interfici, claudos autem & cœcos qui irridebant è muro, ob lenitatem & animi magnitudinem conſeruauit, edicto propoſito vt occideretur, qui feriret aliquem ex ipſis.* In hanc ſententiam ductus eſt Theodoretus ex verbis LXX. quæ ſic habent; *Et dixit Dauid in die illa; Omnis qui percuſſerit Iebuſæum, tangat in pugione, & claudos, & cœcos, & odio habentes animam Dauid.* Hæc, inquam LXX. ſi emendate legantur. At Theodoretus neſcio quibus exemplaribus vſus, aliter omnino ſic legit; *Omnis feriens Iebuſæum claudum, aut cæcum tangatur pugione.* ex qua corrupta lectione non mirum ſi corruptam quoque ſententiam hauſerit, & ſecundum illum *ablatio cæcorum* ſit, illorum in poteſtatem Dauidis illæſa reductio; vt viui, vt intacti, vt nulla parte læſi ſeruentur incolumes. Sed manifeſtè tam ex textu ipſo, quam ex aliorum omnium interpretum [c] communi ſententia, hallucinatus eſſe conuincitur. Omnes enim ablationem cœcorum, eorumdem cædem interpretantur. Occidenti ergo & de medio cœcos ipſos tollenti, præmium propoſitum. Cum enim præcipuum, quod Dauid intenderat, eſſet arcem conſcendi, illiuſque ſummitatem ſuperari, præmium propoſuit ei, qui primus in illius faſtigium ſubiret; & id non vt illico deturbaretur; ſed vt inſiſteret, & pedem, quaſi in capta, firmaret. Ad quod duo argumenta requiſiuit; vt fiſtulæ deiicerentur, aut haſta tangerentur, [d] cœcique & claudi arce ad amarum ſuorum ludibrium locati de medio tollerentur.

b ver. 6.

c Salian. an. 2987. n. 25. & in ſchol. n. 8.

d Hieron. in Tradit.

At hi quomodo animam Dauidis odiſſe dicuntur? Hic etiam aliqui turbant ex Hebræo contrario modo, quàm noſtra vulgata legentes; *Qui abſtulerit cæcos, & claudos exoſos Dauidi.* Nam vice verſa, Dauid eos odiſſe dicitur, qui in noſtra Dauidem odiſſe dicuntur. Cuius ſenſus planiſſimus eſt. Odiſſe enim Dauidis animam, perinde eſt ac ab Dauide abhorrentes; in quem illud aſſiduè clamabant; *Non ingredietur huc Dauid.* Vt odiſſe poſitum ſit hîc pro verbis, & ſignis, & *ſermonibus* [e] *odij*, vt alibi loquitur, Dauid in aliquem ferri.

Pſal. 108.

Idcirco dicitur in prouerbio; Cæcus & claudus non intrabunt in templum.] Mirum quantopere quoque de ſenſu iſtius prouerbij ſit inter interpretes variatum. Nec enim facilè apparet, quid ipſa per ſe verba velint, dum dicitur; *Cæcus, & claudus non intrabunt in templum*, neque quam formam, aut vſum prouerbialem contineant; nec vnde ex iis quæ præceſſerunt, occaſio ſumpta ſit huius prouerbij cudendi. Quod enim verbum hactenus de templo, vt inferri debeat, prouerbio iactari, *Cæcus & claudus non intrabunt in templum?* Longis ergo aliorum diſſertationibus omiſſis, breuiter explicemus, quid ſit *Cæcus, & claudus non intrabunt in templum:* quomodo habeat huc locum prouerbij; quomodo ex præcedentibus ortum.

De primo eadem iterum controuerſia ſurgit qui ſint iſti cœci de quibus prouerbium formatum. Quidam [f] verè cœcos intelligunt, & hos quoſcunque ſiue fideles, ſiue infideles, quibus volunt olim iam à Deo templi ingreſſum fuiſſe interdictum; non abſolutè, ſed ad aliquod ſacerdotale officium exercendum. Sed quem locum præceptum illud hic habet? ſermo ibi eſt de miniſterio, non de templo; de illius vſurpatione, non de huius ingreſſu. Deus enim ibi Moyſi edicit; [g] *Qui habuerit maculam, non offeret panes Deo ſuo; non aſcendet ad miniſterium, ſi fuerit cæcus, & claudus.* Cui enim dubium eſt, ſi de templi ingreſſu, non de miniſterio in templo loquamur, illum cœcis & claudis patuiſſe; cum Chriſtus Dominus in templo *cæcos & claudos* ſanaſſe legatur [h]? Præterea, quem nexum habet hoc præceptum leuiticum cum modo geſtis; vt quia Dauid cœcos, & claudos exturbauit, idcirco verba præcepti in prouerbium fuerint vſurpata? Volunt ergo alij ſtatuiſſe Dauidem in odium cœcorum à quibus ludibrio fuerat acceptus, ne deinceps vnquam cœci & claudi in arcem Sion admitterentur. Sed quid Hebræorum pueri in Dauidem peccarunt? vt quia Iebuſæus olim per cœcos & claudos in Dauidem conuicia iecerat, ab ingreſſu ciuitatis Dauidicæ prohiberentur, ſi cœci & claudi vſquam fierent, aut naſcerentur? Et vbi decreti iſtius Dauidici, vſquam in Scriptura veſtigium? Breuiter, ergo exiſtimo ſenſum horum verborum ex conuicio à Iebuſæis in Dauidem iactato accipiendum. Dixerant illi, & identidem ſuccinebant; *Non ingredietur Dauid huc.* Quid, *huc?* In arcem hanc; Dauid vir fortis & militaris, & eius omnes milites, quantumuis alacres & expediti, non ingredientur huc, arcem nos propugnabimus, quando alia omnia ſubſidia ceſſent, & defenſores abſiſtant. Sic cœci clamabant. Arce igitur capta, Dauid & eius milites contumeliam in Iebuſæos regerendo, repetebant; *Non ingredietur huc cæcus & claudus.* Quod eſt; *viris fortibus & experta virtutis non eſt aditus artium interclusus; ſed cæcis & claudis.* Hunc ſenſum plures expoſitores, obſcurè licet, inſinuant, de quo nos in diſputationibus plura. Tantum interim notandum eſt quid hic *templi* nomine intelligatur in Hebræo ad verbum eſt; *Non intrabunt in domum.* LXX. legunt, *in domum Domini.*, pro quo Hieronymus, & vulgatus habent, *in templum* Ex quo probabiliorum interpretum conſtans ſententia eſt hoc loco *templum*, non ædem Dei ſacram eſſe, ſed locum quemcunque cuſtodia munitum, ſiue ſacer ſit, ſiue profanus.

f Lyran. hic Abul. q. 8 in c. 5.

g Leuit. 21. 18.

h Matth. 21. 14.

In hanc ſignificationem *templi* nomine explicato, vt pro arce, & loco quocunque munito appelletur, facilè eſt intelligere non alium eſſe horum verborum ſenſum, quam quem tradidimus, & fuſius in Diſputationibus exponemus. Nempe templi ingreſſum, arcis ſcilicet, & cuiuſcunque

conque loci natura & arte muniri, non vitiis fortibus vt cœci claudique elamabaot, ſed cœcis ipſis & claudis interclusum. Simulque ea hac expoſitione duo alia conſtant, quæ propoſuimus, quem vſum prouerbium habeat, & quomodo hinc ortum.

℣.9.) Habitauit autem Dauid in arce, &
vocauit eam; Ciuitatem Dauid. &
ædificauit per gyrum à Mello, extrin-
ſecus.
℣.10.) Et ingrediebatur proficiens atque
ſuccreſcens, & Dominus Deus exer-
cituum erat cum eo.
℣.11.) Miſit quoque Hiram rex Tyri
nuncios ad Dauid, & ligna cedrina,
artificeſque lapidum ad parietes: &
ædificauerunt domum Dauid.
℣.12.) Et cognouit Dauid quoniam con-
firmaſſet eum Dominus regem ſuper
Iſrael, & quoniam exaltaſſet regnum
eius ſuper populum ſuum Iſrael.
℣.13.) Accepit ergo Dauid adhuc con-
cubinas & vxores de Ieruſalem poſt-
quam venerat de Hebron: natique
ſunt Dauid & alij filij, & filiæ:
℣.14.) Et hæc nomina eorum qui nati
ſunt ei in Ieruſalem, Saba & Sobab,
& Nathan & Salomon,
℣.15.) Et Iebaar, & Eliſua, & Nepheg,
℣.16.) Et Iaphia, & Eliſama, & Elioda
& Eliphaleth.

Habitauit in arce.] Arcem de qua dictum hactenus, expugnatam & ab idolorũ ſuperſtitione purgatam, Dauid in propriam habitationem delegit, in eius medio palatio regiæ domus excitato: Quod enim alibi diximus, antiquiſſimis temporibus vt plurimum Reges omnes in arcibus habitabant tutelæ cauſa.

Vocauit eam ciuitatem Dauid.] Hoc nomine, non ſolum arx ipſa, quæ in monte Sion locata; ſed etiam mons vniuerſus eſt appellatus, qui & ciuitas Dauid, & ciuitas quoque ſuperior dictus eſt, vt alij [a] fusè. arx vero, etiam turris Libani eſt appellata, quod ex ea promptum eſſet, omnes Damaſci turres numerare, vt habet Chaldæus paraphraſtes [b]. Rectè autem quidam [c] obſeruarunt; pertinere hanc noui nominis impoſitionem ad memoriam victoriæ Dauidicæ propagandam, & gentis, quæ montem iam inſederat abolendam.

a *Vilalp. t. 3. lib. 2. cap. 8.*
b Cant. 7. 4.
c *Salian. an. 2987. 17.*

Et ædificauit per gyrum.] Ædificari in ſcriptura tam dicitur locus, in quo ædificium ſtruitur, quam ipſum ædificium. Quid ergo hic *ædificauit?* In *arce* ipſius muros, ſi qua parte labefactati, vel alia de cauſa reparandi; in *monte* vero ipſo, muros etiam, quibus cingebatur; & in medio, domum regiam. Cœpit autem anno regni ſui octauo, ſi à prima origine ſupputatio ducatus; primo verò ſuper vniuerſum Iſraelem, opus ingentis planè moliminis. Vt enim qui ſubtilius hæc inquiſierunt, obſeruant; murus Sioni circundatus, qui dicitur hic *intrinſecus ædificatus*, in toto circuitu longitudinem habebat triginta quinque ſtadiorum: arx autem ipſa muro ſuo nouem ſtadia & dimidium conficiebat, in cuius medio domus regiæ fundamenta iacta. Quod autem hic dicitur *ædificaſſe*; non ſolum de fabrica ipſa excitata quidam intelligunt; ſed de frequentatione habitantium. Ædificaſſe enim non ſolum quod domus extruxerit; ſed quod nouos habitatores aſciuerit. Cui muneri præfectum fuiſſe Ioabum aliunde [d] conſtat.

A Mello.] Comitiorum plateam aliqui [e] interpretantur; alij [f] omnes probabilius voraginem fuiſſe volunt, quæ montem Sion à ciuitate inferiori Ioſephi [g] quoque ætate diſtinguebat, licet ex magna parte repleta. Totum ergo montem Sion Dauid, extructo muro, præcinxit, vtrinque ad margines vſque voraginis ſtructura perducta. Vbi enim illa patebat in præceps muro opus non erat, qui ingreſſuros arceret.

d 1. *Paral.* 11.
e *De quibus Serrar. hic*
f *Lyr. Abul. hic Adrichom. in Ieruſ num.* 16. *Vilalp. tom.* 3 *lib.* 2. *cap.* 1. *Serrar. Iudic. cap.* 9.
g *libr.* 6 *bel. Iud. cap.* 6.

Ingrediebatur proficiens, & ſuccreſcens.] Hebraiſmus eſt Italiſmo noſtro, non ſimilis tantum, ſed plane geminus. *Ingrediebatur. andaua innanzi, è ſi auanzaua.* quod Latini aliquando exprimunt verbo *pergendi*; per id ſignificantes non ſolum profectum; qui fit motu corporis in ſpatio terrarum; ſed qui in via morum fit per virtutes animi.

Et Dominus erat cum eo] Particula *Et*, hoc loco cauſalis eſt, non purè copulatiua. Cauſa enim cur Dauid *ingrediebatur, & ſuccreſcebat*, erat *quia Dominus erat cum illo*. Frequentiſſimum autem in hunc ſenſum particulæ huius vſum eſſe in ſacris literis; nullus ignorat; quod notat alicubi Teophilactus [h] explicans illud Lucæ; *Benedicta tu inter mulieres; & benedictus fructus ventris tui.* Vbi rectè monet, *Et*, poni pro *quia*. Cur enim beata Virgo benedicta dicatur, & ſit, eſt quia *benedictus fructus ventris illius*. Similiter Dauid [i] *Deſtruxiſti nos, iratus es, & miſertus es nobis.* id eſt; *iratus*, quia *miſertus*. Idcirco enim nobis iraſcitur Deus, quia miſeretur, vt alibi [k] de eo dicitur, & apud Eſaiam [l], *Tu iratus es, & peccauimus. Iratus*, quia *nos peccauimus*.

h In Luc. c. 1
i Pſal. 59. 3.
k Ezech. 17. 42. & 43. Ierem 30. 2. Mach. 6. 13 Ad Hebr. 12. 19.
l Cap. 64 5.

Miſit quoque Hiram Rex Tyri. Mercaturæ enim quam armorum Rex iſte cupidior, hominem bellicoſum, & vicinum ſibi tantis repente viribus auctum, maluit amicitia potiùs occupare, quam aduerſarium experiri. Vltro ergo ad illum legatione miſſa, in amicitiam, & ſocietatem receptus eſt, vt Ioſephus obſeruat; cuius adſtringendæ vinculum, beneficium interpoſuit materiæ & artificum, qui Dauidi opus erant ad regiæ domus, & aliorum operum extructionem.

libr. 6. c 3.

Accepit ergo Dauid adhuc concubinas, & vxores.] Vt his nouis coniugiis non ſolum noua ſobole augeretur; ſed vt affinitatibus longè, lateque diffuſis, optimates ſuos arctius ſibi iungeret in ſocietatem regij ſanguinis aſſumptos. Quod maximum munimentum futurum erat in nouo regno firmando.

Et hæc nomina eorum, qui nati ſunt ei in Ieruſalem.] De Dauidis filiis ſupra [m] nonnulla, & infra [n] iterum, vbi de filiabus agemus. Interim hic obſeruandum filiorum Dauidis numerum & nomina variè [o] recenſeri. Qui enim in vno loco reſeruntur, omittuntur in alio; vt hac ratione locus vnus ſcripturæ ex alio ſuppleatur. Ioſephus ex principalibus vxoribus nouem numerat; ex inferioribus duos LXX. varia repetitione viginti quatuor ponunt. Cæterùm quod alicubi [p] nomina geminentur; vel eſt quia duo fratres

m Cap 3.
n Cap. 13.
o Paral. 3. 9.
p Paral. citato.

idem

idem nomen habebant etiam dum ambo viuerent, alionde aliquo cognomento diſtincti; vel, vt vult Vatablus, quia defuncti nomen in alio repetebatur. Neque enim quicunque Dauidis filij, ſiue hîc, ſiue alibi referuntur, eos neceſſe eſt vno ſimul omnes tempore vixiſſe.

℣.17.) Audierunt ergo Philiſthiim quod vnxiſſent Dauid in regem ſuper Iſrael: & aſcenderunt vniuerſi vt quærerent Dauid: quod cùm audiſſet Dauid, deſcendit in præſidium.

℣.18.) Philiſthiim autem venientes diffuſi ſunt in valle Raphaim.

℣.19.) Et conſuluit Dauid Dominum dicens; ſi aſcendam ad Philiſthiim, & ſi dabis eos in manu mea? Et dixit Dominus ad Dauid; Aſcende, quia tradens dabo Philiſthiim in manu tua.

℣.20.) Venit ergo Dauid in Baal-Phataſim & percuſſit eos ibi, & dixit: Diuiſit Dominus inimicos meos coram me: ſicut diuiduntur aquæ. Propterea vocatum eſt nomen loci illius, Baal-Phataſim.

℣.21.) Et reliquerunt ibi ſculptilia ſua: quæ tulit Dauid, & viri eius.

Audierunt ergo Philiſthiim.] In tempus huius belli rectè alij notarunt referendum eſſe Pſalmum ſecundum, qui incipit, *Quare fremuerunt gentes.* & totus eſt de hoc argumento, licèt etiam de Chriſto, & quidem principalius intelligendus. Cur autem hoc potius tempore Philiſthiim commoti ſint; meritò dubitatur; & dubitationem auget, quod hîc indicatur ex audita Dauidis in regem inauguratione arma ſumpſiſſe. Cur enim non illum prius oppugnarunt, cum regnabat in Hebron, exiguis adhuc viribus & qui facile pateret iniuriæ? Cur huc vſque diſtulerunt, cum veteribus copiis armatus, & nouis inſuper inſtructus, illorum conatus non ſolùm poterat facile ſuſtinere; ſed vltrò laceſſere? Multa dici poſſunt, ab aliis [a] fuſiùs explicata. Mihi probabile eſt hactenus diſſimulaſſe, quod à Dauide ſibi non magnopere timerent; erat inter ſuos verſatus; ex Gethæis multos amicos habebat; cum Iſboſetho de regni poſſeſſione certabat. Non erat ergo cur ab illo ſibi magnopere formidarent. Adde gratiſſimum fuiſſe ſpectaculum alienigenis omnibus Iſraeliticum regnum ciuili diſſidio diuiſum. Propterea conſultò ab omni iniuria abſtinuerunt; ne ſi Dauidem bello laceſſerent; aut in Iſboſethum arma mouerent; externa hoſtis odia cogeret inteſtina deponere; & viribus coniunctis in fraternam ſocietatem coire. Fortaſſe ergo fortunam partium ſpeculabantur; vt ſi inter ſe Dauid & Iſboſethus concurrerent, ipſi ſtatim victores inuaderent, minori negotio ſuperandos. Et hæc cauſa fuit cur huc vſque diſtulerint. At nunc quid illos in Dauidem impulit, in immenſum auctum, & acceſſione noui regni ſuffultum, ſublato etiam noui regni æmulo, ab inteſtino diſſidio ſecurum? Aliud ſpectaſſe non puto, niſi quod cum hoſtilia à Dauide timerent, primi ipſi maluerunt inferre; commodum opportunitate captata, cùm Dauid recens

a Abulen. 1. Par 4. q.7.8. quæſt. 10.

inauguratus adhuc inter regni ſui primordia fluctuabat.

Et aſcenderunt vniuerſi.] Quod tot, & tanti eſſent, qui nunc aduersùm ſe ſurrexerunt, exclamauit Dauid in Pſalmis, typum tamen Chriſti gerendo; *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania?* Vniuerſos ergo Philiſthiim aſcendiſſe, tam de principibus quàm de populis intelligimus; vt omnes nimirum Paleſtinorum reges, & quinque ſub illis gentes aſcenderint. Propterea ſubdit in Pſalmo. *Adſtiterunt Reges terræ.* Singuli enim ſatrapæ Paleſtinorum, Reges etiam, vt ſupra [b] vidimus dicebantur. Quod autem hic habetur; *Aſcenderunt vniuerſi*, illud exprimit, quod eſt in Pſalmis. *Conuenerunt in vnum.*

b lib. 1. c. 27

Vt quærerent.] Verbum militare apud Hebræos poſitum pro eo quod eſt, vt inuenirent, & cum illo bellico congreſſu confligerent. Sic Italis *Andar à trouare*, aut, *trouarſi inſieme*, in re militari, & de armato congreſſu vſurpatur.

In præſidium.] Vbi hoc? Malè Mariana [c] arcem Sion interpretatur: peius, quod illam dicit humiliorem fuiſſe reliqua ciuitate: propterea dici hic *deſcendiſſe*. Quorſum enim Dauid vt occurreret Philiſthæis, in arcē Sion ſe recepiſſet? Procul dubio cum eſſet in ſummitate montis Sion, omni quoque circum regione ſuperior erat. *Deſcendiſſe* ergo Dauidem *in præſidium* eſt audito Paleſtinorum aduentu, non alium ſubmiſiſſe, ſed egreſſum ipſum per ſe copias armaſſe, locoque idoneo locatis caſtris, hoſtibus occurriſſe. Omnis enim militaris manus, quæ locum quempiam inſederit, hoſtiles impetus propulſatura, *præſidium* appellatur. Vnde alicubi Cicero cum dixit; *M. Antonius qui tum extra vrbem cum præſidio fuit*; aliud per *præſidium* non intelligit, quam manum militarem in ſtatione locatam. Deſcendiſſe ergo Dauid in præſidium; eſt illum ad ſtationem militum veniſſe; qui locum opportunum aduersùs ingruentes hoſtes inſederant prope ſpeluncam Odollam, vt in libris Paralipomenon [d] ſignificatur. Quod autem eſt in vulgata editione *præſidium* L X X. *ſepem, ſeu ambitum* appellant, ad vallum, & ſeptum ſtationi militum, ad quam Dauid deſcenderat circundatum reſpicientes.

c In ſchol. hic

d lib. 1. Par. 11. 15.

Diffuſi ſunt in valle Raphaim.] Erat hæc ad Septentrionalem plagam Ieruſalem, vt ait Hieronymus, in extremis Iudæ finibus; ad ſortem tamen Beniamin pertinens, verſus Occidentem, & Philiſthæorum regionem; qui Mediterranei maris oram occiduam incolebant: dicta *vallis Raphaim*, ſiue gigantum, quod olim ibi gigantea habitarent. Eam Chaldæus appellat *planitiem fortium*. L X X. *vallem Titanum*. quos enim Ioſepho Theodoretus & Procopius *gigantes* interpretantur. In hac ergo valle Philiſthiim *diffuſi ſunt*. Quid eſt diffuſi? Tanto numero conuenerunt, vt totam ferme vallem cooperirent. Ad ingentem ergo hoſtium multitudinem exprimendam, conſultò noſter interpres verbum hoc vſurpauit. Diffundi enim dicuntur, quæ dilatantur? Vnde alibi de ingenti equorum multitudine Scriptura loquens, ad illam exaggerandam [e]; *Equites*, inquit, *eius diffundentur*. In hac autem expeditione Philiſthæos innumeros plane milites ex omni Syria ſecum traxiſſe, Ioſephus obſeruat

e Abac. 1. 8.

Conſuluit Dominum.] Nō in Cariathiarim, vbi Arca Domini adhuc erat; ſed in caſtris, aut loco illo, quem paulò antè Scriptura *præſidium* appellauit;

lauit; quod illum militum manus certa ſtatione firmauerat. Conſuluit autem per Abiatar Pontificem, quem ex quo die Nobam Saul [a] exciderat, ſecum ſemper habuerat. Sed quid conſulendo quæſiuit? Duo præcipuè, num aſcenderet, & an victoriam relaturus. Hæc enim duo potuiſſe diſtingui, Beniaminitæ malo ſuo ſæpius ante docuerant. Quippe Dominum [b] interrogantes, num aduerſus alias tribus aſcenderent; annuente Domino, aſcenderunt, & fuſi ſunt. Horum ergo Dauid cautus exemplo, vtrumque ſimul interrogat, an hoſtes aggredi debeat; & aggreſſus an victoriam relaturus. *Si aſcendam*, inquit, *ad Philiſthiim, & ſi tradas eos in manu mea.* In quibus verbis duplex hebraiſmus obſeruandus. alter, quo *aſcendere ad aliquem*, eſt impreſſionem in eum facere, militari congreſſu aggrediendo; alter, quo *tradi in manu alicuius*, eſt illius poteſtati ſubiectum fieri. Particula autem, *ſi*, poſita eſt pro dubitandi nota; vt idem ſit, *ſi aſcendam*, ac, *num aſcendam*. quem vſum etiam apud Latinos habere; alibi docuimus.

a lib. 1. c. 20.
b Iudic. 20.

Venit in Baal-Pharaſim.] Per anticipationem ſic locus hic appellatur. Tunc enim cùm Dauid ad eum venit, hoc nondum nomine appellabatur: ſed illud ex euentu ſortitus, qui poſt Dauidis in eum aduentum ſequutus eſt.

Venit, & percuſſit.] His verbis ſumma celeritas confectæ expeditionis innuitur; vt hoſtes Dauid mox vt aggreſſus, auerterit, & profligauerit. Propterea ad hanc celeritatem ſignificandam, non ſicut ille dicit, [c] *Veni, vidi, & vici.* Sed *veni, & Dominus percuſſit, & vicit.*

c Suet. in Caſ.

Diuiſit Dominus inimicos meos.] Sicut miles in bello tunc vincitur, cùm lethaliter vulneratur, & vulnus inferri non poteſt, niſi membrorum compage diuiſa; ſic totus exercitus tunc vincitur, cum lethaliter vulneratur; & hoc non fit, niſi cum ſoluuntur ordines, & diuiduntur. Vnde eſt quod apud Latinos idem ſit fundere, ac frangere hoſtes, quod in eo congreſſu victorem diſcedere, quem eundem ſignificatum habet hic verbum *diuidendi.* Diuiſus enim exercitus, & fractus, idem eſt. In huius rei ſymbolum memini aliquando me legere [d] victoriæ ſimulacrum in ſimilitudinem fœminæ pulcherrimæ veteres finxiſſe, manu altera galeam, altera malum punicum geſtantis; illud propter arma, iſtud propter iuncturam, & nexum, quem grana mali punici deſignant. Et inde eſt quod toties in ſacris literis ad hanc *vnitatem* in exercitu requiſitam alludendo, dicuntur milites quaſi vir vnus conueniſſe; quod alibi fuſius obſeruatum, hîc tantum ſufficit indicaſſe. Porrò quod hic adiungitur à Dauide de modo diuiſionis hoſtium ſuorum, quos coram ſe diuiſos dicit, *ſicut diuiduntur aquæ*, fugam trepidam, ſparſam, præcipitemque deſignat, in qualem coniecturam ſe populi ſui hoſtes per Moſem Deus pollicetur. *Dabit* [e], inquit, *Dominus inimicos tuos, qui conſurgunt aduerſum te, corruentes in conſpectu tuo; per vnam viam venient contra te, & per ſeptem fugient à facie tua.* Quod totum egregiè exprimunt aquæ, quæ rupto vaſe, quo prius detentæ fuerant, dilabuntur. Ad quam eandem ſimilitudinem Dauid idem in Pſalmo reſpexit, hoc de argumento, vt iam dixi, compoſito. *Reges*, inquit, *eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos.* Fracto vaſe, ſolutis ſcilicet & perruptis ordinibus innumerabiles illæ copiæ dilapſæ ſunt.

d Pierius lib. 35. Hierogly.
e Deuter. 28. 7.

Propterea vocatum eſt nomen loci illius Baal-Pharaſim.] Non poterat apertius, & loci nomen, & cauſa nominis proponi: quaſi tamen obſcurè, & per ænigmata Scriptura loquatur, quærunt nonnulli, vnde locus nomen & à qua diuiſione deſumpſerit. A diuiſione enim dictum; non ambigitur, cum *pharas* diuiſionem ſonet. Alij ergo volunt à diuiſione viuorum & mortuorum in hac fuga Philiſthæorum ſequuta, viuis fugientibus, mortuis remanentibus: alij [f] minùs ineptè, ſed adhuc frigidè de ſeparatione Philiſthæorum ab idolis ſuis interpretantur, nixi vocla ethimologia; *Baal* enim *Pharaſim* eſt idolum diuiſionum. Sed Scriptura nec hos, nec illos admittit quæ diſertè pronunciat appellatum locum illum Baal diuiſionum, quod ibi Deus hoſtes Dauidis diuiſiſſet. At cur Baal Pharaſim, id eſt *idolum diuiſionum* appellatur; ſi ad idolorum ſeparationem nihil alluditur? Baal non magis idolum ſignificat, quam Venus, & Iuppiter; qui idola quidem ſunt, & nomina falſorum Deorum; non tamen vt eorum nominum ethimologia falſos Deos, aut idola ſonet. Pariter ergo Baal licèt aliquando nomen idoli ſit; non tamen illius ethimologia in idolum reſoluitur; ſed propriè Dominum ſignificat in quem ſenſum hic vſurpatur vbi Baal Pharaſim eſt *Dominus diuiſionum*, ſeu *Dominus diuidens* hoſtes Dauidis.

f Abul. hic

Et reliquerunt ibi ſculptilia ſua.] Suetum enim gentilibus olim deos ſuos ſecum ferre; vel viæ duces, & comites iter agentibus; vel opitulatores in pugna bellantibus. De via Virgilius teſtatur apud quem Sybillam Æneas ſic alloquitur.

——— [g] *Tuque ô ſanctiſſima vates*
Præſcia venturi, da (non indebita poſco
Regna meis fatis) Latio conſidere Teucros,
Errantesque Deos, agitataque numina Troiæ,

g lib. 6.

Ad quæ notat Seruius ſimulacra Deorum ſuorum ſecum portare ſolitos in lecticis locata. De caſtris verò, & expeditione militari Virgilius idem, deſcribens apparatum Cleopatræ & Antonij ex Ægypto contra Auguſtum.

[h] *Omnigenumque Deum monſtra, & latrator Anubis*
Contra Neptunum Venerem, contraque Mineruam,
Tela mouent.

h ibidem.

Loquitur enim hic de ſimulacris deorum; non tantum de ipſis diis, quin dum de ſimulacris loquitur, de diis quoque loquitur. Erant enim gentilibus idola & ſimulacra quæ ſecum ferebant, numina quæ colebant. Ex hoc ergo ritu Philiſthiim Deos ſuos ſecum traxerunt, & fuſi deſeruerunt, à quibus prius ipſi deſerti. Hos Dauid in poteſtatem redactos, ex legia [i] præſcripto *combuſſit* [k] id eſt in ignem coniecit, vt lignei conflagrarent, ex metallo verò conflati funderentur.

i Deut. 7. 2.
k 1 Paral. 14.

℣. 22.) Et addiderunt adhuc Philiſthiim vt aſcenderent, & diffuſi ſunt in valle Raphaim.

℣. 23.) Conſuluit autem Dauid Dominum: Si aſcendam contra Philiſthæos & tradas eos in manus meas? Qui reſpondit; Non aſcendas contra eos, ſed gira poſt tergum eorum, & venies ad eos ex aduerſo pyrorum.

℣. 24.) Et

℣. 24.) Et cùm audieris ſonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium: quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam; vt percutiat caſtra Philiſthiim.

℣. 25.) Fecit itaque Dauid ſicut præceperat ei Dominus, & percuſſit Philiſthiim de Gabaa, vſque dum venias Gezer.

Addiderunt.] Fracti, non quieuere Philiſthiim; ſed viribus reparatis, iterum contra Dauidem mouerunt, rati fortaſſe ex improuiſo occupatum, & ob victoriam remiſſiùs agentem, opprimi poſſe. Hæc igitur ſecunda expeditio modico interuallo fuit à præcedente diſiuncta, vt benè Abulenſis, & alij obſeruant. Sed videamus quomodo confecta, & vtrinque adminiſtrata. Primi ergo, vt dicebam, Paleſtini mouerunt. At quo? Et vbi conſedere? In valle Raphaim; vbi ſcilicet proximo prælio fuſi, fugati, direpti. Magno autem numero conueniſſe; phraſis eadem argumento eſt, quæ paulo ante vſurpata. *Diffuſi*, inquit, *ſunt in valle*. quod eſt campos vniuerſos inſediſſe. Id enim vt ſupra notauimus, eſt *in valle diffundi*. Quod alibi circunſcribitur per ambulationem ſuper latitudinem terræ. [a] *Suſcitabo*, inquit, *Chaldæos, gentem amaram, & velocem, ambulantem ſuper latitudinem terræ, vt poſſideat tabernacula non ſua.* Sed quomodo tanto numero tam ſubitò rurſus confluere potuere, modò cæſi & fugati? Modò cæſos mirabile planè fuiſſet iterum conuenire. Fugatos, non item. Proximo ergo prælio non tam internecione deleti, quam fractis ordinibus fuerant Paleſtini fugati. Quod ipſe Dauid oratione ſua ſignificauit, dum nulla mentione cædis, fugæ tantùm meminit; qua fuſi & late diſperſi. Neque enim dixit; *Percuſſit, cecidit, proſtrauit, deleuit* Deus inimicos meos; ſed *diuiſit*; quod eſt ipſos immiſſo ſubito terrore fugaſſe. Quomodo ergo Dauid ſe contra illos accinxit? Ante omnia nuncio ferocius irruentis hoſtis accepto, Dominum de more conſuluit, à quo præmonitus eſt quomodo, & quãdo deberet ad illos aſcendere. *Quomodo*? Non recta, ſed obliquo flexu hoſtium vitata fronte, in latus iubetur incurrere. *Quando* autem aggreſſurus? Cum ab ipſo Domino pugnæ ſignum daretur, non per ſonitum tuba emiſſum; ſed arborum comis inter ſe collidentibus excitatum. Videamus ergo de hoc vtroque diſtinctiùs: & primò, de modo aggreſſionis, deinde de tempore. De modo ergo ſcriptura dicit;

a Abac. 1. 6.

Non aſcendas contra eos; ſed gyra poſt tergum eorum, & venias ad eos ex aduerſo pyrorum] Hæc ſatis aperta ſunt: per illa enim Dauidi iubetur ne rectà & aduerſa fronte ſe ſiſtat hoſti; ſed obliquo flexu ſub pyrorum, vel mororum tegumento, terga circundet, & in oppoſitum pyris latus incurrat. Clara hæc inquam videbantur; ſed quæ de hoc eodem Domini reſponſo in libro Paralipomenon [b] traduntur, modicè turbant. *Conſuluit*, inquit, *Dauid rurſum Dominum; & dixit ei; Non aſcendas poſt eos; recede ab eis, & venies contra illos ex aduerſo pyrorum.* Hæc enim ad ſupplenda, quæ in libris regum habentur, ea quæ nunc tractamus; non explere videntur, aut explicare, ſed plane deſtruere. Hic enim perſpicuè dicitur; *Non aſcendas contra eos*, at in lib. Paral. *non aſcendas poſt eos*. Hic vetatur aſcenſus aduerſus, & iubetur auerſus: *contra* enim prohibetur aſcendere; *poſt tergum*, iubetur. At oppoſito modo in libro Paralipomenon *auerſus* aſcenſus, qui à tergo hoſtium fiat prohibetur; & iubetur aduerſus. *Non aſcendas*, inquit, *poſt eos; ſed venies contra illos ex aduerſo pyrorum.* Non ergo ſe inuicem duo iſta loca videntur explicare; ſed erroris arguere, cùm quod in altero imperatur vt fiat, in altero prohibeatur ne fiat.

b lib. 1. c. 14. 14.

Ad hanc apparentem repugnantiam tollendam varia à variis aſſeruntur; aliter tamen ea ſedari non poteſt, niſi ob oculos locorum facie propoſita, quibus Dauidis & Philiſthæorum copiæ conſederunt. Eorum autem inter ſe diſpoſitio, non vno modo concipitur. Omiſſis ergo, quæ ab aliis, & omnium fuſiſſimè ab Abulenſe [c] traduntur, quod mihi probabiliſſimum videtur, explicatè proponam. Duo erant caſtra, Iudæorum hinc, Paleſtinorum inde locata, in eadem valle prope duas vrbes Gabaon, & Gabaa, tribus vtramque Beniaminicæ; ſylua autem ſiue pyrorum, ſiue mororum vtrique exercitui adiacebat; ſic tamen vt nec inter vtroſque media interciperetur; nec ad latus vnius potius, quam alterius excurreret. Dauid ergo iubetur in hoſtes mouere illos aggreſſurus; verum nec à tergo, nec à fronte; ſed ab illa parte, cui erat oppoſita ſylua pyrorum; ſicut hoſtes euadens haberet aduerſam ſyluam, cui Philiſthæi Dauidi aggredienti frontem obuertentes, neceſſariò terga dare debebant. Ad hoc autem hoſtium latus inuadendum, non vult Deus vt Dauid rectà contendat; ſed longo flexu procul ab illis recedendo, ſyluam pyrorum circondet, qua tantiſper hoſtium oculis ſubtractus, inde euadens, & iterum conſpicuus illos ex oppoſita parte pyrorum aggrediatur: prorſus vt remanerent ipſi medij inter Dauidem irruentem, & pyrorum ſyluam paulò ante à Dauide circundatam. Hoc pacto, ſi copiæ diſpoſitæ intelligantur, omnis antilogia, quæ duo iſta loca turbabat, auferetur: quod clarè conſtabit vtriuſque loci verba conferenti. In hoc enim loco Regum dicitur; *Non aſcendas contra eos, ſed gyra poſt tergum eorum, & venies ad eos ex aduerſo pyrorum.* In libris verò Paralipomenon; *Non aſcendas poſt eos*, directè nimirum. *Recede ab eis*, circumgirando nempe ſyluam pyrorum, *& venies contra illos*, eos aggreſſurus ex aduerſa parte pyrorum. Et hæc mihi videntur vtrumque locum aptiùs explicare, quàm quæ ab aliis fuſiùs afferuntur; inter quos vt dicebam, vt hanc litem componeret Abulenſis, integras ſex quæſtiones inſumpſit.

c A quæſt. 23 ad 28. in cap. 14. l. 1. Paral.

Sed hæc omnia quorſum? & cur hac potiſſimùm ratione Dauidi mandatum, vt hoſtes inuaderet, & aliâ prohibitum? Quia ſtatuerat Deus ex ſylua pyrorum terrorem Paleſtinis immittere. Vt ergo penitùs animo conciderent, ex opinione duorum exercituum, quos inter eſſent intercepti, voluit vt Dauid ex ſuo loco motus ſyluam pyrorum circumdaret, & ea tranſmiſſa, Philiſthæos ex parte oppoſita pyris aggrederetur; ita vt iſti à tergo Philiſthiim pugnantibus eſſent; idcirco autem gyrum hunc à Dauide fieri mandauit, vt audito poſtea ſtrepitu pyrorum, quaſi parte ibi copiarum relicta, Philiſthiim conſternarentur. Hæc ergo ratio ſeruanda Dauidi erat hoſtes aggreſſuro: ſed quando illi aggrediendi.

Cum audieris, inquit ſonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium.] Vbi primum ſonitum in pyrorum cacumine Dauid audiret, hoſtes iubetur aggredi. Qualis ergo hic ſonitus, à quo, & vbi, & quam ſpeciem referebat? Ioſephus [a], quem ſequitur Theodoretus [b], dicunt reliqua circum regione ab omni flatu tranquilla, ventum in ſylua excitatum, à quo concuſſæ arbores hunc ſonitum ediderunt. Si enim ventus vbique perflaſſet, nec facile ſyluæ ſtrepitus potuiſſet aduerti; & obſtreatus, terrorem non incuſſiſſet. Quid enim mirum ſi cuncta circum ventis perflantibus etiam ſylua concuteretur? At cum reliqua late loca placida tempeſtas haberet, in ſola ſylua ſtrepitus excitatus, meritò poterat illos aduertere, & ob id facile fuit in ſuſpicionem venire militis ibi latentis. Ex quibus admiſſis, quæ de hoc ſono quærimus, expediuntur. Sed vt id clarius fiat; quæ ſunt vniuersè diſputata, verbis ipſis aptemus.

a *lib 7. c 4.*
b *Quæſt. 18.*

Non aſcendas contra eos.] LXX. *in occurſum eorum*, quod eſt non aggredieris eos à fronte. Qua ergo ex parte? A tergo? Nequaquam, vt expreſsè traditur in libro [c] Paralipomenon, vbi diſtinctè nec à fronte nec à tergo vult hoſtes inuadendos. *Non aſcendas*, inquit, *poſt eos*; & ſtatim; *recede ab eis.* Vnde ergo, & ex qua parte illos eſt aggreſſurus? ſubditur;

c *lib. 1. c. 14.*

Gyra poſt tergum eorum, & venies ad eos ex aduerſo pyrorum.] Ex oppoſita parte pyrorum erant aggrediendi; ad quam tamen non rectà Dauid, ſed longo gyro pergere iubetur, tota prius circundata ſylua pyrorum. Quod quia fieri non poterat, niſi longiùs ab hoſtibus recedendo, propterea dicitur in libro Paralipomenon; *recede ab eis.* Id enim neceſſe erat ſi circa ſyluam ducendus erat exercitus, & ex eo iterum ad oppoſitam partem hoſtilis lateris euadendam.

Ex aduerſo pyrorum.] Hebraicè מִמּוּל בְּכָאִים *Bechaim*, quod aliter vertunt *moros.* Noſter cum Aquila maluit *pyros.* LXX. *plorationem*, ſeu *fletum*, nulla probabili ſententia, quæ deinde poſſit ex his verbis haberi. Quid eſt enim *ex aduerſo complorationis, aut fletus?* aut quid eſt paulo poſt, *audiendum ſonitum in cacumine fletus?* Reſpondent qui hanc [d] tranſlationem ſequuntur, ſyluam fuiſſe, quæ à fletu nuncupabatur; immo locus ipſe fletus & comploratio dicebatur. Sed dura nimis videtur loquutio, & commentum redolet. vt ſylua ſimplici nomine *fletus & comploratio* diceretur. Alij ergo cum auctore traditionum, nomine *fletus*, volunt *idola* ſignificari. Iuſſum autem Dauidem ex ea parte in hoſtes irrumpere, qua eorum idola locata, vt quibus maximè fiderent, ea primum omnium diriperentur; & ibi primum vulnus acciperent, vbi ſe maxime tutos ob idolorum præſidium putabant. Frigidiſſime omnia, & longe nimis petita. Rectè noſter interpres *pyros* hebraicam vocem expoſuit, à quo noluit editio vulgata recedere.

d *Ioſeph. l. 7. cap. 4. Theodor. q. 18.*

Cum audieris ſonitum gradientis.] Quis hic, qui ingreſſurus erat in cacumine pyrorum, & ingreſſu ſuo ſonitum ſtrepitumque facturus? Alij angelos, alij Deum ipſum volunt. Expeditiſſimus ſenſus ex idiomate ſacræ Scripturæ eſt eliciendus, in qua particula *quaſi* frequenter omittitur, neceſſariò tamen intelligenda. *Cum audieris*, inquit, *ſonitum gradientis*; id eſt *quaſi gradientis in cacumine pyrorum.* Quod eſt cum talem ſtrepitum hauſeris, qui gradientem multitudinem repræſentet, tunc in hoſtes irrumpe. Illud enim *gradientis*, ſingulari numero per ſynecdochen, pro plurali poſito *gradientium* eſt exponendum. Nullus ergo Dei greſſus inambulantis, nullus angelorum circumcurſantium, grauior inceſſus excogitandus; ſed tantum ſonitus eſt intelligendus, qui angeli miniſterio, aut aliter Dei nutu commotus ſpeciem præberet multitudinis incedentis, & gradum militariter accelerantis.

In cacumine pyrorum.] Quomodo poteſt quis ſuper ipſas pyrorum, aut quarumcunque arborum comas ingredi, & ambulare; vt ſonitus inde motus, ſpeciem referat in pyrorum cacumine gradientis? Plane non poteſt id; & propterea *cacumen pyrorum* non eſt de ipſis arborum comis, & extremis frondibus intelligendum; ſed de collis & montis ſupremo iugo pyris conſito; vt *cacumen pyrorum*; ſit in ſylua illa locus omnium ſublimior.

Percuſſit Philiſthiim de Gabaa, vſque dum venias Gezer.] Aliter hic, aliter in libris Paralipomenon [e] huius fugæ termini deſignantur: hic enim *à Gabaa* dicitur incepiſſe; ibi *à Gabaon.* hic in *Gezer* deſiiſſe; ibi in *Gazara.* Nulli autem dubium quin diſtinctæ ſint vrbes, & loca Gabaa, & Gabaon; Gezer, & Gazara. Gabaa enim erat Regia Saulis; Gabaon metropolis Gabaonitarum. Sed dicendum vtramque hanc vrbem in tribu Beniamin non magno inuicem interuallo fuiſſe diſtinctas. inde factum vt cum locus vbi conſerta pugna, proximus vtrique foret, inita fuga tam à Gabaa, quam à Gabaon dici poſſit, vt bene Abulenſis [f] obſeruat. quod ipſum dici poteſt de Gezar, & Gezara; niſi malimus eiuſdem ciuitatis duplex nomen fuiſſe in terra Philiſthinorum.

e *lib. 1. c. 14.*
f *Q. 19. hic.*

LIBRI

LIBRI SECVNDI REGVM

CAPVT VI.

ARGVMENTVM.

HOSTIBVS ergo Iudaici nominis ſemel, & iterum duplicata victoria debellatis, arce extructa, regio palatio exædificato, tabernaculo diuinæ arcæ reponendæ ſtatuto, & læta pace finitimis vndique perdomitis vrbe florente, Dauid vt ſe Deo gratū, à quo tot, & tanta receperat, aliqua ratione præberet, ad arcam illius in vrbem adducendam, & anguſtius pro numinis maieſtate locandam animum conuertit. Id vt, maiori cum celebritate fieret, conuentum totius Iſraelis ſuas cuique tribui per vrbes indicit. Ex omnibus triginta millia ſeligit, iis ipſe ſtipatus in Gabaam proficiſcitur; vbi quinquageſimum fermè iam annum arca in domo Abinadab morabatur. Inde acceptam plauſtro religioſè impoſuit, quod boues mite animal trahebant, acti non à bubulcis, ſed maioris religionis cauſa, à duobus filiis Abinadab, Ahio & Oza bubulcorum vices agentibus. Affuſa reliqua multitudo partim antecedebat, partim ſequebatur, & incedentis latera cingebat, cunctis feſta lætitia in ſacrum tripudium ſolutis. Cùm interim bobus calcitrantibus mira res accidit, ex qua illuſtri documento probatum eſt, quam Deus hominum miniſterio non indigeat. Oza enim veritus ne quid arca vibrato plauſtro labaret, extendit manum ruentis caſum fortè ſuſtentaturus. Et illico non aſpectabili plaga percuſſus, extinctus eſt; quod auſus mortalis homo diuina fulcire; quaſi ſine humano præſidio ruitura. Conterritus Dauid tam ſeuera vltionis exemplo, procul à ſe arcam abſtinuit, veritus ne non ſatis adhuc expiatus eſſet, hoſpiti tanto admittendo. Diuertit ergo illam in domum Obededon, apud quem trimeſtri ſpatio morata, recepta iterum à Dauide eſt, comperto breuis hoſpitij gratiam cumulatiſsimè in vniuerſa hoſpitis familia compenſatam. Tanta autem celebritate deducta vt omnia læto cantu ad omnis generis organa perſonarent, & ad ſextum quemque paſſum, quo pompa promouebatur, victimæ cederentur. Ante alios verò Dauid ipſe certus quacunque arte poſſet, ea ſe Deo ſuo placere velle, ludibundus, & in omnia argumenta lætitiæ compoſitus, feſto tripudio reliquorum alacritati præibat. Quem ſaltantem & geſtientem conſpicata Michol, indignè tulit, eo vſque ſe Regem deiicere, vt quo Deum celebraret, hominum conſpectui ſe vilem præberet. Arca ergo ritè ſua ſede repoſita, cunctiſque qui eam deduxerant, cum muneribus à Dauide dimiſsis, ipſa domum repetenti fit obuiam; & concepta indignationis impatiens, amaris verbis irriſit, quod Dei memor, ſui obliuiſceretur; & illius intentus cultui regiam dignitatem pollueret; vt ſcurra in ludrico ſpectaculo ſolent ad patronorum oculos oblectandos; ſic ille ante Deum tota corporis abiectione nudatus. Ea Dauid obiurgatione lætus, aliter intemperantiam procacis vxoris vltus non eſt, quam teſtando non deſtiturum ſe vnquam id agere, vt ante Deum ſuum viliſsimus fieret, à quo ſuperbo patri ipſius prælatus eſſet. At aliter quam ſolis verbis id vltus eſt Deus. In pœnam enim procacis linguæ, & contumacis animi perpetua deinceps Michol ſterilitate percuſsit.

ỷ.1.) Congregauit autem rurſum Dauid omnes electos ex Iſrael triginta millia.

ỷ.2.) Surrexitque Dauid & abiit, & vniuerſus populus, qui erant cum eo de viris Iuda, vt adducerent arcam Dei, ſuper quam inuocatum eſt nomen Domini exercituum, ſedentis in cherubim ſuper eam.

ỷ.3.) Et impoſuerunt arcam Dei ſuper plauſtrum nouum: tuleruntque eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa: Oza autem, & Ahio filij Abinadab minabant plauſtrum nouum.

Sopran. in Dauid.

ỷ.4.) Cúmque tuliſſent eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaâ, cuſtodiens arcam Dei Ahio præcedebat arcam.

ỷ.5.) Dauid autem, & omnis Iſrael ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris & tympanis & ſiſtris & cymbalis.

ỷ.6.) Poſtquam autem venerunt ad Aream Nachon, extendit Oza manum ad arcam Dei: quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam.

ỷ.7.) Iratuſque eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum ſupet temeritate: qui mortuus eſt ibi iuxta arcam Dei.

ỷ.8.) Contriſtatus eſt autem Dauid, eo quòd percuſſiſſet Dominus Ozam & vocatum eſt nomen loci illius; Percuſſio Ozæ, vſque in diem hanc.

ỷ.9.) Et extimuit Dauid Dominum in die illa dicens; Quomodo ingredietur ad me arca Domini?

ỷ.10.) Et noluit diuertere ad ſe arcam Domini in ciuitatem Dauid: ſed diuertit eam in domum Obededom Gethæi.

ỷ.11.) Et habitauit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus menſibus: & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum eius.

DVPLEX in hoc Capite Arcæ deductio continetur vna ex domo Aminadab in domum Obededom; altera tribus poſt menſibus ex huius domo in Dauidis regiam. De vtraque deductione: multa ſunt hic nobis explicanda. Ordiemur à prima; de qua breuiter exponendum quando facta, cur, & vnde; quomodo ea de re conſilium captum; qua pompa & [illegible]parata deductio inſtituta; quem denique [illegible]ocum Arca tranſlata.

a Abul. q. 2. in 1. Reg. c. 7. & quaſt. 1. hic

Quando facta? Sunt, qui [a] volunt anno primo regni Dauidis ſuper vniuerſum Iſraelem, qui fuit octauus ex quo in Hebron regnare cœpit. Minus hoc probabiliter: mox enim vt ſuper vniuerſum Iſrael eſt Dauid impoſitus, expeditionem grauiſſimam ſuſcepit aduerſus Philiſthæos arcem Sion inſidentes; ea confecta, ad arcem, & vrbis mœnia reparanda, cura conuerſa; ſimul etiam ad regiam domum in Sion extruendam; inde duo difficillima bella de quibus proximo Capite, ſequuta ſunt. Cui autem dubium non potuiſſe hæc eodem anno contingere; in quem ſi potuiſſent alia; certè difficile eſt vt arcis oppugnatio, expugnatio, captæ purgatio & reparatio, in eadem denique pro regia magnitudine domus extructio potuerint conuenire. Alij [b] ergo anno XI. totius regni contigiſſe volunt, triennio poſtquam Dauid vniuerſo Iſraeli impoſitus eſt. Sed probabilius alij [c] in X. annum Dauidis conferunt, quod hic idem ſabathicus eſſet, ob id etiam in hanc celebritatem, vt illuſtrior eſſet deductio, à Dauide captatus.

b Torniel. tom. 1. ann. Dau. 11.

c Salian. an. 2989. n. 7.

Cur ergo deductio hæc & tranſlatio conſtituta? In arcæ cultum maiorem, vt honeſtiùs deinceps & auguſtiùs haberet? Hactenus enim in Chariathiarim, quaſi deſtituta, iacebat quinquageſimum prope annum, Leuitæ vnius fidei, cuſtodiæque permiſſa, procul à tabernaculo, ſine ſacrificiis, operimentis obuoluta, velut in hoſpitio, vnde ſuo tempore aſportaretur. Non ergo viſum hanc tranſlationem differre diutius. At cur hactenus dilata? Si de Samuele loquamur; multas ille cauſas habere potuit, & omnes probabiles. Si de Saule; fortaſſe nullas, niſi neglectum religionis, quo rex ille plurimum laborabat. Intentus enim imperio politicis artibus augendo, & armis militeque firmando, minus diuina curabat. Propterea Dauid, ne ſimili neglectu pietatis, eadem ſibi populoque mala crearet, quæ tempore Saulis ingruerant, & Hebræam gentem cladibus diuerſis afflixerant, vbi primum ab hoſtibus reſpirauit, & idoneam ſedem ſibi viſus eſt extruxiſſe, ſtatim animum adiecit ad arcam aſportandam.

Vbi ergo hactenus; & ibi quomodo? Ex quo tempore Paleſtini malo coacti, Arcam quam ceperant, reſtituerunt, ea, vt alibi [d], in Cariathiarim, vrbem tribus Iuda, illata eſt. In huius excelſiore parte Leuita Abinadab habitabat, in cuius domo locus electus vbi Arca reponeretur, ipſius fide cuſtodienda. Quoties autem varias ob opportunitates Iſraelitico populo Arca opus erat, inde extrahebatur, eodem tamen iterum inferenda. Nec contra hæc quod hic [e] dicitur turbare debet, ſublatam Arcam *de domo Abinadab, quæ erat in Gabaa.* Cum enim duæ ſint vrbes longe diſiunctæ Cariathiarim, & Gabaa; non videtur Arca ſemper in Cariathiarim fuiſſe, & inde extrahi potuiſſe, cum hic ex Gabaa dicatur accepta. Hæc, inquam, turbare non debent: vt enim alibi cum aliis monuimus, *Gabaa* non eſt hic proprium nomen vrbis, ſed appellatiuum, quo Collis ſignificatur. Erat autem vt dixi domus Abinadab in excelſiore parte Cariathiarim; ſiue, vt LXX. disertè vertunt, *in colle illius*: propterea dicitur fuiſſe *in Gabaa*, retento nomine appellatiuo, quaſi proprium eſſet.

d lib. 1. c. 7.

e verſ. 4.

Sed quomodo conſilium de Arca reducenda, & cum quibus initum? De hac tota re nihil habetur in hoc loco Regnm, quæ pluribus in libris Paralipomenon explicatur [f]. *Iniit*, inquit, *conſilium Dauid cum tribunis, & centurionibus & vniuerſis principibus, & ait ad omnem cœtum Iſrael; ſi placet vobis: & à Domino Deo noſtro egreditur ſermo, quem loquor: mittamus ad fratres noſtras reliquos in vniuerſas regiones Iſrael, & ad ſacerdotes, & leuitas, qui habitant in ſuburbanis vrbium, vt congregentur ad nos, & reducamus arcam Dei noſtri ad nos: non enim requiſiuimus eam in diebus Saul. Et reſpondit vniuerſa multitudo vt ita fieret: placuerat enim ſermo omni populo.* Circa quæ verba dubium non leue eſt, cur & cum quibus conſulendo deliberet. Cur enim conſultet; magna, & probabilis eſt ratio dubitandi propter illa verba; *A Domino Deo noſtro egreditur ſermo quem loquor*; ſi enim Dei inſtinctu, & vt propheta loquebatur, quod aliqui [g] volunt; ſi Deus illi voluntatem ſuam aperuerat; ſi quid agendum eſſet indixerat; cur id vt rem dubiam, incertam, pendentem, in conſultationem vocare, & aliorū arbitrio deliberando ſubiicere, quod erat omnino Dei præſcriptione gerendum? Reſpondent illi cum Abulenſi factum hoc à Dauide, vt adminicula humanæ prudentiæ doceat non eſſe ſpernenda, licet adſint diuina præſidia; multa præter hæc alia congerunt de populi fauore per hanc beneuolentiæ ſpeciem colligendo, de Arca ſtabilius collocanda, ſi non ſolo Dauidis ipſius, ſed aliorum omnium iudicio locaretur; de offenſione denique vitanda, ſi non pro arbitrio cuncta, ſed communicato cum ſuis conſilio exequeretur. At hæc nodum, quem propoſui, non diſſoluunt. Volunt iſti Dauidi, vt prophetæ, diuinitus vt Arcam reduceret iniunctum; in quem ſenſum verba illa interpretantur. *A Domino Deo egreditur ſermo, quem loquor.* Cur ergo rem diuino iuſſu mandatam, quaſi dubiam, in deliberationem

f lib. 1. c. 13. 1.

g Salian. an. 2989. n. 9.

tionem mittit, & num efficiendum ſit illud exquirit, quod omitti non poteſt?

Duo dici poſſunt, primò, verbis illis; *A Domino noſtro egreditur ſermo*; nullam diuinam reuelationem contineri, quæ Dauidi facta fuerit de Arca reducenda; ſed alludi per ea ad præceptum Dei de Arca certa ſede locanda, vbi primum Iſraelitæ terra Cananitide potirentur. Non itaque per hæc verba Dauid Iſraelitis edixit; *Vult Deus vt Arcam reducamus, ea de re quid vobis videtur?* ſed in memoriam præceptum Domini reuocauit de Arca loco idoneo reponenda; quod quando hactenus eſſet neglectum, vt indicant illa verba; *Non enim illam tempore Saulis requiſiuimus*; quærit ab illis num quod hactenus omiſſum eſt, hoc tempore placeat impleri. Secundo, ſi admittimus his verbis oraculum contineri, Dauidi, vt prophetæ, inſpiratum de Arca deducenda; non hoc Dauid in deliberationem miſit an eſſet agendum; ſed tantum *quo modo*, deliberauit, nempe quo apparatu, qua pompa, quanta frequentia. Probabilius tamen primum illud exiſtimo, quia ſi Deus præcepiſſet Dauidi, cum illo, vt cum propheta loquutus, vt Arcam reduceret; illam Dauid non omiſiſſet, nec medio in itinere Ozæ caſu perterritus, in domo Obededom deſtituiſſet. Conſultauit ergo num iuxta præceptum Domini Arca eſſet hoc tempore reducenda, & idonea ſede locanda.

Cum quibus ergo hoc? *Cum tribunis, centurionibus & vniuerſis principibus.* Quod eſt omnes aliquam præfecturam ſiue vrbanam, ſiue militarem gerentes, conuocaſſe. Rem verò cum illis decretam, ad populum poſtea retuliſſe, qui illam
a verſ. 2. iuberet [a]: *Et ait*, inquit, *ad omnem cœtum Iſrael.* Quomodo hoc? iam dixi. *Omnis Iſrael* appellatur, quoties aliqui nomine totius Iſraelis agentes, & qui abſentium vicem referunt, congregantur. Omnium ergo ſuffragiis Arcæ deductio ſancita eſt; & vt quam apparatiſſime fieret, etiam decretum. Sed dubium poſſet hîc aliquos non leue mouere, cur nulla ſacerdotum, nulla leuitarum, nulla ſacrorum hominum mentio cùm de re ſacra conſulitur; ſed tantùm principum militarium, aut vrbanorum. Qua de re, quia longiorem inquiſitionem poſtulat, in anguſtiis Commentarij, quicquam vlterius addere ſuperſedemus.

Qua ergo pompa, & apparatu inſtituta deductio? Planè regio; qui in tribus potiſſimum ſpectabatur; in frequentia deducentium, in multitudine cantorum, in ſignificatione feſtæ lætitiæ. *Frequentia* deducentium maxima erat. Abulenſis
b lib. 2. Reg. 6. q. 1 1. Paral. 13. quæſt. 10. [b] vult 224. hominum millia ſuperaſſe. Sed omnium ſumma ad liquidum definiri non poteſt. Ex Scriptura enim duo tantùm certa ſunt; primo 30. millia electorum ex vniuerſo Iſrael hic adfuiſſe. *Congregauit*, inquit, *rurſum Dauid omnes electos ex Iſrael triginta millia.* Secundo præter hos, ingentem planè & promiſcuam multitudinem ex omni Iſrael conueniſſe, quam Dauid ex
c lib. 1. c. 13. 5 vniuerſa Cananitide conuocauerat, vt in libro [c] Paralipomenon habetur. *Congregauit*, inquit, *cunctum Iſrael à Sehor Ægypti, vſque dum ingrediaris Emath.* Quibus duobus terminis tota Cananæa regio definitur. *Congregaſſe* autem dicitur, non quod omnes confluxerint; ſed quod Arcæ deductionem omnibus indixerit; Et qui vellent, etiam conuocauerit.

Pro tanta verò populi frequentia, vt celebri-

Sepran. in Dauid.

tas augeretur, & lætis omnia vocibus perſonarent, aderat quoque congrua multitudo cantorum, de quibus ſimul, & feſta ſignificatione lætitiæ ſic hoc loco Scriptura. [d] *Dauid autem, &* d verſ. 5.
omnis Iſrael ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis & lyris, & tympanis & ſiſtris & cymbalis. Quo modo loquendi ſignificatur non ſolum cantores ad id propriè munus attributos, ſed vniuerſum quoque populum canendo, & plaudendo Dei laudes, promiſcue decantaſſe. Abulenſis hic rem minimè neceſſariam curioſius inquirit, & quæ aliter, quam diuinando definiri non poteſt; quomodo deductio inſtituta, & quo quiſque ordine ſinguli proceſſerint; præcipuè autem quem locum Arca tenuerit. Fruſtra enim id quæritur, cum nihil de eo Scriptura loquatur: ex iis autem, quæ alibi traduntur habeamus, potuiſſe Arcam præcedere, potuiſſe ſubſequi, potuiſſe mediam in toto procedentium agmine deferri. Horum enim omnium in ſacris literis exempla tenemus, vbi variæ deductiones Arcæ referuntur. Anteceſſit [e] vniuerſum pro- e Ioſ. c. 3. 3.
ceſſionis agmen in deſerto ſub Moſe, & iterum cap. 6. 4.
ſub Ioſue in Iordanis tranſitu. Subſequuta [f] om- f Ioſ. cap. 4.
nes eſt in eodem Iordane. Medium [g] agmen oc- g Ioſ. cap. 6.
cupauit in Ierichuntina obſidione. Hic ergo ſiue primum, ſiue poſtremum, ſiue medium agmen tenuerit; illud certum eſt plauſtro impoſitam fuiſſe, quod Ahio præcedebat, & Oza ſubſequebatur. Dauidem verò cum electa manu cantorum, pro-
ximum Arcæ inceſſiſſe vult Abulenſis, [h] quod in h *Quaſt.* 18.
Scriptura dicatur ipſum *coram Domino* luſiſſe; *in* 1. *Paral.*
ſed hoc non de Dauide ſolum, ſed vniuerſo Iſ- 13.
raele refertur. *Dauid*, inquit, *& omnis Iſrael ludebat coram Domino.* Cùm ergo totus Iſrael Arcæ proximus incedere pariter non potuerit, *coram Domino luſiſſe*, non eſt ante Arcam proximè canore muſico laudes Domino perſonaſſe.

Sed hæc tam læta deductio videamus iam quem ſortita ſit exitum? Planè non lætum. Oza enim qui plauſtrum ponè regebat, Arcam ſuſtentaturus, quæ bobus ex laſciuia calcitrantibus in caſum nutauerat, illi manus admouit, & illicò ſubita, nec aſpectabili plaga percuſſus expirauit. Cur ergo, & quomodo percuſſus? Ob aliquod peccatum non ambigitur. In quo verò, & quomodo peccauerit; omnes quærunt. Temeritatem punitam Scriptura dicit. *Et percuſſit*, inquit, *eum Dominus ſuper temeritate.* Sed, oro, quæ fuit iſta temeritas, aut in quo temerarius Oza, vel arrogans, & non potiùs pius? Arca nutabat in caſum, periculum erat ne ſolo excuſſa grauius allideretur. An ergo cadentem, excuſſam, alliſam debebat otiosè ſpectare; & hoc ſi feciſſet, pius fuiſſet; quia ſuſtinendæ manus admouit, temerarius fuit?

Aliqui [i] in eo temeritatem ponunt, quod cum i *Sanc. hic.*
non eſſet ipſe Leuita, Leuitarum officiũ auſus eſt vſurpare. Sed quomodo non Leuita Oza Leuitæ filius, Leuitæ frater, & nepos Leuitæ? Eleazar enim pater Animadab, cuius filius Oza, leuita fuit. Oza ergo & ipſe leuita, quod nullus veterum aut recentiorum interpretum non affirmat. Alij igitur peccaſſe dicunt, quia legali impuritate fœdatus id auſus eſſet. Immundus enim ab aſpectu rerum ſacrarum, nedum à tactu, procul debebat abſiſtere. Sed ſi immundus Oza, maculam quando contraxerat? Ante deductionem? Cur non ergo ſtatim percuſſus, vbi manus admouit arcæ plauſtro imponendæ? In ipſo procedentis agminis progreſſu? Quomodo tunc, &

 quam

quam maculam potuit legalis impuritatis admittere? Temeritatem ergo alij interpretantur; quod Arcam tangere ſacerdotum erat, non leuitatum. Sed id ex Scriptura manifeſtè refellitur, quæ munus Arcam geſtandi leuitarum proprium facit ex familia Caath; quod vtique obiri non poterat, niſi tangendo. Addunt ergo alij [a] nudæ Arcæ tactum, tantum ſacerdotum fuiſſe; Leuitis attingere licuiſſe, non niſi velatam. Ozam ergo peccaſſe, quod nudam attigiſſet. Sed quomodo tunc Arca nuda? vel enim nullis operimentis obtecta, plauſtro fuerat impoſita, vel velata. Si hoc; quis illi poſtea velamenta detraxit? Excuſſo inquiunt, boum calcitratione plauſtro, excidêre velamina. Sanè hoc dicere debent, vt hoc quod ſemel dixerint tueantur. Sed quid eſt diuinare, ſi hoc non eſt? Quod ſi nuda plauſtro ſuperimpoſita; cur nunc potius Oza temerarius illam tangendo ne tueret; quam prius dum tetigit, vt in plauſtro locaret? Adde; præceptum de Arca non attingenda niſi velata, ſi vllum leuitis fuiſſet impoſitum; illo non fuiſſet Oza detentus, cum cerneret Arcam inclinatam, ruinam minari. Propterea nonnulli, quos ſequuti nos ſumus in Capitis argumento tradendo, ad occultum Ozæ ſenſum de Domini bonitate & potentia dum videret Arcam inclinatam, *temeritatem referunt*, Quaſi enim ſua illa ope indigeret, ita manus illi ſuſtinendæ admouiſſe.

a Serrar. hîc

In re ergo incerta certiſſima mihi aliorum omnium ſentẽtia videtur eſſe, temerarium fuiſſe Ozam cum Arcam leuitarum humeris geſtandam, Leuita ipſe geſtare neglexit, & bobus trahendam permiſit. Huic tamen ab omnibus fermè receptæ ſententiæ duo videntur obſtare. Primum, quod ſolus in eo punitus, in quo alij tam multi peccarunt; alterum, quod non tunc punitus, cùm peccauit; ſed hucuſque dilata pœna fuerit, cum quod peccauerat, emendare ſtudebat. Sed hæc quæ videntur obſtare, non obſtant. Non quidem primum; quia cum Oza primogenitus eſſet, vt ex ſerie narrationis habetur, ad ipſum potiùs, quàm ad fratrem, vel quemuis alium, res tota ſpectabat. Ab illo Dauid, ab illo frater, ab illo reliqui omnes in tota deductione pendebant: Proinde quod in hoc Arcæ neglectu peccatum eſt, ab illo eſt præcipuè peccatum, & ob id in illo præcipuè punitum. At cur non tunc pœna ſumpta, cùm peccatum, ſed hucuſque dilata, cùm non iam peccaret Oza; ſed quod peccauerat, emendaret? Rectè Caietanus; quia tunc Ozæ peccatum *effectu viſibili* ſe prodidit, & in omnium oculis patuit inconſulta temeritas, cum illud ipſum accidit, ob quod Deus Arcam, non animalibus ſed Leuitarum humeris geſtari mandauerat. Id enim Deus iuſſerat: ne quid tale contingeret, quale tunc accidit. Nempe vt animalibus, quibus illa geſtanda daretur, laſciuius exultantibus indecorum aliquid in conſpectu populi non pateretur, vnde cultus illi apud imperitum vulgus minui poſſet.

Ex hoc ergo loco duo ſunt obſeruanda. Alterum eſt, cùm quid peccatur, & inconſulte committitur, ex quo malum aliquod & incommodum conſequatur, vt plurimum pœnam tunc irrogari, non cùm illud admittitur; ſed cum incommodum ex male admiſſo conſequitur; & id, idcirco nulla vt poſſit tergiuerſatione negari, quod admiſſum eſt, digna pœna plectendum, ex quo vident omnes incommodum ſequi, quod ne ſequeretur erat antea præcauendum. Quia vero dubitari non poteſt incommodum eſſe ſequutum, cum is intempeſtiua remedia adhiberet illi auertendo, aut molliendo, cuius culpa ſequatur: inde etiam fit vt plerumque cum quis intempeſtiuè vult emendare iam facta, quæ poterat præcauere ne fierent, vel acriùs puniatur, vel obiurgetur. Sic olim Hannibal Carthaginenſes [b] ſuos irriſit, & amarè obiurgauit, cùm lamentari tributum cœperunt, quod erat Romanis pendendum. Cur enim id? An iuſta non erat cauſa dolendi ciuitatem nuper florentiſſimam, & æmulam Romanæ potentiæ vectigalem Romanis fieri, eo redactam vt aliis tributa penderet, ſolita tributa aliis imperare? Si ergo iuſta hæc erat cauſa dolendi, cur ab Hannibale reprehenſi, cur amarè traducti, & probroſè obiurgati? Reſpondit Hannibal illos ſe reprehendere, non quod tunc dolerent, ſed quod ante dolenda feciſſent. Tunc autem reprehenſionem ſuam distuliſſe, cùm remediis intempeſtiuis incommoda vitare volebant, quæ ſponte incurrerant, deditionem faciendo. Sic pater aliquando tunc filio colaphos impingit, cum videt illum ſollicitum emendare velle quod male fecit, vt moneat in poſterum à malis cauendum, vnde illa incommoda ſequuntur, non animo ſupino committere, vnde ſequantur, & poſtea ſollicite remedia minus opportuna quærere, quibus auertantur. Eodem pacto nunc Deus cum Oza. Præceperat illi, reliquiſque Leuitis, vt Arcam ſuis humeris ferrent, non iumentis imponerent. Cur id? ne laſciuientibus illis, arca concuteretur, & indecore notaret. Hoc Dei præceptum neglexit Oza; Arcam bobus impoſuit; calcitrantibus excuſſa eſt, & in caſum vibrare viſa. Contigit id, quod ne accideret, iuſſerat Deus animalibus Arcam non tradi. Hic Oza ſibi conſcius, Arcæ inclinatione conſpecta, neglecti diuini cultus, & inconſultæ temeritatis admonitus, intempeſtiuè voluit emendare quod fecerat. Tunc ergo, cùm totum ipſius peccatum in omnium oculis patuiſſet, iuſto eſt ſupplicio punitum.

b Plutarc. in Hannib.

Alterum, quod hîc obſeruandum eſt, non eſſe crimina, pœna legitimè illis ſancita ferienda, niſi abſolutè fuerint, effectu ſequuto, completa. Quod inſtitutum humanæ quoque leges tam canonicæ, quam ciuiles obſeruant: nec enim ordinaria pœna crimina vindicantur, niſi quæ fuerint, opere completo, patrata; & totus ille fuerit effectus ſequutus, quem maximè vitare legiſlator intendit.

Propter hoc ergo, quod diximus percuſſus Oza: ſed quomodo? Difficultatem aliquam facit quod in libro [c] Paralipomenon habetur. *Ozam à Domino diuiſum*, & ubi id locum in quo percuſſus; *Oza diuiſio* appellatum. Volunt ergo quidam ita percuſſum Ozam, vt fuerit diuiſus. At id quomodo? Hebræi brachio truncatum volunt, vt ea parte qua deliquerat, mulctaretur. Alij fracto gutture ſuffocatum dicunt. Abulenſis quia lethaliter vulneratus fuerat, *diuiſum* appellari; aut etiam quod igne diuinitus immiſſo flagrauerit, & ſic ab aliis diuiſus. Sed inter hæc omnia, quæ incerta ſunt, & ex longis ambagibus accerſita, certum tantum eſt Ozam ſubito exanimatum concidiſſe, qui repentinus in libro Paralipomenon per diuiſionem explicatur, quod in ſcripturis *diuidere* ſit aliquando ſubita morte de medio tollere; & *diuiſio*, quicunque repentinus

c lib. 1. c. 13.

non interitos, vt ad illud Chriſti verbum plures obſeruant [a] *Diuidet eum, & partem eius ponet cum hypocritis.* Hypocritas [b] enim tunc quando minimè putant; Dei decreto extremo ſupplicio puniri.

a Matth. 24. 51.
b Iob. c. 20. 5

Et extimuit in die illa Dauid.] Videndum hîc, quod non leuem difficultatem facit, vnde Dauid, & quid timuerit, quid ex hoc timore conſilij ceperit; cur cum illo pariter alij non idem timuerint.

Occaſio timendi ſine dubio fuit Ozæ percuſſio: viſo enim tam ſubito, tam claro, tam ſeuero diuinæ animaduerſionis exemplo, non potuere qui aderant, timore non concuti. An ſit quiſquam tam firmo pectore, vt cum videat ſereno cælo fulmen ex improuiſo vibrari, quo ſubito alius ictus, ante ſe corruit exanimis, ipſe non paueat? Serenum tunc erat, & omnia lætis vndique plauſibus in feſtam hilaritatem ſoluta, faciem cæli ridentis exhibebant, cùm tacito, cæcoque fulmine percuſſus Oza, ante omnium oculos expirauit. Quid mirum ergo ſi ad iactum fulminis tam prope cadentis Dauid extimuerit?

At quid, & cur extimuit? Duplex eſt enim timor: alter, irruens, & vi ſua animum ſecum abripiens, in ſubitis caſibus violentius irrumpens; qui mox tamen vt animus ſe collegerit, excuſſus cedit: alter conſultus, & perſeuerans. Ille ferme omnes inuadit, cum quid incidit inopinatum, dirè mali faciem ſecum ferens; & huius nulla alia cauſa quæritur, quam obiectum malum repentè & ex improuiſo propoſitum. Aſt alius timor, qui non excutitur, ſed cum animus etiam ſe collegerit perſeuerat, vel ignaui eſt, & degeneris, ſi nullam aliam cauſam habet, quam malum repentè propoſitum; vel, ſi viri fortis eſt, cauſam aliam habeat neceſſe eſt. Dauid ergo cùm vir fortis eſſet, & prudentiſſimè cautus, ſi perſeueranter timuit, non vt ignaui timuit, ſed vt fortes ſolent. Quid ergo hic & cur timuit, aut quid hic vidit ad ſe pertinere, quod timere poſſet?

c *Abulen.* 1. Par 11. q. 33. 34. 35.

Multa dici poſſunt, & ab aliis [c] dicuntur. Expedita reſponſio eſt, timuiſſe Dauidem, non ſupplicium, non pœnam, non infortunium, quod viderat accidiſſe Leuitæ; ſed cauſam, quam ille dederat. Quod eſt non timuiſſe ne plecteretur; ſed ne cauſam aliquam daret, ob quam plecteretur, in ſe Deum irritando, Arcam minus reuerenter habendo. Certum ergo hinc eſſe poteſt, Oza cadente, nulli dubium fuiſſe ob aliquod in Arcam peccatum ipſum percuſſum. Ob quod verò; fuiſſe omnes incertos & dubitaſſe. Si enim Dauid, ſi alij quid hac animaduerſione propriè punitum vidiſſent; non erat cur ipſe ſibi ab Arcæ vicinitate timeret, cur incertus ageret, cur diuinam voluntatem ſibi putaret accuratius exquirendam. Hæc omnia cùm fecerit, quid propriè Oza circa Arcam peccauerit, non deprehendiſſe conuincitur. Incertus ergo Dauid, & certus ex hac Ozæ percuſſione cum eſſet; *certus* quod ob aliquod in Arca tractanda peccatum percuſſus fuerit; *incertus* quid illud fuerit, timuit ipſe, ne quid in Arcam peccaret, ſi ſecum illam propius haberet.

Falſum ergo eſt, & Dauidis pietati non congruit, quod aliqui dicunt ſolam Arcæ viciniam timuiſſe. Non eſt ille timor Dauidis, non eſt timor ſanctorum; ſed Accaronitarum, qui nolebant Arcam proprius ad ſe diuertere, quod malè ſibi conſcij, male ſibi quoque timebant ex vicinitate ſacrorum. Sic enim vt ſupra [d] vidimus Accaronitæ, cùm Arca ad illos adducebatur, exclamarunt; *Adduxerunt ad nos Arcam Dei Iſrael, vt interficiat nos, & populum noſtrum.* Vnde paulò pòſt, inito conſilio dixerunt; *Non maneat Arca Iſrael apud nos; quia dura eſt manus eius ſuper nos, & ſuper Dagon Deum noſtrum.* Non ſolum ergo viciniam Arcæ Dauid extimuit; ſed ex vicinitate periculum quippiam peccandi, minus illam reuerenter habendo; ex qua poſtea irreuerentia diſcrimen ſimilis animaduerſionis incurreret.

d lib. 1. c. 5.

At cur hoc non timuit Obededom; aut cur ipſe Dauid hoc illi periculum non timuit? An erat Obededom Dauide iuſtior, & in diuinum cultum propenſior; vt quod ille religiosè facturus erat in Arcam, non poſſet etiam Dauid ſimiliter exercere? Cur ergo ſimiliter non timuit, vt timuit Dauid, ſi ſe Dauide iuſtiorem non agnoſcebat; aut cur illi Dauid Arcam potius, quam ſibi credidit, ſi tantum periculum erat, quidpiam in illam peccandi, & ex peccato tam ſeueram animaduerſionem incurrendi? Vel enim putauit reuerenter habendam, vel non. Si non; iam ergo contra Arcam peccauit, qui irreuerenter habituro commiſit. Si illud; cur ergo quem ille cultum erat impenſurus, ipſe non impendebat Arcæ, & in domum ſuam inducebat, vt erat ante ſtatutum? Hæc manifeſte conuincunt à ſola Arcæ propinquitate, non extimuiſſe Dauidem; nec enim tam placidè in domum ſuam illam recepiſſet Obededom; ſi Dauidem vidiſſet ab illa ſibi timere: & Dauid ipſe minus eſſet officio boni viri perfunctus; ſi malum, quod à domo ſua propulſabat, in alienam intuliſſet. Obededom ergo, non quia Dauide iuſtior, ſed genere ſtirpis, & officij dignitate ad Arcæ cuſtodiam magis idoneus, illam ſecurus admiſit, quam Dauid timuit ad ſe diuertere. Obededom enim leuita erat; propterea rectè putauit Dauid poſſe quid à ſe magis, quam ab Obededom in Arcæ cultu peccari.

Ex quo manifeſtè illorum error arguitur, qui hunc Obededom leuitam fuiſſe negant. Si enim Obededom non leuita, quid habuiſſe confingent, vnde potius ad illum Dauid, quam ad ſe Arcam diuerterit? Quomodo poterit excuſari Dauid ab irreuerentia in Deum, ab inhumanitate in homines; ſi quod ſibi malum timebat, & cuius ipſe cauſa fuerat, Arcam de domo Abinadab commouendo, ſupra domum Obededom declinaſſet? At Obededom Gethæus fuiſſe dicitur; non ergo Leuita: ſed hoc argumentum quam leue ſit; fuſe paulo poſt [e] oſtendemus, vbi docebimus ſimilia cognomina non fuiſſe argumenta ſtirpis; & ſanguinis in viris Iudaici cultus, ſed aliunde propter aliquod diſcrimen impoſita; vt alius ab alio diſtingueretur. quo pacto Vrias [f] Gethæus dicitur, qui verus erat Iſraelita, & hic idem Obededom qui nunc Gethæus, in libro Paralipomenon [g] leuita appellatur.

e lib 2. c. 12.
f lib 2. c. 15.
g lib. 1. c. 15. 19.

In domum Obededom] Vbi hæc fuerit, intra ipſam Ieroſolymam, in ciuitate inferiori, vt placet Abulenſi; vel, vt alij, in proximo ſuburbano. Vtrumuis dicatur, neutrum ſatis poteſt ex ſacra hiſtoria probari; cum ſit tamen vtrumque probabile. Quod enim hîc *Arca Obededom* appellatur; turbare non debet, quaſi intra Ieroſolymæ mœnia eſſe non poſſet. Dauide enim regnante, nondum erat Ieroſolyma ædificiis & habitatoribus ita

 frequens,

frequens, vt nihil in tota vrbe ſpatij vacaret; ſed erant adhuc plures, non plateæ, ſed areæ ruſtico operi paratæ. Quod conuincit Area Araeunæ Ieburæi, in qua boues, aratra, ſpicæ, & id intra [a] Ieroſolymam. Si ergo hæc; non mirum quoque ſi potuit area Obededom Ieroſolymis includi.

a lib.2.Reg. cap.24.

Benedixit Obededom, & omnem domum eius.] Hebræi apud Hieronymum [b], quos recentiores ſequuntur, hanc benedictionem in fœcunditate conſtituunt tam domeſtica, quam rurali. *Domeſtica*; vxorum, concubinarum, ancillarum; quas omnes volunt hoc tempore fœtus concepiſſe melioris ſexus. *Rurali*, in gregibus & armentis omnis generis, in prouentu frugum, in vbertate camporum. Sanè negari non poteſt, *benedictionem* cum dicitur in ſcriptura, domui, vel agris alicuius impenſa, cuncta iſta complecti. Quod autem in hunc ſenſum debeat etiam hoc loco interpretari; textus Paralipomenon [c] maxime facit; vbi præmiſſo quod Deus Obededom ob Arcæ apud illum manſionem, benedixiſſet, explicando deinde in quo benedictio iſta conſiſteret, octo illum filios habuiſſe ſubiicitur, & omnes maſculos; adiuncto ſtatim tot illum ſuſcepiſſe, *quia benedixit illi Dominus.*

b Salian.an. 2988.

c lib.1.c.13.

Cæterùm non puto tam arctis finibus hanc *benedictionem* reſtringi debere, vt ſola fœcunditate contineatur; ſed latius omnino porrectam, rerum omnium ex voto affluentium copiam ſecum traxiſſe. Quod fuſiſſime ab aliis explicatum; non eſt quod hic preſſius exequamur. Tantum illud diſſoluendum reſtat, quod pleroſque monere poſſet, & Abulenſem mouet; vt omnino negaret, *benedictionem* hanc Obededom impartitam, vllo modo pro fœcunditate, quam diximus, accipi poſſe. *Benedictionem* enim illam beneficium aliquod inſigne, magnum, conſpicuum fuiſſe; at fœcunditas ſiue vteri in vxoribus & concubinis, aut etiam gregibus & armentis; ſiue camporum in frugibus, & fructibus; quomodo trium tantum menſium ſpatio tam conſpicua eſſe potuit, vt deprehendi potuerit, & omnibus explorato conſtare, fuiſſe id totum diuini muneris hoſpitij gratiam hoſpiti referentis? Sic Abulenſis, qui ob hoc diuinam hanc *benedictionem* ſubitam fœlicitatem interpretatur. At vbi illa ſita? In læto rerum omnium ſucceſſu, quæ ad Obededom quoquo modo ſpectarent. Sed ſi ab hac fœlicitate beneficium fœcunditatis excluditur; quæ poterat eſſe homini coniugato, ſine prole, fœlicitas? Nec illum mouere debet, quod trimeſtri ſpatio non poſſit tanta ſimul ſoboles prouenire. Nam ſatis eſt ab eo tempore ſtatim omnibus fuiſſe conſpicuum, quotquot erant in domo Obededom vxores, & nurus, omnes vterum geſtare cœpiſſe, ſuo tempore parituras. Armenta quoque gregeſque lætamque camporum faciem, lætum prouentum, & vberem meſſem vel dediſſe, vel promiſiſſe.

℣. 12.) Nunciatumque eſt regi Dauid quòd benedixiſſet Dominus Obededom, & omnia eius propter arcam Dei. Abiit ergo Dauid, & adduxit arcam Dei de domo Obededom in ciuitatem Dauid cum gaudio: & erant cum Dauid ſeptem chori, & victima vituli.

℣. 13.) Cúmque tranſcendiſſent, qui portabant arcam Domini, ſex paſſus, immolabat bouem, & arietem.

℣. 14.) Et Dauid ſaltabat totis viribus ante Dominum. Porrò Dauid erat accinctus ephod lineo.

℣. 15.) Et Dauid, & omnis domus Iſrael ducebant arcam teſtamenti Domini in iubilo, & in clangore buccinæ.

℣. 16.) Cúmque intraſſet arca Domini in ciuitatem Dauid, Michol filia Saul proſpiciens per feneſtram, vidit regem Dauid ſubſilientem atque ſaltantem coram Domino: & deſpexit eum in corde ſuo.

Abiit ergo Dauid.] Ozæ funeſtus exitus vt Dauidem terruerat, ita Obededonis fœlicitas illum iterum excitauit ad arcam repetendam, & in loco, cui iam deſtinata fuerat collocandam. At cur itidem ſimul vt antea ſibi non timuit? Quia re maturè diſcuſſa quid propriè peccatum eſſet ab Oza cognouerat; erratum nempe, quia Arca geſtata non fuerat vt rite debebat; vt ipſemet indicauit antequam ſecundam hanc deductionem inſtitueret, populum ſic alloquutus [d]. *Illicitum eſt vt à quocumque portetur Arca Dei, niſi à Leuitis, quos elegit Dominus ad portandum eam, & ad miniſtrandum ſibi vſque in æternum.* Cum ergo nulla eſſet amplius occaſio timendi, cauſa comperta cur eſſet Oza percuſſus, ceſſauit etiam in Dauide timor: ceſſauit autem timoris occaſio, quia ceſſauit incertitudo delicti.

d lib.1.Paral. 15.2.

Videamus ergo circa ſecundam hanc translationem, locum ad quem deducta, ſpatium & moram deductionis, agmen deducentium, apparatum & pompam.

Locus in quem deducta, regia Dauidis fuit, in monte Sion recens excitata. Licet enim minus hoc probabile videatur Abulenſi [e], cui & ea parte conſentit Salianus [f]; non tamen quidquam afferunt, quod communem aliorum omnium opinionem poſſit conuellere. Sed in ea, vbi propriè, & quomodo locata? In nouo tabernaculo in hoc ipſum à Dauide ſtatuto, vt hic [g] habetur. *Et introduxerunt arcam Domini, & impoſuerunt eam in loco ſuo, in medio tabernaculi, quod tetenderat ei Dauid.* Cui tetenderat? Hebræi apud Hieronymum [h] volunt tabernaculo iam olim à Moyſe excitato, tabernaculum hoc Dauidicum fuiſſe circundatum; quaſi illius operimentum. Sed omnino falluntur. Hic enim clarè dicitur, *Ei*, nempe Arcæ, de qua ſermo præceſſerat, hoc Dauidis tabernaculum fuiſſe prætenſum. Duo ergo deinceps in Iudaico regno ſacra tabernacula fuerunt, hoc Dauidicum, in quo manſit [i] Arca donec in templum Salomonis illata; & antiquum Moſaicum, quod in Gabaon vſque manſit, donec templum ædificatum. In hoc vero Dauidico quæri poteſt, quo ſitu locata; quod longa inquiſitione non indiget. Non enim ad latera, vt altaria plerumque ſolent ædium ſacratum parietibus obuerſa; ſed in ipſo medio ſtatutam ſcriptura [k] refert.

e quæſt.19 in cap.17. lib.1. Paral. & q 3. in c.15.

f An. 2992. n.7.8.

g verſ.17.

h In Trad. hic.

i 3. Reg 1. 2.Paral.1. 2 Paral.1.

k verſ.17.

Iam verò de *proceſſione* ipſa quandiu durauerit, quantumque protracta; pendet id ex duplici ſpatio, loci quod confecerit, & temporis in eo

conficiendo

conficiendo conſumpti. *Loci ſpatium*, iam diximus non admodum potuiſſe protendi. ſiue enim domus Obededom in ſuburbano, ſiuè intra ipſam Ieruſalem ſita dicatur, inter eam & regiam Dauidis, ſpatium quod poterat intercipi, duo millia paſſuum vix excedebat. At ſpatium hoc, quod poterat breui tranſmitti, magnitudine agminis lentè procedentis, in longum maximè deductionia moram tempuſque produxit: vt plures horas, & integrũ fortaſſe diem proceſſionem ipſam duraſſe, non dubiè ex hoc duplici capite poſſimus aſſerere. Primo, ex *lenta mora*: quia tardè adeo promouebant inceſſus, vt ſinguli fermè paſſus ſuſtentando numerarentur. Quî enim aliter poterat, cum ſexto quoque paſſu victimæ cæſæ dicantur? [a vers. 13.] *Cumque*, inquit, *tranſcendiſſent, qui portabant arcam Domini ſex paſſus, immolabat bouem, & arietem.* In quo ipſo quantum temporis oportet inſumptum? Secundo *ex multitudine agminis incedentis* id etiam clarius conficitur. Vt enim tot hominum millia ſexu, ætate, cultuque diſtincta, nil aliud agendo tranſmitterent, quanta mora opus erat? Videamus ergo quanta hæc multitudo, & quam varia eſſet. Ingentem fuiſſe hoc loco Regum indicatur tãtum; in libris Paralipomenon clare ſignatur. Id enim hic innuitur dum dicitur; [b vers. 15.] [b] *Et Dauid, & omnis domus Iſrael ducebant arcam teſtamenti Domini.* Omnis domus Iſrael perinde eſt ac totus Iſrael; ad exaggerationem quidem dictum; ſed tamen vt inde numerus innumeræ multitudinis intelligatur. at in lib. [c] Paral. diſtinctiua. [c lib. 1. c. 15.] *Congregauit*, inquit, *Dauid vniuerſum Iſrael in Ieruſalem, vt afferretur arca.* & infra [d] [d vers. 28.] *Vniuerſus Iſrael deducebant arcam fœderis Domini in iubilo, & ſonitu buccinæ.* Et hæc de multitudine. De varietate quoque dubiũ non eſt omnis ætatis, ordinis, conditionis, & ſexus adfuiſſe. Non fœminæ, non pueri, non ſerui, non ſtatus vllus excluſus, quin agmen ipſi quoque componerent, & pro ſuo quiſque modo lætitiam ſanctæ celebritatis augerent. Nam de fœminis, & viris omnis ordinis; hic habetur. De pueris; Ioſephus teſtatur.

Iam verò de pompa & apparatu, quo agmen inceſſit; in quinque maximè vtrumque ſpectandum eſt. Primò, in geſtatione Arcæ. Secundò in numero cantorum. Tertiò in modulatione ipſa. Quartò in ſacrificiis. Quintò in ornatu, plauſu, veſtituque incedentium.

In geſtatione Arcæ; Nec enim vt prima vice bobus trahenda commiſſa eſt; ſed vt erat ex præſcripto legis agendum, Leuitarum humeris impoſita, ritè vt debebat, ab illis geſtata, ſacerdotum choris vndique cincta proceſſit. [e lib. 1. Paral. cap. 15. 2.] [e] *Illicitum eſt*, dixit Dauid, *vt à quocunque portetur arca Dei, niſi à Leuitis, quos elegit Dominus ad portandum eam.* Quod & fecerunt: vnde poſtea ſubditur; [f vers. 15.] [f] *Tulerunt filij Leui arcam Dei, ſicut præceperat* [g] [g Num. 4. 15] *Moyſes humeris ſuis in vectibus.* Leuitæ ergo geſtarunt; & circum ſacerdotes affuſi religioſè per choros diſtincti, proximè deducebant. [h lib. 1. Par. 15. 12.] [h] *Vocauit*, inquit, *Dauid Sadoc, & Abiatar ſacerdotes, & Leuitas Vriel & Azarıam; & dixit ad eos, Vos qui eſtis principes familiarum afferte arcam Domini Dei Iſrael ad locum qui ei præparatus eſt; ne vt à principio, quia non eratis præſentes, percuſſit nos Dominus; ſic & nunc fiat, illicitum quid nobis agentibus.* Attulerunt ergo ipſi quoque ſacerdotes Arcam; non quod geſtauerint, ſed quod proximè geſtantibus adeſſent; vt omnia iuxta legis præſcripta fierent, ritè curantes. In hoc autem exequendum, tam Leuitæ vt caſtè geſtarent; quam ſacerdotes, vt religiosè præeſſent, vtrique expiati ſunt, id vt facerent ante præmoniti. [i] *Vos*, inquit Dauid, ſacerdotes & leuitas alloquens, [i lib. 1. Paral. 15. 18.] *qui principes eſtis familiarum leuiticarum, ſanctificamini cum fratribus veſtris.* Et poſt, *ſanctificati ſunt ergo ſacerdotes, & Leuitæ, vt portarent arcam Domini.*

Sequitur de *cantoribus* & eorum numero. Id in libro [k] Paralipomenon accuratè refertur: hic [k lib. 1. cap. 15. & 16.] autem ſignificatur tantum fuiſſe eos in ſeptem choros diſtinctos, inter quos ſubinde Dauid incedebat, vt omnes excitaret omnibus intercurrens ad Dei laudes alacrius perſoluendas [l]. [l hic vers. 18] *Et erat*, inquit, *cum Dauid ſeptem chori.* inter quos ſubinde diſcurrebat; habebantque ſinguli præfectos ſuos, quorum nomina loco citato Paralipomenon diſtinctè ſignantur, qui diligenter obſeruatus, pro luculento Commentario eſſe poteſt ad omnes fermè Pſalmorum titulos intelligendos.

At quid, & quomodo *cantabant*? Quid propriè cecinerint; hic non exprimitur; in libro [m] [m lib. 1. c. 15] Paralipomenon tria dicuntur. Arcana, pro octaua, & epinicia. [n] [n vers. 22.] *Banaias*, inquit, *in nablis arcana cantabat. Porrò Mathanias in cytharis pro octaua canebat epinicion.* Quæ omnia quid ſint; ab enarratoribus Pſalmorum accuratè diſſeritur. At hæc quomodo cantabant? Harmonia planè mirabili vocibus ad omne genus inſtrumenti muſici modulatis; ex quibus diſtinctè numerantur *nabla, lyra, cithara, cymbala*: quæ qualia eſſent, & ad numerum quomodo pulſarentur; eſt alibi diſſerendum. Non tamen hic omitti debet, in pleriſque codicibus olim verba iſta fuiſſe, quæ nunc in emendata editione amplius non habentur. [o] [o vers. 14.] *Et Dauid percutiebat in organis armigatis, & ſaltabat totis viribus.* Quæ ſint autem organa armigata; non ſine cura quæſitum eſt. Puto autem non aliud fuiſſe, quam muſica inſtrumenta concinne humeris aptata; quæ quod ab armis ſuſpenſa penderent, armigata dicebantur. Et erant illorum propria, qui ſimul dum corpus ad numerum ſaltando mouebant, etiam vocem ad pulſum muſici organi temperabant.

Iam de ſacrificiis inter inceſſum pompæ ſubinde peractis; hic Scriptura rem totam breui narratione complectitur. [p] [p vers. 13. hic] *Erant cum Dauid*, inquit, *ſeptem chori, & victima. Cumque tranſcendiſſent, qui portabant arcam, ſex paſſus, immolabant bouem & arietem.* Quod ipſum in libro Paralipomenon [q] [q lib. 1. c. 15.] explicatius habetur; ex quo etiam colligimus ad ſextum quoque paſſum ſeptem boues, & totidem arietes immolatos. Quare quod hic eſt; *bouem & arietem*; poſitum eſt per ſinecdochen ſingulare pro plurali; niſi intelligamus ſexto quoque paſſu bouem & arietem in ſingulis choris immolatum; qui cum ſeptem eſſent, ſeptem quoque paria mactabantur. Et hoc fortè ſibi vult, quod hic dicitur ſecum Dauidem ſeptem choros habuiſſe, & *victimam vituli*; nimirum in quoque choro paratum fuiſſe in victimam vitulum ſaginatum; qui generali deinde nomine *bos, & taurus* pinguis, vt Hebræa indicant, appellatur. Quantus autem victimarum numerus fuerit, agmine procedente, cæſarum; iniri præciſe non poteſt. Ingentem planè fuiſſe, non dubitabit, qui ſpatium à domo Obededom in Regiam Dauidis ſecum ſupputauerit; & ad

ſextum

ſextum quemque paſſum tam lentè incedentis agminis,quatuordecim victimas immolatas.

Iam verò, qui procedebant, & agmen totum conſtabant, celebritatem prorſus augebant ornatu, planſu, & totius motu corporis. *Ornatu*; qoia ſuo quiſque pro modo coltus, & veſtibus lotia indutus. Hæc enim erat pars ſanctificatioois Hebræis vſitatæ cum quid erat religioſius obeundum. *Planſu*; quia lætis omnes vocibus in

a verſ. 15. hic.

iubilum perſonabant. [a] *Ducebant*, inquit, *arcam teſtamenti Domini omnis domus Iſrael in iubilo*; lætis ſcilicet aeclamationibus in ioconditas voces erumpentibus alacritatem animi conteſtati. *Geſtu vero totius corporis*; quia ſaltum quoque ad lætitiam prodendam adbibebant. De aliis expreſſios nihil adiungitur. De Dauidis cultu & ſaltatione; diſtinctè narratur. Quo ad cultum;

b verſ. 14. hic.

c verſ. 16.

fuiſſe [b] *accinctum Ephod lineo*. Quo ad ſaltationem; [c] *ſaltaſſe, & ſubſiliiſſe totis viribus*. Quid erat ergo *Ephod*? Fusè de hoc alibi docuimus. Hic aliquam difficultatem facit, quod aperiè Scriptura ſignificat veſtem ſacram & leuiticam fuiſſe. Pariter enim vt illo Dauid indutus dicitur, itidem leuitæ dicuntur; & vtrobique idem nomen in Hebræo vſurpatur, ſiue cum Dauid, ſiue cum leuitarum veſtitus exprimitur. Licet enim hoc loco Regum nihil de leuitis tradatur; expreſsè tamen in libris Paralipomenon id habetur.

d lib. 1. Paral. cap. 15. 27.

[d] *Dauid*, inquit, *erat indutus ſtola byſſina, & vniuerſi leuitæ qui portabant arcam*. Et paulo poſt, vt quid hæc eſſet ſtola byſſina conſtaret, adiungitur, *Dauid erat indutus Ephod lineo*. Vbi verbum idem eſt in originali, quod paulo ante redditur ſtola byſſina, & L X X. vertunt στολὴν ἔξαλλον *ſtolin exallon*, quam Theodotetus & Procopius interpretantur *ſtolam variam*. Hanc autem varietatem alij ponunt in gemmis & coloribus vt iidem Patres & ipſos ſequuti, ſic vt ſtola varia ſit gemmis coloribuſque diſtincta. Alij *variam*, diuerſam exponunt, à leuitica ſcilicet. Nonnulli variam intelligunt inſuetam & peregrinam, quod Dauidi minus eſſet vſitata, & tunc primum induta. Sed quicquid ſit de his minutè nimis ab aliis omnia interſecando quæſitis; de hoc Dauidis Ephod, duo certa ſunt alterum, fuiſſe quoque leuitas eodem genere veſtis indutos; non ita tamen illorum proprium fuiſſe, vt nefas eſſet ab aliis indui non leuitis. Si enim hoc fuiſſet; quomodo Dauid illud vſurpaſſet, cui nihil aliud erat in hac arcæ deductione propoſitum, quam omnia curioſe cauere, quæ poſſent in ea oumen offendere? Alterum, longè inferiorem cultu regio fuiſſe. Propter hoc enim illo Dauid indutus *vilior* apparuit, & Michol in deſpectum, nudum appellauit; non quod omni veſte, ſed quod Regem quæ decebat, exutus, ludibundus incederet. In hoc ergo cultu Dauid, quid?

Saltabat totis viribus, & ſubſiliebat.] An non ergo indecens ſaltare regem, & in Dei cultum ſaltare? Prorſus ita cenſebimus, ſi res Micholis arbitrio decidatur. Saltatio enim maxime publica, non ſolum iodecora Regi; ſed indigna plane viro quocunque cordato, vt Orator [e] eloqueo-

e Cic. pro Murena.

tiſſimus merito dixerit; *neminem ſobrium ſaltare*. Non ergo eſt pro regiæ digoitate perſonæ ſic animo geſtire, vt in ſaltationem lætitiæ ſenſus erumpat; & multo magis id indeceos; ſi diuino cultui deferatur. *Nihil dedecet*, inquit [f] Ambro-

f lib. 2 de pœnit. c. 6.

ſius, *quod religioni defertur; vt nullum obſequium, quod ad cultum, & obſequium Chriſti proficiat, erubeſcamus*. Ita ne vero? Totum decet Deo quod offertur, dummodo in eius obſequium offeratur? Et vbi illud eſt, quod alicubi [g] Deus conqueritur offerri ſibi *abominationes Ægyptiorum*? An

g Exod. c. 8. 26.

non Ægypti abominatio ſaltus, choreæ, tripudia? *Inſanire iuuat*, dicebat ille, quod iter ad id expeditiſſimum? *Saltare*, proinde ſtatim ſubdit *humum pellendam pedibus & ſubſiliendum*. Nec ſanè dubium eſt io bonorem falſorum numinum ſaltationem ſæpius vſurpatam. Quid ergo venit in meotem Dauidi, vel ſaltu membra vibrare, qood viri prudentis non eſt; vel id in Dei cultum adbibere, quod eſt Ægypti abominationes illi deferre? His, & ſimilibus obiectionibus multa mouentur in diſputationibos fuſe proſequenda. Satis hic erit reſpondere Micholi, non Dauidem excuſando. Nec enim indiget excuſari, qui laudari meretur: ſed quid hîc ille fecerit explicando. *Saltatio*, inquit, *virum cordatum dedecet*. Ita prorſus, ſi laſciua, ſi petulans, ſi denique comes ſit, & illecebra voluptatis: ſi vero modeſta, ſi compoſita, & ad animi ſeoſum promendom honeſta lætitia geſtientis, nequaquam. Et hæc cum Deo exhibetur, Ægypti abominatio oon illi exhibetur; ſed caſtiſſimi cultus, & verè Iudaici certa teſtificatio. Geſtire debet animus in obſequium Dei ſui, & totus quantus eſt, & valet, in cultum religionis impendi. Id cum pro eo, quod debet, non poſſit, ſaltem pro eo quod poteſt, eniti debet; ea prorſus ratione, qoam per ſingulos dies omnibus Eccleſia mater inculcat; vt omnia membra noſtra pro modulo quæque ſuo, Dei in obſequium ſoluantur, & animi in illum noſtri alacritatem teſtentur.

Os, lingua, mens, ſenſus, vigor
Confeſſionem perſonent.

Laudari Deum vult. hoc eſt enim confeſſionem perſonare; ſed quando laudes in ipſas nec os, nec liogua ſufficiunt, aduocari iubet *omnem ſenſum, vigoremque* membrorum; volt vt vnumquodque Dei oomen concelebret; vt pes, vt manus, vt brachia, vt totum deoique corpus hoſtia ante Deum, fiat iubilationis & laudis. Id porro fit, cum lingua in cantum ſoluitur; manus & digiti muſica organa numeroſe percurrunt, pedes ſubſiliunt, totum denique corpus in Dei ſui cultum pia iactatione vibratur. Et hoc prorſus Dauid hic exhibebat; qui non ſaltaſſe ſolum, *ſed ſubſiliiſſe*; quod non ad miouendum ponitur, vt vult Abulenſis, ſed ad intentionem ſaltationis magis exprimendam, vt alij obſeruant. Saltare enim eſt corpus ad oumerum quacunque ratione mouere; ſubſilire pedibus in altum vibratis totom corpus attollere, quod Italicè dicimus; *far capriole*. Si enim id non exprimit verbum Latinum; ſatis, vt alij notant, Hebræum inſinuat, quod interpres vulgatus vertit *ſubſilire*. Licèt id etiam vox iſta præferat, quæ propriè minutam ſaltationem ſonat, qualis fit cum corpus celeri iactationa vibrator, ſaltum pedibus interſecando. Hoc ergo feciſſe Dauidem; ſcriptura ſignificat, dum dicit illum *ſaltaſſe*, & *ſubſiliiſſe*, quo non contenta ſubiicit *totis viribus* vtrumque feciſſe; quaſi nimirum, quia de Dei cultu agebatur, id ſecum repeteret, quod ille faciendum in eorum obſequium monebat, quos maximè cupimus demereri.

Si vox eſt, canta; ſi mollia brachia, ſalta:
Et quacunque potes arte placere place.

Iuſtius eoim hoc in Dei quam in cuiuſcunque alterius

alterius obſequium curator. Et id ad amorem, ad ſtudium, ad animi propenſionem, quacunque ratione poſſumus conteſtandam. Vnde Prudentius, & cum illo Eccleſia cùm præmiſiſſet,

Os, lingua, mens, ſenſus, vigor.
Confeſſionem perſonent;

Subdit;

Flammeſcat igne charitas,
Accendat ardor proximos.

Hæc enim omnia vult eſſe ſigna charitatis intus æſtuantis, & claustra pectoris, quibus non continetur, erumpentis. Nec aliud eſt ſaltus, *ſubſilitio*, cantus, omnium membrorum ludibunda mobilitas, quam flamma charitatis ſe non capientis, & alios ardore ſimilis ignis afflantis: id quod intendit Eccleſia dum dicit; *Flammeſcat igne charitas, accendat ardor proximos.* Et hoc ſine dubio exiſtimandum feciſſe Dauidem. Quis enim ad illum ignem propius accedens, non incaleſceret; quis in Dei laudes, & in eius obſequium non accenderetur, cum Dauidem ducem victoriosiſſimum & triumphalem cerneret totis viribus ſubſilire, & propriæ maieſtatis oblitum, & bellicæ virtutis immemorem, corpus & artus ſcita mobilitate vibrare? Sane liber hic cum D. Grego-
a lib 37. in Iob. c. 27. rio [a], & aliis priſcis Patribus exclamare, Mirentur alij Dauidem hoſtium acies in fugam vertentem; *ego plus ſtupeo Dauidem ſaltantem, quam contra hoſtem pugnantem. Pugnando quippe, hoſtes ſubdidit; ſaltando, ſeipſum.* Hoc tanto poſt tempore Gregorius; hoc iiſdem verbis alter ab altero reperitis, Eucherius [b], & Angelomus [c], Dauidem dum cernerent ante Arcam ludentem; nec potuere tanto ſpectaculo, mentis oculis obuerſante, ſimili charitatis igne nõ inflammari. Quid ergo illis contigiſſe putandum eſt, qui prope Dauidem erant, dum ore linguaque dum ſenſu, mente, totiuſque vigore corporis Dei laudes canendo ſaltandoque promebat? Plane ſequutum id poſſumus non ambigere quod canit Eccleſia; proximos vt ardor accenderet dum igne tam rapido Dauidis charitas æſtuaret. Vna duntaxat reperta eſt, quæ ad hunc ignem non ſolum calefacta non eſt; ſed Alpina niue frigidior, in lapidem quaſi ipſa conuerſa eſt, & alios lapidibus imperiuit. Quæ iſta? Michol, non tam Dauidis vxor, quam Saulis filia, de qua Scriptura hæc;

b lib. 2. expoſ. in lib. Reg c. 5.
c hic.

d verſ 16. [d] *Michol filia Saul proſpiciens per feneſtram, vidit Regem Dauid ſubſilientem atque ſaltantem coram Domino, & deſpexit eum in corde ſuo.* Singula, quæſo, accuratius obſeruentur. *Michol filia Saul per feneſtram proſpiciebat.* Ergo ſola domi remanſerat, cum totus Iſrael ex ſuis ſedibus commotus, in vias ſe effudiſſet; cum omnis ordo, ſexus omnis, omnis ætas, non ſolum domibus quiſque ſuis, ſed vrbibus relictis, longiſſimo ſpatio tranſmiſſo, ad Arcam deducendam conuolaſſent: omnes viæ Ieruſalem læta frequentia fremebant; turbæ ſe mutuo arctabant; pueri, inuptæque puellæ liberè diſcurrebant, pompam ſanctæ celebritatis augentes; vxores omnes Dauidicæ maiores, minoreſque non aberant; ſola Michol hoc die non proceſſit in publicum, & ſe domi continuit, alias fortaſſe ſolita tota vrbe vagari. Vnde id, niſi ex ſuperbo faſtidio, quo à Saule digna patre filia non degenerabat? Signanter ergo Scriptura, quaſi timens ne lector id eſſet oblitus; *Michol*, inquit, *filia Saul*; non Dauidis *vxor*, ſed *filia Saul.* quia plus ex patris moribus hauſerat, quam mariti. Vt enim cætera diſſimilis eſſet, hic viuum patris repræſentauit exemplar vt poſſimus ad hoc illud ſimiliter vſurpare; Michol Dauidem deſpexit. Quæ iſta? *Filia Saul.* Non ergo mirum ſi patrizat filia. Sed operæ pretium eſt obſeruare quando Dauidem *aſpexerit, & deſpexerit. Cum*, inquit, *Arca Domini intraſſet in ciuitatem Dauid, vidit Regem Dauid ſubſilientem.* Itane vero? Nihil quod videret, erat præter Dauidem? Intrabat Arca innumera multitudine cincta ſacerdotum, cantorum, Leuitarum; & vt in ſimilibus fit, probabile eſt certatim tunc omnes in regiam confluxiſſe, quo propius ſpectaculo forent. Horum nihil illa vidit, nec obſeruauit; & quod maximè mirum eſt, nec ad Arcam quidem reſpexit; ſed tantum Dauidem vidit, & viſum deſpexit. Si, quod par erat, in Arcam primum oculos coniecisſet, & ea conſpecta Deo ingenua procumbens [e], *ſcabellum pedum eius* e Pſal. 98. 5.
adoraſſet; non vacaſſet illi maritum deſpicere. Hoc ergo cum non ſolum non fecerit; ſed nec quidem dignata fuerit oculos in Arcam conuertere; non mirum ſi tantum neglectum rerum ſacrarum, ſequutus eſt in vxore mariti contemptus. Nec enim aliud viri ſperare poſſunt, vbi nacti vxores fuerint in Deum minus pias, quam vt ab illis in corde prius deſpiciantur, & factis inde improbis deturpentur. Quid enim aliud reſtat, niſi vt fœmina quæ Deum parum & diuina curat, etiam maritum deſpiciat? Sed hæc in diſputationibus fuſius.

℣. 17.) Et introduxerunt arcam Domini, & impoſuerunt eam in loco ſuo in medio tabernaculi, quod tetenderat ei Dauid: & obtulit Dauid holocauſta, & pacifica coram Domino.

℣. 18.) Cúmque compleſſet offerens holocauſta & pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituum.

℣. 19.) Et partitus eſt vniuerſæ multitudini Iſrael tam viro quàm mulieri, ſingulis collyridam panis vnam, & aſſaturam bubulæ carnis vnam, & ſimilam frixam oleo: & abiit omnis populus, vnuſquiſque in domũ ſuam.

℣. 20.) Reuerſuſque eſt Dauid, vt benediceret domui ſuæ: & egreſſa Michol filia Saul in occurſum Dauid, ait; Quàm glorioſus fuit hodie rex Iſrael, diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, & nudatus eſt, quaſi nudetur vnus de ſcurris.

℣. 21. Dixitque Dauid ad Michol; Ante Dominum, qui elegit me potiùs, quàm patrem tuum, & quàm omnem domum eius, & præcepit mihi, vt eſſem dux ſuper populum Domini in Iſrael,

℣. 22.) Et ludam & vilior fiam plus quàm factus ſum: & ero humilis in oculis meis: & cum ancillis, de quibus loquuta es glorioſius apparebo.

℣. 23.) Igitur Michol filiæ Saul non eſt natus filius vſque ad diem mortis ſuæ.

Illata

Illata Arca in domum Dauldis, & in ſua ſede ritè ſtatuta, narratur hic qnomodo deineeps Dauid ſe geſſerit circa Aream ipſam, citca populum qui illam deduxerar, circa domum ſuam; quomodo denique ſit à Michol exceptus, illamque ipſe exeeperit. Circa Atcam autem quomodo ſe geſſit? Primo mox vt ea in deſtinatu tabernaculo locata, victimas ante illã innumeras immolauit; non quod eas ipſe mactando ſacrificia peregerit; ſed quod fieri mandauerit, & hoſtias obtulerit ad ſacrificium peragendum. *Introduxerunt*, inquit, *arcam Domini, & impoſuerunt eam in loco ſuo: & obtulit Dauid holocauſta & pacifica coram Domino.* ante Arcam nimirum: hoc enim ſignificat hoc loco, *coram Domino.* Secundo, non ſolum in præſens, ſed in futurum Arcæ cultui proſpiciens, diſpoſuit ad illius religioſam cuſtodiam ſacerdotes, leuitas, ianitores, cantores, in certas omnes
a libr. 1. cap. 16. & 17. claſſes diſtributos, vt diſtinctius iu libro [a] Paralipomenon explicatur. Et hoc circa Arcam.

Circa populum verò; ſacrificiis peractis, ad illum egreſſus, *ipſum benedixit in nomine Domini exercituum.* Quid hæc benedictio fuit, & qua ratione peracta, & cur ſignanter additur in nomine Domini exercituum populum benedictum? ſubditur ſtatim quod hæc omnia declarat, *benedixiſſe* nimirum populum, id eſt illi in ſingula capita eſculenta munera diuiſiſſe; quæ qualia fuerint; hic ſignatè refertur. *Partitus eſt*, inquit, *tam viro, quam mulieri, collyridam panis vnam, aſſaturam bubulæ carnis vnam, & ſimilam frixam oleo.* Triplicis ergo generis edulia ſingulis diuiſit; panem, carnem, & ſciramentum ex eo genere, quod Itali *fritellas* appellant. panis autem non fuit vulgaris & quotidianus, ſed opere dulciario elaboratus. Quod genus Hebraicè *Chula* nuncupatur, & ab interprete noſtro modo torta panis,
b Paral. 16. modo collyrida, modo *cruſtula*[b] vertitur, vt omnino conſtaret ea voce aliud omnino ſignificari, quam ſimplicem panem. Fortaſſe ex eo genere erat, quod *bucellatum* dicitur à Lampridio, & Italis *ciambelle*; cuiuſmodi, vt ait Rodiginus alicubi, pueris dari ſolet, & *lalangia* quoque vult appellari. Certè noſter interpres cum *tortam panis* appellat alibi, quod hic *collyridam*, ſignificat quod ante dixi, *bucellatum*, & in circulum intortum. Tantum autem ex hoc pane ſingulis diſtributum vult Abulenſis, quantum ad iuſtam refectionem poterat cuique ſufficere. Panis ergo talis erat.

At caro; fuit aſſata bubula. *Aſſaturam*, inquit, *carnis bubulæ vnam.* pro quo in libro Paralipomenon, *Bubula:* vox Hebræa אֶשְׁפָּר *eſpar*, fruſtum carnis ſignificat, ex quocunque ſit animali deciſa. Noſter *bubulam*, vel, *bubulam* expreſſit. Aliqui volunt, *es par*, diſtinctis dictionibus acceptum ſignificari propriè *ignitum bouem.* Quod vtrumque noſter vt redderet, vertit hic *aſſaturam bubulæ.* Alij quia radix vnde אֶשְׁפָּר *eſpar* deriuat *pulchrum* ſonat, vertunt hic pulchram portionem. Probabiliſſimum tamen quod noſter expreſſit. nam aſſatura bubulæ, ſiue bubulina aſſa maximè erat opportuna non ſolum in præſenti veſcentibus ſed paulo poſt diſceſſuris; vt eam in itinetis viaticum ſecum deferrent.

Scitamentum vero, quod obſonij loco eſſet, inter panem & bubulam ad palatum excitandum, ſimila fuit ex oleo frixa; ex eo genere puto, quod frequens Orientalibus *Zepola* dicebatur, apud Neapolitanos etiam nomen retinens, Vox tamen Hebraica, *aſiſaha*; quæ *ſimila frixa* vertitur, quid propriè ſignificet; incertum eſt; cum certum ſit edulij genus ſignificare, quod conuiuas exhilarat, & palato placet. Ob id ab interprete noſtro & aliis variè ſubinde redditur, vt varia ratio loci, & tẽporis videtur exigere: nunc *ſimila frixa*, nunc laganum, modo *flores*, aliquando etiam *lagena vini*, vt hoc loco quidam, & apud Oseam [c]. LXX. habent hic *laga-* c Cap. 3.
num de ſartagine. Chaldæus nihil exprimit de genere ciborum; ſed tantum ſingulis datum, quod iuſtè veſcerentur. Hiſpana translatio *vn pan, vna buena pueſta de carne, y vna ampolla de vino.* & ſane probabile eſt in hac ciborum diſtributione vinum non defuiſſe. Sic igitur vniuerſo Iſraeli Dauid benedixit, aperiendo ſcilicet manum ſuam, & *implendo ſingulos benedictione.* ſed quid eſt *benedixiſſe in nomine Domini exercituum?* Si enim *benedixiſſe*, eſt hæc eſculenta donaſſe; *in nomine Domini exercituum benedixiſſe*, eſt ea in eius nomine diſtribuiſſe. Quid igitur hoc eſt, donaſſe in nomine Domini exercituum? vel ea quæ donauit, ante ſacrificata, & oblata coram arca fuiſſe; vel Dei nomine quaſi tunc dantis & diſtribuentis omnia donaſſe. Nec enim volebat ſibi Dauid acclamari, ſed Deo ſuo. Cum enim proprium ſit eorum, quibus aliquid diſtribuitur, munerantem laudare & benedicere, vt indicat
alicubi B. Iob [d], hanc gratiam volebat Dauid, non d Cap. 31. 20
ſibi, ſed Deo perſolui, ſic vt ſinguli diſcedentes non dicerent; *Benedictus Dauid*; ſed *Benedictus Deus, & Dominus exercituum.*

Hoc ergo pacto ſe geſſit Dauid in vniuerſum Iſraelem, arca locata; Videamus iam quomodo circa domeſticos, & quid erga illos.

Reuerſuſque eſt Dauid, vt benediceret domui ſuæ.] Hac in vniuerſum Iſraelem liberalitate perfunctus, vt quemadmodum illi benedixerat, ſuis quoque benediceret, in domum ſuam reuerſus eſt, in qua longè ſecus exceptus eſt, quam par erat; nec quo animo ſe ad illam ferebat, eodem repetit in ſe ſuos animatos. Accedebat enim eò Dauid, & domum ſuam repetebat vt ſuis benediceret: interim vero illi obuiam prodibant, vt eius benedictionem maledictione rependerent. Qui illi? Non omnes ex domo; ſed quam id minimè decebat omnium in tota domo, Vxor hæc erat: de qua Dauid fortaſſe ſollicitus, & in quam benedictionis & largitatis plus effuſurus, in domum ſe feſſus à diuturna functione ferebat, vxoris occurſu, & feſta exceptione refouendus. Ad hæc, munera, quæ donaturus aduenerat, expectabat, qui manus ad accipiendum læti porrigerent, & linguas ſoluerent ad gratias agendas; & tantum reperit, qui dentes exercerent ad lacerandum. *Michol*, inquit, *egreſſa in occurſum Dauid; Quam glorioſus, inquit fuit hodie rex Iſrael.* Omnibus eo die Dauid glorioſius apparuit. Sola filia Saulis ſuperbo & delicato faſtidio, quem alij ſuſpexerant, ipſa deſpexit: & cum linguam expectarat Dauid, quæ ſibi gratias ageret, dentes illa porrexit, quibus arroderet. Qua de re plura non addo, reliqua diſputatione exequuturus. Illud tantum priuſquam hinc abeam, non omitto, quod Abulenſis, memor, opinor, grauitatis Hiſpanicæ, quam natio nobiliſſima in primis ſumma cum laude tuetur, & moribus exprimit, exiſtimat hoc loco merito Dauidem à Michola reprehenſum, quod minus

in

in hac Arcæ deductione ſe grauem præſtiterit; quam pro regia maieſtate decebat. In quo
a V. Salian. ann. 2990. 37.& 38. quatenus ſit contra omnes Patres audiendus [a], qui Dauidem hic admiratione, non reprehenſione dignum pronunciant, alibi proſequemur.

LIBRI SECVNDI REGVM

CAPVT VII.

ARGVMENTVM.

ARCA diuini fœderis in hunc modum auguſtiori ſede locata, Dauidis in Deum pietas his non contenta finibus maiora poſcebat. Itaque quaſi nihil hactenus actum eſſet, Arca licet haud exigua regia domus parte ceßiſſet, de templo illi extruendo cogitauit. In quo conſilio primum à Nathan diuino vate firmatus, inde numinis aſſenſu accuratius explorato monetur, gratißimam quidem fuiſſe Deo religioſi propoſiti voluntatem; opus tamen ipſum non illi, ſed ex eo naſcituro filio reſeruari. Quippe illum bella ſemper aſpera meditatum, non poſſe manus in cælum attollere, niſi cruore ſtillantes. Cordi autem Deo non eſſe templo, quod pacis æternæ vinculum futurum erat, alias quam puras manus admoueri, quas nec vllus etiam hoſtilis ſanguis, imbuiſſet. Indignum quippe eſſe, vt locus in quem homines Deum placaturi confugerent, vlla retineret veſtigia cruenta ſeueritatis; quam neceſſe erat, hominibus obiectari, quoties templum, quod pacis obtinendæ cauſa ſubirent, extructum manibus hoſtili cæde madentibus cogitaretur. Voto ergo Dauid, & voluntate probatus; ſed operis ab executione depulſus, animum ſtatim adiecit; ad ea cum cura paranda, quæ vſui futura erant illi perficiendo; vt qui non poterat ipſe templo manus triumphales admouere, quod ſimul cum laurea triumphi, ſanguine hoſtili manarent illius ſaltem extructionem materiæ apparatu, & impenſarum collatione iuuaret.

℣. 1.) Factum eſt autem cùm ſediſſet rex in domo ſua, & Dominus dediſſet ei requiem vndique ab vniuerſis inimicis ſuis.

℣. 2.) Dixit ad Nathan prophetam; Videſne quòd ego habitem in domo cedrina, & arca Dei poſita ſit in medio pellium:

℣. 3.) Dixitque Nathan ad regem; Omne quod eſt in corde tuo, vade fac: quia Dominus tecum eſt.

HOc capite Dauidis conſilium de templo extruendo continetur; vnde id, & qua occaſione captum; cui communicatum; quam Deo & quatenus approbatum; Dauidis denique ad Deum maximè pia & familiaris oratio, qua illi gratias agit ob beneficia quibus affectus, & ex denunciatione Nathani afficiendus. His tribus verſibus conſilium de templo, & eius occaſio proponitur, & cui communicatum. Conſilium non agitatum ſolum, ſed planè decretum fuit; eius occaſionem præbuit excellentia regiæ domus; quam dum ſecum Dauid tacitè reputaret, ſimul etiam cogitare cœpit æquum non eſſe vt hominum, quam Dei ædes eſſent auguſtiores. Proinde cum domum ipſe cedrinam habitaret, æquum eſſe vt Deo magnificentius habitaculum extrueretur. Digna planè Dauide cogitatio, quæ eadẽ cùm Chriſtianos Patres ab initio naſcentis Eccleſiæ ſubiret, illos impulit vt ſimili ratione in omnibus quæ ad diuinum cultum ſpectarent, argumẽtando colligerent, quid illi, & ex qua potiſſimum materia eſſet ſacrandum. Vnde factum vt vaſa omnia quantum fieri poſſet, ex auro, argentoque fierent, quæ Deo dicarentur; lintea mundiſſima eſſent, ſupellex omnis exquiſitè culta. Vnde id? Quia ſicut æquum non eſt hominum, quam Dei eſſe domus auguſtiores; ita non congruit vt hominum ſupellex precioſior ſit, quam diuino cultui dicata.

Sepran. in Dauid.

Fuit autem hoc Dauidis conſilium, non vt vllum diuinum præceptum exequeretur, quod videtur affirmare Ioſephus [b] ſed ex mera pietate, b lib.7.c.5.
& voluntario ſtudio religionis. Quod etiam vt ſtabilius eſſet, non ſolo propoſito, ſed voto concepto religioſè firmauit. Non, inquam, quod fecit, ex vllo præcepto fecit; quia de templo extruendo Deus nihil vnquam definitè præceperat; ſed tantum vt certo loco, ſedes ſignaretur, vbi Chananitide terra deuicta, ſacra ſibi fierent, &
Iſraeliticus [c] populus ſacrificia legitimè per ſacerdotes offerret. c Deuter. 12.
At fuiſſe hoc Dauidis propoſitum cum voto coniunctum; ex plurimis Pſalmis facilè probari poteſt, in quibus non obſcurè ſignificatur votum aliquod extruendi templi Dauidem Deo nuncupaſſe. Quod ſi fuit, in quod aliud tempus, quam in hoc conferatur? Merito ergo plerique verba Dauidis huc referunt, quibus ad templum Deo extruendum, voto ſe, & iuramento obſtrinxiſſe ſignificat. [d] *Memento,* d Pſal. 131.
inquit, *Domine, Dauid, & omnis manſuetudinis eius; ſicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob. Si introiero in tabernaculum domus meæ, ſi aſcen-*

dero in lectum ſtrati mei, donec inueniam locum Domino. In his enim verbis nulluseſt,qui votum religioſè conceptum de templo Deo extruendo, non agnoſcat.

Hoc ergo propoſitum voto coniunctum,quomodo Dauid,& cui communicauit? Modus,quo illud propoſuit, obliquus, & per interrogationem fuit,ab abſurdo deductus,ſi illud omitteret quod iam deſtinauerat. Is autem, cui communicauit, Nathan fuit. *Dixit*, inquit, *ad Nathan; Videſne quod ego habitem in domo cedrina,& Arca Dei poſita ſit in medio pellium?* Quomodo in medio pellium? Quia tabernaculum, quod Dauid extruxerat ad ſimilitudinem Moſaici, pellibus erat obtectum. In eo ergo dum Arca erat, ſub pellibus erat;non quod ſub dio eſſet in aperto locata, quod perperam hinc aliqui colligunt, quia *ſub pellibus* fuiſſe dicatur,licet enim *ſub pellibus agere*,militari forma loquendi, ſit in tentoriis ſub dio degere per aperta camporum, hoc tamen loco *ſub pellibus* Arcam fuiſſe, aliud non eſt,quam ſub tabernaculo pellibus contecto; licet illud in amplo conclaui Regiæ Dauidis eſſet extructum. At quis hic Nathan, quem nobis Scriptura repentè producit,nec illius genus, nec patriam, nec parentes inſinuans? Quidam eumdem eſſe putarunt, qui ſupra [a] dicitur filius Dauidis ex Bethſabea. Ridiculè ſanè; cùm Bethſabeam Dauid hoc tempore nunquam vidiſſet, nedum vt ex illa filium ſuſceperit. Hebræi volunt filium fuiſſe Semaar fratris Dauid, alio nomine Ionathan [b] nuncupatum. Sed quicunque tandem,& ex qua ſtirpe fuerit;certum eſt Dauidi admodum familiarem,& virum ſanctiſſimis moribus vatemque fuiſſe. De familiaritate; quando alia deeſſent, hoc inter illos colloquium atteſtatur. De ſanctitate; Eccleſiaſticus, [c] qui in cathalogo ſanctorum,Nathan enumerat. Prophetam vero fuiſſe; hic Scriptura pronunciat. Verum,ſi ſanctus,& propheta; quomodo tam præceps in reſponſo,quod ſancti non ſolent;& tam deceptus, quod prophetis non conuenit? Vix enim verba Dauidis audierat,& ſtatim,nulla diſcuſſione præmiſſa, non ſolum ipſius conſilium approbauit; ſed Deo quoque mirificè placere pronunciauit. *Fac*,inquit,*quod decreuiſti. Nam Deus tuus tecum eſt.* Quid eſt, *Deus tuus tecum eſt?* Conſilium tuum non ſolum probat, ſed eius effectum ipſe quoque ope ſua, & præſidio promouebit; in quo tamen quam deceptus Nathan, probauit euentus. Paulo poſt enim quod edixerat, Dei monitu reuocauit. Quomodo ergo ſanctus & propheta Nathan, in reſponſo tam præceps,in oraculo fallax?

a lib. 2. Reg. cap 2. lib. 1. Paral. 3. 5.

b 2 Reg. 21. 22.

c Cap. 47.

De ſanctitate nihil eſt ex hoc capite dubitandum: neque enim certa futurorum prouiſio comes eſt perpetua ſanctitatis. At ſanctitati repugnat in re propoſita præcipitare reſponſum, quod ſit poſtea reuocandum, nimis vt feſtinatò prolatum, quod hic Nathan. Sed nec ex hac parte defuit officio ſancti viri. Quod enim propoſitum illi à Dauide fuerat, vniuersè ſpectatum planè amplectendum erat, & vt gratum Deo,ſine vlla dubitatione probandum. Quomodo vero; & quatenus exequendum; de eo poterat aliquid dubitari. Nathan ergo illud vniuersè probauit, vt pium, vt ſanctum, vt religioſum,quod Dauid conceperat; & in hoc nulla eſt reſponſi præcipitatione deceptus quia nec erat in eo an tale eſſet diutius ambigendum. At quando hoc eſſet exequendum; poterat aliquid hæſitari circa circunſtantias loci, perſonæ, temporis; in quo fortaſſe Nathan, ſed ſine culpa, deceptus eſt; vt quod vniuersè probauerat, exiſtimaret quoque à Dauide quamprimum executioni mandandum. Nihil ergo hîc quod minus ipſius ſanctitatem deceret. At quid de prophetia? Rectè cum D. Gregorio plures hic alij obſeruant ex hoc loco probari prophetiæ ſpiritum prophetis non omni tempore ſemper adſtitiſſe; ſed quædam ſubinde feciſſe ipſos & enunciaſſe, quæ proprius ſpiritus ſuggerebat. In his falli ſubinde poterant, & fallebantur; in illis nequaquam. Ex illo genere fuit, quod hîc Nathan approbauit. Non enim deceptus in Dauidis voto probando vniuersè ſpectato; deceptus eſt in ratione illud exequendi, quod de ea re cogitauerat, ſuo,non prophetico ſpiritu pronunciando.

℣.4.) Factum eſt autem in illa nocte: & ecce ſermo Domini ad Nathan dicens;

℣.5.) Vade & loquere ad ſeruum meum Dauid; Hæc dicit Dominus; Numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?

℣.6.) Neque enim habitaui in domo ex die illa, qua eduxi filios Iſrael de terra Ægypti, vſque in diem hanc: ſed ambulabam in tabernaculo,& in tentorio.

℣.7.) Per cuncta loca, quæ tranſiui cum omnibus filiis Iſrael, numquid loquens locutus ſum ad vnam de tribubus Iſrael, cui præcepi, vt paſceret populum meum Iſrael, dicens;Quare non ædificaſtis mihi domum cedrinã?

℣.8.) Et nunc hæc dices ſeruo meo Dauid; Hæc dicit Dominus exercituum: Ego tuli te de paſcuis ſequentem greges, vt eſſes dux ſuper populum meum Iſrael:

℣.9.) Et fui tecum in omnibus vbicunque ambulaſti, & interfeci vniuerſos inimicos tuos à facie tua: fecique tibi nomen grandè, iuxta nomen magnorum qui ſunt in terra.

℣.10.) Et ponam locum populo meo Iſrael, & plantabo eum, & habitabit ſub eo,& non turbabitur ampliùs:nec addent filij iniquitatis vt affligant eum ſicut prius,

℣.11.) Ex die qua conſtitui iudices ſuper populum meum Iſrael: & requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis. prædicitque tibi Dominus, quòd domum faciat tibi Dominus.

℣.12.) Cúmque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius.

℣.13.) Ipſa

℣. 13.) Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronum regni eius vſque in ſempiternum.

℣. 14.) Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium: qui, ſi iniquè aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum.

℣. 15.) Miſericordiam autem meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli à Saul, quem amoui à facie mea.

℣. 16.) Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum vſque in æternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus iugiter.

℣. 17.) Secundum omnia verba hæc & iuxta vniuerſam viſionem iſtam; ſic locutus eſt Nathan ad Dauid.

Totius huius orationis, quam Deus habuit ad Nathan, ſuo Dauidi nomine referendam, argumentum aptius afferri non poteſt, quam quod
a lib 3. c. 8. 18. Salomon ipſe paucis verbis complectitur [a]. *Ait*, inquit, *Dominus ad Dauid patrem meum; Quod cogitaſti in corde tuo ædificare domum nomini meo; benè feciſti hoc ipſum mente tractans; veruntamen tu non ædificabis mihi domum; ſed filius tuus, qui egredietur de renibus tuis.* Tota autem ad quinque præcipua capita reuocatur. Primum, continet ipſius Dauidis tacitam commendationem; ſecundo, cogitati operis obnunciationem; tertium, rationem negatæ ædificationis; quartum, commemorationem beneficiorum, quæ iam in Dauidem collata; quintum, futurorum promiſſionem.

Primò, ergo, Dauid obliquè quodammodo, & tacitè commendatur, dum ſuauiſſimo ſerui Dei nomine nuncupatur. *Vade*, inquit, *& loquere ad ſeruum meum Dauid.* & iterum; *Et nunc hæc dices ſeruo meo Dauid.* Rectè enim hîc Patres obſeruant, hac appellatione non minimum Dauidi dignitatis accedere, ex eaque plurimum ipſius merita commendari, & in illum Dei peculiarem affectum propenſæ benignitatis. Tacitè autem vt dicebam, per hoc epithetum laudatum; apertè vero in verbis, quæ Salomon de illo refert, filius de patre. *Quod cogitaſti*, inquit, *ædificare mihi domum, benè feciſti*, Laudatur in eo, quod vt ſeruus Dei proprius & peculiaris, id cogitauit, quod ſeruum decebat; Domino nempe ſuo domum hoſpitiumque parare.

Secundo loco, conſtructio quam cogitauit, ipſi denegatur. *Numquid*, inquit, *tu ædificabis mihi domum ad habitandum.* Interrogatio enim hic, vim negationis habet, phraſi ſæpius in ſcriptura vſurpata. Quod ne cui fortè eſſet ambi-
b lib. 1. cap. 17. 4. guum; in libro Paralipomenon [b], vbi hæc eadem oratio refertur, exertè & ſine interrogatione pronunciatur. Vade, inquit, *& loquere Dauid ſeruo meo; Non ædificabis tu mihi domum ad habitandum.*

Sed cur hoc Dauidi negatum? Tertium hoc eſt quod hac oratione continetur. Quia nondum tempus illud expletum, quo Deus ſtatuerat cum populo Iſraelitico, quaſi dux, & comes itineris, peregrinari; vel, quaſi miles in tentorio, cum pugnante verſari. Ad hoc enim ſignificandum illa
c verſ. 6. hic. aſſumuntur de tempore Iudicum [c]. *Neque enim*, inquit, *habitaui in domo ex die illa, qua eduxi filios Iſrael de terra Ægypti: ſed ambulabam in tabernaculo in tentorio.* Nam tacitè per hæc inſinuatur eandem vigere cauſam, cur velit adhuc in tabernaculo, & nondum in ſtabili domo morari. Hactenus enim id ſeruatum, quia tempus adhuc belli erat: quia cum hoſtibus pugnandum; quia varias in partes diſcurrendum. Propter quæ cùm populo ſuo eſſet aſſidue in tentoriis, tabernaculiſque verſandum, elegiſſe ſimul cum illo in tentoriis verſari hoſpitem cum hoſpite, peregrinum cum peregrino, militem cum pugnante. Et hanc cauſam fuiſſe cur quicquam toto eo tempore de domo ſibi conſtruenda non mandauerit; quod nondum certam ſibi ſedem vellet eligere, cùm incertam populus incoleret. Hanc autem eandem cauſam non ex toto ceſſaſſe, cum bella ſuperſint, & hoſtes adhuc expugnandi. Quod tacitè verba paulo poſt ſubiecta ſignificant [d]. *Dabo tibi requiem ab omnibus inimicis tuis.* Dabo, inquit. d hic ver. 11.
Nondum ergo pax erat ex omni parte; adhuc bella reſtabant; & ob id in tentoriis, tabernaculiſque verſandum. Ne ergo videretur populum deſerere; nondum velle tabernaculi ſedem templi ſtabili manſione mutare.

Et hæc cauſa cur templi conſtructio Dauidi negetur hic tacitè inſinuatur. *Hic*, inquam, *hæc*: nam alibi, plures aliæ referuntur, quæ videntur ipſæ ſecum & cum hoc loco pugnare; de quibus propterea eſt hic aliquid inquirendum.

Cur ergo Dauidi templum, quod cogitauerat, extruere denegatum? Sunt qui dicunt id fruſtra quæri, cum ſciri non poſſit. Noluiſſe enim id Deum; quia ſic ſibi placitum. *Quis autem cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit*, vt audeat diuinæ voluntatis cauſam curioſus indagator inquirere [e]. *Non eſt veſtrum*, inquit Chri- e Act. 1, 7.
ſtus, *noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*, quanto minus ergo maiora licet, ſi momenta non licet? Hæc, & ſimilia Abulenſis, cui recentiores aſſentiunt. Sed hæc admitti poſſent, ſi diuinando, futilibus coniecturis vtendo, commenta de noſtro capite ſectando, diuini beneplaciti ratio quæreretur. Non id nũc agitur; nec in arcana numinis caput inſerimus; vt per quæ non licet, curioſos oculos circumferamus. ſed cauſas inquirimus huius diuini conſilij, quæ in ſacris literis afferuntur. Quærimus quæ illæ ſint; quomodo intelligendæ, & inter ſe conciliandæ. Plures ergo, vt dicebam, afferuntur, & omnes ad duo capita reuocantur. Primum cur templi conſtructio differatur; alterum, quod Dauidi non permittatur. Nec enim ſunt hæc inuicem iuncta; cùm poſſet templi conſtructio in aliud tempus omitti, & nihilominus Dauidi permitti; iam ſeni, iam bellis perfuncto, iam longe lateque pulſo procul, hoſtili terrore pacatè regnanti. Cur ergo templi conſtructio differatur, ea cauſa traditur, quam modo explicauimus; quod adhuc in tentoriis Iſraelitico populo ſit agendum, nolle Deum qui hactenus, quaſi miles, & comes itineris, cum illo pugnauerit & ambulauerit, certam ſibi ſedem defigi, cum nondum ſit ille belli periculis defunctus.

At hoc, quod nunc omittitur; cur Dauidi ſuo tempore non promittitur? Vigebant adhuc bella: eſto id. Cur illis profligatis, & ſubactis hoſtibus id non illi conceſſum? Duas ob cauſas id noluit Deus. alteram, vt nos inſtrueret; alteram, vt Dauidi maius beneficium conferret, &

Sopran. in Dauid.

Digitized by Google

plus illi tribueret; quam petebat, dum quod optauerat, denegauit. *Vt nos inſtrueret*; quia Dauid bellicoſiſſimus erat, prælia multa confecerat, ſanguinem multum (licet hoſtilem) effuderat, & erat adhuc effuſurus; vt nobis conſtaret quantopere Deos maous humano ſanguino pollutas auerſetur in cultu ſacrorum, ooluit à Dauide ſibi templum extrui, cuius manus (quanuis iuſta cæde hoſtium) eraor cruentatæ. Haoe cauſam Salomon obſcurè nobis inſinuat; apertè tamen ipſa Dauid exponit. Obſcurè Salomon in

a lib. 3. Reg. 5. 3.

illis verbia ad regem Tyri [a]. *Tu ſcis*, inquit, *voluntatem Dauid patris mei; & quia non potuerit ædificare Domum nomini Dei ſui; propter bella imminentia per circuitum donec daret Dominus eos ſub veſtigio pedum eius*. His, inquam, tacitè cauſa propoſita ſignificatur. Non enim, vt malè vult Abuleoſis, ſolum quia bellandum Dauidi erat, & aſſiduè in expeditionibus aduerſus hoſtes agendum, hoc illi Deus noo permiſit; ſed propter id quod in iis expeditionibus accidere neceſſe erat, & illi contigit; oempe ſæpiſſimè hoſtili ſanguine manus imbuiſſe. Si enim propter bella tantom, eorúmque occupationes à templo iuſſus eſſet Dauid abſtinere; bellis profligatis non erat eur illud omitteret. Tota ergo ratio fuit, non propter bellum ipſum; ſed propter id, quod factuio eſt in bello; nempe ſangoinis hoſtilis effuſionem. Quam cauſam, non obſcurè Dauid, vt

b lib. 1. Paral. c. 22. 7.

Salomon fecit, ſed explicatè proponit [b]. *Fili mi*, inquit, *voluntatis meæ fuit vt ædificarem domum nomini Dei mei; ſed factus eſt ſermo Domini ad me dicens; Multum ſanguinem effudiſti, & plurima bella bellaſti, non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuſo ſanguine coram me*. Et

c lib. 1. Paral. c. 28. 3.

iterum alloquens Dauid principes Iſrael [c]. *Deus dixit mihi, Non ædificabis domum nomini meo, eo quod ſis bellator, & ſanguinem fuderis*. Nihil expreſſius, & minus ſine ambagibus. Cur ergo cauſam iſtá negemus in ſcriptura tam explicatè propoſitam? Negare tamen videtur Abulenſis, & inſtat ob ſanguinis effuſionem non potuiſſe Dauidem à templi extructione repelli. Nam vel id fuiſſet, quia ſanguinem iniuſtè fudit; vel quia humaoum; vel quia hoſtilem; vel quia ſimpliciter ſanguinem. Non quia *iniuſtè*; quia nulla cædes à Dauide, niſi iuſtiſſimè pattata: vnde quæ in bellis, hoſtes cædendo glotioſè geſſit ea ſibi Deus attribuit, vt auctori præcipuo; quod oon

d verſ. 9. hic.

eſſet, ſi Dauid ea ioiuſtè couſeciſſet [d]. *Fui tecum*, inquit, *in omnibus vbicumque ambulaſti, & interfeci vniuerſos inimicos tuos à facie tua*. Quomodo ergo Dauid iuioſtè potuit occidere, quos Deus ipſe pro illo pugnando oecaoit? non igitur quod iniuſtè fuderit: ſed oec quia *humanum*. nam Salomon hac eadem ratione depelli à tem-

e 3. Reg. cap. 2. & 3.

pli axtructione debuiſſet, tot cædes exequutus [e]; in Adonia, in Semei, in Ioab. Nec quia *hoſti-*

f lib. 1. & 2. Mach.

lem. quia ſacerdotes & Leuitæ, vt conſtat [f] ex Mathatia, & eius filiis ſacerdotibus in veteri lege pugnabant. Nec quia, denique ſanguinem, quicunque ille eſſet, effuderat. Nam qui magia ſanguine cruentati, quam ſacerdotes & Leuitæ; lanienam aſpectu fœdiſſimam, in quotidianis ſacrificiis exercentes? Si tamen à ſacris adeo noo arcebaotur, vt ea ſoli ipſi curarent. oon ergo ob ſaoguinem effuſum potuit Dauid, aut debuit ab hoe opere extruendo repelli. Sic Abulenſis ſenſum Domini diſcutiens; & in eo ipſo peccans, quod vitandum præcipit. Exertè Daoid enunciat, hanc ob caoſam templi ſibi extructionem fuiſſe obounciatam. Negat Abulenſia bane eſſe potuiſſe. cui credendum? Et rationes quas contra producit, nonne ridiculæ ſunt? De beneplacito Dei agitur: voluit effuſionem ſanguinis in hac perſona, reſpectu huius operis ſacri; reſpectu talium hoſtium valere; noluit in alterius ſanguinis effuſione, in aliis perſonis, io alio genere ſacrorum [g]. *Quis ergo dicet illi; Cur hoc, & non* g Matth. 20. 15.

illud; aut cur ita facis? Maneat ergo quia tantum ſanguiois Dauid effuderat, à templo cooſtruendo depulſum; vt diſceremus quam Deo diſplieeaot hominum cædes, quæcuoque illæ ſint, & quacunqoe ratiooe patratæ; quod nos voluit in Dauide, & oon aliis docere, vt priſci Patres, & ex illis alij fusè proſequuntur.

Et hæc cauſa, vt dicebam, ad inſtructionem noſtram. Altera fuit, vt maius Dauidi beneficium conferret, quam poſcebat. Volebat templum Domino ædificare: diſtolit hoc Deus, & noo ipſi; ſed eius poſt illum filio reſeruauit. An non hoe duplicatuio beneficium fuit, & comulatius id impetratum, quod à Deo ille ſimpliciter poſtulabat? Ita prorſus. Quicquid enim filio benignè fit, patri eo ipſo benigne fit; quia *gloria patris eſt filius ſapiens*; & quod facit filius ex præſcripto patris, ipſe pater facere cenſetur & verè facit. Negata ergo Dauidi templi extructione, non id quod ille poſtulauerat eſt illi negatum, ſed bis & duplicatò cõceſſum. Nec id Dauid non agnouit. audita enim Nathanis oratiooe, & quæ ſibi ille Dei oomine pollicebatur, in eam gratiarum actiooem totus effuſus eſt, qua planè demonſtrat præ magnitudine gaudij non ſibi conſtare; nec quid, aut quomodo diceret, verba, ſenſuſque perplexè miſcendo reperire, vt paulo poſt obſeruabimus. Cur ergo tantopere lætus ex hac obnunciatione Nathanis? An quiſquam principem beneficium petiturus accedens, ab illo gratulabuodus abſcedit repulſam paſſos? Lætus ergo Dauid, & gratiarum plenus abſcedens, manifeſtè demonſtrat, ſe loogè plusquam optauerat impetraſſe. Et verè impetrauit. templum enim quod volebat, non ſuis, ſed filij manibus extruxit Dauid, & id cum fecit, non à templi fabrica repulſus, ſed illud bis ædificare permiſſus. Berzelai id exemplo ſuo nobis teſtatur; cui cùm Dauid omnia prolixè regia liberalitate deferret,

[h] *Veni*, inquit, *mecum. tu requieſcas ſecurus mecum* h lib. 2. Reg. cap. 19. 33.

in Ieruſalem. reſpondit ille; *Octogenarius ſum hodie. numquid vigent ſenſus mei ad diſcernendum ſuaue, aut amarum; aut delectare poteſt ſeruum tuum cibus & potus, vel audire vltra poſſum vocem cantorum & cantatricum?* Quid hioc colligit Berzelai? *Ecce ſeruus tuus Chamaam. ipſe vadat tecum, Domine mi Rex*. Quaſi nimirum dicens; ſi vis mihi benignè facere; beneficium tuum mihi duplicabis, ſi quod io me vis, in Chamaam filium meum benignè conferas. Quia quod patris reſpectu filio confertur, ipſi patri duplicatò rependitur. Negata ergo Dauidi templi ædificatio eſt, & filio reſeruata, maius vt benaficium Dauid, ex diuina benignitate referret.

Quartum, quod dicebamos, hac oratione contineri, eſt præteritorum beneficiorum in Dauidem commemoratio. De quibus videndum quot illa ſint, & quare commemorentur.

Tria præcipuè referuntur, ad quæ plura alia reuocantur; exaltatio, victoriæ, gloria. *Exaltatio*; duplici ex capite commendatur; ex loco, vnde

Dauid

a ver. 8. Dauid eleuatur. *Ego tuli* [a], inquit, *te ex paſcuis ſequentem greges.* Et ea gradu dignitatis, ad quam euectus. *Vt eſſes dux ſuper populum meum Iſrael.* Victoriæ conceſſæ, & in bello fœlices euentus exprimuntur, cùm dicitur; *Et fui tecum in omnibus vbicunque ambulaſti, & interfeci inimicos tuos à facie tua.* Gloria denique notatur, dum ſubditur; *Fecique tibi nomen grande iuxta nomen magnorum qui ſunt in terra.* Quomodo hoc, & qui iſti magni? *Grande nomen* Dauidis effectum, cum longè, lateque fuſum, plures regiones non magis clangore tubarum, quam læto plauſu famæ vulgantis impleuit. Hoc eſt enim *nomen grande*, quod

b 1. Paral. 14. 17. per plura terrarum ſpatia diffunditur. [b] *Diuulgatumque eſt*, inquit, *nomen Dauid in vniuerſis regionibus & Dominus dedit pauorem eius ſuper omnes gentes.* At qui iſti *magni*, ad quorum inſtar ipſe magnus effectus? Fortaſſe reges Aſſyriorum, Ægyptiorum, Græcorum, qui circa hæc tempora fluruerant, aut adhuc florebant; de quibus Euſebius; vel certè Abraham, Iſaac, & reliqui Patriarchæ intelliguntur. Sed probabilius eſt ſermonem hic eſſe de magnis viris, qui Dauidis tempore viuebant. Neque enim dicit Deus; *iuxta nomen magnorum qui fuerunt*; ſed *qui ſunt in terra.* Quod ipſe Dauid inſinuans, & ea de re gratias

c 1. Paral. 17. 17. agens; [c] *Feciſti me*, inquit, *ſpectabilem ſuper omnes homines, Domine mi.* Nullus enim erat in terra qui poſſet cum Dauide rerum geſtarum gloria comparari. Et hoc totum Dei beneficium fuit; vt intelligamus potentiam, gloriam, diuitias bona eſſe, & à Deo peti poſſe. Non ita tamen vt in iis, ſi affluant, cor apponatur; & Dei, qui illa conceſſerit, obliuiſcamur. Quomodo enim non bona, non appetenda, non inquirenda, quæ Deus vt teſtimonia benignitatis ſuæ, vult ab hominibus quibus ea conceſſerit, recognoſci?

Sed hæc beneficia iam Dauidi collata quorſum nunc commemorantur? Vt eius erga Deum gratitudo probetur. Deus enim Dauidem commendauerat, quod indignum putaſſet anguſtius ſe, quam Arcam diuini fœderis habitare; quod votum ob id de templo extruendo concepiſſet; quod illud opere perficere cogitaſſet; propterea *ſeruum illum ſuum* blandè appellauerat; & ipſius conſilium teſtatus apertè fuerat ſibi mirificè

d 3. Reg. 8. 18. placuiſſe. [d] *Quod cogitaſti*, inquit, *ædificare domum nomini meo; benè feciſti hoc ipſum mente tractans.* Vt ergo Dauidis pietatem magis extollat, ex animi gratitudine dicit eſſe profectam, vt pium, vt gratum, vt beneficiorum memorem eſſe demonſtret; vt laudet affectum, qui non ea vlla præcepti neceſſitate, ſed ex voluntario ſtudio gratiæ rependendæ ſit ortus. Et hæc ratio longè mihi videtur probabilior, quàm quod alij comminiſcuntur, idcirco præterita beneficia commemorari, vt animus Dauidis leniatur mœrore diſcuſſo, quem fortè conceperat ea aſperitate repulſæ: nullam enim Dauid hic grauiorem repulſam tulit, qui quod à Deo volebat, dupliciter impetrauit. Et hæc de beneficiis iam collatis.

Conferenda verò, quæ diximus quinto loco, in hac oratione promitti, ad tria maximè capita reducuntur: ad ea, quæ ipſe in ſe recepturus eſt Dauid; quæ in populo ſuo; & quæ denique in domo, & progenie, quæ poſt ipſum. Fruſtra ergo hîc aliqui quærunt cur inter beneficia quæ Dauidi ſunt conferenda, beneficia Iudaico populo collata connumerentur. Fruſtra, inquam, hoc: quicquid enim Dauidis populo conferendum eſt, Dauidis beneficium cenſendum eſt; niſi quis ita deſipiat, vt putet quod benignè fit ſubiecto populo reſpectu Regis, ipſi Regi, cui ſubeſt, non conferri.

Primum ergo beneficium, quod eſt in ſeipſo recepturus, eſt victoria hoſtium ſuorum. [e] *Requiem*, inquit, *dabo tibi ab omnibus inimicis tuis.* e ver. 11. hic

Secundum eſt numeroſa proles, quæ ſit ipſi ſuperfutura per lætam poſteritatem; [f] *Prædicitque* f ibid.

quod domum faciat tibi Dominus. Tertiò, quod fato ſuo placidè defunctus, ea hac vita pacatè decedet. [g] *Cumque*, inquit, *completi fuerint dies* g ver. 12.

tui, & dormieris cum patribus tuis. Quartò, quod ex ſuo ſemine dabit illi in regno filium ſucceſſorem. [h] *Suſcitabo ſemen tuum poſt te, & firmabo re-* h Ibi.

gnum eius. Et hæc in ſe ipſo recepturus eſt Dauid. In populo ſuo, quintò illi promittitur certa ſedes & domicilium ſacrorum apud eum perpetuò futurum. *Ponam*, inquit, *locum populo meo, & plantabo eum.* Sextò, diuina protectio. *Plantabo eum, & habitabit ſub eo.* Septimò requies ab inimicis, & ab hoſtium infeſtatione ſecuritas. *Et non turbabitur amplius, nec addent filij iniquitatis, vt affligant eum ſicut prius.* Et hæc in populo. In domo verò & progenie. Octauò, illi promittitur perpetua nec interrupta ſucceſſio natorum, & qui naſcentur ab illis, & hæc in regno. [i] *Fi-* i ver. 16.

delis, inquit, *erit domus tua, & regnum tuum vſque in æternum.* Nonò, quod filius poſt illum proximè regnaturus templum ritè ædificabit: in quo cumulatè Dauid accepit id, quod à Domino poſtulabat. Decimò, quod idem, qui poſt illum filius peculiari ſub præſidio & tutela Dei requieſcet. Vndecimò, quod, ſi quid deliquerit, eius errata, ſumma humanitate plectentur. [k] *Si*, inquit, k ver. 14.

iniquum aliquid geſſerit; arguam eum in virga virorum. Duodecimum denique omnium præſtantiſſimum eſt, quod ſit ex illius ſemine Chriſtus naſciturus, qui idem filius Dauid, & Dei verè ſit, & dicatur. *Ipſe*, inquit, *erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem.*

Et hæc ſunt quæ poſt beneficia iam Dauidi collata conferenda illi in poſterum promittuntur. De quibus duo breuiter hîc inquirenda, quæ latius in diſputationibus proſequemur. Primum an quæ de filio Dauidis prænunciantur, de Salomone, vel Chriſto intelligantur. Secundum, quæ de populo prædicuntur, an de Iſraelitico, vel Chriſto ſint accipienda. Loquimur autem in vtraque dubitatione, non de ſolo ſenſu myſtico, ſed de proprio & literali.

De prima quatuor celebres ſentétiæ feruntur. Prima dicit nõ poſſe omnia de Chriſto pariter, & de Salomone interpretari; ſed quædam ad vnum, quædam ad alterum referenda, ſi literalis expoſitio quæratur. Mouentur quod nonnulla ſint hic, quæ propriè accepta, Chriſto nullo modo conueniunt; quale eſt, *quod ſi peccauerit, corrigetur.* De Salomone ergo tantum hoc intelligitur. Rurſus alia tribui Salomoni non poſſunt, ſed ſoli Chriſto, vt illud; *Ego ero illi in patrem, & erit ipſe mihi in filium, & ſtatuam thronum regni eius vſq; in ſempiternum.* Quomodo enim hæc in Salomonem, qui Dei adeo non filius fuit, vt idololatra factus Aſtaroth, & Molocho dixerit: *Deus meus, & pater meus es tu?* Et quomodo regnum illius ſempiternum, quod tanto iam tempore defecit? Secunda volt omnia accipienda de Chriſto vel in ſe ipſo ſpectato, vel in ſuo corpore & membris, ratione quorum dicitur aliquando

delinquere, & puniri. Tertia eorum ſententia qui Chriſtum ignorant, omnia in Salomonem refert, & nihil in Chriſtum. Quarta ſententia communis & vera de Chriſto pariter, & Salomone cuncta vult accipi; & de vtroque in ſenſu proprio, & literali. De Salomone tamen, vt in *figura*; de Chriſto, vt *figurato*. De illo vt in *vmbra* inchoatè & imperfectè; de Chriſto, vt in *veritate* complete. Quod enim pleraque hic de Chriſto ſint accipienda; homini Chriſtiano dubitare non licet, id clare Paulo atteſtante, qui inter hæc, *Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium*; Chriſto non ſolum accommodat; ſed propriè de illo docet intelligi. Quod vero de delictis adiungitur, & ſupplicio irrogando, licet ad Chriſtum per ſe conſideratum non ſpectet; ad illum tamen, vt rectè dicebatur, in ſuo corpore eſt referendum. Rurſus vero quod hæc ipſa de Chriſto intellecta, de Salomone quoque ſint propriè intelligenda; Dauid ipſe teſtatur; qui alibi [a] ad hanc Dei promiſſionem alludens; *De filiis meis*, inquit, *elegit Salomonem filium meum, vt ſederet in throno, regni Domini ſuper Iſrael, dixitque mihi; Salomon filius tuus, ædificabit domum meam, & atria mea. Ipſum enim elegi mihi in filium*. Et hæc de prima dubitatione. De ſecunda, difficultatem facit, quod ſi omnia de populo Iudaicò propriè accipiantur; non videtur quomodo poſſint in illum ea conuenire, quæ de ſempiterna ſede ſacrorum apud illum futura dicuntur. Sed hæc & alia, quæ non ſolum de populo, ſed de Salomone, & eius non interrupta in regno Domini ſucceſſione dicuntur, accipienda ſunt omnia conditionatè, non abſolutè dicta: nimirum ita demum effectum ſuum habitura; ſi non peccauerint illi, quibus promittuntur. Quod Patres obſeruant, & Dauid ipſe clare teſtatur, hæc ipſa promiſſa quomodo facta fuerint exponens, vt confirmet Deus ſermones ſuos loquutus eſt de me dicens [b]; *Si cuſtodierint filij tui vias meas, & ambulauerint corã me in veritate, in omni corde ſuo; non auferetur tibi vir de ſolio Iſrael*. Ex quibus habetur quemadmodum comminationes ſuppliciorum, ſemper cum conditione effectum ſortitutæ intelliguntur, niſi quibus eæ intentantur pœnitentiam egerint; ita promiſſiones beneficiorum, cum pari conditione accipiendas, ſi quibus promittuntur, mandata Dei cuſtodierint. His in vniuerſum explicatis, videamus ſi quid in ſingulis verbis huius orationis Nathan ſit obſeruandum.

a Paral. 22. 7. & c. 28. 5.

b 3. Reg. 2. 4.

Cùm ſediſſet.] Sedere in ſacris literis, vt etiam apud profanos auctores eoſque cultiſſimos, eſt nonnunquam otiosè agere & ſine cura. Quod enim qui aliquid agunt, ſtare, & circumcurſare cogantur; qui nihil, vt plurimum ſedeant, poſita eſt ſeſſio pro quiete, quæ procul ſit à negotioſa cura; ſignum nempe pro re ſignata. Quam ſignificationem hic habet. Sediſſe enim Dauid in domo ſua, eſt ipſum quietè pacatèque ab omni tumultu reſpiraſſe, & ad hæc tunc animum adiecisse. In eundem ſenſum, vt dicebam, verbum hoc auctores etiam Latiniſſimi vſurparunt. Vnde illud eſt [c]; *Ineptus hodie dum illic ſedeo*, (otioſus ago) *vt quiſque venerit, accedebam: adoleſcens dictum quaſi &c*. Et alius,

c Teren. Hec. act. 5.

d Virg. lib. 11

[d] *Aut hac Dardanium dextra ſub tartara mittam*

Deſertorem Aſiæ (ſedeant, ſpectentque Latini,

Et ſolus ferro crimen commune refellam.

Sedeant enim hic, vt obſeruat Seruius, eſt quieſcant, & otioſi agant ab omni cura.

Omne quod eſt in corde tuo] Nihil adhuc Dauid expoſuerat de conſilio ſuo, quod illud eſſet; & an quicquam aggredi ſtatuiſſet, vel non aggredi; vel qua de re peragenda incertus eſſet. Quomodo ergo Nathan illi reſpondet; *Fac quod eſt in corde tuo?* Hic quidem recurrunt ad ſpiritum prophetiæ per quem volunt Nathan intellexiſſe quid animo Dauid agitaret; etiam ſi nihil adhuc eorum, quæ vellet, edixiſſet, quod probabile eſt. Sed probabilius eſſe totam hanc orationem abrupte propoſitam, more ſcripturæ; quæ cum aliena verba de re aliqua refert, non integrum ipſius ſermonem, ſed ſummam illius adducit, ſubinde quædam reticendo; tacitè tamen ex iis ſupplenda, quæ clare narrantur; vt hoc loco fit. ex reſponſione enim Nathan, Dauidis interrogationem aliquam facilè præceſſiſſe colligimus, de templo Deo extruendo, prophetæ conſilium exquirentis.

Factum eſt autem in illa nocte.] Phraſis in ſacris litteris frequentiſſima, qua tempus aduenisse ſignatur, rei de qua agitur, opportunum; vel in quod illa inciderit. In ſequenti enim nocte poſt eum diem, quo mutuò colloquuti Nathan & Dauid, hæc Deus Dauidi nunciari mandauit. Notat alicubi Aſconius, quod Cicero nonnunquam ſolet dicere *veniſſe tempus, diem, horam, &c. huius, vel illius rei faciendæ*, ſolere Terentium efferre per *factum eſt*. Quod idcirco placuit hic obſeruare ne modus iſte dicendi quo noſter interpres tam frequenter vtitur, vel barbarus putetur, vel purus hebraiſmus exiſtimetur.

Neque enim habitaui in domo.] Perperam ex hoc loco quidam obſeruant, templum ſolum; *Domum Dei appellatum*, quod domus ſit ſedes ſtabilis ad habitandum; qualæ templum fuit, non verò tabernaculum, quod ſubinde migrabat, licet enim verum id ſit ex proprietate ſermonis; vſus tamen aliter in ſcripturis obtinuit; in quibus promiſcuè tam nomen templi, quàm domus, ſeu de templo ipſo, ſeu de tabernaculo ſunt vſurpata. Itaque ſupra [e] vidimus Helcana cum vxoribus *ad tabernaculum accedente, ad templum acceſſiſſe dici*. Rurſus cum Anna [f] ad idem tabernaculum Samuelem adduceret; *adduxiſſe eum ad domum Domini* referri. Futilis eſt ergo obſeruatio, quod nomen *domus Domini* tantum de templo Salomonis dicatur; & quod nomen *templi* de tabernaculo non vſurpetur.

e 1 Reg. 1. c. 1. 27. & 32.

f Ibid. c. 1. 24.

Fui tecum in omnibus.] Phraſis hæc in ſcripturis, de iis vſurpatur, quibus ope ſua Deus non ſolum peculiariter adeſt; eorum vota iuuando, & ad lætos exitus perducendo; ſed cum quibus etiam (vt inter amicos ſolet [g]) familiariter agit. Propterea ſubditur; *vbicunque ambulaſti*. id enim proprium eſt amicorum vt ſe comitentur, nec alter alterum deſerat. Quod ſignificauit Ethai Gethæus; cùm illum Dauid ab Abſalone fugiens officioſe dimitteret [h]. *Viuit*, inquit, *Dominus, quoniam quocunque loco fueris, Domine mi Rex, ſiue in morte, ſiue in vita; ibi erit ſeruus tuus*. Hoc Ethai profeſſus, quia verus amicus: at Deus non ſolum verbo profeſſus, ſed re ipſa Dauidi exhibuit, nuſquam illum deſerendo *in omnibus vbicunque ambulanti*, itineris dux, comes, adiutor, & operum conſiliorumque promotor.

g Theodor. hic.

h lib. 2 Reg. 15. 25.

Et habitabit ſub eo.] Dixerat; *Ponam locum populo meo Iſrael, & plantabo eum*; ſubdit nunc,

Et

Et habitabit ſub eo, loco ſcilicet. Quis ergo locus hic, quem Dominus ſuo populo poſiturus? Aliqui templum intelligunt, antonomaſtice locum Iudaici populi nuncupatum; ſub cuius vmbra ſit ipſe ſecurus ab hoſtibus habitaturus. Probabilius tamen *locum* hic certam ſedem ſignare regionis illius, quam Deus ſit ſuo populo firmaturus; nempe Chananitidem. Nec obſtat quod dicatur; *ſub eo*, ſub regione autē non habitari. Ponitur enim id ad tutam manſionem ſignificandam. Nam ſub quibus habitamus, eorum obumbratione protegimur, ad quam eandem ſecuritatem ſignificandam dicitur alibi ſimili Phraſi futurum [a], *vt habitet vnuſquiſque ſub ficu ſua*. LXX. pro *ſub eo*, habent apud ſeipſum, quod eſt *domi ſua*, & in loco ſuo.

a 3. Reg. 4. 25.

Nec addent filij iniquitatis, vt affligant eum ſicut prius.] Hæc omnia ſub conditione tacita promittuntur; in Pſalmis tamen expreſſa [b]. *Si cuſtodierint filij eius legem Domini.* Quam quia nefariè violarunt, quinquageſimo ferme poſt anno, Roboamo regnante, longe maiores clades populus incurrit, quam vnquam aliàs ad eam diem paſſus eſſet.

b Pſal. 88.

Faciet tibi Dominus domum.] Poſteritatem tibi dabit ex ſanguine tuo: id eſt enim domum facere in ſacris literis. Quod enim aliàs monui, *domus* apud ſacros, & profanos auctores dupliciter appellatur. primo, pro domicilio ipſo; in quem ſenſum paſſim obuium *ædificare domum*, eſt domicilium conſtruere. Secundò, pro familia & cognatione, quæ domicilium idem, ſaltem ab origine, ſolet incolere. in quem ſenſum accipitur *domus*, cum dicitur florere, propagari, iacere, & in ſacris literis ædificari, pro eo quod eſt filios ſuſcipere. Cùm enim iſti naſcuntur, quaſi tot fulcra, domum familiamque ſuſtentant.

Si iniquè aliquid geſſerit.] Hæc conuincunt, quæ proximè præceſſerunt, intelligi quoque de Salomone debere; quemadmodum etiam Dauid intellexit. Quomodo autem de Chriſto etiam accipiantur; ſupra iam diximus.

In virga virorum.] Pœnas huius viræ Ioſephus exponit. *Si quid*, inquit, *peccauerit; pœnam non vltra morbos, & terræ ſterilitatem proceſſuram.* Hieronymus *virgam virorum*, gladium hoſtium intelligit. *Plagas* verò *hominum*, quotidianas incommoditates, interpretatur Theodoretus [c] *quibus humana* vita ſubinde vexatur, & à Deo pro peccatis affligitur. Ex quo plures [d] argumentum ſumunt ad Salomonis pœnitentiam probandam.

c Abul. q. 12. Gloſ. Caiet. Dionyſ. Pen. lib. vlt. de Salom.

Et fidelis erit domus tua.] Si de virtute fidei hoc accipiatur, vt plures accipiunt; promiſſi veritas nutare videtur. Quomodo enim domus Dauidis in ventura ſæcula *fidelis*, in qua tot idololatræ, & omnium primus Salomon, à vero Deo ſacrilega defectione deſciuit? Sed ſi hoc tantùm turbat; facilè res tota componitur. Non enim promiſſio hæc de ſingulis intelligitur; qui futuri in poſteritate Dauidis: quaſi ſic omnes ſemper in fide perſtituri, nullus vt à fide deſciſcat. Sed quod in ea nunquam ſit ita fides extinguenda, ſemper vt aliquis de Dauidis domo futurus non ſit, qui fidem colat. Et ita factum eſt: nunquam enim à cultu veri Dei Dauidis poſteritas ita ex toto defecit; vt non ſemper aliqui Deum ſincero mentis affectu coluerint. Quod in gratiam Chriſti Domini familiæ illi conceſſum dubitari non poteſt. Aſt aliis hoc loco *fidelis domus*, non eſt fidei virtute prædita; ſed firma & ſtabilis.

d Aug. lib. 17. de ciuit. c. 8 & deinc.

Quod vox Hebræa נאמן *neeman*, quæ fidelis vertitur in vulgata, robuſtum, verum, firmum, ſtabilemque ſignificet. In quem ſenſum etiam Latinis *nomen fidelis* vſurpatur, vt ſtabile, firmumque ſignificet, & quod eſt duraturum. Sic aliqui notant alicubi dixiſſe Plinium *terebinthi materiam fidelem ad vetuſtatem*, id eſt ſtabilem, firmam, ac duraturam. Et alibi Ciceronem *domum fidelem* appellaſſe, quæ vitium in ſtructura non contrahat, nec ruinam minetur. Probabiliter hoc: at mihi probabilius hic non ſolam perpetuitatem, & durationem ſignari. De hac enim ſæpiùs cùm dictum fuerit, non erat quod amplius inculcaretur; ſed lætos ſucceſſus poſterorum Dauidis, qui votis illius, & Nathanis promiſſis ſint reſponſuri. Et eſt ab auctoribus vſurpata loquutio, omnique genere ſatorum; quæ tunc *fidelia* dicuntur, cum ſuo ſemini reſpondent, & ſpei quam de illis concepit agricola. Sic etiam *domus, familia, poſteritas*, cum in ſcripturis *plantatio* dicatur [e], *filij*, inquit, *tui, ſicut nouellæ plantationis in iuuentute ſua*; Non mirum, ſi tunc fidelis appelletur, cùm votis, & expectationi reſpondet, id opere & lætis ſucceſſibus exhibendo, quod de iis ſibi alij pollicentur. In quem ſenſum illud Eſaiæ [f] accipiendum eſt, quod hæc noſtra confirmat. *Propterea*, inquit, *plantabis plantationem fidelem, & germen alienum.*

e Pſal 128.

f Cap 1.

Ante faciem tuam.] Quomodo hoc; ſi erant hæc omnia Dauide iam extincto futura? Caietanus ob id, *ante faciem tuam*, exponit *intuitu* tuo. propter te, in gratiam tuam. Durè ſane. Alij de Dauidis animo, qui Deo viuens, hæc omnia ſit cogniturus intelligunt vt pote ad ſtatum ſuum pertinentia. Non deſunt tamen qui, *ante*, non loci velint eſſe notam, ſed temporis; vt *ante faciem*, non ſit in conſpectu poſitum; ſed in tempore ſequenti ſucceſſurum. Dicunt enim hominem dum viuit, præteritum tempus habere poſt ſe; quaſi enim illud poſt terga relinquit; futurum vero ante ſe. Illud enim dicitur homo ante ſe habere, in quod progrediendo fertur, & incidit; & hoc eſt tempus ſequens & futurum. Senſum ergo hic eſſe thronum Salomonis, & poſterorum futurum æternum ante Dauidem. Quæ arguta ſubtilitas, vt *ante te*, *poſt te* ſit accipiendum, ſi cui probabiliter, eam ſibi habeat, ſine riuali. Quod mihi probabiliſſimum videtur eſt, alluſionem fieri per hoc ad Salomonis inaugurationem, quando Dauide adhuc viuente, & ſpectante, Rex eſt acclamatus [g]. Tunc enim reſpexit Dauid *domum ſuam fidelem eſſe*; reſpondere nimirum voto ſuo, & pollicitationi Nathanis; & id præſtare, quod ipſe ſperauerat. Optauerat enim Dauid, & decreuerat vt Salomon filius ſuus in regno ſibi ſuccederet, & eius poſſeſſione, nullo turbante, firmaretur. Hoc antequam de vita decederet, impletum vidit. *Fidelis ergo fuit illi Domus, & thronus regni ante faciem ſuam*; dum adhuc ipſo viuente, & ſpectante, Salomon in regnum omnium ſuffragiis euectus eſt & in eius poſſeſſione firmatus. Quam puto eſſe interpretationem Vatabli; qui *ante faciem tuam*, propriè accipit de Dauide, qui ſuis iſta oculis ſit conſpecturus; quatenus adhue illo viuente, Salomon inauguratus, regnum in familia confirmauit, quod eſſet deinde pari firmitate per futura tempora duraturum.

g 3. Reg. 1.

℣.18.) Ingreſſus eſt autem rex Dauid, & ſedit coram Domino, & dixit: Quis ego ſum, Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxiſti me hucuſque?

℣.19.) Sed & hoc parum viſum eſt in conſpectu tuo, Domine Deus, niſi loquereris etiam de domo ſerui tui in longinquum: iſta eſt enim lex Adam, Domine Deus.

℣.20.) Quid ergo addere poterit adhuc Dauid vt loquatur ad te? Tu enim ſcis ſeruum tuum, Domine Deus.

℣.21.) Propter verbum tuum, & ſecundùm cor tuum feciſti omnia magnalia hæc, ita vt notum faceres ſeruo tuo.

℣.22.) Idcirco magnificatus es, Domine Deus, quia non eſt ſimilis tui, neque eſt Deus extra te, in omnibus quæ audiuimus auribus noſtris.

℣.23.) Quæ eſt autem, vt populus tuus Iſrael, gens in terra, propter quam iuit Deus, vt redimeret eam ſibi in populum, & poneret ſibi nomen, faceretque eis magnalia, & horribilia ſuper terram, à facie populi tui, quem redemiſti, tibi ex Ægypto, gentem & deum eius.

℣.24.) Firmaſti enim tibi populum tuum Iſrael in populum ſempiternum: & tu, Domine Deus, factus es eis in Deum.

℣.25.) Nunc ergo, Domine Deus, verbum, quod locutus es ſuper ſeruum tuum, & ſuper domum eius, ſuſcita in ſempiternum: & fac ſicut locutus es,

℣.26.) Vt magnificetur nomen tuum vſque in ſempiternum, atque dicatur Dominus exercituum, Deus ſuper Iſrael. Et domus ſerui tui Dauid erit ſtabilita coram Domino,

℣.27.) Quia tu, Domine Deus exercituum, Deus Iſrael, reuelaſti aurem ſerui tui, dicens; Domum ædificabo tibi: propterea inuenit ſeruus tuus cor ſuum, vt oraret te oratione hac.

℣.28.) Nunc ergo Domine Deus, tu es Deus, & verba tua erunt vera: locutus es enim ad ſeruum tuum bona hæc.

℣.29.) Incipe ergo & benedic domui ſerui tui, vt ſit in ſempiternum coram te: quia tu, Domine Deus, locutus es, & benedictione tua benedicetur domus ſerui tui in ſempiternum.

In hac oratione Dauidis, quæ ſunt paulò attentiùs obſeruanda, ad quatuor reducuntur; quis locus, & habitus orantis; quid orauerit; & quomodo, quæ cum Deo loquutus, diſpoſuerit. Locus, vbi orauit, tabernaculum fuit: ſitus & corporis conformatio, ſedendo.

Ingreſſus eſt Dauid, & ſedit coram Domino.] Per hoc quod ingreſſus dicitur, quod iam monui tacitè ſignificatur, tabernaculum vbi Arca locata, non extra, ſed intra ſeptum regij palatij fuiſſe: contra quam velit Abulenſis & alij cum illo, qui putant in diſtincta domo locatum: quod in eadem fuiſſet intutum, indecorum, & omnino minus opportunum Dauidi. *Intutum*; quia liberum debebat eſſe populo confluenti ad Arcam accedere; nec vllus facilè poterat ab illa depelli. id autem quantum ſecum diſcriminis afferebat, in initio noui regni? Erat enim domus Dauid in ipſa Sionis arce conſtituta. Si ſemper ergo patere cuilibet domus debebat, vt ad Arcam pateret acceſſus, arx quoque ipſa penitus omnibus debebat eſſe. Quod quis non videt quàm intutum, quam ſuſpectum, quam plenum diſcriminis? Sed & *indecorum*: habebat enim ſecum Dauid vxores ſuas & filiorum, & innumeros greges ancillarum illis, & filiabus inſeruientium. Quam ergo indecens, vt omnes tam propè Arcam, tam proximo contubernio cubarent? Ad hoc, minus id *commodum* Dauidi, & quod omnia domeſtica officia perturbaret. Quanta enim confuſio ex quotidiana frequentia populi recedentis, accedentis, commeantis, & aſſiſtentis, ad Arcam? Præterea ex tanta multitudine cantorum, ianitorum, Leuitarum, & aliorum qui erant Arcæ miniſterio dicati, nonne fuiſſent omnia regiæ domus officia præpedita? Sed hæc argutè dicta ſpeciem aliquam probabilitatis haberent; ſi non ex ſola coniectura ducerentur, & hic ageretur de domo priuati cuiuſpiam, non de regio palatio variis membris laxa per conclauia diſtincto. *Intutum*, inquit, erat Arcam in eadem domo ſeruari, quæ eadem arx, & propugnaculum eſſet ciuitatis; vel certè erat ad illam aditus occludendus, aut non ita liberè permittendus; quaſi verò cum dicimus Arcam in Dauidis domo locatam, neceſſe ſit vt in ipſo penetrali arcis collocata fuerit. *Indecorum* verò vt vxorum, & ancillarum greges propè Arcam cubarent; quaſi in regia domo non plures eſſent non tantum parietes, ſed ſeiuncta membra, ſuis quæque tectis inuicem ſeparata. At tanta multitudo hinc Arcæ miniſtrantium, inde Regis vſibus inſeruientium, ſe mutuo occurſu turbaſſent, & præpediſſent; quaſi in vno, eodemque conclaui, & Rex, & Arca, & regia miniſteria, & Arcæ officia eſſent diſponenda. Domus ergo ampliſſima, & in hoc ipſum extructa, vt arcam ſimul, & regiam familiã poſſet admittere, iſtis omnibus opportunam, decoram, & tutam ſtationem præbebat. Propterea cum Dauid in domo ſua Nathan admiſiſſet, eius oratione percepta, dicitur hic *ingreſſus coram Domino*; per quod non obſcurè ſignificatur non extra eandem domum locum illum fuiſſe, quo ſe contulit Dominum precaturus. Et hoc de loco.

Sed quo ſitu, & habitu corporis orauit? *Sedit*, inquit, *coram Domino*. quod pleriſque mouit olim admirationem. Dauid enim tam pius, tam diuini numinis attentus cultor, tam ſeuerus eorum exactor, quæ ad Arcæ religionem ſpectabant, videtur hic cum Deo familiarius agere, quam pro illius pietate decebat; dum numen adoraturus in genua non procumbit, ſed otiosè ſedet. Miratus hoc aliquando Simplicianus, admirationem ſuam Auguſtino propoſuit, à quo

reſponſum

reſponſum hoc tulit vnde admiratio ſedata. *Conuenienter*, inquit, *dictum eſt; ſedit ante Dominum; niſi fortè quod ſedens orauit, hoc moneat; cum & ſanctus Elias hoc fecerit quando pluuiam orando impetrauit. Quibus admonemur exemplis non eſſe præceptum quomodo corpus conſtituatur ad orandum, dummodo animus præſens peragat intentionem ſuam.* Hæc Auguſtinus. Quæ vera ſunt, & omnino reſpondenda, ſi propriè ſeſſio ſumatur, & cur Dauid orando ſederit quis admiretur. At id neceſſe non eſt; ſicut enim *ſtare*, non ſemper erectum eſſe ſignificat, & pedibus nixum, ſed diuturnam fixionem, & moram eorum quæ ſtare dicuntur; ſic ſedere, in ſacris literis & apud alios auctores, eſt aliquando moram alicubi trahere quocunque habitu & compoſitione corporis illa trahatur. In quem ſenſum *ſedendi* verbum probabilius hîc accipitur, quàm in alium quencunque vt ſignificetur nimirum Dauidem non obiter, non perfunctoriè, non quod plerique ſolent acceſſiſſe ſimul, & abſceſſiſſe; ſed longam moram apud Arcam in oratione traxiſſe; ſiue ſedendo, ſiue iacendo, ſiue in genua procumbendo terræ proſtratus; & ita videntur accepiſſe, qui *ſediſſe*, hic exponunt *manſiſſe*; vel qui, quod Scriptura non exprimit explicando, dicunt otioſè Dauidem *ante Deum ſe humiliter poſuiſſe*; aut animo magis, quam corpore *coram Domino meditando ſediſſe*. Ioſephus verò clarius ad Arcam ſe contuliſſe dicit, *procidentemque in faciem adoraſſe*. non eſt ergo vt factum Dauidis excuſetur ad nouum regis Iudaici priuilegium recurrendum, quod comminiſcitur hoc loco Vatablus, regibus olim conceſſum Deum adorare *ſedendo*; cum reliqui omnes ſtantes, aut nixi genibus adorarent. Coram Deo enim cuncta ſupercilio mouente, non eſt diſtinctio Græci, & Iudæi, domini, & ſerui, ſed omnes pariter eodem iure cenſentur. Et hæc de loco vbi Dauid orauit, & habitu corporis orantis.

Iam de oratione ipſa. Conſtat illa, vt omnes aliæ, rebus & verbis. Videamus ergo quid hic Dauid dixerit & optauerit; & quæ optando voluit, qua ratione diſpoſuerit. Quæ dixit & voluit ad tria capita reuocantur, quibus tota hæc eius oratio cõtinetur. Primum eſt ſui ipſius ante Deũ demiſſio cum ſumma deſpicientia coniuncta; ſecundum, gratiarum actio; Tertium noua precatio. Demiſſionem cum deſpicientia exprimit illa ſui cognitio, quam interrogatio admirando prolata repræſentat. *Quis ego ſum*, inquit, *Domine mi, & quæ domus mea?* His enim duobus punctis tota machina vertitur exactæ cognitionis vilitatis humanæ. Quis *Deus*, quis *homo*, quæ ſunt illa duo capita ad quæ D. Franciſcus exemplo Dauidis omnia reuocabat cùm Deo loquebatur. *Quis tu, quis ego. Magnus eſſe vis?* dicebat Auguſtinus [a], *à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam erigere celſitudinis? De fundamento prius cogita humilitatis.* Egregiè hoc. At vnde deſumpſit? Ab hoc facto Dauidis. De magnitudine illius agebatur, quem magnum Deus effecerat, & maiorem volebat: de celſitudine domus eius in immenſum extollenda; fundamenta ergo duo ponebantur; alterum Dauidis, alterum domus; ille maior efficiendus, hæc in immenſum faſtigium attollenda; vtrique rei, magnitudini ſuæ, & celſitudini domus aptum fundamentum hic à Dauide paratur. Magnus vt ipſe ſit, à minimo incipit; *Quis ego ſum?* Domus vt attollatur, ad ima fundamentum deprimit; *Et quæ domus mea?* Nam vt rectè Auguſtinus. *Et fabrica ante celſitudinem humiliatur, & faſtigium poſt humiliationem erigitur.* Non prius faſtigium & poſtea fundamentum; ſed hoc præcedit, & illud inde ſubſequitur, quia præit humiliatio, & ſequitur exaltatio, quod infra pluribus.

[a] Ser. 10. de verb. Dom.

Secundum caput quadripartita gratiarum actione continetur; ob beneficia tam ſibi, quam populo collata & conferenda.

Tertio loco quæ Deus ſibi populoque promiſerit, ea vt rata velit & habeat obſecrans obteſtatur. Et hæc eorum ſumma, quæ Dauid hic dicit. At quomodo? Abruptè, interciſè, implicatè perplexè: Eo prorſus genere orationis, quod ſolet eſſe proprium amore æſtuantis, admirantis, & ad magnitudinem ſibi collati beneficij ſtupore defixi. Rectè enim ille [b] dicebat.

[b] Sen. in Oedipo.

Curæ loquuntur leues, ingentes tacent.

Tacent enim aut ſi loquũtur perplexè, & in idem ſæpe recurrendo loquuntur. Ingens ergo Dauidis in Deum affectus, cum tacere non poſſet, in verba hæc æſtuabat; quæ qui legit & audit, vt aliud nihil intelligat, affectum ſummum Dauidis in Deum ſuum, amoris, gratitudinis, admirationis, non poteſt non intelligere. Intereiſa quædam ſunt; alia inculcata, & repetitâ replicatione congeſta; nullo nexu alia videntur hærere; & denique talia ſunt omnia, qualia ſolet æſtus effundere exundantis affectus. Deus illum bis ſeruum ſuum dixerat; decies ille breui oratione ſe Dei ſeruum nuncupat; voces illas, *Domine Deus*, vel vt LXX. *Domine mi Deus*, vndecies ingeminando, quibus quantum obruitur, & obſcuratur oratio, tantum emergit & declaratur affectus. Qui tamen ſemel intellectus in Dauide maximus, omnia facile declarat, quæ propter abruptum dicendi genus videntur in oratione plus aliquid obſcuritatis habere.

Quia adduxiſti me hucuſque.] Maximam hæc emphaſim habent. Nihil enim aliud exprimendo, prorſus oſtendit huiuſmodi eſſe quæ ſibi collata ſunt, vt ea non poſſit explicare dicendo. Ad quod ipſum ſimilis reticentia in [c] libris Paralipomenon adhibetur. *Quæ domus mea, vt præſtes mihi talia?* Sed LXX. hoc loco non riuos diuinæ beneuolentiæ, qui ſunt beneficia per quæ illa ad homines deriuatur; ſed ipſum fontem agnoſcunt vertendo. *Quis ſum ego, & quæ domus mea, quia dilexiſti me vſque huc?* Noſter effectum, illi cauſam reſpiciunt: quod eſt in gratiarum actione ſeruandum; ſemper enim magis aſpici debet affectus, quam munus; & hoc ex illo pendendum, & æſtimandum, quod hic feciſſe Dauidem, inſinuant LXX. diuina beneficia in illius fontem referendo, quæ eſt diuina dilectio.

[c] lib. 1. c. 17. 20.

Sed & hoc parum eſt in conſpectu tuo, Domine.] LXX. *Factus ſum paruus coram te.* quod eſt; Tot licèt à te beneficiis cumulatus, non video ſatis tibi creuiſſe: maiora de me cogitas, & celſiorem me vis, amplitudinem mihi collatam vitæ meæ finibus non coërcendo. Non enim ſolùm de me cogitas; ſed de mea poſteritate, cum pari magnitudine in futura ſæcula tranſmittenda. Quod ſignificant quæ ſubduntur.

Niſi loquereris de domo ſerui tui in longinquũ.] Quod Nathan dixerat; *in ſempiternum*; hoc Dauid exponit in longinquum. Et in libro Paralipomenon *in futurum*. vt intelligamus, quod alibi

monuimus,

monoimus, & alij etiam obſeruant, in ſacris literis ſempiternum, non ſemper eſſe quod fine caret; ſed quod in longitudinem mittatur, nullo certo fine præfixo,

Iſta eſt enim lex Adam Domine Deus.] Locus obſcurus; in quo difficultatem facit, quid lex, quid Adam, & quæ cuius rei ratio reddatur. *Legem* hic nonnulli pactum interpretantur; ſiue promiſſum Dei pacto interueniente Dauidi firmatum. Alij conſuetudinem agendi, & morem receptum. Alij quod inſtinctu naturæ peragi ſolet. *Adam* verò alij appellatiuè accipiunt, vt homines ſignificat. Alij propriè, vt nuncupatio eſt primi hominis, & ſecundum has varias acceptiones *legis*, & *Adam*, varius quoque ſenſus

a Pin. in Iob. 31. 33.

adducitur horum verborum. Primus [a] eſt communem hominum conſuetudinem eſſe, vt de ſe prius, deinde de ſua ſint poſteritate ſolliciti; quod hic fecit Deus cum Dauide. Prius enim de illo iuuando, augendo, extollendo? tum de eius

b Abul. q. 22. hic.

poſteritate cogitauit. Secundus [b], qui modicum abit à primo. Vt ſolent homines filiorum ſuorum commodis conſulere; ſic tu mihi, generique meo conſuluiſti. Tertius; hæc eſt lex Adam, quam debet homo ſeruare cum Deo, *vt illi ſeruiat in ſimplicitate & puritate cordis. Et Deus viciſſim ſit eius de commoditate ſollicitus.* Quartus; hanc eſſe maiorum virorum conſuetudinem, vt magna polliceantur & præſtent, & quod plurimum gaudeant ſibi poſteritatem dari, quæ floreat honoribus, & opibus abundet. Quintus, Adæ nomen appellatiuè ſumens, vt homines ignobiles, abiectoſque ſignificat; hoc per interrogationem effert, quaſi ſit omnino Dauidis admirantis, quod ſic ſecum Deus agat dicendo. *Eſt ne hæc lex Adam, Domine mi?* Ita ne cum vilibus hominibus agitur, vt mecum agis? Sic cum ta-

c Salian an. 2990. n. 68.

libus à tanto? Sextus [c] denique ſenſus. Adam propriè accipit vt primum hominem deſignat, & talis eſt. Agis mecum, Domine Deus, vt olim cum primo parente, quo cum pro ſe & tota poſteritate pepigiſti, mecum pro me, & tota poſteritate paſciſceris. Me enim velut alterum Adam conſtituiſti; ſiue vt olim cum Adamo ſic nunc mecum te geſſiſti. Nam illum caput generis humani conſtitutum ſuper omnia collocaſti cuncta pedibus eius ſubiiciendo: nec hoc contentus eandem poſteris fœlicitatem, ſi in officio permaneret, promiſiſti; ſimiliter nunc me ad

d lib. 1. Paral. cap. 17. 17.

regnum euectum *cunctis* [d] *regibus terræ ſpectabiliorem feciſti*; Similem amplitudinem poſteris

e Pſal. 131.

meis ſeruaturus [e]. *ſi mandata tua cuſtodierint, & teſtimonia tua non neglexerint.* Omitto ſenſus alios ab aliis; iſti quid probabilitatis habeant, apud ſe quiſque poteſt facile perpendere.

Mihi duo precipuè difficultatem faciunt. Alterum, quod in lib. Paralipomenon, vbi hæc eadem Dauidis oratio refertur, hæc clauſula prorſus omittitur. Alterum, quod ſiue *lex* ſit pactum, ſiue conſuetudo, ſiue cuique innata propenſio; & *Adam* ſimiliter ſiue pro primo parente, ſiue pro homine, appellatiuè ſumatur; non apparet cuius hic rei per hæc ratio reddatur. Quid enim proximè præceſſit, aut ante præmiſſum eſt cuius hoc quod ſubiungitur ratio ſit? *Parum*, inquit, *viſum hoc eſt in conſpectu tuo, Domine mi; niſi etiam loquereris de domo mea.* Et ſtatim ſubditur; *Iſta eſt enim lex Adam.* Ideo ne parum viſum hoc in conſpectu Dei, *quia hæc eſt lex Adam?* Aut adeo adiecit Deus præteritæ ſuæ in Dauidem beneuolentiæ *de illius etiam domo loqui* quia *hæc eſt lex Adam?* Vt hic ergo nodus ſoluatur; obſeruandum conſuetudinem eſſe ſacrorum ſcriptorum, quæ referunt, iis aliquando non iungere, quæ proximè dicta ſunt; ſed quæ in animo tacite cogitando verſata. Inde eſt quod frequenter quis reſpondere dicitur, nullus quamuis ſermo præceſſerit, cui ſit reſpondendum: & quod aliquando principium orationis à particula coniunctiua deducitur, cum nihil anteceſſit, cui quod ſubditur adiungatur. Simili modo cauſalis coniunctio non eſt hic adnectenda iam dictis; ſed iis, quæ tacitè intelliguntur, & de quibus aliqua poſſit eſſe dubitatio. Dauid enim pluris æſtimauerat hoc beneficium de poſteritate ſibi conceſſa, & eius fœlicitate; quàm quodlibet aliud hactenus acceptum. Quod quia poterat mirum videri, ſubdit eius rei rationem. *Iſta enim eſt lex Adam.* Ex quo homines eſſe cœperunt ab illo ducto exordio.

Genus, à quo principe noſtrum

Naturale cuique eſt de poſteritate ſua magis, quàm de ſe ipſo ſollicitè cogitare. Quare cum beata Fœlicitas fœmina ſanctiſſima contrariis votis vrgeretur, rectè D. Gregorius obſeruauit, id eam non ex natura, ſed ex gratia feciſſe. *Septem filios*, inquit, *ſic timuit ante ſe viuos relinquere; ſicut carnales parentes ſolent metuere, ne mortuos præmittant.* Lex ergo Adam eſt inſitus carnalibus parentibus timor ne ſe filij in morte præcedant, & anxia de illis in poſterum ſollicitudo, vt floreant ſibi ſuperſtites

Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

Rectè proinde Dauid hoc vt rationem intulit, non eius quod præceſſit; ſed quod tacitè ipſe mente voluebat; & de quo poterat in aliis admiratio ſubire. Quæ videtur mihi probabilior huius loci expoſitio. Fortaſſe etiam ab aliquibus eorum, quos protulimus adumbrata, ſi non expreſſa. At cur hæc clauſula in libro Paralipomenon omiſſa, vbi hæc eadem oratio refertur? Nil mirum id. Iccirco enim libri Paralipomenon appellantur, quod in eis non omnia de integro pro vt in libris Regum digeſta, ſed tantum derelicta quædam ſupplentur vt lucem aliis allatura.

Quid ergo addere poterit adhuc Dauid vt loquatur ad te?] Nihil iam ſibi ſupereſſe dicit, quod ad Deum loquatur. Quid igitur hic eſt *loqui*? Vel quare quid amplius loquatur illi non supereſt? *loqui* hic eſt aliquid orando poſtulare; quem ſenſum Abrahami verbis plerique tribuunt Pentapolitis veniam poſtulantis. [f] *Quia*, f Gen. 18. 27.
inquit, *ſemel iam cœpi, loquar ad Dominum meum cum ſim puluis, & cinis.* Vel certè *loqui* eſt laudare, gratias agere, accepta beneficia referre, grati animi affectum ex illis commemorare. Quæ omnia Dauid hic præſtabat, dum Deum orabat. Igitur non ſupereſſe ſibi quod loquatur; quod eſt non habere quid amplius à Deo velit impetrare; vel verba ſibi non ſuppetere, quibus affectum ſuum prodat, & magnitudinem diuinæ in ſe beneuolentiæ repræſentet. Vterque ſenſus verus eſt, & facilè poteſt verbis iſtis aptari, ſed difficultatem aliquam facit ratio, quam ſubdit Dauid quare facultas loquendi ſibi non ſuppetat. *Addere*, inquit, *non poteſt Dauid vt ad te loquatur.* Cur hoc? *Quia tu ſcis ſeruum tuum, Domine Deus.* Quæ enim ratio, vel cauſa ſufficiens vt idcirco Dauidi quid ampliùs loquatur, vel orando vel gratias agendo non ſuppetat, *quia Deus illum ſcit*? Opti-

ms

ma ratio. Vt enim quis opituletur alicui, vt illi benefaciat, vt ea quibus indiget, illi prouideat, amare illum debet, & illius ſtatum cognoſcere, alterutrum ſi deſit, fruſtra quis ab illo ſubſidium ſperabit. Deus autem Dauidem amabat, & exploratiùs omnia ſciebat, quàm ipſe de ſe Dauid quæ ad illum ſpectabant. Non erat ergo cur Dauid amplius illi quicquam de ſuis commodis impetrandis ſuggereret; non vt ipſum alliceret, qui iam promptus erat; non vt edoceret, qui de ſe cuncta notat. Amanti enim & neſcienti ſatis eſt amati commoda ſuggerere, vel incommoda quibus angitur aperire. At amanti, & iam ſcienti nihil eſt vlteriùs ſuggerendum: non enim deſerit verus amator, vt ait alicubi Auguſtinus. Rectè ergo hîc Dauid; *Quid*, inquit, *addam ad loquendum non habeo*; nil eſt quod iam tibi ſuggeram; quod à te poſtulem; quod anxiè mecum ſollicitè quæram. Quare hoc? *Quia tu ſcis ſeruum tuum.* Simili ratione Chriſtus Dominus cum
a Matth. 6. 31. ſollicitudinem vellet ab Apoſtolorum animis amputare [a]. *Nolite*, inquit, *ſolliciti eſſe dicentes; Quid manducabimus, aut quid bibemus?* Cur hoc? *Scit enim*, inquit, *pater veſter, quod his omnibus indigetis.* Quia pater eſt amat, & vult ſubuenire; quia ſcit, omni vos ſollicitudine liberat, ea quibus indigetis inſinuandi. At tunc eadem ſubit
b Iuuen. Sat. dubitatio, quæ olim ethnicum [b] hominem mouit, vt diceret.

Nil ergo optabunt homines?

Cui conſultus reſpondet;

Si conſilium vis,
Permittes ipſis expendere numinibus, quid
Conueniat nobis, rebuſque ſit vtile noſtris.
Nam pro iucundis aptiſſima quæque dabunt Dij,
Charior eſt illis homo, quam ſibi.

Hucvſque hominis ethnici cognitio peruenit, vt idcirco ſolicitudine omni vacandum putauerit in iis quærendis, & à diis poſtulandis, quæ colimus, aut quibus indigemus: *Quia*, inquit,

Charior eſt illis homo, quàm ſibi.

Pater enim Deus eſt hominum piorum: at hic idem Dauid dixerat maximè ſollicitos eſſe homines de ſalute, incolumitate, & fœlicitate filiorum. Quid ergo de Deo exiſtimandum, ſi pater eſt, & haberi vult? Et hoc ſi *loquendi* verbum pro eo quod eſt orare & poſtulare ſumamus; quem ſenſum magis vt explicemus, duo obſeruanda. Alterum, non eſſe mentem hoc loco Dauidi quancunque ſollicitudinem ab animo diſcutere, & omnia Deo otioſum permittere; nihil illum orando, ambiendo precando; ſed eam tantum abiiciendam circa bona præſentis vitæ quæ prima mortales habent, & mirantur. De his enim hîc tantùm loquitur, & totus ſermo præceſſit, quorum etiam curam non totam amputat; ſed anxiam, ſed ſollicitã, ſed timoris plenam. Propterea vtitur eo modo loquendi. *Quid amplius addere poteſt Dauid, vt ad te loquatur?* Illud enim *Addere*, curam ſollicitæ inquiſitionis inſinuat, quam vult abiici. Neque enim Chriſtus Dominus cum Apoſtolos docebat, Deum ſollicitè non orandum, de alio bonorum genere id docebat, quam caducorum. *Quid*, inquit, *manducetis, aut quid induamini.* Nam ſi de bonis cœleſtibus ſermo ſit; in iis quærendis vult Chriſtus omnes eſſe ſollicitos, & ex ea ſollicitudine Deum quæri, orari, ambiri & ad fores eius beneuolentiæ pulſari. Sed video quid his tacite poſſit opponi. *Non habeo*, inquit Dauid, *vltra quid addam ad loquendum* de bonis caducis, temporalibus & huius vitæ. Cur id? *Quia tu me ſcis*; nec volo, nec debeo de his eſſe ſollicitus: quia tu pater meus es, & omnia mea ſcis. Quia pater; vis filiis opitulari. quia ſcis; monitore non indiges. Rectè hæc: ſed nonne valent eadem de bonis æternis? Pater noſter eſt; ſcit quibus indigemus; ob id non monendus, nec addendum vt illi de caducis iſtis loquamur, vt dicit nunc Dauid: Cur ergo ſimiliter de bonis æternis, ſpiritualibus, cœleſtibus iiſdem non dicimus otioſè agendum, de illis eſſe, Deo curam omnem & ſollicitudinem permittendam? An forte Deus quia pater eſt & nos amat, bona nobis caduca vult, etiam non rogatus; cœleſtia vero, niſi rogatus non vult? An nos ſcit, & noſtram indigentiam in bonis temporalibus & caducis; in ſpiritualibus & æternis ignorat? Multa hic mouentur, quæ facilè ſedari niſi longa diſputatione non poſſunt; in illam igitur omittantur.

Interim ſecundo loco quod hic propoſitum fuit obſeruetur; verbum *ſciendi, & noſcendi* cum Dauid dicit; *Scis enim ſeruum tuum*; non ſimplicem ſignificationem habere. Magis enim amorem, beneuolentiam, & animi propenſionem cuipiam adhærentis inſinuat; quam nudam notitiam. In quem ſenſum dicuntur aliquando ſciri quæ probantur, amantur, admittuntur; neſciri quæ odio habentur, & reprobantur. Sic alicubi
Cicero dicit [c] *Stoicos mentiri neſcire*, & Virgilius c 3. de Orat.
de equo [d] *ſtare loco neſcit*; & vulgo de viro probo d li. 3. Georg.
& plane innocenti dicimus illum neſcire cuipiam quicquam mali facere. Et denique Chriſtus Dominus dicturus eſt improbis; *neſcio vos.* Con-
tra verò dicitur idem [e] *noſſe viam iuſtorum.* Et in e Pſal. 1.
eundem ſenſum dicit hic Dauid *à Deo ſe ſciri.* &
clariùs in Paralipomenon [f] *cognoſci. Quid vltra* f lib. 1. c. 17.
addi poteſt Dauid, cum ita glorificaueris ſeruum 18.
tuum, & cognoueris eum? id eſt impenſe amaueris.

Si vero *loqui* ſit hîc gratias agere, & affectum grati animi loquendo teſtari; minus hæc operoſam interpretationem requirunt. Rectè enim Dauid haud ſibi ſollicite quærenda verba demonſtrat, quibus affectum ſuum Deo prodat; cum ſit illi plane perſpectus, & longè clarius, quam poſſit vllis verbis explicari. *Non addam*, inquit, *vltra loqui.* nec poſſum nec debeo; quia *tu ſeruum tuum ſcis*, & eius animum prorſus introſpicis.
Domine, tu ſcis quia amo te, dicebat Petrus [g]. Idem g Ioan. 18.
hic Dauid; me noſti, & affectum animi mei; quod ad magnitudinem accepti beneficij per grati animi memoriam eſt referendum; tantum virumque eſſe vt orationem quæ poſſit alterutrum prodere, non poſſit afferre.

Propter verbum tuum & ſecundum cor tuum feciſti omnia magnalia hæc.] Quæ hæc? De quibus Deus dixerat; eduxi te de paſcuis, in regnum te ſuſtuli, tecum fui in omnibus vbicunque ambulaſti, hoſtes tuos ante te occidi, & nomen tibi feci iuxta nomen magnorum qui ſunt in terra. Hæc omnia magnalia, quæ Deus fecit, ſingula propter verbum ſuum fecit; quia nempe promiſerat ita ſe facturum. Regem conſtituit? Id ante prædixerat. De Saulis manibus eripuit? Id enunciauerat. Amalecitas illi in manus tradidit? Ante conſultus reſponderat ſe facturum. Omnes denique victorias perinde Dauidi conceſſit, vt ante enunceſſurum pronuncianerat. Fecit ergo hæc magnalia Deus; quia ſe facturum prædicendo promiſerat. At hæc quæ promiſit, cur? *Secundum*

cor

cor ſuum. Fecit, quia promiſit; promiſit, quia bonus, quia benignus, quia in Dauidem propenſus. Hoc ergo in id à Dauide refertur, vt quæ ſibi Deus benignè ſupra ſua vota contulit, omnia Dei benignitati, non vllis ſuis meritis tribuenda teſtetur.

Ita vt notum faceres ſeruo tuo.] Diſtinctum hoc beneficium eſt, & proprium Dauidis. Nam Salomonem magnum futurum, totam eius poſteritatem nunquam interrupta ſerie regnaturam, beneficium erat Dauidis ipſius, ſimul & poſterorum. At hoc quod futurum erat ante proſpicere, beneficium fuit ſoli Dauidi collatum. Propterea dicit; & hæc magnalia, quæ facere mihi in mea poſteritate decreuiſti; non quocunque modo decreuiſti; ſed ſic, *vt ea faceres nota ſeruo tuo antequam fierent.* quod ipſum cum Abraham quoque fuiſſe ſeruatum; ingentis beneficij loco commemoratur [a]. *Num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum, cum futurus ſit in gentem magnam ac robuſtiſſimam, & benedicenda ſint in illo omnes nationes terræ?*

a Gen. 18. 17.

Idcirco magnificatus es, Domine.] Hactenus de beneficiis ſibi collatis, & conferendis; nunc illa commemorat, quæ iam populus accepit, & eſt accepturus; ex vtriſque autem dicit *magnificatum Deum.* Magnum ſcilicet cognitum & prædicatum. Quæ iſta magnitudo? Quod tantus eſſet, vt nec illi quiſquam ſimilis Deus fingi poſſet; nec operibus quæ verè in auxilium populi patrauerat, poſſent illa conferri, quæ fabuloſa gentilitas in ſuis numinibus falsò iactabat. Quod eſt, vno verbo, plus illum re ipſa præſtitiſſe, quam gentilitas deos ſuos mentiendo fingat. Et hæc eſt germana ſententia horum verborum; Quæ hoc loco & alibi ſæpe in ſacris literis vſurpantur ad Dei magnitudinem oſtendendam. *Quis ſimilis tui, neque eſt Deus extra te?* Prima enim facie videntur Dei magnitudinem deprimere potius quam prodere; vel etiam, quod grauius eſt, abſurdæ ſententiæ occaſionem præbere. Deus verus, viuus, & omnia nutu ſuo flectens [b], *vnus adeo; vt ſi vnus non eſt, nec etiam ſit*, extollitur, & magnus eſſe prædicatur: eius magnitudinis argumentum adducitur quod alij illi dij ſimiles non ſint. An hoc ergo magnum, minimis maiorem eſſe, & iis qui non ſolum magni non ſunt, ſed nihil omnino ſunt? Item; beneficia, quæ Hebræorum populus accepit, exaggerantur; ad hunc talia dicuntur, vt nulla alia natio nec tanta, nec tot à diis ſuis acceperit, quot & quanta Deus illi contulit. An hoc ergo magnum; plus accepiſſe à Deo populum Iudaicum, quam nationes aliæ ab iis acceperint, qui nulla beneficia conferre poſſunt, quia nihil poſſunt? Et tamen hic & alibi Dei magnitudo proponitur & exaggeratur, ex aliorum collatione deorum; quod iſti non poſſint illi conferri. Et magnitudo beneficiorum quibus à Deo populus Iudaicus cumulatus, extollitur, quod tale quid aliæ nationes non acceperint à Deo ſuo [c]. *Quis*, inquit alicubi Dauid, *in nubibus æquabitur Domino? ſimilis erit Deo in filiis Dei?* Et ſupra [d] Anna; *Non eſt Deus fortis ſicut Deus noſter.* Et hic idem Dauid; *Quia non eſt ſimilis tui.* vel vt clarius eſt in libro Paralipomenon [e]. *Non eſt ſimilis tui, & non eſt Deus abſque te, ex omnibus quos audiuimus auribus noſtris.* De beneficiis vero populo collatis; *Quæ*, inquit, *vt populus tuus Iſrael gens in terra*; quæ ſcilicet à diis ſuis tot acceperit, quot illi tu contulisti? Illud ipſum quod clarius Moſes prædicauerat [f]; *non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis.* In hoc ergo tota vertitur ratio dubitandi, quod ex iſta collatione neutra magnitudo ſatis exprimitur, & occaſio tribui videatur errandi, dum inde Deus verus extollitur, quod falſos deos numinis maieſtate tranſcendat. Eo enim ipſo aliquid illi eſſe videntur, dum vero Deo conferuntur.

b Tertul. Apol. cap.

c Pſal. 88. 7.

d lib. 1. Reg. 2.

e lib. 1. c. 17. an.

f Deut. 31.

Horum igitur, & aliorum ſimilium locorum verus intellectus eſt ille quem retuli: nempe magnitudinem diuinæ maieſtatis, & beneficiorum præſtantiam, quæ fuerunt ab illo populo Iudaico collata, re ipſa maiorem eſſe, quàm quiſquam poſſit animo concipere, & fingere mentiendo. Si enim de Deo ſermo ſit; verè illum eſſe maiorem, quam de ſuis fabuloſa gentilitas mentiatur: Si de beneficiis populi; longe plura re ipſa fuiſſe, quam finxerint alij ſibi vel ſuis accidiſſe. Simili ratione D. Ambroſius alicubi [g] Abraham magnitudinem nobis ob oculos proponit. *Magnus planè vir Abraham, & multarum virtutum clarus inſignibus.* Quam magnus? Subdit eiuſmodi fuiſſe, *quem votis ſuis philoſophia non potuit æquare. Denique*, inquit, *minus eſt quod illa finxit, quam quod iſte geſſit, maiorque ambitioſo eloquentia mendacio ſimplex veritatis fides.* Vt ergo quod intelligentiam turbabat, apertè repellamus; Non eſt magnum maiorem eſſe iis qui nihil ſunt; ſed magnum eſt eſſe maiorem, quam quiſquam poſſit fingere mentiendo. Non eſt magnum maiora feciſſe quam Cyrum, ſi nihil fecit: ſed eſt magnum plura feciſſe, quam finxerit [h] quiſquam feciſſe Cyrum. Similiter non eſt magnum, populum Iudaicum à Deo vero plus accepiſſe, quam à diis ſuis gentiles acceperint; cum nihil accipere potuerint ab iis, qui nihil ſunt; ſed eſt magnum plus accepiſſe, quam potuerint alij fingere. Vno verbo, non eſt magnum maiorem eſſe laruis, & vmbris, & ficto mendacio; ſed eſt magnum talem re ipſa eſſe, & ſe verè præſtare, minus vt ſit quod fingitur, quam quod veritas exhibet.

g lib. 1. de Abrah. c. 2.

h Xenoph. in Cyropæd.

Propter quam iuit Deus.] Gentilitas duo mentiendo diis ſuis tribuebat; potentiam, & beneuolentiam. *Potentiam*, qua poſſent opitulari; *beneuolentiam*, qua vellent. Ex his enim ſi deſit alterutrum; nihil eſt, quod pro numine colatur. Ad vtrumque vero commendandum, varia finxit à falſis numinibus præſtita, quibus eorum potentia & beneuolentia probaretur. In vtroque dicit hic Dauid Deum verum re ipſa ſe præſtitiſſe maiorem, quam potuerit in ſuis gentilitas fingere, vt verè dicere poſſimus; *Quis in nubibus æquabitur Domino?* In iis diis quos ſibi gentilitas ex nubibus ariolando fabricatur, deos plane *vaporarios*, & in nubibus ſubſiſtentes; vt illæ ſunt arces, quæ prouerbio dici ſolent *aëris per inane fundata*, nullus eſt qui Deo potentia & beneuolentia poſſit æquari: *potentia*, qui tot mira patrauerit; *beneuolentia*, qui ſigna tot amoris ediderit. Quæ iſta? Propter illam gentem quaſi peregrinatum, longinquum iter inſtituiſſe, & iuiſſe, vt illam ſibi *redimeret in populum.* Quæ ſigna potentiæ? *Feciſſe eis magnalia & terribilia ſuper terram.*

Quem redemiſti tibi ex Ægypto gentem, & deum eius.] Si verba, vt prima ſunt ſpecie diſpoſita ſpectentur; intellectum reddunt, de quo me-

tio

rito quis poſſit ambigere. Videntur enim ſignificare *feciſſe Deum horribilia* ante populum, quem ſibi redemit ex Ægypto ſimul cum gente, & Deo ſuo. Quod ſine dubio quomodo ſit accipiendum; difficultate non caret. Quæ enim hæc alia gens, & quis hic eius Deus, quem ſibi Deus Iſrael ex Ægypto redemit? Vt hunc nodum aliqui ſoluant, ad Hebræum fontem recurrunt; in quo dicunt ad verbum haberi, *ex Ægypto, gente, & diis eius.* vt ſit ſenſus, redemiſſe Deum populum ſuum ex Ægypto, & eius gente, & po-

a Serrar. hic.

teſtate deorum, quibus Ægyptij fidebant. Alij [a] *gentem* principes populi Iudaici interpretantur; *deum* verò, Moſem, quem Deus Iſrael Pharaonis deum conſtituerat. Redemiſſe ergo Deum ex Ægypto populum Iudaicum cum prima nobilitate, & Moſe omnium principe; durè ſatis & frigide. Verus ſenſus eſt quem verba referunt, ſi cum tacita quaſi parentheſi legantur hoc modo; *Faceretque eis magnalia & horribilia ſuper terram (à facie populi tui, quem redemiſti tibi ex Ægypto) gentem & deum eius.* nempe vt fecerit Deus horribilia (in conſpectu populi ſui, quem redemit ex Ægypto) ſuper terram, ſuper gentem, & ſuper deum eorum, *ſuper terram*; quam tot cladibus afflixit; *ſuper gentem*; quam marinis fluctibus obruit. *ſuper deos*; quos euertit. In Ægypto enim Deus non contentus terram, Regem ipſum & incolas merita pœna mulctare; deos quoque quos ipſi colebant, atrociter vltus eſt; vt in libro Nu-

b Cap. 33.4.

merorum [b] verbis illis innuitur. *In diis eorum exercuit vltionem.*

In populum ſempiternum.] Si de populo Iſraelitico ſecundùm carnem hæc intelligantur; *ſempiternum*, accipi debet pro *longinquo*; vt ſupra monuimus. Si de Iſraelitico ſecundùm ſpiritum, qui Chriſtianus populus eſt; omnino pro eo, quod fine caret, eſt interpretandum. Nam populus ille Iudaicus ſecundùm carnem, non ſempiternus fuit, ſed temporalis, à Deo abiectus vt non eſſet amplius populus eius; eo adductus vt nec illum vellet in conſpectum admittere. *Ne offeratis*, inquit, [c] *mihi vltra ſacrificium, incenſum ve-*

c Iſaiæ 1.

ſtrum mihi abominatio eſt & cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis. Cur hoc? *Manus enim veſtræ plenæ ſunt ſanguine*, nempe de quo dixerunt; *ſanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Et quod huic malo remedium? *Lauamini* per lauacrum regenerationis: *Mundi eſtote*, illius virtute ſanguinis quem fudiſtis.

Nunc ergo.] Hoc tertium eſt, quod hac oratione eontinetur; noua nempe Dauidis poſtulatio. Quæ illa? vt Deus omnia quæ pollicitos ta-

d Num. 23. 19.

ta velit. At dubium ne illud ctat? [d] *Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur; nec vt filius hominis, vt mutetur.* Dixit ergo & non faciet; promiſit, & non præſtabit? Et ſi non hoc; cur hic Dauid eorum de euentu ſollicitus, euentura precatur, & eſſe firma poſtulat, quæ Deus vltrò prædicit, & ſpondet? Sciebat hoc ille; nec ignorabat Dei do-

e Ad Rom. 11.29.

na [e] *ſine pœnitentia* eſſe ex parte Dei; ſed ſimul etiam ſciebat Dei promiſſa intelligi fere omnia ſub conditione debere, qualem nos ſupra diximus; & clarè Deus ipſe *tradit per* Hieremiam. [f]

f Cap. 18.

Subitò loquar de gente, & de regno, vt ædificem & plantem illud: ſi fecerint malum in oculis meis, vt non audiant vocem meam; pœnitentiam agam ſuper bonum quod loquutus ſum vt facerem ei. Memor ergo Dauid eatenus inconcuſſa ſuorum fata ſibi futura, quatenus illi pietatem colerent, Dei

Sopran. in Dauid.

mandata peragerent, in officio permanerent; duo hic tacite precatur. Primo, vt ne poſteri pietatem deſerendo diuinæ benignitatis in ſe fontes occluderent; & his impedimentum aliquod obiicerent, quæ Deus pollicetur: alterum, vt ſi fortè illi peccarent, nihilominus Deus in ſua benignitate perſiſteret; [g] & *propter Dauid ſeruum ſuum, non auerteret faciem Chriſti ſui.* Et hoc vtrum-

g Pſal 131.

que. Dauid tacite verbis illis amplexus; *Nunc ergo Domine Deus, verbum quod loquutus es ſuper ſeruum tuum, & ſuper domum eius, ſuſcita in ſempiternum. Fac ſicut loquutus es.* Quaſi dicat; Hoc quod vltro facturum mihi promiſiſti; fac, oro, vt omnino proueniat, & nulla eorum improbitate turbetur; ſiue ne peccent, illis aſſiſtendo; ſiue ſi forte peccauerint, illos non deſerendo. Quod vtrumque Dauid aſſequutus. Nam probabile eſt ex ipſius poſteris plures Dauidis intuitu ne peccarent adiutos; & qui peccarunt, non probabile, ſed prorſus exploratum eſt à regno, Dauidis reſpectu, non fuiſſe depulſos. Hoc cum Salomone, hoc cum Abia, hoc cum Ioramo, hoc cum Achaz, & aliis ſeruatum: quorum impia ſcelera cùm eſſent regni amiſſione mulctanda diſſimulata tamen ex hac parte ſunt, ne [h] *lucerna Dauidis extingueretur.*

h 3 Reg. 11. 33 34.

Suſcita verbum tuum in ſempiternum.] Duplex hic hebraiſmus: alter, in verbo *ſuſcitandi*; alter, *in ſempiternum. Suſcitare verbum*, eſt præſtare promiſſa. Hæc enim interim dum opere non implentur, quaſi ſopita iacere dicuntur; vel occultari recondita: propterea dum re ipſa proueniunt, ſuſcitari videntur; quaſi ex ſomno, vel vnde iacebant excitata. quod Latini non abſimili metaphora dicunt, *apparere promiſſa.* Et ex hac eadem ſimilitudine phraſes illę in Scriptura ducuntur *ſuſcitandi iuramentum pactum, commi-nationes*; pro eo quod eſt hæc opere complere. *Suſcitare arcum, gladium, arma*; manus illis admouere, & ex vagina producere. Alter hebraiſmus eſt in voce *ſempiternum.* quæ hic non ſolum pro longinquo temporis ſpatio ponitur nullo certo fine præfixo; ſed inſuper idem ſignificat, quod abſolute futurum, & nulla conditione ſuſpenſum. Orabat enim Dauid, vt modo dicebam, vt quæ Deus ſibi de domus ſuæ ſplendore promiſerat, inconcuſſa vellet, nec vlla fineret ſuorum improbitate labare.

Inuenit ſeruus tuus cor ſuum.] *Cor* in ſacris, & in prophanis literis [i], vt alibi docui, pro ani-

i lib. 1 c.17.

mo, & audacia nuncupatur. In quem ſenſum hic accipi debere; quæ præcedunt verba conuincunt. Excuſat enim tacitè Dauid quod hæc tot, & tanta poſtulauerit, cum tot vltro, & tanta Deus illi conceſſerit, dicens; animum ſibi fuiſſe maiora petendi; quia iam maxima fuerat conſequutus. *Inuenire ergo cor*, eſt hic audere, & animum ſumere quidpiam faciendi. Quaſi Dauid hic dicat; Quia tot vltro mihi iam contuliſti, auſus ſum ſeruus tuus hæc etiam poſtulare; quod ipſum illud eſt ab eodem Dauide toties in Pſalmis vſurpatum; dum cauſam cur magna poſtulet; affert quia ſit iam maxima conſequutos. *Clamaui*, inquit, [k] *ad te* Quare? *Quo-*

k Pſal. 16.

niam exaudiſti me. Inuenire ergo hic poſitum eſt pro capere & ſumere quo pacto hebraiſmus hic eſt Italiſmo ſimillimus, quo dicimus, *Pigliare animo, è cuore* pro eo quod eſt *audere.*

Reliquæ huius loci expoſitiones de fuga cor-

Bb dis,

dis, de mentis euagatione, de multiplici cogitationum appulſu, quæ nos inuadunt, dum ad Deum conamur aſſurgere, de cordis & mentis ab illis reductione, quas Auguſtinus [a] & alij proſequuntur, ſunt potius myſticæ, quam litterales; quæ tamen in Diſputationibus non omittentur. a Pſal. 85.

LIBRI SECVNDI REGVM

CAPVT VIII.

ARGVMENTVM.

HIS ergo diuina beneuolentiæ argumentis, vt inter amicos ſolet, mutua quaſi per officia confirmatus, ad nouas ſe iterum Dauid expeditiones accinxit: & memor oraculi, quo ſibi diuinum præſidium affuturum didicerat in reliquis, qui ſupererant hoſtibus debellandis, haud ratus eſt eos, vt ante fecerat, operiendos; ſed vltrò aduerſus illos inſurgens, in ſuis ipſos ſedibus aggreſſus eſt. Ergo ad Occidentem, primùm omnium Paleſtinos adortus, expugnauit, arce munitiſſima in poteſtatem redacta, quæ reliquæ circum regioni, quaſi frænum duriſſimæ ſeruitutis hactenus impoſuerat. Inde, conuerſus ad Orientem, Moabitas planè deuictos, vectigales fecit: tum, more fulminis in Septentrionem ſigna conuerſa Syris intulit, & Adarezer Regem Sophenorum ad deditionem compulſum, armis exuit, & curruum traditione mulctauit. Hinc, Damaſcenos excipiens, qui venerant auxilium allaturi Sobitis, ingenti plaga cecidit, ſupra viginti eorum millia occiſione deletis, & Damaſco principe vrbe Iudaicæ ditionis effecta. Nec hoc victoriarum orbe confecto, quicquam de priſtina virtute remittens iterum ab Oriente redorſus Ammonitas, & Amalecitas inuaſit; hinc ad meridiem flectens Idumæos debellauit; quibus ſubactis, oraculi fides euentu certo probata eſt, quod tantò ante præceſſerat, de Eſau fratris ſui filiis ſeruituro. His bellis glorioſè defunctus, vt non minus ſe in bello pium probaret, quàm in pace præſtiterat, quicquid in hoſtili gaza gemmarum, æris, & auri ſplendebat, Deo manubias conſecrauit. Inde ad remp. conſtituendam cura conuerſa, magiſtratus muneraque diuiſit, quibus ea per ſingulas partes ſapientiſſimè regeretur.

℣. 1.) Factum eſt autem poſt hæc percuſſit Dauid Philiſthiim, & humiliauit eos, & tulit Dauid frænum tributi de manu Philiſthiim.

℣. 2.) Et percuſſit Moab, & menſus eſt eos funiculo, coæquans terræ: menſus eſt autem duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum: factúſque eſt Moab Dauid ſeruiens ſub tributo.

℣. 3.) Et percuſſit Dauid Adarezer filium Rohob Regem Soba, quando profectus eſt vt dominaretur ſuper flumen Euphratem.

℣. 4.) Et captis Dauid ex parte eius mille ſeptingentis equitibus, & viginti millibus peditum, ſubneruauit omnes iugales curruum: dereliquit autem ex eis centum currus.

℣. 5.) Venit quoque Syria Damaſci, vt præſidium ferret Adarezer regi Soba: & percuſſit Dauid de Syria viginti duo millia virorum.

℣. 6.) Et poſuit Dauid præſidium in Syria Damaſci: factaque eſt Syria Dauid ſeruiens ſub tributo: ſeruauitque Dominus Dauid in omnibus ad quæcunque profectus eſt.

TVLIT *Dauid frænum tributi de manu Philiſthiim.*] Cum dubium non ſit *frænum* hîc metaphoricè dictum; dubium eſt quid frænum appelletur, cur, & quare *tributi* dicatur. De quibus omnibus inter alia difficultatem facit diuerſitas verſionum; cum vox Hebrea מתג האמה *Metheg haammah*, quam noſter reddidit *frænum tributi*; prorſus in alia omnia ab aliis trahatur. LXX. *Et accepit Dauid ſegregatam de manu alienigenarum.* Chaldæus, *Commoditatem riui.* Aquila, *frænum aquaductus.* Alij [a] voces integras retinentes, nomen proprium vrbis aut regionis exiſtimarunt *Metheg habamah* appellatæ. Alij [b] *frænum cubiti*; alij [b] *ſtimulum.* Quarum omnium verſiunum, ſi ratio hîc à nobis reddenda, & cur adeo in diuerſa diſcedant; inutilis in re minimè neceſſaria labor inſumetur. Et poſſunt ea de re facilè plures conſuli quibus in his immorari, maius otium fuit, aut voluntas. Omiſſa verborum minuta cura, nos res & ſententiam proſequimur, interpretatione vulgatæ editionis retenta, reliquis ſine dubio præferenda.

a Pagnin & tranſl. Hiſp.

b De quibus Serrar. & Sanc. hic.

Quid ergo (quod primo loco poſuimus) hîc *fræni* nomine deſignatur? Dubium non eſt vrbem, aut regionem aliquam, quod verſiones omnes

&

& interpretum communis conſenſus, & res ipſa poſtulat, de qua nunc agitur. De Philiſthæis enim ſermo eſt à Dauide deuictis, & ſubactis; quid aliud ergo de illorum manibus & poteſtate cepiſſe Dauidem ſignanter erat exprimendum, quam regiones & vrbes, quas ille in ditionem populi Iudaici redegiſſet? Denique quando hoc aliàs eſſet ambiguum; omnem dubitationem tollit expreſſa narratio, quæ de hac ipſa Dauidis expeditione in libro Paralipomenon habetur; vbi non ſolum ſignificatur, quod hic dicitur *frænum tributi*, vrbem & regionem fuiſſe; ſed quæ ſic cognominata fuerit, ſignanter exprimitur[a]. (a lib. 1. c. 18.) *Tulit*, inquit, *Geth & filias eius de manu Philiſthiim*. Frænum ergo tributi, non aliud fuit, quam Geth regionis caput, & minores vrbes adiacentes.

Cur ergo ſic appellatæ? Mirum quot hinc inde de re valde non dubia coniecturæ quærantur; & id vt ſimul noſtra lectio & aliorum verſiones defendantur. Sunt qui dicant, ab hac ciuitate deductas aquas, quæ Paleſtinis agris immiſſæ fœcunditatem pariter & amœnitatem illis afferebant; inde autem *frænum* appellatam, quod canales, quibus aqua concipitur, & deriuatur, aquæ fluxum refrænent. Non minus ineptè alij frænum appellatam dicunt quod ea in vrbe fræni pars ſeruaretur, quo quaſi pignore fidem ſuam Iſaac Abimelecho firmauerat, cum mutuo fœdere conuenerunt. Alij aliter, & omnes vt dicebam, vt ſenſum aliquem hinc excudant, qui ſimul etiam reliquis verſionibus adaptetur; quas omnes conciliare; non minoris eſt operæ, quam Sampſonis vulpes inter ſe nectere. Plures enim illarum nec cælum, nec terram tangunt. Noſtra ergo vulgata contenti, vt eſſe debemus, hanc exponamus.

Dico igitur Geth, & circum attributas vrbes fræni nomine appellatas, quod eſſent arces, & loci muniti ſſimi Paleſtinorum. Hac enim & aliis ſimilibus appellationibus vrbes & loca natura & arte munita appellari ſolita nullus ignorat. Ad quod obſeruandum, loca ſaluti, tutelæque parata propter duo inſtituta; ad hoſtes propulſandos, & ſubiectos in fide populos retinendos. Ob illud, loca hæc arces ſunt appellata; ob hoc fræni vel alio ſimili nomine deſignantur. Rectè Varro[b] (b libr. 1. de Ling. Lat.) *arx*, inquit, *ab arcendo dicitur; quod is ſit locus munitiſſimus, à quo facillimè poſſit hoſtis arceri*. Nec id tantùm ſeruatum vt in vrbe ſecretus locus arx eſſet, & diceretur, ſed integræ vrbes & tota aliqua regio, quæ poſſet hanc tutelam hoſtes arcendo præſtare, arx etiam appellabatur. Vnde alicubi Cicero[c] (c Orat. pro Quin. Ligar.) *Africam arcem dixit omnium prouinciarum*. Quod eo reliquis ex partibus tutelæ ſe cauſâ reciperent quicunque illo ciuilis belli turbine raptabantur. Ab hoſtibus igitur arcendis arces; ſed ab iiſdem perdomitis, aut populis aliàs ſubactis, in officio continendis etiam *fræna* ſunt appellatæ, quod motus contumacium refrænarent, ab equis ducta metaphora quibus hoc iniicitur vt ad imperium flectantur. Nec enim nouum ſeruitutem qua quis premitur, frænum per tranſlationem appellari. Hinc enim illud eſt Virgilij[d]. (d Lib. Æneid.)

Vrbem hodie cauſam belli regna ipſa Latini
Ni frænum accipere, & victi parere fatentur,
Eruam & æqua ſolo fumantia culmina ponam.

Frænum enim accipere eſt hîc ſeruitutem ſubire; & arce impoſita, præſidium militia victoris

Sopran. in Dauid.

admittere. Quam eandem ſignificationem fræni appellatio retinet apud[e] Iſaiam, (e Cap. 30. 28) vbi loquens Deus de ſeruitute; qua Sennacherib, & Aſſyrij populum ſuum arcibus impoſitis, & varia militum ſtatione premebant, *ablaturum ſe dicit vndic illa frænum erroris quod erat in maxillis populorum*. Depulſurum ſcilicet Aſſyrios, & Iſraelitas ab eorum ſeruitute vindicaturum, pulſis eorum militibus & arcibus in Iudæorum poteſtatem redactis. Ergo Geth, & illi vrbes attributæ, quod etiam Hieronym. obſeruat, ob id frænum merito cognominatæ; quod Hebræos olim ſubiectos frænarent; & ne quis ab illis motus exſiſteret prohiberent. Quando autem hoc? Cum arctè adeo à Paleſtinis Hebræi premebantur; vt gladius illis, nec haſta, nec vllum genus armorum permitteretur[f]; (f lib. 1. c. 13.) & opus cuique eſſet in terram Paleſtinorum migrare vomeribus & ligonibus acuendis. Hoc ergo tempore probabile eſt arces illas fræni appellationem ſortitas, eam etiam deinceps retinuiſſe, licet Hebræi iampridem excuſſo iugo, nullum iam tributum penderent Paleſtinis. Nunc autem Geth ſimul cum adiacentibus oppidis, & adiuncta regione expugnata, meritò dicitur *abſtuliſſe Dauid frænum tributi*; cum in ditionem Hebræorum redegit arces, quæ *fræna* antea populi dicebantur. Omitto libens arces hic plures referre, quæ patrum noſtrorum memoria *frænum*, *habena*, *compedes* earum vrbium dicebantur, quibus in fide retinendis fuerant à victoribus excitatæ, ex quibus apud Italos oritur phraſis illa paſſim obuia, cum de arce regioni, vrbi, vel oppido cuipiam impoſita dicitur; *eſſergli ſtata poſta la briglia*. Quod ipſum verbum eſt hîc in Scriptura vſurpatum, quæ frænum tributi nuncupat arcem extructam, ſubiectis populis frænandis.

Ob hoc ergo frænum Geth cognominata. Sed cur *tributi*? Res clara ex dictis. Hebræi Paleſtinis tributa pendebant; in quibus pendendis, ne quid innouarent, obiectæ arces, & militum ſtationes per illas diſpoſitæ faciebant; ad eum modum quo apud Tacitum Bataui, & Britanni queruntur Romanorum militum ſtatiua ſparſa per ſubiectas prouincias, quaſi fræna ſibi & iugs aſſe impoſitæ ſeruientis, ad tributa ſoluenda & delectus habendos. Minus ergo probabile eſt quod hic quidam volunt tributum intelligendum non quod olim iam ſoluerant Hebræi Paleſtinis; ſed quod Paleſtinis impoſitum deinceps ipſi Dauidi ſoluerunt. Licet enim verum ſit ipſos hoc bello fractos, & planè ſubactos Hebræis etiam vectigales effectos; non id tamen hæc verba ſignificant. Sed quod iam dixi, & cum Hieronymo etiam alij admittunt, *tuliſſe Dauid frænum tributi*; non quod vrbes expugnatas frænum effecerit ad tributa de Paleſtinis exigenda; ſed quod vrbes, quæ iam frænum erant populi Iudaici, ſubactas, in ſuam ditionem redegerit.

Non tamen hîc omittam quod LXX. pro eo quod nos legimus; *frænum tributi*; ſegregatam vertunt; id alludere quod ſupra de arcibus inſinuauimus. Arcis enim appellatio, vt à Varrone, & Aſconio, ab *arcendo* deducitur; ſic ab aliis, ab *arcano*, quod ſit, inquit Seruius[g] (g 4. Æneid.) *locus ſegregatus*, in quem paſſim cuilibet aditus non permittitur. Clarius ergo LXX. ſignificarunt expugnaſſe Dauidem arcem præcipuam Philiſthinorum, dum *ſegregatam abſtuliſſe* dixerunt.

Percuſſit Moab, & menſus eſt eos funiculo coæ-

quans terræ.] Locum per ſe difficilem, difficillimum planè reddit interpretum varietas in diuerſa trahentium. Duplex autem in ea, quæſtio ſoluenda vt ſenſus eruatur. Altera, de Moabitis; altera, de funiculis. *De Moabitis*; an homines accipiendi ſint, an terræ ipſorum. De funiculis; an verum hic dimenſionem, an ſortitionem, an quid aliud ſignificent; de vtriſque autem; an tota oratio propria ſit vel figurata. Ab hoc tertio exordiamur. Sunt ergo qui velint hæc omnia figuratè dici, non propriè. *Debent*, inquit Beda, *hæc hyperbolicè accipi. Non enim fieri poterat, vt homines adhuc viuentes in terra tantum humiliarentur, vt funiculo ſuperextenſo comprobante dorſa eorum, terræ dorſo æqualia reperirentur.* Et ſubiicit; *ſed immenſam captæ, & oppreſſæ gentis humiliationem Scriptura hoc verbo voluit accumulare vt diceret coæquatos terræ qui ſub eo ita eſſent eneruati* (viribus omnibus cauti) *atque contempti, vt in nullo amplius homines in terra degentes, quam terra ea quæ nullos habet homines, poſſent valere.* Sic Beda, & alij ex illo. Secundùm quos hyperbolicam hanc orationem eundem ſenſum habere putandum eſt, quem noſter Italiſmus habet, cum de hoſtibus planè deuictis, & omni præſidio ſpoliatis, dicimus eos ad nihilum à victore redactos *Gli ridusse al niente.* Sed alij licèt aliquam prouerbialem formulam hîc agnoſcant, per hyperbolica verba conceptam; non ita tamen id admittunt, vt in ea nihil omnino propriè velint accipi. Sæpius enim funiculis res acta reperitur, & quot illi eſſent accuratè deſcribitur, & inter ſe quomodo diſtincti ſignatè notatur. Quæ accurata diligentia non ſolum hyperbolicam loquutionem hic eſſe ſignificat; ſed rei, prout geſta eſt, expreſſionem. Verè ergo volunt terræ Moabitas æquatos. Sed quomodo id? An quia ipſimet homines; vel hominum ædificia æquata fuerint? Sunt qui illud primum volunt; quod tamen non exiguam difficultatem habet. Vt enim Beda dicebat, quomodo potuerunt homines adhuc viuentes, terræ ſic æquari, vt vnam cum ipſa terra ſuperficiem facerent, & vnus ſuper ipſos & terræ dorſum funiculus æqualiter extenderetur? At hoc quod Bedam mouit ex falſa oritur rei geſtæ conceptione. Nec enim dicit Scriptura *cum terra Moabitas æquatos*; quaſi vna hominis, & ſoli ſuperficies eſſet; ſed *æquatos terræ*; quod eſt illi ſuperfuſos omni iniuriæ expoſitos iacuiſſe proſtratos. Rem totam, vt minus admirabilitatis habeat, ſic Theodoretus exponit [a]. *Tanta*, inquit, *fuit victoriæ vis, & tanta multitudo eorum qui capti fuerant; vt non potuerit eos fere numero ſubiicere, iuſſit ergo eos deiici pronos in terram; duas quidem partes occidit; vnam autem viuam cepit, & iuſſit ferre tributum.* Sic Theodoretus; quod tamen ſua difficultate non caret. Vt enim omittam immaniſſimæ crudelitatis exemplum, Dauidis humanitate non dignum, in tot miſeros ſine cauſa ſæuire: quomodo tanta multitudo potuit, nullo quicquam ſe commouente, pecudum ritu iacere, dum ferrum expediretur in mortem otioſe circumſpectando? Nam, vincti ne erant, an ſoluti? Si vincti; quanti id operis, & moræ? Si ſoluti, cur ferrum ſupra ſe vibrari cernentes, ſaltem vt fugerent non inſurgebant? Mortem inquit timebant, video; ſed ea certa quieſcentibus, incerta pugnantibus; differebatur ſi ſurgerent, inferebatur iacentibus. Vidit Caietanus hunc nodum, ad quem ſcindendum cuneum quæſiuit, ed eu idoneum; ignoro. Dicit enim non omnes ſimul Moabitas à Dauide deiectos; ſed per partes. Quot quot autem cepiſſet; bipartito diuiſos, alios occidiſſe, alios ſeruaſſe; quod eſt duos ſuper illos funiculos extendiſſe; vnum ad occidendum, alium ad viuificandum. Certos enim laqueos & funes illis in duas turmas diſtinctis circundabat, vt gregibus ſolet, & vno recte clauſos ſeruabat; alios alio fune concluſos interimebat. Sed hoc, aliis [b] etiam non improbatum, primò Dauidem à crudelitatis crimine non excuſat. Et ſanè tantam lanienam, quanta erat miſeros homines pecorum ritu caulis incluſos etiam ſæuius quàm ouium greges ſoleant occidione delere; non eſt qui non exhorreat vel auditam. Secundò, non explicat quomodo Moabitæ fuerint *æquati terræ*, & funiculis ſuper illos extenſi: quod hoc loco præcipuam difficultatem facit: propter quam alij Moabitas hîc non homines ipſos intelligunt; ſed vrbes & ædificia Moabitarum. Nec enim nouum eſt; in Scriptura præſertim vrbes ipſas & oppida nomine nationis, & gentis appellari, quibus incoluntur. Sic infra [c] dicitur Ioab *filios Ammon vaſtaſſe*; quod non de hominibus ſed locis Ammonitarum debet intelligi. Vaſtare enim (quod ſæpe docuimus) eſt diripiendo deſtruere; quod in loca rerum, non homines conuenit. *Æquaſſe ergo Moabitas terræ* eſt illorum vrbes & oppida deſtruxiſſe; & id feciſſe quod Æneas hoſtili vrbi ſe facturum minatur

[d] *Vrbem hodie cauſam belli regna ipſa Latini*
Eruam, & æqua ſolo fumantia culmina ponam.

Et de Troia idem Poeta.

Ceciditque ſuperbum
Ilium & omnis humo fumat Neptunia Troia.

Secundum iſtos ergo *terræ Moabitas æquatos*, eſt arces Moabitarum dirutas & ſolo æquatas. Verum nec etiam hoc omni ex parte ſalebras iſtas explanat. Si enim Dauid vrbes & oppida deſtruxit Moabitarum; quibus ergo tributa indixit, quas vrbes vectigales effecit; vnde illi contradebant, quod pro tributo Dauidi perſoluerent? Præterea Scriptura clarè ſignificat ſuper Moabites æquatos terræ funiculos extenſos; alterum, ad occidendum, alterum ad viuificandum: quod in homines tantum conuenit, non in vrbes & oppida, quæ non occiduntur. Quid ergo dicendum?

Tria mihi certe videntur, ex quibus expoſitio, opinor, huius loci clarè conſtabit.

Primum eſt, non omnes omnino Moabitas in vnum coactos, vt muta pecora ſolent, humi iacuiſſe ſtratos, donec ſuper illos funiculi extenderentur; & aliis ſeruatis, alij occiderentur. Fidem enim ſuperat in tanta turba potuiſſe id ſine maxima turba contingere. Cum ergo fidem excedat, & id clarè Scriptura non dicat; non eſt, vt rectè Beda cum aliis, cur hunc ſenſum, qui prima ſpecie videtur abſurdus, illi tribuamus.

Secundò certum eſt nec omnes, nec maiorem partem, ſed exiguam tantum Moabitarum occidione fuiſſe deletam. Saltem dubitari non poteſt extra prælium nullum, aut omnino pauciſſimos, à Dauide fuiſſe necatos. Non enim eius manſuetudinis erat ferrum in miſeros ſtringere, & omni iniuriæ paratos, & imprudenter etiam feciſſet, ſi quos ſeruos & mancipia habere poterat, perdere maluiſſet. Non ſic autem deſipuiſſe verba Scripturæ demonſtrant [e]. *Factaſque* eſt, inquit,

a Quæſt. 23. in 2. Reg.

b Salian. an. 2991. n. 5.

c Cap 11. lib. 2.

d Virg lib. 12.

e verſ. 2. hic

Digitized by Google

quit, *Moab Dauidi ſeruiens ſub tributo.* Et in libro Paralipomenon nulla facta mentione cædis,
a lib. 1. cap. 18. 1. niſi quæ in pugna contigerat [a]. *Factum eſt vt percuteret Moab, & fierent Moabitæ ſerui Dauid afferentes ei munera.* Si enim volebat illos ad tributa ſibi pendenda ſeruare; non erat cur illorum, quos iam in poteſtatem redegerat, tantam ſtragem ederet, & tam immenſam. Neque enim tributa pendunt vrbes, ſed homines, quibus agri coluntur, & vrbes frequentantur.

Tertiò. Propter eandem rationem certum eſt non omnes vrbes exciſas, nec oppida deſtructa, & æquata ſolo; ſed illa tantùm quæ belli furor abſumpſit, interim dum prælia feruebant. Quorſum enim id, aut in quod Dauidis commodum vel Hebræorum? ſi enim Moabitis quo ſe reciperent loca nulla relicta, quas ex illorum tributis, aut muneribus opes expectare Dauid potuiſſet? Quas tamen amplas adeo referebat, vt ob id
b Pſal. [b] *ollam ſpei ſuæ* regionem Moabitidem appellauerit. Et hæc tria certa ſunt. Ea igitur verbis aptemus, & ex illis difficilem aliis locum exponamus.

Puto igitur ſenſum expeditiſſimum eſſe; debellatos à Dauide Moabitas, in deditionem acceptos ea conditione fuiſſe, vt vectigales ſibi fierent; non quomodocunque, ſed vt mancipia ſeruitutem etiam ſeruiendo. Grauiſſimum enim fuiſſe tributum, quod illis impoſuit, optio propoſita declarat. Nam alterutrum erat illis eligendum, vel vt omnes in ore gladij necarentur exciſis arcibus, & vrbibus ſolo æquatis, vel vt ſi viuere vellent; impoſitam ſeruitutem & onera ſubirent. Hoc eſt enim *percuſſiſſe Moab,* id eſt victos ingenti ſtrage affeciſſe. *Menſum autem illos eſſe funiculo coæquantem terræ*; propoſuiſſe illis certum gentis & regionis excidium, ni parerent. Explicando autem Scripturæ more diſtinctius quod fuerat vniuersè dictum, ſubiicitur; *menſus eſt Dauid duos funiculos; vnum ad occidendum, vnum ad viuificandum*; duas nempe conditiones illis propoſuit, mortis & vitæ. *Mortis*, ni ſeruitutem reciperent, & paratos ſe omnibus exhiberent; *Vitæ*, ſi imperata facturi. *Funiculi* ergo hic figuratè *conditiones* appellantur. Et id ſiue funes accipiantur, vt olim erant Hebræis inſtrumenta metiendi, ſiue vt vincula per illos innectuntur: nam & conditionibus vtrinque propoſitis exenſis humanæ vitæ negotia metimur; & iiſdem vtrinque acceptis homines illigati quibuſdam quaſi vinculis tenentur, vt indicat alicubi D. Hilarius. Rectè autem alter funiculus ad occidendum, alter ad viuificandum eſt appellatus; quod ex duabus conditionibus altera vitam, altera mortem proponebat. Hanc iſtorum verborum
c lib. 7. c. 5. ſententiam Ioſephus [c], obſcurè licet, indicauit. Agens enim de hac Moabitarum debellatione, *eorum copias,* inquit, *ita concidit, vt tertia tantùm pars ſupereſſet, quam in deditionem accepit, eiſque annuum tributum imperauit.* Per hæc enim ſignificat, quod paulo ante pro certo poſuimus nullos Moabitas, niſi in acie cæſos; in ea autem tertiam fermè partem cædi ſuperfuiſſe, reliquis omnibus ad internecionem deletis; ſuperſtites verò in deditionem receptos, cum priùs illis optionem dediſſet, vt quam vellet ſeruitutem & onera ſubirent; aut certæ omnes morti ſuccumberent.

Fecit ergo Dauid cum Moabitis, quod cum
d Virg. lib. 12. Latinis Æneas.

> [d] *Vrbem hodie cauſam belli regna ipſa Latini,*
> *Ni frenum accipiant, & victi parere recuſent;*
> *Eruam & æqua ſolo fumantia culmina ponam.*

Sopran. in Dauid. Vel quod auorum noſtrorum memoria Tamerlanes ſeruabat, de quo hæc non obſcurus hiſtoricus [e]. *Tendi prætorium ſibi iubebat primo die, quo in conſpectum vrbium ſe dabat colore candido; vt intelligerent homines clementiam & ſalutem ſtatim ſedentibus fide ſincera promitti. Secundo die, rubro tentorio vtebatur; quo denunciabat incunctabundos gladium eſſe diſtricturum: Tertio porro die, atri coloris papilione extenſo indicabat ſe cuncta ferro & flamma abſumpturum.* Et hoc quia flagellum ſe Dei nuncupabat ad hominum ſcelera plectenda terris immiſſum. e Iou. Elog. lib. 2. in Tamerl. Dauid ergo cum verè miſſus eſſet à Deo vt circumiectas gentes affligeret, non diuerſi tabernacula coloris, ſed funiculos duos obtulit Moabitis. Alterum mortis ſymbolum, alterum vitæ; vt ſcirent moriendum ſibi eſſe ſi imperata renuerent; ſi acquieſcerent, in vita ſeruandos. An ergo duos verè funiculos Dauidem Moabitis obtuliſſe putandum eſt; an conditiones oblatas Scriptura *funiculos* appellauit? Quid hic diffiniri poſſit; ambiguum eſt; & vtrumuis admittatur, coniecturæ probabiles aſſertæ parti non deerunt. Certè præter morem militarem non eſt, his externis ſymbolis pacis, aut belli conditiones exprimere. [f] *In hoc* f Liu. lib. 21. *ſinu* (legatus ille Romanus Carthaginenſibus dicebat) *pacem vobis, vel bella fero; in adſtricto pacem in fluente bellum. vtrum vultis eligite.* Et reſpondentibus *vtrum mallet offerret; excuſſo ſinu, Bellum ergo,* inquit, *accipite.* Quod ergo legatus iſte per togæ ſinum vel fluentem, vel adſtrictum; & Tamerlanes per diuerſi coloris prætoria; potuit etiam Dauid per duplicis generis funiculos conditiones belli vel pacis, vitæ vel mortis, exilij vel ſeruitutis Moabitis proponere. Sed pergam?

Menſus eſt ergo duos funiculos.] *Et hoc*, inquit Beda, *allegoricè dictum ſignificat, quod Dauid in ſua poteſtate habuerit, nullo vtique contradicente, quos eorum neci daret contumaces, quibus parceret ſubiectis.* Funiculi ergo illi figuratè ſunt Dauidis in illos arbitrium perdendi, quos vellet aut ſeruandi. Quod ipſum alij poſt illum voluerunt, ſic huius loci ſenſum reddentes. *Proſtrauit Moabitas ingenti ſtrage, interfecit plurimos, pepercit quibus voluit, & qua voluit eos menſura dimenſus eſt.* Sed alij veros funes interpretantur turmis Moabitarum circundatos, & applicatos. *Quia,* inquit Abulenſis, *non ſolum volebat Dauid occidere Moabitas, ſed etiam dedecoris pœnam illis inferre; vt non quaſi homines, ſed tanquam pecora & beſtiæ intra laqueos, & funiculos capta occiderentur.* Durè nimis & frigidè, & contra Scripturæ ſenſum, quæ victos quidem Moabitas ſignificat; & in acie cæſos, non poſt illam. Seruatos enim potius, & ad omnia quæ Dauid imperaret paratos oſtendit, dum dicit. *Factuſque eſt Moab Dauid ſeruiens ſub tributo.* Tenendum ergo quod proximè diximus, & nobiſcum ſentire Beda videtur & alij poſt illum funiculos iſtos conditiones fuiſſe quas in ſua poteſtate Dauid habebat, & illis obtulit, vt quam mallent eligerent, illos in totum perdendi, vel ſeruandi.

Regem Soba.] Syria duplex eſt, altera trans, altera cis Euphratem, & hæc iterum duplex; altera Damaſcena, altera Sophena, quæ & Cæleſyria, dimidiæ tribui Manaſſæ vtraque contermina: illa Septentrionem verſùs, hæc ab Oriente. illa ſic appellata ab vrbe Damaſco, regionis principe,

hæc Caus Syria,& Syria Soba,ſiue Sobal itidem ab vrbe Soba, quæ regni caput. Huius Syriæ Rex erat Adarezer,contra quem tertiam hanc expeditionem Dauid ſuſcepit; & pariter, vt alias omnes glorioſo fine concluſit.

Quando profectus eſt,vt dominaretur ſuper flumen Euphratem.] Profectio hæc bello vel cauſam,vel occaſionem præbuit. Sed quis profectus. Dauid,an Adarezer? Ægrè poteſt id ex Scriptura finiri,cum verba tam in Hebræo textu, quam in Græco,Chaldæo, & Latino ſint æque in vtrunque ſuſpenſa. Dauidem tamen aliqui putant, quem volunt hoc anno decimoquarto re[illegible] ſui; vel,vt alij,anno decimo tertio profectum ad Euphratem,vt Hebræorum imperium ad terminos à Deo iam deſignatos extenderet, dum dixit;
a Deuter.11. 24. *Omnis* [a] *locus quem calcauerit pes veſter erit; à deſerto & Libano* (id eſt Meridie, & Septentrione) *à flumine magno Euphrate, vſque ad mare occidentale.* Aſt alij Syro Regi profectionem tribuunt. In re incerta,vt dicebam,probabilius hoc mihi eſt. Neque enim erat pro Dauidis prudentia,nondum proximis hoſtibus debellatis,vt longinquas expenditiones ſuſciperet ad Euphratem, terga non ſolum inimicis nudando, quos integrus relinquebat; ſed regnum defenſoribus vacuum prædæ exponendo, tot hoſtibus circunſeptum. Adarezer ergo profectus intelligi debet, qui eum infeſtis ſignis Euphratem peteret,vt armis adiacentem regionem ſibi ſubiiceret,vſus opportunitate Dauid, in medio itinere occupauit, & adortus ingenti clade cæcidit.

Et capit Dauid ex parte eius mille ſeptingentis equitibus.] In hoc captorum numero non exigua diuerſitas in ſacra hiſtoria reperitur. Longe enim ab hac ſumma diſcedit, quod in libro Paralipomenon habetur [b]. *Cepit*,inquit,*Dauid mille quadrigas eius, & ſeptem millia equitum.* In hoc loco Regum de captis quadrigis verbum nullum; in quo tamen nullum eſt diſſidium quod componatur. Cum enim quid in vno Scripturæ loco refertur, quod in alio tacetur;non pugnantia dicuntur; ſed vnum & idem fuſiùs,aut minùs expreſsè in vno,quàm in alio loco narratur; vel certè ſuppletur alibi, quod alibi fuerat omiſſum. At quod de equitibus dicitur, id planè prout in vtroque loco refertur,pugnare videtur;hic enim mille ſeptingenti: dicuntur,ibi ſeptem millia.

b lib.1. cap. 18.4.

Varij varia proponunt diſſidio componendo. Sunt qui in numerorum notas erroris aliquid irrepſiſſe contendunt; quod iam non licet in editione vulgata regens ex Pontificis madato correcta. Probabile eſt quòd Abulenſis exiſtimat, in hoc loco Regum præcipuos tantum equites; in libro Paralipomenon omnes omnino notatos. Probabilius tamen, quod obſeruant alij tantum hic equites numeratos,qui ſolis ex equis pugnabant; in libro Paralipomenon,illos etiam qui ex equis curulibus. Vt enim alias oſtendi,curruum iugalibus milites inſidebant qui non minus etiam pugnabant,quàm currum regebant.Et hos etiam equites appellatos conſtat ex Eſaia.

Subneruauit omnes iugales curruum.] An ita vt occideret? Affirmat Abulenſis. Quorſum enim inutiliter abſumendo tantum pabulo reſeruaret? Aliis id contra ſcripturam videtur, quæ ſi voluiſſet illos occiſos ſignificare,non erat quod diceret *tantum ſubneruatos*; cum ſubneruatio ſola, & ſuffraginatio non occidat. Sed quorſum id à Dauide? Putat cum Procopio Theodoretus, vt diuinæ iuſſioni obtemperaret, vſum curruum & equorum Regibus inhibenti, ne ſuperbirent, & alibi fiduciam quam in diuino præſidio locarent. *Hanc*,inquit,*legem* [c] *implens,confregit currus plurimos.* Verùm vt lex impleretur, ſatis erat currus & equos libere dimittere. Cur ergo ſubneruauit? vt illorum vſum hoſtibus adimeret. Quod etiam vt certius aſſequeretur, equos ſuffraginauit; non aliter afflixit. Dubius enim non erat ſic acceptos,quamuis ſuperuiuerent,bello non vtiles futuros. Quod ita certum non erat ſi aliter vulneraſſet. In alia enim enim corporis parte percuſſi facilè ſanati poterant, & iterum vſum præſtare.

c Deuter.17. 16.

Sed aliis improbabile videtur Dauidem iam victoria potitum, tantam curruum & equorum ſtragem edidiſſe; quos, ſi nolebat in vſum bellicum vel domeſticum ſeruare, poterat certe pretio diſtrahere pecuniamque inde collectam in templum parare; poterat currus non omnino corrumpere; ſed ad alias vtilitates transferre, à quibus nullo ſcripturæ præcepto prohibebatur; quæ tantum vetabat Regibus ne plures equos ſibi pararent. Et augetur huius rei probabilitas ex ſtudio quo Dauid hoc tempore flagrantiſſime tenebatur,vt Pineda cum aliis obſeruat,vndique pecuniam corradendi & materiam comparandi in vſum templi. Quorſum autem tantam materiam perdere, quantam poterant tot currus ſubminiſtrare? Propter hoc ergo ſunt qui volunt in acie tantùm currus diffractos, & equos ſubneruatos;quod probabile eſt. Neque enim Scriptura dicit captis curribus eorum iugales ſubneruatos, ſed *captis equitibus*, quod non ſignificat quid deinceps aliud poſt aliud factũ ſit,quaſi poſt captos equites, equis ſint poplites ſucciſi; ſed ſimul captos equites, & curruum iugales ſuffraginatos oſtendit. Quod in ipſo conflictu potuit contingere vt enim Cæſar aduerſus Pompeium decertans,militibus edixit, vt in facie aduerſarium ferirent; ita potuit Dauid imperare ſuis, vt in pugna maximè eſſent intenti ad equorum ſuffragines ſuccidendas,quo currus inutiles redderentur. Probabilius tamen eſt Dauidem prælio confecto, ſpolia cum legeret currus & equos, quos non poterat in vſum vllum traducere,corrupiſſe; ne hoſtibus illæſi remanerent, quos autem poterat vtiliter habere, ſeruaſſe, paſſim enim videmus id fieri in bello tam maritimo quam terreſtri: hoſte enim deleto, ſi remulco capta nauigia non poſſunt opportunè trahi,à victore ignis illis iniicitur,vel perforata merguntur.

Venit quoque Syria Damaſci.] Adarezer duos habebat conterminos reges; amicum vnum, alterum inimicum. Amicus, qui Syriæ Damaſcenæ regnabat, audito vicini, & amici regis periculo, ſuppetias illi laturus auxilia expediuit; ſed vt ex textu colligitur,nimis ſera. In illum ergo Dauid aliorum Syrorum iam victor arma conuertit,auditaque amici clade iam territum,facile fudit,& victoria vſus Damaſcum gentis caput inuaſit, expugnatamque præſidium ſuorum militum coëgit accipere. Quod eſt etiam Syriam Damaſcenam Iudaico nomini ſubegiſſe, vt hic clarè narratur. Et hæc in Regem amicum Adarezeris: At Rex Emath illi inimicos, hoc caſu lætus, & quod alienis armis hoſtis finitimus fractus eſſet, victoriam Dauidi gratulatus, illi fœdere iunctus eſt,vt paulo poſt,ordine non ſeruato ſubiicitur.

℣. 7.) Et tulit Dauid arma aurea, quæ habebant ſerui Adarezer, & detulit ea in Ieruſalem.

℣. 8.) Et de Bete, & de Beroth ciuitatibus Adarezer tulit rex Dauid æs multum nimis.

℣. 9.) Audiuit autem Thou rex Emath, quòd percuſſiſſet rex Dauid omne robur Adarezer.

℣. 10.) Et miſit Thou Ioram filium ſuum ad regem Dauid, vt ſalutaret eum congratulans, & gratias ageret: eo quòd expugnaſſet Adarezer, & percuſſiſſet eum, Hoſtis quippe erat Thou Adarezer, & in manu eius erant arma aurea, & vaſa argentea, & vaſa ærea.

℣. 11.) Quæ & ipſa ſanctificauit rex Dauid Domino cum argento & auro, quæ ſanctificauerat de vniuerſis gentibus quas ſubegerat.

℣. 12.) De Syria, & Moab, & filiis Ammon, & Philiſthiim, & Amalec, & de manubiis Adarezer filij Rohob regis Soba.

℣. 13.) Fecit quoque ſibi Dauid nomen cùm reuerteretur capta Syria in valle Salinarum, cæſis decem & octo millibus.

℣. 14.) Et poſuit in Idumæa cuſtodes, ſtatuitque præſidium: & facta eſt vniuerſa Idumæa ſeruiens Dauid. & ſeruauit Dominus Dauid in omnibus ad quæcunque profectus eſt.

Arma aurea.] Quomodo aurea? Quæcunque enim vel ad hoſtium offenſam, vel ad ſui tutelam arma parantur, ferro profectò quod omnia domat, quam auro commodios parantur. In libro Paralipomenon [a] non arma; ſed pharetras aureas Dauid dicitur abſtuliſſe; quas aureas eſſe, mirum non eſt. In Hebræo textu vtrobique habetur ſcuta aurea. Sed aureum dicitur, non ſolum quod conſtat ex auro; ſed quod ex alia materia conflatum, ad exteriorem ſpeciem auro fuerit illuſum.

[a lib. 1. cap. 18.7.]

De Bete & de Beroth.] In libro Paralipomenon [b] habetur; *De Thebath, & Chum vrbibus Adarezer æris plurimum Dauidem tuliſſe.* De quo inquit fecit Salomon mare æneum, & columnas, & vaſa ænea. Sunt ne ergo duæ iſtæ vrbes eædem vtrobique? Probabile quidam putant & ambas fuiſſe binomines; ſed probabilius eſt diſtinctas accipere; quod non ſolum magis facit ad Dauidis gloriam, ſed etiam ad prædæ magnitudinem æſtimendam; quæ non tanta ſine dubio poterat ex duabus vrbibus, quanta ex quatuor comparari.

[b Ibidem.]

Emath.] Nomen aliquando [c] regionis eſt, aliquando vrbis ad Libani radices ſitæ in ipſo tranſitu à Syria Damaſci in terram Iſraelitarum, vt Benjaminus teſtatur. alij duas huius nominis vrbes agnoſcunt, Antiochiam enim vel Epiphaniam Syriæ etiam Emath, hic apud Procopium vertit Aquila verum vnam & eamdem fuiſſe vrbem Antiochiam ſimul Epiphaniam, & Emath appellatam Hieronymus docet ab Antiocho Epiphane [d] cognominatam. Rex verò iſte tam potuit ab vrbe, quam à tota regione Rex Emath denominari.

[c 3 Reg. 8. Ierem. 48.]

[d Zachar. cap. 9.]

Omne robur.] Quod ipſius nimirum copias, non ipſum deleſſet. Ille enim fuga lapſus, Iudæos iterum bello laceſſiuit.

Miſit Thou Ioram filium ſuum.] Adoram hic in libro Paralipomenon appellatur; vt intelligamus plures homines & vrbes duplici plerumque nomine nuncupari; quod niſi aduertatur, non minimam aliquando confuſionem parit.

Et in manu eius erant vaſa aurea, argentea ærea.] Iorami ſcilicet qui ea munera ſuo & patris nomine Dauidi ferebat copiens nimirum vna eademque opera, Munera ferre viro, pacemque expoſcere genti.

Nam miſſum præcipuè à patre filium, vt à Dauide pacem impetraret, & hîc indicant LXX. & expreſsè traditur in libro Paralipomenon [e]. *Miſit*, inquit, *Adoram filium ſuum ad Regem Dauid, vt poſtularet ab eo pacem, & congratularetur ei quod percuſſiſſet, & expugnaſſet Adarezer: aduerſarius quippe erat Thou Adarezer;*

[e lib. 1. cap. 18.9.]

Fecit quoque ſibi Dauid nomen cum reuerteretur capta Syria in valle Salinarum.] Septimum hoc bellum Dauidis fuit aduerſus Idumæos glorioſè geſtum. de quo primum quod animum pulſat, eſt, cur & quàm iuſtè à Dauide ſuſceptum. Aſſultum aliquem terræ Iſraelitidi, factum ſuſpicatur Abulenſis [f] interim dum Dauid longinquo bello implicitus diſtineretur; ſed ſiue hæc cauſa, ſiue alia fuit, certum eſt iuſtiſſimam fuiſſe. Maius dubium eſt quomodo ſignificetur hîc Dauid, ex itinere quaſi dum ex Syria rediret Idumæos adortus. *Cum reuerteretur*, inquit, *capta Syria, fecit ſibi nomen, Idumæorum 18. millia occidendo.* Syri enim ab Idumæis toto terræ Cananitidis ſpacio diſterminantur, Syris latus eius boreale claudentibus, Idumæis Meridionale. Quod ex recepta topographia conſtat, illa præſertim, quam reliquis accuratiorem nobis Adricomius delineauit: vnde itidem falſam eſſe cauſam belli huius ſuſcepti conijcitur, quam quidam comminiſcuntur; ideirco nempe ab Dauide Idumæos expugnatos, quod hortante vicinitate Syris auxilio adueniſſent. Quomodo enim id, ſi quantum terra promiſſa patet, tantum Syri contra quos Dauid ſubitum bellum ſuſceperat, abeſſent ab Idumæis? Dicendum ergo non ſignificari in ipſo quaſi tranſitu medij itineris, à Syria reuertentis Dauidis ipſum Idumæos inuaſiſſe; ſed poſtquam reuerſus, & eſt hæc temporis Enallage non inuſitata; quæ facilè etiam hic ex adiunctis aduerti poteſt, vt *cum reuerteretur*, pro eo poſitum ſit quod eſt capta Syria reuerſus. Quòd ideo factum puto, vt oſtenderetur capta ſtatim Syria, & Ieroſolymam ſpoliis illatis in Idumæos arma mota. Sed vbi in *Valle ſalinarum*, qui locus eſt extra Syriam in tribu Iuda ad extremum maris mortui ad meridiem verſus; in cuius ora, quæ lingua *maris ſalſiſſimi* [g] dicitur erāt ſalinæ [h] & putei bituminis. De quibus fortaſsè ſalis extrahendi cauſa controuerſia ſuborta bello huic occaſionem præbuit; vtcunque id extiterit, hoc in loco Dauid Idumæos ingenti clade percuſſos Iudaico nomini vectigales effecit, octodecim eorum millibus deletis, & præſidio captis vrbibus impoſi-

[f Q. 41. 8. hic.]

[g Ioſ. 15. 2.]

[h Gen. 14. 10.]

to: qua de re duo olim diuina oracula præceſſerant, vt cum Procopio Theodoretus obſeruat. a Gen. 25. 23. Alterum ad Rebeccam [a], *Duæ gentes*, inquit, *ſunt in vtero tuo & duo populi ex ventre tuo diuidentur* (Idumæi ex Eſau; ex Iacob Iſraelitæ) *populuſque populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori*: Alterum ad Iacob ab Iſaac dum illi benè precando, futura prædiceret. *Eſto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ.*

Fecit ſibi nomen.] In hac valle Salinarum octodecim Idumæorum millia occidendo. Sed quale hoc nomen, & quomodo ſibi fecit? Plerique putant arcum ſibi triumphalem in hac valle excitaſſe Dauidem. In quo etiam alij diuinant integrum Pſalmum 59. deſcripſiſſe, vt nempè gloria patrati belli tota in Deum referretur. Non placet id Lyrano, quod ambitioſum nimis fuiſſet, & Saulicum ſpiritum redoleret, qui fornicem ſibi erexerat triumphalem, ob id etiam inter alia reprehenſus. Alij propterea comminiſcuntur Idumæos à Dauide contra quam cum aliis hoſtibus fecerat, ſepulturæ mandatos eſſe, quod illi *pij nomē* acquiſiuit; vt ante per alia bella *fortis & inuicti* fuerat conſequutus. Improbant id alij; quòd more rabinico ſit voluntarie confictum nec vlla probabili coniectura firmatum. Propterea volunt [b] *nomen quod ſibi Dauid fecit*, ſimpliciter accipiendum de fama & gloria, quam bello hoc confecto eſt conſequutus. Verum, quid hic fuit magis, quam in reliquis bellis eximium, vt capta Syria tot ante hoſtibus & tam glorioſè proſtratis, nomen ſibi non feciſſe dicatur, hic autem fecerit, & feciſſe, tam ſignatè prædicetur? Sex grauia bella præceſſerunt, gentes in illis plurimæ deuictæ, & maximè copiæ deletæ. Cur igitur nunc tantum nomen ſibi feciſſe narratur; quaſi quæ geſſit hactenus, in nullo ſint numero ducenda? Puto ergo *feciſſe ſibi nomen*, fuiſſe hîc ſignanter adiunctum; quia reliqua bella per ſe Dauid ipſe confecit; hoc Abiſai ductore patrauit; qui Dauidis auſpiciis acie fuſos, abſentis Dauidis nomine perdomuit, & ad deditionem compulit, eorum in vrbibus idoneo præſidio locato. Qua de re in libro [c] Paralipomenon diſtinctius habetur. *Abiſai verò filius Saruiæ percuſſit Edom in valle Salinarum decem & octo millia.* Fecit ergo ſibi nomen Dauid in hac valle, deuictis Idumæis: quia non illos ipſe per ſe; ſed per legatos ſuos, auſpiciis & terrore ſui nominis expugnauit, vt obſcure licet, hic Caietanus obſeruat.

b gen. 17.

c lib. 1. c. 18. 12.

Ex quo duo habemus alibi fuſiùs à nobis explicata. Primum gloriam rerum geſtarum à minoribus ducibus in ſummum Imperatorem totam ſolere refundi; & hunc merito dici pugnare, vincere, & hoſtes debellare, cum ſui pro illo Duces eius auſpiciis pugnantes, fœlices exitus ſortiuntur. Secundum, Reges & ſummos Imperatores adeo gloriæ eorum quæ à ſuis Ducibus geſta fuerint auidos eſſe; vt ob ea magis quodammodo, quam quæ per ſe ipſi geſſerint glorientur. Certè enim negari non poteſt, quicquid hoc nomen fuerit. quod Dauid ſibi feciſſe narratur; ſiue triumphalis arcus, ſiue victoriale cognomen, ſiue quid aliud fuerit; hoc ſibi nomen ex illa expeditione feciſſe, quam non ipſe, ſed Abiſai Dauidis ipſius nomine confecit.

Sed antequam hinc diſcedamus, leue diſſidium tollendum eſt de numero in hac expeditione occiſorum & de Duce ipſo. *De numero*; quia iam hic, quam in libro Paralipomenon octodecim millia Idumæorum cæſa dicuntur. At in Pſalmo 59. qui totus ad hanc cladem ſpectare videtur, duodecim tantum millia narrantur. Ad hoc; in libro Paralipomenon Abiſai, in hoc Regum Dauid, in illo Pſalmo Ioab rem confeciſſe refertur. *Et conuertit* [d], inquit, *Ioab, & percuſſit Idumæam in valle Salinarum duodecim millia.* Diſſenſio ergo eſt in hac clade tradenda, tam de numero cæſorum, quam de Duce expeditionis. Sed facilè pugna, ſi qua videtur eſſe ſedatur; ſi bis contra Idumæos pugnatum, quod plerique volunt, intelligamus. Primò nunc ab Abiſai, Dauide cum præda ex Syria reuerſo; deinde non ita multo poſt à Ioabo. Cum enim iugum ſeruitutis impoſitæ impatientiſſime ferrent Idumæi, opportunitate capta rebellarunt: aduerſus quos à Dauide Ioabus immiſſus, eorum duodecim millibus occiſis, iterum perdomitos ad officium redegit. Quam repetitam Idumæorum cladem, Pſalmi titulus non obſcurè ſignificat. *Et conuertit Ioab*; pro eo quod eſt iterum in Idumæos arma mouit. Quos atrociter rebellaſſe, & præſidiarios Dauidis milites interfeciſſe; Pſalmi verſus primus oſtendit abruptè, cum Deo quaſi expoſtulantis. *Deus repuliſti nos, & deſtruxiſti nos: iratus es, & miſertus es nobis.* & poſt alludens ad præſidia necata, vel aliter ab Idumæis expulſa [e]; *Quis deducet me vſque in Idumæam; nonne tu Deus, qui repuliſti nos?* Ad quod obſeruandum Dauidem clade ſuorum ab Idumæis rebellantibus audita, grauiter omnino animo fuiſſe commotum, quod inter alia ſui fortaſſe iactarent, primam in Idumæam expeditionem non iure fuiſſe ſuſceptam: quin potius contra Dei expreſſum præceptum fuiſſe qui Iudæis edixerat. *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt.* & antea ſeuere præceperat, vt ab eorum terra inuadenda abſtinerent [f]. *Videte*, inquit, *diligenter ne moueamini contra eos: neque enim dabo vobis de terra eorum quantum poteſt vnius pedis calcare veſtigium; quia in poſſeſſionem Edom dedi montem Seir.* Hæc, inquam, cum Dei præcepta extarent, Idumæa primum per Dauidem capta, & inde cum internecione præſidiariorum militum rebellante, dubium non eſt omnium animos grauiter ex tanta clade commotos; vt indicant illa verba Pſalmi; *Commouiſti terram, & conturbaſti eam*, hanc nobis cladem per Idumæos inferendo. Dauid ergo nihil vt oſtenderet à ſe Deo non conſulto, tentatum clarè in eodem Pſalmo teſtatur, auctore Deo victoriam ſibi pollicente Idumæos inuaſiſſe. Et iterum poſtea rebellantes aggreſſum domuiſſe. *Deus*, inquiens, *loquutus eſt in ſancto ſuo: lætabor & partibor Sichimam* (vrbem ſcilicet Idumæorum, à Sichima Samariæ diſtinctam) *& conuallem tabernaculorum dimetiar*; (vallem Salinarum hic nuncupatam) vſua opera fortiſſimorum militum ex tribu Galaad, Ephraim, Manaſſe. Propterea ſubdit, *Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſe, & Ephraim fortitudo capitis mei.* Quibus omnibus quia præerant duces ex tribu Iuda, qui in omni bellica expeditione primas ſemper habebant, ſubdit; *Iuda rex meus*; & hæc, vt dicebam, vt cladem excuſaret ab Idumæis rebellantibus illatam; quæ ſi non intelligatur, difficile erit duas in Idumæos expeditiones diſtinguere; iis autem non diſtinctis, vt alij bene notarunt, nulla commoda ratio ſatis apparet, qua pugnantes in ſpecie Scripturæ locos componamus;

d Pſal. 59. 12 in tit.

e Deuter. 23. 17.

f Deut. 25.

componamus;

componamus ; quales ſunt iſti duo ; Regum vnus, & alter Paralipomenon, cum titulo Pſalm. 59. & alio loco Regum libro [a] tertio.

a Cap. 11. 15.

Non omittam tamen id quod in Pſalmo legitur ſæpius adducto, *Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus*, à non paucis in eum ſenſum trahi vt de triumphali arcu intelligatur, quem ſibi Dauidem excitaſſe ; volunt in ſcriptura ſignificari, dum dicit illum *ſibi nomen feciſſe*. Deum enim hac ambitioſa voluntate Dauidis offenſum, clade per Idumæos rebellantes illata oſtendiſſe quod ille fecerat cordi ſibi non fuiſſe, ſimulque etiam *ſignificaſſe*, ſignum nempe per hanc cladem dediſſe Iudæis vt à facie huius arcus fugerent, illum nempe auerſarentur, vt teſtimonium vanitatis, & importunæ lætitiæ quam ceperant de fratribus oppreſſis. Quæ ſi cui probabitur expoſitio, habet is, quos auctores ſequatur. Nos quid de hoc arcu putemus, ante ſatis oſtendimus.

Sed quid ad Dei præceptum, de Idumeis non infeſtandis ? Aliud dici non poteſt, quam perpetuum illud non fuiſſe ; ſed pro eo tantum tempore ſeruandum, quo Iudæi ab Ægypto in terram ſibi promiſſam migrabant ; illius ſibi poſſeſſionem, eiectis incolis antiquis vindicaturi. Quod clarè verba Scripturæ teſtantur, quæ diuinam iuſſionem præcedunt [b]. *Tranſibitis*, inquit, *per terminos fratrum veſtrorum filiorum Eſau, qui habitant in Seir & timebunt vos.* poſt ſubiicitur, *Videte diligenter ne moueamini contra eos*; non in omnia futura tempora ; ſed pro illo duntaxat, quo per Idumæorum fines iter illis erat ad terram promiſſam.

b Deut. 2. 1.

℣. 15.) Et regnauit Dauid ſuper omnem Iſrael : faciebat quoque Dauid iudicium, & iuſtitiam omni populo ſuo.

℣. 16. Ioab autem filius Saruiæ erat ſuper exercitum : porrò Ioſaphat filius Ahilud erat à commentariis.

℣. 17. Et Sadoc filius Achitob, & Achimelech filius Abiathar erant ſacerdotes : & Saraias ſcriba:

℣. 18.) Banaias autem filius Ioiade ſuper Cerethi & Phelethi : filij autem Dauid ſacerdotes erant.

Super omnem Iſrael.] Non quia nunc primum imperium ſuper omnes tribus habuerit, quæ nomine totius Iſraelis in ſactis literis appellantur ; ſed quod omnem terram Iſraelitico populo promiſſam primus ipſe ſubegerit, & ditionis fecerit Hebræorum. Regiones enim ad Euphratem, qui terminus erat terræ promiſſionis, hactenus antiqui poſſeſſores inſederant ; & intra ipſam Chananitidem Paleſtini adhuc vſque ad Dauidis tempora perdurauerant ; vtraque Syria Iudæis contermina, non modò parebat, ſed illi iugum infeſta ſubinde minabatur. Idumæi vero hactenus intacti contra illos alienigenis arma iungebant ; quos omnes cum Dauid aggreſſus ſuperaſſet, merito nunc primum ſuper omnem Iſraelem regnaſſe dicitur ; non ſolum quod omnes tribus haberet obnoxias, nec quod totam Chananitidem ſubegiſſet ; ſed quod conterminis populis ſubactis, omnes late victoriarum curſu, & nominis terrore pacaſſet ; Paleſtinis ab occidente perdomitis, Syris Damaſcenis à Septentrione deuictis ; Moabitis & Syris Sophenis ab Oriente ſuæ ditionis effectis, & nuper Idumæis iterata expeditione duplici clade contritis.

Faciebat quoque iudicium & iuſtitiam.] De hac phraſi paſſim in ſcriptura obuia, latius eſt alibi diſſerendum. Interim quod hic ad Dauidem ſpectat, clarè ſignificat illum per ſe, non ſolum per adminiſtros ſuos, *ius aſſidue & diligentiſſime dixiſſe* ; Quod de Auguſto, fundato Imperio, Suetonius memoriæ mandauit. Et hunc ſenſum verbis iſtis cum aliis Ioſephus [c] attribuit, dum dicit Dauidem natura amantiſſimum iuris & æqui, *ius omnibus reddidiſſe*, quod verum, & æquum erat accuratè ſpectando. Ius enim reddere ; propriè de iis dicitur, qui per ſe ipſi litigantibus & adeuntibus de iure cum poteſtate reſpondent.

c lib. 7. c. 6.

Ioab autem filius Saruia erat ſuper exercitum.] Dauid ita temp. conſtituit vt nec ipſe per ſe ſolus omnia curaret, nec vni omnia permitteret. Abſurdum planè fuiſſet ipſum per ſe velle cuncta peragere ; longe tamen abſurdius, ſi quod ipſa ſibi non concedebat, ſperaſſet ab altero ; & vnum quempiam in Aula excitaſſet, qui poſſet omnia ; qui vicem Regis ageret ; muneribus ita cum rege partitis, vt Rex vnus diceretur, alter eſſet. Vt ergo hunc vtrunque ſcopulum vitaret, nec ipſe per ſe ſolus omnibus aderat, quod non ferebat imbecillitas conditionis humanæ ; nec id quod ipſe non poterat, vnum quempiam præſtare poſſe putabat. Ideò non vni in regno omnia conceſſit ; ſed pluribus adminiſtranda diuiſit : qua de re in diſputationibus fuſius.

Ioſaphat à Commentariis.] Duos in re ciuili præcipuos adminiſtros aſſumpſit. Alterum belli negotiis ſumma cum poteſtate præfecit ; alterum pacis. Ille ſine vlla controuerſia Ioab fuit ; iſte Ioſaphat, qui dicitur hic *à commentariis* fuiſſe ; de quo munere, quod, aut quale propriè fuerit ; interpretes in diuerſa diſcedunt. Quidam regium hiſtoricum volunt, & habent adſtipulatorem ſententiæ ſuæ, Ioſephum, qui (vt eſt in interpretatione Rufini) *à commentariis* expoſuit *ad conſcriptiones geſtorum*. Aliæ Hebraicæ vocis מזכיר *Mazquir* etymologiam ſequuti, quæ propriè *commemorationem* ſonat, commemoratorem, & ſuggeſtorem interpretantur ; cuius eſſet vel ſupplices libellos Regi ſuggerere : quod officium dicitur *à memorialibus* & proprium eſt ſupplicum libellorum magiſtri ; vel alia quæcunque negotia Regi in memoriam reuocare ; quod ſecretarij munus eſt, qui à ſecretis illi, & epiſtolis adeſt. Probabiliſſimum eſt fuiſſe regni totius Cancellarium, & non nudum tantum officium, ſed cum aliqua iuriſdictiona geſſiſſe. Quæ enim ratio patitur, vt cum hic reip. conſtitutio deſcribatur, & quos præcipuè rectores illi Dauid impoſuerit, deſignetur, proximè poſt ſummum militiæ magiſtrum, aut hiſtoricus regius, au regius ſecretarius numeretur ? An hiſtoriam ſcribere, eſt partem aliquam reip. curare, vt inter præcipuos eius regendæ miniſtros etiam hiſtoricus accenſeatur ? Ob eandem cauſam ſecretarius hic eſſe non poteſt : is enim quia talis, nullam partem habet in rep. adminiſtranda. Probabilius ergo quod dixi, & alij omnes [d] volunt, Cancellarium cum aliqua iuriſdictione fuiſſe ; cuius erat omnia regni negotia in promptu habere, vt expedirentur inſtare, regi & aliis quorum intererat

d Dionyſ. Burgenſ. Torniel. an. 14. Dauid. Salian. an. 1995.

tererat illa conficere de illis ſuggerere; propter quod hoc officium rectè potuit appellationem ſuam in Hebræa lingua à commemorando ſortiri; quod infra fuſius proſequemur.

Sadoc, & Abiathar ſacerdotes.] An ergo duo tunc ſummi Pontifices erant in regno Hebræorum? Affirmat Ioſephus [a], & ipſum alij [b] ſequuti; non quod paſſim id poſſit aut ſoleret; ſed quod Dei conceſſione iura laxantis id factum nunc ſit. Vt enim Dauidi conceſſum diuinitus, aut inſpiratum eſt, vt alterum tabernaculum excitaret; ita etiam vt alterum Pontificem haberet, illi fuiſſe permiſſum. Contrarium alij opinantur, & volunt hoc tempore Sadoc Archipresbyterum quaſi fuiſſe, tabernaculo Moſis in Gabaon cuſtodiendo præfectum; ſummâ ſacrorum penes Abiatharem reſidente. Sed ſi verum hoc eſt; cur hic Sadoc; & alibi fere ſemper Abiathari præponitur, cum de vtroque ſermo? Longam id diſquiſitionem poſtulat, quæ commodius diſputationibus reſeruatur; in quibus vtra harum opinionum maiorem probabilitatem habeat, decidetur.

a lib. 8. c. 1.
b Abul. q. 20. & ſequentib. hic Carol. Sigon. lib. 5. de rep. Hebr. cap. 2. Tolet. in Io. 18. adnot. 2. Serrar. hic.

Saraias ſcriba.] Princeps ſcilicet inter alios eiuſdem muneris, quorum erat exponere legem, & de illius violatione iudicare. Prothonotarium regni alij fuiſſe volunt. Probabilius fuiſſe regium ſecretarium inter omnes primum.

Banaias ſuper Cerethi & Phelethi.] De iſtis duplex quæſtio; altera, qui eſſent; altera, vnde appellati. De prima; non vna ſententia. Sunt qui velint conſiliarios, & iudices fuiſſe; non qualeſcunque ſed illos celeberrimos, ex quibus ſuprema Iudæorum Curia *Sanedrin* appellata, conſtabat. Ridicule ſanè, vt omnia Rabinica: nam & hoc ex illis. Primò, enim quoties de iſtis in ſcripturis agitur, ſemper vt de viris fortibus & bellatoribus agitur; quorum ſint arma propria, non toga. Secundò, Collegio Sanedrin, quod ex 70. iudicibus conſtabat, quomodo, aut qua ratione Banaias præfectus erat; qui tamen Cerethi, & Phelethi dicitur præfuiſſe? Tertiò iudices & conſiliarij Sanedrin, propriè Ieroſolymis habitabant, quiſque in domo ſua: vnde etiam in communem curiam ſtatis, & indictis temporibus conueniebant. At Cerethi, & Phelethi incertas prorſus ſedes habebant; vagas nimirum, & ad regis nutum ſubinde mutatas, quem ſemper ſequebantur. Reſpondent ad hæc; fortes, & bellatores, non armis, ſed conſilio fuiſſe; quo qui præſtant, longe fortiores ſunt, quam qui viribus pollent. Vnde cuſtodes & tutores ſalutis regiæ potuiſſe hinc etiam appellari; quod multo magis illum ab omni iniuria protegerent, quam vllæ dexteræ ſtipatorum. Sed hæc confutatione non indigent. An in procinctu & proceſſu regis, in itinere & progreſſu pompæ; ſi quis ſubitus caſus ingrueret, ad auertendum periculum expectandum erat vt iſti prius conſultarent, capita conferrent, ſententias expenderent, & tandem pronunciarent quid facto opus eſſet ad regiam ſalutem tegendam? Nec nego tamen in aliqua ſolemni celebritate ſolitus iſtos aliquando procedere, & Regem honoris cauſa deducere. Sed nego omnino ita illum comitari ſolitus, vt Cerethi, & Phelethi dicuntur hic, & alibi conſueuiſſe.

Alij ergo adhuc vanius, cõſiliarios fuiſſe volũt; ſed plane ſacros; illos nimirum qui per *Vrim*, & *Thummim* quæ Latino interpreti ſunt *doctrina & veritas*, ex diuino oraculo reſponſa dabant. Ita Clarius Rabinos omnes docuiſſe refert. Sed falſò omnino. Rabini enim hoc volunt, ſed non omnes. Et qui volunt, non conſiliarios per id intelligunt; ſed aliud quod paulò poſt afferetur. Quæ autem contra præcedentem opinionem adduximus, & hanc expugnant. Propriè verò inde refellitur, quod nullus hic locus oraculis & reſponſis per *Vrim*, & *Thumim*. Cerethi & Phelethi tot erant, vt legionem conflarent; at qui per *Vrim & Thumim* conſultus reſponſa dabat, vnus tantùm erat, & ſummus ſacerdos.

Vera ergo ſententia fuiſſe ex militibus prætorianis delectam cohortem tuendo principi propriè deſtinatam. Fuiſſe *milites*; tradunt disertè veteres interpretes, quos recentiores ſequuntur & conſtat apertè ex manifeſtiſſimis Scripturæ locis [c]. Vnde noſter interpres ſolet appellare aliquando legiones Cerethi & Phelethi, & in libro Paralipomenon [d]; *Banaias quoque filius Ioiada ſuper legiones Cerethi, & Phelethi.* non quod verè tot eſſent, vt legionem implerent; ſed vt per id indicaretur & milites, & fortiſſimos fuiſſe. Fuiſſe autem *prætorianos*; etiam conſtat; quia horum propria ſtatio & manſio in vrbe erat; at tales erant Cerethi, & Phelethi, vt ex iiſdem locis habetur. At verò non omnes prætorianos fuiſſe *Cerethi, & Phelethi* nuncupatos; inde clarè colligitur, quod iſtis præerat Banaias, vt proprius illorum dux; prætorianis verò omnibus Ioab, vt alibi. Præterea prætoriani, & vrbani milites plurifariam per vrbem diſperſi erant, & ad varia munera deſtinati, maxime vero ad ſubitos incurſus hoſtium repellendos; Cerethi vero, & Phelethi, proprium munus erat regij corporis cuſtodiam agere. Propterea Ioſephus illos, *cohortem regiam* appellat, *quæ à latere regis nunquam diſcedebat.* Et Theodoretus dicit *Banaiam fuiſſe præfectum cuſtodiæ Dauidis.* Erant igitur *Cerethi & Phelethi*, quod apud Romanos *cohors prætoria.* Apud Macedones, *cohors amicorum*; apud noſtrates Principes, Palatini milites; quos alibi Ioſephus appellat *ſomatophilacas*, vel *hoplitas* aulicos. At quæ iſtis arma? ſi de protegentibus loquamur, quæ *defenſiua* dicuntur; certa res eſt fuiſſe galeatos, & loricatos; ſi de lædentibus ad offendendum paratis; ſagittas, arcum, & fundam, veterum plerique illis attribuunt, qui pro Cerethi, & Phelethi *ſagittarios, & fundibularios* vertunt. Pineda etiam dat illis enſes ex illo Canticorum [e]; *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt, omnes tenentes gladium.*

c 2. Reg. c. 16. & c. 20. 3 Reg. c. 1. 4
d lib. 1. 17.
e Cap. 3. 7.

In quæſtione altera de ratione nominis & appellationis non minus ambigitur. Alij à loco Paleſtinæ volunt appellatos, cuius mentio fit in priore [f] libro. *Siquidem*, inquit, *nos erupimus ad auſtralem plagam Cerethi, & contra Iudam.* Quæ ſententia non improbabilis pleriſque videtur. cum enim eſſent *Cerethi* certus quidam Paleſtinæ populus, inter alios fortiſſimus & bellicoſiſſimus, cuſtodes regij corporis, quorum præcipua laus in robore & fortitudine Cerethi appellatos. Alij rurſus, non certum Paleſtinæ populum, ſed vniuerſos plane Philiſthæos, Cerethi dictos exiſtimant ex Sophonia [g] iuxta Hebraicum fontem. Quod enim nos habemus, *Væ, qui habitatis funiculum maris gens perditorum*; Hebraicè eſſe; *Gens Cerethi.* Sermonem autem de Philiſthæis ibi eſſe; nullus non aſſerit.

f Cap. 30. 14.
g Cap. 2. 5.

Sed quorſum Dauidis cuſtodibus hæc à

Phili

Philiſthæis appellatio deriuata? Quia ne vere Paleſtini? At quis credat ſalutem ſuam perpetuis & internecinis hoſtibus Iudaici nominis commiſiſſe Dauidem; & inſuper ſibi priuatim ſemper infenſiſſimos? Certè vt alia non timeret, illi popularium omnium, & amicorum offenſio ti- menda erat, quam ſine dubio ineuitaſſet, illis adeo diffidens, vt ſe potius, & ſalutem ſuam hoſtibus, quam illorum fidei permitteret. Fuiſſetque verè quod dici ſolet, ouem lupo credere, Dauidem Philiſthæis, regem alienigenis, Iudæum Allophylis. Non ergo vere Paleſtini eſſe poterant. Vnde igitur à Paleſtinis appellati? Dicere poſſumus, aliunde ſic dictos, vt multiplices eſſe cauſæ poſſunt, cur nonnunquam cognomentum cuipiam vel genti, vel homini ex aliis atque adeo ex inimicis gentibus tribuatur; qua de re vt nonnihil iterum agendum inferius hoc eodem libro [a]. Probabiliſſimum porrò eſt, ſi rationem hanc nominis ſequamur, vt velimus cuſtodes hos à Paleſtinis appellatos; Dauidem dum Paleſtinæ maritima profugus peragraret adhuc extorris, hos ſecum habuiſſe, eorumque forti opera vſum in bellis & expeditionibus in illas gentes, eos ſic appellaſſe; licet Iudæi vere eſſent; quemadmodum etiam alios *Gethæos* appellarat, quod in Geth ſecum difficillimo tempore fuiſſent. De quibus Dauidis militibus infra [b] pluribus.

a Cap. 15.

b Cap. 15.

Verùm eſto, detur hoc de *Cerethi*; quid altera pars appellationis, vnde deducta? An etiam vt pars quædam Paleſtinæ Cerethi; ita alia, vel eadem *Pheleti* appellata? At nuſquam id legitur. Dimidiata ergo tantum, & detruncata ratio redditur appellationis, ſi hanc rationem ſequamur. Expedita enim in voce *Cerethi*, hæret in voce *Pheleti*. Propterea alij duas Iſraëlitarum familias ſic appellatas cenſent [c], ex quibus iſti cuſtodes Principis legi ſolerent. Sed nec id probatur. Primò duæ iſtæ familiæ fictitiæ ſunt, nuſquam alibi in tota Scriptura commemoratæ; repertæ tantùm ad difficultatem, quæ hîc viget eludendam ex ingenio Rabbinorum; qui cum nodus incidit paulò durior, nec vnde ſoluant facile reperiunt, ipſi fingunt. Secundò quomodo ex duabus familiis iſti cuſtodes? Si ſemper ex iiſdem, & nulla ex alia; quomodo id aliarum inuidiam non excitaſſet? Vnde ſemper illis tanta copia ad hunc delectum? Si non ex illis tantum; cur appellati tantum ab illis? Tertiò igitur alij volunt appellationem deriuatam, non à loco, aut familia aliqua; ſed à ſeipſa quæ his nominibus ſignificatur. Ita plerique eorum quos adduximus; qui licet alia non plane reiiciant; hoc tamen probabiliſſimum putant. Quid ergo *Cerethi*, & quam ſignificationem habet? A כָּרַת *carath* dictum videtur, quod eſt abſcindere, eradicare, diſperdere, interficere; vt ſit *Cerethi*, quaſi *interfectores*, diſperdentes, vel ſuccidentes. Pheleti vero, à פָּלָה *pala*, quod eſt *ſeparare, ſeligere*, & quia quæ ſeliguntur, in tuto locantur & proteguntur, eſt etiam tutari, protegere, liberare. Vnde fit, *Cerethi*

c Apud Serrar. hic.

& *Pheleti*, ſi vim vocabuli ſequamur, appellatos, quaſi *interfectores & protectores*. quæ ratio nominis officio mirè reſpondet quod exercebant.

Obſeruandum autem hoc loco eſt cuſtodes ſalutis regiæ apud diuerſas gentes, ex diuerſa ratione appellationem ſortitos adhuc ſortiri. Alij enim à genere armorum, quæ maximè conſpicua geſtabant, appellabantur; vt *cetrati*, & *peltati* apud Macedones, de quibus Liuius. & *melophori* apud Perſas. & noſtro tempore in pleriſque partibus Europæ, Principum cuſtodes appellantur nunc *Arcieri*, nunc *Alabardieri*, nunc *Coltellacci*, quæ ſunt omnia diuerſa armorum genera, quibus vtuntur. Alij rurſus à locis ex quibus electi; ſic ſummi Pontificis *Eluetij* dicuntur qui ad illius tutelam excubabant. Regis Galliæ & Angliæ *Scoti*; aliorum Principum *Germani*. Alij denique vt omittam reliquos, à fortitudine quam præſtare debebãt, & ab eius effectibus glorioſo titulo deducto, ſicut iſti Dauidis appellabantur, *interfectores*, & *liberatores* dicti, quaſi nimirum tantæ fortitudinis eſſent, vt nullo negotio poſſent homines occidere. Et hoc quo ad vocem *cerethi*. Quod enim ad *pheleti* ſpectat, adhuc expreſſius illorum officium declarat, quod erat regem liberare, ſi quod in periculum incidiſſet; & protegere, ne incideret: vnde Romanis Imperatoribus qui aderant tutelæ cauſa, proprio vocabulo *protectores* poſteriori tempore ſunt appellati.

Filij Dauid erant ſacerdotes.] Quomodo hoc, ſi nec de Leui, nec de Aaronis ſtirpe progniti erant, quibus tantum ſacrorum cura, & ſacerdotium Dei deſtinatione dabatur? Varij varia. Probabiliſſimum puto ſubintelligendam eſſe hoc loco notam ſimilitudinis; vt ſit ſenſus. *Filij Dauidis erant in Aula regis, quaſi ſacerdotes*, in omnium oculis & ore; nempe vt ſacerdotes ſolent, quibus omnis honor & cultus à cordatis defertur. LXX. habent αὐλάρχαι *aularchæ*. In libro Paralipomenon [d]. *Filij Dauid primi ad manum regis*; quod illi proxime in omni conſeſſu ſederent; vel quod iis vteretur ad magna negotia expedienda, & aliis mandanda. Pagninus vertit *Principes*. Alij *Magnates & primores*. Quæ omnia noſtram expoſitionem firmant: iccirco ſacerdotes appellatos, non quod tales eſſent, vtpote ex tribu Iuda ſed quod in eo honore apud omnes, qui ſolet in Aula ſacerdotibus haberi. A quibus, & in quorum Aulis? A viris piis & cordatis in Aula Principum iuſtorum; qualis erat Dauid. Iſti enim qui diuina ſeriò curant, etiam Dei ſacerdotes impenſius honorant. In Dauidis Aula filij ſicut ſacerdotes fuiſſe dicuntur; quia non poterat clarius exprimi, quanto in honore eſſent apud omnes, quam ex illorum comparatione, qui in ea aula maximè honorabantur. In aliorum, qui aliud inſtitutum ſequuntur, miniſtri ſacrorum & ſacerdotes, omnium poſtremi ſunt; ac propterea falsò omnino diceretur talium filios vt ſacerdotes eſſe. Sed de hoc aliàs.

d lib. 1. c. 18. vlt.

LIBRI

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT IX.

ARGVMENTVM.

IN hoc florentiſſimo ſtatu rerum ſuarum Dauid, quod rarò homines ſolent, amiciſſimi Ionathæ nihil oblitus, de illius non ſolum abſentis, ſed pridem iam defuncti poſteris cogitauit. Cùm ergo illi veriti ne ad regni ſecuritatem quid in ſe Dauid grauius exequeretur, diſſimulata ſtirpe laterent, vt opibus & honoribus illos extolleret, inquiri mandauit. Et à Siba ſeruo olim Ionathæ de Miphiboſeth edoctus, euocatum honeſtiſſimè excepit, apud ſe benignè retinuit, eiuſdem menſæ perpetuò voluit eſſe participem; & demum in gratiam patris Ionathæ, quæcunque Saul olim priuato iure poſſederat, illi, poſteriſque tradidit regiâ liberalitate fruenda.

℣. 1.) Et dixit Dauid; Putaſne eſt aliquis, qui remanſerit de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam propter Ionathan?

℣. 2.) Erat autem de domo Saul, ſeruus nomine Siba: quem cùm vocaſſet Rex ad ſe, dixit ei; Tu ne es Siba? Et ille reſpondit; Ego ſum ſeruus tuus.

℣. 3.) Et ait rex; Nunquid ſupereſt aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam Dei? Dixitque Siba regi; Supereſt filius Ionathæ debilis pedibus.

℣. 4.) Vbi, inquit, eſt? Et Siba ad regem; Eece, ait, in domo eſt Machir filij Ammiel in Lodabar.

℣. 5.) Miſit ergo rex Dauid, & tulit eum de domo Machir filij Ammiel de Lodabar.

℣. 6.) Cùm autem veniſſet Miphiboſeth filius Ionathæ filij Saul ad Dauid, corruit in faciem ſuam, & adorauit, Dixitque Dauid: Miphiboſeth? Qui reſpondit; Adſum ſeruus tuus.

℣. 7.) Et ait ei Dauid; Ne timeas, quia faciens faciam in te miſericordiam propter Ionathan patrem tuum, & reſtituam tibi omnes agros Saul patris tui, & tu comedes panem in menſa mea ſemper.

℣. 8.) Qui adorans eum dixit; Quis ego ſum ſeruus tuus, quoniam reſpexiſti ſuper canem mortuum ſimilem mei?

℣. 9.) Vocauit itaque rex Sibam puerum Saul, & dixit ei; Omnia quæcunque fuerunt Saul, & vniuerſam domum eius, dedi filio domini tui.

℣. 10.) Operare igitur ei terram tu, & filij tui, & ſerui tui: Et inferes filio domini tui cibos vt alatur: Miphiboſeth autem filius domini tui comedet ſemper panem ſuper menſam meam. Erant autem Sibæ quindecim filij & viginti ſerui.

℣. 11.) Dixitque Siba ad regem: Sicut iuſſiſti, domine mi, ſeruo tuo, ſic faciet ſeruus tuus: & Miphiboſeth comedet ſuper menſam meam, quaſi vnus de filiis regis.

℣. 12.) Habebat autem Miphiboſeth filium paruulum nomine Micha: omnis verò cognatio domus Sibæ ſeruiebat Miphiboſeth.

℣. 13.) Porrò Miphiboſeth habitabat in Ieruſalem: quia de menſa regis iugiter veſcebatur: & erat claudus vtroque pede.

DE hac Daoidis erga Miphiboſethum benignitate videndum nobis vnde ad eam motus Dauid, cur hoc potiſſimùm tempore, quot Miphiboſeth tunc annos haberet, cur hactenus latuerit, & quid à Dauid acceperit.

Vnde ad id motus; ipſemet aperit; ob amorem nimirum veteris amici cuius olim defuncti, nihilominus memoriam colebat. *Eſt ne*, inquit, *aliquis, qui remanſerit de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam propter Ionathan?* Alij volunt etiam fœderis meminiſſe, quod cum Ionatha interpoſito iuſiurando pepigerat de miſericordia cum illo, vel ipſius poſteris facienda. Cum enim mutuo fœdere conuenirent dixerat [a] olim Dauidi Ionathas; *Facies mihi miſericordias Domini.* Quod ſi verum eſt; merito dicere poſſumus in hoc officio Dauidem & ius amicitiæ, & gratitudinis debitum, & fidei vinculum reſpexiſſe; vt in vno, eodemque pietatis opere ſimul ſe amicum verum probaret, gratum clientem, ſocium fidelem. *In hoſtes benignus*, inquit Theodoretus, *amicorum nunquam obliuiſcebatur.* Et, vt ait Ioſephus, *eorum, qui ſibi vnquam benefecerant, memor erat maximè.* Sed hæc ſi vera ſunt; cur huc vſque hoc pietatis officium eſt ab illo dilatum; vt decimoquinto tandem anno poſt Ionathæ mortem, venerit illi in mentem amici defuncti? Propter hoc nonnulli putarunt factum hoc non ſua

[a] lib. 1. Reg. 20.

ſe rie

ſerie in Scriptura narrari,quaſi domitis illis populis contigerit, qui proximo capite referuntur; ſed longè ante; & id, quod omnino putent improbabile tandiu potuiſſe Dauidem vel Ionathæ non meminiſſe;vel ſi meminerat, tandiu beneficium diſtuliſſe,quod illius memoriæ debebat, & poſteris ſe collaturum cum illo pepigerat. Reiiciunt ergo geſtum hoc in annum Dauidis ſeptimum,vel octauum?paulo poſt quam fuerat Iſboſeth è medio ſublatus. Manifeſtè tamen ibi falluntur. Primò quia ſine probabili cauſa ſeriem factæ narrationis inuertunt. Secundò quia quo tempore ſublatus Iſboſeth, Miphiboſeth ad ſummum duodecimum annum agebat. Cum enim Saul & Ionathas extincti ſunt, iam tum quin-

a lib.2.c.4. quennis erat, vt ſupra [a] dicitur; cui tempori ſi ſeptem anni iungantur Iſboſethi, duodecim efficiunt. At nunc cum Miphiboſeth à Dauid excipitur filium iam ſuſceperat. *Habebat*, inquit,

b ver.12.hic [b] *Miphiboſeth filium paruum, nomine Micha.* Duodennis ergo eſſe non poterat. proinde tenendum,quod alij tradunt, Dauidem benignitatem hanc exercuiſſe anno regni ſui decimo ſexto, quando Miphiboſeth annum vigeſimum ætatis habebat. Cur ergo id huc vſque dilatum?Facilis reſponſio. hactenus enim Dauid vel pacando regno,vel hoſtibus domandis implicitus alia curanerat;& procul à Ieroſolymis,totaque Chananitide longinquis expeditionibus plerumque diſtentus, cum nullus eſſet qui liberè de Saulis ſtirpe ſe proderet, occaſionem nullam habuerat quicquam de Ionathæ poſteris benemerendi. Nunc autem regno pacato,& longè,lateque finibus Imperij prolatis, in florentiſſimo curſu rerum ſuarum, primum omnium Ionathæ recordatus,oſtendit amicum ſe non ex eo genere fuiſſe quorum

Quantum oculis,animo tam procul ibit amor.

Sed qui amant omni tempore, & quantocunque diſſiti ſpatio terrarum, etiam vita ipſa ab amico disiuncti,de quibus & in quibus egregiè D.Pau-

c Ep. ad Auſon. linus [c] nomen ſuum profitetur

Ego te per omne quod datum mortalibus
Et deſtinatum ſeculum eſt:
Claudente donec continebor corpore
Diſcernar orbe quolibet
Nec orbe longum, nec remotum lumine
Tenebo fibris inſitum
Videbo corde, mente complectar pia
Vbique præſentem mihi
Et cum ſolutus corporali carcere
Terraque, prouolauero,
Quo me locauit axe communis pater,
Illic quoque te animo geram.

Quod ipſum expreſſius ante dixerat, veri amici genium deſcribens,& ſibi adſcribens.

Toto licet abſtrahar orbe vel auo.
Nunquam animo diuiſus agam, prius ipſa recedat
Corpore vita meo, quàm veſter pectore vultus.

Ex hoc ergo amicorum genere cùm Dauid eſſet, hoc tempore potiſſimum, quo Res illius florentiſſimum curſum tenebant,amici meminit, non quod antea illius eſſet oblitus, ſed vt nunc illi potiſſimum in ſuis poſteris benefaceret. Quia proprium veri amici eſt amicorum in ſuis ſecundis rebus ante omnia meminiſſe; quemadmodum qui veri amici non ſunt vbi quid inſolitæ fœlicitatis affulſerit,omnium obliuiſcuntur.

Qua in re magis vt Dauidis in Deum & bo-

Sopran. in Dauid.

mines pietas proſpiciatur; obſeruandum duos eſſe quaſi cardines,inter quos agitur humana vita,& orbis officiorum, quibus illa ducitur; *amorem Dei,& amorem proximi. Diliges*,inquit,*Deum tuum ex omnibus viribus tuis, & proximum tuum ſicut te ipſum.* Hoc breui verbo officiorum quibus ad vitam æternam tenditur, ſumma concluditur. *Illis enim duobus mandatis lex tota pendet,& prophetæ.* Quod eſt,vt dicebam,duobus iſtis quaſi cardinibus amore nempe Dei, & proximi rationem omnem vitæ boneſtè degendæ contineri. In vtroque Dauid egregiè ſe probauit, & tunc præſertim, cum vtriuſque ſolent homines obliuiſci; & primò *in amore erga Deum*, Quando enim illius maximè recordatus? Cùm primùm quieſceſcere cœpit, *& otiosè ſedere in domo ſua* ab inteſtinis [d] hoſtibus liberatus. deinde in amore pro- d Supra c.7.1.
ximi. Quando enim illum exhibuit? cum maximè fœlix effectus. Vbi enim Chananitide non ſolùm pacata; ſed conterminis hoſtibus perdomitis imperium ſuum latè protulit, in illo ſtrepitu fortunæ, qui ſolet aliorum hominum aures obtundere, ne voces amicitiæ exaudiant, amicorum nomina ſuggerentis, ille per ſe, nullo monente, Ionathæ recordatur. Ob hoc ergo Dauid, & hoc potiſſimum tempore pius in Miphiboſeth. At hic cur hucuſque obſcurus, & vbi delituit? Latere voluiſſe mirum non eſt. Sciebant enim Saulis poſteri quanta Dauid ab illo paſſus eſſet. Paria ergo ſibi ab illo timebant. Ad hoc,ex ſuo, ex aliorum, ex parentis ingenio Dauidem æſtimabant. Putabant igitur illum de regni poſſeſſione ſollicitum, non paſſurum facile, quos ex Saulis poſteritate cognoſceret, incolumes ſupereſſe; Regni nimirum æmulos, & vt ex regio ſanguine, regium ſemper aliquid agitantes. Idcirco latebant & genus occultabant, vt illa verba Dauidis oſtendunt,ſic interrogantis. *Putaſne eſt aliquis qui remanſerit de domo Saul?* Inquiſitio enim hæc ſatis indicat occultè ſe habuiſſe, qui de Saulis erant poſteritate. Productus igitur Miphiboſeth,quid accepit? Vt omnia quæ Saulis fuerant priuato iure,propria ſibi & poſteris poſſideret;& præterea vt ad regiam menſam, quaſi vnus ex regiis filiis veſceretur.

Vt faciam cum eo miſericordiam Dei.] Sic appellat Dauid inſignem liberalitatem,quam volebat in illius poſteros exercere; conſueta nempe Scripturæ phraſi, qua cuncta, quæ magna, & in ſuo genere præclara ſunt, Dei eſſe, & diuina dicuntur. Eſt ergo hebraiſmus italiſmo ſimilis *facere miſericordiam Dei cum aliquo*, pro eo quod dicimus; *fargli del bene per amor di Dio.* Sed in longe diuerſam ſententiam ſimilem idiotiſmum traxit diuerſitas proferentium. Alij mores,aliam linguam poſtulant. Dauid, & Dauidi ſimiles beneficium ingens,amplum magnificum, *miſericordiam Dei appellant*; quia quod *amore Dei* bene aliis faciebant, alia omnia magnitudine ſua ſuperabat, quæ alio quocunque reſpectu peragebant: propterea *miſericordiam Dei cum aliquo facere*; plane erat illi ingentem miſericordiam facere & inſigne beneficium conferre. Non ſic iam apud nos,aut nobiſcum agitur. Eo enim pietas degenerauit; vt *miſericordiam Dei cum aliquo facere*, vel ob amorem Dei aliquid illi donare, ſit illi fruſtulum panis erogare; & eo iam res proceſſit, vt cum minimum quid, aut exiguum ab aliis poſtulamus, aliquid nobis amore Dei tribui precemur. Diuerſa nempe ſtudia, diuerſum ſen-

ſum iiſdem verbis aptatur; & Dauidi quia pius, *miſericordia Dei*, eſt miſericordia magna; & quicquid cuipiam amore Dei tribuitur, eo ipſo magnum eſſe debere monſtratur: nobis vero, in quibus Charitas Dei refrixit, & eius amor tenui vix anhelitu reſpirat, *miſericordia Dei*, & quicquid eius amore donatur, eo ipſo minimum eſſe, & viliſſimum ſignificatur. Sed hoc alias. Quod attinet ad verba Dauidis; ſatis conſtat per illa ſignificaſſe ſeriò & ex animo velle illis ob amorem Ionathæ benefacere, & ingens aliquod beneficium conferre: quod egregiè deinde præſtitit Miphiboſetho, quem honoribus ſimul & opibus in immenſum extolit. *Honoribus*, menſæ illum ſuæ adhibendo. *Opibus*; quæ Saulis fuerant, illi donando.

a De quo ſer. hic.

Miphiboſeth.] In lexico [a] Talmudico nomen hoc ad verbum exponitur vt Miphiboſeth, ſit omnis diſcipulus, qui vita, dictis, motibus pudefacit præceptorem ſuum.

Dixitque Dauid; Ne timeas.] Hæc Dauidis oratio confirmat quod ſupra dixi de latebra poſterorum Saul. A Dauide enim ſibi timebant; & nunc potiſſimum Miphiboſeth in regiam euocatus & adductus, malum ſtatim ſibi aliquod eſt ſuſpicatus ne forte Dauid, vt in poſterum ſibi caueret, omni regni æmulo ſublato, quicquam in ſe grauius exequeretur, ob id timidus & perturbatus acceſſit, vt propterea Dauid opus habuerit illum confirmare dicendo; *Ne timeas.*

Dedi filio domini tui.] Quis hic? Miphiboſeth filius Ionathæ? Sed quomodo paulo poſt dicitur de hoc eodem filio domini Siba. *Inferas filio domini tui cibos, vt alatur?* Si enim Miphiboſeth in menſa regia erat alendus; non erat cur illi Siba cibos inferret. quod eſt propriè victum parare, & præbere veſcenti. Dicendum ergo *filium domini Siba* eſſe filium Miphiboſethi, de quo paulo poſt. *Habebat autem Miphiboſeth filium paruum nomine Micha.* Dauid enim Miphiboſeth ſecum retinuit; Micha vero quod paruulus adhuc eſſet, alendum, & cuſtodiendum Sibæ fidei permiſit. At quomodo ſi filius hic domini Siba Micha eſt, illi omnia Saulis donantur; quæ tamen Miphiboſetho donata dicuntur? Expedita reſponſio. Cùm quid enim filio donatur intuitu patris; eo ipſo patri, & quidem geminato beneficio donatur, vt hic factum eſt cum Miphiboſetho. Si enim hunc tantum Dauid nominaſſet; dubium poterat oriri, num quæ illi dabat, eſſent etiam ad ipſius poſteros deuoluenda; an tantum ipſi Miphiboſetho fruenda dum viueret. Erant enim bona hæc in regium iam fiſcum illata: propterea merito poterat hæc de illis dubitatio ſuboriri; quam Dauid vt tolleret, filio Miphiboſeth ipſius intuitu bona cuncta donauit; in quo, vt dicebam, beneficium ſuum duplicauit; ſemel cum Saulis illi bona fruenda dedit; iterum cum eius etiam poſteris illa conceſſit.

Inferas filio domini tui cibos.] Qui filium domini Sibæ Miphiboſethum hic, & non Micham intelligunt, diuiſi ſunt. Alij enim *cibos*, accipiunt fructus annuos agrorum; & illud, *vt alatur*, exponunt de Miphiboſethi familia, non de ipſo. Alij nihil abſurdum putant Miphiboſethum ſimul ex menſa regis, & ſuis etiam redditibus alendum. Durè nimis omnia & improbabiliter: tenendum ergo quod omnes alij volunt, & iam dixi, *filium domini Siba*, hic Micham eſſe.

Miphiboſeth comedet ſuper menſam meam.] Implicata verba, vel potius implicatus ſenſus ex illis. vnde enim Siba putauit inferendum comeſturum Miphiboſeth *ſuper menſam ſuam*, Sibæ nimirum, eo quod Dauid præmiſerat illum *panem comeſturum* ſuper mẽſam regis? Ad hunc nodum ſoluendum, volunt aliqui neceſſario quid intelligi debere, quod ante iſta verba præmittatur; nempe: Et dixit Rex, vt illius nimirum verba iſta ſint, & non Sibæ. Alij pro *meam*, legunt *tuam*. L X X. legunt; *ſuper menſam Regis*. Vatablus in præterito legit *comedit*, & non *comedet*. Significare enim Sibam habuiſſe ſe hactenus Miphiboſeth, & curaſſe quaſi vnum de filiis regis. Sanè ſi de menſa Sibæ verbum hoc ſiue in præterito, ſiue in futuro exponatur; eadem vndique vrget difficultas. Neque enim erat quod Siba pro magno diceret filium domini ſui, *cui tranſiens miniſtrare debebat* ſuper menſam ſuam ſecum nimirum ad eandem menſam comeſturum vel hactenus comediſſe. Cum ergo à vulgata editione recentiſſimè emendata diſcrepare non liceat; probabiliſſimum eſt ante iſta verba ſubintelligendum, quod prima ſententia volebat; nempe. *Et dixit Rex, Miphiboſeth ſuper menſam meam.*

LIBRI SECVNDI REGVM
CAPVT X.
ARGVMENTVM.

INTER hæc, audito Dauid obitu Regis Ammonitarum, à quo beneficiis affectus fuerat, dum profugus inter alienigenas agebat, officium quod patri debebat, aliqua ſibi ratione putauit ſucceſſori filio perſoluendum. Miſit ergo, quod inter amicos ſolet, qui ſuis illum verbis ſuper patris interitu ſolarentur. At Ammonitarum Principes, quorum conſiliis puer qui patri ſucceſſerat vtebatur, aliorſum hoc pietatis officium interpretantes, à Dauide miſſos pro exploratoribus habuerunt, qui fraterno animo ad illos acceſſerant. Inde ſuſpicionem malè conceptum exitu petore fouentes, Regi ſuggerunt, vt qui iniuriam facturi per ſpeciem pietatis aduenerunt, cum contumeliis acceptos, ignominioſè dimitteret. De illorum ergo conſilio viris principibus, legatis regis maximè ad ludibrium coma deraditur; inæqualiter barba reciditur, inhoneſtè veſtis abſcinditur. Et ſtatim non dubij tantum ſuorum contumeliam, Dauidem non inultum paſſurum, bello ſe parant: in id proprium militem legunt, externum conducunt, reges quatuor in auxilium accerſunt, omnia denique expediunt, quæ ſint non ſolum ad vim propulſandum, ſed inferendam. At Dauid opprobrio ſuo, & ſuorum grauiſſimè commotus, audita inſuper hoſtis inſana vecordia; qui quaſi accepiſſet iniuriam, non irrogaſſet, arma parabat; in illum Ioab cum legionibus expediuit, à quo Syris auxiliaribus confractis, Ammonitæ ſociis caſis, aut fugientibus deſtituti, in vrbes ſuas compulſi, arctiſſima obſidione cœpti ſunt oppugnari.

℣. 1.) Factum eſt autem poſt hæc vt moreretur rex filiorum Ammon, & regnauit Hanon filius eius pro eo.

℣. 2.) Dixitque Dauid; Faciam miſericordiam cum Hanon filio Naas, ſicut fecit pater eius mecum miſericordiam. Miſit ergo Dauid, conſolans eum per ſeruos ſuos ſuper patris interitu. Cum autem veniſſent ſerui Dauid in terram filiorum Ammon,

℣. 3.) Dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon dominum ſuum; Putas quod propter honorem patris tui miſerit Dauid ad te conſolatores, & non ideo vt inueſtigaret, & exploraret ciuitatem, & euerteret eam, miſit Dauid ſeruos ſuos ad te?

℣. 4. Tulit itaque Hanon ſeruos Dauid, raſitque dimidiam partem barbæ eorum, & præſcidit veſtes eorum medias vſque ad nates, & dimiſit eos.

℣. 5.) Quod cum nunciatum eſſet Dauid, miſit in occurſum eorum: erant enim viri confuſi turpiter valdè, & mandauit eis Dauid; Manete in Iericho, donec creſcat barba veſtra, & tunc reuertimini.

FACTVM *eſt autem poſt hæc.*] Quæ proximo ſunt capite de Miphiboſetho narrata, vt vult Ioſephus, & poſt eum Abulenſis in *Sopran. in Dauid.* quem annum regni Dauidis inciderint, interpretes diuiſi ſunt. Alij enim in decimum quartum putant; alij in vigeſimum; alij, in decimumſeptimum. Quod ſubtilius definire, quia noſtrum propriè non eſt; Chronologis relinquamus.

Vt moreretur rex filiorum Ammon.] Naas, de quo ſupra [a] pluribus; trigeſimoquinto anno regni ſui. Tot enim minimum fluxerunt à quo tempore Saule contra illum pugnante, ſub initium regni ſui clade ille ingenti protritus eſt. a lib. 1. c. 11.

Faciam miſericordiam cum illo, vt pater eius mecum.] Sollicitè hic à nonnullis inquiritur, quomodo, quando, & quam miſericordiam Naas Dauidi fecerit, hoſtis hoſti, rex alienigena duci fortiſſimo Iudæorum. Quomodo enim poterat inter illos vlla eſſe communio officiorum; cùm lege cautum eſſet, [b] *ne cum Ammonitis, & Moabitis Iudæi pacem facerent, nec quærerent eis bona cunctis diebus vitæ ſuæ in ſempiternum?* Sed ad hoc in promptu reſponſio eſt non licuiſſe Iudæis Ammonitas & Moabitas beneficiis prouocare, & illorum amicitias ambire; neceſſitate vero cogente, potuiſſe ad illos accurrere; vel beneficiis prouocatos, illis in benignitate reſpondere. Quod enim naturæ lex iubet de gratia referenda, erat illis omni lege permiſſum. Quando ergo Dauid, aut quam miſericordiam accepit à Naa? Tunc aliqui putant, cùm Naas amicos omnes, & cognatos Dauidis excepit, à Moabitarum rege, qui illius parentes occiderat, fugientes. Sed in Dauidis parentes ab illo rege fuiſſe ſæuitum, fabula [c] eſt, & ſuper hanc fabulam, collatam Dauidi miſericordiam fundare, nil diſtat à fabula. Alij Dauidem ipſum à facie Achis fugientem, exceptum volunt ab Ammonita. Alij alia; ſed omnes incerta: tantum enim certum in Scriptura ab Am-

b Deuter. 23. 6.

c *Vt bene Abul. q. 4. hic ex Ioſepho lib. 6. cap. 14. Saliano ann. 2974.*

monita Dauidem gratiam aliquam recepiſſe. Quæ autem illa fuerit; incertum. Quod attinet ad verba; præter ea quæ de hac phraſi *miſericor-*
a lib.1.c.19.1 *diam facere*, vel *accipere*; ſupra [a] iam diximus, obſeruandum miſericordiam in ſacris literis eſſe quancunque gratiam, etiam quæ nullam miſe-
b lib.2.c.22. riam reſpicit, quam depellat. Vnde in libro [b] Paralipomenon idem verbum quod hic *miſericordia*, vertitur *gratia*. *Præſtitit*, inquit, *mihi pater eius gratiam*. Hebraicè enim vtrobique eſt חסד *cheſed*; de qua voce infra; Græcè vero ἔλεος *eleos*, vnde eleemoſyna eſt appellata. Quare *facere miſericordiam & recipere*; idem eſt quod apud Latinos inter ſe mutuis officiis decertare.

Quod verò dicitur, *Sicut pater eius fecit mecum*, obſeruandum, quod alias docui, particula *ſicut*, & quæ ſunt eiuſdem generis, non ſemper eſſe notam ſimilitudinis, ſed conditionis, vt hoc loco. Nam certum eſt *officium*, *gratiam*, *miſericordiam*, quam vult Dauid nunc cum filio facere, nec æqualem, nec ſimilem, nec eiuſdem generis eſſe cum ea, quam illius à patre receperat. hoc enim loco vult Dauid officio funeſto defungi, ſuper patris interitu filium ſolaturus; ſimile vero officium non potuerat ſecum Naas exercere. *Sicut*, igitur eſt hîc, non nota ſimilitudinis, ſed conditionis implexæ. Ad eum modum, quo volunt eandem particulam in oratione Dominica
c Tertul. & Cyprian. in orat. Domin. Auguſt.li.21 de ciuit.c.21 Patres [c] intelligi; cum dicimus; *Dimitte nobis, ſicut dimittimus*. peſſimè enim nobiſcum ageretur, ſi ſimiliter, & qua ratione & modo nos aliis dimittimus; ita Deus nobis debita noſtra dimitteret. Quod ergo Chriſtus nos vult orare; non eſt, vt miſericordia, quam parcendo Deus nobis impendit, tanta, ſimilis, aut æqualis miſericordiæ ſit, quam nos aliis impendimus; ſed vt demum miſericordiam ſuam nobis indulgeat, ſi nos etiam aliis indulſerimus. indulgentiam noſtram, vt conditionem requirens; non vt menſuram, ad quam Dei in nos benignitas exigatur. Et in hunc ſenſum illud eſt etiam accipiendum quod orat Eccleſia alicubi. *Fiat miſericordia tua, Domine, ſuper nos, quemadmodum ſperauimus in te*. Pariter enim hic *quemadmodum* conditionis nota eſt, non ſimilitudinis. Nec enim vult Eccleſia vt tanta ſit Dei miſericordia ſuper nos, quanta ſpes in illum noſtra; ſed vt miſereatur, ſi ſperauerimus.

Dixerunt principes filiorum Ammon.] Poteſt non immerito dubitari vnde tam temeraria de Dauide ſuſpicio fuerit principibus iſtis iniecta; & quomodo tam facilè in eandem animum regis induxerint. Ex duplici capite in eam ipſi deuenerunt. Primo quod eo tempore paſſim id inter Orientales ſoleret; vt per ſpeciem officij inſidioſam exercerent humanitatem, aliud agen-
d Suprà c. 3. do, aliud ſe agere ſimulando. Sic [d] Ioab id vel finxit, vel verè de Abnere ſuſpicatus; quod non feciſſet, niſi paſſim id genus artis in eos, quos vellent, exercere conſueuiſſent. Sic olim Ioſeph
e Gen. 42.9. [e] fratres in Ægyptum tranſgreſſos vt frumenta conquirerent, non vt mercatores, ſed vt inſidiatores, illos vt anxios haberet excepit. Hoc illis crimen non obiecturus, niſi frequens in talibus vſus, illud probabile reddidiſſet. Alterum caput, ex quo illis ſuſpicio ſuborta, ex proprio Dauidis ingenio, & rebus ab eo geſtis ducebatur? Videbant illum victricia arma per omnia latè loca circumtuliſſe; finitimos, alios auertiſſe, alios ſubegiſſe, cunctos obnoxios reddidiſſe: pacatum ergo ab aliis bellis occaſionem aliquam captare putarunt, vt idem in Ammonitas tentaret, quod in reliquos alienigenas edidiſſet. Ob id hunc legatorum aduentum alio rſum accipientes, inſidias putarunt, & machinam ambitionis, quod fuerat officium humanitatis. At quomodo regem in tam præcipitem ſuſpicionem, tam facilè pertraxerunt? Nil illud mirum. Puer enim rex adhoc erat, & tunc primum regnabat, nouis rebus gaudebat. Quod ergo negotium puero, & in regnum recens euecto, paternos conſiliarios ſuadere quæ vellent? [f] *Væ terra*, inquit, *cuius rex* f Eccl. 10.15
puer eſt, Cur id? inter alia quia ſimplices pueri; qui verò nouis rebus in regno ſtudent, priuatis tantum vtilitatibus intenti, facillimè illorum ſimplicitati poſſunt illudere, praua conſilia ſuggerendo, quæ ſpeciem præferant publici boni re vera autem nil, niſi priuata eorum commoda reſpiciant. Et id qua ratione? [g] *Dum aures* (in- g Eſth.16.6.
quit Aſſuerus hæc expertus, & ſuo malo doctus) *Principum ſimplices, & ex ſua natura alios æſtimantes, callida fraude decipiunt*. Nil ergo mirum ſi ſimplicitate pueri tunc primum initia regni ſui auſpicantis, abuſi principes iſti priuatis vt quiſque commodis proſpicerent, in hanc illum ſuſpicionem, & præceps conſilium pertraxerunt, ex quo gentis excidium ſequutum. At quæ illis ex hoc præcipiti conſilio priuata poterat vtilitas prouenire? Fortè Dauidis innocentiam & potentiam verebantur, & ſibi malè conſcij timebant, ne ſi ille, vt amicus & fœderatus, in aula poſſet quod æquum fuiſſet, amici regis & pueri, curam ſuſciperet, & veteres adminiſtros & conſiliarios ſubmoueret; fortè etiam ſi bellum contra illum ſuſciperetur, militares præfecturas ſibi, ſuiſque ſperabant; fortè etiam ad publicam pecuniam anhelabant, quæ belli occaſione per ipſos liberius tractanda, facilè poterat ab illis interuerti. Denique multiplex illos potuit priuati commodi ratio permouere. Quæ vero præcipuè mouerit; incertum.

Raſitque dimidiam partem barbæ.] De hoc legatorum ludibrio duo ſunt diſtinctiùs enarranda; vt duo ſimul loci; Regum alter, alter Paralipomenon explicentur. Primum quotuplex illis contumelia irrogata. Secundum cur in hanc potius ſpeciem, quam aliam.

De primo duplex hîc tantum proponitur; abraſio barbæ, & veſtium præciſio; tertia in libro Paralipomenon adiungitur decaluatio. [h] *Hanon*, h li.1. Paral. c.19.4.
inquit, *pueros Dauid decaluauit, & raſit, & præcidit tunicas eorum à natibus vſque ad pedes*. In quibus omnibus quanta viris honeſtiſſimis legationis munere fungentibus & ob id regem à quo miſſi fuerant repræſentantibus irrogata contumelia fuerit; nemo non videt. Decaluari enim antiquis, vt ex noſtro tempore, ſupplicij inſtar, & iniuria grauiſſima fuit. Barbæ vero ex vna tantum parte deraſio, propria gnaſonum erat, & motionum, qui cœnam vt ab aliis captarent, vltro ſe deridendos aliis præbebant. Quanta ergo iniuria, in viros principes id vſurpare; quibus ignominioſum eſt vel ſolum capillum barbæ inuitis detrahere, vel etiam ioco barbam manibus attrectare? At veſtium decurtatio, qua partes tegi ſolitæ oſtendentur, quid opprobrij contineat; per ſe ſatis apparet. Nihil eſt enim quod homines magis ridiculos faciat, quam ſi prodeant hac ratione veſtibus decurtatis. De his enim ille dicebat,

a Dimidiaſq;

a Mart. [a] *Dimidiaſque nates Gallica palla tegit.* Viro autem graui nihil ignominioſius, quam irridendum aliis propinari, ſic vt de eo ludi fiant. Et hæc de contumeliis ipſis. Sed cur hac potius ſpecie, quam alia, vſurpatæ? vt amarius irriderent. Si enim violenter, & irati faciem gerentes, hæc admiſiſſent; minus id dolendum, minus contumelioſum fuiſſet. At vt magis doleret, omnia cum diſſimulatione fecerunt; quaſi pacatè, & ſerio id agerent; vt officium, quod deferebatur, animo grato viderentur admittere. Aduenerant enim legati, vt Hanonem ſuper patris obitu ſolarentur; quod hic expreſsè narratur. *Miſit*, inquit, *Dauid conſolans eum per ſeruos ſuos ſuper patris interitu.* Proprium autem erat eorum, qui ſolatoris officio fungebantur, ſimul cum illis dolere, & lugere; quod conſtat ex iis quæ fusè diximus [b]. Ammonitæ ergo amariſſima ſimulatione,

b De fun. Hebr.

quaſi legatorum officium æqui bonique conſulerent, voluerunt etiam illos habitum lugentis induere; hac contumelioſa ſimulatione fingentes, munere quod ſibi Dauid impoſuerat, ritè functuros. Veniſſe enim illos ad ſolandum; lugentem autem, niſi qui pariter lugeat non ſolari. Lugendum ergo illis eſſe, & condolendum. Dolentium proinde habitum induerent, qui hic apud illos erat, qui modicum ab illo flectebat. Moabitæ enim quorum fratres Ammonitæ barbam & capillos in luctu ad caluitiem vſque ponebant. Ideo Eſaias in illos vaticinans, & multitudinem mortuorum prædicens [c]; *Moab*, inquit, *vlulabit, in cunctis capitibus eius caluitium, & omnis barba radetur.* Et Ieremias [d] de iiſdem; *Omne caput caluitium* (nempe feret) *& omnis barba raſa erit.* Et hoc in luctus indicium. Nec pluribus hic oſtendo fuiſſe hæc omnia propria lugentium; cum ſatis id oſtenſum fuerit in Digreſſione.

c Cap. 15.2.

d Cap. 48. 37.

Cum ergo ſic legatos acceperint Ammonitæ, quaſi vellent illos habitum lugentes induere, fuit eorum opprobrium grauiſſimum; quia illuſioni & ludibrio coniunctum. In omni enim vel pœna, vel opprobrio, nil grauius poteſt accidere, quam ſi vtrumque cum irriſione inferatur; quod fit quoties aliud ab inferente videtur agi, quam verè quod agitur. Id enim propriè eſt non ſolum pœna & opprobrio; ſed etiam ludibrio afficere. quod genus iniuriæ à Chriſti Domini paſſione non abfuit. Spinis enim capite toto compunctus, qui fuit illi cruciatus per ſe grauiſſimus, illum longe grauiorem expertus eſt; quod cum illo amariſſimæ irriſionis adiunxere ludibrium. Spinis enim in ſerti ſpeciem complicatis, non hoc agere ſe ſimulabant, vt pungendo cruciarent; ſed vt colerent coronando. Simili modo eum per ſummam contumeliam petulantes milites illum expoſuerunt hoſtium procacitati videndum, non hoc ſe agere ſimulabant, vt irrideretur, ſed vt qui rex erat, in ornatu regio cernerent. Idipſum plane quod cum Dauidis legatis vſurpatum hic eſt ab Ammonitis. Volebant illos ignominioſe dimittere, grauius vt id eſſet, etiam ignominiæ iunxere ludibrium. Talares illis veſtes à natibus præciderunt; capillis ad cutem vſque nudarunt; barbam inæqualiter abraſerunt; & ſic habitos, non vt contumelioſe acceptos, ſed vt habitum lugentis indutos, dimiſerunt, iniuriam diſſimulatione geminantes. Et hoc in opprobrio.

De pœna verò per hanc diſſimulationem pari modo grauata, celebre eſt illud Antonij, quod à Plutarcho [e] narratur. Iratus hic erat Athenienſibus quod aduerſas partes ſequuti, terra, marique ſuos oppugnaſſent. Eos ergo cum deuiciſſet, in vrbem ſe victor inferebat, inter alia pœnam illis impoſiturus ingentis pecuniæ ſoluendæ. Prodierunt illi obuiam Athenienſes in omnem ſpeciem compoſiti, quæ poſſet ſupplicantibus irati animum demolcere, & indignantem placare; productoque Mineruæ ſimulacro, cuius in tutela erant Athenæ, Deam ſuam illi ſe in vxorem dare dixerunt; ea adulatione quaſi deum profitentes, cui dea nuptui daretur; & id, vt hoc obſequio delinitus Antonius, mulctam, & alias pœnas remitteret aut temperaret. At ille placatum ſe ſimulans, & nihil amplius de pœna cogitare; *Optimè*, inquit; *ſed tanta nupta indotata non debet accedere. Dotis ergo nomine talentûm illi decem millia parate.* Quam immenſam pecuniæ vim ſoluere coacti, grauius inde acerbitatem mulctæ ſenſere, quod pœnam quam ſoluebant irriſi, & ludibrio habiti ſoluere cogebantur, quaſi pœna non eſſet, ſed dotale munus.

e In vita M. Antonij.

[a] *Sopran. in Dauid.*

℣. 6. Videntes autem filij Ammon quòd
iniuriam feciſſent Dauid, miſerunt, &
conduxerunt mercede Syrum Rohob,
& Syrum Soba, viginti millia peditum,
& à rege Maacha mille viros,
& ab Iſtob duodecim millia virorum.
℣. 7. Quod cùm audiſſet Dauid, miſit
Ioab, & omnem exercitum bellatorum.

Hac iniuria ab Ammonitis illata, & à Dauide accepta, bellum ſtatim ab illis inſtructum, & inde à Dauide ſuſceptum, vtrinque poſtea geſtum eſt; maiori tamen ab illis apparatu, quam virtute; cui bello longinquam occaſionem præbuit Dauidis humanitas, & Ammonitarum ſuſpicioſa temeritas. Cauſam vero Dauid iuſtiſſimam fouebat, iniquiſſimam Ammonitæ. *Iuſtiſſimam* ille; quia ius gentium contumelioſiſſime violatum vlciſcebatur, & vltro vim inferentes propulſabat; *iniquiſſimam* illi; quia veterem contumeliam noua iniuria cumulabant. Iure enim gentium in legatis Dauidis tam fœdè violato, bellum primi inſtruunt, quaſi iniuriam ipſi accepiſſent, non irrogaſſent. Videmus ergo quia primi bellum iſtud inſtruxerint; cur, & quibus auxiliis ab Ammonita ſuſceptum; viciſſim vero Dauid quomodo ſe ad illud accinxerit. Ioſephus [f] exiſtimat Dauidem primum de bello cogitaſſe, illatam ſcilicet iniuriam vindicaturum; quem bene refellit Abulenſis, & Salianus [g] ex illo; perſpicuè verò textus ipſe ſcripturæ redarguit. *Videntes*, inquit, *filij Ammon quod iniuriam feciſſent Dauid, conduxerunt Syrum.* Et paulo poſt [h]; *Quod cum audiſſet Dauid, miſit Ioab & exercitum bellatorum.* Primi ergo ipſi bellum cogitarunt, & inſtruxerunt; audito vero eorum apparatu, Dauid ipſe viciſſim ſuas copias armauit, paratus alioquin ſatisfactionem admittere, ſi quam illi idoneam obtuliſſent. At cur illi primi? forte ex diffidentia, quam ex iniuriæ magnitudine conceperant. Tantam enim eſſe videbant, vt non ſperarent Dauidem vlla ratione, quam gentis excidio placandum. Magnas enim iniurias, & factis contumelioſiſſimis irrogatas, non verbis, veniam precantium poſtquam inſanierint, ſed ſanguine ablui

f lib. 7. c. 6.

g An. 1996. n. 11.

h verſ. 7.

ſolere. Hoc ergo cogitantes, & ex vna parte Dauidis ingenium, bella, milites expendentes; ex altera, iniuriam quam fecerant æſtimantes, certi ſibi à Dauide malum imminere, primi ipſi bellum occuparunt, illud dum metuunt inferentes. Potuerunt etiam in id ex arroganti vecordia moueri: vt enim ſunt in lubrico ſcelera, non ibi conſiſtunt, vbi cœperunt, ſed in alia præcipitantur; & ſemel grauiter improbũ, quaſi neceſſe eſt, vt ille dicebat, grauiter eſſe nequam. Cum ergo tantum in ſe ſcelus Ammonitæ, tam temerè ſuſcepiſſent, quale fuerat honeſtiſſimos viros ad ſe legationis cauſa profectos, adeo ignominioſè dimittere, nouo furore lymphati, grauius inſanierunt; & quaſi Dauid illis iniuriam feciſſet, non illi irrogaſſent, vltro bellum pararunt. Vt enim factum ſuum defenderent, aliud non poterant, quam crimen in Dauidem regerere; quod ſpecie legationis, illis inſidias ſtruxiſſet, exploratores immittendo. Ob hoc ergo primi de bello cogitarunt; longè verò probabilius ob illud, quod ante dixi. Sed quomodo inſtruxerunt? Stipendiario milite quatuor ex vicinis gentibus conducto quæ varias Syriæ partes incolebant. Viciſſim vero Dauid hoſtium conatus edoctus, & ipſe ſuas copias emiſit, non per ſe bellum hoc, ſed per legatos adminiſtraturus, Ioabo omnibus ſummo cum imperio præfecto, vt diſtinctius in Scriptura narratur.

Videntes filij Ammon quod iniuriam feciſſent Dauid.] Tria hic obſeruanda. Primum quod iniuria legatorum, Principi, qui illos miſit facta cenſetur; quæ eſt perpetua regula Iuris à Pontificiis, & Cæſareis auctoribus fuſius explicata. *Qui vos ſpernit, me ſpernit*, inquit Chriſtus; *& qui me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me.* Propter hoc quam hic iniuriam legatis Ammonitæ fecerunt, ea Dauidis, non legatorum iniuria nuncupatur. *Videntes*, inquit, *iniuriam quam Dauidi feciſſent.* Legatos contumelioſè traduxerant; at in ea traductione, non illis, ſed Dauidi iniuria fiebat, quod ipſimet *viderunt*, qui fecerunt. Secundum quod obſeruandum eſt peccati magnitudinem longè melius agnoſci, cùm iam factum perpenditur, quam priuſquam fiat. Ammonitæ enim nihil de Dauidis iniuria cogitarũt antequam legatis illuderent; at inſana rabie malæ cupiditatis expleta, tunc primum ſenſerunt quantam Dauidi iniuriam intuliſſent; & quanta inde mala ſibi, & ſuis omnibus imminerent. Tertium quod obſeruandum eſt, omnes qui alios lædunt, aſſiduam ſibi animi fluctuationem parare; vt hic maximè verum ſit, illud quod dici ſolet, *qui alium grauiter offendit, magis ipſum ſe lædere.* Certus enim eum qui fecit iniuriam non quieturũ, non poteſt ipſe quieſcere, cæco tumultu pectoris agitatus. Id ſi verum eſt cum æqualis æqualem; aut inferiorem lædit, quid porro cenſendum cum inferior

a Eccl. 13.2. ſuperiorem [a]? Vetus verbum eſt, *pondus ſuper ſe tollet, qui honeſtiori ſe communicat; & ditiori ne ſocius fueris.* Si pondus eſt honeſtiori ſe communicare, & cum illo familiariter agere; quid erit cum illo hoſtilia exercere? Si pondus eſt ſocium eſſe ditioris; quid erit eſſe inimicum? Prorſus hic ſuper ſe crucem, non pondus attollit. Exemplo ſint Ammonitæ. Quantas in anguſtias ipſi ſe coniecerunt, ob id tantum, quod alium potentiorem violarunt? Bellum enim primi inſtruxerunt, immenſam pecuniam erogarunt, conducto militi ſalutem ſuam crediderunt, & demum attriti & debellati, illius quem tam atrociter læſerant, ſeruitutem ſubierunt. Et hoc quia potentiorem infirmiores; regem bellicoſiſſimũ rogati aulici nulla prouocati iniuria violarunt; quid ſi non homines hominem violent, & primi iniuria laceſſant; ſed homo Deum? Talis eſt omnis peccator. ob id ſe in tanto grauiora mala præcipitat, quanto maior Dauide Deus; & quanto grauius eſt vltro Deum lædere, & iniuriis prouocare, quam Dauidem; quod latius in diſputationibus proſequemur.

Videntes quod Dauidi iniuriam feciſſent, contra illum conduxerunt Syrum.] Quia iniuriam legatis fecerant, à Dauide veniam deſperant, & aduerſus illum, vniuerſumque Iudæorum populum bellum parant. Tales ſunt qui cùm quid grauius in Deum peccarunt, ad eorum *conſpectum* quæ malè deliquerint, non dolorem concipiunt, vt offenſum placent; ſed veniam deſperant, vt maiora delinquant. Sed de hoc iterum: interim quod hîc Scriptura ſubindicat, obſeruemus. *Videntes*, inquit, *quod iniuriam feciſſent conduxerunt milites.* Naturale enim eſt timere quem læſeris: & quia [b] *quem metuit quis, odit; quem odit periiſſe cupit.* Ob id Ammonitæ Dauidem, quem vltrò iniuria affecerant, porrò etiam vlteriùs perſequendum ſtatuunt; & bellum ſtrenue parant, vt prorſus euertant, nimirum, vt ſupra dixi, non ibi conſiſtunt ſcelera, vbi cœperunt: aliud alia ſecum trahit arcano nexu. ſcilicet vt ille dicebat, formidoloſa ſunt ſcelera; ſola eſſe timent; ſtipari malunt, & facto pede, & agmine ſe tueri. Specimen huius rei hic nobis exhibent Ammonitæ. Dauidis legatos iniuſtè pulſant, ludibrio habent, cum ignominia dimittunt. Quieſcere deinde ſatius erat, & iniuriam tam contumelioſè illatam aliqua ſatisfactione redimere. Sed quid? Admiſſum ſcelus aliud ſcelus aduocat. Priuatim quod peccarunt, publicè defendunt; & iniuſtum bellum ſuſcipiunt, quo quicquid ipſi peccarunt, innocentes populi plectantur, & illata Dauidi iniuria nouo ſcelere cumulatur.

b Ex Euſeb. D. Hieron. 4.

Conduxerunt mercede Syrum Rohob.] Signandum clarius quos, vnde, quot, & qua mercede conduxerint. Quos, & vnde? Quatuor hîc auxiliariorum genera memorantur, à Syro Rohob, à Syro Soba, à Maacha, ab Iſtob. De quibus dubium nonnullum eſt an hæc quatuor nomina ſint omnia propria, vel appellatiua, & ſi propria an omnia regionum, vel hominum. Sunt qui [c] putent omnia quatuor Regum propria, qui tunc in Syria regnabant. Alij [d] volunt fuiſſe propria nomina variarum in Syria regionum. Alij, [e] duo priora, *Rohob*, & *Soba*, regionum; duo alia, *Maacha*, & *Iſtob*, hominum. In tenui labor, & ex illo fructus longè tenuior vtcunque dicatur. Probabilius tamen eſt, vt primi volunt, quatuor regum nomina fuiſſe; quorum primi duo Rohob, & Soba ſuas ipſi copias adduxere; reliqui duo Maacha, & Iſtob per legatos auxiliares; vt clarè Scriptura ſignificat, aliter auxilia referens ab vtriſque conducta. *Conduxerunt*, inquit, *Syrum Rohob, & Syrum Soba.* At de aliis duobus apertè dicit, non ipſos conductos; ſed ab illis auxilia.

c De quibus Serrar. hic.
d Ioſeph. li. 7. cap. 6.
e Salian. ann. 1996. n. 12.

Qui ergo iſti Reges, & quarum regionum? Nam cum Syros hactenus ſæpius attritos, & ſubactos à Dauide viderimus; eſt quod meritò dubitemus, & quæramus quomodo victi, fracti, ſubacti, & impoſito præſidio, iugo ſeruitutis oppreſſi, potuerint caput attollere, tantas copias conſcribere,

conſcribere, ſtipendium à Dauidis hoſtibus ad milites ſubmittendos accipere. Sed ad hanc dubitationem remouendam, primom omnium dicendum vel Syros iſtos, qui eum Ammonitis ſocia nunc arma coniungunt, illos non eſſe quos Dauid ſubegerat; (latiſſimè enim Syria patebat) vel ſi quidam fuerunt, mirum non aſſe, ſi ab externo Rege ſubacti, oblata occaſione rebellaront. Primus ergo iſtorum fuit Rohob ter illius partis Syriæ, quæ Meſopotamia nuncupatur; non illa notiſſima Moſopotamia antonomaſticè dicta, quæ media Tigrim inter & Euphratem nobiliſſimos fluuios interiacet; ſed alia duos atiam inter Syriæ fluoios minoris nominis excorrens; quam Meſopotamiam quoque dictam, conſtat ex libro Paralipomenon; vbi explicando quid ſit hic conduxiſſe Syrum Rohob [a]; *Miſerunt*, inquit, *vt conducerent ſibi de Meſopotamia.* Et hanc eandem putat illam Syriæ partem Serrarius, quæ paſſim in ſcriptura [b] *Rechab* appellatur. Et obſeruandum *Rohob*, aliquando loci, aliquando hominis proprium nomen eſſe. *Loci*; alibi [c] *hominis*; hic, & ſupra [d], vbi Adarezer expreſsè dicitur eſſe filius Rohob. Secundus fuit Soba Rex Sophenorum, quorum Regem Adarezet ſupra vidimos à Dauide victum, & fugatum; & ille fortaſſe huius ſucceſſor ab Adarezer in Dauidem ſtimulatus. Alij [e] tamen qui volunt *Soba*, regionis hic nomen eſſe, non hominis; eundem Adarezer à Dauide deuictum dicunt hic adfuiſſe, & Ammonitis auxiliatum. Quod probabile minus eſt, vt à profugo, regnique ſui extorre putauerint Ammonitæ ſe contra Dauidem iouaodos, & primum omnium tantum illi pecuniam crediderint; vt ex illa Syriæ parte milites conduceret, à qua fuerat ipſe fugatos. Tertius foit Maacha, de quo cui potiſſimum regioni præfuerit; incertum. Ioſephus nomen proprium regionis eſſe vult, quam Serrarius adiungit Traconitidem etiam appellatam. Sed ſcriptura tam hic, qoam in libro Paralipomenon expreſſe nimis proprium nomen hominis eſſe ſignificat. Quartus fuit *Iſtob*, quam vocem, in duas Hebræi partiuntur איש & טוב *Is*, & *Tob*; vt איש *Is*, ſit noman hominis; טוב *Tob*, regionis cui dominabator; quam terram Iob aliqui interpretantur, in qua Iephte [f] peregrinatos. Ex his habemus, ex Syria quos Dauid ſubegerat, Damaſcenos aut metu, aut vt in officio perſiſterent, quieuiſſe; Sobitas, ſiue Sophenos rebellaſſe, pariter cum aliis ab Ammonita mercede conductos.

Sed quanta ea merces fuit? Hic non exprimitor; in libro tamen Paralipomenon aperte ſignatur [g]. *Miſerunt*, inquit, *mille talenta argenti.* quæ pecunia ad noſtram redacta, ſummam conficit, ſecundum aliquos, quatuor millionum & 125. millium francorum; vel quod eodem recidit, vnius millionis, & 375. millium aureorum. Tanti nimirum ſtare incipit Ammonitis riſus, quem ex ſemiraſa barba legatorum Dauidis importunè captaront.

Miſit David Ioab, & omnem exercitum bellatorum.] Hanc primam expeditionem Dauid non præſens, ſed per legatum ſuum Ioab confecit, vt ſupra vidimus Iudaicæ militiæ magiſtrum. Videtur autem non nouum militum delectum inſtituiſſe; ſed quos iam in promptu habebat, & ad manum paratos emiſiſſe. Nempe tormam illam viginti quatuor millium; quæ eo menſe vices ſuas in armis apud illum agebat [h]. Id autem ex

a lib. 1. c. 19.
b Num. 41. 22. 1. Reg. 14. 18.
c Num. 13. 22.
d Cap. 8. huius lib. & Ioſ. 19. 38. Iudic. 1. 31.
e Iud. 11. 3.
f lib. 1. cap. 19. 6.
g Vide ſupra cap. 8.

eo facile colligitur, quod modus hic dicendi *Miſit omnem exercitum bellatorum*; clarè miſſos, inſinuat milites iam paratos; & præterea quia poſtmodum Dauid omnem Iſrael dicitur contraxiſſe, cum maioribus copiis aduerſos Ammonitas, & Syros auxiliares ipſe præſens pugnauit. Exiguum autem nunc Iſraelitarum numerum præ copiis hoſtium fuiſſe; conſilium eorum declarauit, de Dauidis militibus intercludendis; quod non ſuſcepiſſent, niſi exiguum eſſe eorum numerum iudicaſſent. Quantæ ergo Ammonitarum copiæ fuerunt? Ex auxiliaribus triginta duo millia armatorum; ex proprio milite numerus incertus. Sed turbat aliqoid quod habetur in libro [i] Paralipomenon; vbi, non 32. millia peditum, ſed 32. millia curruum conducta dicuntur, qui numerus immenſam plane reddit multitudinem pugnatorum; cum deni minimum milites ex quolibet curru pugnare ſolerent. Sed facile dubitatio ſedatur ex expoſitione Lyrani. triginta duo millia curruum poſita eſſe pro totidem hominum millibus ex curru pugnantibus aut pugnare ſolitis. vſitata figura dicendi continent pro contentis appellando.

i lib. 1. c. 19.

℣. 8.) Egreſſi ſunt ergo filij Ammon, & direxerunt aciem ante ipſum introitum portæ: Syrus autem Soba, & Rohob, & Iſtob, & Maacha ſeorſum erant in campo.

℣. 9.) Videns igitur Ioab quod præparatum eſſet aduerſùm ſe prælium, & ex aduerſo, & poſt tergum, elegit ex omnibus electis Iſrael, & inſtruxit aciem contra Syrum:

℣. 10.) Reliquam autem partem populi tradidit Abiſai fratri ſuo, qui direxit aciem aduersùs filios Ammon.

℣. 11.) Et ait Ioab; ſi præualuerint aduersùm me Syri, eris mihi in adiutorium: ſi autem filij Ammon præualuerint aduersùm te, auxiliabor tibi.

℣. 12. Eſto vir fortis, & pugnemus pro populo noſtro, & ciuitate Dei noſtri: Dominus autem faciet quod bonum eſt in conſpectu ſuo.

℣. 13.) Iniit itaque Ioab & populus qui erat cum eo, certamen contra Syros: qui ſtatim fugerunt à facie eius.

℣. 14.) Filij autem Ammon videntes quia fugiſſent Syri, fugerunt & ipſi à facie Abiſai: & ingreſſi ſunt ciuitatem: reuerſuſque eſt Ioab à filiis Ammon & venit in Ieruſalem.

℣. 15.) Videntes igitur Syri quoniam corruiſſent coram Iſrael, congregati ſunt pariter.

℣. 16.) Miſitque Adarezer, & eduxit Syros, qui erant trans fluuium, & adduxit eorum exercitum: Sobach autem, magiſter militiæ Adarezer, erat princeps eorum.

Ante ipſum introitum portæ.] Cognito hoſtium aduentu Ammonitæ, bipartito copias diuiſerunt; ex vna parte populares omnes milites ſtatuentes; ex altera, auxiliares. Illos ante vrbem ipſam locarunt; hos per aperta camporum dimiſerunt. Eo conſilio vtiſ & ſibi, & vrbi, & vniuerſæ victoriæ proſpicere. *Sibi*; quia ſi quid accidiſſet, receptum habebant in vrbe paratum. *Vrbi*; quia prope illam acie constituta, ciuibus æque ab hoſtibus, vt à ſociis cauebant; quorum ſolent aliquando non leuiores eſſe in ciuium fortunas iniuriæ, quam quæ ab hoſtibus contra quos educuntur, tolerantur. *Vniuerſæ denique victoriæ*; quia bipartito miliite facilè erat Hebræos medios intercludere, ſi nimirum Ammonitæ à fronte, Syri vero à tergo illos adorirentur.

Videns autem Ioab.] Hoſtium conſilio comperto Ioab, & ſuas ipſe copias bipartito diuiſit, & electos Iſrael ipſe ſecum ſumpſit aduerſus Syros à tergo imminentes; aliquos Abiſai permiſit in Ammonitas ducendos; inter illos autem conuenerat, hoſtes non ſimul aggredi, ſed vt interim dum vnus in obiectos incurreret, alter ceſſaret; intentus tamen & ſi quid acies labaret, opitulaturus.

Eſto vir fortis & pugnemus: Dominus autem faciet quod bonum eſt.] Egregia vox, quam fortiſſimus Imperator Hebræorum Iudas Machabæus tot deinde poſt ſæcula ex Ioabi imitatione vſurpauit, eius alius ſenſus non eſt, quam *nos, quod noſtrum eſt faciamus*; quod eſt forti animo pugnare; ſucceſſum vero Deus conatibus noſtris expediat, qualem nobis ipſe iudicauerit expedite. [a] *Sicut fuerit voluntas in cælo ſic fiat.* Siue nobis vincendum, ſiue cadendum ſit; fortem operam nauemus; reliqua Dei voluntati permittamus. a li.1. Mach. 3.

Iniit itaque Ioab certamen contra Syros, & ſtatim fugerunt.] Prius Ioab cum fortiſſimis ſuorum, optimo ſanè conſilio Syros aggreſſus eſt. Quia non eodem ardore pugnat miles mercede conductus, quo proprius & popularis. Ille enim pro exiguo ſtipendio; hic pro aris & focis, pro filiis, vxore, & paternis ſacris. Itaque ille vix primo impetu excepto, fugit: quia mercenarius eſt; hic, cuius propria res agitur, aut cum victoria ex acie diſcedit, aut cruentam victoriam relinquit hoſti. Non leue ergo flagitium Ammonitæ in re militari admiſere, cum copias omnes auxiliares, & mercede conductas, in vnum agmen ſeorſim egerunt. Erant ordines permiſcendi, & Ammonitæ ſimul Syrique iungendi, vt Ammonitarum præſentia Syros vrgeret. Contra factum eſt, & Ioab occaſione perſpecta, ſibi non defuit. Iuſſo enim Abiſai tantiſper quieſcere, motuſque omnes ab Ammonitis excipere, ſuos in Syros intulit; qui primum impetum non ſuſtinentes, illico quo victoria inclinaret oſtenderunt. Quod enim dicitur hic; *ſtatim fugerunt*; non ſignificat incurſionem Ioabi Syros non expectaſſe; ſed ſtatim apparuiſſe qua ex parte victoria ſe daret. Quod clarius ex Hebræo; Græco, Chaldæoque colligitur, in quibus vox; *ſtatim*, non habetur.

Filij Ammon videntes quod fugiſſent Syri, & ipſi fugerunt.] Antea contra ſolum Abiſai ſe commouere non auſi, cum integros adhuc ſocios haberent: nunc illorum auxilio nudati, & cum Abiſai Ioabum victoriâ lætum inſuper excepturi, non pares ſe vtrique ſuſtinendo putarunt. Fugerunt ergo; & fugæ non exiguam occaſionem præbuit vicinitas propinquæ vrbis. Si enim tam opportunum refugium non habuiſſent; non ita facilè de fuga cogitaſſent. Quod ſolere milites ſi quando prope amicam vrbem manus conſerunt, egregiè Princeps hiſtoricus obſeruauit. Deſcribens enim cladem quam Antonianus miles Cremonæ egreſſus à Vitellianis accepit; *Mixtus*, inquit, *pedes, equeſque* (Vitellianorum) *rupere legionum agmen, & propinqua Cremonenſium mœnia, quanto plus ſpei ad effugium, minorem ad reſiſtendum animum dabant.* Idipſum quod accidit Ammonitis: propinqua Rabathæ mœnia tantò minorem illis animum in pugna, quanto plus ſpei ad effugium dederunt.

℣. 17.) Quod cum nunciatum eſſet Dauid, contraxit omnem Iſraelem, & tranſiuit Iordanem, venitque in Helam: & direxerunt aciem Syri ex aduerſo Dauid, & pugnauerunt contra eum.

℣. 18.) Fugerúntque Syri à facie Iſrael, & occidit Dauid de Syris ſeptingentos currus, & quadraginta millia equitum: & Sobach principem militiæ percuſſit: qui ſtatim mortuus eſt.

℣. 19.) Videntes autem vniuerſi reges, qui erant in præſidio Adarezer, ſe victos eſſe ab Iſrael, expauerunt, & fugerunt quinquaginta & octo millia coram Iſrael. Et fecerunt pacem cum Iſrael: & ſeruierunt eis, timueruntq; Syri auxilium præbere vltra filiis Ammon.

Hic ſecunda in Ammonitas expeditio, vel potius contra Syros illorum cauſa ſuſcepta, & eius exitus narratur, diſtinctè propoſitis vtrinque ducibus copiis, ſucceſſu. Ex parte enim Dauidis; ipſemet præſens bellum adminiſtrauit, non quod priori expeditione fecerat, per Ioab & Abiſai legatos ſuos, vt bene Ioſephus [b] aduertit. Ex parte verò Syrorum; omnium imperator Adarezer fuit, cuius legatus Soba, ſummus apud illum militiæ magiſter. Iam vero copiæ ex parte Dauidis ex omni Iſrael nouo delectu inſtituto conſcriptæ fuerunt. Ingentes autem omnino fuiſſe; coniicere poſſumus: quantæ vero præcisè fuerint; Scriptura non tradit. At hoſtium centum triginta, & octo millia ſupra ſeptingentos currus fuerunt. Tantus enim numerus efficitur ſi fugatorum, & occiſorum ſumma rectè putetur. Quadraginta enim millia equitum hic occiſa dicuntur; & quadraginta millia peditum in libro [c] Paralipomenon; de quibus hic nulla mentio. Vtrobique autem tam hic, quam in libro Paralipomenon, quinquaginta duo millia fugata. Videtur autem non nihil eſſe in hac narratione diſſidij in curruum numero tradendo. Nam hic *ſeptingenti currus dicuntur occiſi*; in Paralipomenon ſeptem millia, *Interfecit*, inquit, *Dauid de Syris ſeptem millia curruum, & quadraginta millia peditum, & Sophach exercitus principem.* quod tamen diſſidium ſupra facile cum Lyrano ſuſtulimus. Admiſſo enim currus, pro iis, qui ſolent pugnare de curribus, appellatos, in libro Paralipomenon

b lib.7 an.

c lib.1.c.19. 18.

pomenon ſeptem millia currunm dicuntur occiſa,id eſt militum ex curru pugnantium. Itaquè in hoc loco Regum ipſi curtus nnmerati ſunt, in libro Paralipomenon, pugnantes è curru. Cum enim deni ſnleant milites è curru pugnare; ſi ſeptingenti cutrus deleti ſunt; ſeptem millia pugnatnrum oportet eſſe deleta. Quæ autem diſſenſio non in numero, ſed in qualitate videtnr occiſorum, cum hoc loco quadraginta millia equitum dicuntur occiſa, quæ peditum in libro Paralipomenon dicuntur; diſſenſio nnn eſt, ſed vnius narrationis ab altera ſuppleta relatio; vt qnod in vna omiſſum fuerat, in altera ſuppleatur. Maius dubium de magiſtro militiæ Adarezeris: nam in libro regum *Sobach*, in libro vero Paralipomenon Sophac appellatur. Sed id etiam facilè componitur, admiſſa fortaſſe aliqua vnius litterulæ in alteram, mutatione. Sed quid quod iſte Sobach omnium princeps, vt hic; vel dux, vt in libro Paralipomenon, fuiſſe narratur? Si enim id eſt; falſo diximus ſupremum hoſtilis exercitus Imperatorem, Adarezerem fuiſſe. Sed dicendum Sobach appellari [a] *principem eorum*; non quod omnibus cum imperio præeſſet; ſed qnod omnium primus eſſet, & omnes antecederet, cùm illos adduceret; vt clarè in libro Paralipomenon indicatur, dum dicitur fuiſſe dux, in agmine ſcilicet, dum iter agerent, & illos deduceret. Quis autem belli exitus? Qui aliorum? Fœliciſſimus Dauidi, funeſtus hoſtibus. Victi enim & tot ſuorum amiſſis, quot modò protulimus, omnes tandem in Dauidis poteſtatem ceſſere, Adarezere ipſo iterum fugiente, cùm Sobach militiæ Magiſter, Dauidis manu peremptus, in acie cecidiſſet. Et hæc anno Dauidis decimo octauo, vno poſt anno, quàm prior in Ammonitas expeditio, quæ in decimum ſeptimum [b] annum Dauidis inciderat, eſt abſoluta.

a Hic verſ. 16.

b *Salian an. 2997.*

DIGRESSIO

Digitized by Google

DIGRESSIO PRIMA
DE RE VESTIARIA
ET VARIO INDVMENTORVM GENERE IVDÆORVM.

Veſtium varia diuiſio, ex qua Tractatus ingreſſus, & eius in ſumma capita diſtributio.

HANC tractationem de Re Veſtiaria populi Iudaici, non poſſumus in ſua capita commodè diſtinguere, niſi aliqua veſtium generali diuiſione præmiſſa. De iis autem, & earum multiplici varietate nobiles Iuriſconſulti [a] *pleraque litem accuratè mandarunt; quod viderent intereſſe plurimum vitæ quietè degendæ veſtium plura diſcrimina non ignorari; quo lites dirimi poſſent, & controuerſiæ ſedari, quæ maximè coniunctos in hæreditate cernenda plerumque diſiungunt. Inter alios autem Vlpianus* [b] *hac de illis nobis præiuit.* Veſtimenta, *inquit,* aut virilia, aut puerilia, aut muliebria, aut communia, aut familiaria ſunt; eaque vel induendi, vel præcingendi, vel amiciendi, vel inſternendi, vel iniiciendi, vel accubandi cauſa parata ſunt. *Quibus præmiſſis, quæ ſint hæc ſumma capita preſſiùs exequitur; & quæ ſub illis veſtium differentiæ claudantur: omnia tamen implicatè. quod neceſſe erat rei par ſe infinita non ex arte, nec iuxta philoſophiæ præcepta diuiſione inſtituta; cuius eſt confuſa, certa ratione diſtinguere. Quis enim non videt innumeras illico veſtium ſpecies haberi; ſi capita ſingula, ex quibus poſſunt illæ diuerſitatem trahere, numerentur? Aliæ enim ab ætate; & ſexu, aliæ à perſonarum qualitate diſtinguuntur; aliæ à colore, & materia, qua confectæ; aliæ à loco, & tempore, quibus vſurpatæ; aliæ ab vſu, & munere, in quod aſſumptæ; aliæ à variis corporis partibus ad quas paratæ; aliæ denique aliunde tot, & tam varia diſcrimina concipiunt; vt immenſi ſit operis illa tentare, niſi ſub certa capita diuiſione ex artis præceptis inſtituta redigantur; quod hic primum omnium præſtabimus; vt inde hæc noſtra tractatio dirigatur, & quicquid in ſacris literis ad hoc argumentum ſpectat illuſtretur.*

a Paul. l. & tunicas. Vlpian. l. vitu. l. argumento ff. de au. & arg. ex illis Laz. Bayfius in lib. de re veſtiar. Guido Pancirol. var. lect. lib. 2. Andr. Alciat. Para lib. 2. Luc. de Penna ad poſtr. lib. Cod. 6. l. 25. ff. de au. & arg.

Veſtium igitur, quæ hominis cauſa paratæ, ad illius intimos vſus aſſumuntur, aliæ ſunt ad ipſum tegendum, aliæ ad mollius excipiendum. Primi generis in ipſo recipiuntur, ſecundi generis extra adhibentur. Illa bipartito diuiduntur, in amictus, & indumenta. Ad amictum *ſpectant, quæcunque toti corpori, aut parti corporis iniiciuntur; aut* ambiendo, *vt, pallium, theriſtra, ſyndones; aut* cingendo, *vt balthei, campeſtria, vittæ, faſciæ. Ad* indumenta; *quibuſcunque vel corpus ipſum, vel pars corporis inſeritur; vt tunica, thorax, pileus, calceus. Secundi vero generis quæ extra hominem, ad ipſum tamen mollius excipiendum parantur, duæ quaſi ſpecies ſunt, aulæa & ſtragula:* aulæa, *veſtes omnes continent, quæ ornatus, aut alterius opportunitatis gratia ſuſpenduntur; vt Attalica, Babylonica periſtromata.* Stragula *vero, quicquid homini ſternitur mollius habendo; ſiue dum cibum ſumit, vt accubitoria; ſiue dum cubitum cedit, vt culcitra, ſtrata, lodix; ſiue dum ſedendo quieſcit, vt puluilli. Hac diuiſione præmiſſa, facilè deinde eſt varia ſub illa genera diſtinguere, quæ poſſunt omnia ſex ex capitibus deduci, nempe materia, forma, perſonis, loco, tempore, & vario vſu.* Ex Materia, *vt aliæ ſint veſtes lineæ, aliæ laneæ, aliæ ſericæ, aliæ aliunde confectæ, aliæ puræ, aliæ virgatæ, aut ornatu alio aliter illuſæ.* Ex forma, & figura, *prout variè congruunt, & varia ſunt corporis partes quibus aptantur; vt aliæ ſint adſtrictæ, aliæ fluxæ; aliæ breues, aliæ talares; aliæ ad caput, aliæ ad pedes; aliæ ad partes alias*

attributa. Ex perſonis, *vt aliæ ſint magiſtratuum, aliæ priuatorum; aliæ virorum, aliæ fœminarum; aliæ nobilium, aliæ plebeiorum; aliæ ſeruorum, aliæ ingenuorum; aliæ iuuenum, aliæ puerorum.* Ex loco, *vt aliæ ſint domeſticæ, aliæ forenſes; aliæ militares, aliæ vrbanæ.* Ex tempore; *vt aliæ feſtiuæ, aliæ quotidianæ.* Ex vſu, *aliæ ſacræ, aliæ profanæ; aliæ ad induendum; aliæ ad amiciendum; aliæ ad cubandum, aliæ ad accubandum. Quibus omnibus ad exempli ſpeciem propoſitis, apertè conſtat nullas eſſe veſtium formas, quæ ſub aliquo horum capitum non includantur? Ex quibus hæc vniuerſa tractatio, ſic à nobis inſtituetur, vt ea quæ ſunt omni veſtium generi communia prius exequamur; inde verò, diuerſas indumentorum ſpecies explicemus, de quibus in ſacris literis maior aliqua dubitatio poßit eſſe.*

Ad illa verba 2. Reg. 1. Super Saul flete, qui veſtiebat vos coccino in deliciis;

Et ad alia 4. Regum 6. Quod cum audiſſet Rex Iſrael, ſcidit veſtimenta ſua; & tranſibat per murum, viditque omnis populus cilicium, quo veſtitus erat ad carnem intrinſecus.

De varia materia veſtium Hebræorum, & quæ ex quo potißimum genere conficerentur.

DISPVTATIO I.

HÆc veſtium ſciſſio tam frequens apud Hebræos occaſionem pleriſque non temere præbuit de illarum materia quærendi. Cùm enim dupliciter vſurparetur; ad ſubitum nuncium calamitatis acceptæ, & ad obiectum primum cuiuſcunque rei deteſtandæ; dubitandum merito videbatur ex qua tandem materia, & quo textu conſtarent, quæ tam facilè tam ſubito, non à viris modo robuſtis; ſed à molliori ſexu, & ætate poterant omni tempore ſcindi. Nos ergo illorum hîc dubitationem ſequuti, primò de multiplici apud Hebræos veſtium materia diſſeremus. Secundò. Certas quaſdam illius ſpecies accuratiùs explicabimus, de quibus in ſacris literis aliqua maior controuerſia videtur eſſe. Et demum ex his, quomodo veſtes Hebræorum tam ſciſſiles eſſent, exponemus.

Multiplex veſtium materia proponitur, & per ſumma capita breuiter explicatur; & primo frondes, & lanæ.

CAPVT I.

OMnis veſtium materia vel ex terra gignitur, vel ex animalibus paratur, vel ex arboribus legitur. Ex *terra*; linum, ſpicæ, palea, fœnum. Ex *animalibus*; pelles, pili, plumæ, vellera. Ex *arboribus*; cortex, lanugo, folia. Quas omnes ſpecies Seneca dum in ſui ſæculi mores inuehitur ſub vno veluti faſce complectitur [a] *Frigus,* inquit, *intolerabile eſt corpori nudo. Quid ergo? nunquid non pelles ferarum & aliorum animalium à frigore ſatis abunde defendere queunt? Non corticibus arborum pleraque gentes tegunt corpora; non auium pluma in vſum veſtis conferuntur; non hodieque magna Scytharum pars vulpium ac murium tergis induitur, quæ tactu mollia & impenetrabilia ventis ſunt?* Ex his verò veſtes dupliciter aptantur; textura, & nexu. *Textura,* operoſior eſt; *nexus,* facilior. Ob id veſtes hominum primæ *nexæ,* non *textæ*; quod Poeta [b] Philoſophus non omiſit.

a Ep. 90.

b Lucr. lib. 5.

Nexilis ante fuit veſtis; quam textile tegmen.

Textura enim veſtem ipſa per ſe rarò concinnat; ſed materiam proximè parat, quæ concinnatur in veſtem. At ſolo nexu poteſt optimè veſtis aptari, cuius materiam natura ipſa nullo artis adiumento miniſtrat; vt cum ex pellibus aut paleis inuicem nexis operimenta corpori parantur.

§. I.

Prima veſtium materia proponitur.

PRima ergo & antiquiſſima veſtium materia, non ſolù apud Hebræos, ſed apud alias omnes gentes, eſt quâ nexilia veſtimenta conſtant; nempe ex arboribus folia & cortex; ex quadrupedibus pelles & lana; ex terra paleæ & fœnum; ex auibus plumæ. De foliis dubium non eſt cum primum veſtimentum generis humani folia fuerint. [c] *Cum cognouiſſent,* inquit, *ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.* Ex qua veſte prima omnium, & antiquiſſima, tria ſunt obſeruanda. Primum veſtes eſſe, non neceſſitatis; ſed pudoris inuentum. Nec enim contra vlla frigoris, aut æſtus incommoda; ſed ad velandam turpitudinem ſunt prima veſtimenta parata. *Videntes,* inquit, *ſe eſſe nudos, perizomata ſibi fecerunt.* Nuditate conſpecta, non caput, & humeros velarunt, non totum corpus texerunt, quod vtique feciſſent, ſi tantum ad frigoris, & æſtus incommoda reſpexiſſent; ſed *perizomata* ſibi conſuerunt, vnde pudenda velarentur, & animi confuſio, non frigoris aſperitas arceretur. *Ex quo exemplo* dicit Auguſtinus [d] *omnes gentes, quæ ab illa ſtirpe procreata ſunt, vſque adeo tenent inſitum pudenda velare; vt quidam barbari illas corporis partes nec in balneis nudas habeant; ſed cum earum tegumentis lauentur.* Alterum, quod eſt obſeruandum; fici folia primam materiam humanis veſtibus præbuiſſe; quod inter alias arbores ficus latiſſima folia progignat quæ, vt Plinius [e] aduertit, nullum fructibus vſum præbent; cum pomum prius in ficu, deinde folia naſcantur? *Reliquis,* inquit, *arboribus pomum ſub folio naſcitur, vt protegatur, excepta fico; cui folium maximum vmbroſiſſimumque & ideo ſupra id pomum, deinde ſerius folium naſcitur, quam pomum.* Vt hinc ſciamus primos parentes cum tales ſibi veſtes conficere: [illegible] non temerè latiſſima, & vmbroſiſſima folia, quæ nullum ſuis pomis vſum præberent, elegiſſe. Quod quam ſignificationem vitæ inſtituendæ contineat; alibi proſequemur. Tertiò ſeruandum; primam omnium veſtem illam fuiſſe, quam poſtmodum Latini *ſuccinctorium, ſemicinctium, ſubligaculum*; & poſteriori tempore *campeſtria* dixerunt. De quibus Auguſtinus, [f] quod nos habemus; *Fecerunt ſibi perizomata,* legens; *fecerunt*

c Gen. 3. 7.

d 14. de ciu. cap. 17.

e lib. 16. c. 26.

f lib. 14. de ciuit. cap. 17.

fecerunt ſibi campeſtria. Quid hæc ſint explicans, ſubdit; *Pro his quidam interpretes ſuccinctoria poſuerunt. Porro autem campeſtria, latinum quidem verbum eſt; ſed ex eo ductum, quod iuuenes, qui nudi exercebantur in campo, pudenda operiebant. Vnde qui ita ſuccincti ſunt, vulgus campeſtratos appellat.* Sic ille. Et ab his pudendis initiis adeo in immenſum ſuperba creuit inſania; vt nullibi iam magis homines, quam in veſtium luxu glorientur. Et hæc de foliis. De cortice, non eſt quod aliud dicamus, cum de illius vſu nihil in ſacris literis ad indumenta dicatur.

Sequitur lana; cuius apud Hebræos in veſte nexili, quam textili vſus antiquior. Ad quod obſeruandum, veſtes quæ nexu fiunt, aptari triplicitér, alligando, ſuendo, compingendo, *alligantur*, quæ vinculo tranſmiſſo iunguntur; *ſuuntur*, quæ conſertâ materia denſantur. Dico ergo lanæ primum vſum in veſte nexili fuiſſe, non textili; longe enim prius quam texi cœpta in hominis operimentum, fartim eſt ſubigendo denſata: quod genus veſtis Ezechielis verba reſpiciunt, dum ſub paſtorum metaphora populi rectores alloquitur [a]. *Lac*, inquit, *comedebatis, & lanis cooperiebamini; quod craſſum erat, occidebatis; gregem autem non paſcebatis.* Propterea enim tali genere veſtis homines cùm induuntur, lanis operiri dicuntur, quod ipſamet lana fartim coacta, & durata in vſum veſtis aptetur: quem primum vſum ſectæ lanæ fuiſſe; ex prima hominum vita conuincitur, quæ paſtoralis fuit. Ex ea enim factum, vt quæ poſteriori tempore ad vitam traducendam homines vſurparunt ex animalibus deſumpta reperiamus. Ex iis enim alebantur, veſtiebantur, tabernacula, quæ priſcis temporibus pro domibus erant, corio deſuper extenſo erigebantur, mutui conuentus cornuum ſonitu indicebantur. Iam vero vt ex pellibus primæ veſtes vinculis aptabantur; ſic ex lana ſubacta denſabantur; ad quod, vt dicebam, hic alludit Ezechiel dum dicit; *lanis operiebantur*, non laneo textu, ſed ipſa lana. Quod deinde genus veſtis, ex eo quod cogendo confectum, coactilia Latinis eſt appellatum, & nunc apud Italos vulgo, *di feltro. Lana*, inquit Plinius [b], *& per ſe coactæ veſtem faciunt; & ſi addatur acetum, etiam ferro reſiſtunt.* Ita enim durabantur, vt etiam antiquitus inde militares loricæ fierent, vt diximus in primum Regum [c]. Et apertè Cæſar [d] non ſolum eas inter veſtes, ſed inter arma *defenſiua* connumerat. *Omnes* inquit, *fere milites ex ſubactis, aut ex centonibus aut ex coriis tunicas, aut tegumenta fecerunt, quibus tela vitarent.* Hic enim *ſubacta*, quod alij [e] ante nos obſeruarunt, *coactilia*, & *impilia* ſunt. De quibus Vlpianus [f] cum veſtimenta legantur, *coactilia quoque cedere* definiuit.

a Ezech. 34. 3.

b lib. 8. c. 4. 8.

c Cap. 17. in Comment.

d libr. 3. de bel. ciu.

e Baiſius §. Ariſt. Pancir. lib. 2. var. cap. 99. V. Egnat. Spartian. in vita Pertinac.

f l. argumento dicto §. Ariſt. ff. de au. & arg.

Pelles, & illarum vſus in veſtibus apud Hebræos.

§. II.

PRimum veſtimentum hominis, quod ipſe ſibi confecit, ex foliis fuit; primum verò quod illi Deus ſuis quaſi manibus concinnauit, ex pellibus. *Fecit*, inquit [g], *Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Si ergo genus eſt vllum veſtium, quod auctoris ſui gloria commendetur; hoc vnum ante omnia reliquis antecellit, quod à Deo factum eſt. Circa quod veſtium genus obſeruandum eſt primo loco verè fuiſſe ex animalium pellibus, vt Eccleſia tota docet; non ex arborum corticibus vt quidam [h] finxerunt. Ob id hoc commenti, quia ſatis expedite non poterant vnde, aut ex quibus animalibus & quomodo cæſis, pelles iſtæ deſumptæ. Secundò obſeruandum; cur has veſtes Deus, & ex hac materia fecerit; quatenus deinde illæ in vſus fuerint, ex quo genere ſeratum, apud quas gentes.

g Gen. 3. 21.

Sopran. in Dauid.

h Moſes Barcepha lib. de parad. adducens Nazianz. Gennad Conſtantin. Theodoret.

Deus ergo id per ſe voluit, vt oſtenderet homini, nil adeo vile eſſe, & exiguum, quod hominis cauſa non faceret. *Nunc tiſus proximum videtur eſſe*, inquit Rupertus [i], *quod Dominus Deus tunicas pelliceas fecerit Adamo & vxori. Nec enim eiuſdem dignitatis eſt pelliculas conſuere, & tunicas facere, cuiuſmodi ea ſunt; quæ de Domino prius fuere præmiſſa.* Quæ illa? Terram fundaſſe, cœlum extendiſſe, maria diuiſiſſe, ſolo verbo mandaſſe, & illo cuncta in hanc pulcherrimam ſpeciem quæ mundus appellatur extitiſſe. Illa omnia Deus ingentia, miranda, magnifica hominis cauſa parauerat; eo etiam ſe demiſit, (verbo liceat hoc vti) vt qui paulo ante cœlum in ornatum mundi, ſicut pelles extenderat; homini nunc quaſi pellifex, & coriarius veſtimenta conficiat. Et id cur? vt re ipſa doceret quod tanto poſt Chriſtus Dominus verbo monſtrauit [k], *quærendum primum regnum Dei, & hæc omnia nobis inde adiicienda.* Adam cum nudus eſſet ante omnia animi pudori conſuluit, non corporis ſalubritati; recordatus officij, neceſſitatis oblitus. Ob id Deus vt oſtenderet animi bona ſi primo loco quærantur; corpori neceſſaria non defutura, ſuis ipſe manibus Adamo veſtimenta confecit; qui corporis cura neglecta, pudoris anxius, ficulnea ſibi indumenta curauerat. At cur ex pellibus has tunicas Deus? Vt mortuorum pellibus indutus Adam, quam pœnam mortis incurrerat, ante oculos ſemper haberet: vt diſceret [l] longe melius homini Deum conſulere, quam ipſum ſibi; & inde in illum ſpem ſuam omnem cogitationemque reiiceret; quem ſciret etiam in minimis ſibi non defuturum. Tanto enim Deus homini melius de veſtimento prouidit; quanto ficulneo ſuccinctorio pelliceus amictus antiſtat.

i lib. 1. de oper Trinit. in c. 3. Gen.

k Matth. 6. 33.

l Ambr. de Iſaac cap 6. Epiph. cont. hæreſ. cap 1. & habetur c. Adam. de pæn. in fine d. 1 Vide Auguſtin. Caſſiodor. Arnob. Hugon Pſal. 54. ibi, iacta ſuper Dominum, &c.

At quem inde Iudæi vſum pellium in veſtibus habuerunt? Duplicem; vnum, ad induendum; alterum ad inſternendum. Ad *induendum*, non habemus in ſacris litteris alios vſurpaſſe, quam qui vitam pauperem agerent, & propriam ruſticorum. Tales illi prophetæ fuerunt, de quibus Apoſtolus [m]; *Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis.* Qui iſti? Elias in veteri teſtamento, qui deſcribitur [n] *vir piloſus, & zona pellicea accinctus renibus.* In nouo Ioannes de quo dicitur ipſe autem [o] *Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos*, Qui enim zona pellicea cingebatur Elias, is eſt, quem dicit *in melotis* Apoſtolus circumiiſſe. Eſt autem *melota* propriè ſpolium ouillum, pellis nempe ſimul cum lana oui detracta, qualem prorſus Adamo Deum induiſſe credibile eſt, & in qua nunc paſſim incedunt pauperes, & ruſticani. Eam autem horum tantum fuiſſe propriam apud Hebræos, vt indicaret Apoſtolus, vbi præmiſit; *circumierunt in melotis, & in caprinis pellibus*; ſubdit; *Egentes anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.* Egenus enim & angu-

m Ad Hebr. 11. 37.

n 4. Reg 1. 8.

o Matth. 3. 4.

ſtiatus erat Elias, qui quæſitus vndique ad mortem, vagus & profugus, omnium rerum inopia laborabat. At melotarum vſum quem Hebræi ruſticis tantum, & agreſtibus reliquerunt, in Chriſtiana deinde Eccleſia Patres diſtrictioris vitæ cultores inſtaurarunt; ob reuerentiã primæ veſtis, opinor, qua à Deo Adamus indutus, & veterum prophetarum, vt de illis teſtatur Caſſianus [a]. At vero ad *inſternendum*; dubium quem vſum pelles habuerint apud Hebræos; apud alias enim gentes hoc pacto multipliciter vſurpatæ ſunt, & adhuc vſurpantur; nempe ad parietes veſtiendos, ad arcas & res alias obtegendas, ad cœli iniurias obtentu ſuo prohibendas, ad ſupellectilem aſſeruandam, inuoluendam, aſportandam; & ad mollius cubandum, & quieſcendum. In quæ omnia cùm pelles aſſumuntur, ſtragulæ veſtis officio fungi dicuntur: quia ſiue ſuſpendendæ, ſiue obtendendæ, ſemper ante ſternuntur, & id quod in pariete ſuſpenſæ, & appenſæ præſtant, poſſunt ſtratæ in pauimento præſtare.

a lib. 1. inſtit. cap. 6 & alibi.

Vſum ergo pellium ad tegendum in ſacris literis habemus, vbi ſermo fit de ianthinis, & rubricatis, quibus tabernaculum, arca, & alia inſtrumenta ſacra tegebantur. In Exodo enim vbi ea memorantur, quæ à populo Moſes in vſum templi iubetur accipere [b]; *Hæc*, inquit, *accipies à filiis Iſraël; aurum, argentum pilos caprarum, & pelles arietum rubricatas & pelles ianthinas*. Ad quid? Ad Arcam, Tabernaculum, & omnia inſtrumenta ſacra tegenda [c]. *Quando*, inquit, *mouenda ſunt caſtra, deponent velum, quod pendet ante fores, inuoluentque en arcam teſtimonij, & operient rurſum velamine ianthinarum pellium.* Quid autem eſſent pelles iſtæ, aut quomodo *ianthina* & *rubricata*; non videtur ab eo omittendum, qui rem veſtiariam tractat, in ſacris literis contentam. Obſeruandum ergo pelles dupliciter in vſu eſſe; lanatas, & omni vellere piloque detracto, tinctas & medicatas. De lanatis ſupra diximus; & iterum paulo poſt vſum ſtragulæ veſtis habuiſſe monſtrabimus: ad alias iſtæ ſpectant, de quibus nunc agimus. Lana enim detracta, pelles variè medicatæ, vario colore tinguntur. Has, quas Deus ad vſum tabernaculi requirebat, *ianthinas*, & *rubricatas* eſſe volebat, *ianthinum* color, cæleſtis eſt; *ruber*, ſanguineus; vt oſtenderetur [d] hoc ſymbolo quid à ſacra tractantibus Deus exigeret, qui in pellibus ſacra tegentibus colorem cæleſtem & ſanguinem requirebat.

b Exod. c. 25. 3. 4.

c Num. 4. 6.

d *Vide Aug. in Exod. q. 180. Origen. in hom. in Ioſ.*

An autem ad parietes ornandos vſum aliquem pelles haberent, apud Hebræos; incertum eſt. Affirmant aliqui, voluntque; vt apud nos ex pellibus Hiſpanicis, & Romanenſibus aulæa, veſtiendis parietibus concinnantur; ita fuiſſe apud Hebræos, & alios Orientales. Ad quod aſtruendum illud Abacuch [e]; *Turbabuntur pelles terræ Madian*; vertunt; *Turbabuntur aulæa terræ Madian*. Pelles à noſtro appellatæ; quod ex illis; *Aulæa* in fonte, quod ad aulas ornandas. Sed vt verum fatear, incertum non modo eſt an Hebræi medicatis pellibus aulas ornauerint; ſed an omnino vllo aulæorum genere parietes ornandi cauſa contraxerint. Certè cum Balthaſar in aula regia principibus ſuis regium quoque conuiuiũ ſtruxiſſet, nulla ex parietibus vela pendebant, quibus aula veſtiretur. Hæc enim de illo Daniel [f], *Balthaſar fecit grande conuiuium Principibus ſuis mille*. Et paulo poſt [g], *In eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ regiæ.* Si ergo regiæ aulæ parietes, dum in in ea apparatu regio conuiuium agebatur, aulæis nullis ornabantur; quid exiſtimare de aliis debemus in toto illo tractu Orientali? Hoc ergo incertum, quod infra fortaſſe preſſiùs diſcutietur.

e Cap. 3. *vbi Anton. Gueuara. vide Martin. Delr. c. 1 in Cant.*

f Cap. 5. 5.

g Ver. 5.

At illud certum de vſu pellium in tentoriis & tabernaculis, quæ in campis, & ſub dio figebantur. In hoc enim pelles vſurpatas; alibi clarè in ſacris litteris exprimitur, alibi alludendo, nec minus frequenter, innuitur. *Dilata*, inquit Iſaias [h], *locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende.* Vtraque enim hæc ex pellibus erant, & eorum maxime vſus in caſtris. Vnde *ſub pellibus agere*, pro eo quod militare & aduerſus hoſtes in campis eſſe, nec ab armis diſcedere; quod habitacola militum propria in caſtris, & campo, ex pellibus eſſent. Ad quod Dauid alludens, de Deo dicit [i]; *cælum ſicut pellem extendiſſe*: quaſi enim tabernaculum Deus, & militare tentorium hominibus extendit, dum cœlum extendit: quia [k] *militia eſt vita hominis ſuper terram*. Ex hoc autem vſu pellium ortum, vt ſub pellibus eſſe, ſit militare, & in armis eſſe; præter externos ſcriptores, etiam ex noſtris habetur: vnde ſunt illa Hieronymi ad Heliodorum [l]; *Quid facis in paterna domo delicate miles? Vbi vallum? vbi foſſa? vbi hyems acta ſub pellibus?* Quare cum vellet Vrias ſignificare, non ſolum totum Iſraëlem in armis eſſe, ſed etiam Arcam ipſam Dei militare, quod hic D. Hieronymus dicit, ſub pellibus agere; clarius ipſe proponens [m]; *Arca Dei*, inquit, *& Iſraël, & Iuda habitant in papilionibus & Dominus meus Ioab, & ſerui Domini mei ſuper faciem terræ manent*; Papiliones enim iſti ſub quibus agebat Arca, tentoria ex pellibus erant; in quibus habitare, nil erat aliud [n], quam ſub pellibus agere, & in illis eſſe nil aliud, quàm militare.

h Cap. 54. 2.

i Pſal. 103.

k Iob 56.

l Ep. 1.

m lib. 2. Reg. 11.

n *Panuin. lib. 2 rer. cap. 93. in Tacit. lib. 14. an. Caſ. lib. 9 de bel. ciu.*

Quartus vſus pellium in ſupellectili ſeruanda, & aſportanda; num fuerit apud Hebræos; incertum eſt. Apud Latinos fuiſſe; non dubium, quibus ob id *pellium* [o] nomine *vidulus*, & *mantica viatoria* ſignificatur, quam vulgus Italicum appellat *valigie & bolge*. Non deſunt ergo qui tales fuiſſe putent pelles Salomonis, quibus ſe ſponſa comparat in Canticis, dum dicit [p]; *Nigra ſum, ſed formoſa, filia Ieruſalem ſicut tabernacula Cedar; ſicut pelles Salomonis.* Pelles enim has, vidulos exponunt, qui Salomonem antecedebant in pompa procedentem, vt nunc Cardinales, & alios Principes ſolet ea quæ vulgo dicitur *valiſia* antecedere acu vndique picta & elaborata, auroque intexto variè illuſa. Probabilis expoſitio, quam iuuant aliæ verſiones, quæ legunt, *ſicut cortina Salomonis*. Inter alia enim cortinæ pretioſam ſupellectilem inuoluebant, & inſtrumento viatorio accenſebantur. Inde autem ſententiam ſuam etiam confirmant, quod non appareat quod aliud genus pellium tantam pulchritudinem habere potuerit, vt illis, quo magis exiſteret pulchritudo ſponſæ debuerit comparari. Aliis [q] hoc non probatur, qui volunt pelles Salomonis eſſe hic *tentoria, & tabernacula* militaria; in eoque comparationem ſitam, quod ſponſa nigram ſimul ſe dicat, & pulchram; ad quod probandum tentoria Salomonis adducit, intrinſecus ornatiſſimi cultus, extrin

o *Adrian. Turneb. aduerſar. lib. 23. cap. 4.*

p Cap. 1.

q *Theodor. Pſellus, Aponius, & ex illis recentiores Genebrad. Aloyſ. de Leon Martin Delr. in Cant. c. 1.*

extrinſecus aggeſto puluere ſordidata. Sed vnde Salomoni pacis perpetuo cultori tenroria? Dubium eſt num vlla habuerit, qui ſemper ab omni bello vacauit, & iis omnibus quæ erant inimica paci; nedum talia habuerit, & tam nota, vt ex illis comparatio ad ignota illuſtranda duci potuerit. Exiſtimo ergo nomine pellium hoc loco neceſſario quid vndequaque pulcherrimum intelligendum. Sponſa enim duo de ſe dixerat; & quod nigra eſſet, & quod pulchra. Ob nigredinem ſe dicit ſimilem *tabernaculis Cedar*; ob pulchritudinem, *pellibus Salomonis*. Sicut igitur *tabernacula Cedar*, pulchri nihil habebant; ſic *pelles Salomonis* aliquid interpretari debemus, quod pulchritudine ſua vndequaque fulgebat. An autem vidulus ante illum geſtari ſolitus, ex pellibus artificioſè pictis, & auro illuſis confectus an aliud quid eſſet; incertum eſt. Illud tamẽ certum, pelles ex ſe deformes; arte tamen, auro, gemmiſque diſtinctas, id quod ſponſa volebat, ante oculos maximè ponere, nimirum poſſe aliquid eſſe turpe per ſe ſpectatũ, quod alterius accedente cura pulchrum fiat. Hunc enim eſſe ſenſum, quẽ ibi ſponſa, Eccleſia nempe quæ loquitur, intendit, Patres obſeruant [a]. Denique adhibitæ fuere
a Gregor. Bernard. Theodor. Nyſſen. Philo Carp. pelles ad mollius cubandum. De Gethæis enim dicitur feciſſe ſibi [b] *ſedes pelliceas*, cum Deus illos in poſteriora percuſſit; & id non ob aliud, niſi
b 1. Reg. c. 5. vt partes illæ laborantes interim dum ipſi ſederent, mollius exciperentur. *Computreſcebant*, inquit, *prominentes extales eorum, inierunt que conſilium Gethæi, & fecerunt ſibi ſedes pelliceas*. Quæ, quid eſſent; ambigẽre plerique. Quidam quod verba hæc *ſedes pelliceas* ab Hebræo textu, & Chaldæo abſint, omittendas etiam in Latino putarunt. Et omiſerunt in commentariis ſuis Gre-
c Theodoret. q. 13. in 1. Reg ex 70. gorius, & Beda Græci [c] vero pro *pelliceas*; *aureas* legerunt. Pelliceas tamen Hieronymus voluit, & ſemper editio latina retinuit [d], & retinet nouiſ-
d Lyran. Comeſt. Abul. Dionyſ. ſimè emendata. Aliqui [e] ergo ſedes pelliceas femoralia ſcortea interpretantur; ob id à ſcriptura
e Sanc. in 1. Reg 5. ſignanter expreſſa, vt inde magnitudo morbi conſtaret, quo fuerant Paleſtini percuſſi. Tantam enim fuiſſe; vt cum nullus apud illos femoralium vſus eſſet, vt nouo morbo occurrerent, coacti ſint nouum genus veſtis inducere, quod honeſto vocabulo ſcriptura *ſedes* appellauit; phraſi in ſacris & externis literis vſurpata, qua veſtes certæ parti corporis attributæ, eiuſdem
f Deut. 8. 4. Exod. 2. 9. & 22. partis nomine nuncupentur: vt *pedes* [f] pro calceis, quibus pedes teguntur; *corpus* pro veſte, qua corpus, id eſt vitalia velantur. Quod enim
g Exod. cap. 21. 3. habetur in vulgata [g], *cum qua veſte intrauit, cum tali exeat*, eſt propriè in Hebræo, *cum quo corpore intrauit*; & ita ex Hebræo vertunt Vatablus & Pagninus. noſter autem interpres, vt obſcuritatem forte vitaret, veſtem maluit, quam corpus exponere. vt intelligeremus eo loco in Hebræo corpus nomen eſſe veſtis, qua corpus tegitur. Cum ergo partes illæ, quas dum homines ſedent, primo ſedibus applicant, etiam apud elegantiſ-
h Cornel. Celſ. de re medica paſ. ſimos ſcriptores [h] *ſedes appellentur*; veſtem illis tegendis proprie paratam, nempe *femoralia*, nomine quoque *ſedis* appellatam. Alij [i] volunt
i Vide Abulenſ. Lyran. Dionyſ. in 1. Reg. c. 1. fuiſſe puluillos ex lanatis pellibus, tomento, vel alia molliori materia ſuffartos, quos ſecum quacunque ferebant, aut etiam partibus illis alligatos geſtabant: quod omittendum ſcriptura non cenſuit; vt inde poſſet mali magnitudo, quo premebantur, agnoſci. Vtrumque probabile; &

Sopran. in Daaid.

vtrum vis admittatur, hinc conſtat, quem vſum pelles habuerint ad molliùs corpus, vel eius aliquas partes excipiendas. Illud tamẽ quod de ſcorteis, ſiue pellitis femoralibus dicebatur, etiã illa coniectura iuuat, quod Gethæi duplici malo laborabant; *inteſtino*, quod erat vlcus extalium; & *externo*, quod erant mures in tanta copia ebullientes, vt ad ipſos adreperent, & extales arroderent, vt plures Patres obſeruant [k]. Vtrique verò k Seuer. Sulp. Sacra hiſt. l. 1. Gregor. in 1. Reg. c. 5.
malo prohibendo magis conducere videbantur fœminalia ſcortea lanatis ex pellibus aſſuta, quàm puluilli pellicei circumgeſtandi. Et hæc de vſu pellium apud Hebræos. Auctor mirab lib. 2. c. 7. tom. 3. Aug.

Reſtaret nunc quatenus apud alias gentes, & in quos vſus, ex quibus animalibus haberentur; Ex illis Abulenſ. q. 15. 16. quod eſt nobis breuiter exequendum; quantum 19. in cap. 5. ſatis eſt ſcilicet iis illuſtrandis, quæ de hac re Reg. Lorin poſſunt in ſacris literis occurrere. Dico igitur Pſal. 77 verſ. 66. apud alias gentes vſum pellium in veſtibus, & ad neceſſitatem, & ad luxum fuiſſe. *Ad neceſſitatem*, primo tempore ruſticis pariter & nobilibus; ad *luxum*, nobilibus: ad neceſſitatem, ex gregibus & armentis obuiis; ad *luxum*, ex peregrinis animalibus & alio ex orbe ſubuectis aſſumebantur. Quia vero luxum longo ſemper interuallo neceſſitas antecedit, prius in vſus fuerẽ pelles ex gregibus detractæ, quam ex longinquis regionibus accerſitæ. Ad quod, obſeruandum, primas hominum veſtes, vt ſupra ſignificaui, fuiſſe ex arboribus paratas. Quod enim duo hæc *victus*, *& veſtis* tanto inter ſe nexu coniuncta ſint, vnde homines primum alimenta ſumpſerunt; inde quoque ſtatim veſtimenta traxerunt: & quia primus homini cibus ex arborum fructibus, ex illis quoque prima veſtis homini fuit. Vnde Lucretius [l] l lib 5.

Nec dum res igni ſcibant tractare, neque vti,
Pellibus & ſpoliis corpus veſtire ferarum;
Sed nemora, atque cauos montes, ſyluaſque colebant
Et frutices inter, condebant ſqualida membra
Verbera ventorum vitare imbreſque coacti.

Primus ergo veſtitus abſolute ſpectatus ex arboribus fuit; quia primus etiam cibus ex illis. Primus verò veſtitus ex animalibus ex gregibus ſumptus: quia primus etiam cibus, quem ex animalibus homines ceperunt, ex mitibus fuit, quæ in greges coguntur; non ex feris, quæ per ſyluas vagantur. Et is ab initio communis omnium erat, quia quæ neceſſitatis ſunt, æquè per omnes funduntur; inſequente vero luxu, quod neceſſitatis eſt, agreſtes retinent, & ruſticani; Cura verò nobilium ad peregrina conuertitur. Ob id primos Romanæ Curiæ Senatores ille pellitos appellauit; quod tunc nullo diſcrimine, neceſſitate cunctos æque cogente, pellibus ex grege paratis, non ex peregrino more detractis, tam Senatus, quam populus vterentur. m Proper lib. 4 eleg 1.

[m] *Curia pretexto, quæ nunc nitet alta Senatu*
Pellitos habuit, ruſtica corda Patres

Pellitos, non aliunde, quam ex proximo grege; ſi de priſco ſenatu loquamur, & de priſcis proceribus Romani populi: nam Scythæ, Getæ, & quæ gentes aliæ glaciali ſub vrſa degunt, primis etiam temporibus ex aliarum ferarum pellibus indumenta ſumpſerunt. in quorum commodum lupos, vrſos, & alias agreſtes feras etiam à diuina n Cat. de prouid.
prouidentia paratas eſſe Prudentius [n] agnoſcit.

Quod ſi forte lupos, lynceſque vrſoſque creatos
Diſplicet, ad Scythia proceres, regeſque Getarum

[i]Reſpice queis oſtro contempto, & vellere Serum,
Eximiu decor eſt tergis horrere ferarum.

A quibus deinde pelles ad nos peregrinæ tranſmiſſæ, quod erat apud illos neceſſitas; luxum nobis eſſe fecerunt, in eo maximè poſitum, ſi quàm maximè ex longinquo pelles accerſerentur: vnde poſtea in ſummo pretio fuerunt, & adhue perdurant luttinæ, & mutinæ, ex quibus thorace confecto Catolus [a] magnus pectus, & humeros muniebat; ad eam puto formam, qua nunc conſtant, qui vulgo Italis *colletti* dicuntur. Præterea Marturinæ, & eius generia aliæ, quarum luxum Petrus Dsmianus alieubi [b] nimis exereuiſſe conqueritur, *cum domeſtici mures*, inquit, *noſtris aſpectibus ſordeant, tranſmarinorum pelles, qaia magno pretio coëmuntar, oblectant: oaium itaque & agnorum exuuiæ deſpiciuntur: Ermelini, gebellini, martores exquirumar, & vulpes, & c. ecce nō reclinatur in vulpecala Chriſtus: & dermis ſub valpinis pellibus Chriſtus, reſpuit ammalia redemporis mundi vocabulo decorata* (nempe agnos, & oues) *illud ſuum reputat ornamentum, quod figuras innuit reproborum.* Vulpes enim malitiæ, & improbitatis ſunt ſymbolum in ſacris literis.

a Eginart. in eius vita.
b lib.2.Ep.2.

Pili ex quibus animalibus in quo vſu apud Hebræos, & quæ veſtes inde confectæ.

§. III.

POſt lauas, & pelles ſequuntur pili; quorum etiam vſus in veſtibus apud Hebræos ad induendum, ad amiciendum, ad inſternendum.

Ad induendum; primò cilicium, quo Ioram Rex Iſrael indutus hic dicitur. [c] *Vidit*, inquit, *omais popalus cilicium, quo veſtitus erat ad carnem intrinſecus.* De qua veſte breuiter expunendum qualis eſſet, ad quid aſſumpta, & vnde appellata. *Qualis eſſet*; conſtat ex genere texturæ & materiæ, ex qua confecta: ex pilis enim & ſetis in funieulos intortis, opere quaſi reticularo contexebarut. Pili autem promiſcuè erant ex hircis, captis, equis, camelis, poreis. Ad quid autem hæc veſtis; De ea loquor, quæ *ad induendum*, non quæ ad amiciendum, & inſternendum parata. Et eam certum eſt alium vſum non habuiſſe, qoam vt aſperitate ſua corpus affligeret, & eſſet habitus animi pœnitentis, ad Deum voluntaria pœna placandum, & ad homines exemplo ſimili ad officium prouocandos. Qualem vſum deſcribit eleganter Paulinus in vita [d] S. Martini

c 4 Reg. 6.
d lib.2.

Quin & coatexto ſetis coopertus amictu.
Exeſa aſſiduo compunxit acumine membra
Vt terreret tenuem veſtis nimis aſpera pellem,
Et cutis extenſis ſtimulis attacta paueret.

Et iterum.

Multis veſtis erat ſetis contexta cameli,
Quæ leuibus ſtimulis vigiles contingeret artus
Excludens teauem compunncta carne ſoporem.
Molliane fluxum, nutrirent vellera corpus.

Et ex boc genere texti fiebant thoraces, ſubuculæ, tunicæ; quæ omnia ſimplici cilicij nomine intelliguntur, & ad induendum ſunt, non ad inſternendum. Iam vero quod attinet ad nomen; Latini, & Græci cilicium dicunt à Cilicum populis qui primi tale genus texti repererunt; vel frequentius vſurparunt, vt alibi [e] fuſius indicauimus. Hebraicè vero ciliciom, *ſac* nuncupatur. Ex qua voce ſacci vocabulum apud omnes ferme gentes eſt deriuatum, apud quas hoc telæ, vel texti genus hiſpidum, durum, aſperum ex ſetia, pilisque aut canabi rudibus filia confectum; inuariata appellatione *ſaccus* nuncupatur, vt alij [f] ante nus obſeruarunt; nec id opinor ſine taciti ſignificatlone myſterij. Siue enim *ſaccus*, & *cilicium*, accipiatur vt eſt apud Hebræos & Chriſtianos ſymbolum pœnitentiæ; ſiue vt apud omnes alias gẽtes, luctus & mœroris; omnes in hoc pari iure cenſentur; & cum in pleriſque aliis omnino differant, in nomine *ſacci* conueniunt. Quia ſi per id pœnitentiam intelligamus; [g] *omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*; nempe vt is exoratus peccata liberaliter indulgeat, in quo gloria illius maximè cernitur; [h] *& niſi pœnitentiam egerint, omnes ſimiliter peribant.* Si vero, vt eſt verbis lugubris, merito apud omnes eodem *ſacci* nomine nuncupatur: quia apud omnes eadem reperitur materia lugendi.

e Com. in lib 2 Reg c. 21.
f Alciat.li.2. parer c. 8. Io Gorop. in Hermat.li 8. Lorin. in Pſ 29.11.
g Ad Rom. 3.23.
h Luc. 13.

[i] Hic ſegetes, illic veniunt fœlicius vaa
India mittit ebur, molles ſua thara Sabai
Et Chalybes audi ferrum.

i Virg.Geor.1

Denique, *non omnes fert omnia tellus*; at tribuli, ſpinæ; dumi pariter vbique naſcuntur: Hic aurum venit vberius, ibi gemmæ, alibi triticum, hic veſtes ſericæ illic vndulatæ, ſcutulatæ alibi; vbique tamen ſaccus prouentu ſimili reperitur: quia vbique eadem materia dolorum, & ſeges lachrymarum; ſiue peccata reſpicias, verè digna, quæ lugeamus; ſiue quotidianæ vitæ infortunia quæ paſſim æquo impenſius dolemus. Et hoc inter alia puto quoque vulgare verbum reſpicere, quo *ſaceam quiſque ſaum geſtare dicitur*, cum ſignificamus vnumquenque tacitè habere quod doleat, & ingemiſcat; quantumuis enim in aliis ab aliis diſtinguatur, in hoc non diſtinguitur. Honores, opes, nobilitas in vno quoque diuerſa ſunt; *ſaccus* in omnibus & apud omnes idem. Vt ergo dicebam, quod eſt Hebraicè *ſac*, noſter interpres aliquando *ſaccum* vertit, aliquando *cilicium*, quod fecit boc loco regum, in Geneſi, & alibi ſæpiſſimè, quemadmodum accuratè eſt ab aliis obſeruatum; vt nempe intelligamus promiſcue *ſaccum*, & *cilicium* pro eodem vſurpari, quando quod eſt Hebraicè *ſac*, nunc *ſaccus*, nunc *cilicium* vertatur.

Secundò, cilicium erat ad amiciendum. Retinendum quod ſupra ex Vlpiano dixi, veſtium eſſe alias ad *induendum*, qoibus corpus, aut pars corporis inſeritur; alias ad *amiciendum*; quæ corpori, vel parti corporis circumponuntur. Dico ergo non ſolum ad induendum, ſed ad amiciendum cilicium fuiſſe. Et id vel in ſacra pœnitentia, vel in ſolemni luctu; quo in vtroque vel ita vſurpabatur, vt totum corpus ambiret, vt erant *pallia cilicina*, vel partem duntaxat, vt *Zona*. Iam vero licet indumentum cilicinum inter veſtes interiores computaretur; *amictus* tamen cilicinus inter eas erat, quæ primæ in oculos incurrunt. Et poterant nihilominus intimæ cuti, aut carni adhærere, cum ſuper nudum corpus iniiciebantur, qualia habitus B. Ioannis ab Euangeliſta fuiſſe deſcribitur, dum dicit; [k] *Ipſe aatem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum & Zonam pelliceam circa lumbos ſuos.* Cætera enim nudus, circa lumbos cinctorio pelliceo cingebatur, quo ventris etiam inferiores partes obtegerentur. Totum autem corpus cilicino pallio circum erat amictum: quod ſi fortè excideret, aut aliqua ex parte aperiretur; nibil tamen ex corpore nudabatur, quod indecorum eſſet alienis aſpectibus obiectari.

k Matth.3.

iectari. Tale pallium nobis Paulinus deſcribit, quod illi Sulpitius Seuerus pretioſi muneris loco tranſmiſerat.[a] *Neceſſario*, inquit, *peccatoribus & precatu deplorationis, & habitu indigentibus pallia camelorum pilis texta miſiſtis, quæ nos in conſpectu altiſſimi stratos, vilibus ſtimulis admonerent dum aſperitate ſetarum compungimur, & peccatorum noſtrorum horrore compungi; atque intus ſpiritu conteri, dum extrinſecus terunt habitu.* Paulo poſt apertè ſubiiciens, tale quid hoc pallium fuiſſe, quale Ioannis fuiſſe deſcribitur. Hoc autem, etiam ſi pallium eſſet, nudæ tamen cuti proximè applicatum conſtat: quia ſi ſuper alias veſtes iniectum fuiſſet, nihil erat, quod ab illius aſperitate caro ſibi timeret; quam tamen illius aculeis Paulinus dicit eſſe compunctam.

a Paulin. ep. 10. ad Seuer.

Sed cum diximus veſtis cilicinæ cum in amictum vſurpabatur, duplicem vſum fuiſſe; ad pœnitentiam agendam, & habitum luctus aſſumendum: dubium eſt cum Dauid, vel alij in ſacris literis leguntur, cilicium ſumpſiſſe; ad quid aſſumpſerint: ad pœnitentiam ne, vel ad luctum, vel ad vtrumque. Quod vt explicetur.

Certum eſt, quoties intrinſecus cilicina veſtis induebatur, ad pœnitentiam id fuiſſe, & non ad habitum luctus aſſumendum. Quod hic habemus feciſſe[b] Ioram. Intrinſecus enim ad intimam cutem, ſubucula cilicina coopertus, & extrinſecus ornatu regio præfulgens, non habitum lugentis præferebat; ſed Deo vota pœnitentis animi tam ſpiritu, quam carne compunctus offerebat. Idem dicendum de Acbab,[c] qui ad Eliæ ſermones *ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam ieiunauitque & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite.* At verò quod de Iacub legitur,[d] audita Ioſephi morte, *ſciſſis veſtibus indutus eſt cilicio lugens filium ſuum multo tempore*; de cultu lugubri pleriſque[e] videtur accipiendum. Indubiè autem quod Dauid dicit[f] *cum ſibi moleſti eſſent inimici ſui, cilicio ſe induiſſe*; de cilicio videtur eſſe ſumendum ad opera pœnitentiæ exercenda, quo Deus placaretur; non de veſte lugubri, qua ſtatus mœrentis animi proderetur. At cilicium extrinſecus & ſuper alias veſtes iniectum, non videtur eſſe propriè habitus pœnitentis, cum tunc carnem non pungat; ſed lugubrem habitum induentis. Falſum iſtud eſt, nam & nunc paſſim, & tetro ſemper per elapſa ſæcula, in publicis ſupplicationibus ad Deum promerendum; & aliquando etiam priuatim viri ſancti ſaccum & cilicium ſuper alias veſtes induti proceſſerunt; non quod tunc cutis compungeretur, quæ cilicij aculeis non tangebatur; ſed quo demiſſi animi mœror ad Deum demerendum proderetur; & alij ad pœnitentiam agendam excitarentur. Quod ſine dubio à ſacerdotibus factum eſt[g] Holopherne ingruente: cilicio enim ſuper alias veſtes induti prodierunt, non quod vllum lugentis habitum geſtare vellent; ſed quod omnes ad pœnitentiam excitarent, qua Deus placaretur. Verum quia de ſacco & cilicio, vt inter veſtes lugubres computantur; iterum agendum eſt vbi de publico & priuato luctu, nihil hîc de illis aliud addemus.

b 4. Rge. 6.
c lib. 3. Reg. 21. 27.
d Gen. 37. 34.
e Haymor. Delr. Oleaſt. in Gen. 37. Lorin. Pſ. 36. 13
f Pſalm. 34.
g Iudith. 4. 9

Tertio loco cilicium ſtragulis accenſebatur ad inſternendum; & id ſimiliter vel ad pœnitentiam, vel in luctu. *Ad pœnitentiam*, vt factum eſt ab Acab,[h] *Ieiunauit*, inquit, *& dormiuit in ſacco.* Pro molli enim culcitra in ſacco & cilicio cubabant qui pœnitentiam agebant. Ex quo genere deinde mattæ, & ſtoreæ fuerunt, quibus in Ægypto Patres frequenter vſi, vt traditur à Caſſiano. *In luctu*, vt factum eſt à Reſpha[i] in morte filiorum. Alia autem erat vtilitas cilicinæ veſtis in velis, tentoriis, & operimentis pro vario vſu rei nauticæ, militaris, campeſtris. Vnde & vela ex caprino pilo ad arcam & tabernaculum tam crebro in ſacris literis[k] memorantur. De quo vſu præſertim in re nautica, & bellica, quia nos[l] alibi, & alij,[m] nihil eſt, quod hic preſſius exponamus; niſi tantum quod nauigantibus & militantibus in hac vita vt ad portum alterius & æternæ, aliquando poſt pugnam appellamus, optimè hæc vela congruunt in militiæ & nauigationis vſum excogitata.

h lib. 3. Reg. c. 21.
i lib. 3. Reg. cap. 21.
k Ex cap. 25. & c. 35.
l lib. 2. Reg. c. 21. in Com.
m Cic. 3. in Ver. Vitr. lib. 10. c. vlt. Seru. lib. 3. Georg. Veget. lib. 4. c. 6. Procop. 2. de bel. Perſico Var. de lin. lat. lib. 5.

Viſo ergo de hoc genere veſtis hiſpidæ, quæ ex pilis conficitur, videndum, numquid vllæ delicatiores apud Hebræos, aut alios, ex pilis conficerentur. Et ſunt qui affirment planè molliſſimas, & pretioſiſſimas inde confectas. Primo quia pili caprarum inter pretioſa, quæ filij Iſrael offerre debebant in templo computantur.[n] *Hæc*, inquit, *ſunt, quæ accipere debetis; aurum, argentum hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byſſum, & pilos caprarum.* Inter aurum, inquiunt, purpuram, & coccum, pili caprarum interponuntur; quorſum, ſi non ex illis pretioſa quoque texta confecta? Secundo. Ex aliis pilis aliorum animalium, dubium non eſt apud alios veſtes delicatiſſimas in vſu fuiſſe.[o] Plinius *veſtes*, inquit, *leporino pilo facere tentatum eſt, tactu non perinde molli, vt in cute propter breuitatem pilo labili.* Tertiò denique non defuere qui veſtem Ioannis ex pilis camelorum pretioſam putauerint; ſaltem non aſperam, ſed vulgarem, & promiſcuam. Et iſti[p] hæretici noſtri temporis fuere, qui omnis aſperitatis oſores, quæ ſtudio pœnitendi ſpontè ſuſcipitur, omnia conantur eludere, quæcunque in ſacris literis in ratione veſtis, & victus aſperitatem aliquam ſonant. Itaque in Ioanne Baptiſta *ſolitudinem*, quam incoluit, in vrbem vertunt; *veſtem* ex pilis, in vndulatam; *locuſtas* in cancros. Hæc refelli non debent; ſed omiſſa cura tranſmitti. Quid enim eſt delirare, ſi hoc non eſt; in Zona pellicea, cibo locuſtarum, veſte cilicina delicias reperire? Dicendum ergo; num ex pilis aliorum animalium vllæ delicatæ veſtes Hebræis fuerint, incertum eſſe; ex pilis vero caprarum, aut camelorum confectas ad ſqualorem fuiſſe, non ad delicias; dubitari non poſſe. Nec mouere debet, quod caprarum pili tanta cura conquirerentur. In quid enim id fieret, ibidem ediſſeritur; ad arcam nempe tegendam; in quem vſum quicquid erat impendendum ſumma cura Deus volebat, & attentè parari. Veſtem verò Ioannis aſperam planè horrentemque fuiſſe; modo dicta declarant; & antiqui[q] Patres ante nos docuerunt. Quod vero ſpectat ad alias gentes; negari non poteſt ex pilis quorundam animalium confectas apud illos pretioſas veſtes; quod indicauit Plinius loco citato. Sed probabilius eſt pelles ipſas cum villis in id aſſumptas, & veſtes ex illis pellibus promiſcue dictas, nunc ex pellibus nunc ex pilis; quod tamen non in omnibus animalibus ſed in illis locum duntaxat habebat, quibus pilus breuiſſimus; quales peregrini mures, & lepores ſunt. Itaque pelles, quas olim Senatores, & nunc magni Præſules, & Proceres aliqui magiſtratu fungentes, collo circumplicatas vſurpant, dum ſacris aſſiſtunt, aut in

n Ex. 25. 5.
o lib. 8. c. 55.
p De quibus Maldon. in c. 3. Matth.
q Paulin. ep. 10 ad Seuer. Eucher. hom. 1. de beato Ioan. Petr. Chryſol. ſer. 36. vſque ad 92. Anſel. in Matt. c. 3.

Sopran. in Dauid.

pompa procedunt, à nonnullis ex pilis dicuntur; cum tamen rariſſimè, niſi ex pellibus conficerentur. Dixi porro ſenatores olim has pelles geſtaſſe, quod ab Acrone [a] vetere Horatij interprete monemur, dum latum clauum exponit. *Latum clauum*, inquit, *purpuram dicit, quæ in pectore extenditur Senatorum: Græci τὸν πλατύσημον vocant, vſum eius nunc retinent principes inijcientes veſti à ceruice ad pectus indumentum ex purpura; vel pellibus pretioſis maris Pontici; vel alias dum regio habitu procedunt in publico.* Qui nunc ipſiſſimus eſt habitus Canonicorum cathedralium Eccleſiarum.

a lib. 2. ſat. 5.

Pluma in re veſtiaria quem vſum habuerint apud antiquos.

§. IV.

EX plumis olim veſtes confici ſolitas; dubium non eſt, ſiue eæ eſſent ad amiciendum, ſiue ad inſternendum, ſiue alterius ornatus gratia paratæ. Prudentius [b].

b In Hamartig.

Aurum quoque verſicolorum
Indumenta nouis texentem plurima telis.

Dubium ergo num apud Hebræos tale texti genus extiterit; & videtur fuiſſe, quod ſæpiſſimè in ſacris litteris operis plumarij mentio fiat [c]. *Decē*, inquit, *cortinas de byſſo retorta, & hyacintho ac purpura, coccoq; bis tincto variatas opere plumario facies.* Quod ipſum deinde in eodē libro ſæpius [d] repetitur? Vbi etiā mētio fit artificis huius operis [e]. *Vt faciant*, inquit, *opera abietarij, polymitarij, ac plumarij de hyacintho, ac purpura.* Et rurſus [f], *Ooliab, qui & ipſe*, inquit, *artifex lignorum egregius fuit, & polymitarius, ac plumarius ex hyacintho, purpura, vermiculo, & byſſo.*

c Ex. 26. 1.
d Ex. c. 27. 16. c. 28. 39. cap. 36. 37.
e Ex. 35. 35.
f Ex. 38. 23.

Sed dicendum aliud eſſe facere quid *opere plumario*; aliud plumas in telas contexere, & ex eo texto veſtes conficere: Secundum hoc ſine dubio fuit in vſu apud alias gentes, & forte etiam apud Indos, & exteras alias nationes perſeuerat; num autem Hebræis etiam fuiſſe vſurpatum, incertum eſt. At vero primum illud apud eos viguit; in vſuque maxime fuit *opere plumario* veſtes elaborare. Quod ergo erat hoc opus, & quod propriè munus artificis plumarij? Quidam [g] polymitarios, & plumarios; eoſdem fuiſſe volunt; opus autem plumarium idem eſſe, quod variegatum, & multorum colorum diuerſitate contextum; quale in aulæis, & mantilibus cernitur, quos nunc *Arazos* appellamus. Et id voluiſſe Hieronymum alij [h] affirmant. Mihi tamen certa res eſt *polymitarios, & plumarios* fuiſſe diſtinctos; quod manifeſte S. Hieronymus ſignificat, dum tam frequenter iſta duo nomina narrando coniungit. Quorſum enim inutili ſynonimorum repetitione, quem *polymitarium* dixerat, etiam *plumarium* appellare; ſi hoc erat eſſe polymitarium quod plumarium? *Erat*, inquit, *polymitarius, ac plumarius, & egregius artifex lignorum.* Vt enim illum à multiplici commendaret arte, qua pollebat, & polymitarium dixit, & plumarium, & egregium artificem lignorum; quod vltimum ſi aliud eſt à plumario; cur non etiam plumarius à polymitario? Quod erat ergo vtriuſque opus? Polymitarius [i], ex filis & licijs variorum colorum telas artificioſe texebat; plumarius verò iam textas acu pingebat, vel tomento variorum colorum ſcitè concarto, & aggeſto varias figuras exprimebat. Itaque *polymitarius* erat, qui nunc nobis conficit, quos Arazos appellamus. *Plumarius*, qui nunc *acupictor*, aut *imbotitor*, aut *recamator* dicitur. Quem *plumarium* aliqui [k] volunt, non à plumis auium; ſed à pluma, quæ genus erat acus, appellatum: à qua etiam volunt ipſum opus *plumarium* dictum, quod eſſet illo genere acus elaboratum. Aliis tamen opus plumarium dictum placet, à mollitudine textus, & varietate colorum; quod vtrumque in auium collo, dorſo, & toto corpore miſe conſpicitur. Probabilius tamen eſt opus plumarium appellatum quod primo plumis auium ſcitè diſpoſitis cœperit vſurpari; nomen vero deinde retentum fuerit, etiam ſi non variæ plumæ; ſed variorum colorum lanugioſa vellera fartim aggerarentur in varias figuras efformata. Apud Vopiſcum [l] *plumandi* verbum reperitur, pro eo quod eſt opere plumario quid elaborare. *Quid*, inquit, *lineas pretioſas Ægypti loquar? Quid Tyro, & Sidone tenuitate pellucidas micantis purpura plumandi difficultate pernobiles?* Quod ergo Deus in tabernaculi cultu exigebat, vt cortinarum textus opere plumario conficeret? tale quid intelligi debet, quale deſcripſimus; nempe vt tomento variorum colorum molliſſima in vellera deducto & fartim artificiosè diſpoſito, textum fieret, tactu molliſſimum; & aſpectu colorum varietate pulcherrimum. Propterea Ooliab non ſolum *plumarius*, ſed egregius ligni artifex fuiſſe dicitur; nimirum quod varia ligni ſegmenta componens, varias figuras exprimeret; quod faciunt qui nunc *intarſiatores* dicuntur. Eſt enim magna inter hæc duo artificia cognatio; niſi quod plumarius vario vellere ſua opera diſtinguit; lignarius artifex varias ligni laminas conglutinat. Et hæc de communi & magis obuia veſtium materia apud Hebræos; nunc de pretioſa, & quæ propria tantum erat veſtium textilium.

g Dan. Barbar. in vitr. lib. 6. cap. 7. Hermol. in Plin. Egnat. in Flau. Vip.
h Philand. in vitr. loco citato.
i Vide Ioſephū in Euſeb. an. ab. o. c. 2358. Cuiac. lib. 2. obſeru. ad l. 1. C. de excuſ. artif.
k Philan. in vitr. loco citato.
l In Carini vita.

Ad eadem verba [m]. Qui veſtiebat vos coccino in deliciis, & præbebat ornamenta aurea cultui veſtro,

m 2. Rg. 1.

Et ad alia [n]. Mardochæus autem de palatio, & de conſpectu regis egrediens, fulgebat veſtibus regiis, hyacinthinis, videlicet & aëreis, coronam auream portans in capite & amictus ſerico pallio atque purpureo.

n Eſth. 8. 15.

De varia materia veſtium textilium, & pretioſarum.

CAPVT II.

PRetioſam materiam veſtium textilium apud Hebræos multiplicem planè fuiſſe conſtat. Præcipuæ ſpecies erant ſericum, coccus, byſſus aurum purpura, bombycinum, linum & lana peregrina, vermiculus; de quibus hoc capite diſſeremus. Ordiamur à ſerico.

Ad illa verba. Amictus ſerico pallio.

De ſerico & eius in veſtibus vſu apud Hebræos.

§. I.

VIdebimus primum, num ſericum Hebræis in vſu eſſet: ſecundò, an ooſitum quod ſeta vocatur

vocatur ab antiquo ſerico diuerſum ſit. Tertiò, ſerici apud antiquos artificium exponemus. Quartò, explicabitur oostri ſerici origo & progreſſus. Quintò, idem vtrumque eſſe oſtendemus. Sextò, vode factum vt tamdiu vera ſerici lateret origo apud Romanos.

De primo, nonnullis viſum ſerici vſum Hebræis non fuiſſe. Primò, quia oulla, aut rariſſima de eo meotio in ſacris litteris. Secundò, quia cum de illo agitor, vt peregtina veſtis proponitur, non Iudæorum. Mardochæum enim qui hîc ſericatus inducitur, Perſico, non Hebręo more conſtat indutum: & vbi apud Ezechielem [a] pretioſarum mercium mentio fit, quæ non in Iudæam, ſed Tyrum à longinquis mercatoribus inferebantur, ſericom nnmeratur: argumento non dubio ſericom Hebræis ignotum, aut non vſurpatum. Tertiò, denique qoia vbi noſtra lectio habet *ſericum*, Hebræa vox illi reſpondens, non boc indubitarè ſignificat: ſed cum certum ſit genus aliquod eſſe pretioſæ veſtia; quod tamen proprie ambiguum eſt.

a Cap. 27. 16.

Sed hæc tanti non ſunt, vt probabiliſſimum nobis eſſe non debeat, ab Hebræis qooque in re veſtiaria ſericum vſurpatum. Primò, quia aſſueti inter Aſſyrios, & alios Orientales; qui illo veſtiebantur; credibile non eſt abſtinuiſſe. Secundò, quia ſollicitè quærentes inſtrumenta peregrini cultus ad ſuas fœminas [b] ornandas; hoc inter alia præcipuum noo omiſiſſent. Tertiò, quia vbi de ſerico in ſcriptura mentio, tanquam de merce fit apud Hebræos oota vſurpata, & in omnium oculis expoſita. Quartò, quia textū ſericū inter alia omnia quocunque filamenti genere confecta, ſolum natiua luce reſplendet, ſine ope coloris adiuncti; vnde factum, vt veſtis ſplendens, lucida, fulgens, pro ſerica veteribus appelletur. Cum ergo in ſacris literis tam crebro veſtes fulgidas habeamus; dubitare noo poſſumus ſericas veſtes ab Hebræis vſurpatas. Quintò, quia ſi Hebræi ſerico in terra ſua non vſi; negari certe non poteſt in aliena vſurpaſſe. An enim Ioſeph in terra Ægypti, Eſdra, Neemiaa, tres pueri Babylonici, ipſe Daniel in Aſſyria non eo veſtitu incederent, quem gradus ille dignitatis expeteret, in quem ab amicis regibus euecti. Sextò, denique vt priuati ſerico paſſim vſi non fuerint; qois id de regibus, de Salomone præſertim, audeat denegare? Cuios exquiſitiſſimam diligentiam in cultu veſtium Chriſti Domini teſtimonio [c] non ignoramus? Nec in contrarium adducta mouere debent. Primò enim rara ſerici mentio in ſacris literis; quia rarus quoque illius vſus & non promiſcuus; ſed viris tantum principibus familiaris. Secundò, nec adeo rara de illo mentio concedi debet. quoties enim veſtimēta lucida memorantor; quoties veſtis ſplendens, & natioa ſua luce refulgens, toties mentio ſerici facta cenſeri debet. Tertiò, Mardochæus illo indutus eſt ab Aſſuero. Quod conuincit vtcunque tandem id fuerit, Hebræos illud induiſſe. Et ſi Mardochæus; cur non Hebræi alij qoi non minori gratia apud externos reges fuerunt? Quartò, denique verum ſit Hebræam vocem, cui ſericum in noſtra reſpondet, hoc genus mercis preciſè non importare, ſi Rabinis & Rabinizantibus ſtetur: at certum eſt id ſignificaſſe Hieronymo, & interpreti editionis vulgatæ, quam nos hîc exponimos, non Hebræam, magna ex parte corruptam; proinde ſi quid eſt corrigendum, aut violentius intorquendum, non eſt noſtra ad Hebræam; ſed Hebræa lectio ad noſtram temperanda. Vbi ergo vox aliqua in Hebræo textu per ſe ſpectata, videtur ambigua; in eam debet ſignificationem certò defigi, quam tribuit illi poodus editionis vulgatæ, quod apud viros Catholicos eſſe debet ioeluctabilis auctoritatis. Et certè riſi nonnunquam, ne dicam me acrius indignatum, cum viros etiam Catholicos vidi Hebræorum ritus in veſtibus, io accubitu, in foro, in militia, qui ex editione vulgata colliguntur, minus admittere; quod in Hebraico fonte non hoc indubitate verba ſignificent, quod Latina de his ritibus indicant, quibus illa redduotur. Quaſi verò recoritus quiſpiam ſulphurator magis nunc calleat, quid aliqua vox Hebræa ſonet, quam D. Hieronymus olim, & tota Chriſtiana Eccleſia ſcire potuerit, in qua tot Hebræi recens conuerſi. Bibant igitur iſti de ſuo fonte cœnoſo, ſqualido, diſſipato, quem Rabini pedibus ſuis obturbant; nobis ſatis eſt editionem vulgatam interpretari: & in ea quid ſibi propriè velint Latinæ voces, quibus auctor illius vtitur, edocere. Tam certū ergo eſt ſericum Hebręis ignotū non fuiſſe; quam certum interpretē vulgatū non erraſſe. cui etiam ſi fides ea non eſſet habenda, quam nunc illi ſalua religione oon poſſumus denegare; certè nemo prudens minus illi credendum cenſebit; quam Rabino ſulphuratori, vel alteri cuicunque, quem Tranſtyberinus ambulator inſtruxerit.

b 1. Reg. 1.

c Matth. 6. a.

Noſtrum ſericum an idem quod antiquorum.

§. II.

FVit hac de re non leuis ſuperiori tempore controuerſia. Negarunt aliqui [d] magna cum querela Cæſaris Scaligeri, qui idem noſtram ſetam cum textro bombycino confundunt, opera vermium confecto. Sericum verò antiquorum omnino iam deſiiſſe cootendunt; ſaltem idem cum noſtro non eſſe ex qualitate, & origine probant. Ex *qualitate*, quia ſericum antiquum cordi vires adiungebat, vt Arabi philoſophi tradiderunt. Id autem præſtare non poterat, niſi calidæ & maxime vitalis temperaturæ fuiſſet. At ſericum noſtrum frigidum eſſe; quia vermes illi frigidi qui producunt, & morus maxime frigidu cuius illi frondibus aluntur. *Ex origine*; quod longè diuerſa ſit ſerico noſtro, & antiquorum. Illud enim aliud non fuiſſe, quam ex arboribus lanuginoſam canitiem in fila tenuatam. Noſtrum vero mirabilem prorſus, & ab hac diuerſam originem habere. Ex vermibus enim produci, qui illud primò rude ſaliuant & in folliculos complicatum fœminis noſtris tradunt euoluendum, & magno artificio texturæ parandum. At aliis [e] contra viſum bombycinas iam nullas eſſe; ſericum verò noſtrum idem prorſus eſſe, cum antiquorum. Hanc litem componere non exiguom pretium operæ videtur: quod in ea explicanda pleriſque ſacræ ſcripturæ locis de ſerico, cocco, & bombyce lux afferatur. Eam ergo dirimere, ſed diſtincte, & per propoſita capita aggrediamur ab antiquorum ſerico exorſi, & iis, quæ de illo comperta ipſi habuerunt.

d *Alex lib. 4. Gen cap. 9.*

e *Volater. lib 27.*

Sericum antiqui à Seribus Indiæ populis ap-

pellarunt, de quibus Marcellinus; *Seres, inquit, ab Occidentali latere Scythia adnexi, à Septentrione & Orientali niuoſa ſolitudini hærentes; qua meridiem ſpectant, ad vſque Mediam prouecti & Gangem, armorum ſemper & præliorum expertes nulli finitimorum moleſti ſunt, &c. cali apud eos iucunda ſalubriſque temperies, aëris facies munda, leniumque ventorum commodiſſimus flatus ibi ſylua ſublucida, à quibus arborum fœtus aquarum aſperginibus crebris, velut quædam vellera mollientes ex lanugine, & liquore mixtam ſubtilitatem teuerrimam pectunt, nenteſque ſubtegmina, conficiunt ſericum.* Hæc ille [a]. Ex quo ſericum vnde dictum habemus. Quid illud eſſe putarent Romani veteres; vnde ortum, quo artificio elaboratum, quæ omnia de ſerico cum longè ab antiquioribus auctoribus tradita ſint; Marcellinum tamen produximus; vt inde conſtaret quamdiu noſtros vera ſerici natura latuerit. A Seribus ergo appellatum inter omnes conſtat; quod ante Marcellinum alij [b] prodiderunt. Deinde aliud non eſſe, vt ipſi putabant, quam lanuginem ex arborum foliis depexam, & in metaxam coactam; quam lanuginem Plinius *canitiem* arborum, Virgilius *vellera*, alij *fila*, nuncupant. *Seres*, inquit Plinius, *lanificio Syluarum nobiles, fuſam aquâ depectentes frondium canitiem.* Et Virgilius,

Velleraque vt foliis depectant tenuia Seres.

Et Seneca in Hippolyto,

Quæ fila ramis vltimi Seres legunt.

a lib. 16. hiſt.

b Virg. 2. Georg. & ibi Seru. Seneca in Hippol. & Herc. & ibi Delr. Plin. lib. 6. c. 17.

Dixi verò *lanuginem* illam rudiier in maſſas ſeruatam *metaxam* dictam, quod nomen ſemper apud Græcos & Latinos habuit, & nunc etiam ex parte retinet. Sericum enim vel veſtis illis eſt ex hoc vellere confecta, vel textura veſtibus parata: ſed [c] metaxa inuolucrum dicitur ex filis ſericis in vnum coniunctis. Propterea in reſcripto Marci & Commodi, quo peregrinis mercibus quæ *ſpecierum* nomine in iure ciuili intelliguntur vectigal imponunt, à *metaxa* ſericum diſtinguunt; Arcadius autem propriè præcipit *metaxas* lotas ſacris largitionibus inferri. An verò ex hac *metaxa* veteres fila redordiendo deduxerint; an eandem pexam neuerint, incertum. Plinius enim retextam ſignificat, dum præmiſſo *depectere Seres arborum canitiem*; ſubdit: *Vnde geminus fœminis noſtris labor redordiendi fila, rurſuſque texendi; tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur, vt in publico matrona tranſluceat.* Quod tamen quomodo fieri potuerit, non videtur. Si enim *metaxa*, lanugo erat depexa, & coacta, quomodo fila iam pectendo diſrupta poterant iterum redordiendo retexi? Sed hac de re paulò pòſt conſtabit quid ſit explorate dicendum. Interim ex his habemus ſericas veſtes Romanis duplicis generis fuiſſe: alias ex Indis aduectas in maiori ſemper pretio & luxu; Aliss in orbe Romano ex infecti metaxa ſerici laboratas; ex quo vlterius fit in vniuerſum ſericum Romanis triplicis generis fuiſſe. Primum, infectum, qualis erat *metaxa*; ſecundum, factum, ſed alio ex orbe ſubuectum. Tertium, hic elaboratum. Quibus ſingulis quia diſtincta pretia fecerat diuerſa miſteriæ nobilitas, diſtincta quoque vectigalia Imperatores impoſuerunt.

c Procop. lib. 1. de bello Perſ. Suid. ver. metaxa. Polux in onom.

Et hæc erant, quæ longo tempore Romani de ſerici natura & eius origine exiſtimarunt. Ex quibus qui noſtram ſetam, antiquorum ſericum non eſſe contendunt, argumentum validum pro ſua opinione deſumunt; idem nimirum cum noſtro ſerico eſſe non poſſe, quod ab illa originem habet omnino diuerſam. Videamus ergo quæ noſtri ſerici natura ſit, & origo.

§. III.

Sericum noſtrum quale ſit, & eius origo, & progreſſus.

SEricum, quod ſetam nunc appellamus, admirabilem prorſus, vt dicebam originem habet. Semen enim eſt minutiſſimum, rotunda ſpecie, lutei primùm, deinde crocei rubidique coloris, poſtremum purpuraſcentis. Ex eo verno tempore ſiue ſua ſponte, ſi cælum planè tepuerit; ſiue ſinu lectóve foto, ſi fuerit tempeſtas frigidior, nono ferme poſt die vermiculus excluditur inſtar formiculæ, colore ſubfuſco; creſcenſque vt plurimum flaueſcit, & fit eruca; quibuſdam interim ſubnigris remanentibus qui reliquis generoſiores putantur. Noſtratibus longitudo ſumma, quæ indicis digiti; craſſitudo, quæ minimi: Indicis longe maior vtraque perhibetur. octo per internodia annulatim diſtinguuntur; acuto roſtro, nullis oculis iter elato capite prætentant; ſub gutture ſex pediculis nixi; ſexdecim aliis grandioribus ſub reliquo ventre, certa per interualla tributis. Vndatim incedunt; primum adducta cauda; mox, caput impellendo, totum corpus trahentes. Hirſutuli ſub aluo & circa pedes, cætera leues. Cibus [d] illis folia mori ſiue albæ, ſiue nigræ. Quo prorſus abſtinent cum exuuias deponunt; quod quater illis vita tota contingit: eo tempore veterno quodam defixi, hærent immobiles. Vbi quartum, & poſtremum cutem exuère, cibum vniuerſum faſtidiunt, & alias ſedes quærunt. In id ſurculos illis expediunt ramoſos & aridos, in quos aſcendentes licium quoddam ab ore ſaliuant, in morem aranearum illud ex ramis ſuſpendentes. Inde nidulos ſibi circundant oui columbini magnitudine; tanta in opere tenuiſſimo denſitate, vt ne aqua quidem penetrari poſſit. Apud Sinas tamen vbi multo grandiores ſunt vermes; folliculi, quos ſibi nidulantur anſerinum ouum, vel etiam ſtruthiocameli æquare dicuntur. Ex noſtris verò folliculis, alij crocei coloris ſunt, alij flaui, luteive. Intus omnes inducto quaſi tectorio candeſcunt. Hoc loculamento vermes incluſi, quod ipſi ſibi fabricarunt, colligunt ſeſe, atque corrugant, ac paulatim priorem formam exuentes poſt tertium ferme diem fœtido quodam humore miſſo nidulum perforant, & ex vermibus candidi papiliones effecti, veteri intus ſpolio relicto, cum plumis egrediuntur, oculis inſuper & alis inſtructi, nullo tamen volatu. Inde fœminæ ſimul & mares (nam & in his ſua ſexus diſtinctio) tamdiu in complexu hærent, donec mares (quibus breuior vterus) extinguantur. Ex eo verò fœminæ ſeminum, quæ ſupra deſcripſimus, ingentem multitudinem effundunt, quæ ſubiectæ materiæ ſic adhæreſcunt, vt niſi madefacta reuelli non poſſint; & hac ſobole relicta, fœminæ quoque ipſæ decedunt; ex qua verno tempore ratione, qua dixi, vermes iterum proueniunt, à quibus eædem tunicæ, & ex tunicis iterum papiliones exiſtunt. Iam vero quas diximus tunicas, ſiue folliculos à vermibus perforatos, eæ minus idoneæ ſunt ad pretioſas veſtes conficiendas. Abrupto enim ordine filorum; nequeunt redordiri; carminantur tamen lanarum more, nenturque vnde ſtaminis genus illud conficitur,

d Vide Scalig. exercit. 158. n. 9.

quod

quod vulgo *filaticium* nominatur. Vt ergo folliculi poſſint non interciſo filorum ordine redordiendo retexi, Soli feruentiſſimo ſolent exponi; quo æſtu vermes ante necantur, quàm exitum tentent. Inde folliculos in aquæ feruentis cortinam iactis eorum fila rota quadam pari artificio retexunt, quo fuerant à vermibus contexta; conficiuntque eam quæ nunc etiam veteri nomine *metaxa* vocatur; ſed non veteri ſignificatu. nam vt vidimus *metaxa* antiquorum,[a] in morem lanæ carminatione depexæ, non filis ipſis diſtinctis conſtabat, ſed in filanendo deducebatur: at nunc metaxa dicitur manipulus ſericus in ſua iam fila diſtinctus. His ergo de origine & progreſſu noſtri ſerici ſic explicatis, oſtendamus iam idem fuiſſe ſericum antiquorum, quod noſtrum, quæ ſeta vocatur.

a Suid. ver. metaxa. Procop. lib. 1. de bel. perſ. Zonar. an. 1. 3 in Iuſtiniano. Briſſon. lexic. iur. ver. metaxa.

Sericum noſtrum ab antiquorum ſerico non differre.

§. IV.

ALiud eſt ipſum per ſe ſericum in ſuæ qualitate materiæ ſpectatum; aliud illius origo; aliud artificij ratio in eo redordiendo, & texendo ſeruata. Tria hæc inter ſe diſtincta à pleriſque confuſa ſunt: inde factum vt in differentia quoque noſtri & antiqui ſerici tradenda, confusè peccauerint. Agemus ergo de tribus iſtis ſentſim, vt certum poſſit hac tota de re ſignari reſponſum.

Primò. Vera ſerici natura, & origo Veteribus Græcis, & Romanis magna ex parte fuit ignorata. Plerique enim & fermè omnes, vt ſupra vidimus, exiſtimarunt eſſe lanuginem, quam certæ arbores aſpergine aquæ madefactæ producerent; alij etiam vermium opus aliquod agnouerunt; ita dumtaxat, vt attactu ſuo foliis implicati lanificam vim communicarent arboribus; alij aliter; & omnes perperam, vt in re longinqua, & alio prope ex orbe deuecta. Dixi *pleroſque omnes id ignoraſſe*: quia nonnulli veram originem, ſed quaſi ſub nube viderunt, vt Pauſanias,[b] qui disertè teſtatur ſericas veſtes vermium texturam eſſe: quales tamen iſti, aut figuræ, vel magnitudinis eſſent, à vero omnino aberrauit. Dixi præterea, *veteribus Græcis; & Romanis hoc ignotum fuiſſe*: nam de Seribus ipſis & Indis apud quos hoc genus velleris proueniebat, poſſumus aliquid dubitare. Probabile autem mihi eſt illos etiam à principio ſericum non aliter quam fœturam arborum collegiſſe. In ſyluis enim pleriſque videmus canitiem quandam lanaginoſam foliis adhærere, & opera animalculorum araneis ſimilium mitas in texturas extendi; nec ipſis arboribus nec ipſis ſolis araneis, & vermiculis in id ſufficientibus: ſed ope mutua accedente folia cum araneis hanc canitiem proferre. Quod in ſyluis Serum cum lætiore prouentu fieret, eodem modo ab initio ſericum quod vermes ſuſpenderant, in ſuis ſyluis collegere Seres, vt goſſipium modo colligitur ex frondibus à quibus emittitur.

b lib. 6. extr.

Secundò. Vt aliquibus in terra Græcia; & apud Romanos origo vera ſerici ignota non fuerit; artificium tamen, & tota ratio illud conficiendi, & redordiendi, prout apud nos viget, illis omnino fuerunt ignota. Quod vnde factum ſit, mox conſtabit.

Tertiò. Denique ſericum ipſum quod veteres habuerunt, à noſtro nihil omnino differt. Hoc argumenta duo ita manifeſtè conuincunt, vt meritò nobilis[c] auctor noſtri temporis admiretur ea de re potuiſſe quemquam ſerio dubitare. Primò quia nullum eſt aliud texti genus, quod lucem quaſi natiuam habeat, & illam luminis obiectu repercutiat, præter ſericũ. Aliæ enim telæ ex lana, lino, goſſipio, byſſo, & alio quouis filamenti genere, quod ſericum non ſit, quantumuis arte teneantur, nunquam beneficio materiæ ſplendent; ſed tantum coloris adiuncti: ſolum ſericum fulget inteſtina luce, quam lumine perfuſum, quaſi multiplicato fœnore remittit. Cum ergo ſuo ſerico hanc pelluciditatem veteres attribuerint; cur idem & noſtrum, & illorum eſſe negemus? Ad huc; ſericum noſtrum quod nunc paſſim in priuatis domibus elaboratur induſtria & opera nobilium fœminarum, illud ipſum eſt, quod ex Seribus importatum, credebatur eſſe vellus ex lanatis arboribus depexum: & quod nunc ab Indis, Sinis, & Cataio defertur. Si ergo veterum Græcorum, & Romanorum ſericum illud erat, quod inde afferebatur; non eſt cur noſtrum illud eſſe dubitemus, vt iam clariùs conſtabit.

c Scalig. exerc. 158. num. 9.

Natura & origo ſerici cur tandiu latuerit, & noſtris quando reperta.

§. V.

SEricum factum, & infectum orbi Romano ab vltimis orientis partibus importabatur magno mercatorum lucro; qui vt plurimum Perſæ erant, & ab Indis, & Seribus eas veſtes ad nos ferebant, ingenti pretio diſtrahendas. Vt igitur ipſi ſoli lucro potirentur, & id in dies augeretur, quantum poterant ab harum veſtium commercio cum barbaris exercendo, procul omnes alios abſtinebant. Inde factum vt noſtri ſericum quid eſſet ignorantes, illas de eo opiniones conciperent, quas expoſuimus; donec, vt narrat Procopius,[d] Iuſtinianus Imperator indignè ferens opes Romanas apud hoſtes Imperij hoc mercimonij genere reſidere, in Perſas expeditione parata, cum Æthiopibus egit vt ipſi *metaxam* ab Indis emerent, & Romanis finibus importarent: ne deinceps Perſæ pecunias Romanas haurirent; aut Romana nobilitas in veſtium cultu à perpetuis hoſtibus Romani nominis ſuſpenſa penderet. Quod tamen inceptum minus illi tunc ex voto ſucceſſit. Quippe Perſæ portubus occupatis omne ſerici commercium, quo *metaxa* deuehebantur aliis intercluſerant. Paulo poſt autem, vt ſcribit ex Procopio Ioannes Monachus,[e] Iuſtiniani Imperij anno ſeptimo Monachi duo Bizantium ex India appulſi *metaxam*, non arborum lanuginem; ſed vermium opus eſſe certo monſtrarunt, omnemque eius originem & artificium aperuerunt. Dixi *certò id Monachos, & exploratò monſtraſſe*. Nam ante Iuſtiniani tempora ſericum vermium opus eſſe pleriſque ſuboluerat; licet adhuc ad liquidum quæ eſſet eius artificij ratio lateret. Suidas[f] enim Iſidorus,[g] Nicephorus,[h] & omnibus antiquior Chryſoſtomus in peregrinis iſtis veſtibus vermium opus agnouerunt. Hic enim[i] diſputans contra veſtium vanitatem, in India veſtes ex vermibus texi ſcribit. *De re*, inquit, *glorantur quam vermes gignunt, & perdunt. Dicuntur enim in India animalia quadam eſſe*

d lib. 1. de bel. Perſ.

e Zonar. in Iuſtin.

f Ver. metaxa & ſericum.

g lib. 19 Etymol. c. 27.

h lib. 12 c. 30

i hom. 2 in 1. ad Timot.

vnde

vnde ſtamina eiuſmodi conficiantur. Indicio ergo, vt dicebam, à duobus illis Monachis Iuſtinianus accepto, Magnis illos donis, & maioribus promiſſis impulit, vt in patriam reuerſi vermium ſemina deferrent. Quibus allatis, & ſub fimo tepefactis eaiere vermes, qui mori foliis enutriti, ſericum ea ratione producere comperti ſunt, quam ſupra deſcripſimus: præclarum, vt quidam [a] diair, inuentum; niſi materia luxus Monachos habetet auctores.

a *Torſel. Epit. hiſt. an. 560. in Iuſtin.*

Ea eo ſerici teatura, & moltiplea artificium planè iam propagari cœperuor in orbe noſtro; ita tameo vt intra vnius Græciæ fines diu ſe continuerint, donec, vt illius temporis hiſtorici tradunt [b], Rogerius Siciliæ Rex bello Manuali Comneno Imperatori quod contra ius gentium legatos ſuos violaſſet illato [c], cum in Græcia vrbes aliquot expugnaſſet, artifices eius texturæ captiuos abduxit, & Panormi in Sicilia collocauit. Vnde modo in reliqua Italia; ſed in Galliis etiam & Hiſpaniis eorum veſtium vſus & artificium longè eſt lateque diffuſum. Atque ex his quod quærebamus apertè conſtat cur tam diu vera ſerici natura latuerit. Ea inuidia enim & cupiditate barbarorum, adiuncta ſimul longinquitate terrarum id factum eſt.

b *Otho Friſingen. hiſt. Frider. Imp. lib. 1. c. 23.*
c *An. circiter 1150. Farel. hiſt. Sic. Sigon. lib 11. de reg. Ital.*

Quæ veſtes ex ſerico, quorum, quam pretioſæ & quomodo conficerentur.

§. VI.

SEricum aliud eſt prorſus infectum, vt folliculi, tunicæ; & niduli, quos vermes ſibi præpandunt, dum ſericum moliuntur; ex quibus duplex adhuc genus infecti ſerici, magis tamen elaborati conficitur; alterum ex folliculis carminatis, vulgo *filaticium* vt ſupra diximus appellatum; alterum ea iiſdem retextis *metaxa* nunc proprie dictum, conſtans ex filis redortis, & in vnum laxa, & orbiculari glomeratione collectis. *Factum* vero duplex eſt; alterum textum quod tela dicitur; alterum, in veſtes concinnatum in ea genera deinde diſtinctū, quæ ſupra poſuimus; vt aliud ſit ad inſternendum; aliud, ad ipſum hominem amiciendum, vel induendum. Serici vero in tela detexti pro vario genere texturæ variæ quoque differentiæ ſunt. Aliud eſt enim raſum, aliud villoſum. Et *raſum*, alud purum, aliud Damaſcenum. *Purum*, teatura ſimplici, & æquabili in illud quod *tafetà*, *ormeſino*, *teletta*, vulgo dicitur, & *ſericum raſum* diuiditur. *Damaſcenum*, quod luſu varij operis aſperatur. Ea qualitate vero filorum quibus contexitur ſericum diſtinguitur in ſubſericum, & holoſericum. Cum enim ſericum ſit quicquid eſt hoc genere filamenti confectum, *ſubſericum* dicitur quod ſtamine laneo ſubtegmine ſerico contexitur; Holoſericum verò quod totum ea ſerico nullo alio ſtaminis adiuncto genere conficitur. Cuiuſmodi veſtes in iure [d] ciuili etiam *holobera* vel *holouera* dicuntur. Quod enim Græci ſerica etiam Βήρυς appellent, vt bene alij obſeruarunt, holoſericas veſtes etiam *holoberas* appellatas; & eſſe vt dicebam, quæ totæ ſerico contexuntur, vt Balſamo, & Zonaras tradiderunt.

d *l. 4. C. de veſt. olob. lib. 11. l. 2. de expenſ. lud. in C. Theod.*

Quod verò ſpectat ad artificium veterum in ſerico texendo; ſuprà iam dixi veteribus ſericas telas, & veſtes duplicis generis fuiſſe. Quædam enim ab Indis vſque deuehebantur; alia erant in orbe noſtro confecta, & hæc rurſus duplicia; quædam ex metaxa detexebantur, in quo opere non erat admodum laborandum, ſiue metaxa filis ex diſtinctis conſtaret, ſiue ex ſerico more lanæ carminato & depexo. Alia ex veſtibus ipſis ab alio orbe deuectis, & redordiendo retextis: in quo plurimum omnino operæ ponendum erat. Cum enim ſericæ telæ, vel veſtes ab Indis allatæ, eſſent omnes denſiori textura confectæ, matronæ Romanæ ad compendium ſimul & luxum redordiri illas inſtituerunt, & in ſua fila diſſoluere; vt ea vna veſte denſitate præpingui, plures & tenuiores conficerent; quod in verbis illis Plinius ſignificauit, quæ ſupra protulimus [e]. *Seres*, inquit, *lanificio ſyluarum nobiles perfuſam aqua depectentes frondium canitiem.* Et poſt; *Vnde geminus fœminis noſtris labor redordiendi fila, rurſuſque texendi.* Per hæc enim non ſignificat à Seribus canitiem depexam noſtro orbi tranſmiſſam, quam fœminæ redordirentur; ſed tacitè innuit, illis ex arboribus collectum ſericum, & in telas veſteſque redactum, noſtris finibus importatum, quod deinde Romanæ fœminæ, redordiendo in alias veſtes repetito labore retexerent. Et hoc non eo tantum genere texturæ; ſed in aliis quoque legimus eſſe ſeruatum; vt à barbaris aduecta, quod eſſent pinguius elaborata noſtræ fœminæ reſoluerent, & ſubtilius artificio maiore conficerent. Ad quod Tertullianus alludens [f], loquens de barbaris quibuſdam populis; *Parietes*, inquit, *Tyriis & hyacinthinis, & illis regiis velis quæ vos (vxorem alloquitur) operosè reſoluta transfiguratis, pro pictura abutuntur.* Et ipſe Plinius de bombycinis veſtibus loquens [g]; *Bombycinas*, inquit, *prima redordiri, rurſuſque texere inuenit in Coo mulier Pamphyla Latois Plati filia.*

e *lib. 6. c. 17.*
f *De hab. mul. c. 1.*
g *lib. 11. c. 22.*

Iam vero quorum veſtes ex ſerico, & quam pretioſæ conficerentur; res ipſa loquitur in vſum dumtaxat diuitum eſſe potuiſſe, cum pretium, fortunæ tenuioris homines ab illis arceret. *Ex his*, inquit Ambroſius [h], *Mollia illa Seres depectunt vellera, quæ ad vſus ſibi proprios diuites vindicarunt.* Quod non ſolùm valuit in orbe noſtro; ſed etiam apud longe diſſitos Orientales; apud quos tamen in tanto pretio non videbatur habendum, cùm inter illos produceretur. nec enim etiam illis, niſi in vſum primæ nobilitatis adhibebatur. Quinetiam poſſet quiſpiam meritò dubitare, num ita eſſet illius proprium, vt aliis communicaretur. Ex hoc enim loco Eſther indicatur ſolorum Regum ſericum proprium [i] fuiſſe. *Mardochæus*, inquit, *de palatio & conſpectu regis egrediens fulgebat veſtibus regiis.* Et poſt ſubdens quæ eſſent iſtæ veſtes regiæ, *Hyacinthinis videlicet, & aëreis, coronam auream portans in capite, & amictus ſerico pallio, atque purpureo.* Erat ergo pallium ſericum proprium regum; quando qui regiè dicitur indutus incedere, cultuque regio iuſſo regis ornatus, hoc veſtis genere refertur amictus. Si enim aliis aulæ principibus ſimilem cultum liberum fuiſſet admittere; quid magnum Rex Aſſuerus Mardochæo contuliſſet; aut cur ornatus ille regius dicatur, in quo poterat priuatus incedere. Propter hæc ſunt qui putent ſerici vſum priuatis interdictum, Principum tantùm, & Imperatorum proprium fuiſſe. Qua de re apud Romanos in hæc verba cautum fuerat à Theodoſio Auguſto: *Temperent vniuerſi cuiuſcunque ſint ſexus, dignitatis, profeſſionis, & generis, ab huiuſmodi ſpeciei poſſeſſione, quæ ſoli Principi,*

h *lib. 5. c. 23. Hexaem. poſt Baſil. homil. 8. in idem.*
i *Cap. 10. 11.*

eiuſque

eiuſque domui dedicatur; nec pallia quis, tunicaſque domi ſericas contexat, aut faciat, quæ tincta conchylio nullius alterius permixtione contexta ſint. Et ante tempora Theodoſij cuius eſt hoc edictum, Aurelianus Imperator nec ſibi quidem veſtis holoſericæ vſum permiſit; *& cum ab eo vxor ſua peteret vt vnico pallio blatteoſerico vteretur,* Vopiſcus illum reſpondiſſe refert; *Abſit vt auro fila penſentur.* Ob id nimirum, quod eo tempore ſericum auro contra emeretur. At vero ex altera parte ſi ſericum priſcis temporibus tantum Regum erat; quomodo paſſim in nundinis exponebatur; vt illud omnes emerent, quibus id cordi eſſet? Inter alias enim pretioſas merces quæ Tyro magna copia inferebantur, ab Ezechiele [a] ſericum recenſetur, quod arguit non ſolis tantum regibus fuiſſe dicatum. Quorſum enim magna copia id importare, quod ſoli Regi, & eius tantum vſibus ceſſurum erat? Præterea Romanis illius vſus promiſcuus fuit Imperatorum tempore, ita vt qui vellet, eo poſſet vti, modo illius copiam haberet. Certè Iouiniano D. Hieronymus exprobrat quod enim ſeuerioris vitæ diſciplinam profiteretur, interdum ſericatus incederet. *Nunc linteis*, inquit, *& ſericis veſtibus & Atrebatum ac Laodiceæ indumentis ornatus incedis.* Et Claudianus Eutropij nimium luxum & fracti animi mollitiem perſtringens, etiam ante conſulatum, hæc illi obiicit, quæ ſerici vſum promiſcuum fuiſſe demonſtrant.

a Cap. 27.

[b] *Veſtis odoratæ ſtudium, laus maxima riſum*
Per varios mouiſſe ſales, miniméque viriles
Munditiæ compti vultus, onerique vel ipſa
Serica.

b Claudian. lib. 2. in Eutrop.

Quid ergo dicendum? Diſtinguenda tempora ſunt, & ipſum ſericum. Vt aliud ſit de priſcis temporibus agere; aliud de proximioribus. Aliud de ſerico purpureo; aliud de non tincto; vel alio quam purpureo colore.

Primò. Priſcis temporibus vſus purpurei ſerici videtur proprius fuiſſe Regum, & Imperatorum; Et hoc non in orbe noſtro ſolum; ſed etiam probabile mihi eſt apud Orientales obtinuiſſe. Certè Mardochæus, vt bene in obiectione propoſita vrgebatur, indutus hic cultu regio proponitur; & veſtes quas habet, à rege non ſolum dicitur accepiſſe; ſed Regis eſſe dicuntur. Quæ iſtæ: Pallium ſericum, non qualecunque ſed purpureum. *Amictus*, inquit, *pallio ſerico, atque purpureo.* Propterea Aurelianus Imperator vxori, vſum ſimpliciter *holoſerici* non denegauit; ſed *purpurei*: hoc enim vxor poſtulauerat. *Cum peteret*, inquit, *vt vnico pallio blatteoſerico vteretur*, eſt enim Blatta, de qua ſæpe mentio in iure ciuili, purpura ex Iudieo conchilio facta, quod alij ante nos obſeruarunt. Inde autem orta loquutio quod *blatteumſericum*; idem ſit quod *ſericum tinctum*; antonomaſticè vero cum quid ſimpliciter tinctum dicebatur, ob præſtantiam coloris purpureum intelligebatur. Nec diſſimiliter Theodoſius ab Aureliano. Non enim vſum ſerici vniuerſè interdixit; ſed *conchyliati*, nempe purpura infecti.

Secundò. Apud noſtros adhuc ſtante Rep. & poſt ſub poteſtatem Cæſarum redacta, primis illis temporibus vſus ſerici qualiſcunque etiam non tincti, fuit fermè tantùm nobilium & delicatorum; non quod vlla lege alij prohiberentur; ſed quod magnitudine pretij, cui pares non erant abſterrerentur. Hoc inde conuincitur, quod paſſim Seneca, Iuuenalis, D. Hieronymus, alij dum nimium luxum in veſtibus inſectãtur, ſericum & illius vſum exprobrant. Certè Marcellinus qui ante Theodoſium vixit tempore Valentiniani ſenioris cum falſam ſerici deſcripſiſſet originem ſubdit; *Sericum conficiunt ad vſum ante hac nobilium, nunc etiam infimorum ſine vlla diſcretione proficiens.* Infimorum dixit, non diuitiis, ſed nobilitate. Itaque tempore Marcellini eadem fuit induendi ſerici libertas, quæ noſtro tempore. Nullus enim eo vti non poterat, niſi cui pretium pro illo ſoluendo non erat. Ob id Theodoſius, vt aliqua relinqueretur inter Imperatores & ſubditos in veſte diſtinctio, cauit edicto ne purpuram in ſerico priuatus vllus haberet. Ab illo autem longo poſt tempore Ioannes Duca Conſtãtinopolitanus Imperator edixit [c] ne quiſquam priuatus peregrinis veſtibus & alio ex orbe adductis vteretur, nominatim *ſericis* interdictis. Quæ tamen conſtitutio quandiu, & vbi viguerit; incertum eſt. Et hæc de ſerico.

c lib. 1. iur. Orien. tit. de veſt.

Bombycina quid eſſent, cuius textura, & an ab antiquorum ſericis differrent.

§. VII.

QVoniam pleriſque bombycinæ veſtes eædem cum ſericis fuiſſe videntur; de illis ſericatum occaſione eſt hîc aliquid agendum, & hæc quæ propoſuimus explicanda, ducto exordio ab hoc poſtremo; quo explicato, reliqua quæ ſpectant ad bombycina, conſtabunt.

Sunt [d] ergo qui bombycinum à ſerico diſtinguant. Probant primo quia Iuriſconſulti veteres bombycina, & ſerica diuerſa numerant. Vlpianus *veſtimentorum*, inquit, *ſunt omnia lanea, linea, vel ſerica, vel bombycina.* Et iterum; *Veſte legata*, inquit Paulus, *ea cedunt quæ ex lana & lino texta ſunt; item ſerica, & bombycina: quæ tamen induendi, operiendi, cingendi, ſternendi, iniciendiue cauſa parata ſunt: pelles quoque induuiæ continebuntur.* Si ergo linum aliud eſt, quam lana; cur non aliud ſericum, quam bombycinum, cum pari modo ſingula numerentur? Secundò id docent Patres. Clemens Alexandrinus, [e] à bombycinis apertè ſerica diſtinguens; *Auri fila*, inquit, *& Indicos ſeres, & operoſos bombyces valere iubentes.* Hieronymus, [f] Ad hoc dictum Clementis alludens, *Spernas*, inquit, *bombycum telas. Serum vellera, & aurum in fila lenteſcens.* Iſidorus; [g] *Bombycina*, inquit, *à bombyce vermiculo.* Et poſt; *à Sericæ ſerica dicta, vel quod illa Seres prima miſerunt.* Tertiò eadem eſt philoſophorum ſententia. Nam bombycinas veſtes opus dicunt eſſe bombycum, qui vermiculi ſunt lanuginem ex arborum foliis aſperitate pedum in vellera radentes, vt tradit Ariſtoteles, & Plinius ex illo, quartò denique quia veſtes *Coæ*, erant omnino a ſericis diſtinctæ: ſed Coæ, & bombycinæ eædem ſunt, vt tradit Plinius loco citato. *Bombycina* enim à materia, *Coa* à loco, vbi ea materia proueniebat, aut in veſtes texebatur, dicebantur.

d Tiraq. lib. 3 connub glof. 7. §. 3. Alexan. li. 4. gen cap. 9. Dalecamp. in Plin. lib. 12. cap. 23. Volater. Philol. l. 27.

e li. 2. pædag. c. 11.

f Ep. 7 ad Leo.

g lib. 9. etimolo. 22.

Verùm auctores huius ſententiæ cùm conueniant in ſericis à bombycinis diſtinguendis; inter ſe deinde in alio, quod hanc ſequitur, diuiſi ſunt. Si enim ſericum & bombycinum diuerſa ponantur; vtri eorum noſtra ſeta ſit accenſenda; quærendum eſt. An nimirum idem cum ſerico, an cum bombycino, an ab vtroque diuerſa. Alij

ergo

ergo ex illis volunt ſericum antiquorum eſſe deſiiſſe,& idem eſſe bombycinum quod noſtram ſetam. Alij contra ; bombycinas iam nullas eſſe; ſetam autem noſtram idem quod ſericum contendunt.

Alij verò contra hos omnes diſputant,& volunt idem omnino fuiſſe ſericas, & bombycinas. Quod probant ab origine, & qualitate materiæ; quæ eadem vtrique. Nam ſerico,vt ſupra vidimus, origo ex vermibus & præterea materiæ fulgor, & innata luciditas ; quod vtrumque etiam bombycinis conuenit. Et primò origo ex vermibus.Iſidorus *bombycina eſt à bombyce vermiculo, qui longiſſima ex ſe fila generat ; quorum textura bombycinum dicitur,conficiturque in inſula Coo.* & ante illum Plinius; *Quartum inter hæc genus eſt bombycum in Aſſyria proueniens.* & poſt; *telas aranearum modo texunt ad veſtem luxumque fœminarum, quæ bombycina appellantur.* Et inde ſubdens,vbi primum tale genus velleris cœptum fuerit redordiri,& in telas extendi. *Primi*,inquit, (telas à vermibus factas) *redordiri, rurſuſque texere inuenit in Coo mulier Pamphyla Latoi filia.* Et Seruius ad illud Virgilij [a].

a lib. 2. Georg.

Velleraque arboribus depectunt tenuia Seres.

Bombyces, ait, *appellatos vermes, qui apud Seres, Indoſque aranearum more tenuiſſima fila ex arboribus deducant*.quod quomodo ab ipſis fiat ; ſubtilius exequitur Tertullianus [b]. Denique Ariſtoteles ipſe loco ſupra citato pluribus explicat originem bombycinorum ex vermibus. Eſt ergo eadem ſericis, & bombycinis origo. Sed & *pelluciditas* : vnde poëtæ bombycinis indutos æque lucere dicunt,vt ſericatos.Propertius [c]

b lib. de pal. cap. 3.

c lib. 2. el. 3.

Nec ſi qua Arabico lucet bombyce puella.

Martialis [d].

d lib. 8. epig. 68.

Fœmineum lucet ſic per bombycina corpus.

Qui idem auctor vno diſticho vnum, & idem artificium eſſe ſerici, & bombycini vermis explicauit

Nec vaga tam tenui diſcurſat aranea tela
Iam leue,nec bombyx pendulus vrget opus.

Lucere autem corpora bombyce dicuntur, non ſolum raritate texturæ, ſed ſplendore materiæ.

Ex his ergo videtur argumentum ſcholaſtica ſimplicitate ſic ſtringi poſſe.Nullum aliud velleris genus eſt, quod ex vermibus fiat, & natiua quaſi luce refulgeat, præter ſericum. Bombycinum in vermibus eſt, & pellucet : idem ergo quod ſericum.

Sed meo iudicio lis iſta tota facile componi poteſt ; ſi priùs quæ ſunt confuſa diſtinguantur. Aliud eſt enim loqui de veſtis alicuius materia; aliud de artificio & genere texturæ. Hoc poſito puto negari non poſſe ſericum & bombycinum idem inter ſe eſſe, & cum noſtra ſeta, ſi materiæ qualitas in omnibus ſpectetur. Si verò genus artificij,& texturæ ; fuiſſe longe diuerſa.

Quæ ſunt ergo adducta ad oſtendendam diuerſitatem,illam non in materia conuincunt,ſed in artificio. Sane idem Vlpianus diſtinguit Babylonica,Aſſyria,Coa,ſerica purpurea. Quis autem neſcit Babylonica fuiſſe ab aliis veſtibus diuerſa, non qualitate materiæ, ſed artificij? Si quis apud nos nunc veſtium plura genera recenſeat ; cui dubium quin vndulatam, damaſcenam, villoſam quaſi diſtincta recenſeat? An propterea quis hæc ex eadem materia conſtare negabit? Simili modo cum Iuriſconſulti Babylonica bombycina,Serica,Attalica diſtinguant ; non de materia loqui cenſendi ſunt ; ſed de artificio texturæ. Quoad materiam enim rectè vetus Iuuenalis interpres [e] bombycinum, hoc,quod ſericum, eſt interpretatus. e in 6 Satyr. Iuuen. ver. 260.

Quo ergo genere artificij bombycinæ veſtes, aut illarum textura conſtabat? Incertum eſt: certum tantùm tenuiſſimas fuiſſe, & delicatiſſimæ mollitudinis. Aſſyriis autem, & inde Iudæis fuiſſe familiares ; argumento eſt quod in Aſſyria Plinius eas prouenire dicat : vnde quæ veſtes Aſſyriæ in iure ciuili dicuntur, poſſumus non improbabiliter ſericas, & bombycinas interpretari.

Ad eadem verba.

[f] Qui veſtiebat vos coccino in deliciis. f lib. 2. Reg

De coccino quid eſſet, & quæ ex illo veſtes in ſacris literis.

§. VIII.

COccinum & coccus in ſacris literis eſt veſtis vel pãnus coccineo colore tinctus. Dixi in ſacris literis : nam *coccum*, ſiue *coccus* Latinis auctoribus ipſum granum eſt.*Coccineus*, color ab illo. *Coccina* ſunt texta,vel veſtes ex illo. Coccineum verò,quod eſt illo liquore coloratum. Hic ergo videamus quale genus materiæ eſſet coccinum ; deinde,quis eius color, & vtrum à purpura diſtinctus, quem vſum habuerit in veſtibus & denique quomodo potuerit ab Hebræis vſurpari.

De primo ; materia veſtis coccineæ, quæ propriè fuerit, incertum eſt ; videtur tamen non fuiſſe ſericum ; ſed vt plurimum lanam, vel linum. Perperam igitur Nebriſſenſis [g] coccum bis tinctum in vſu tabernaculi requiſitum, pannum ſericum duorum colorum interpretatur, qui eſſet intra *rubeus*, extra *viridis*. Nihil enim à veritate longinquius; & quod eſſet ſericus,& quod duplicis coloris, & quod ex his alter *viridis*. Perinde enim eſt dicere coccum viridem, ac album nigrum. g in ſua Quinq. & m Lex.

Qualis ergo color coccineus? Quem nos *charmeſinum* [h] dicimus ſiue *grani*. qui color exuberantiam quandam aut ſplendorem ruboris oſtendit,ab aliis etiam ſpadiceus;phœniceus, & roſeus ab aliis appellatus. Fiebat autem ea grano quod propriè *coccum dicitur, in Galatia proueniens;eximium circa Emeritam Luſitaniæ vrbem*, vt Plinius tradit. An autem eſſet idem purpura, quod coccum ; vel color purpureus,& coccineus ; ex hoc facile dignoſci poteſt. Nam purpura conchylij genus eſt, coccum fœtus ex frutice. Quare ſæpiùs in ſacris literis alterum ab altero diſertè diſtinguitur, vt in Exodo [i];vbi cortinæ tabernaculi texi iubentur *ex hyacintho, purpura, cocco bis tincto, & byſſo retorta.* Et de tentorio ante atrium: *Fiet* [k] *tentorium*,inquit, *cubitorum viginti ex hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta,opere plumarij.* Eſt autem coccus bis tinctus *dibaphum* non purpureum,ſed coccineum ; quod nimirum vt verba ſonant ; ad colorem altius imbibendum eodem liquore retingebatur : non vt Nebriſſenſis volebat,colore duplicis generis imbutum. Volebat autem Deus tentorium illud & cortinas ad tabernaculum ſuſpenſas ex purpura, byſſo,coccoque plumario opere contexi ; ad eum modum quo nunc aulæa Flandrica conficiuntur, quæ

h Baif in ſtu ſ & m. & arg.

i Cap. 25. & Cap. 35.

k Cap. 27. 16

a Dan. Barb. in Vitru. l. 6. quæ Atazi [a] dicuntur;ita vt in illis & coccum,&
purpura,& byſſus, & hyacinthus ſuas partes ba-
berent,& agerent:quod non eſſet, ſi nihil à coc-
co purpura differret. Non tamen negauerim
quod vterque color inter rubeos cenſeatur, ali-
quando confundi,& alterum pro altero vſurpari,
vt Euangeliſtæ fecerunt. Quam enim Matthæus
b Cap. 27. [b] chlamydem coccineam dixit, eam purpuream
c Cap. 15. 17 d Cap. 19. 2. Marcus [c] & Ioannes [d] appellauit.

Quorum ergo veſtibus color hic expetitus?
Imperatorum, & Ducum in bello præſertim.
a lib. 22. c. 2. Plinius [e], *Coccum*, inquit, *imperatoriis dicatum*
paludamentis. Cur id? Ne ſi fortè in bello cruor
veſtibus aſpergeretur; ſiue is ex ipſorum,ſiue ex
alieno vulnere manaret, ipſe, vel alij terreren-
tur. Nec aliud fortaſſe ſpectarunt milites, qui
Chriſto tam cruente illuſerunt;cum illum chla-
myde coccinea indutum produxerunt; niſi vt
ſanguis vndequaque ſcaturiens,in veſte coccinea
minus aduerteretur;Vnde & illorum luſus fetalis
adeo non appareret, & alij ad Chriſti conſpe-
ctum nullo ſenſu miſericordiæ tangerentur.

Sed nunc ex iſtis quæ diximus ad verba Da-
nidis de Saule propoſita duæ dubitationes exi-
ſtunt,ſi enim *coccum* granum ex Luſitania;ſi coc-
cina propris bellatorum; quomodo aut vnde
Saul veſtes coccineas parare poterat; quomodo
fœminæ Ieroſolymitanæ iis indui in deliciis ha-
bebant? Et tamen illud Dauid de Saule ingerit.
Qui veſtiebat vos coccino in deliciis. Duo hic
quæruntur,vnde Saul coccum,ſiue coccineas ha-
buerit; & quomodo iis indui delicioſum fuerit
Solymitis? De primo,coccum non ſolum in Lu-
f Plin. li. 16. c. 8. ſitania naſcitur,ſed in Piſidia [f], Cilicia, Galatia,
& Africa; licet non vbique eiuſdem generoſita-
tis. Poterat ergo Saul ſi non ex Luſitania, ex
proximioribus illud regionibus habere. Et hoc
ſi curaſſe ipſum velimus hanc veſtium tinctu-
ram: ſed expedita reſponſio eſt *coccineas* veſtes
militibus quos ipſe deuicerat, vt ſpolia victoriæ
detractas Ieroſolymitanis fœminis conceſſiſſe.
Orientales enim milites,& maximè Babylonici,
qui nobiliores erant, coccinis veſtiebantur; vt
indicatur in Nahum, vbi deſcribitur exercitus
Aſſyriorum, & aliorum Orientalium contra Ie-
g Nah. c. 2. 3. ruſalem [g]. *Clypeus*, inquit, *fortium eius ignitus*
(propter ſplendorem) *viri exercitus eius in cocci-*
neis, At quid veſti militari cum cultu fœmineo,
vt coccineis indui, illis in deliciis eſſe debuerit?
Propter tenuitatem textuæ,& excellentiam co-
loris veſtes eæ,maximè commendabantur, & ex-
petebantur. Vt omittam nimis glorioſum fuiſſe
fœminis Solymitis onuſtas incedere ſpoliis occi-
ſorum quaſi quod fortiter pugnatum eſſet, illis
h Pſal. 67. deberetur. Certè Dauid [h] alicubi videtur ſigni-
ficare recepti quaſi moris fuiſſe capta ſpolia fœ-
minis, quæ domi remanſerant, exercitu victore
reuerſo, diſtribui ad illorum ornatum conſue-
niſſe. *Rex*, inquit, *virtutum dilecti dilecti*, *&*
ſpeciei domus diuidere ſpolia: ſiue vt alij [i] para-
i Vatab. Oſor. Caietan. in Pſalm. 67. phraſticos vertunt, *Reges quantumuis fortes &*
inclyti,ſiue victi ſunt, vt domi reſidentes, mulieres
nempe,quæ reliquis ad bellum euntibus domum ſer-
uant, ſpolia diuiderent. Et fortaſsè fiebat id ad
maiorem hoſtium contemptum, vt ſpolia, quæ
ab illis detracta fuerant, mulieribus concede-
rentur.

Quin videor mihi non ſolum apud He-
bræos,ſed apud alias gentes obſeruaſſe, victoris
exercitus ſpolia quædam fœminis ad ornatum
ſolita diſpartiri. Primò vt æquiore animo tole-
rarent ipſæ abſentiam virorum, fratrum, &
filiorum ſuorum, dum ſperarent eos paulo poſt
cum ſpoliis affuturos. Secundò vt milites ipſi
fortius in pugna ſe gererent, & quiſque ſtuderet
hoſtiles exuuias reportare. Tertiò, vt Martiales
Spiritus alerentur dum mulieres ornatæ paſſim
incederent ſpoliis Inimicorum, quos propinqui
ſtrauiſſent. Et huc fortaſſe reſpiciunt quæ de
muliere forti dicuntur à Salomone [k]. *Mulierem* k Prou. c. 31.
fortem,inquit, *quis inueniet? Procul & de vltimis*
finibus pretium eius. Confidit in ea cor viri ſui, &
ſpoliis non indigebit. Duplicem enim ſenſum hæc
poſſunt habere. Primum vir illius eius induſtria
adiutus & animatus, fortiter in bello faciet, &
ſpoliis ipſam ditabit. Secundum, Induſtria ſua
veſtes illa,& ornamenta domus parabit; vt nihil
illi opus ad eam ornandam ſpolia futura ſint,
quæ maritus illi poſſit ex pugna referre.

Quod ſi non placet hoc, nomine *coccini*, quo
filias Sion Saul veſtiebat;cultus Babylonicus, &
Aſſyricus poteſt intelligi;qui textus erat elegan-
tiſſimi, & ad ornatum mirè conducebat. Noſter
enim interpres, vt alij obſeruant, coccina pro
babylonicis accipit;non ob aliud opinor,niſi quod
in veſte Babylonica color coccineus maximè
laudaretur, & exquiſitiſſimus apud illos eſſet.
Sed de hoc argumento fortaſsè iterum infrà.

Aurum,byſſus,vermiculus,qualis materia, & quarum veſtium eſſent apud antiquos.

§. IX.

SAul à Dauide Ieroſolymitanis fœminis com-
mendatur [l] quod illas non ſolum coccino in l 2. Reg. 1.
deliciis veſtiret; ſed quod illarum cultui aurea
ornamenta præberet, Aurum hoc accipi non ſo-
lum poteſt de torquibus, armillis, monilibus &
aliis, quæ ſpectant ad mundum muliebrem; ſed
multo magis de ipſo veſtitu,qui aureus eſſet;filis
nimirum aureis contextus. De quibus filis Hie-
ronymus ad Letam [m]; *ſpernat bombycum telas, ſe-* m Ep. 7.
rum vellera,& aurum in fila lenteſcens. Quo ante
ipſum Clemens [n] Alexandrinus monuerat; *Auri* n li. 2. pædag. cap. 10.
fila, & Indicos ſeres, & operoſos bombyces valere
iubentes. Fuit autem Regum [o] inuentum aurum o Plin. lib. 8. c. 48.
in fila deducere, ſicut mulierum lanam & linum
in ſtamina nere;nimirum nulla inter illos in hoc
differentia;niſi quod Reges aurum, fœminæ la-
nam frequentiùs tractarunt. Vtrique enim in
eodem opere conuenerunt obiectu tantum ma-
teriæ differentes.

His autem filis in quæ Hieronymus queritur
aurum lenteſcere ad veſtium luxum, dupliciter
tela contexebatur. Aliquando lanæ vel lini filo
filis auri prius circumplicatis; aliquando, ſolis
ipſis auri filis in ſtamina, ſubtegmenque dedu-
ctis.Plinius [p]; *aurum*,inquit,*netur,ac texitur lana* p lib. 33. c. 3.
modo,ac ſine lana &c. Nos vidimus Agrippinã Clau-
dij Principis, edente eo nauali prælij ſpectaculum,
aſſidentem ei indutam paludamento aureo textili
ſine alia materia. Tale genus texturæ,quod totum
filis auri ſine alia materia conſtaret, in vſu fuiſſe
apud Hebræos; ex eo non temerè poſſumus ſu-
ſpicari, quod Dauid ipſe cecinit in Pſalmo, qui
eſt quaſi epithalamium in nuptias Salomonis [q], q Pſal. 44.
Adſtitit, inquit, *regina à dextris tuis in veſtitu*
deaurato, circundata varietate. Et paulo poſt.

Omnis gloria eius filia regis ab intus in fimbriis aureis. Perſpicuè enim diſtinguit inter veſtitum deauratum & fimbrias aureas; & cum prius abſolutè dixiſſet de veſtibus exterioribus. *Adſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato*; per quem poſſumus intelligere non qui totus conſtaret ex auro; ſed cui aurum eſſet intextum; poſtea ſubdit longè etiam pulchriores eſſe veſtes interiores, quam quæ conſpicuè primas ſe omnium oculis offerebant. Vt enim ex aureis fimbriis colligi poterat, *omnem gloriam* (ſic appellat Scriptura ſpecioſum ornatum in veſtibus) filiæ regis ab intus eſſe; pretioſiores nempe veſtes interiores eſſe, quam exteriores. Vnde id? Ex fimbriis aureis apparere; quæ totæ nempe aureæ, ſine alia mixtura materiæ. Vnde Complutenſes vertunt, *in ſtricturis auri*. Sunt autem ſtricturæ ſcintillæ, quæ ferro ex ignito mittuntur. Ad quarum ſimilitudinem aurum quod ex veſtitu interiori intermicabat, dum veſtes ſuperiores paululum attollerentur, *ſtricturæ* nomine deſignatur. Vt *omnis gloria filia regis ab intus in fimbriis aureis*, ſii, *il più bello del ſuo veſtito è di ſotto, come moſtrano le frange d' oro.* Simili quoque cultu, qui totus ex auro textili conſtaret, Iudæi illi veſtiebantur, a Thren.4.2. quorum Ieremias [a] vicem poſtea lamentatur. *Filij Sion*, inquit, *inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea opus manuum figuli?* Dicit, *amictos*, non aureo cultu, ſed *auro*, & hoc non qualicunque ſed *primo*; vt intelligamus tale genus texturæ, quale ſupra deſcripſimus, quod ſtamine, ſubtegmine, & trama aurea, ſine vlla admixtione lini, vel lanæ conſtaret. Per hos autem ſic amictos, Reges intelligit Ieremias, & circumloquitur; vel qui erant ex ſanguine regio. Tantùm enim illorum erat his veſtibus indui; reliquis id Regum gratia & interior amicitia concedebat. Vt ergo Ieremias oſtenderet in quantam calamitatem Rex Ioachim ex quanta gloria cecidiſſet. *Qui*, inquit, *erant amicti auro primo, reputati ſunt in vaſa teſtea.* Pro textili auro, quo erant induti, qui cultus erat Regum proprius, ad eas veſtium ſordes deuenerunt, vt ad vaſa teſtea in officina figuli conficienda viderentur addicti; quo genere hominum nullum ſordidius induitur, cùm ſemper in lutum verſentur. Dixi porrò Regum proprium *aureum amictum* fuiſſe: Inde enim eſt quod in ſacris & profanis literis, vbi quis regiè veſtitus inducitur, aureus amictus in- b Cap.12.21 telligitur. Sic quod in Actis [b] Apoſtolorum refertur de Herode *veſtitus veſte regia ſedit pro tribunali*; Ioſephus & alij intelligunt *veſtem au-* c Cap.15.5. & 9. *ream*; Et expreſſius in lib. [c] Eſther de Aſſuero *cum regio fulgeret habitu, ſtetit contra illum Eſther.* & paulò poſt exponendo quis hic eſſet regius habitus; *ille reſidebat ſuper ſolium regni ſui indutus veſtibus regiis auroque fulgens.* Quare poſterioribus temporibus non ſolum textum, quod ex auro puro conſtaret; ſed aurum etiam intextum veſtibus Imperatorum edicto priuatis eſt d lib.11.C. de veſt. holoſer. interdictum, vt habetur [d] à Valentiniano, & Gratiano Imperatoribus. *Auratas*, inquiunt, *ac ſericas paragaudas auro intextas, viriles, priuatis vſibus contexere, omnino prohibemus; & in gynaciis tantum noſtris fieri præcipimus.* Noſtrum *brocatum*, ſunt qui hoc, & ſuperiori ſæculo Attalicorum vocabulo deſignent; propterea quod Plinius e lib.8.c.48. [e] aurum Attalicis intextum ſcribat, & à veſtibus diſtinguat, quæ ſine alterius admixtione materiæ, auro textili conſtarent. *Qua in re* ſignificant *noſtrum brocatum* non eſſe ex eo genere aurearum veſtium, quas ſupra deſcripſimus. Verè enim tale non eſt, cum non ſolum fila alia filis aureis intermiſceantur, ſed ipſa aurea fila, prius aliis filis circumplicentur, quam detexantur. Et hæc de auro.

Sequitur *Byſſus*, quem etiam materiam veſtium fuiſſe; non dubium, cùm de eo toties in ſacris literis mentio. Quid autem propriè eſſet; incertum pleriſque videtur; an ſcilicet frutex ex terra; an coloris genus; an ex arbore cortex; an ex marinis conchyliis lanugo. Suidæ, [f] & interpreti [g] Theocriti coloris genus eſt: vnde byſſina veſtis, eſt illis infecta byſſo. Alij pretioſiſſimam lanam eſſe volunt. Sunt qui dicant lanuginem tenuiſſimam, & delicatiſſimam eſſe pinnæ marinæ. Aretas nobilis interpres Apocalypſis vult eſſe corticem arboris Indicæ, more lini contuſum, &, vt illud ſolet, in fila redactum. Probabilius tamen lini genus fuiſſe pretioſiſſimi, cui Plinius poſt linum viuum, tribuit inter alia genera principatum. *Proximus*, inquit, (Aſbeſtino) *principatus byſſino mulierum maximè deliciis, circa Elim in Achaia genito*, ex quo Iſidorus *byſſum*, inquit, *lini genus nimium candidi & molliſſimi quod Græci papatem vocant.* Alij volunt rufum fuiſſe colore aureo illius metalli ſplendorem fulgoremque imitando. Sed conſtans opinio fuiſſe candidum, quem colorem ſola lotione conciperet. Plinius, vt vidimus, in Achaia circa Elidem prouenire ſcribit. At ex Ezechiele [h] diſcimus in Ægypto pretioſum gigni, & inde in alia emporia diſtribui. Erat autem byſſi vſus apud Hebræos ad ornatum publici & priuati cultus.

f Verbo Byſſus. g Apud Alecāp in Plin. lib.19. cap.1. lit. X.

h Cap 27.

Et primò in ſacris veſtibus tam quæ ad vſum tabernaculi, quam quæ ad amictum ſacerdotum requirebantur. Ad vſum tabernaculi, cortinæ, & tentoria, & vtraque *de byſſo retorta* fieri præcipiuntur. Cortinæ ex alia quoque materia: tentoria, ex ſola byſſo. *Facies*, inquit, [i] *decem cortinas de byſſo retorta, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, variatas opere plumario.* Quod ipſum de cortinis in eodem libro ſæpiùs repetitur. Tentorium autem duplex erat; alterum, in introitu tabernaculi, quod opere ſimili atque cortinæ confici iubetur. *Facies*, inquit, [k] *tentorium in introitu tabernaculi de hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta opere plumarij.* Alterum in atrio tabernaculi, quod ex ſola byſſo conſtabat. *In auſtrali*, inquit, [l] *plaga erit tentorium contra meridiem de byſſo retorta.*

i Ex c.26.1. k Ex c.26. 36. l Ex c.27.9.

At ex veſtibus ſacerdotum ephod, ſiue ſuperhumerale, tunica ſtricta, & femoralia, byſſo quoque retorta confecta [m] erant. Sed quid eſt byſſus retorta? LXX. interpretantur [n] byſſum, quæ netur, vt perinde ſit byſſus retorta, ac in fila torquendo deducta. Ioſephus [o] byſſum retortam vult eſſe, quæ netur, & poſtea torquendo duplicatur. Vnde Hebræis dicitur byſſus duplicata. Non dubium autem requiſitum id ad maiorem operis firmitatem. Quod quid in ſe myſterij contineat; infra cum de veſtibus ſacris exequemur.

m Ex c.28. n in Ex c.28 o lib.3.b 8.

Erat præterea byſſus (Hebraicè buſſ. vnde byſſus Græcis & Latinis) ad ſplendorem & delitias in profano cultu: nec mirum, cùm tanto in pretio eſſet, vt in Ægypto vbi proueniebat, & alias in terras inde ſpargebatur, indutui regio computaretur. Quare Pharao [p] cum ſuper alios omnes Ioſephum vellet euehere, induiſſe illum legitur

p Gen.41.42

ſtola

ſtola byſſina;vt non ab re quidam,diuitem Eusngelicum Regulum quempiam fuiſſe putent, quem tacitè Chriſtus Dominus ab habitus qualitate deſignauerit, regum propria, & virorum prioeipum,quorum eſt purpura,byſſoque veſtiti. Solo enim byſſo ſacerdotes apud alias etiam gentes,veſtiebantur;at purpura cum byſſo reges & principes, & qui in rep. inſigni aliquo magiſtratu fungebantur. Quorum habitus in purpurea tunica,toga,vel aliud ſuperindumentum byſſinum:qualem prorſus habitum diuitis & poten-
a Cap. 2. tis beatus Iacobus [a] deſcribit. *Si introierit in conuentum veſtrum vir aureum annulum habens* (non in digito tantùm;ſed in veſte, nempe fibulam,de qua poſtea) *in veſte candida* Modus enim hîc loquendi caodidam veſtem, ſiue *byſſinam* ſignificat exteriorem fuiſſe. Quoties enim quis in armis, in tunica, in toga eſſe Latinè dicitur; externus illius habitus iodicatur. Quare cum
b Prou. 31. apud Salomonem inſignia illius matronæ dotes prædicantur, cum præmiſſum eſſet [b] *nobilem in portis eſſe virum eius*,per quod innuitur magiſtratum gerens, & qui præerat iuri dicendo, quod apud Hebræos in portis vrbium admioiſtrabatur,dicitur de ea;*purpura, & byſſum indumentum eius*. Prius purpura, quod interior ex ea veſtis; poſtea byſſus, quod exterior. Vtraque autem quod eſſet propria virorum priocipum. At quo maximè artificio byſſus texebatur? occaſionem præbet ambigendi quod habetur in iure ciuili, vbi inter peregrinas merces *opus byſſinum* numeratur. Sed non puto per id aliquod artificium peculiaris texturæ;quod eſſet proprium byſſi ſignificari;ſed ſolùm *textum byſſinum*, non in orbe Romano cōfectum,ſed aliunde importatum.

Sequitur vt de *vermiculo* agamus: quo nomine in ſacris literis intelligitur veſtis, aut lana ſanguioe cuiuſdam animalculi tincta,à quo ſimplici deinde appellatione, ipſa *vermiculus* nuncupatur, ſicut etiam purpura Latiois,& Græcis, & etiam in ſacris literis, non eſt ſolum ipſum animal; ſed veſtis aut lana ſanguine illius imbuta. Dubium autem de hoc eſt an idem ſit *vermiculus* quod *coccum*. Affirmant plerique: volunt enim in coccis ſiue granis arbuſculæ, quæ *cuſculium* appellatur,vermiculum naſci eximij coloris, ex cuius ſanguine lana tingatur, & roſea fiat; quæ nunc coccinum, nunc vermiculus appelletur; ad eum modum, quo lana purpurea, nunc *purpura* à piſce,nunc conchyliata à teſta qua ille clauditur appellatur.

Aliis videtur probabilius *coccum*, & *vermiculum* diſtingui. Eſſe enim coccum, quod Arabes *chermes* appellant, ex granis, & coccis ſimul aggeſtis expreſſum: vnde nos *charmeſinum*. Vermiculum autem,quem *vermilium* dicimus, à vermiculis quibuſdam, qui pimpinellæ radicibus ad naſcuntur. Et certè in Eſaia videtur apertius vtrumque à noſtro interprete diſtingui;quam vt
c Eſ. cap 1. confundi poſſint [c]. *Si fuerint*,inquit Deus per illum prophetam,*peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur. Et ſi fuerint rubra ſicut vermiculus,velut lana alba erunt*. Quo in loco Patres à coccino vermiculum diſtinguunt. Et Tertullia-
d in Scorp.c. 12. & cont. Marc.lib 4. cap.10. nus [d] coccinum, *ſanguineum* colorem dicit; vermiculum,*roſeum*. Sed ſi vt ſupra diximus,vermiculus eſt lana vermiculi colore tincta, ſicut purpura purpuræ, & coccus cocci; quid ſibi vult hîc Deus per Iſaiam dum comparat lanam lanæ. *Si fuerint*, inquiens, *peccata vt vermiculus*, id eſt

Sopran, in Dauid.

vt lana, futura vt lana?Sed dicendum comparari lanam lanæ omnipe fucato colore tinctam, ſuo natiuo fulgenti; & dicit facturum ſe id in populo Iſraelitico Deus, quod fieri humana vlla ope non poteſt cum lana vermiculi colore iam tincta. Succum enim hæc vbi ſemel imbiberit, illum nunquam poteſt eluere,& in colorem priſtinum reparare. Similiter homo qui ſua ſponte poteſt peccatorum ſe maculis fœdare; non poteſt, vbi ſemel id admiſerit, natiuum priſtinumque nitorem induere, macula detetſa; quod tamen poteſt,& paratus eſt facere Deus. Duo ergo per hanc ſententiam tacitè Propheta ſignificat. Primum non poſſe hominem peccati macula ſordidatum illam per ſe detergere. Rectè enim huc alludens Hieronymus [e], *lanarum conchylia,* e Ep.7. ad lect.
*quis ad priſtinum candorem reuocet?*Et ante illum f lib 4 1 de 5.
Horatius [f];

—— Nec amiſſos colores
Lana refert medicata fuco.

Alterum, hoc quod nec per ſe,nec per alium poteſt homo,poſſe Deum,& paratum eſſe facere;vt illum priſtino nitori reſtituat, qui ſit peccatorum maculis fœdatus.Placet ergo coccum à vermiculo diſtinguere, licet aliquando videantur in ſcriptura confundi.

Purpura,lana,linumque peregrinum; quando hac texi cœpta & quis eorum vſus apud Hebraos.

§. X.

PVrpura & ipſum animal eſt, ex genere conchyliorum, cuius ſanguine veſtes tam pretioſè tinguntur;& ipſa veſtis, & lana ſucco illius piſcis imbuta, in quem ſeorſum hic accipitur vbi de veſtium materia diſceptarut. Sed quia paulo poſt iterum de colore purpureo, commodius illuc omittentur, quæ ad huius materiæ qualitatem ſpectant.

Linum; & *lana peregrina* ſuperſunt: quæ duo etiam fuiſſe maximè conquiſita ad veſtium & indumentorum materiam; dubium non eſt.Nam lanæ, non eadem vbique gratia; cum aliæ alibi pretioſiores proueniant, vt pluribus Plinius [g]; g lib 5.c.48.
quod idem de linu dicendum, cuius multa ſunt genera; & mirum eſt quantum aſrerum alteri aliquádo præſtet.Ob id ergo & Hebræis non ſua tantùm lana, linoue contentis, aliàs ex longinquo conquirebantur. Ad quod alludens Salomon de muliere forti dicebat [h]; *Quaſiuit lanam,& li-* h Prou.31.
num, & operata eſt conſilio manuum ſuarum. In verbo enim *quærendi*, ſignificauit mulierem qualem deſcripſerat; nempe quæ viro ſuo, filiis, & vniuerſæ familiæ manibus & induſtria ſua cuncta pararet, quæ ſunt ad vitam ſplendidè traducendam;& ob id lanam & linum etiam inquireret ex longinquo,vt ex illis veſtes ſpecioſas conficeret, nec opus eſſet illas emere à Cananæis. Apud Ezechielem [i] inter alias merces quæ Tyro i Cap 27.18
inferebantur, lanæ ponuntur coloris optimi. Quod eſt intelligendum non de aſcititio tantùm ſed de natiuo: lanæ enim quædam ſunt, à natiuo colore maximè commendatæ vt aliæ viciſſim propter eundem minus experuntur.*Colorum lana,* inquit Plinius [k], *plura genera,&c. Hiſpania nigri* k lib.8.c.48.
velleris præcipuas habet; Aſia rutili,quas Erythræas vocant; Canuſium fului,&c.lanarum nigræ nullum colorem bibant. Non mirū ergo ſi lanæ etiam non

tinctæ, ſed in ſuo natiuo colore aliæ aliunde conquirebantur ad veſtes cultiores conficiendas.

Sed libet hîc preſſiùs quærere, quando primum lanæ intexendæ vſus inceperit apud Hebræos. Occaſionem præbent nonnulli qui tempore B. Iobi nullas dum veſtes laneas fuiſſe; ſed tantum pelliceas etiam à Regibus volunt vſur-
a Iob c.2. patas. Ob id enim dixiſſe de illo diabolum [a]; *pellem pro pelle, & cuncta quæ poſſidet dabit homo pro anima ſua.* quod eſt vt vulgo dici ſolet; *Dariogni coſa, è ſi contenterà direſtar nudo, pur che ne caui la pelle.* volunt autem locutionem quaſi prouerbialem alludere ad vſum pellium, quæ tunc in communi veſtitu promiſcue ab omnibus adhibebantur. Eſſe ergo ſenſum, *pellem pro pelle dabit homo*, veſtem omnem & aliud quodcunque poſſidet dabit homo, licèt etiam nudus remaneat, modo vitam ſeruet. Illud enim *pellem pro pelle*, omnem pellem ſignificare conſueta ſcripturæ phraſi, qua nomen idem in ſe replicatum vim
b Ioan.1.16. habet particulæ vniuerſalis; vt illud [b]; *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* id eſt omnem gratiam; quicquid nimirum boni nobis ineſt, ab illo ineſt. Sic etiam *ſeculum ſeculi* eſt omne ſæculum. & *temporum das tempora vt alleues faſtidium*; eſt omnia tempora diſponis. Simili modo *pellis pro pelle* eſt omnis pellis. Et quia pellis eſt veſtis, volunt iſti ſignificari per hæc verba proprium hominis eſſe paratus vt ſit omnia dimittere. & vt dici ſolet *reſtar in camicia*, aut etiam ſine illa, modo diſcrimen extremæ ſortis euadat.

Sed hæc parum ſtabili fulcro nixa ſunt. Vt enim facile concedam loquutionem illam per idem verbum in ſe replicatum vniuerſitatem ſignificare; nomine tamen pellis, veſtes accipiendas, quod tunc eæ tantum vſurparentur, haud facile dabo. Primo quia falſum eſt vſum texturæ tunc adhue ignotum fuiſſe. Iacob enim qui tanto ante Iobi tempora præceſſit, tunicam po-
c Gen.37.3. lymitam, vtique textam feciſſe dicitur [c] Ioſepho
d Cap 7.6. filio ſuo. Et ipſemet Iob [d] paulo poſt texturæ meminit vt rei vulgatiſſimæ, ex qua comparationem trahit ad vitæ ſuæ breuitatem exprimendam. *Dies mihi*, inquit, *velocius tranſierunt, quam à texente tela ſuccidītur.* Et non dubium quin prius, vt infra dicam, cœpta texi fuerit lana, quàm linum.

Secundò, licèt tunc pelles in maximo vſu; nulla tamen ratio conuincit illis Iobum indutum, vt diabolus ad illas alluſerit, dum dixit *pellem pro pelle dabit homo.* Nam ad nuncium calamitatis acceptæ corruens in terram, *ſcidit veſtimenta ſua*; quæ quomodo potuit, ſi ex pel-
e Sanc. in Iob.2. ver.4. n 19. libus erant? Inſtant [e] externum amiculum pelliceum fuiſſe, quale heroum tempore Regibus, & viris principibus in vſu. Sic enim Homerum, Paridem Pardi & Agamemnonem pelle Leonis inducere. Sic etiam in Leonis exuuio Annibalem producere Silium. Sic denique apud Virgilium Euandrus.

Demiſſa ab læua pantere, terga retorquens.

Et iterum Rex alius.

Occurrit Aceſtes.

Horridus in iaculis, & pelle Libyſtidis vrſæ.

Pellem hanc ergo, quod tunc inſigne quaſi regium erat, abieciſſe Iobum; dum ſcidiſſe dicitur veſtimenta ſua; & ad illam abiectionem diabolum ſpectaſſe dum dixit; *Pellem pro pelle dabit.* Primo loco pellis nomine veſtem intelligendo; ſecundo loco cutem propriam Iobi, vocabulo pellis expreſſam.

Sed hæc minùs adhuc probabilitatis habent. Primò quia pelles heroicis temporibus non ab omnibus nec omni tempore paſſim in veſtes adhibebantur; ſed bello vigente, duntaxat ab iis qui militari vitæ, ſylueſtri venatione præludebant. Secundò quia durè nimis in eadem oratione nullo interuallo disiunctum idem verbum in diuerſa diſtrahitur; vt cum dicitur; *Pellem pro pelle dabit*, primo loco ſit pellis, ſecundo vita. At pellis aliquando pro tota & abſoluta corporis incolumitate ponitur. Nemo negat id. Inde enim illa ſunt *curare cutem & pelliculam*, pro eo quod eſt genio indulgere, ſibique in iis quæ ſpectant ad bene corpus habendum ſedulo proſpicere. Vnde ille dicebat [f].

In cute curanda plus æquo operata iuuentus. f Hor.l.1. ep.2.

Et rurſus ad Albinouanum;

Ne pinguem & nitidum bene curata cute viſes.

Vera inquam iſta ſunt, & vltrò fateor aliquando *pellem* pro vita & iis quæ ſpectent ad ipſam ſeruandam & curandam appellari: Nego tamen inde probabilem expoſitionem reddi, quæ primo loco *pellem* veſtem interpretatur; ſecundò, vitam. Sed cum Patribus & grauioribus interpretibus exiſtimo pro *pelle* vitam, aut corpus, quod *pelle* circundatur, vtrobique accipiendum. Et ſenſum eſſe: paratum eſſe quemlibet dare libenter aliorum pellem pro propria conſeruanda. Quod eſt pro ſeruando ſuo corpore & vita, facile ad mortem oblaturum filiorum corpora, ſeruorum, pecorum, vt tunc Iobus fecerat.

Quando ergo lanæ textura cœpta apud Hebræos? Sunt, qui dicunt Noemam filiam Lamechi, & ſororem Tubalchaim primam id inſtituiſſe. Externi *lanificium Cloſteri* tribuunt *Aracnes filio.* Incerta ſunt omnia, niſi quod vt ſupra dicebam, antiquiſſimam plane lanarum textilium vſum fuiſſe conuincit, quod Iacob tunicam polymitam filio feciſſe ſcribitur. Eſt enim polymita veſtis, non ſolum texta, ſed pluribus liciis artificioſè diſtinctis, cuius operis inuentum Plinius [g] Alexandrinis attribuit; non quod g lib.8.c.48. mentiatur, cum longe ante Alexandriam conditam Iacobi tempore fuerit id Hebræis vſurpatum; ſed quod vbi primum apud Romanos eius texturæ ratio cœpta eſt propagari, primum eſt ab Alexandrinis aduecta.

Duo autem antequam hinc diſcedamus quærenda ſuperſunt. Alterum an omnia lana ex ouibus apud Hebræos tonderetur; & virum illius, an lini prior vſus in veſtibus. De primo certum eſt non ex ſolis ouibus lanas haberi; ſunt enim caprinæ, anſerinæ, leporinæ, de quibus in iure [h] h l.ſi qui lanam ff. de leg.1. ciuili; & lanas non ſemper tonderi; ſed etiam aliquando velli: cum tamen in ſacris & aliis litteris lanæ nomen vſurpatur, antonomaſtice de ouilla intelligitur; quam tantum apud Hebræos in vſu ſaltem promiſcuo fuiſſe putandum eſt. An autem lanæ vel lini vſus antiquior; præſertim apud Hebræos, & vter præſtantior. Dicendum antiquiſſimum quidem lini vſum fuiſſe vt ex Exodo [i] conſtat; antiquiorem tamen lanæ, i Cap.4.41. vt ſupra notauimus. Contra verò præſtantio- Deut.22.11. rem lini fuiſſe, quam lanæ, non ſolum apud Hebræos, ſed omnes alios. Vnde illa ſunt Apuleij, qui de linteo neſcio quo texto loquutus. *Quod*, inquit, *puriſſimum eſt rebus diuinis velamentum. Quippe lana ſegniſſimi corporis excrementum pecori*

cori detracta, iam inde Orphei & Pithagoræ ſcitis profanus veſtitus eſt: ſed enim mundiſſima lini ſeges inter optimas fruges terra exorta, non modo indutui, & amictui ſanctiſſimis Ægyptiorum ſacerdotibus; ſed opertui quoque rebus ſacris, &c. Vnde conſtat non ſolum Hebræis in vſum ſacrorum linum magis, quam lanas aſſumptas; ſed etiam apud alios Ægyptios præſertim, quibus ex Hebræorum vlemia plerique ritus communes.

Chriſti Domini veſtes ex qua materia.

§. XI.

HAud abſurdè id hoc loco quærimus. De materia enim veſtium Hebræorum agentes, quibus omnia in figura contingebant, æquum profecto eſt vt eum de figuris egerimus, ad illum, quem figuræ reſpiciunt, conuertamur.

Quot veſtibus Chriſtus indutus inceſſerit; an capite tectus, an calceatus, an ſoleatus, infrà diſtinctiùs: interim vt materiam dicamus veſtium præcipuarum quæ totum corpus ambiebant, quærendum prius quot eſſent; deinde materia exponenda. Fuerunt[a] ergo qui quinque Domino veſtimenta tribuerent, quibus indutus incederet; inde moti quod dum paſſus eſt inter quatuor milites quatuor ſuæ tunicæ diuiſæ, & vna ſortitioni ſeruata. Recentiores[b] vnam tantum Chriſto tunicam fuiſſe volunt, ducti quod cum ipſe præcepiſſet Apoſtolis ne duas tunicas haberent; ſimile vero non ſit ipſum duas habuiſſe.

a *De quibus Euthym. Mat.* 27.

b *Bar. tom.* 1. *conc. lib.* 9. *cap.* 21.

Sed neceſſariò dicendum videtur duas ſaltem tunicas Chriſtum geſtaſſe. Nam vnam de qua dubitare non licet, Euangeliſtæ[c] exertè proponunt, addentes etiam caruiſſe ſutura? præter hanc autem certum eſt plura Chriſtum veſtimenta geſtaſſe. Si enim præter illam vnicum tantum fuiſſet, puta vel toga, vel palium, vel lacerna, vel quid aliud, opus non erat Euangeliſtas dicere *diuiſiſſe ſibi veſtimenta milites*; quæ veſtimenta non erant, ſed vnicum veſtimentum. Hæc ergo plura veſtimenta, quæ, qualia, & quot erant? Certe dici aliud non poteſt; niſi ſaltem duo fuiſſe, & ex his alterum interius, alterum exterius, nempe tunicam & togam, aut tunicam & pallium. Reſpondent aliqui fuiſſe pallium, & interulam, ſiue ſubuculam, ita vt tria fuerint veſtimenta Chriſti; vna tantum tunica, interula, & pallium. Miror hominem[d] in talibus eruditiſſimum duo hic diſſimulaſſe; primo, interulam, quam diximus, vel ſubuculam, tunicam etiam proprio nomine fuiſſe apud Antiquos. Quicquid enim totum corpus tegebat induendo, (corpus autem appello, quod vulgus italicum *vitam* dicit; pectus nempe & ventrem, & his quæ ex oppoſito reſpondent) tunicam dixerunt; & ex ſitu diſtinguebatur, vt alia diceretur intima, & interior, quæ corpori proximè hærebat; alia exterior, quæ ſupra illam. Si ergo Chriſtus præter tunicam inconſutilem, habebat interulam, duas profecto tunicas habebat. Alterum quod diſſimulatum eſt; ſi Chriſtus Dominus præter tunicam, *interulam* habebat, veriſimilius omnino eſſe non tunicam, ſed iſtam caruiſſe ſutura. Cui enim veſtis generi magis id conuenit, quam quod intimè corpori, & membris adhæret? Aſt alij dicunt præter tunicam inconſutilem, plura quidem Chriſtum veſtimenta geſtaſſe; nullam tamen in illis aliam tunicam fuiſſe. Subuculam enim & interulam nullam aliam habuiſſe; quam quæ tunica inconſutilis appellatur: alia autem veſtimenta fuiſſe pallium, aut togam, caligas, pileum, calceos, &c. Sed vtrum Chriſtus vſus calceis, aut pileo fuerit; infra videbimus. Interim nemo non videt tegumenta pedum & crurum, qualia præſertim veteribus geſtabantur, ſimplici veſtimentorum nomine in communi ratione loquendi, ſatis apte non deſignari.

c *Ioan.* 19, 23.

d *Malden. Mat.* 27.

Sopran. in Dauid.

Maneat ergo duas ſaltem tunicas Chriſtum habuiſſe, & has mortis ſuæ tempore geſtaſſe: at quomodo præcepit[e] aliis ne duas haberent? Non prohibuit duabus ſimul vti, ſi frigus & neceſſitas id poſtularent, vt bene Hieronymus[f] aduertit; ſed plures habere quas ſubinde mutarent; & altera alteri ſuccederet; vt vna præſenti neceſſitati ſeruiret, altera in futurum proſpiceret. Vno verbo prohibuit plura mutatoria veſtimentorum, non plures tunicas ſimul induendas vbi opus eſſet. *Hoc* inquit Auguſtinus[g], *de duabus tunicis, intelligendum eſt ne quiſquam præter eam, qua eſſet indutus, aliam portandam putaret, ſolicitus ne opus eſſet.* Quod Auguſtini dictum perſpicue ſententiam noſtram confirmat, & Chriſti Domini præceptum magis etiam relaxat. Nec enim vult omni tempore plura veſtimentorum mutatoria prohibuiſſe; ſed in eo itinere, quod Apoſtolis imperabat; in quo nolebat duas illos tunicas geſtare; alteram, quam in vidulo futuris vſibus ſeruarent; alteram, qua inducrentur: quod diſtinctius Hieronymus his verbis proponit. *In duabus*, inquit, *tunicis duplex mihi videtur intelligere veſtimentum, non quod in locis Scythiæ & glacialis niue rigentibus vna quis tunica debeat eſſe contentus; ſed quod in tunica veſtimentum intelligamus, ne alio veſtiti, aliud nobis futurorum timore ſeruemus*, &c. Quod ergo Lyranus intelligit de vnica tantùm tunica Dominum præcepiſſe; minus eſt omnino probandum, & ante nos alij refellunt.

e *Mat.* 10. 10.

f *In Mat. ibi.*

g *lib.* 2. *de conſ. Euang. cap.* 30.

Statuto igitur Chriſti Domini veſtimenta tria ſaltem fuiſſe; duas tunicas, & pallium, ſiue togam, de quo infra, duo iam dubia ſuperſunt. alterum, quæ tunica fuerit inconſutilis; alterum quod huc proprie ſpectat, ex qua materia. De primo; probabiliſſimum eſt inconſutilem tunicam interiorem fuiſſe, quæ proximè membris hærebat. De ſecundo, difficultatem facit, quòd milites dum veſtimenta ſciderunt, ea pretioſa non ratione operis & artificij, ſed materiæ fuiſſe ſignificarunt; ſi enim ex vili fuiſſent; quorſum quod ſolùm poterat in illis vſui eſſe ſcindendo corrumpere? Additur his latronum veſtimenta nec diuiſa, nec ſortitione diſtributa. Quod arguit illas milites neglexiſſe, facturos id quoque in veſtibus Chriſti, niſi pretioſa fuiſſent. Neſcio ſi cui vnquam venerit in mentem tunicam ſaltem inconſutilem, ſericam ſuſpicari. Duo enim traduntur, ex quibus de hoc aliqua poteſt coniectura fieri. Primum eſt B. Virginem ſuis illam manibus confeciſſe, quod tradit Euthymius[h], adiungens ea de re, vt pote exploratiſſima, nunquam fuiſſe in Eccleſia dubitatum. Alterum, B. Virginem miram artificem fuiſſe in veſtibus texendis, & acu laborandis. D. Epiphanius[i]; *Erat*, inquit, *docilis & amans doctrinam; & non ſolum in ſacris literis, ſed etiam in lana, & lino, & ſerico, & byſſo laborabat.* Et Anſelmus[k], *Opus verò manuum*

h *Matth* 27.

i *In vita Virg.*

k *lib. de vita Virg.*

eius erat lanæ , & lini , & ſerici. Mantuanus [a]. (a ... art.)

Nunc lanam pingebat acu , nunc penſa trahebat
Serica ; & immiſſis per lilia pendula filis ,
Vela ſacerdotum ſacros texebat in vſus.

(b In ſua Ioſeph. diſt.1.) Ioannes [b] Gerſon ad B. Virginem aptat illa de muliere forti. *Quæſiuit lanam,& linum,* (peregrina ſcilicet)*& operata eſt conſilio manuum ſuarum.* Hæc tamen eſſe tanti non debent , vt veriſimile putemus vllas Chriſti veſtes ex ſerico fuiſſe. Cur ergo milites de illis adeo ſolliciti ? Milites , inquam , non infima fæx ſatellitum ? Fortè laſciuiendo ; vt hoc etiam illuſionis genere Chriſtum traducerent. Vt regem enim crucifigentes, æquum erat illius inter ſe veſtimenta , quaſi regis, certando diuidere. Fortè etiam ob munditiem exquiſitam digna erant quæ non negligerentur ; Tunica præſertim. Fortè denique non ignorabant , aliis pretioſa futura , quibus erat Chriſti nomen in pretio. Non defuturos ergo qui certatim illa conquirerent : ob id ea tanto inter ſe ſtudio diuiſerunt.

Quomodo ſcinderentur veſtes in luctu , & qua ratione recepto more tam facile id fuerit Hebræis & aliis.

§. XII.

HIs igitur de veſtium Hebræorum materia ſic explicatis , ea ſubit animum dubitatio, quam principio huius diſputationis adduximus, & illi magna ex parte occaſionem præbuit. Quomodo ergo Hebræis & gentilibus cum veſtes illorum non ex aranearum telis eſſent; ſed ex denſa,& bene compacta materia contextæ, tam facilè ſubitis in caſibus ſcindebantur? Et augent multa difficultatem. Primò quod non certo tantùm anni tempore mos id eſſet, vt æſtate vel autumno , cum veſtes leuiſſimi textus induuntur ; ſed in media hyeme , cum veſtes aſſumuntur denſæ, villoſæ, bene pexæ. Secundò non factum id à viris robuſtis duntaxat ; ſed ab omni ſexu & ætate. Senes enim viribus confecti, fœminæ, pueri puellæque more illo veſtes etiam in calamitate ſcindebant. Tertiò. Nec id lentè & otioſè, ſed impetu ſubito. Ne quis enim exiſtimet, audita clade aliqua luctuque ſuorum cultros popoſciſſe , veſtes depoſuiſſe , eas in fruſta ſecaſſe , ſignatè refertur ad ſubitum cladis nuntium, ad improuiſum aſpectum , vel obiectum rei deteſtandæ , veſtes illico diſcidiſſe.

Quid ergo dicendum ? An erant omnes textu tam tenui, vt à pueris , puellis, ſenibus, iniectis manibus in diuerſa deductæ diſcerperentur ? Et quomodo frigus arcebant; quomodo contra temporis iniurias durabant; quomodo tenuioris fortunæ homines illis reparandis ſufficiebant? Nam ſi ex lana , ex lino, & ſerico erant ; profectò talis hæc materia ſunt , vt non niſi tenuiſſima in fila deducta, & textu ſubtiliſſimo confecta, non poſſint facilè diſcindi. Nam quod non nemini venit in mentem , ſcidiſſe veſtes antiquos immiſſo cultro, vel enſe ; nec dignum eſt quod refellatur. An enim ſemper & in omni occaſione pueri, puellæ, ſenes, fœminæ paratos cultros habebant? An Caiphas cum veſtimenta ſcidit , audito Chriſto Domino, cultrum prius expediuit , & ab adſtante ſatellite popoſcit ? Denique modus ipſe loquendi, quo perpetuo Græci , Latini , Hebræi auctores vtuntur; in hoc more referendo, perſpicuè ſignificat; non cultro , non enſe , non ferro; ſed manibus in veſtes violenter iniectis , illas diſcidiſſe.

Multa dici poſſunt : probabiliſſimum tamen mihi eſt ſciſſuram hanc non ſemper de diſſectione veſtis in partes accipiendam; ſed de illius violenta detractione , proiectione , diffibulatione. *Violenta* , inquam , vi , & impetu facta. Certè in communi ſermone qui thoracem orbicularia anſulis adſtrictum , cum impetu diſtringit , ligulis, clauiſque diſcluſis, dicitur *ſquarciar la veſte , ò'l giubbone.* Quod verbum reſpondet ad amuſſim Latino *diſcindere.* Ratioque ad id adſtipulatur: quia verè dicitur ſcindi, & diſcindi , quod prius iunctum , cum violentia & impetu disiungitur. Cum ergo veſtis vel nodulis, vel anſulis , vel ſutura iuncta, violenter abiungitur , etiam diſcindi dicitur , Vetus verbum eſt quod hanc coniecturam confirmat , *amicitias non diſcindendas , ſed diſſuendas eſſe.* Quo ſane dicto ſignificarunt *diſcindere* eſſe cum vi & impetu coniuncta diuidere, ligulis, nodis, vel filo , vnde ſtringebantur abruptis, aut cum impetu diuulſis; & non ſemper in partes *diſſecare.* Cicero refert alicubi [c] ab Oratore quodam clientis veſtem à pectore *diloricatam* , vt illius cicatrices ante oculos populi Romani ſtatueret. Quid eſt diloricaſſe ? Subito & cum impetu veſtem aperuiſſe , diffibulaſſe, diſtrinxiſſe; loquutione puto deſumpta à re militari : nec enim commiſſo prælio milites , vulnerati præſertim loricas otioſè lenteque deponunt; ſed quantocius ligulis hamiſque ſolutis. Et tamen hoc ipſum alibi [d] Cicero referens, non dicit tunicam *diloricaſſe,* ſed *diſcidiſſe;* vt intelligamus eſſe aliquando diſcindere (cum de veſtibus agitur) vi & impetu coniuncta diuellere. Cæterùm, ſi quæ alia ritum hunc ſpectant veſtes in calamitate ſcindendi, fuſius vbi de publico , & priuato luctu agimus , explicantur.

(c lib. 2. de Orat.)
(d Eod. lib.)

(Ad illa verba Salomonis ad Regem Hiram.) [e] Mitte mihi virum eruditum, qui nouerit operari in auro, & argento, ære & ferro, purpura, coccino, & hyacintho, & qui ſciat ſculpere cælaturas. (e lib.2.Paral. 2.7.)

De vario colore veſtium apud Hebræos.

CAPVT III.

VEſtium materia vel per ſe ſpectari poteſt, vel ex adiunctis. hæc diſtinguuntur in colorem , & ornatum. De materia per ſe ſpectata, ſuperiori capite diſſeruimus; in ſequenti , de ornatu, in hoc de coloribus agemus.

Colores quàm varij , & quorum potiſſimum mentio in ſacris litteris.

§. I.

TAm operoſum eſt de coloribus agere, quam vitæ intereſt eorum differentias non ignorare. Illud oritur ex eorum varietate , & multiplici coagmentatione; quæ tanta eſt, tam ſinuoſa, tam lubrici tranſitus; vt non alibi videatur natura ſuas

ra ſuas opes oſtentaſſe, quaſique data opera laſciuiſſe. Quare cum rerum hic multitudo vocabula ſuperet, immenſi laboris eſt omnia eorum genera ſuas per differentias accuratè diſtinguere: quod tamen vtile non ſolum, ſed apprimè neceſſarium eſt vitæ traducendæ; cùm nullibi periculoſius erretur. Multa enim quibus vita noſtra dirigitur, arcentur morbi, ſalus reparatur, ab antiquis nobis ſunt per colorum differentias inſinuata. Quales ſunt medicinæ quædam, gemmæ, lapides, herbæ venena, ſigna denique lapſæ ſalutis, aut deſperati morbi, quibus in iudicandis error qui committitur, capitis eſt periculo luendus.

Quod attinet ergo ad id quod agimus; hic tantum de coloribus exponemus, quantum ad ea opus eſt, quæ de eorum vſu in ſacris literis habentur, intelligenda. Generali ergo illorum diuiſione præmiſſa, ſtrictim deinde præcipuas differentias exequemur.

Colorum diuiſio variè à variis inſtituitur. Quidam enim illos diſtinguunt à varia ratione viſum noſtrum mouendi [a], quam triplicem ſtatuunt, vt quidam colores aſpectui noſtro æquentur; quidam ſuperent, quidam ſuperentur. Æquales eſſe omnes pellucidos; ſuperare, qui diſſipant; inferiores eſſe qui congregant. Alij à numero quatuor primorum corporum, quatuor quoque faciunt prima genera colorum. Album, qui terræ reſpondet; viridem, aquæ; ceruleum, aeri; flauum igni. Iuriconſulti [b] octo primas differentias aſſignant. Iis plerique Medici de numero conſentiunt; in numerandis generibus diſcrepant. Antiqui Philoſophi ad ſeptem primas differentias omnes alios reuocarunt. Nos hic in rerum ipſam naturam nihil ſubtilius inquirentes, colorum diuiſionem duplicem ſtatuimus; aliam ab ipſorum eſſentia deſumptam; aliam, ab adiunctis. Ab illorum *eſſentia*; vt alij ſint ſimplices, alij admixti. *Simplices*; duo tantum ſunt; albus, & niger. *Admixti*; quicunque alij intermedij. Quod tamen ita non intelligimus, quaſi velimus ex albo & nigro verè colores alios temperari. Falſum enim id eſt, vt ante nos alij cum Ariſtotele, contra quam medici velint, docuerunt; cum ex albo, & nigro permixtis, alij colores non exiſtant [c], præter fuſcum, cinereum, & qui ſub iſtis. Sed quia in exiſtimatione noſtra colores intermedij appellati videntur omnes aliquid vtriuſque habere, & inter ſe periode differre, vt magis & minus ad album & nigrum accedunt, aut ab illis abſcedunt. Hoc ergo pacto ſex ſumma genera ponuntur; duo ſimplicia, *album*, & *nigrum*; quatuor admixta, flauum, rubrum viride, ceruleum. At ex *adiunctis* innumeræ diuiſiones oriri poſſunt; alij enim colores appellantur à ſubiectis in quibus inſident; vt herbaceus, lacteus, niueus; alij à repræſentatione, vt roſeus, ſanguineus, plumbeus; & ex his alij ab elementis, vt aqueus, aëreus, ceruleus; alij à metallis, vt aureus, argenteus, ferrugineus; alij à lapidibus vt marmoreus, ameiſthynos; alij à floribus vt ianthinus violaceus, amaranthinus; alij denique aliunde, & aliter.

a Plato in Phil. & Tim.

b V. Alciat. lib. 2. Parer. cap. 5.

c Scalig. exer. 325. n. 9.

Sed nos prima genera proſequamur, & ſtrictim ſpecies ſub illis. Obſeruandum porro hic eſt, argumentum hoc, in quo de coloribus agitur, dupliciter tractari poſſe. Primò illorum naturam explicando. Secundò varia illorum nomina, quibus in iis tradendis, vſi ſunt veteres ad vocabula noſtri temporis accommodando. Et eſt hoc vtrumque difficile; ſed illud ad Philoſophos ſpectat, quod hic non agimus; hoc ad polyhiſtoricos, quod hic præſtamus, ea parte duntaxat, qua nomina colorum, quæ in ſacris literis habentur, ſunt ad ea, quibus nunc vtimur, attemperanda.

Primus ergo color eſt *albus*. ſub quo ſex differentiæ à Medicis notantur [d]; chryſtallinus, niueus, aqueus; lacteus, glaucus, & charopus. Ex quibus color chryſtallinus, & aqueus pellucidi; ille fulgidior, iſte dilutior: niueus, & lacteus, denſi; exuberans niueus, remiſſior lacteus: Glaucus qualis eſt in cornu pellucido: Charopus omnium maximè remiſſus, qualis eſt pili ſubalbi cameli, & lapidis onychini. At præter has ab aliis aliæ plures *albi* differentiæ recenſentur; candidus, vitreus, marmoreus, papaueratus, eburneus, argenteus, gypſatus, ceruſſatus, cretatus. Ex his albus quem *bianco* Itali, alij *blanc*, à Græco deductum nomen, *languidum* ſignificans. Inde factum, opinor, quod qui languent, & timent, exalbeſcunt. Candidus ab albo, ſplendore differt, quem ei addit; qualis in' oine, argento polito, margarita: & transfertur ad animi liquiditatem, vbi neque maligna nubes, neque liuoris macula; ipſe æquabilis, inoffenſus, illuſtris, ſine vlla vel vmbra, vel receſſu, denique vt quidam dixit [e], nec aulicus, nec forenſis. Ea luce qui carent, nigri & atri dicti ſunt ab antiquis, vt eſt apud Catullum, & Horatium.

d Aſuer. de vrin. Ceſalp. lib. 2. cit. c. 19.

e Scal. exerc. 325. n. 11.

Hic niger eſt; hunc tu, Romane caueto.

De vitio enim loquitur animi candori oppoſito, non de colore.

Secundus color eſt niger in altero latitudinis extremo conſiſtens, omnium validiſſimus. is in ſummo faſtigio *ater* à Romanis vocatur, quaſi à terra. Licet alij Chaldæam vocem eſſe velint; apud quos hoc nomine fumus appellatur. Sunt autem nigri differentiæ *piceus*, *plumbeus*, *cinereus*, *pullus*, *ſuaſus*, *rauus*, *liuidus*, *prannius*, ab Indica gemma ſic dictus, *coracinus* à coruo, *fuſcus* à *phuſchim*, quod vſtulare eſt Hippocrati. Itali *ſtrinare* dicunt, vſtulata enim fuſca ſpectant ad fuſcum, *caliginoſus* proprius aëris, & quem *brunum* Tuſchi à germanica dictione *brun*.

Tertius color flauus eſt; ſub quo tres præcipuas differentias Medici [f] ponunt ad ſigna valetudinis in iis quæ excernuntur, obſeruanda. Primus eſt maximè remiſſus, *ſpiceus*, qualis in ſpica tritici. ſecundus, *rufus*, qualis in capillis puerorum, & in vulpe, tertius, *aureus*. Alij adiungunt croceum inter flauos plurimum ruboris habentem. Sunt etiam fuluus, & rutilus flaui ſpecies, ex fuſco flauoque permixti, qualis auri non in ſummum nitoris perducti. Eſt etiam luteus ſubflauo, qualis eſt in oui vitello, qui ab aliis milinus à malo cotoneo. Differt à flauo, quod hic ad ruborem magis accedit, luteus ad viriditatem. Omnes autem colores, qui ſub flauo ſunt, ad album referuntur, prout variè rubro, viridique miſcetur [g]; ita vt in illis albus emineat. Itaque ſub flauo cenſentur ab aliis [h] melleus, melinus, palearis, pallidus, galbaneus, buxeus, citrius, ſuaſus, Hiſpanus, Mutinenſis, impluuiatus, æneus, rubiginoſus, ferrugineus, pullus, roanus, rauatus, regius, leonatus, cereus, cerinus.

f Gal. 3. de criſib. c. 12.

g Ceſalp. 5. de facul. cap. 20.

h Scal. exerc. 325. n. 12. Calcag. Epp. lib. 1. & lib. 5.

Sub quarto colore rubro, qui ad nigrum relatus, ex varia mixtura viridis, flauique videtur conſurgere; ſunt rubidus, rubicundus, rutilus, ruſſus, ſanguineus, roſeus, giluus, ſpadix, flammeus,

meus, puniceus, vinoſus, balanſtinus, xerampelinus, coccineus, purpureus, amaranthinus, violaceus, carneus, vermiculus, phœniceus [a], oſtrinus.

a Gel. lib. 2. cap. 26.

Quintus viridis complectitur praſinum, ſiue porraceum, herbaceum, lucidum, maluaceum, chelidonium.

Sexto denique cæruleus eſt, ſub quo plumbeus, & cinereus dilutior, glaucus, cæſius, glaſtinus, ſilatos, indicus, venetus, griſeus, leucopheos, blauus, turchinus, perſus, hyacinthinus, ianthinus, aëreus.

His in vniuerſum de colorum differentiis, & variis appellationibus propoſitis, videamus iam ſi quid ad particulares aliquos colores ſpectans, eſt in ſacris literis obſeruandum.

b Cant 5. 11. — Ad illa verba ſponſæ.

[b]Caput eius aurum optimum; comæ eius ſicut elatæ palmarum, nigræ quaſi coruus.

Niger color in ſacris literis in quibus & qualis commendatus; coracinus, piceus, phœniceus & alij ſub illo [c]. Veſpera luceſcens, quid apud Matthæum.

c Matth. 28.

§. II.

POſſet ex hoc loco non leui coniectura duci ſuper alios colores nigrum Hebræis in cæſarie fuiſſe probatum. Dum enim ſponſa pulchritudinem ſponſi commendat, inter alia ab atro colore comas extollit: nec qualicunque ſed *coracino*, qualis eſt coruorum; qui ſine dubio non ſolum nigri, ſed atri ſunt. Idipſum nigri capillamenti ſtudium videtur à Chriſto Domino in Hebræis tacitè ſignificari dum dicit [d]; *Neque per caput tuum iuraueris; quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum.* Niſi enim ſtudium aliquod illis fuiſſet denigrandi capilli, & albandi; denigrandi in viris, albandi in fœminis & puellis; hoc in exemplum imbecillitatis eorum non attuliſſet; Quod cum maximè vellent; aſſequi tamen niſi mentiendo non poterant. Qui enim comæ denigrandæ ſtudebant, non eam nigram verè reddebant; ſed vmbratili colore fucabant, qui mox euaneſcebat; niſi ſubinde tinctura repeteretur. At verò ex alia parte non ſatis apparet quomodo color hic in capillo, vel aliter eſſet Hebræis admodum commendatus etiam in viris.

d Mat. 5. 36.

Primò, quia in hoc eodem loco ſponſus ab aureo capillamento laudatur. *Caput*, inquit, *eius aurum optimum.* Qui color longe differt à nigro; præſertim *coracino*, qui *piceo* proximus eſt. Secundò quia Iudæi tempore Dauidis, & Salomonis, & deinceps ſub aliis regibus, miro ſtudio tenebantur flauæ capillaturæ. Vnde Ioſephus deſcribens regium aulicorum equitum comitatum, qui Salomonem procedentem deducebant, adeo fuiſſe docet in pretio flauos crines & aureos etiam in viris; vt auri ramenta capillis aſpergerent, vt aduerſo ſole percuſſi, non ſolùm flaui, ſed aurei viderentur [e]. *Exornabantur*, inquit, (Equites, qui Salomonem præibant) *primum decora iuuentute florentes, habentéſque magnam proceritatem, & ſatis alios excedentes, longamque diffundentes in equorum ſeſſionem cæſariem, veſte ex purpura Tyria circumamicti; aurique tincturam quotidie in ſuis comis adiicientes, vt eorum capita percuſſa ſole auro radiante fulgerent.* Quæ Ioſephi verba melius ad id quod agimus in Heleuij verſione ſic exprimuntur. *Auriquæ ramentis & micis comas ſpargebant; vt inter denſam cæſariem implicata, ſole deinde affulgente, totam comam auri nitore radiantem, ſpectantium oculis obiicerent.* Quorſum ergo tantum ſtudium, vt capillus aureus appareret, ſi niger in eo color probabatur? Tertiò Chriſtus Dominus non nigro, ſed flauo capillamento fuiſſe deſcribitur; & id in partem pulchritudinis ponitur in ipſo ſplendentis. *Cæſaries*, inquit Nicephorus [f], *ſubflaua fuit.* Addit Suidas, *etiam criſpanti* vt eſſet, quemadmodum hîc ſponſa deſcribit, *caput eius aurum optimum, & comæ ſicut elatæ palmarum.* Eæ enim primo quaſi hirtæ, pondere deinde ſuo deorſum pendentes in ſe iterum cincinnatis circulis reuoluuntur; in quo flauities, & criſpitudo comæ innuitur. *Flauities*, quia in elatis, id eſt fructibus palmarum color phœniceus ineſt, de quo Gellius & criſpatura circulorum. Quartò flaua coma gentium omnium conſenſu [g] pars eſt eximia pulchritudinis. Neque ſolum in Germanis, quibus Tacitus *rutilas comas* attribuit; aut Batauis, quos Silius appellat *auricomos*; aut in Britannis, quos Lucanus *flauos*, ſicut & Callimachus Arimaſpos; ſed in Græcis & priſcis illis heroibus. Nam Menelao Spartano, Meleagro, & Achilli flauam cæſariem aſſignat Homerus; & Deorum fuit Bacchi, & Narciſſi aurea coma, vt ſcribit Philoſtratus [h]. Quin & apud Romanos ipſos rerum Dominos, & omnis in vita cultus elegantiſſimos arbitros, in capillo flauus color amabatur; adeo vt Commodus [i] vt diuinitatis opinionem affectaret ſtatuæ ſuæ capillis auream ſcobem aſpergeret, vt quaſi cœleſti iubare refulgeret. Et de Antonino Vero refert Capitolinus [k] tantam illum habuiſſe curam flauentium capillorum, *vt capiti auri ramenta reſpergeret; quo magis coma illuminata flaueſceret.* Quintò cum Dauid ſpecies commendatur, flauo crine fuiſſe deſcribitur, vt pluribus oſtendimus in libros [l] Regum. Sextò denique Ægyptiis à quibus abhorrebant Hebræi, & abhorrere debebant, flaui crines [m] improbabantur. Et erant in pretio nigri criſpantes, quales in Mauris noſtris faciem noctis habentibus & quibus horror eſt in tenebris occurrere. Non ergo poterat Hebræis niger capillus in pretio eſſe, quibus omnia Ægyptiorum improbabantur.

e lib. 8. antiquit. c. 7.

f lib. 1. hiſt. c. vlt.

g Adrian. Iun. lib. de coma. c. 9.

h In imaginib.

i Herodi. lib. 1.

k In eius vita.

l lib. 1. c. 16. in Com.

m Diod. Sic. l. 2. c. 4.

Vt iſta ſoluamus, duo breuiter explicanda ſunt. Primò quem nigrum colorem probarent in capillis Hebræi. Secundò quomodo is cum flauo ratione aliqua conueniret.

De primo non dicit hic abſolutè ſponſa *comam ſponſi ſui nigram*; ſed cum reſtrictione, *quaſi corui.* Nigrum ergo colorem capillis attribuit, non qualemcumque; ſed *coracinum* coruorum proprium. Coruus enim Latinè, Græcè *corax* à quo *coracinus*; vnde inter alios hunc locum Paulinus [n] legit. *Crines eius nigri ſicut corax.* Iam vero nigredo corui in capillis; virorum præſertim maximè probatur, quod abſit maximè ab omni ſuſpicione ſenectutis. *Coma ergo nigra ſicut coruus* eſt nullis canis aſperſa. Quare quantum probatur in viro robuſta viuidaque iuuenta; tantùm etiam talis color in coma. Vnde ille canebat;

n Ep. 4. ad Seuer.

Et [o] Lycam nigris oculis nigroque,
Crine decorum.

o Horat.

Proin

Proinde non mirum ſi ſponſa ſponſum ſuum laudans à perpetua, & illibata iuuenta, crines eius extollit quod ſint *ſicut corui nigri*, non flaui prorſus & aurei, quo in colore cani plerumque miſcentur, & latent; ſed nigri & ſicut corui, qui prorſus omnem mixturam ſenectutis excludunt.

Sed preſſius aliquid de hoc colore coracino, quantum huc ſpectat exponamus. Color niger, vt ſupra dicebam, ſinceros vbi eſt, ater appellatur, vt in carbone extincto, vel atramento, cui à colore nomen apparet; ex admixtione autem variè remittitur, vnde fuſcus exſurgit, cuius variæ ſupra differentiæ notatæ. In coruo vero niger color qui eſt, admixtum quid lucis habet: ideo non fuliginoſus eſt, ſed refulgens & nitidus; obuerſuſque ſoli, refert auri pallorem, vt videre eſt in coruo, quando Soli corpus obliquat. In extremis enim eorum pennis, neſcio quid aureum refulget. Ob id obſeruarunt aliqui auroram & nigredinem apud Hebræos, eadem voce ſi ſpectemus conſonantes ſignificari. *Ghoreb*, etiam *quod corui*, idem eſt *veſpera* nomen. Color autem veſperæ nigreſcit quidem, ſed aliquo ſplendore lucis admixtus: quem colorem Græci [a] *orphon* appellant, eadem voce crepuſculum notantes, quod ſit finis lucis, nondum tamen planè tenebris ſuccedentibus: cum nimirum dies eſſe deſiit, & nox adhuc abeſt. *Coracinus* ergo, ſiue corui color idem qui veſpere, & quia eadem in hoc ratio veſperæ & auroræ, idem quoque qui auroræ. Nam & huic ſua nigredo tribuitur in ſacris literis: adeo vt eadem voce originali שחר *Sahhar* auroræ nigredo notetur. Vnde quidam ficto vocabolo locum hunc ſponſæ vertunt; *Capilli eius aurorantes quaſi veſpera, & coruus*; quod diceremus nos *i ſuoi capegli come quei dell' Aurora*. Facile ergo ex his erit aduertere. Primo cur ſponſa capillos ſponſi coracinos appellat. Secundo cur eadem ſe dicat *nigram, ſed formoſam*. Nigram enim hac ſe nigredine intelligit, quam deſcripſimus, auroræ & veſperæ propriam, & quæ in pennis corui fulget obuerſis ſoli.

a *Scal. exer. 325. n. 17.*

At cur tantopere flauus color expetitus, ſi niger hic quem deſcripſimus adeo laudatur? Si recte dicta perpendimus, reperiemus eundem colorem flauum & nigrum fuiſſe, quem in coma probabant; variè autem appellatum, prout magis, aut minus alboris habebat. Subflauum enim colorem quidam ſpeciem nigri faciunt; & vice verſa coracinum alij ſub flauo ponunt, non albente, ſed nigricante. Cæterùm cùm in coracino colore, quem dicimus auroræ, & veſperæ proprium, duo ſint fulgor, & fuſcedo; qui *fulgorem* reſpiciunt, auroram & veſperam flauam, auream, roſeam appellant; qui *fuſcedinem*, atram, & nigram. Fulgorem reſpiciebat ille dum caneret;

Aurea fulgebat roſeis aurora capillis.

Et iterum.

Aurora in roſeis fulgebat lutea bigis.

Ad fuſcedinem ſpectant in aurora, & veſpera, qui pallidam dicunt vtramque. Simili modo ergo in coma coloris coracini, quem aliqui [b] caſtaneum etiam dicunt à cortice caſtanearum; qui *ſplendorem* reſpicit, illam flauam appellat; qui *fuſcedinem*, nigram; non abſolutè, ſed cum aliquo addito. Qualis in coma color, in viris principibus maximè probatus eſt: vnde Auguſto Suetonius *ſubflauam comam* tribuit; *rubram nigricantem* Conſtantino Cedrenus. Et hîc ſponſa vt vtrumque complecteretur, indicaretque ſponſi comam, non prorſus flauam, nec prorſus nigram; & flauam ſimul, & nigram diſtinctè dixit; vt in illa colorem ſignificaret ex vtroque permixtum. Primum enim caput ſponſi aureum appellauit, & poſt nigrum ſubiecit; & quid ex hoc vtroque conſurgeret etiam expreſſius adiunxit, *elatis palmarum* comparando comam; & corui nigredini: Eſt enim *in elatis palmarum* [c] non admodum ſole decoctis color melleus in vmbram depreſſus. Quare capillus ſic coloratus, & niger vmbroſo fulgore in morem purpuræ reſplendet: ob quod iterum [d] ſponſi capilli *Regis purpura iuncta canalibus* comparantur.

b *V. Scalig. exerc. 325. n. 12.*

c *Col. lib. 2. cap 26.*

d Cant. 7. 5.

Hæc abſoluo, ſi tria præmiſero, quæ ex his colliguntur. Primum eſt quæ diximus de ſenſu quaſi grammaticali verborum ſponſæ, viam nobis ſternere ad ſenſus myſticos, quos variè illis Patres attribuunt. Sponſus enim Chriſtus eſt; capillis cogitationes notantur, quæ nigræ ſunt, quia [e] *imperſcrutabiles via eius Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut conſiliarius* [f] *eius fuit?* Et denique capilli eius nigri ſicut corui; quia *iudicia* [g] *eius abyſſus multa*. Quod ſi ſponſus anima quælibet iuſti intelligatur; capilli eius ſunt *nigri ſicut corui*, quod eſt cum nigrore ſplendentes; quia tota iuſti cogitatio in duobus verſatur, quæ diuus Franciſcus à Deo poſtulabat, dum identidem Deo repetebat; *Nouerim me, nouerim te*. Nigra enim cogitatio iuſti eſt, dum illam in ſe obuertit, & in peccata ſua; ſplendida, dum Deum reſpicit, & illius miſericordiam. Proinde nigra, ſed quaſi corui; qui Soli dum obiicitur admixto nigredini ſplendore refulget. Omitto ſenſus alios quibus ea, quæ diximus, viam facile ſternunt, quod aliud hic à nobis agatur; & alibi plures eorum proſequuti [h] ſimus, dum de Dauidis in domo ſua ſedentis vbi otium ab hoſtibus nactus, à diuturnis bellis reſpiraſſet, ſanctis cogitationibus ageremus.

e Rom. 11. 33.

f Ibid. v 34.

g Pſal. 35. 7.

h *Diſſ. 1. & 2. in 2. Reg. cap. 7.*

Secundò ex dictis colligimus in quem ſenſum Dauid alicubi dixerit [i]; *Tu fabricatus es auroram, & ſolem*. De Deo enim agens rerum vniuerſitatis effectore, per *ſolem*, lucem; per *auroram* finem lucis, & tenebras intellexit. Quia vt ſupra vidimus, *aurora* nomine ſignificatur apud Hebræos quod tenebras ſonat; non qualeſcunque ſed quæ lucem finiunt; vt idem ſit. *Tu fabricatus es auroram & ſolem*, ac principium lucis, & tenebrarum ſiue noctem, & diem; per quæ omnia tempora, & quæ tempori ſubiacent, deſignantur.

i Pſal. 63. 16.

Tertiò lucem ex dictis accipit locus apud Matthæum [k] vbi deſcribens Euangeliſta tempus quo mulieres ad monumentum adierunt; *Veſpere*, inquit, *ſabbathi, qua luceſcit in prima ſabbathi*, quærunt enim ſedulo plures quæ ſit hæc ratio loquendi. *Veſpere, qua luceſcit. Non habet*, inquit Chryſologus [l], *hoc mundi vſus; veſper finit, non inchoat diem; tenebreſcit Veſper, non luceſcit: non in auroram vertitur, quia lucis ortum ignorat: veſpera mater noctis parituris diem. Mutat ordinem dum agnoſcit auctorem: radiat de nouitate myſterium; anhelat creatori ſeruire, non tempori.* Sic ille more ſuo ſenſus myſticos moribus informandis excudens, cur Euangeliſta veſperam luceſcere dixerit nobis exponit. At ratio verbis inhærens eſt, quia in veſpera nigredo; ſed qualis corui reperitur in qua tenebræ ſimul, & lucis aliquid; vnde cum veſper incipit, iâ poteſt dici *nocteſcit*; quia tenebroſa, & inde noctis principium, quàm *luceſcit*, quia fulgida & ita diem ſiue vt noctem

k Cap. 28.

l *Serm 74.*

adhuc

adbuc excludat. Et hæe nunc ſatis de flauo colnte, & enracinn.

a Eccle. 9. 8. Ad illa verba. [a] Omni tempore ſint veſtimenta tua candida.

Veſtes in communi vſu, cuius coloris eſſent apud Hebræos.

§. III.

NOn leuis eſt operæ hoc explicare: nam oec albæ, nec nigtæ fuiſſe videotur. Coius ergn colotis erant? Et loqont, vt iam quæſtinnem ptnpoſui, de quntidiann culto. Non *alba*. Primò quia color is etat proprios feſtæ lætitiæ, & illorum dierum, qui celebrius agebaotur. Non ergo quotidianæ veſtes albæ. Io *veſtibus albis*
b Act. 1. 11. appateor Apoſtolis [b] Angeli Chriſto io cælum
c Ioan. 20. recepto. In iiſdem, [c] mulietibus ſe ſiſtunt anxiè Chriſtum io ſepulchro quærentibus. *ſtolis albis*
d Apoc. 3. 4. [d] amiciuntor ioſti, qui Chriſtum ſequuorur. Ad quid hæc? quia colnr ille proprius lætitiæ, & feſtæ celebritatis, vt Patres obſeruant. *Habes*, io-
e Ibid. quit Ioannes Chriſti [e] oomine ſcribens Aogelo Sardis, *pauca nomina in Sardis qui non inquinauerunt veſtimenta ſua; & ambulabunt mecum in albis quia digni ſunt. Qui vicerit ſic veſtietur veſtimentis albis.* Albus amictos hîc in præmium iis qui vicerint proponitur, & eorum dicitur eſſe qui Cbriſtum ſequuorur. Quomodo ergn color is qootidianus, communis omoi tempore promiſcuus? Secundò. Herndes cùm Cbriſto vellet illudere, alba illum veſte circondedit. In qno ergo luſus, & illuſus Cbriſtus, ſi veſtem induit illius coloris, qui mnte recepto communis erat? Tertiò ſi ritus aliarnm geutium ſpectemus, etiam videbimus albom colorem non quotidianum in veſtibus fuiſſe, ſed in ſigoum tantum feſtæ celebritatis aſſumptum. Itaque illo induti ſacrificabant, nuptias inibant, Imperatores ſuos & Reges excipiebaot. Ouidius ſacerdotes feſta Iunoois celebrantes deſcribens,

f lib. 3. Eleg. [f] *More patrum ſanctè velata veſtibus albis,*
Tradita ſuppoſito vertice ſacra ferunt.

Et de iiſdem Iunonis ſacerdotibus Aſius Poeta Græcus apud Athenæum;

Sic illi pexi Iunonis templa petebant,
In lucum ornati perpulchris veſtibus: atque
Ipſi ſe niueis texerunt veſtibus.

Et id in ſacrificiis. At etiam feſtas exceptiones albati pariter celebrabaot. Vnde [g] *Dionyſius ty-*
g Plin. l. 7. cap. 30. *rannus aliàs* ſæuitiæ ſuperbiæque natus, *vittatam nauem miſit obuiam Platoni, ipſe quadrigis albis egredientem in littore excepit.* In curto enim albo aſſiduè vehi, prnprium taotum diuitum fuiſſe, & beatorum; indicant illa Luciaoi. *Quidam*, inqoit, *illos magnopere extollebant fortunatiſſimoſque iudicabant, quibus contigiſſet Romanorum optimatum familiaritate vti: quippe & ſemper conuiniis opiparis adeſſent, & peregrinari poſſent omnigena cum commoditate, alba interim in rheda ſi liberet reſupinati.* At de veſtibus eas albas io feſtis celebritatibus ſiue publicis, ſiue priuatis; ſiue ſacrorum,
h lib. 2. ſat. 2. ſiue eoouiuiorum illud Horatij [h] iodicat

Ille repotia, natales, alióſve dierum
Feſtos albatus celebret.

Et Ouidius de toga alba disertè natali ſuo tantum illam ſibi dicit indutam.

[i] *Quæque ſemel toto veſtis mihi ſumitur anno* i 5. de triſtib.
Sumatur fatis diſcolor alba meis

Natalitia ergn toga, quæ ſemel io annn ſumebatur, alba erat; oon quod aliàs oon albati; ſed qood illam oatali tantùm die vterentur; alba tameo in ſignum lætitiæ, quem etiam colorem ſu- k lib. 2. eleg.
mebant ſacris operantes. Idem Ouidius [k].

Ipſe ego thura dabo fumoſis candidus aris
Ipſe feram ante tuos munera vota pedes.

Et in feſtis exceptionibus maximè ſuorum prin- l lib. 1. cont.
cipom Prudeotius [l]. Sim.

Exultare patres videas pulcherrima mundi
Lumina, conciliumque ſenum geſtire Catonum
Candidiore toga, niueum pietatis amictum
Sumere

Et Latious Pacatus celebtitatem deſcribens, qua Theodoſius adoeniens exceptus eſt. *Quid ego referam feſtum libera nobilitatis occurſum? Conſpicuos veſte niuea Senatores?* Cum ergo Orientales omoes, & Rnmani ipſi rerum Domini, ſub quibus Iudæi, albati taorum feſtis diebus iocederent; quæ ratio patitur, vt aſſiduè Iudæi mancipia Romanorum, in albo veſtitn coolpicerentur?

Sed oec in nigro poterant. Vt enim albus erat feſtæ lætitiæ proprius; ſic iſte mœroris. Ob id io luctu taotum, vel priuato, vel publico, nigra veſtis aſſumpta. Cbryſoſtomus explicaos Chriſti verba [m]; *Erunt ſigna in Sole, Luna, & Stellis*; Hæc m Hom. 50. op. imperf.
habet, quæ hunc morem propriè teſtantur. *Patrefamilias moriente, tota domus eius turbatur; omnis familia plangit, & conſciſſis tunicis, nigris ſe operit veſtimentis. Sic humano genere, propter quod omnia fuerant creata, circa exitum conſtituto, totus turbatur mundus, vniuerſa cæli miniſteria lugent, & candore depoſito, veſtibus luctuoſis, tenebris veſtiuntur.* At de ſuo tempore loquitur Chryſoſtomus. Noo de priſcis ritibus Hebræorum. Eſto id. At ita loquitur, vt morem paſſim receptum ſignificet apud nmnes gentes in luctu nigris veſtibus indui. Quem etiam ſeruaſſe Iudæos, vbi de publico & priuato luctu, abundè docemus. Nec ergo niger in veſte culor Hebtæis io quotidiaoo vſu. Qualis igitur? Rem totam certa per reſponſa ſignabo.

Primò certum eſt in qootidiano veſtitn, & cultu nec candidnm, nec oigrum colorem fuiſſe apud Hebræos. *Candidum* appello album recenti lotione, aut ſuperindocto aliquo colore & tioctnta ſpleodeotem. *Nigrum*, qui albo ex oppoſito reſpondet. Quntidianum autem vſum appello, oon vnius generis hnminum proprium, ſed omnibus commuoem. Hoc vtromque conſtat ex dictis. Nam que de albo enlore ſunt allata, de candidn quem deſcripſi, ſuot iotelligenda, quem proprium fuiſſe feſtæ lætitiæ colorem; ſuo locn infta. De oigto autem, non fuiſſe eum io quotidiaon vſu; res eſt exploratior, quam probari debeat. Vt eoim modo dictum eſt, & nos ploribus vbi ſolemnia luctus exequimur apud Hebtæos, proprius hic erát turbidi temporis & calamitnſi, non commuois vitæ.

Secundò colnr io quntidianis veſtibus Hebræorum, erat albus natiuus, qoalis io lana, lino, & aliis quibuſcnnque velleribus ex lotione reperita conſurgit, nulla tinctura fucatis. Qui color etiá *ſuaſus* appellatur; male à Scaligero & aliis ſub flauo repoſitus. Eſt eoim *ſuaſus*, vt benè a Adrian. Tur. in aduerſ. c. de col.
alij [a] aduertunt, appellatos, quod ſua ſpoote, oulla arte à lana & lino ſola lotione contrahitur

in

io ſole ſiccatis; vel quod ſine *vaſis*, id eſt ſine tinctura, fiat. Licèt alij [a] *ſuaſum* etiam male putent omnem colorem appellari tinctura quæſitum. quod quaſi perſuadeatur in illum ex albo tranſire quod tingitur. Obſeruandum hic ergo lanam, linum, vellera, duos colores natiuos habere; alterum, lotione curatum; alterum, ſine illa, ſine lotione color quem habent, *pullus* eſt; ſic dictus, quod ſyncerus; & purus: vt enim vinum *villum*, vnus *vllus*, ſic & purus *pullus*; pulligo quoque Plinio, Italis, *foſco*; *Morado* Hiſpanis, vt quidam volunt. Idem color cum aliis præter lanā tribuitur *rauus* eſt, quem *roan* vulgo. Quo colore requirit oculos canis, & galli gallinacei Varro, & ab eo *lupam rauam* dixit Horatius; etiam *ſpanos*, & *Hiſpanos* appellatos (nam & antiquitus *Hiſpania* quibuſdam *ſpania* dicta.) Cum pullo colore ſic explicato, cognationem habent *hyberus*, *baticus*, *ferrugineus*; qui videntur omnes ea quadam quaſi mixtura nigri, rubrique conſurgere. Hinc poëta [b] *ferrugineum*, *hyberam* appellauit; quod hyberus color, *fuſcus*, *rauus*, *pullus*; fumeus etiam nonnullis. quia facile quæ alba illum à fumo concipiunt. Iccirco autem pullus color antonomaſticè de lana, linóque dicitur, quia nullo labore [c] & induſtria curata, *pulla* ſunt.

a *Feſtus ver. ſuaſum.*

b *Virg. Eclo. 7.*

c *Nonnius in pull.*

Alter verò color etiam natiuus in lana, ſed aliqua induſtria paratus, is eſt, quem illa ſiue detonſa, ſiue detexa frequenti lotione concipit; & albus ille eſt, quem dico proprium fuiſſe Iudæorum in quotidiano culto & veſtitu. Nec illorum dontaxat; ſed veterum Romanorum Græcorum, & Orientalium. In eum enim colorem facile omnes à primo tempore conſenſerunt; quod obuius ſit, & ſola ſimplicis aquæ lotione paretur; non artificioſa induſtria operoſè quæratur: & inſuper lætitiam quandam animi, hilaritatemque teſtetur, vt alicubi Plato dicebat [d]. Nec ſane congruens eſt alium colorem primis iis temporibus aſſignare, quam qui maximè parabilis eſſet, arte omni, fucoque remoto.

d *Vide Lipſiū lib. 1. elect. cap. 13.*

Talem autem fuiſſe; iam conuinco. Nam nullus alius color eſt, qui vſu ſordeſcat, & frequenti lotione renideat, præter hunc album natiuum: ſed omnes antiquorum veſtes quæ in quotidiano cultu, tales erant, vt ſolo vſu ſordeſcerent, ea ſola lotione niterent; erant igitur omnes albi coloris & natiui.

Singula proſequor, illud ante præmittens; veſtes omnes vſu atteri, ſordere maculari. *atteruntur* ratione materiæ; *ſordeſcunt & maculantur*, ratione coloris: & quia omnes materia conſtant, omnes vſu atteruntur; at quia non omnes eodem colore imbuuntur, non omnes maculantur & ſordeſcunt; ſed quædam tantum alterutrum. *Sordeſcunt* quæ ſolo vſu decoloratæ fuſcantur; *maculantur*, quæ aſpergine aliqua inficiuntur, olei, ſudoris, liquaminis, & rei cuiuſcunque cuius attactu tinguntur. Iam verò ſolæ veſtes albo natiuo coloratæ, hoc habent, vt ſordeſcant, non quod non etiam atterantur, & maculentur; ſed quod aliæ omnes alterius coloris, vſu ſolo non ſordeant, ſed atterantur tantum, aut etiam maculentur. Itaque lineæ, & laneæ veſtes, repetita ſimplicis aquæ lotione priſtinum colorem non ſolum recipiunt, ſed viuidiorem; aliæ nequaquam. His præmiſſis facile conſtare poteſt Hebræos, & veteres omnes in quotidiano cultu veſtes habuiſſe coloris quem dixi, nempe albi natiui. Nam veſtibus in quotidiano victu vtebantur, vſu ſordentibus, & quas ſubinde opus eſſet eluere, & in ſole ſiccare; ſicut nunc interulæ noſtræ ſolent, & aliæ veſtes quæ ex lana, aut lino, ſine tinctura parantur. Erant igitur omnes coloris albi natiui, cùm ſolus hic color habeat vt vſu ſordeat, & obſoleſcat; aquæ verò ſola lotione reſurgat, & iterum viuidior reparetur.

Et hinc eſt quod in ſacris literis tam frequens huius loturæ mentio in veſtimentis. [e] *Vade*, inquit Deus Moſi; *ad populum, & ſanctifica eos; & lauent veſtimenta ſua.* Et iterum [f], *Cùmque lauiſſent veſtimenta ſua, ait ad eos Moſes.* Et rurſus, *Qui intrauerit* [g] *domum quando clauſa eſt, immundus erit, & lauabit veſtimenta ſua.* Denique nihil erat Hebræis frequentius, quam ſæpius in die *mundari*. Semper autem cum mundabantur, ante omnia veſtimenta lauabant. Si quis morticinum tangeret; ſi quis à ſeminifluo tangeretur; ſi ſederet, vbi ille ſediſſet; ſi cum quacunque muliere conſueuiſſet; ſi quis denique quamcunque immunditiam contraxiſſet, quam faciliimum erat, vt in ſingulas horas illi contraherent [h], *veſtimenta lauare* debebat.

e *Exod. 19. 10.*

f *Ibid. v. 14.*

g *Leuit. 14. 47.*

h *Leuit c. 14. c. 15. c. 17.*

Ex quibus duo colliguntur. Primum neceſſarium fuiſſe Iudæis iis veſtibus indui, quæ quàm minimo detrimento capaces eſſent aſſiduæ lotionis. Secundò quod illo colore eſſent, qui ex crebra lotione non flacceſceret, ſed accenderetur. Iam vero quod aliud veſtis genus hæc duo commodius admittit, quam ex lana, & lino natiuo colore tinctum? Alij enim colores omnes, etiam niger & fuſcus, aſſidua lotione diluuntur, ſolus albus natiuus lotura vireſcit. Erat ergo color hic Iudæorum proprius in quotidiano cultu.

Et hinc eſt quod tam creber apud illos vſus fullonum, rarus tinctorum. Fullonum, inquam, qui veſtes eluerent, & ſordibus abſterſis candefacerent. Ideo ager [i] fullonum celeberrimus Ieroſolymæ proximus; & tam frequentes in ſacris literis ad fullonicum opus alluſiones, quod ſemper ante omnium oculos eſſent, & eo in ſingulas horas indigerent. Vt enim nunc de ſubucula, & aliis linteis facimus; ita illi veſtimenta ſua omnia fullonis opera in nitorem priſtinum reparabant. Quare Marcus [k] cum vellet Chriſti Domini veſtium candorem exaggerare quando transfiguratus eſt, *veſtimenta*, inquit, *eius facta ſunt ſplendida, & candida nimis velut nix; qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere:* ſignanter id. Erat enim proprium fullonis opus veſtes omnes tunc candidas facere, quæ quotidiana, & domeſtica lotione ſubinde albabantur. Vt ergo omnem opinionem veſtimenti à fullone recens curati Marcus excluderet, dixit. *Candida, qualia fullo facere non poteſt ſuper terram* His ſic ſtatutis. facile erit lucem pleriſque conciliare, quæ in ſacris, & aliis literis habentur; & niſi ab hoc ritu intelligantur, obſcuritatis aliquid videntur habere.

i *4. Reg. 18. 17. Eſa. cap. 7. 3. c. 36. 2.*

k *Cap. 9. 3.*

Primò enim intelligimus, cur qui in luctu erant, in ſordibus eſſe dicerentur. Abſtinebant enim lugentes à lotione, ideo eo ipſo quod in luctu, etiam in ſordibus erant, quod nunc neceſſe non eſt, etiam ſi enim veſtimenta non abluantur; immo etiam ſi nunquam lauentur, ſordida non redduntur. Ob id apud veteres idem eſt illotum incedere, & ſordidatum: quare Scriptura, vt oſtenderet Miphiboſethum toto tempore, quo Dauid à filio fugatus, ab Ieroſolymis abfuerat, in

luctu

luctu & ſordibus fuiſſe, dicit *eo toto tempore ve-*
a 2.Reg.18. *ſtimenta* [a] *ſua nunquam lauiſſe.*

Secundò habemus idem nobis eſſe iudicium faciendum de veſtibus omnibus antiquorum, ac ſi de noſtris ſubuculis, & lineis omnibus veſtibus ageremus. Quod igitur in iſtis ſeruatur, & agitur; idem de illis omnibus debemus exiſtimare. Eſt enim in vtriſque idem color, albus nempe natiuus aſſidua lotione reparatus. Sicut igitur nunc ſubuculæ omnibus albi coloris ſunt; ſed pauperibus aut inurbano neglectu incuriosis perſæpe ſordidæ, aliis ſubinde nitidæ; elegantioribus etiam candidæ, & amylo dealbatæ; ſic etiam veteribus omnes veſtes, toga, tunica, pallium, pileus (ſi quis geſtabatur) erant albi coloris; pauperibus tamen, vel ſupino animo ſordentibus omnia ſqualida; elegantioribus frequenter candida; & quia recenter lota, & quia ſubinde noua, & vbi res etiam poſcebat, albo colore neſcio qua
b lib.4.Reg. 5. arte parato nitebant. Nam & Naaman [b] ille Syrus ad hoc ſeptem veſtimentorum mutatoria habuiſſe dicitur, quod quotidie lotus incederet; ad quod in hebdomadæ circulum ſeptem mutatoria veſtimentorum commodè ſufficiebant.

Tertiò. Ab hoc ritu eſt vt apud veteres idem ſint elegantes, & lauti. Qui enim antiquitus cultiores erant, eo ipſo frequentius veſtimenta lauabant; vt contra illoti & ſqualidi, incolti erant, & inurbani: quia eo ipſo quod lotione abſtinebant, eorum veſtes, ſicut nunc ſubuculæ noſtræ, ſordes contrahebant. Propter hoc alicubi Sene-
c Ep.115. ca [c] nobiles, & plebeios, ſordidos, & cultos inter ſe dicit togis tantum, non ſapientia, differre. *Mirari*, inquit, *non debes corrupta excipi, non tantum à corona ſordidiore, ſed ab hac turba quoque cultiore. Togis enim inter ſe iſti, non iudiciis diſſident.* Si de noſtro tempore loquutus eſſet, interulis dixiſſet, & ſubuculis; eo tempore coloris eiuſdem erat toga, cuius noſtræ ſubuculæ; & niſi etiam crebro lauaretur, perinde vt noſtræ ſubuculæ, ſordebat: ideo benè dixit elegantes, & ſordidatos, non iudiciis, ſed toga differre. Hoc enim plebs infima inter alia à nobilitate diſtabat; quod hæc aſſidue lota, ſemper etiam nitenti veſte prodibat; illa verò, quod non tot veſtium mutatoria ſuppeterent non ita frequenter in veſte nitida cernebatur. Et inde eſt quod veſtitus quaſi proprius diuitum candidus eſſet; pauperum, eo ipſo ſordidus. Quod nunc neceſſe non eſt: nam quantumuis pauper ſit, habebit quidem togam laceram, vel attritam, & etiam ſubinde nouis aſſumentis refectam; non tamen ſordidam: quia cum veſtes nunc ſubinde lauari non egeant, in illis idem non eſt attritum eſſe quod ſordidum, & obſoletum, quod vſu confectum. Quare D. Iacobus cum de diuite & paupere loqueretur, illum à colore candido deſcri-
d Iac.2.2. pſit; hunc ab habitu ſordido. [d] *Si introierit*, inquit, *in conuentum veſtrum vir aureum annulum habens in veſte candida; introierit autem pauper in ſordido habitu*; cur pauper in ſordido habitu? An quia pauper, etiam ſordidus? Et quomodo D. Bernardus aiebat placuiſſe ſibi ſemper paupertatem, & ſordes nunquam? An non videmus pauperes aliquos totos vndique mundos, & nitidos? Ita nunc eſt, quia veſtes ſuperiores quæ geſtantur, vt nitidæ ſeruentur, non lotione frequenti indigent, ſed ſola pulueris excoſſione; modo procul ab iis, quorum maculantur attactu remotæ ſeruentur. At antiquitus qui pauper erat, & raro poterat veſtimenta mutare; eodem modo ante omnium oculos in ſordibus erat; ſicut nunc latenter plerique qui diutius eandem ſubuculam geſtant nulla lotione reparatam.

Denique per hæc intelligimus quid ſapiens voluerit in verbis, quæ huic ſunt Diſputationi propoſita: *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida.* Nec enim per hæc Spiritus ſanctus nimium luxum commendat in veſtibus ſed ſtudium tantummodo mundi nitoris; vt quando eo tempore veſtimenta non alio indigerent, vt candida fierent, niſi ſimplici aquæ lotura; non id inerti deſidia negligeretur; & ſuppleret ſedulitas, quod facultatibus deerat, facere enim veſtium candorem ad animi lætitiam fouendam, & etiam aliis conteſtandam: quod vtrumque Salomon ibi commendat. Vult enim vt iuſtè lætemur, & vt lætitiam noſtram aliis notam quibus cum viuimus faciamus. Propterea præmiſit; *Vade, & comede in lætitia.* Deinde ſubiicit; *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida.* Vult enim lætandum; ſed eam lætitiam non vult tantum cibi & potus ſaturitate quæri, ſed etiam honeſta cura veſtimentorum. Nam cum debeat homo vitam agere ſocialem; non ſolum de iis debet eſſe quiſque ſollicitus, quæ ad ipſum ſolum ſpectant; ſed quæ poſſunt alios offendere, aut oblectare. Cibus & victus talis cuique parandus eſt, qualem ipſe poſtulat: veſtitus, is eſſe debet, qui ad alios etiam referatur; vt ſi non oblectet, ſaltem non offendat. Propterea veteri prouerbio dicitur veſcendum cuique more priuato ſuo, aliorum, & publico veſtiendum. Ne quis ergo ventris tantum curam putaret habendam, & lætitiam, quam commendauerat dicens, *Vade, & comede in lætitia*, in ſola cibi ſaturitate quærendam; ſubiicit etiam de decenti veſtitu debere nos etiam eſſe ſollicitos. Quem ſi non diuitem, quem non commendat, lautum & nitidum vult vt noſtra induſtria curemus; & id, etiam ſi pauperes fuerimus. Contra quàm plerique faciunt, qui preſſi rei familiaris anguſtia, omnium aliorum, præter quam ventris obliuiſcuntur.

Sed his ſic explicatis, illa quæ ſub initium diſputationis adduximus, adhuc animum vellicare videntur, & album colorem in quotidianis veſtibus oppugnare; quibus in ſequentibus occurremus.

Quæ videntur album colorem quotidianæ veſtis apud Hebræos oppugnare, ſublata: Chriſtus Dominus alba cur indutus: in ea cur Angelus: albus amictus in funere, & luctu quibus aſſumptus.

Capvt IV.

PRimum, quod ſtatutam ſententiam videtur euertere, ritus eſt apud Hebræos non ſolum, ſed Romanos & alios paſſim receptus; vt in communi & priuata lætitia omnes albati prodirent; quod exempla ſupra allata teſtantur. Nodus hic aliter ab aliis ſoluitur [e]; à nobis tamen e V. Lip.lib.3. 1. elect.c.13.
facile ex his quæ diximus, expeditur. Feſtus dies, & ſiue priuatim, ſiue publice lætus, in albis veſtibus agebatur; verum id eſt. Albus ergo color, non communis, non quotidianus, non aſſiduus in cultu; falſum. Stringatur eodem pacto nodus arguendo de interula noſtra & ſubucula, cuius ad inſtar diximus de toto antiquorum veſtitu, quod

ad

ad colorem attinet,ſtatuendum. An non verum eſt dies omnes feſtos,ſiue priuatim, ſiue publice lætos,in alba ſubucula tranſigi, & candenti. Verum omnino; & nullus eſt, tenuis quantumuis fortunæ, qui candidam ſubuculam feſto die non induat, & à lotione recentem; ſi de ea maximè parte loquamur,quæ collum circundat, omnibus conſpicua. An ob id ergo ſubuculæ color aſſiduus, quotidianus, in vſu communi non albus? An circum collare lineum non albi coloris geſtatur ab omnibus quod nullus non illud candidum induat in feſto die? Simili modo igitur quotidianæ veſtes albæ apud antiquos, & albæ nihilominus in publica, priuataque lætitia; non quod aliis diebus non albæ, ſed quod in feſto die nitidæ,recentes,intactæ. Quid igitur in aliis diebus,nunquam ne candidæ,& intactæ?Nec id quidem. An ne quia candidum ſubcollare in feſto, nunquam aliàs candidum nunc apud nos? Feſti ergo dies hoc habebant, vt in illis albati omnes agerent,in veſte nitida & recenti, nec id omitterent; in aliis omnes albati,ſubinde vero nitidi & candidati;cultiores autem & elegantiores, & qui genium curabant, & opes ad id ſufficientes habebant, etiam quotidie candidati prodirent; ad eum modum quo nunc ditiores ſingulis diebus recentes ſubuculas induunt; cùm hoc tamen, vt quod aliàs faciunt ſibi indulgendo, feſtis diebus, non omittant publicæ lætitiæ ſeruiendo.

Candidus ergo color idem quod *albus intactus*,& à lotione recens. Vnde eſt quod apud Latinos *veſtis recens,intacta,nitida*,pro candida ponatur;orta loquutione,opinor,à niue, & carbone candenti; quæ tamdiu candere dicuntur, quouſque non tacta, aut tangi tractarive non poſſunt; ſic antiquis *alba veſtis* adhuc à lotione recens, nec in vſum aſſumpta, candida dicebatur: quia nondum tacta,& vſo tractata. Et ſeruamus Itali quod huc alludit in communi modo loquendi. Perinde enim nobis eſt ſubuculam, & quicquid album eſt in laneo, lineoque cultu candidum dicere; ac intactum, aut lotione recens. Inde *la camicia bianca, nuoua, netta, ò di bucato*, pro eodem paſſim in communi ſermone; quod adhuc magis in collari patet, quod antiquitus *focale*; quia circa fauces; ab iis frequenter vſurpatum, qui ſua in auditorio recitabant,vt
a Micil. & Caſaubon. in Perſ. ſat. 1. v. 30. alij[a] obſeruant & nos infrà. Hinc Ouidius[b] in feſto die concurſum populi deſcribens ad templum in *alba veſte*,intactum dixit pro candido.
b 1. Faſtor.

Veſtibus intactis Tarpeia itur in arces;
Et populus feſto concolor ipſe ſuo eſt.

Cur concolor? quia dies feſtus, *albus*; vt triſtis, *ater*. & populus in illo albatus & candidus; ideo *concolor*. Albatus autem, quia veſtibus *intactis* indutus. Et Perſius ab hoc eodem ritu recentem togam pro candida poſuit, deſcribens habitum recitatoris.

c Sat. 1. v. 30.
[c] Scilicet hæc populo pexuſque togaque recenti.
Et natalitia tandem cum Sardonyche albus
Sede legens celſa.

Et ab eodem Tibullus *nitidum* pro albo appellauit.

d Lib. 2. eleg. 2.
[d] Sed nitidus,pulcherque veni,nunc indue veſtem
Sepoſitam,longas nunc bene pecte comas.

Nitidus hic eſt in amictu candenti. Et obſeruandum *nitidum* idem non eſſe quod album & candidum,abſolutè loquendo.Sed id quod Italicè dicitur *netto*,quod forte verbum è Latino corruptè deducitur. Sed quia alba, eo ipſo quod nitida,&

Sopran. in Dauid.

recenter lota, nec adhuc tacta *candent*; inde Latinis *nitida* veſtis pro *candida*, & Italis *camicia netta* pro alba candenti, recenſque ex arca depropta. Quod illa ſignificant Tibulli; *Nunc indue veſtem ſepoſitam.*

Quem eundem vſum habet vocabulum *ſplendidi* apud Latinos. Ex eodem enim ritu toga ſplendida pro candida illis eſt. Ouidius animum alio auocandum docens illi, qui inſanum amorem curat excutere, Monet in primis otium cauendum quomodo id? Auocamenta diuerſa ſuggerit.

[e] Sunt fora, ſunt lites, ſunt quos tuearis amici: e lib. 1. de rem.
Vade per urbanæ ſplendida caſtra togæ.

Quæ caſtra ſplendida vrbanæ togæ? Turba candidatorum, qui magiſtratum petebant: quibus vult adeſſe, ſi aliæ occupationes deſint; qui vult animum à turpi amore auocare. Hos candidatos, appellat ſplendida caſtra: quia candida in toga quicunque magiſtratum petebant; à qua candidati. Splendidus autem, idem hic quod candidus; quia agitur de colore albo, in quo ſplendere & nitere, idem eſt quod candidum eſſe; quod albo ineſt à lotione recenti, & cum eſt adhuc intactum. Vnde Martialis ad hoc alludens.

Et toga non tactas vincere iuſſa niues.

Non tactas, & eo ipſo candidas; ſic etiam toga, & quælibet alba veſtis; ſicut & noſtra ſubucula, quia coloris albi non tacta candent,ipſo vſu ſordeſcunt. Vnde Horatius huc alludens;

[f] Contrectatus vbi manibus ſordeſcere vulgi f lib. 1. Ep. 20.
Cœperis,

Librum enim ſuum alloquitur,qui cum albus,eo ipſo quod *tactus*, ſordeſcit. Non ſic quæ ſunt alterius coloris; atteruntur quidem tractata; ſed illorum quædam adeo non ſordent, vt vſu ſplendeſcant,vt purpura bis tincta.

Inde quoque in ſacris literis mundus & albus color in veſte ſæpè iunguntur; & nonnunquam mundus abſolutè,idem eſt quod candidus, & albus[g]. *Exierunt*,inquit,*ſeptem angeli habentes plagas de templo veſtiti lino mundo,& candido.* Nempe quia mundo,etiam candido. Non quod omne mundum, candidum: nam & purpura munda poteſt eſſe, & hyacinthus,& coccus; quæ tamen non candida. Sed quia in albis, quæ munda & lota,eo ipſo candida. g Apoc. 15. 6.

Sed libet hîc quærere cur apud antiquos ſordes pro auaritia,& ſordidus pro auaro ponatur; vt contra ſplendidus & lautus pro liberali,& genio liberaliter indulgenti? *Homo quidam* dicit Chriſtus,*induebatur purpura & byſſo,& epulabatur quotidie ſplendidè.* Quid *ſplendidè*? Lautè. Quid *lautè*? liberaliter. Cur ergo ſplendidè & lautè idem quod largè & liberaliter;ſordidè vero quod auarè & præparcè? Dixi ſupra ab hoc ritu loquutionem ortam lauandi veſtes in feſtis præſertim diebus. Si nunc vt ſubuculas ſubinde & focalia lauamus, omnia quoque veſtimenta lauaremus; clariùs conſtaret cur lautè,nitidè, & ſplendidè agere,idem eſſet quod liberaliter; ſordidè vero & inquinatè,idem ac præparcè,& auarè. Sed vno verbo (quando huc obiter incidimus)lautitia & ſplendor,vt lotus,lautus,& ſplendidus,erant propria feſtorum,quæ nullus eſt,qui non liberalius agat, quando præſertim ad ipſum priuatim ſpectant. Sordes vero propriè erant dierum profeſtorum, & in quibus nulla celebritas agebatur. Quia ergo in feſtis celebritatibus liberalius agitur,alias parcè & attentè: inde eſt,

quod lautè agere ſit liberaliter, ſordes verò & ſordities auarum ſignent. Et hæc de primo argumento, quod poſitam ſententiam petebat.

Secundum ab Herode ducebatur; qui vt Chriſtum illuderet, alba veſte dimiſit indutum. Si enim non nouum, ſed quotidianum erat in alba veſte ſe in publicum dare; quæ hæc illuſio Chriſto Domino veſtem circundare, quam ſolitus ipſe geſtare, & alij quicunque geſtarent? Illuſum per id Chriſto fuit, non quod is color in communi vita aliis inſolitus; ſed quod Chriſto tali tempore & ſtato non congruens: erat enim tunc Chriſtus reus, & quidem capitis ex atrociſſimo crimine. Licet enim iniuſtiſſimè & falſiſſimè; conuentus tamen erat ante iudicem, accuſatus, interrogatus, poſtulatus; erat ergo reus, licet innocens. At reorum veſtis eo tempore, non candida, ſed ſordida erat. Herodes ergo vt Chriſtum quaſi fatuum traduceret, alba veſte circundedit & candenti, qui debebat ſordidatus incedere, cum ſordes eſſent tunc propriæ reorum, & qui aliquo infortunio premebantur. Cicero alicubi. *Cum innumerabilis multitudo bonorum de Capitolio ſupplex ad eum, & ſordidata veniſſet.* Quare ſordidata? Quia is habitus ſupplicantium, & qui opem aliorum implorabant aliqua calamitate preſſi. Vnde idem; *Diodorus*, inquit, *Romæ ſordidatus circum patronos & hoſpites curſare, rem omnibus narrare.* Propter quod ipſum Ieſus ſummus ſacerdos apud Zachariam [a], qui Deo ſupplicabat, & pro populo quaſi reus ante illum iacebat, ſordidatus inducitur. *Et Ieſus*, inquit, *indutus erat veſtibus ſordidis, & ſtabat ante faciem Angeli.* Putauit ergo Herodes abundè ſe Chriſto hac ratione illudere, dum reum capitis poſtulatum, & ob id in maxima calamitate poſitum, non ſolito reorum & mœrentium habitu; ſed feſtum quaſi agentis indueret.

a Cap. 3. 3.

In quo tamen ipſo neſcius, & aliud agens Chriſtum non vt fatuum traduxit; ſed vt innocentem abſoluit. Rei enim poſtulati, qui ſordes non induebant, eo ipſo fiduciam innocentiæ ſuæ præferebant. Vnde de Scipione Africano Gellius refert [b]; *Reus cum eſſet, neque barbam deſiiſſe radi, neque non candida veſte vti, neque fuiſſe ſolito cultu reorum.* Quod cum iudex ipſe, vel magiſtratus faciebat, & reo ſordida veſte detracta, candidam induebat; eo ipſo innocentem declarabat, aut pœnam illi remiſſam oſtendebat. Ob id Angelus apud Zachariam [c] ad eos conuerſus, qui ſtabant coram ſe, à Ieſu ſummo ſacerdote; *Iuſſit auferre veſtimenta ſordida, dicens; Ecce abſtuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis*; id eſt veſtibus recentibus ob id non ſordidis, ſed nitidis candidis, intactis, ſplendentibus; reorum propriis cum abſoluebantur, & eorum omnium qui aliquo ex infortunio emergebant.

b lib. 3. c. 4.

c Cap. 3.

Tertiò obiicitur ex D. Ioanne *veſtis alba* Angelorum, & eorum qui Chriſtum ſequuntur, illis tributa quaſi magnum quid & inſolitum, & in præmium rectè factorum. Quorſum autem, ſi veſtis alba promiſcua, & in communi vſu? Dicendum ad hoc, quod iam ſupra indicaui, non albam tantum ſed *candidam veſtem* à D. Ioanne Chriſti ſectatoribus tribui, recentem, nitidam, fulgentem, ſplendidam. Quod non pugnat cum albo colore quotidianæ veſtis; nec cum candido ab iis aſſumpto, qui diuites, qui lauti, qui cultiores eſſent.

Quartò. Poteſt adhuc difficultatem facere ritus ille magiſtratum petentium apud Romanos. Omnes enim erant eo die in veſte candida, Candidati propterea dicti, & id vt ab omnibus agnoſcerentur. Si ergo color albus communis omnium, quomodo candor illos ab aliis diſtinguebat; quomodo cognoſcebantur in turba? An eo die nullus alius Senatorum & eorum qui patricij erant, & magiſtratum tamen non petebat, album colorem induebat? Dicunt eo die competitores omnes fuiſſe non albatos duntaxat; ſed in toga recenti, nitida, cretata; ob id Candidatos. Audio, ſed numquid eo die debebant omnes alij veſtem ſuam, ſi fortè obſoleta, non mutare, nec recentem, aut modo lotam induere?

Dicendum, qui magiſtratum petebant candidatos fuiſſe; non quod alij non in albis; aut etiam ſi vellent, in candida toga; ſed quod ipſi non poſſent ex more recepto, cùm peterent, candidati non eſſe. Sic nunc qui ſuos lugent, in veſte lugubri ſunt; numquid non plures alij eodem tempore poſſunt eodem villoſo panno non vti? Vtuntur planè; ſed arbitratu ſuo; qui vero in luctu ſunt, ex more recepto. Pari ratione magiſtratum petentes, candidati prodibant; non quod alij tunc etiam candidati non poſſent incedere; ſed quod id ipſi non poſſent omittere.

Cur autem id? Eſt enim nonnulla ratio dubitandi cur hunc potiùs, quàm alium colorem elegerint. Qui enim petebant, omnibus ſupplicabant, omnes ambibant, ſingulorum manus prehenſabant. At ſupplicantium habitus, vt dicebamus, erat, vt eſſe debet, cum ſqualore, & ſordibus, non exquiſitè cultus. Ita prorſus eſt, cum ſupplex quis eſt, ad pœnam & ſupplicium deprecandum, ad auxilium poſtulandum, ad opem rebus ſuis perditis impetrandam. Qui enim hæc poſtulat, animum cui ſupplicat, ad miſericordiam ſui debet inflectere; at quis illius vnquam miſereatur, qui in aureo cultu totus vndique purpura, ſericoque refulgens, ſua poſtulata proponat? Qui verò ſupplicat, non vt à calamitate ſubleuetur, ſed vt in honorem aliquem extollatur, illos qui gradus illos honorum ſua ſuffragatione demandant, non ad miſericordiam ſui debet inflectere; ſed ingentem illis ſpem de ſe, virtuteque ſua debet ingenerare. Ad quod primum omnium facit honeſtus cultus & ſplendidus, apud vulgus præſertim. Quis enim hominem in ſordido habitu, incultum, horrentem, pannoſum, conſulatum, aut alium magiſtratum Romani populi petentem non auerſaretur. Ob id ergo competitores omnes ea die procul ab omni ſorde, in illo cultu prodibant, qui nihil aliorum poſſet oculos offendere, & bonam de ſe ſpem in omnibus excitare. Talis erat candida *veſtis, à qua* Candidati.

Quintum quod adhuc hanc ſententiam vellicat, eſt conſuetudo quorundam albas veſtes in luctum gerentium. Scribit enim Plutarchus [d] fœminas apud Romanos in funere, & luctu ſolitas albis veſtibus vti, eius rei cauſam quærens, & multiplicem reddens. Si enim color albus in communi vſu; non videtur quomodo potuerit indicium eſſe luctus in fœminis. Et ſi hoc erat; admitti facile non poteſt album colorem in quotidiano cultu fuiſſe.

d *In quæſtion. Roman.* q. 26.

Ad hæc primò reſpondeo; libera rep. colorem *atrum*, non *album*, lugubrem fuiſſe. Paulus I. C. vniuersè id de omnibus pronunciat [e]. *Qui luget*, inquit, *abſtinere debet à conuiuiis, ornamentis, & veſte alba.* Et de fœminis ſignatè Valerius

e 1. *Sent. tit. vlt.*

a lib. 1. cap. 1. Titus Maximus [a] In clade Cannenſi, *Itaque matres, ac filiæ, coniugeſque nuptæ interfectorum, abſterſis lachrymis, depoſitiſque doloris inſignibus, candidam induere veſtem.* Et Varro [b] *Romanas fœminas in luctu ſuorum*, dicit, *vſas antracinis, ſi propinqua eſſent defuncti*, nigerrimi ſcilicet coloris, *pallus*; *proximiores amiculo nigello.*

b lib. 3. de vita pop. Rom.

c V. Lipſ. in Tac. lib. 2.

Secundò dico [c], ſub Imperatoribus fortè variatum fuiſſe; qua de re fuſius, vbi de luctu. Sed ſi receptum tunc, vt à fœminis alba veſtis ſumeretur in luctu; factum id, quia luxu creſcente, quotidianus, & communis veſtium color, albus natiuus eſſe deſierat in veſtibus fœminarum; quæ iam non ampliùs albæ aut candidæ, ſed ianthinæ & floridæ, & vario colore exquiſitè tinctæ.

Chriſtianorum in primo Eccleſiæ naſcentis exordio, color qualis in veſtibus; & qui deinceps veterum Clericorum.

§. V.

VBi primùm fides propagari cœpta, qui ad Chriſtum conuertebantur, alio non vtebantur in quotidiano cultu colore, quam qui in communi apud alios vſu, & qualem illi induere ex ſui ſtatus conditione ſolerent. Cùm itaque communis vſus album colorem haberet in veſtibus hunc etiam Chriſtiani in iis adhibebant: Et quia candidus erat lætitiæ proprius & feſtæ celebritatis, ipſi quoque cum quid celebrius agerent, in candidis incedebant; præſertim autem vbi primum ſacro fonte abluti luſtrabantur. Baptizari enim omnes ex veteri Eccleſiæ ritu, non albi ſolum; ſed candidati, & in amictu ſplendenti, quod Patres obſeruant. Vnde Ambroſius recens baptizatos alloquens, *veſtis*, inquit, *candida ſignum eſt, quod exueris inuolucra peccatorum, & indueris innocentiæ caſta velamina.* Ad idem Cyrillus; *Vt in nuptiis*, inquit, *induuntur pulchræ veſtes; ſic in baptiſmo, quia cum magno Rege nuptiæ contrahuntur.* Et Paulinus.

Inde parens ſacro ducit de fonte ſacerdos
Infantes niueos corpore, corde, habitu.

Vnde quia ſolemnia baptiſmata in veteri Eccleſia circa reſurrectionis Dominicæ feſtum peragebantur, hebdomada illa, *in albis*, appellabatur. Quod ea tota, recens abluti, candidati vſque ab ſabbatum primum poſt paſcha prodirent. Factum id autem non ſolum, vt in die ſummæ lætitiæ, cultum qui maximè lætitiam teſtabatur, aſſumerent; ſed etiam vt argumentum externæ veſtis exprimeret, quid per lauacrum regenerationis eſſet in interiori homine renouatum,

d Eſa. cap. 1. Peccata enim veteris vitæ, iuxta promiſſum [d] Dei, per baptiſmum, quamuis rubra vt coccinum & vermiculus, vt nix albabantur. Ad quem alborem teſtandum alba veſtis induta; de qua quia iterum infrà, hîc plura non addo. Statuto ergo, Chriſtianorum communes veſtes albi coloris fuiſſe; cuius ſententiæ propriæ clericorum primis Eccleſiæ temporibus ambigi poteſt, Cardinalis [e] Baronius *caſtanei*, aut *violacei* putat

e tom. 4. an. Chriſti 393.

qualis eorum nunc eſt, qui in familia ſummi Pontificis cenſentur, & ab alumnis etiam Romani ſeminarij geſtatur. Moueor quod nec nigri, nec candidi coloris erant. Quo ergo alio

Sopran. in Dauid.

congruè dicemus, quam violaceo? Non *nigro*; quia hic erat monachorum proprius [f], non clericorum. Non *candido*, quia D. Hieronymus ſcribens ad Nepotianum clericum recens effectum, hunc illi colorem, ſicut pullum interdicit. *Veſtes*, inquit, *pullas æque deuita, vt candidas.*

f Hieron. in Epiſ. Marcel. & in ep. 22. & lib. 1. cont. Iouinian.

Sed vt verum fatear, non video quid hîc certi pro ſententia Baronij poſſit ex hac auctoritate Hieronymi definiri. Si dixiſſet, *Nigras veſtes, vt albas deuita*; maius nobis negotium feciſſet. At cum candidas hinc, inde pullas excludat; quid aliud dicere poſſumus, niſi Nepotiano, & omnibus clericis vt nimias ſordes, ita nimiam lautitiam prohibuiſſe; & id quod erat in his intermedium permiſiſſe? Qui enim duo extrema prohibet, eo ipſo medium videtur admittere, quod hic eſt album ex æquo interiacens inter pullum, & candidum.

Exiſtimo ergo veteres clericos in colore quotidianæ veſtis, nihil ab aliis, ſed tantùm in qualitate, figura, & materia diſcrepaſſe. Liberúmque illis fuiſſe, ſi vellent, & nigras, & candidas, & pullas ſumere quando liberet. Certè D. Hieronymus dum hoc Nepotiano ſuadendo præſcribit, ita loquitur, vt apertè ſignificet ſui temporis clericos aliquando candidatos incedere; quos vt non imitetur, hortatur; & quando nec pullam, nec candidam veſtem illi permittit, albam quæ in communi adhuc vſu, non denegat. Albati tunc ergo clerici; vel in illo certè colore, qui omnibus eſſet in quotidiano cultu. Quando vero cœperint omnes nigris veſtibus indui; poto ſimiliter dicendum tunc accidiſſe, cùm vulgo, albo colore depoſito, niger in quotidianis veſtibus admiſſus eſt. Quod quando præciſè contigerit; certò definiri non poteſt.

Primæ hominum veſtes, apud Hebræos præſertim, qualis coloris: albus, cur lætis omnibus deputatus, vt niger triſtibus Polymita, quid & multilicia; quando & à quibus primùm.

§. VI.

DVbium non eſt in omni hominum vita priùs illa ſemper vſurpata fuiſſe, quæ magis obuia erant; quàm quæ operoſæ artis induſtria paranda forent. Ob id rationi congruit vt illum colorem primum in mortalium veſtibus fuiſſe putemus, qui parabilior, & ſponte ſe daret. hic in lana, lino, & aliis velleribus natiuus eſt. Hunc ergo primum veſtium colorem fuiſſe rectiſſima ratione putandum eſt. At hoc ſi detur; incertum planè redditur, quod ſupra ſtatuimus; album colorem non ſolùm quotidianum in veſtibus ſed primum, & antiquiſſimum fuiſſe. Vt enim lini, & quorundam vellerum natiuus color aquæ ſola lotione quæſitus, albus ſit; lanæ tamen, cuius frequentior vſus in veſtibus non item. Quædam enim cum crudæ ſunt & intinctæ, non ſolum nigræ, ſed virides, & rubræ, & verſicolores, vt pluribus Plinius [g]. Cur ergo ſi lanæ tam variæ ſunt, albas prius aſſumptas in veſtes putemus, quàm nigras, aut verſicolores? Sed hæc inquiſitio facile, in eo ipſo perſiſtendo, quod diximus, ſedari poteſt. Album colorem, communem, & antiquiſſimum in quotidiano veſtitu fuiſſe. *Communem*, propter illa quæ diximus.

g lib. 8. c. 48.

Antiquiſſimum, quia natiuus, & albus. Nam quia *natiuus*, longe prius aſſumptus fuit, quam arte quæſiti. Quia *albus*, aliis prælatus eſt, etiam natiuis. Mirum enim eſt quanto gentium omnium conſenſu color albus lætis omnibus dicatus ſit, niger triſtibus. Adeo vt etiam nomina mutauerint, & promiſcuum pleriſque fuerit lætum pro albo, triſte pro nigro; & vice verſa album pro læto, nigrum pro triſti accipere. Et id ita in ſacris, vt in profanis libris.

a Pſ.29.13. Hinc enim primo apud Dauidem *circundari lætitia* eſt veſtitu candido amiciri [a]. *Conſcidiſti*, inquit, *ſaccum meum, & circundediſti me lætitia.* Quod eſt ad litteram feciſti vt veſtimenta lugubria deponerem, cauſas auferendo triſtitiæ, & induerem veſtimenta feſtæ lætitiæ; nigra deponerem, candidis induerer. Eodem pacto Iudith dici-

b Cap.16.9. tur [b] *exuiſſe ſe veſtimento viduitatis, & induiſſe ſe veſtimento lætitiæ in exultatione filiorum Iſrael*, candido nimirum; cum atrum depoſuiſſet, quod erat argumentum mœſtitiæ.

Secundò. Ex hoc ipſo Latinis *alba dies*, & *candida*, pro læta ponitur, *nigra & atra*, pro triſti & infauſta.

Fulſere quondam candidi tibi ſoles,
Miſer Catulle

c De vita beata c.25. Dicebat ille ſe ipſum alloquens, & ſecum conquerens fortunas ſuas. Et Seneca [c]; *Promiſſum eſt, ne quis mihi dies ater eſſet.* id eſt infauſtus, & triſtis. Et Virgilius diem qua quiſque moritur, *atrum* appellat; ſicut natalem *album*

d lib.6. [d] *Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo.*

e lib.5. de arte. Et Ouidius [e] alteri ſenſu aliter dixit, cui dies atra, non tam mortis, quam in qua eſt aliquid erogandum.

Quaque aliquid dandum eſt, illa ſit atra dies

Ob id dies triſtes nigro vellere tectos à Parcis, dicebant; lætos albo. Seneca in luſu de morte Claudij, Neroni adulatus, illius ſucceſſori dixit *dies à morte Claudij, candido vellere contextos à Parcis.*

Candida de niueo ſubtegmina vellere ſumunt

Tertiò. Ab hoc ipſo in ſacris literis idem eſt triſtitia, mœſtitia, dolor, quod obſcuritas, & nigredo. Vnde pro eodem poſuit Dauid denigra-

f Pſal.34.14. tum incedere, ac triſtem eſſe [f]. *Quaſi lugens*, inquit, *& contriſtatus, ſic humiliabar.* Contriſtatus, Hebraicè קֹדֵר *koder* à קָדַר *kadar*, quod eſt *obſcurari, tenebreſcere, & nigris veſtibus indui.* Vnde

g Ianſ.Gand. hic quidam [g] vertunt, Quaſi *denigratus, & atratus incedo.* Cur id? Quia pro eodem niger & triſtis. Ad quod ipſum ſunt illa eiuſdem Dauidis

h Pſal.37.7. accipienda [h], *Tota die contriſtatus ingrediebar.* Et

i Pſal.41.2. *quare* [i] *contriſtatus incedo dum affligit me inimicus.* Vtrobique enim *contriſtatus* eſt ater, & indumentis nigris indutus. Nec ob aliud idem Dauid

k Pſ.142.3. queritur ſe [k] *in obſcuris* locatum, niſi quod *obſcurum*, locum, aut tempus calamitoſum intelligit, vel *obſcuros* homines, *calamitoſos*, in quorum ſe numero dolet computatum.

Quartò. Ab hoc ipſo receptum apud omnes eſt, vt *albus homo* pro bono, *niger* pro malo ponatur. Notat id diſertè Porphyrio vetus Grammaticus in illud Horatij

——*Hic niger eſt, hunc tu, Romane, caueto.*

Dicit enim cum de hominibus eorumque moribus agitur, atrum & album appellari pro malo & bono. Vnde prouerbialis ea formula apud Romanos in eos quos ſe non noſſe dicebant; *Neſcio vtrum ſcis albus, an ater homo.* Et denique animæ quædam nigræ, homines infauſti non ſolum, ſed tetrici, moroſi, difficiles.

Quintò. Denique hinc eſt quod vno conſenſu veteres inauſpicatis omnibus *atrum* colorem deputarunt, lætis *album.* Sic in ſuffragiis calculus qui abſoluebat albus erat, ater qui damnabat. Vnde ille cecinit;

Mos fuit antiquis niueis atriſque lapillis;
His damnare reos, illis abſoluere culpa

Hic ergo gentium omnium conſenſus in *albo* colore lætis adſcribendo, *nigro* triſtibus, apertè ſignificat natura duce cunctos album nigro præferre. Ac propterea non mirum, cum lanas haberent variorum colorum, albas, vt inde ſibi veſtes conficerent, aliis prætuliſſe.

At vnde hoc, vt impulſu naturæ nigro præferatur albus? Expedita reſponſio eſt. Albus plus lucis habet, & illius ſymbolum eſt. quam repræſentat: niger tenebras præfert & ingerit. Vnde albedo luci dicata, nigredo nocti. Quærere ergo cur inſtinctu naturæ in album magis homines, quam in nigrum colorem ferantur; idem eſt ac rogare cur homines ament minus tenebras, quam lucem; lætiúſque in luce, quam tenebris agant. Adeo enim id vnicuique inſitum eſt, vt (quod modo dicebam) læta omnia lucida, triſtia dixerint tenebroſa.

Et id, ſi ductum naturæ ſequamur. Nam ſi peruerſos quorundam, & præpoſteros mores inſpicimus, non deſunt qui diem nocti poſthabeant, & luci tenebras præponant; obſcuræ ipſi animæ & prorſus nigræ. De quibus Chriſtus conqueritur, & eos quaſi monſtra inter alios homines deſignat [l]. *Hoc eſt*, inquit, *iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt magis homines tenebras, quàm lucem.* l Ioan.3.19. Homines vt dicebam præpoſteri, qui cuncta quæ faciunt, peruersè faciunt; & contra quam videant ab aliis communi ſenſu probari. Cuius rei exemplum, vt in hoc ipſo quod agimus de coloribus afferamus; horum vnus erat ille de quo Martialis, qui cum alij omnes, vt tunc moris erat, ludos albati ſpectarent, ipſe ſolus atratus, non anſer, ſed coruus inter olores ſedebat.

[m] *Spectabat modò ſolus inter omnes* m lib.4.ep. 2.
Nigris munus Horatius lacernis,
Cùm plebs, & minor ordo, maximuſque
Sancto cum duce candidus ſederet
Toto nix cecidit repente cælo
Albis ſpectat Horatius lacernis.

Ex hoc eodem hominum genere erant, quos deſcribit alicubi Sidonius [n] Apollinaris; *qui libenter* o lib.7.Ep.5. *incedunt armati ad epulas, eruati ad exequias, pelliti ad eccleſias, pullati ad nuptias; caſtorinati ad letanias.* Omnia ſcilicet præpoſterè, & contra quam alios viderent. Quod obiter etiam non omiſi, vt hinc ſciatur ita album colorem fuiſſe in quotidiano cultu communem; vt tamen non defuerint animæ nigræ & præpoſteræ, quæ aliter etiam ſolerent.

Primus ergo & antiquiſſimus color, albus in veſte; ſed breui factum puto vt *polymita* ex variis nimirum coloribus aſſumptæ ſint. Vnde id, & à quo? Ex varietate colorum in gregibus. Erant enim lanæ quibuſdam in ouibus nigræ, in aliis albæ, in aliis fuluæ, & quædam etiam variegatæ & verſicolores. Cum igitur tot ſimul colores confunderent, factum eſt primo vt nigra candidis miſcerent; & ſic pullus color euaderet, quem fuſcum dicimus. Deinde verò diſtinctius

etiam

etiam ſunt fila diſpoſita, & multorum liciorum, variorum nempe colorum telæ contextæ, quibus veſtes conficerentur, *polymita* proprio Græcia vocabulo nuncupatæ. Qualem primus Iacob feciſſe legitur [a] filio ſuo; qui primus etiam excogitauit [b] varios in lanis nutum dum conciperent, colores inducere. *Fecit*, inquit, *tunicam polymitam*. Poly enim Græcè πολὺς, *multum* eſt, & mitos μίτος, *licium*, vt veſtis polymita, eadem ſit vel ex eo genere quæ *malacia*, & *multilicia* Romani dixerunt; cuius ſtamen vnius coloris eſt, alterius trama, ſubtegmen alterius. In quo etiam ſubinde fila diuerſi coloris, certo tamen inter ſe ordine miſcebantur, vt totum opus oculis obiectum proinde vt vario ſub aſpectu locatum, varios etiam colores referret; à noſtris ob id appellatum *di color cangiante*, qood verſicoloribus veſtibus & multilicis Romanorum reſpondet; quas fuiſſe proprias tenuioris ætatis vel ſexus, & ob id minus ætati virili congruere; illud indicat Iuuenalis.

a Geneſ. 37.
b Geneſ. 30.

—— Quæro an deceat multicia teſtem?
Acer, & indomitus, libertatiſque magiſter
Cretice perluces.——

Ad quem locum vetus ſcholiaſtes obſeruat *multicia* veſtes eſſe molli ſubſtamine contextas, quibus vti puellæ ſolent. Sanè multicolores veſtes videmus maximè pueris aptari; quaſi Iacob in hoc omnibus præiuerit dum filio ſuo polymitam fecit: de qua nunc ſatis. Quid enim veſtis illa myſticè deſignaret; pulchrè Philo [c] deſcribit, ad vitam ciuilem omnia referendo; & longe melius D. Gregorius [d] ad Chriſtianos mores.

c In vita Ioſeph.
d lib. 1. mor. in c. 1. Iob.

Ad illa verba Paralip. [e] de Salomone

e lib. 2. cap. 3. 14.

Fecit quoq; velum de hyacintho, purpura, cocco & byſſo, & intexuit ei Cherubim.

Purpura quid eſſet; qualis color; à coccino & aliis rubris quomodo diſtincta; quarum veſtium, à quibus geſtari ſolita & in quanto pretio.

§. VII.

PVrpura nobis hic dicetur, non vt eſt materia colore illo pretioſiſſimo tincta; ſed vt genus coloris, & tincturæ; de qua primum explicandum quid eſſet, & quam variè appellata.

Quid eſſet; omnium conſtans ſententia eſt liquorem fuiſſe piſcis cuiuſdam ex genere conchyliorum, qui *purpura* appellatur. *Purpura*, inquit Plinius, *florem illum tingendis expetitum veſtibus in mediis faucibus habent: liquoris hic eſt minimi in candida vena; vnde pretioſus ille bibitur nigrantis roſæ colore ſublucens, reliquum corpus ſterile. Viuas capere contendunt; quia cum vita ſuccum eum euomunt. Et maioribus quidem purpuris, detracta concha auferunt; minores trapetis frangunt; ita demum rorem eum excipientes Tyrij.* Ex quibus quid eſſet color *purpura* appellatus; vnde dictus, à quo & quomodo extractus. Fuiſſe enim liquorem buccini, ſiue conchylij; *liquorem* dixerim potius quam ſanguinem, quia non totus illius piſcis ſanguis huius floris erat, vt indicat Plinius; ſed ex vena, quæ in faucibus expreſſus. Appellatum autem colorem hunc *purpuram* ab ipſo piſce qui purpura dictus, à quo extrahebatur inciſa vena in grandioribus, vel trapetis infractis, quæ minores erant. Addit ibidem Plinius linguam purpuræ longitudine digitali, tanta duritia eſſe, vt aculeo reliqua conchylia perforet; aqua autem dulci enecari; alioquin captas quinquagenis diebus viuere ſucco ſuo. Queritur alicubi Scaliger à Græcis inuentorum huius tincturæ Herculi tranſcribi, cuius canis purpura demorſa, cum flore illius coloris hero ſe obtulit ſpectaculo admirationis hærenti. Siue autem Hercules, ſeu quis alius primus id inuenerit; in Tyro certum eſt eam tincturam, vel primum cœptam, vel cum gloria propagatam. Quæ vrbs cum ſub Herculis tutela, factum vt illius inuentum Herculi tribueretur.

Huius nunc purpuræ qualis à Plinio deſcribitur, nullus iam vſus, vt quidam volunt. Nomine enim retento, res priſca deſiit, & per illud alia ſignificamus; cum iam vulgo, vt illi putant, purpurea dicantur, non ſolum piſcis illius liquore tincta, ſed quæcunque cocco, grano, vermiculo, vel alio pretioſo fuco in ruborem accenduntur.

Ex origine verò purpuræ quam retuli, variarum appellationum ratio cõſtat, quæ ſunt ab antiquis purpuræ tributæ. Dicta enim *conchylium*; vnde & *conchyliata veſtes*, quia ex piſce concha tecto detracta. Licet enim ex aliis conchyliis ſuccus etiam nobilis exprimatur lanæ tingendæ, vt latiùs Plinius; quia tamen inter omnia purpura præſtantior, antonomaſticè *conchyliata* veſtes, hoc genere tincturæ intelliguntur. Dicta etiam *Tyria*, quia in Tyro per eximios artifices aut cœpta, aut ſemper cum gloria propagata; dicta *Sidonia*, quia Tyrus ex Sidonia deducta; dicta *Phœnicia*, quia Tyrus, & Sidon in regione eius nominis; dicta quoque *murex*, quia licèt genus hoc buccini ſit à purpura diſtinctum, vt Plinius; propter rationem tamen, quam dixi, quod in aliis conchyliis pretioſi liquoris extrahitur ad veſtes tingendas, purpuræ computatur. Ex quibus facilè eſt intelligere cur eum Salomon artificem vellet, *qui ſciret in purpura, cocco, & byſſo*, egregia artis opera procudere, Tyrum miſerit [f] ad Regem Hiram, vt inde ſibi homines gnaros eius artis acciperet.

f lib. 2. Paral c. 2.

Operoſiorem explicationem habet ipſe color purpuræ, qualis eſſet nempe, & verè ſit, & cui nunc noſtro colori reſpondeat. Difficultatem facit ex vna parte, quod purpura rubere debet. Id enim ſi non aliud atteſtatur, eius origo requirit. A ſanguine eſt: ſanguis autem omnis rubet; rubra ergo purpura, & ſub eo colore ſpecies omnium florentiſſima. At ex alia parte, cum de ea agunt antiqui, & qualitatem illius coloris exprimunt, eas illi notas attribuunt, quæ longiſſimè diſtant à rubro colore. Quid enim magis à rubro, quam candida, diſtant? Nil omnino in coloribus ſi nigrum excipias: Et tamen antiqui quæ in ſummo ſunt candoris faſtigio, dixere *purpurea*. Sic Horatius olores, purpureos dixit.

Tempeſtiuius in domo
Pauli, purpureis ales oloribus.
Commeſſabere maximi.

Et Albinouanus

Purpurea ſub niue terra latet.

Quid autem magis à rubro colore diſiunctum, quam *nix*, & *olor*? Rurſus alij maris vndam cum feruet iratum, purpuream dixere, qui color omnino diſtinctus à rubro eſt, à noſtris *marinus* & *di mare*, ab antiquis thalaſſinus, aut *pelagius*: & viridis quidem aliquid habet, rubri nihil. Et

tamen Cicero; *Quid mare? Nonne cæruleum, aut eius vnda cum eſt pulſa remis, purpuraſcit.* Et Virgilius;

In mare purpureum violentior influit amnis.

Et ipſe Plinius illi diſerte tribuit colorem *mari ſimilem iraſcenti.* Quod ex ſacris literis poteſt confirmari; & ex hoc ipſo loco, quem huic Diſputationi præfiximus. In velo enim quod Salomon ex cocco, byſſo, hyacintho, & purpura contexuit, mundum vniuerſum plerique volunt adumbrari, quod infra fuſius; & in his quatuor coloribus quatuor elementa; byſſo terram, cocco ignem, hyacintho aërem, purpura mare.

Alij rurſus ipſa viridia, purpurea dixerunt. Sic Virgilius *ver purpureum.* Et Furius Antias vtrumque coniungens.

Spiritus Eurorum virides cum purpurat vndas.

At alij purpurei coloris fecere violam; cum tamen violaceus color alius à rubro ſit. Columella;

Tum quæ pallet humo, quæ frondes purpurat auro,

Ponatur viola, & nimium roſa plena pudoris.

Et Seruius ad illud Virgilij.

Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Vaccinia, inquit, *ſunt violæ, quas purpurei coloris eſſe; manifeſtum eſt.* Quod ſi eſt, etiam purpura nigra, cum hîc nigra vaccinia dicantur.

Augetur autem difficultas ex ſacris literis, in quibus frequenter Deus rexia ſibi confici iubet ex purpura, cocco, vermiculo; Magna coniectura purpuram rubri coloris non eſſe, qualis plerique volunt affinis cocco. Quorſum enim Deus ſimiles & pene geminos in opere verſicolore requireret?

Vt hæc, quæ non leuem omnia difficultatem continent explicentur, & lis tota ſedetur; dicendum purpuræ colorem non vnius differentiæ ſimplicisque fuiſſe; ſed plane multiplicis, prout rubor in ea variè temperabatur, qui in illa præcipuus. Vt enim nunc dilutior, nunc plenior & ſaturatus in illa ſplendebat; ita purpura nunc vni, nunc alteri colori deputabatur. Præcipuus autem color purpuræ, & qui præ cæteris probabatur antiquis, erat vt ait Plinius, qualis eſt *roſa cum luce nigrantis*; qui rubor eſt, ſine ambiguitate purpureus. At ſi ia plus aliquid nigroris imbiberat, violaceum reddebat; vnde duæ præcipuæ purpuræ differentiæ apud antiquos, *rubra & nigra*; ſub hac violacea continebantur: non quod vtraque non rubra; ſed quod altera cum rubore, plurimum nigredinis cum luce tamen habebat. Violaceam autem purpuram, omnes volunt eſſe noſtrum Italicum *pauonatium*, ſic dictum, vt quidam obſeruant, à collo pauonis. Ab hac porro purpura nigrante, mare, præſertim fluctibus aſſurgens, & feruore tumeſcens, *purpureum* dictum, maxime cum ſolis radiis percutitur. tunc enim cum rubore quodam admixto nigredini *pauonatium* noſtrum refert. Hæc autem omnia ex his confirmantur, quæ de variis purpuræ differentiis earumque ortu à Seneca traduntur. *Purpura*, inquit, *non in vnum modum exit: intereſt quantum macerata ſit, craſſius medicamentum, aut aquatius traxerit; ſæpius merſa ſit, an excocta, an ſemel tincta.* Ex quibus habetur purpuræ colorem varium fuiſſe ex varia ratione tincturæ, & etiam exprimendi liquoris. Ex *tinctura*; alia purpura erat dilutior, ſemel tantum tincta; alia *dibaſa* ſæpius merſa, quæ etiam *blatta* dicebatur, & vt vox ipſa ſonat bis tincta. *Ex liquore*; nam qui purus exibat, ſine dubio præſtabat aliis, qui conchis, & buccinis ſimul infractis & maceratis exprimebantur. Trahebat etiam diuerſitatem ex regionibus in quibus purpuræ prouenieban t. Vnde Vitruuius ſcribit [a] purpuræ colorem ſolis curſu variè temperari. *Et in Ponto, & Gallia ad Septentrionem atrum ex purpuris legi; inter Septentrionem & occidentem, lucidum; ad æquinoctialem Orientem, & Occidentem violaceum; in meridianis regionibus rubrum.* Et hoc non quod omnis purpura rubra non ſit; ſed quod in ea rubor variè temperetur; & vbi nigri plurimum habet admixtum, atra purpura dicitur; vbi ex æquo quaſi miſcentur, violacea; vbi præualet omnino rubor, rubra; & ſi hic viuidior fuerit, etiam lucida. a lib. 7. c. 13.

At quid de niue, & oloribus? Numquid aliquid nix habet ruboris, aut olores nigredinis, vt *purpurei* dicantur? Aliud nunc non occurrit, quam eam fuiſſe purpuræ veteribus commendationem, vt in eius honorem quæcunque pulchra appellare volebant, ea purpurea dicerent. Sic notat Porphyrio Grammaticus antiquus ad illud Horatij, quod adduximus.

——— *Purpureis ales oloribus.*

Quomodo, inquit, *purpurei olores, cum albi ſint?* Reſpondet *purpureum pro pulchro poëtas vſurpare ſolitos.* In quem ſenſum dicit à Virgilio capillos, quos laudare volebat purpureos appellatos; non quod ruberent, (is enim color haud nimium probatur in crinibus) ſed quod idem ſit purpureum, quod pulchrum.

Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.

Ex quo loco facile erit intelligere in quem ſenſum ſponſus commendare cum vellet capillos ſponſæ, purpuræ illos comparauerit [b]. *Caput tuum*, inquit, *vt Carmelus, & coma capitis tui ſicut purpura regis vincta canalibus.* Purpureos enim capillos dixit, non quod rubri: nam is color in coma non admodum, vt iam dixi, probabatur antiquis; vnde illud eſt Martialis; b Cant. 7. 5.

Crine ruber niger ore, breuis pede, lumine læſus

Rem magnam præſtas, Zoile, ſi bonus es;

Sed quia *purpureus* hic, eſt ſua pulchritudine, & quæ propriè illi congruit, decorus; ita vt omne quod in ſuo genere venuſtum eſt, ea venuſtate quæ ipſum decet, etiamſi candidum & flauum *purpureum* dicatur. Et hoc ſi expoſitionem hanc Porphyrionis ſequamur, purpureum pro pulchro interpretantis. Sed ſponſus aliud fortaſſe voluit, cùm non purpureos capillos ſponſæ, nec purpuræ ſimiles dixit, ſed *purpura vincta canalibus* comparauit. Per hoc enim lanam intellexit, nondum purpura tinctam, ſed tingendam; & canalibus expoſitam in præparationem nobilioris tincturæ. Ad quod obſeruandum regias veſtes quæ purpura tingebantur, ante varia lotione ſolitas ad illam parari. Quod Cicero alicubi dixit [c]; *Vt qui purpura volunt, inficiunt prius lanam medicamentis quibuſdam; ſic literis talibuſque doctrinis ante excoli animos, & ad ſapientiam concipiendam imbui, ac præparari decet.* Purpura ergo vincta canalibus eſt lana, vel ſericum præparari iam cœptum ad purpuræ colorem altius imbibendum: quod fortaſſe flauo, vel alio colore fiebat, cui ſimiles crines cum ſunt, pulchri ſunt. At quomodo vincta canalibus quia manipulus filorum ex lana, vel ſerico, aut byſſo ad canales ſuſpendebatur, vt in illum c In Hort. frag.

aquæ

aquæ curſus incurrens, aſſiduo fluxu magis fila pararet ad purpuram penitus imbibendam. Quod bene VVilleramus [a] Abbas Fuldenſis expreſſit.

a Expoſ. mor. in Cant.

Sumque tui capitis crines vt purpura regis,
Cœpta colorari, fluitat quæ iuncta canali.

Vincta ergo purpura, eſt inter ſe colligata, & ligata canalibus. Hac verò tota comparatione ſponſus in ſponſæ capite quatuor extollit; ſpiſſitudinem, longitudinem, mollitiem, & colorem capillorum. *Spiſſitudinem* Carmelus exprimit: tria reliqua, *purpura vincta canalibus.* Carmelus enim crebro frutice, & frondium denſus opacitate, denſam ſponſæ comam, in qua nulla caluities, repræſentat, longitudinem vero, mollitiem, & colorem fila colligata, quæ canalibus expoſita vento ſubinde pulſa fluitabant. Et hæc de proprio colore purpuræ.

Quorum ergo ea propria erat? Sine dubio Regum, & eorum quos illi vellent extollere, & præ aliis amicitia ſua dignos oſtendere. Balthaſar ad oſtentum ſcribentis in pariete manus anxius & conſternatus [b], *Quicumque*, inquit, *legerit ſcripturam hanc, & interpretationem eius manifeſtam mihi fecerit, purpura veſtietur, & torquem aureum habebit in collo.* Itaque quicunque regis permiſſu purpura veſtiebantur; eo ipſo non iam ſerui, ſed Regis amici dicebantur. Alexander Syriæ rex ad Ionatham Machabæum ſcribens [c]; *Audiuimus*, inquit, *de te quod vir potens ſis viribus, & aptus es vt ſis amicus noſter; & nunc conſtituimus te hodie ſummum ſacerdotem gentis, & vt amicus voceris Regis (& miſit ei purpuram & coronam auream)* quod erat argumentum & inſigne ſymbolum regiæ amicitiæ. Vnde idem Alexander cum veniſſet ad illum Ionathas Ptolemaide commorantem [d], *exuit illum veſtimentis eius, & purpura indutum, amicum ſuum vocari iuſſit.* Et Demetrius [e] Simonem item Machabæum *fecit amicum ſuum, iubens vt operiretur purpura, & auro.* Et inde eſt quod Latinis auctoribus externas hiſtorias exequentibus amici Regum, & in aula præcipui, *purpurati* ſimpliciter appellantur. Ad quorum conſuetudinem, Baſſæ Turcarum à recentibus hiſtoricis hoc eodem nomine deſignantur. Ob id vero adeo frequens *purpuratorum* mentio in Eſdræ Apochrypho, quod is Perſarum Regum facta proſequatur: quorum præcipuos amicos alia nota non ſignat, niſi purpuratorum. Et id de externis Regibus.

b Dan. c. 5. 7.
c 1. Mach. 10. 20.
d Ibi v. 61.
e Mach. lib. 1. c. 14. 38. & 43.

Sed non minus de Iudaicis, & Iſraeliticis exploratа res eſt eos in purpura quoque fuiſſe, cui tingendæ Ieroſolymis artificium excitatum, non obſcurè verba ſponſi modo diſcuſſa ſignificant. Artifices vero, qui illam curabant, ex Tyro [f] aduocabantur; vbi prima laus purpuræ texendæ & tingendæ.

f 2. Paral. 2. 7.

Sed quid de Romanis? Apud eos etiam primis temporibus propria regum fuit, & eorum qui loco regum in publicis muneribus ſucceſſerunt. Vnde Plinius [g]: *Purpuræ vſum*, inquit, *Romæ ſemper fuiſſe video; ſed Romuli in trabea. Nam toga prætexta, & latiore clauo Tullum Hoſtilium è regibus primum vſum.* Et hoc de Regibus; illa de conſulibus qui loco regum, ab eodem Plinio [h]. *Huic* (purpuræ) *faſces, ſecuréſque Romanæ viam faciunt.* Conſulibus enim duodecim lictores eum totidem faſcibus ſecuribuſque præibant; vt illis viam facerent ſubmota turba: Conſules autem in purpura. Propterea Plinius purpuræ dicit viam fieri à Romanis ſecuribus. Conſulum autem erat ita propria purpura; vt ſemper in illa; non quod totus amictus purpureus, ſed quod illa prætexatus. Aſt aliis etiam ſubinde ſumebatur; & Senatoribus cum in Curiam veniebant. Vnde idem Plinius [i]. *Hæc* (purpura) *diſtinguit ab equite Curiam.* Ab aliis autem eum publico nomine ſacrificabant: vnde ſubdit; *Eam diis aduocari placandis.*

g lib. 9. c. 39.
h Ibid.
i Ibid.

Secundo loco, poſt magiſtratus *pueris*, nobilibus præſertim, purpura concedebatur apud Romanos. Idem Plinius [k]; *eadem pro maieſtate pueritiæ eſt.* Pro maieſtate accipe pro ſanctitate, caſtitate, pudicitia; vt *matronarum maieſtas* apud Liuium [l]. Erat autem purpura puerilis, toga purpurâ prætexta, data illis *vt ex purpura rubore admonerentur pudoris ingenui*, vt dicit Macrobius [m]. Vnde Quintilianus [n] *ſacrum illud prætextarum, quo infirmitatem pueritiæ ſacram fecimus & venerabilem.* Vt enim puerilis ætas intacta eſſet, & ſacroſancta ab hominum procacitate, putarunt illam eodem genere cultus ornandam, quo Reges & Conſules. Ob id Perſius purpuram dicit cuſtodem pueritiæ.

k Ibid.
l lib. 34.
m lib. 1. Saturn. c. 6.
n Declam. 14.

Cum primum pauido cuſtos mihi purpura ceſſit,
Bullaque ſuccinctis laribus donata pependit.

Pueritiam enim cum exuebant, purpura depoſita, togam puram ſumebant.

At præter amictus & indumenta, aſſumebatur etiam purpura, non apud Romanos ſolum; ſed etiam apud Hebræos ad ſtragula, aulæa, vela. In quem vſum adeo Romanis frequentem vt queratur alicubi Cornelius Nepos nullum iam ſuo tempore (qui principatu Auguſti deceſſit) eſſe, qui non ea purpura tricliniaria faceret. Cum enim purpura liberâ Rep. non vterentur in indumentis, niſi ratione qua dixi; paſſim tamen eam in ſtragulis vſurpabant. At modeſtius Salomon, & Hebræi Reges. Ea enim indutı, ſtragulis veliſque purpureis, non niſi in cultum templi, leguntur [o] vſi. At in Imperatorum poteſtatem tranſlata Republica, diu fuit in vſu purpuræ variarum, donec indignati Principes eo nobiliſſimæ tincturæ gloriam decidiſſe, vt in promiſcuo vſu omnibus eſſet; adeo ſibi propriam fecerunt, vt capitale fermè eſſet purpuram cogitare, nedum induere; & eo ipſo noua moliri, & ad imperium aſpirare crederetur, qui purpuram emeret, texeret, haberet. Cuius rei plura ſuppetunt exempla apud Ammianum Marcellinum. Illud in primis, quod *delator quidam apud Iulianum Auguſtum inimicum ſuum accuſauit, quod nouis rebus ſtuderet, & defectionem meditaretur.* Interrogante autem Auguſto vnde id ſciret; reſpondit delator; elaboratam illum purpuram ſibi domi parare. Tum Iulianus conuerſus ad largitionum Comitem; *Da huic*, inquit, *calceos purpureos ad illum deferendos; vt illes cum chlamyde paratos habeat, & ſciat poſtmodum ſine viribus maximis, quid panniculi proficiant leues.* Marcellinus enim hoc ad laudem Iuliani refert, qui crimen tunc temporis grauiſſimum non admiſerit; ſed eluſerit Stoica grauitate, quam Iulianus affectabat. Adeo enim eo tempore tantum Auguſtorum propria purpura, vt ij ſoli *purpurati* dicerentur, quod illam nullus alius indueret. Quare Sidonius *habitum purpuratorum ambire*, inter crimina maieſtatis eo tempore fuiſſe dicit [p]; *Sero*, inquit, *cognoſces poſſe reum maieſtatis pronunciari, etiam qui non affectauerit habitum purpuratorum*: nempe purpu-

o 2. Paral. c. 3.
p lib. 1. ep. 5.

ram quæ tunc tantum Principum, qui ideo Purpurati. Non mirum ergo ſi Caſſiodurus ea in laudem purpuræ protulerit. Illo enim tempore vixit, quo ſolis Regibus purpura deſtinata. *Color*, inquit, *nimio lepore vernans, obſcuritas rubens, nigredo ſanguinea regnantem diſcernit, dum conſpicuum facit, & praſtat humano generi ne de aſpectu Principis poſſit errari. Mirum eſt ſubſtantiam illam morte confectam cruorem de ſe poſt ſpatia tam longi temporis exſudare, qui vix ſolet viuis corporibus* * *vulnere ſauciatis effluere*, & reliqua quæ proſequitur, de huius coloris origine, ratiuneque illum exprimendi.

* Vul. *compuribus*, ſed male.

Nunc aliquid de pretio purpuræ ſcribit Cornelius Nepos circa Cæſaris Dictaturis tempora, violaceam purpuram centum denariis veniiſſe in ſingulas libras, qui ſunt nunc decem aurei. Huic autem ſucceſſiſſe *dibapham*, cuius libra denariis mille non poterat emi; aureis nempe centum. Dubium verò poteſt eſſe quid purpuræ libra intelligatur. An liquor ipſe, an materia tincta; nec dubium materiam intelligendam; fila nempe purpurâ infecta, quæ eſſent deinde in telas redigenda.

Duæ contra ea quæ diximus obiectiones ex libro Machabæorum, & ea ſublata.

§. VIII.

DIximus purpuram marini piſcis eſſe fœturam; diximus item Romanis vſurpatam non ſolum in cultu Regum, ſed conſulum, ſenatorum, & tenuioris ætatis. Vtriuſque dicti fides nutare videtur, ex lib. Machabæorum. & primi quidem, quia Iudas, exercitu Gorgiæ deleto dicitur [a] *reuerſus ad ſpolia caſtrorum, & accepiſſe aurum multum, & argentum; & hyacinthum & purpuram marinam, & opes magnas.* En hic purpuram *marinam* accepit. Erat ergo alia non marina; ac proinde non ea piſce, quem diximus. Sed dicendum; purpuram omnem, ſi originem ſpectes, marinam eſſe; diſtingui tamen ex ſitu, & loco, vbi purpuræ naſcuntur. Nam quæ littoribus proueniunt, *littorales*; quæ in altu, *pelagicæ*, ſiue *marinæ* dicuntur, quæ ſine dubio pretioſiores. Purpura ergo, quam Iudas cum reliquis ſpoliis in poteſtatem redegit, ex hoc genere erat, ex conchis nimirum, non *littoralibus* ſed *marinis*.

a lib. 1. Mac. 4. 23.

Secunda obiectio grauior eſt. Directè enim videtur euertere quod de vſu purpuræ diximus apud Romanos. Vbi enim refertur encomium Romanorum, inter alia Iudas inaudiſſe dicitur [b] *eorum nomen quia ſunt potentes viribus*, & inde cum multa ſubieciſſet de rebus illorum præclarè geſtis, addit [c] ſacer hiſtoricus; *Et in omnibus iſtis nemo portabat diadema, nec induebatur purpura, vt magnificaretur in ea.* Quomodo enim nemo induebatur purpura apud Romanos; ſi proprius Conſulis habitus purpureus erat; ſi pueri nobilium, quod alicubi Quintilianus conqueritur, vix nati reptabant in purpura? Multa dici poſſunt. Duo præcipuè. Primum non dici hic amictum purpureum in vſu Romanis non fuiſſe; ſed ad Iudam hoc fuiſſe relatum. An autem falſum id eſſet, an verum; Scriptura non loquitur. Hoc ergo tantum inconcuſſum eſt, hanc ad Iudam perueniſſe famam. An vera eſſet; non item. Quid enim? Audiuit etiam Iudas [d] *acquieſcere Romanos ad omnia, quæ poſtulantur ab eis; & cum omnibus, qui accedunt ad illos, amicitias facere.* An hæc vera ſunt, quia audiuit Iudas illa narrari? Verum omnino hæc illum audiuiſſe; vera autem eſſe quæ audiuit; incertum, aut falſum. Secundo non abſolutè dicitur abſtinuiſſe purpura Romanus; ſed *cum diademate*; qui erat proprius Regum habitus, & Roma non minus exulabat, quam Regium nomen. Hoc ergo Iudæ de Romanis narratum eſt: illa quæ præclarè Romani geſſerant, non Regum auſpiciis; ſed aliorum, qui Reges non erant, adminiſtraſſe.

b lib. 1. Mac. c. 8.

c verſ. 14.

d ib'd. ver. 1.

Ad eadem verba; & illa etiam Exodi [e] Ipſa textura cunctiq; operis varietas erat ex auro, hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto, byſſoque retorta.

e Cap. 38. 8.

Quatuor præcipui colores, & quarum eſſent rerum ſymbola apud Hebræos.

§. IX.

VElum quod Salomon [f] ante templi fores oppandit, erat ex quatuor coloribus contextum; *purpura, byſſo, cocco, & hyacintho*, quos eoſdem Deus O. M. in veſtibus ſummi ſacerdotis, & pluribus aliis attentè requirit, quæ in vſum tabernaculi; & arcæ tegendæ vel ornandæ adhibebantur. Videndum ergo nobis hic breuiter eſt, quales eſſent iſti colores; cur quatuor; ad quid, & quorſum adeo attentè requiſiti in ſacro cultu.

f 2. Paral. 3.

Quales eſſent eorum aliqui, vt coccus & purpura; dictum ex parte eſt. De hyacintho & byſſo plenè hic dicemus; & qua parte cum iis pugnare poſſunt, quæ de purpura & cocco iam dicta ſunt, iſti iterum clariùs exponentur. Et eſt ſanè non leuis hîc materia dubitandi; cum ex vna parte plerique non deſint, qui colorem hyacinthinum à purpura non diſtinguant; & alij coccum cum eadem confundant; alij hyacinthinum eundem velint eſſe & violaceum, quem diximus eſſe pleriſque verum purpureum, à noſtris *pauonatium* appellatum. Ex alia verò parte Deus tam attentè ſemper hos quatuor requirens, apertè ſignificat omnino diſtinctos. Hæc ergo vt tollamus, vel conciliemus, explicemus hîc ſingula diſtinctius.

Qualis erat color *byſſus*? Iam ſupra dixi; vbi de veſtibus agitur, aut tela veſtibus parata, nomen idem ſignificare, tam certam materiam, quam colorem. Sic enim *purpuram* poni pro lana, aut ſerico purpureo, & pro ipſo colore. Eodem pacto *byſſus*, & *materia eſt*, linij nempe tenuiſſimi genus, & *color*. & hunc quærimus. Candidum ergo fuiſſe; non dubium, vt Patres docent [g], & pluribus oſtendit Pineda noſter ab origine vocis illius ſignificatum vt ſolet, accuratè deducens. Sed contra videtur eſſe quod omnes Patres, & grauiores interpretes dum cauſas huius quaternarij colorum preſſius inquirunt, byſſum terræ deputant, vt paulo poſt videbimus. Proprius autem terræ color; non albus, aut candidus, ſed niger eſt. Sed dicendum, qui terræ ſymbolum byſſum volunt; id nolle ratione coloris, ſed originis. Terram enim byſſo ſignari, quia hic ex terra. Qua de re Hieronymus Hebræorum ſententiam referens, *quatuor*, inquit, *colores, ad quatuor elementa referuntur, ex quibus vniuerſa ſubſiſtunt. Byſſus terræ deputatur, quia* ex

g *Orig. hom. 9. & 13. in Exod. Hieronym. ep. 127. Philo de congreſ. &c.*

ex terra gignitur. *Purpura mari, quia ex eius conchylijs capitur. hyacinthus aëri, propter coloris ſimilitudinem. coccus igni,& etheri.*

At quid hyacinthinus,& qualis color? Huius nominis & flores,& gemmæ ſunt; & poteſt ambigi ab veris *hyacinthinus* color ſit in veſtibus deriuatus; ſed ab vtraque dicendum. Nam gemmæ color à floris colore dictus eſt: prius enim & magis noti flores,quàm gemmæ, cùm hæc vt videantur, & ſplendeant, induſtria artis indigeant; illos ipſa natura oculis obijciat. Color ergo hyacinthinus, omnis à flore, ſiue in gemmis,ſiue in veſte ſpectetur. Qualis hic ergo? & cui nunc propriè noſtro colori reſpondet? Volunt plerique *violaceo*; hyacinthinumque cum ianthino amethyſtinoque confundunt; & illis videtur fauere Plinius. Quod ſi eſt; quomodo à purpura differt hyacinthus? *Violaceum* enim iſti idem dicunt etiam colorem purpuræ, quem noſtrum *panonacium* volunt. Ad hæc; quomodo color Ianthinus,& hyacinthinus idem, ſi
a Plin.li.21. c.6. Ia [a] à qua Ianthinus, violæ genus eſt, & hyacinthus in alia ſpecie floris, vt idem Plinius? Quomodo item idem hyacinthinus,& amethyſtinus; ſi hæc diſtincta gēma; & alterius ab illo ſiue flore,ſiue gemma coloris? Vt omittam,cum in viola ſint adeo multiplices differentiæ; quid hinc ſcire poſſimus de qualitate coloris hyacinthini, cum didicerimus eſſe *violaceum*? Perplexa ſane res eſt. Probabiliſſimum tamen in hac varietate puto hyacinthinum colorem eſſe, quem nunc dicimus *azurro turchino*. Moueor primò quod Patres hunc colorem aëri ſereno deputant; in quo cum ſerenus eſt,is qui azurrus eſt, mire reſplendet. Secundò quia diſertè Caſſiodorus hyacinthinum colorem dixit eſſe cœruleum. *Hyacinthinus*,inquit, *lapis eſt aërei coloris, hoc eſt cærulei: nam aëris color eſt cærulus.* Quod ipſum vult D.Gregorius cœleſtem colorem hyacinthinum appellans; in quo ipſo morales expoſitiones fundat de appetitione rerum cœleſtium, quas adumbrari vult colore hyacinthi. Tertiò quia hoc pacto conſtat apertè quomodo quatuor iſti colores ſint inter ſe diſtincti; quod parum liquet, ſi hyacinthinum, *violaceum* dicamus. Quartò denique quia hyacinthinus noſter flos laudatiſſimus, *azurrus* planè. Video quid hic poſſit obijci, *Azurrum* eſſe, quem lapis
b Scalig. exercit. 325. n. 25. lazuli [b] reddit; vnde corrupto vocabulo azurro, *quaſi azulo*:& Arabica voce *lazul* lapidem illum dici. Sed iſta non mouent. idem enim color ab antiquis hyacinthinus potuit appellari, à nobis *azurro* diuerſa ſpectantibus. Illis florem,nos lapidem. Nec inconuenit eundem colorem à flore & lapide appellari,cum etiam ab vtroque gignatur; licet diſtincto nomine & flos, & lapis appellentur. Cœruleus ergo hyacinthus, ſub quo colore,nempe cœruleo,ſunt qui apud nos *Perſus*, *Turchinus*, *Azurrus*,& hic quem diximus *vltramarinum*. Vltra mare enim qui color apparet, cœrulus eſt,quadam ruboris luce ſuffuſus.

At ſi cœrulus hyacinthinus; cur ſponſa manus ſponſi hyacinthis comparat, & in eodem
c Cant.5.14. curſu verborum ventrem ſapphiris [c]? *Manus*, inquit, *illius tornatiles, plena hyacinthis: venter eius eburneus diſtinctus ſapphiris.* Duplex hic quæſtio,quæ iam poſuimus,turbare videtur. Prima quid digitis cum colore cœruleo, vt illi debeant comparari: ſecunda ſi hyacinthus cœruleus; cur ſapphyro maxime cæleſtis coloris ventri confertur? Tam modico enim interuallo conſentaneum non eſt, duas diſtinctas res ſponſam, vt eundem colorem exprimeret, voluiſſe conquirere. Argumento ergo iſta ſunt hyacinthinum, cœruleum non eſſe; ſed flauum cum fulgore mixtum,vt volunt alij.

Reſpondeo manus ſponſi dici *quaſi plenas hyacinthis*,non totas hyacinthis,aut hyacinthino colori conferri. Bene enim dicebatur, in laude non futurum id manuum ſponſi, quando color cœruleus in carne mortem ſequitur, aut illam, vel graues alios morbos comitatur. Non igitur dicitur *manus hyacinthina*, ſed *plena hyacinthis*; & id propter vngues. hi enim ſunt qui hyacinthis comparantur, non tota manus. Et vngues ipſi,adhuc nō toti, ſed qua parte à carne procurrunt. Roſei enim qua parte carni adhærent, vt extant,hyacinthis conferuntur. non floribus ſed gemmis. Senſus ergo ſponſæ eſt, in manibus ſponſi tot quaſi gemmas repræſentari; vt, quod alij ſolent, annulis, in quibus gemmæ, ſponſus hoc habeat à natura: Gerere alios gemmas extrinſecus accerſitas, vt manus ornent; gerere ſponſum ſuum gemmas ipſis innatas digitis; vngues nempe tot quaſi hyacinthos.

Ad quid de ſapphyro? Cur enim ſi hyacinthus azurri coloris, ſapphyrum ſubdere, qui azurrus eſt præſtantiſſimus? Sine dubio enim modus hic loquendi duas videtur diſtincti coloris gemmas ſignificare. Si ergo ſapphyrus azurrus; non azurrus hyacinthus. Sunt qui velint ſapphyrum cœruleum non eſſe. Sed perſpicuè falluntur; & illos Moſes apertè refellit. *Viderunt*, inquit, *Deum Iſraël; & ſub pedibus eius quaſi opus lapidis ſapphirini: & quaſi cœlum cum ſerenum eſt.* Cum ergo ſereni cœli referat colorem ſapphyrus; omnino cœruleus eſt, vt Patres docent, & naturalis hiſtoriæ ſcriptores, & veriſſimus *azurrus*. Non tamen ob id putauerim ſapphyrum eſſe; qui nobis dicitur lapis lazuli; quod tamen quidam volunt,& probant ex Plinio & Iſidoro, qui docent ſapphyrum cœruleum eſſe, puluiſculo aureo reſperſum, nec vnquam pellucere. Quæ omnia noſtro lapilazulo mire conueniunt, ſed iſti etiam refelluntur: quia ſapphyrus gemma erat auro illigata, in digitis geſtari ſolita. Quod lapilazulo non conuenit. Vnde ille.

[d] *Sapphyri ſpecies digitis digniſſima Regum,* d Marbodæus Dactylotheca cap.52.
Egregium fulgens,puróque ſimillima cœlo.

Puto ergo ſapphyrum antiquorum, qualis à Plinio reliquiſque deſcribitur, eſſe gemmam, quæ vulgo *Turchina* appellatur;azurri coloris & hyacinthini. Inde tamen non video quid contra illa quæ diximus colligi poſſit; & cur non potuerit ſponſa poſt hyacinthos ſapphyros ſubijcere. Licet enim ſint eiuſdem coloris, quia ambæ cæruleæ; non tamen eodem modo,cùm hyacinthus pelluceat,ſapphyrus nequaquam. Et ſi etiam in hoc non differrent; ſatis eſt eſſe diſtinctas gemmas,vt poſſint ad diuerſas ſponſi laudes adaptari. Quid autem ſponſa voluerit, cum ſponſi ventrem dixit ſimilem ſapphyro; non eſt huius loci latius expendere. Tantum indico mirè ventri cum ſapphyro congruere,quod ſit ſymbolum caſtitatis,quam etiam dicitur conciliare,quæ præcipua laus eſt huius gemmæ de qua ille;

[e] *Sed qui geſtat eum,caſtiſſimus eſſe iubetur.* e Idem ibid.

At quæ ex his horum quatuor colorum qualitas dignoſci poteſt? Byſſus enim *candidus* erat,

coccus

coccus *roſeus incarnatinus*, hyaciuthus *azurrus*, purpura quem nonc *pauonacium*, non qualemcumque, ſed ardentem, & mixto nigrore micantem; qualis etiam vulgo *roſa ſecca*. Hyacinthum verò florem, à quo color hyacinthinus, illum non eſſe quem *garofanum* nuncupamus, vt quidam volunt; ex iis quoque conſtat. Nec enim inter hos vllus eſt, qui ſit azurri coloris; ſed omnes aut rubent, aut purpurant, aut candidi micát. Quis ergo flos antiquis *garofanus* noſter? Inter illorum violas ſine dubio computandus; & probabiliter illum quidam vel chaltbis, illorom, vel vacciniis adnumerant.

Iam verò de horum colorum numero. Cur quatuor, & ad quid? Sũt qui numero quaternario quatuor anni tempora ſignati velint. vt enim mortalibus conſtaret, omni tempore diuino coltui vacandum, iuſſiſſe Deum vt in veſtibus ſummi Sacerdotis; in velis quæ atcæ oppandebantut; in aliis quæ tabernaculo, quatuor iſti colores extarent, qui quatuor anni tempora deſignantes, annum totum Deo dicandum monerent; & per annum totam vitã mortalium Dei coltui ſacrandam ſignificarent. Et poteſt hæc quaternarij ratio perſuaderi ex inſtitutione ludorum Circenſium, qui primum à gentilibus cœpti, deinde à Chriſtianis Principibus admiſſi ſunt. In illis enim aurigæ quadriiugo in curro certabant, quis prius emenſo certo ſpatio, poſitas metas attingeret; qua tota agitatione rapidè currentium equorum, volubilis anni decurſus deſignabatur; quem etiam vt expreſſius referrent, aorigas ipſos & equos quatuor coloribus diſtinguebant, qui quatuor anni tempora referrent. Erat enim veri Dei ſimius diabolus, & vt homines deciperet, quod ille ad religionem inſtituerat, & Iſraelitico populo mandauerat, ille interpolatum ad ſacrilegas ſuperſtitiones cultoribus ſuis inſinuabat, vt babetur in lib. Machabæorom [a], & Patres obſeruant [b]. Cùm igitur vidiſſet Deum in cultu ſuo quatuor colores exigere, quatuor ipſe qooque ſuis in ſuperſtitioſis ludis inſtituit. Et vt illis qoatuot anni tempeſtates notabantur; ſic iſtis eaſdem notari volebat: quos ludos idololatrica ſuperſtitione purgatos, Chriſtiani deinde Principes eodem pacto quatuor colores diſtinctos retinuerunt, de quibus inter alios Caſſiodorus [c]. *Colores autem*, inquit, *in vicem temporum quadrifaria diuiſione funduntur; praſinus virenti Verno, venetus nubilæ Hyemi, ruſſeus* [*] *Æſtati flammeá, albus pruinoſo Autumno dicatus eſt; vt quaſi per duodecim ſigna digrediens, annus integer ſignaretur. Sic factum, vt naturæ miniſteria ſpectaculorum compoſita imaginatione luderentur.*

a lib. 1. c. 3. 8.
b Tertul. de ſpect. Clem. Al. lib. 5. Strom. Euſeb. in 4. Reg.
c lib. 3. ep. 51.
* aliter roſeus.

Conſtans tamen Patrum [d], & grauiorum interpretum [e] ſententia eſt, quatuor his coloribus quos Deus in ſacris literis requirit, non tam anni tempora, quam partes mundi præcipuas deſignari, quæ ſunt elementa quibus ille conflatur. Qua de re D. Hieronymus in hoc Iudæorum conſenſum referens, hauſtum ex traditionibus antiquorum. *Iuſtum*, inquit, *eſſe commemorant, vt Pontifex Creatoris, non ſolum pro Iſrael, ſed & pro vniuerſo mundo roget: ſiquidem ex terra, & aqua, & aëre, & igne mundus iſte conſiſtit; & hæc elementa ſunt omnium. Propter hoc ergo volebat Deus vt ſummus Pontifex his quatuor coloribus indutus accederet ad ſacrificandum.* Vnde paulo poſt idem Hieronymus; *Iuſtum ergo erat vt Pontifex Dei, creaturarum omnium typum portans in veſtibus ſuis, indicaret cuncta indigere miſericordia Dei; & cum ſacrificaret ei, exprimeretur vniuerſalis conditor, vt non pro liberis, ac parentibus & propinquis, ſed pro cuncta creatura, & voce, & habitu precaretur.*

d Hieronym. epiſt. 127. Philo lib. 3. de vi. Moſ. Ioſeph. lib. 6. de bello c. 6. & 3. antiquit. cap. 8. Orig. hom. 6. in Leuit. Beda lib. 3. de temp.
e Rib. de temp. lib. 3. cap. 5. Lorin in Sap. cap. 18 & in Leuit.

At qui colores quibus elementis tributi? Iam dixi, byſſum terræ, coccum igni, purpuram mari, hyacinthum aëri, quod iidem Patres obſeruant. Nec coniectura quæ ducebatur à ludis Circenſibus in contrarium mouet. Primò. Eſto quod illi colores anni tempora, non mundi partes, exprimerent; quid id ad ſacerdotales veſtes, ad templi cultum, ad arcam fœderis? Quæ conuentio Chriſti ad Belial, lucis ad tenebras? Secundò. Falſum eſt etiam quatuor illos ethnicorum colores in ludis Circenſibus anni tempora tantum ſignaſſe, ſed ſunt etiam qui elementis attribuant. Iſidorus [f], *Gentiles*, inquit, *colores equorum iunxerunt; roſeos ſoli, id eſt igni, albos aëri, praſinos terræ, venetos mari aſſimilantes.* Licet idem ſubdat etiam per eoſdem tempeſtates anni referri: quod ipſum non abnuerim in coloribus ſacris. Nil enim inconuenit iis tam partes anni, quam mundi ſignari: & qui partes mundi volunt, improbari tantummodo ſunt, quod id ita velint, vt mundi partes excludant.

f lib. 17 Origen. c. 41.

Sed quia de hoc iterum infra, vbi ſymbolica ſignificatio veſtium ſacerdotum exponetur; hic tantum nodus eſt ſoluendus qui ex his poteſt occurrere contra illa quæ diximus de colore hyacinthino. In Circenſibus enim quatuor, vt modo vidimus, colores erant, quibus factiones diſtinguebantur. Ruſſeus [*], praſinus, venetus, albus. *Venetus* autem erat qui noſtro hyacintho reſpondet. Nam ſicut in ſacris literis hyacinthus aërem; ſic in Circenſibus eundem venetus referebat, vt notat Tertullianus. Iam verò *venetus* omnino eſt ab *azurro* diſtinctus; non ergo hyacinthus azurrus. *Venetus* enim color eſt pleriſque quem nos *giallum* dicimus.

* Sic Tertul. roſeus ruſſus aliis.

Sed dicendum *venetum* antiquorum, non giallum noſtrum eſſe, ſed *cæruleum*, qualem prorſus eſſe hyacinthum diximus. Propterea Caſſiodorus venetum Hyemi nubilæ dicatum dicit. Imbres enim hyberni cum decidunt, cærulì ſunt: vt propterea non à Poetis modo, ſed in ſacris quoque literis eleganti tropo *cælum cadere* dicatur, cum procelloſè pluit; vt nos pluribus in ſecundum Regum. Eſt ergo *venetus* color ſpecies cærulei & hyacintho reſpondet, illo licet dilutior, quare Tertullianus diſertè mari comparatum dicit, & cælo: nam cæli & maris idem color, cum hoc tranquillè renidet.

Hinc abeo, ſi dubitationem propoſuero, quæ poteſt alicuius animum ſubire; Cur Deus in illo numero colorum *viridem* non admiſerit; qui tamen præſtantiſſimus, & omnium maximè terræ ſymbolum gerit; ſecus quam byſſus, qui cum candidus ſit, minus videtur terræ congruere; quæ per ſe ſpectata, nigra potius eſt, cum ſit omnium ſimpliciom corpus opaciſſimum. Si vero, vt veſtita frondibus, omnino viridis. Sed hac de re fortaſſe alibi. Hic interim ſatis eſt iudicaſſe viridem, non prorſus omiſſum, cum purpureus & hyacinthinus admiſſi ſunt. In his enim fulgor omnis, qui in viridi paſcit oculos intuentium, maximè reſplendet, quia per illos partitus, & inde eſt quod *venetus* quibuſdam *viridis* computatur; non quod verè talis, ſed quia virorem maris repræſentat, cui poſtea tributus.

Ad

a Cap. 4. 5.

Ad illa verba Thren.

[a] Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.

Croceus color an in nobilium veſtibus apud Hebraos: is qualis propriè.

§. X.

IN his Hieremiæ verbis difficultatem facit ex vna parte quod croceæ veſtes, vt pretioſæ notari videntur,& propriæ nobilium. Opponuntur enim lutoſis amiculis, & vt oſtendatur ex quanta fœlicitate in quantam miſeriam deuenerint Iſraelitæ, duo longiſſimè diſſita pouuntur; hinc croceæ veſtes inde lutoſæ, quales eorum ſuut qui ſtercoribus volutantur. niſi autem croceæ pretioſæ & in deliciis fuiſſent à lutoſis non longiſſimè diſtarent. At verò ex altera parte non apparet quid ſit in veſte crocei coloris eximium. Nam ad Hebtæam nunc gentem certa nota ſignandam, & à Chriſtianis inter quos viuunt, internoſcendam, pilei crocei coloris aſſumpti ſunt. Nec id à Chriſtianis Principibus opinor, vt ceruicoſum populum honeſtarent, ſed deprimerent. Non ergo croceus color in veſtibus pretioſus.

Vt hoc explicemus qualis color croceus ſit oſtendamus, quarum veſtium, & in quo pretio. Croceus color ab aliis ſub rubro ponitur, ab aliis ſub fuluo, & etiam ſub purpureo. Quæ varietas perplexam illius explanationem reddit, vt certò ſignari nō poſſit, cui noſtro colori reſpondeat; cum tamen crocus notiſſimus flos, à quo color croceus omnem deberet ambiguitatem dirimere. Rufi coloris ſpeciem vult eſſe Gellius [b]; rufum autem rubrum intelligit. *Rufus color*, inquit, *à rubore quidem appellatus eſt; ſed aliter rubet ignis, aliter ſanguis, aliter crocus. Et tamen ex ipſis rebus colorum vocabula mutuantur; & igneum aliquid dicitur, & flammeum, & ſanguineum, & croceum, & oſtrinum, & aureum. Rufus enim & ruber, nihil à vocabulo rufi differunt.* Aſt vulgò croceus, qui color *zafrani* dicitur, *giallus* eſt, & longè diſtat à rubro, & ruſſo, pallido ſimilior: vnde & Statius [c] alicubi *crocum pallidum* dixit.

b lib. 2. c. 26.

c lib. 6. Theb.

Sed facilis, vt dicebam, litis totius ex ipſo flore deciſio. Crocus enim per ſe ſpectatus, eſt rubro propior; prout verò variè diluitur, variis etiam coloribus accedit. Et hinc eſt quod croceus color nec vnius duntaxat, nec certæ differentiæ videtur eſſe; quod in aureo quoque, in purpureo, & violaceo contingit. Quia enim prout variè temperantur, varias quoque ſpecies referunt, etiam variè ſubinde appellantur, & qui aureus eſt, nunc ruber dicitur, nunc luteus, nunc flauus & fuluus. Abſolutè ergo dicendum *croceum colorem* flauum eſſe, quem nunc *giallum* dicimus. Eundem vero cum ſaturatior eſt, rubere; cum dilutior, albeſcere magis, ac proinde nunc rubro computari, nunc luteo; non quod tunc flauus non ſit, ſed quod minori rubedine temperatus. Sunt enim vt ſupra dicebam, omnes iſtæ ſpecies ſub flauo colore; *luteus* qualis in oui vitello; *buxeus* ardens, quem *giallo ſauilante*; *aureus*, qui vulgo *biondo*; *citrinus*, à citrio malo, qui *giallo pallido*; *æneus*, à quo ænobarbi; *giluus*, vulgo *color di paglia*; *cereus*, à cera cum recens è fauis extracta. Croceus autem color, aliud niſi adiungatur, qui magis ad roborem vergit in flauo, & auroræ proprius eſt, vbi primum dies albere incipit ſereno cælo. Vnde illud eſt;

Aurora in croceis * *fulgebat lutea bigis.*

Sic enim legit Alciatus [d], & alij; ſic etiam Ouidius [e]

Ille crocum ſimulat; croceo velatur amictu
Roſcida luciferos, qua dea iungit equos.

* al. roſeis.

d lib. 2. parerg. c. 1.

e lib. 3. de arte.

Et hinc epitheta *rubentis, punicei, rubri, tyrij*, à Poetis croco tributa.

Iam verò fuiſſe hunc colorem antiquis maximè probatum; inde conſtat quod alicubi Silius [f] *honorem crocsum* appellauit; non facturus, niſi nobilium, & honeſtorum color is eſſet: & pretioſum muliebris veſtis genus à croceo colore *crocotam* appellatam didicimus ex Cicerone; qui Claudio exprobrat alicubi geſtaſſe *crocotam*. Ob id Romæ erant proprij *crocotularij* [g] *infectores*, quorum munus croceo colore veſtes inficere; ſane argumento non leui fuiſſe croceum colorem apud Romanos in pretio & vſu, in tunicis præſertim, vt ex Catullo colligitur *crocinam tunicam* commendante.

f lib. 8. de bel. Pun.

g Plaut. in Aulul.

Cum igitur hæc ita ſint, non erat cur hunc locum Hieremiæ; *Qui nutriebantur in croceis*, quidam quaſi corruptum emendarent, & legerent in *cocceis*, barbara voce; quod ſine controuerſia veſtes iſtæ pretioſæ ſint. Falluntur enim quia tam croceæ, quam coccinæ pretioſæ, & propriæ nobilium apud antiquos. Vnde non ob hoc recepta vulgatæ lectio damnanda. LXX. legerunt; *In cocco*. Hebraicè enim eſt *Thola*, quam vocem *vermiculum*, & *coccum* ſignificare recentiores contendunt; vnde facilè potuiſſe Latinam editionem vitiari, mutato *coccinis* vt noſter interpres verterat, in *croceis* incuria librariorum. Sed quicquid ſit de voce originali; certum eſt in editione vulgata *croceis*, non *coccinis* retinendum; cum recens emendata biblia non aliam nobis lectionem proponant.

At quod hoc genus veſtium crocearum, in quibus enutriti, qui poſtea ſtercora ſunt amplexati? Sunt qui per id circumſcriptas putent *veſtes accubitorias*. ob id enim dici, *Qui nutriebantur in croceis*, & non dubium conuiuiales veſtes & ardentis coloris, & odoratas fuiſſe, quod virumque in croceis. Alij [h] de ſtragulis dormitoriis intelligunt, vt ſit ſenſus; qui ſueti erant in ſtragulis croceis cubare, dormierunt poſtmodum in ſterquilinio, ſtercorum fimo pro culcitra vſi. Alij longius aberrarunt, hæc de cibo, non de veſtibus [i] interpretati. Dubium enim non eſt agi hic de veſtibus non de cibo: & illud *nutriri*, ſignificare conſuetudinem, & vſum quotidianum à primis annis ætatis; & ſenſum eſſe ſolitos croceis indui, in ſterquilinio volutari. Grauius enim eſt, *Qui nutriebantur in croceis*, quam *qui veſtiebantur*; cum illud aſſiduum vſum ſignificet; hoc etiam in illos conueniat, qui non ſemper, ſed aliquando croceis induantur. Queritur ergo Hieremias eos, qui ob diuitias, & generis nobilitatem à primis annis erant ſueti veſtes croceas in vſu quotidiano, & pretioſas induere, quod vulgò dicimus *che ſtracciauano la ſeta*, vt iniuriam nunc frigoris depellant, in ſterquilinio cubare: vnde pro croceis veſtibus geſtent ſtercoribus infectas.

h Lyran. & Caſtro Thren. 4. 5.

i Hugo, Dionyſ. &c.

Cur ergo Chriſtiani Principes Iudæis ad illos internoſcendos amictus crocei coloris attribuunt, ſi is adeo pretioſus, & antiquis Hebræis approbatus? Habitus quantiis opulentus & dioes, & color quantumuis eximius & probatus, geſtantem non commendat, ſed cauſa geſtandi. Nonne paraſiti plerumque veſte Principis induuntur?

duuotur? Ao id ergo illis honori, & non potius deboneſtamento? Et milites Chriſto vt illuderent, noone coccineam veſtem illi iniecerunt? At illa propria erat Imperatorum. Eſto igitur; pretioſus color croceus, & olim apud Hebræos proprius nobilium. Ob id ergo merito nunc illis ad notam datus, vt grauius crucientur, eo colore dedecoroſè notati, quo maiores illorum antiquitus boneſtabantur.

Qui colores, in quibus rebus, & cur in ſacris litteris probati?

§. XI.

CApur hoc Anacephaleoſim, & eorum quodam quaſi cotollarium continebit, quæ ſunt hactenus de coloribus explicata. Proponemus ergo breuiter colores illos, qui in ſacris literis plus aliquid videntur ambiguitaris ingerere; & quò facilius expediantur, ordine litterarum illos exequemur.

a Cant. 5.
Aereus color, ſine dubio cæruleus & byacinthinus eſt, vt ſupra diximus ex Caſſiodoro a. *Hyacinthus*, inquit, *eſt aerei coloris, hoc eſt cærulei. Aer enim cæruleus eſt.* Sub colore autem cærulo, ſiue cæruleo (idem enim ſunt, b vt hinnulus, & hinnuleus) qui alij cenſentur varias inde differentias trahunt, quod variè diluuntur, aut ſaturantur. Dilutiores ſunt *cinereus*, quem alij *griſum* Itali voce Gallica *berettinum*; Glaſtinus à *glaſte*, ſiue glaſtide herba, quem *indicum* pictores Itali; quibuſdam etiam *luridus* hic cenſetur, à colore quem lora faciunt impacta cuti, qualis in vibicibus cernitur; *Glaucus*, qui *leardus* in equis à Virgilio probatus qui idem in aſinis *murinus* à Columella; *Cæſius* oculorum proprius ex lucido candido, leniterque nigro; *Cyaneus* in aliis. Pleniores autem magiſque ſaturi ſunt *Hyacinthinus*, *Cymatilis*, & qui vulgo *perſus*, *turchinus*, *azurrus*.

b Scal. exerc. 325. n. 15.

Iam verò color *aereus* in ſcripturis tentorjis Aſſueri tribuitur in horto ſuſpenſis, regio cultu conſito ad epulandum c. *Pendebant*, inquit, *ex omni parte tentoria aërei coloris, & carbaſini, & hyacinthini, ſuſtentata funibus byſſinis, atque purpureis.* In quibus verbis duo obſeruanda, ne quid ex illis, eorum quæ diximus conuelli poſſit. Primum non hic duos diſtinctos colores numerari, aëreum, & hyacinthinum; ſed vnum & eundem eſſe, qui vtroque nomine appelletur, & *aëreum* poni quaſi genus, & *hyacinthinum* ſubiici magis vt alterum ex altero exprimatur; quod ſuetum in coloribus. Dicimus enim vulgò *turchinum vltramarinum, roſſo di porpora, roſſo incarnatino*: quo eodem modo intelligendum quod de Mardochæo dicitur d *indutum illum veſtibus regiis, aëreis & hyacinthynis*: vnum enim hæc colorem, non duos ſignificant. Secundò. Obſeruandum tentoria hæc funibus byſſinis, & purpureis fuiſſe ſuſpenſa; quod ſacer hiſtoricus omittendum non duxit. Inter alia enim argumenta regalis luxus hoc antiquitus erat, vt funes etiam quibus in regalibus miniſteriis vterentur, ex materia pretioſa fierent. Sic enim de Nerone Suetonius refert ipſum *aureo reto piſcari ſolitum purpura, coccoque funibus nexis*; quos funes Eutropius *blatteos* appellat, id eſt *purpureos*. Quia, vt ſuprà diximus, blatta e, purpura eſt & laudatiſſima ſequitur

c Eſth. c. 1. 6.

d Eſth. cap. 8. 15.

e V. Connan. lib. 7. Comment. iur. c. 7.

Bdellij color, cui manna dicitur fuiſſe perſimilis. f *Erat*, inquit, *man quaſi ſemen coriandri, coloris bdellij*, quid bdellium, & quis eius color? Apud Plinium g *bdellium arbor eſt nigra, magnitudine oleæ, folio roboris, fructu caprifici naturaque.* Quod ſi verum eſt; quomodo manna coloris bdellij, quæ dicitur alba fuiſſe? h *Appellauit*, inquit, *domus Iſrael nomen eius man, quod erat quaſi ſemen coriandri album.* Nondum hunc vt aliqui ſoluant, editione vulgata relicta, verbum originale בדלח *bedolach*, quod noſter bdellium transfert, vertunt *carbunculum*, tripliciter in eo peccantes. Primò quod editionem vulgatam relinquunt. Secundò quod carbunculum *bedolach* Hebraicè vocari putant, qui נפך *nophech* i appellatur. Tertiò. Quod, etiam ſi detur id eſſe; difficultatem non fugiunt, cum carbunculus, candidus non ſit; ſed cum rubore ſplendidus. ideo alij vertunt hic pro *bedolach* chryſtallum, vel talum. Sunt etiam qui margaritas & vniones pro *bdellio* reponant; Quod ſi detur, omnis in colore difficultas ſedatur. At interpreti noſtro *bdellium* placuit. Sed quid, ſi hoc nigrum? Nigra arbor ipſa, non lachryma quæ ex ipſa, cui propriè manna comparatur. Nam & bdellij lachryma, bdellium etiam nuncupata. Hæc ergo lucida, candida, & in Media, Babylonia, Arabia frequens Iudææ contermina, facilè potuit aſſumi ad mannæ qualitates exprimendas. Sequitur tertio loco.

f Num. 11. 7.

g lib. 12. c. 11.

h Ex. 16. 31.

i Geneſ. 2.

Carbaſinus, cuius coloris, Aſſueri tentoria fuiſſe dicuntur. k Quis hic? Plinio l *carbaſus* lini genus eſt tenuiſſimi, apud Tarraconem in Hiſpania repertum, expetitum maximè velis, qualia erant, quæ ſuſpendit hic Aſſuerus, & *tentoria* nuncupantur, non quod in modum tabernaculi clauderentur; ſed quod totum hortum ſuſpenſa protegerent ad quem modum Cæſar m Dictator aliquando totum forum Romanum carbaſinis velis inumbrauit, viamque ſacram à domo ſua vſque ad cliuum Capitolinum. Quod adeo magnificum viſum eſt, vt ipſi gladiatorio muneri prælatum fuerit, quod tunc Cæſar exhibebat. in iure ciuili *carbaſa* inter ſpecies connumerantur, pro quibus vectigalia ſoluenda decernuntur. Cæterùm, qualis eſſent coloris carbaſa, non exprimitur, niſi quod cum lini genus fuerint, eo ipſo candidum in illis colorem intelligimus, aqua & ſole curatum. Nam vela omnia, maximè candida, probata ſunt, adeo vt ſtupuiſſe littora *verſicoloria magni Alexandri vela* Plinius n dicat, qui primus illa pingere inſtituerat.

k Eſth. c. 1. 6.

l lib. 19. c. 1.

m Plin. ibid.

n Guid. Pancir. lib. 1. tom. c. 210.

Coracinus, qualis ſit; iam dictum eſt. Tantùm hîc admonendum in iure ciuili o coracini coloris mentionem fieri, pro quo male aliqui *crocinum* reponunt; peius etiam quod inter nigerrimos alij receuſent. Cùm enim color hîc in laude ponitur, & capillis tribuitur; niger quidem eſt; ſed fulgore permixtus, vt ſupra diximus.

o Alciat lib. 2. parer. c. 1.

Flauus color, qualis ſit; etiam ſuprà docuimus; nonnibil tamen difficultatis habet quod in ſacris literis cum rubro confunditur, à quo videtur omnino diſtingui. Vbi enim nos *flauum* habemus, aut *flaueſcit*, Hebraicè eſt ad verbum *rubet*, aut *rubeſcit*. Sic illud Salomonis quod in vulgata legitur, p *Ne intuearis vinum quando flaueſcit, cum ſplenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber.* Hebraicè eſt. *Ne intuearis vinum quando rubuerit, cùm dederit in calice oculum ſuum.* Et eſt idem verbum quod alibi noſter interpres vertit *rufum*, & equis tribuit apud Zachariam, q & humano

p Prou. 23. 31.

q Cap. 1. 8.

a Gen. 25. 25 b 1. Reg. 16. 12. c Num. 19. 2

mano capillo, quali erant Eſau [a], & Dauid [b], qui dicuntur *ruſi*; & vaccis [c], vel armentis. Sed ex dictis etiam facilis eſt ambiguitatis huius ſolutio. In flauo enim diximus aliquid ruboris ineſſe; à quo eſt vt omnia flaua, etiam rubere dicantur; maius, aut minus, pro eo quod variè ruboré participant. Illud hîc potiùs eſſet exponendum, quod Hebraica lectio tribuit *oculum vino*. Quis enim hic oculus, quem vinum dat in calice? Metaphorica loquotione fulgor vini cùm ferit aſpectum, illius oculus appellatur. quaſi enim nos vinum videatur aſpicere, dum nos illud intentis oculis aſpicimus, cùm micat in vitro. Vt enim impudica mulier ex feneſtrâ ſua proſpicit; vt oculis feriat tranſeuntes; ita vinum in calice micans, quaſi è ſua feneſtra, intuentes proſpicit, vt illis inſidietur; à cuius aſpectu, vt mulieris [d] comptæ, vult Salomon oculos auerti: quia vinum blandè ingrediens, poſtea mordet vt coluber, in morem viperæ viſcera materna dirumpens, vt ex ventre, quo fuerat immoderatè receptum, egrediatur.

d Eccli. 9.

De *rubicundo* colore, plus aliquid eſt, quòd hîc quærimus; propterea quod in ſacris literis rebus illis aliquando tribuitur, quæ videntur à rubore longiſſimè diſtare: Ieremias enim Nazaræorum miſeram conditionem deplorans, in quam ex priſtina felicitate deuenerant [e]; *Candidiores*, inquit, *Nazarei eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphyro pulchriores*. & ſubdit, *Denigrata eſt facies eorum*. Ebur enim inter omnia candidiſſimum, aptè admodum non videtur aſſumi ad rubicundum Nazareorum colorem exprimendum; ſi rubor color eſt, quem *ruſſum* dicimus. Varij varia, ſunt qui [f] dicant natiuum eboris colorem vetuſtate rubeſcere. Alij contendunt vetuſtate flaueſcere, & pallore infici; quod ſuis ipſi oculis ſe vidiſſe teſtantur, & Plinius alicubi refert. Flauum autem colorem in ſacris, & profanis literis rubrum appellari. Sed expedita reſponſio eſt, ſermonem eſſe, non de natiuo, ſed de aſcitio colore; quod antiquum, & ſeneſcens ebur olim oſtro tingebatur. Nam recens candore ſuo fulgidum alio colore tingere, corruptela fuiſſet. At in antiquo cum tempore gratia periret, eam noua tinctura reparare, colore alio inducto; non corruptela, ſed peritia fuit. Huius moris exempla paſſim ſuppetunt, quæ diligenter ab aliis [g] afferuntur. Ex quibus conſtat ebur antiquum ſolitum vetuſtate rubeſcere, non natiuo rubore, ſed aſcititio, vt illa indicant.

e Thren. 4.

f Delr. & Caſt. in Thr. c. 4.

g Pin in Iob c. 28.

Indum ſanguineo veluti violauerit oſtro
Si quis ebur, vel mixta rubent, vbi lilia multa
Alba roſa, tales virgo dabat ore colores.

Clariùs autem Ouidius ebur antiquum pallere dixit, & ob id infici ſolitum colore purpureo.

Aut quod ne longis flaueſcere poſſit ab annis,
Mæonis Aſſyrium fæmina tingit ebur.

Sequitur *rutilus*, qui à Chriſto Domino inter prognoſtica ponitur tempeſtatum, cum à cælo induitur [h]. *Facto veſpere*, inquit, *dicitis; Serenum erit: rubicundum eſt enim cælum. Et mane; Hodie tempeſtas: rutilat enim triſte cælum.* Quid enim diſtant rutilus & rubicundus; vt ex vtroque colore, tam oppoſita temporum ſigna colligi poſſint?

h Matt. 16. 1.

Supra dixi *ſub rubro* iſtas omnes differentias eſſe, *rufum, ruſſum, ruſſeum, roſeum, rubicundum, rutilum*. Qui omnes colores vt aliæ differentiæ ſub aliis generibus ex varia inter ſe coloris exuberantia diſtinguuntur; aut etiam ex gratia maiore, vel lumine, quo reſplendent. Itaque *rufus, ruſſus, ruſſeus*, omnes intenſi ſunt; *roſeus & rubicundus* plus candoris habent; *rutilus* inter ruſſum, & roſeum, flammeum quid micat, & minax. Roſeus enim *incarnato* noſtro reſpondet, rutilus verò, quem dicimus *roſſo acceſo*. non ergo penitus idem rutilus & rubicundus. *Penitus* dixi; quatenus enim ambo ſub *rubro*, quodammodo idem. Cæterum vnde ſit quod ex cæli facie veſpertina cum rubicunda fuerit, ſerenum ſperetur; eum vero matutina rutilauerit, nubilum portendatur; id inquirere, alterius eſt & loci, & temporis; aliique [i] fuſe proſequuntur.

Sopran. in Dauid.

i Franc. Valeſ. de ſac. philoſ.

Ad illa verba Ezechielis;

[k] Et deſcendent de ſedibus ſuis omnes principes maris, & auferent exuuias ſuas, & veſtimenta ſua varia abiicient, & induentur ſtupore.

k Cap. 26. 16

De vario ornatu veſtium apud Hebræos.

Capvt IV.

AD veſtium materiam ſpectat ornatus; de quo nunc dicemus, hinc exorſi.

Veſtium aliæ puræ, aliæ variæ. *pura*, ſine ornatu; *varia*, cum illo. Sicut enim *pura charta* eſt nō ſcripta; *pura* [l] *haſta* eſt ſine ferro; *purum argentum* [m], non cælatum; *pura* [n] *toga*, non prætexta, & ſine purpura. Sic *veſtis pura* eſt non ornata, quæ vulgò *ſimplex*, vno texturæ, filorum; coloris genere confecta; *varia* verò, quæ huic oppoſita, multiplici artificio elaborata, in textura, liciis, colore: propterea in ſacris literis vt mox dicam, non ſolum *varia*; ſed *varietas* appellata. Et apud Latinos duplex eſt picta, & prætexta. *picta*, in qua variæ ſpecies impreſſæ; frondium, florum, fructuum, arborum, hominum, & omnis generis animalium. *Prætexta*, quæ variis ſegmentis ornata; & vtraque duplex eſt. *picta* vel acu, vel textura; & vtrumque vno, vel diuerſi generis colore. *picta* veſtis vnius coloris, nomen generis retinet apud Latinos, niſi quod aliquando Poëtis vnicolor, & concolor appellatur; Itali ſi pictura textilis eſt, appellant, *fatta à opera*; in quo genere ſerica ſunt à rerſis, rariſque (quæ vulgò, *plana*) diſtincta, quæ communi nomine dicuntur *drapetti à opera*, texturæ nimirum ſolo opere & artificio variata, non extrinſecùs ornatu iam confectis aſſuto. Sic *raſa damaſcena, villoſa, foliata, vndulata*: Vario verò colore picta diſcolor, & verſicolor appellatur, quam Itali, ſi pictura texta ſit, *arazziorum* generali nomine deſignant; ſi acu laborata, *recamatam*; dicit: licèt hoc etiam nomine quemcumque complectantur ornatum, qui ſit acu ſiue per ſola fila, ſiue etiam per aſſumenta veſtibus inductus. *Prætexta* verò alia eſt in extremitatibus tantum, & nomen retinet; vel æque ſparſa per totum, & *ſegmentata* dicitur. Vtramque verò *fregiatam* vulgus appellat; ſed *prætextam, orlatam*, aut *frangiatam* dicit; *ſegmentatam ricamata à ritaglio*.

l Seru. Æneid. 6.
m Cic. 6. Verr.
n Cic. ad Attic. lib. 9. ep. 4.

His in vniuerſum libatis, poſſumus omne genus variarum veſtium, prout hoc nomine veſtia intelliguntur, oppoſita *pura* omni ornatu carenti, ad tria ſumma capita reuocare, prout ornatus variè poteſt in veſtes induci. Nam vel illis inte-

xitur, vel illis aſſuitur. Si *intexitur*, ſunt veſtes Italis *fatto à opera, ò di arazzo*. Si ope acus *aſſuitur*, vel per ſola fila, vel per adiuncta ſegmenta; ſi per illa, veſtes fiunt Italis *ricamate*; ſi per *ſegmenta*, veſtes quæ vulgò *fregiata*. Quare, vt dicebam, variata veſtis in ſumma capita diuiſa, triplex ſtatui poteſt, acu, textura, aſſumentis. Variata acu, eſt di *ricamo*; textuta, eſt *fati' à opera*; aſſumentis, eſt *fregiata*. Libenter autem Latinis vocibus Italas appellationes adiungo. Quia, vt mox videbimus, id mire conducet ad voces, quibus in ſacris literis, veſtium ornatus exprimitur, intelligendas. Moneo autem quod ſupra iam dixi Latinè me, non Italicè loqui, cùm *veſtes* appello. Nam veſtis Italis, ipſe tantum veſtitus eſt, quo quis induitur, vel amicitur; at Latinis veſtis etiam eſt omne textum, hominis cauſa paratum ſiue vt tegatur, ſiue vt commodius excipiatur.

Iam verò in ſacris literis, vt dicebam, veſtis ornata puræ oppoſita, *varia*, & *varietas* generali vocabulo ab interprete vulgato nuncupatur; Hebraicè verò dicitur *richma*, & in plurali *rechamoth*. quare quod hic dicit Ezechiel principes illos maritimarum regionum ad caſum Tyri, timore ſtupidos è ſolio deſcenſuros, & *varia veſtimenta* depoſituros; *variorum* nomine veſtes ornatas intelligit, non *puras*, quales viros Principes decent in regali ſolio reſidentes. Ornatas vero generatim dixit, & *varias*, ſpecie non expreſſa; per id omnè genus ornamentorum complectens, quo poſſunt veſtes *varia* commendari.

a Pſ 44.14. Similiter in carmine nuptiali David[a], *Adſtitit*, inquit, *Regina à dextris tuis in fimbriis aureis circundata varietate*, veſte nimirum ornatiſſima, multiformi cultu, artificiosè adeo variata, vt *varietas*, non *varia* poſſet appellari. Conſueta enim phraſi in ſacris & profanis literis ad emphaſim & ſignificationem augendam, *abſtracta* pro *concretis* appellantur, vt amor, pro ſummè amato; ſcelus, pro ſceleſtiſſimo: ſic varietate circundatus, eſt veſte ſummo artificio variata contectus.

Obſeruandum porrò hîc eſt: Hebraica vox *ricma*, & *recamoth* pro qua noſter interpres tranſtulit *varietates*, ambiguum eſſe quid præcisè ſignificet, cùm certum ſit inſignem ornatum in

b Pine. de Salon. lib. 6. cap. 16. 10. veſte ſignificare. Sunt enim qui [b]nullam certam ſpeciem, ſed totum genus ornatus ſignificari putent; vt idem ſint *ricma*, & *recamoth*; quod veſtia varia, multiplex, ornatiſſima. Mouentur quod noſter interpres cum vocem hanc Latinè reddit, non certam ornatus ſpeciem deſignat; ſed generali nomine *varietates*, aut veſtes *varias* pro illa reponit. Quod ſi aliquando ſpeciem aliquam certi ornamenti transfert; non ſemper eandem, ſed nunc vnam, nunc aliam deſignat. Hic enim

c Pſal. 44. 13.14. [c] רקמות *recamoth*, vertit *varietates*; alibi [d] *ſcutu-*

d Ezech. 27. 16. *lata*; aliquando [e], *diſcolores*; nonnunquam [f], *poly-*

e Ezech. 16. 10. *mitas*; aliquando [g], *opus plumarium*. Cum ergo tam variè eandem vocem, *ricma*, & *recamoth*, ver-

f Gen. 37. 3. Ezech. 27. 24. tat; argumento eſt illum certam differentiam ornatus ea non putaſſe ſignari, ſed totum genus. Alij volunt *recamoth* certam ſpeciem ornatus

g Exod. 26. eſſe, & quidam illam putant, quæ Latinis opus dicitur *ſcutulatum*. Primo quia Hieronymus Hebraicè peritiſſimus, *recamoth* quod noſter ver-

h Pſ. 44. 15. tit [h] *varietatibus* ipſe reddit *in ſcutulatis*. Secundò. Quia vulgatus eandem vocem expreſsè tran-

i Cap 27. 16. ſtulit *ſcutulata* apud Ezechielem[i], *Syrus*, inquit, *negotiator tuus, &c. gemmam & purpuram, & ſcutulata, &c. propoſuerunt in mercatu tuo*. Hic enim quod vertitur *ſcutulata*, in Hebræo eſt *recamoth*. Verùm iſti quid deinde ſint *ſcutulata*, non explicant, incerti magis, quid illa ſignificent, quam *recamoth*, hac voce explicata. Alij ergo volunt *ricma* eſſe propriè *opus Phrygium*, picturam nimirum veſtis acu laboratam; quod Itali *ricamo*, & veſtes *recamoth* recamatas intelligunt. Mouentur quod noſtrum *recamare*, non aliam etymologiam vocis habet; quàm vt intelligatur ab hac Hebræa deriuatum. Cùm igitur *recamare* ſit acu veſtes artificiosè pungere, hoc ipſum erit רקמה, רקמות *ricma*, & *recamoth*, Hebræorum: quod mihi quoque probabiliſſimum videtur. At quid ad interpretem noſtrum? Cur enim vocem, quæ propriè certam ſpeciem ornatus in veſte ſignificat, tam multipliciter reddit? An quid ipſa ſibi vellet, incertus, aut inſcius? Et ſi hoc: quomodo arrogantiæ crimen inde non putamus incurrere; qui maiorem nobis Hebraicè linguæ peritiam, quam Hieronymus habuerit, arrogamus? Quid enim aliud eſt vocem, quam ille ambigue reddidit, eius ſignificationis incertus, certa notione ſignare; quàm maiorem ſibi peritiam vendicare? At id nos nec facimus; nec de beato Hieronymo concedimus. Vim enim dictionis huius ille nec ignorabat; nec de ea ambigebat; ſed illam ſignificare putauit, quod nos etiam putamus. Tam multipliciter autem illam reddidit; quia conſuetus tropus eſt, in ſcripturis præſertim, præſtantiſſimam in aliquo genere ſpeciem pro toto genere vſurpare, in rebus præſertim inanimis, & artificioſis. Cum igitur *recamoth* præſtantiſſima ſit ſpecies ornatus in veſtibus, in ſacris literis perſæpe non ipſum præciſè *Phrygium opus* ſignificat acu laboratum, Italis *lauoro di ricamo*; ſed in genere quemcunque ornatum qui pro ratione loci, & temporis, ſpecioſiſſimus indumento cuicunque poſſit adiungi.

De hoc ergo ornatu hîc aliquid agemus, qui *recama* Hebræis, italis *ricamo*. Deinde de ornatu *textili*; tum de ornatu per *aſſumenta*.

Ad illa verba Dauidis. [k] Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum lunam, & ſtellas, quæ tu fundaſti. k Pſal. 8. 4.

De ornatu qui punctim in pictis veſtibus acu fiebat: qualis is, & quotuplex, & quatenus in vſu apud Hebræos.

§. II.

HOc genus cultus in veſtibus, Hebræis, Italis, & Hiſpanis רקמה *recama*, *ricamo*, è *recamado*, Latinis *opus Phrygium* nuncupatur, quod Phryges, vt illi putarunt, id primi inſtituerint. Ad quod alludens Tertullianus [l]; *Age nunc*, in- l De velan. virg. c. 1. quit, *ſi ab initio rerum & Mileſij oues tonderent, & Seres arbores nerent, & Tyrij tingerent, & Phryges inſuerent, & Babylonij intexerent, &c. Hac Eua concupiſſet de paradiſo expulſa, iam mortua opinor?* De luxu enim fœminarum ibi agit in veſtibus quem vult interdictum mulieri Chriſtianæ, Deo præſertim dicatæ, & ſignanter dixit, *Phryges inſuerent*; quia illorum putatur inuentum veſti iam textæ varias acu pictutas inducere, non interim dum texuntur, intexere. Vnde clarius Plinius [m]; *acu facere Phryges inuenerunt; ideoque* m lib. 8. c. 48.

Phrygiones

Phrygiones appellati ſunt. Dixi *Phrygum hoc inuentum putari*, quia verè non eſt. Quomodo enim Phrygum inuentum acu veſtes ornare, ſi tanto ante quam Phryges id noſſent, illud erat Hebræis notiſſimum? Nec enim aliter dici poteſt, cum tam frequens in ſacris literis רִקְמָה רְקָמוֹת *ricma*, & *recamoth* veſtes nimirum recamatæ memorentur. Opus autem ipſum quod digitis maximè conficeretur, filis acu traiectis, *opus digitorum* nuncupatur: ad quod illuſio manifeſta fit à Dauide in verbis adductis. *Videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum.* Tam enim ipſe quam alij in ſacris literis ſcriptores, cælos ipſos nobis quaſi veſtimenta proponunt. Cuius? Vel Mundi, qui

a Pſ. 103. 2. cœlo clauditur; vel Dei ipſius, qui cœli [a] lumine veſtiri dicitur ſicut veſtimento. *Ipſi* (inquit ali-

b Pſal. 101. 5. cubi [b] Dauid de cœlis loquens) *peribunt: tu autem permanes: & omnes ſicut veſtimentum veteraſ-*

c Ad Heb. 1. 12. *cent.* Quod clarius etiam Paulus [c] expreſſit, vocans ipſos *amictum Dei*, quem quaſi vetuſtate detritum, vſuve obſoletum, ſit aliquando depoſiturus, quando nouam in faciem cœli reparabuntur. Nec adeo nouum cœlos veſtimenta vocare, vt id etiam Poëtæ non fecerint. Vnde Lucr.

Nec refert vtrum nos in loca deueniamus
Nobis aduerſa, & cœli mutemus amictum.

Iam verò hoc veſtimentum dicit idem Dauid non purum eſſe, ſed ornatiſſimum. A Deo enim confectum & elaboratum opere quaſi Phrygionico, quod Hebraicè, & Italicè dicitur *recamata*, hoc enim ſignificauit dum cœlos appellauit *opera digitorum Dei*, pictos nimirum ab illo digitis ipſius, & varias in figuras; imagineſque diſtinctos, ſicut & veſtes ſolent, quæ hoc artificij genere elaborantur in illis enim variæ figuræ filis acu punctim traiectis exprimuntur; quod totum artificium quia digitorum ope maximè peragitur, *digitorum* etiam *opus* nuncupatur. Ad quod

d Cap. 26. 13. ipſum etiam videtur alludere beatus Iob [d]. *Spiritus*, inquit, *eius ornauit cælos; & obſtetricante manu eius eductus eſt coluber tortuoſus.* Ornauit, Hebraicè eſt שִׁפְּרָה *ſiphra* quod verbum hoc vno tantum loco reperitur, & ab aliis vertitur *pulchefecit.* R. Abraham reddit *decorauit*; expreſſius noſter alludens ad veſtes opere digitorum; acu, filiſque perfectas, *ornauit.* & ſubditur quomodo. *Obſtetricante manu eius eductus eſt coluber tortuoſus.* Colubri nomine reliquæ etiam conſtellationes, & imagines intelliguntur; quas velut in opere Phrygio, & *di ricamo*, vult Iob artificioſe cælis inſutas à Deo, opera digitorum ſuorum, quaſi acu illos pungente. Aptiſſime porro dum manus & digiti figuras illas in telis acu laborioſe depingunt, à beato Iobo dicuntur in lucem illas obſtetricando producere. Propterea autem alibi *digitis* hoc opus tribuitur, alibi *Dei ſpiritui*; quia quod opus acu pingendo, & punctum fit; id ſumma attentione, & digitis fit. Vnde & iſtis tribuitur vt *proximis inſtrumentis*, & ſpiritui, prudentiæque digitos dirigenti. In quem ſenſum di-

e Pſal. 135. v. 5. cit alibi [e] Dauid *feciſſe Deum cælos in intellectu*, artificioſe nimirum illos ornaſſe, quod Italicè dicimus: *con ſommo intendimento, & arte.* Quam artem hic expreſſit, opera digitorum Dei cælos appellando. *Fatti à puncta d'ago, è di dita*, digitis, & acu laboratos, & vt Hebraicè dicitur, recamatos. *Videbo*, inquit, *cælos tuos opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas quæ tu fundaſti.* Rectè *fundaſti*; propriè enim verbum hoc in opere רְקָמוֹת *recamoth*. in eo enim primum tela, velum, aut textum

Sepiau. in Dauid.

aliquod, terſum & purum extenditur; in quo deinde, vt in *fundamento* acu figuræ pinguntur. Et quia poſteriori tempore fere ſemper huiuſmodi opera in aurea tela pingebantur, mediæ ætatis ſcriptores textum eſſe aureum, quod nos *brocatum* dicimus, *fundatum* appellarunt; cuius adeo frequens mentio apud Anaſtaſium in vitis Pontificum, dum illorum donaria refert variis Eccleſiis diſtributa. *Fundatum* ergo, & fundamentum in materia, de qua agimus, eſt tela, quæ pingitur, in qua figuræ, quæ acu & digitis exprimuntur, *fundari* dicuntur. Ad quod interpres noſter aſpiciens, dixit hic, *lunam & ſtellas quæ tu fundaſti*, cùm præmiſiſſet cælos eſſe opera digitorum Dei, laboratos nempe quaſi opere Phrygio, *di ricamo*. Et alibi manifeſta ad hoc ipſum alluſione, cæli ipſi [f] extenſi dicuntur quaſi tela f Pſ. 103. 2.
parata, cui Phrygio opere variæ ad ornatum figuræ imprimantur.

Sed his nobis de hoc cultus genere ſtatutis, tria ſunt breuiter explicanda. Primum quæ opera ſint in ſacris literis hoc artificij genere laborata. Secundum quomodo fierent. Tertium quare Dauid opere Phrygio, dicat cælos effectos.

De primo probabiliſſimum eſt opera omnia *polymita, plumaria, verſicoloria*, quæ Deus in Exodo requirit, ad vſum tabernaculi, aut veſtium ſacrarum, hoc artificij genere conſtitiſſe. Quia in illis omnibus Hebræa vox quæ à noſtro interprete ſic varie vertitur, eſt רִקְמָה *ricma*, vel רְקָמוֹת *recamoth*. quod propriè eſt opus Phrygium. Et ita video grauioribus interpretibus placuiſſe.

De ſecundo opus Phrygium ſic explicatum, dupliciter ſpectari poteſt; ex parte artificis, & ex parte operis effecti. Modus huius operis ex parte artificis, erat & adhuc eſt, vt dicebam, filo ſerico, lineo, aureo, vnius, aut plurium ſubinde colorum per acum in extenſa tela traiectam varias imagines exprimere. Recentiores artifices triplex eius genus diſtinguunt. Cum enim omne huiuſmodi opus appellent punctis elaboratum, aliud dicunt minuto puncto confectum; aliud, duplicato; aliud, ſuſpenſo; de quibus hic nobis ſubtilius non eſt exquirendum. Tantum, quod iam dixi, iterum monebo; Phrygium opus à pictura textili plane fuiſſe diſtinctum. Phrygionia enim inſtrumentum proprium, acus erat; textoria Babylonici pecten, & radij. Titinnij antiqui Poëtæ verſus extant apud Nonnium.

Phrygio fui primo beneque id opus
Sciui; reliqui acus, aciaſque hero,
Atque heræ noſtræ.

Male ergo qui de Phrygionis pictura loquentes, acu dicunt eam veſtibus intextam, ſuendo enim pingebantur à Phrygionibus veſtes, ab Aſſyriis vero texendo; & hinc diſtinctæ inter ſe Babylonicæ veſtes & Phrygiæ; quod cùm eſſent vtræque pictæ, & diſcolores, illæ texturâ, acu iſtæ conficerentur. Vnde locus factus latino prouerbio *rem acu tangere*, quod eſt negotij cardinem planè perſpicere, nihil ne quidem leuiter aberrando. Phrygiones enim acu puncta minutiſſima notare debent, & fila per illa traiicere, nuſquam deflectendo. Dubium verò hic cuipiam ſubire poſſet, an picturæ nomen Latinis à pictoribus an à Phrygionibus ſit deriuatum. Pingere enim tam iſti, quam illi dicuntur; & vt ſupra monui; tam pictæ dicuntur veſtes à Phrygionibus quam à pictoribus tabulæ; niſi quod illæ acu pinguntur, iſtæ penicillo. Vnde fit vt ſine vlla

cuta diſcrimiois pingendi, & picturæ vocabula de vtriſque attificibus vſurpeotur. Hinc illa ſuot.

a Ouid. 6. Metam.

[a] Siue leui teretem vertebat pollice fuſum,
Seu pingebat acu, ſcires à Pallade doctam.

Et Virgilius.

b lib. 11.

[b] Pictus acu tunicas, & barbara tegmina crurum.

Vbi Seruius *acu pictam tunicam* Phrygionis arte confectam interpretatur. Cum igitur tam picta tabula, quam veſtia; ao *pingere* dictum eſt, quaſi *pungere*, & *pictum* quaſi *punctum*; an alia verbo origo à pictotibus & pigmentis eſt aſſerenda? Sed boc, vt alterius auræ, aliis relinquamus; illud tantum monentes io ſacris literis picturæ vocabulum, magis de veſtibus, quam de tabulis vſurpatum.

De modo verò huios operis ex parte ipſius effectus, dicendom illum planè fuiſſe multiplicem, provt varia ſunt, & eſſe poſſoot quæ à Phygiooibus io veſtibus ornandis aco luduntur. Apud aotiquos nihil erat, quod in illis non exprimeretur. Itaque legimus veſtes *virgatas*, *ſurculatas*, *liliatas*, *papaueratas*, *palmatas*, *floridas*; in quibus hæc omnia filis voius, vel plurium colorum erant expreſſa; quæ cuncta Italia vno generali nomioe, *di ricame à fogliami* deſignantur. Vnde fortè, quod vulgo dicitur, deriuatum de illis, qui pretioſas veſtes ſubinde mutant, *che la sfoggiano*. Virgatas apud Silium [c] & alios habemus; in quibus *virga* non ſolùm diuerſis coloribos ſed auro exprimebantur. Vnde ſunt illa accipienda;

c lib. 5.

d Tibul. lib. 2. eleg. 3.

[d] Illa gerat veſtes tenues, quas fœmina Coa
Texuit auratas, diſpoſuitque vias.

Licèt hoc accipi potiùs poſſit de virgis intextis, quam acu pictis. *Surculatas* apud Plinium legimus [e], pro quibos alij malè *ſoriculatas*, quod monſtrum vocis quid ſit; fruſtra quærunt. Do quibus Caleagninus [f].

e lib. 8. c. 48.

f lib. 3. cap. 1.

Maius dubium eſt de *Palmatis*; & ambigendi ratio quod Auſonius io Panegyrico verba refert Gratiani Auguſti, qui illum Conſulem fecerat. *Palmatam*, inqoit, *tibi miſi, in qua D. Conſtantinus parens noſter intextus eſt: hæc eſt picta non magis auro, quam tuis verbis.* Quomodo enim palmata, palmis ſcilicet acu, vel textura pictis ornata; ſi io illa Conſtantinus expreſſus? ſed dicendum *palmatis* iotet alias etiam figuras, exprimi ſolitos, & homioes ipſos. Qood diſcimus ex boc non ſolum loco Auſonij, ſed ex illo Catulli, [g] qui longè ante Auſonium.

g In argonaut.

Hæc veſtis priſcis hominum variata figuris
Heroum mira virtutes indicat arte.

Quin etiam literas, & lemmata varia inſcripta poſſumus ex eo conijcere, qood ad hoc alludens beatus Ioaones dicit [h]. *In veſtimento, & femore Chriſti Domini ſcriptum fuiſſe; Rex regum, & dominus dominantium.* Sed video quid hîc obijci poſſit, agere nos de palmata quaſi Phrygionis opere coofecta; cum tamen Auſonij verba non acu pictam ſignificent, ſed textura. *Palmatam*, inquit, *miſimus, in qua Conſtantinus intextus.* Sed dicendum doo hæc genera veſtes elaboraodi, diſtincta quidem inter ſe eſſe; potuiſſe tamen, & paſſim ſolere in vna & eadem veſte pingenda cooiungi. Itaque palmata poterat aliquando vtroque artificio ſplendere. Et hinc eſt quod veſtes Babylonicæ, pictæ nonnunquam acu dicantur; non quod opus Babylonicum eſſet acu pingere, ſed quod Babylonicis iam textis, acu nouæ figuræ inſuebantur. Nam & Aſſyrios id etiam nouiſſe, illa teſtantur.

h Apoc. 19. 16.

[i] Non ego prætulerim Babylonica picta ſuperbè
Texta Semiramia, quæ variantur acu.

i Mart. lib. 8. epig. 28.

Atque ex his quaoium hallucinentur apparet, qui [k] togam, & tunicam pictam, à palmata, virgataqoe quaſi ſpeciem à ſpecie diſtinguunt. Picta enim toga, vel tunica genus eſt ad palmatam, virgatam, diſcolorem. Itaque palmata omnis, etiam picta eſt, nec aliter ab illa diſtat, quam equus ab animali, & ſpecies à ſoo genere.

k Roſin. Antiq. l. 5. c. 32.

De tertio quare Dauid opere quaſi Phrygio cælos dicat effectos; multa dici poſſunt: præcipoam hic rationem ſignabo, quæ fuit ad amorem Dei erga homioes clariùs exprimendum. In toto illo Pſalmo Dauid de mundi agit opificio [l], quem Deus idcirco coodidit, vt in eo hominem, quaſi io propria domo collocaret. Ponit ergo nobis ante oculos Deum, quaſi hominem, quem creaturus erat, de longè venientem excepturum, ſollicitum, vt illi hoſpitium regiè inſtruat, & apparatiſſimè excipiat accedentem. Inter alia de aulæis cogitaſſe, quibus ipſa domus ornaretur. Hæc autem fuiſſe cœlos, quibus vndique quaſi tot velis dependulis, hæc ingens manſio hominis exornatur. Ob id alibi [m] *cœli dicuntur, vt pelles extenſi*, nimirum in modum ſtragulæ veſtis, quæ parietibus ſuſpenditur ex pellibos confecta. Et hoc ſatis, ſuperque Dei in oos amorem videbatur oſtendere. Adiunctum eſt à Daoide quod erat mirabilius; ipſum Deum, non aliis hoc moous exornandæ hoſpiti ſuo domus mandaſſe; ſed aulæum ipſum pinxiſſe, *opera digitorum ſuorum* quaſi acu traiectum, & varias io figuras artificioſè tranſpunctum. Quod non ſolum operis admirabilem pulchritudinem deſignat; ſed attentionem, curam, ſollicitodinem artificis operaoris. Quæ enim digitis, & acu peraguntur, attentè prorſus, conſideratè, perpensè fiunt vt omoia, quæ ſubtili artificio laboraotur. Vnde apud Salomonem vbi mulier illa laudatur etiam ab artificio Phrygij operis, *& di ricamo*, dicitur [n] *operata conſilio manuum ſuarum.* Prorſus enim ſi vllum aliud opos à fœmina manibus perfectum, conſilium requirit; hoc eſt quo *recamata veſtis* efficitur. Hæc vero omnia fuiſſe à Dauide propoſita, vt inde Dei benignitas planè admirabilis in homines agnoſceretur; illa quæ ſubduntur oſtendunt. *Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum.* Et illico; *Domine, quid eſt homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam viſitas eum.* Quia eſt hic, cui excipiendo tot, & tanta parati; cuius hoſpitio exornando tapetes, aulæa, pelles tuis ipſe manibus opere quaſi Phrygio confeciſti? Sed de his aliàs [o]; noo tamen hic prætermittam longè alia ſe ratione geſſiſſe Deum in hominem ante peccatum & poſt illud. Ante peccatum enim vt illi domum quaſi aulæis veſtiret, Phrygionem egit, vt hic Daoid dixit, quem nos Itali, *ricamatore*. Poſt peccatum verò, vt illum veſtiret, quaſi coriaceum, & pelliſicem ſe geſſit. Ad quid, & vnde taota diuerſitas, alij [p] proſequontur.

l Caſſiod. Pſ. 8. 5.

m Pſ. 103. 2.

n Prou. 31. 13.

o Vide Chryſoſt. hom. 4. ad Hebr. Anaſt. 5. Exhem. Auguſt. Caſſiod. Euſeb. Eugub. Pſ. 8.

p Rupert. 3. in Gen. Ambr. lib. de parad.

* * *

a lib 2.c. 17. 28. Ad locum Regum.

ª Obtulerunt ei ſtratoria, & tapetia,& vaſa fictilia.

De ornatu textili, quo veſtes apud Hebræos variabantur: eſſe in hoc genere quam multiplices,& in quo vſu.

§. III.

BReuiter exponemus quotuplex hic ornatus eſſet;à quibus repertus;quis, in quo vſu, & in quo genere veſtium vſurpatus.

* Aliter *monogrammus.*

De primo;ornatus textilis duplex erat;monocromus *, & polymitus. *Monocromus*, in quo cuncta vnius coloris,& generis filorum; *polymitus*,in quo omnia diuerſa; colores, fila, textura. Nec mouere debet opus polymitum hic inter textilia cenſeri, quod ſupra Phrygij operis eſſe docuimus. Nam pictura textilis à ſutili, non operis qualitate, ſed artificij tantum genere diſtinguitur. Itaque vtrobique figuræ eædem variè exprimuntur;& ſunt, & olim erant *polymita, verſicoloria*; *palmata*, *virgata* tam textæ; quam punctæ. Quia ſpecies omnes, quas acu Phrygio reddit in veſtibus, textura Babylonicus repræſentat. Itaque ſi voces ipſas in Græca, aut Latina interpretatione ſpectemus;cum polymita, multicolor,verſicolor in ſacris literis veſtis occurrit; tam poſſumus intelligere de acu picta & *ricamata*, quam texta & *fatt' à opera*. Dixi *ſi verſiones ſpectemus*; nam vox originalis in Hebræo fonte, vt iam monui Phrygium opus ſignificat, non textum,cum ſemper ſit רִקְמָה, *ricma*, vel רִקְמוֹת *recamoth*:vbi *polymita,varia, diſcoloria* Græca & Latina lectio reponunt. Iam vero ſi de *monocromo*, vel *monogrammo* quæratur; illius inuentum, non Babylonijs,ſed Syriis & Damaſcenis adſcribitur. Hi enim vel primi,vel aliis longè præſtantius hoc artificij genus in veſtibus texendis exercuerunt. Vnde adhuc vulgo damaſcenæ veſtes appellantur,quæ ſerico omnes vnius coloris detextæ,varias tamen figuras ſola artificij varietate repræſentant. Huius fortaſſe generis veſtes illæ fuerunt, quas in Tyrum dicit Ezechiel à Damaſcenis negotiatoribus importatas [b]. *Damaſcenus*, inquit, *negotiator tuus in multitudine operum tuorum, in multitudine diuerſarum opum.* Hic enim *opera*, plerique omnes veſtes artificioſè contextas interpretantur;licet minus appoſitè nonnulli à Tyriis confectas intelligant, cum accipiendæ ſint à Damaſcenis confectæ, & Tyriis importatæ. *Damaſcenus*, inquit, *negotiator tuus in multitudine veſtium tuarum*; non patitur Damaſcenus negotiator multitudinem tibi pretioſarum veſtium deeſſe. *Ti tiene abbondante di damaſchi, è ſete.* Porrò hoc genus ornatus in veſtibus quod vulgo dicimus *fatto à opera*, maximè cernitur in ſerico villoſo,* & Damaſceno. In vtroque enim ſerica fila nunc aptè depreſſa, nunc exſtantia, nunc tenuata, nunc opere ſpiſſo denſata,ſine vlla varietate materiæ aut colorum, varias tamen ſpecies repræſentant: quod ipſum quoque conſpicimus in ſtragulis conuiualibus ex lino. Mappæ enim,mantilia,toralia (quæ corrupta voce *tobalia*)ſunt omnia hoc artificio contexta,vt candida licet ſint;multiplici tamen ſpecie variata cernantur. Hoc texturæ genere non deſunt, qui Chriſti Domini tunicam fuiſſe putent; quæ vt B. Ioannes dicit [c] *inconſutilis erat, deſuper contexta per totum.* Modum enim loquendi ſignificare *monocromam* fuiſſe. Verum nullo id argumento conuincitur: *monocroma* enim fuit, quod vno filorum & colorum genere contexta; non quod vno colore figuræ variæ in ea redderentur: ſaltem talem fuiſſe Euangeliſtæ verba non indicant.

b Ezech 27. 18.

* Villutū vulgus à villis.

c Cap. 19.

Sopran. in Dauid.

Altera ſpecies huius ornatus;*polymiti*; verſicolor,& diſcolor Latinis eſt,propriè *pictura textilis* appellata. Eius inuentum Babyloniis, Aſſyriiſque tribuitur. Tertullianus;*ſi*, inquit,*Phryges inſuerent,Babylonij intexerent.* Et ante illum Plinius *colores diuerſos picturæ intexere Babylonij maximè celebrarunt, & nomen impoſuerunt.* Circumſpecte loquutus hic Plinius. Nec enim primos, aut ſolos Babylonios hoc artificium dicit excoluiſſe; ſed præ aliis celebraſſe. Nam & aliis id vſurpatum, qui etiam eius artificio nobiles habiti ſunt, inter alios Ægyptiis, vt paulo poſt. Et obſeruandum Iacobum [d] qui primus in ſacris literis filio polymitam feciſſe dicitur, ex Aſſyriis oriundum fuiſſe; ex quibus Abrahamum profectum,credibile eſt in familia patriæ gentis artes retinuiſſe.

d Gen. 37.

In quo ergo vſu Hebræis eiuſmodi veſtes, & quales potiſſimum? Primò. Hoc artificij genere vela texta erant,quæ tabernaculo, & arcæ deſeruiebant ornandis,tegendis,inumbrandis [e]. *Facies*, inquit Deus, *vela opere plumario, pulchra varietate contexta.* In opere enim plumario *Phrygionis* artificium ſignatur;in eo, quod adiungitur; *texturis;pulchra*,inquit,*varietate contextum*, non acu pictum. Primus ergo vſus huius ornatus, in ſacris apud Hebræos,& primæ veſtes hoc artificio variæ,*vela*;quæ ſunt, non ad induendum; ſed ad inſternendum. Ideo ſtragulis non indumentis adnumerata.

e Ex. 26. 31.

Secundò. Erant *tapetes*, & inter hos probati maximè qui ex Ægypto, aut ab Ægyptiis, confecti; qui tunc huius artificij laude florebant. Adhibebantur autem ad inſternendum; ornatus non minus cauſa, quam commoditatis. In hunc vſum tapetes erant, quos nunc offerunt amici Dauidi. In caſtris enim tentoria, ſummi Ducis præſertim, tapetibus ſternuntur, & menſæ, & equi. In caſtris autem tunc Dauid acturus erat. Opportunus ergo maximè illorum vſus. Hoc vero genere laboratos fuiſſe tapetes; non dubium. Verba ſunt apud Salomonem [f] procacis mulieris adoleſcentes incautos allicientis. *Intexui funibus lectulum meum, ſtraui tapetibus pictis ex Ægypto.* Tapetes enim omnes in aulæorum genere ſunt;quæ cuncta textili pictura confecta. Sed aulæa magis ad parietes veſtiendos, tapetes ad ſolum,vel alia quibus inſidemus, aut inſiſtimus,inſternenda. Propterea apud Latinos auctores, quæ nos *panni di razza* ſimplici nomine *textilis pictura* notantur;quia omne aulæorum genus hoc picturæ genere variatum textæ nimirum,non acu pictæ. Cicero alicubi [g], *Nego vllam picturam, neque in tabulis, neque textilem fuiſſe;quin quæſierit, inſpexerit, abſtulerit.* Textili ergo pictura tapetes iſti. Iam vero quod eos ex Ægypto memoret illa mulier;id ſignatè factum; quia Ægyptij,& Alexandrini præſertim, præcipui tunc in eo artificio. In quibus quia varias diuerſorum generum bellnas pingebant (nulla enim gens alia magis addicta belluis, quas tot, & tam multiplices adorabat) Ægyptij tapetes *belluati* propriè dicti ſunt, & erant omnino pulcherrimi. De quibus ille.

f Prou. 7. 16.

g Sen. vet.

Neque Alexandrina belluata, conſutaque tapetia. Erant enim Sericis etiam filis intexta, quæ fœminæ Ægyptiæ redordiebantur, ex textrina à Sericibus tranſmiſſa, & in alias veſtes deinde detextis. Ad quod illa Lucani [a] reſpiciunt in cultu Cleopatræ deſcribendo.

a lib. 10. v. 140.

Candida Sydonio pellucent pectora filo
Quod Niloris acu compreſſum pectine ſerum
Soluit,& extenſa laxauit ſtamina velo.

Quod verò tapetibus inſtraſſe lectulum dicit, ad antiquorum etiam vſum reſpexit, qui plurimus in lectulis tapete ſternendis. Cicero [b]. *Collocari iuſſit hominem in aureo lecto ſtrato pulcherrimo textili ſtragulo, magnificis operibus picto.* Quod enim vocat hic Cicero *textile ſtragulum, pictum magnificis operibus*, illud eſt tapete quo mulier infamis ſtrauiſſe dicit lectulum ſuum. Quomodo id? Vt nunc etiam fieri ſolet à viris principibus & quicunque magis delicatè viuunt, circa lectum ipſum pauimento vndique tapetibus inſtrato, ne forte nudum humum pedes attingant, ſi quando ſit è lectulo feſtinantius exiliendum. Opportunè ergo, vt dicebam, tapetes Dauidi nunc ab amicis oblati: iis enim vel caſtrenſis lectulus, vel tentorij pauimentum, vel equi quos inſeſſurus, inſterni poterant. Nam & iſti tapetibus inſternebantur: vnde Virgilius.

b lib. 5. Tuſc.

c Virg. lib. 7.

[c] Omnibus extemplo Teucris iubet ordine duci
Inſtratos oſtro alipedes, pictiſque tapetis

Cæterùm, quod ſuprà dixi de tapetibus *belluatis* Ægyptiorum abſurdum fortaſſe non fuerit, ex illis illuſtrare locum Ezechielis in quo nobis exponendo plerique laborant. Deſcribit enim Ezechiel [d] ea, quæ vidit, impiè & ſacrilegè fieri à primoribus Hebræorum [e]. *Introduxit*, inquit, *me ad hoſtium atrij.... & cum fodiſſem parietem...., dixit ad me, Ingredere....& ingreſſus vidi. Et ecce omnis ſimilitudo reptilium,& animalium, abominatio,& vniuerſa idola domus Iſrael depicta erant in pariete in circuitu. Et ſeptuaginta viri de ſenioribus domus Iſrael, & Iezonias filius Saphan ſtabat in medio eorum ſtantium ante picturas, & vnuſquiſque habebat thuribulum in manu ſua,& vapor nebula de thure conſurgebat.* Rogo enim quomodo picturæ iſtæ poterant in pariete deſcriptæ eſſe, & idololatria eorum alios latere? Deſcribit enim hîc Ezechiel quæ latenter iſti ſacrilegè, & impiè peccabant. At quomodo id occultum; ſi parietes ipſi pictas illas abominationes omnium oculis ingerebant? Fortaſſe quis dicat idololatricum cultum abſconditè illos exercuiſſe; imagines verò ipſas palam habuiſſe, quas nullus, niſi ſceleris particeps, adoratas cognoſceret. At id quomodo; cum interdictus eſſet [f] Iudæis omnis vſus imaginum, illarum præſertim, quibus idola gentium exprimebantur? Expedita igitur hæc omnis intelligendi ratio eſt, ſi dicamus impios iſtos, tapetes habuiſſe ſepoſitos, & *belluatos*, quos cum vellent impia ſua ſacra peragere, parietibus ſuſpendebant; & illis peractis, ne res emanaret, deponebant. At pictura dicitur in pariete fuiſſe, non in aulæis. Verum id eſt; ſed nihil prohibet in pariete dici deſcriptum, quod erat in veſte parietis impreſſum. Sic enim quidpiam dicimus in alicuius humeris inſcriptum, quod eſt in veſte, qua teguntur humeri, exaratum. Eadem enim ratione Chriſtus Dominus dicitur in femore ſuo ſcriptum habere [g]; *Rex regum,& dominus dominantium*; quia in veſtimento id ſcriptum erat, quo femora tegebantur.

d Cap. 8. 6.
e ver. 7.

f Ioſeph. lib. 15. Antiq. c. 12.

g Cap. 19. Apoc. 16.

Tertium locum inter hæc textilia habebant vela iudiciaria, domeſtica, theatralia, & apud veteres Chriſtianos eccleſiaſtica. Velorum enim in his omnibus magnus & frequens vſus apud antiquos. Et obſeruandum inter *aulæa, vela, & tapetes* illud diſcriminis intercedere, quod cùm omnia ſtragulis comprehentur, *aulæa* ſunt magis ad parietes ornandos, vnde nomen ſumpsêre; *tapetes* ad mollius cubandum, ſedendum, inſiſtendum; *vela* ad aëris iniurias, vel aliorum aſpectus arcendos. Itaque *aulæa* appendebantur, *tapetes* inſternebantur, *vela* prætendebantur.

Et primò *iudiciaria*, quæ iudicem, & litigatores, appenſa foribus diuidebant; vel in eadem aula ſuſpenſa, vt ſubinde ſublata, aut demiſſa; vel abducta, aut reducta iudicem conſpicuum facerent, aut celarent. Horum frequens in iure ciuili mentio; & alicubi Theodoſius, & Honorius præcipiunt [h] nauiculariis Africæ de ſubmerſis nauibus *cognoſcendum leuato velo*. Quod eſt ſummatim, & omnibus quorum intereſt admiſſis, cum res longæ moræ dilationes excludat. Aliàs enim cum iuris ordine res agebatur, demiſſo ſemper velo, iudex cum aſſeſſoribus cauſæ momenta tractabat; & poſtea ſublato velo, litigatoribus admiſſis, ſententiam pronunciabat: quod maximè in capitalibus cauſis ſeruabatur. Vt hinc etiam conſtet nihil eſſe iuris ordine peractum cum Chriſtus Dominus adiudicatus eſt morti. D. Baſilius [i]; *qui rerum*, inquit, *in hoc mundo potiuntur, quando facinoroſum aliquem morti ſunt adiudicaturi, cortinas adducunt, & expertiſſimos quoſque ad cauſæ tractationem aduocant, multumque temporis inſumunt, nunc legis vigorem contuentes, nunc naturæ communionem ſuſpicientes, multumque ingemiſcentes, ac iudicandi neceſſitatem deplorantes, &c.* Quare in actis martyrum apud Surium, qui Iudices martyres damnabant velum prius obducere, quam ſententiam pronuncient, referuntur. *Lyſias*, inquit, alicubi [k], *introgreſſus, obduxit velū; & poſt exiens, ex tabella ſententiam recitauit.* Nihil horum à Pilato, cùm Chriſtum Dominum iudicauit. Sed velo ſublato, turba populi circunſeptus, omnia peregit. Niſi fortè velum dimiſiſſe putandus eſt, cum Chriſtum ſeorſim abductum interrogauit. Huius iudiciarij veli figura cernitur in Notitia [l] vtriuſque Imperij Rom. cum inſignia Conſularis Campaniæ repræſentantur. In medio enim diuiſum ad vtraſque partes deducitur, vt conſultandi tempore obducatur; ſententiæ vero ferendæ aperiatur. Chryſoſtomus, [m] *Cum*, inquit, *publicè ſententiam iudices prolaturi ſunt, velamina ſtatores contrahunt, vt ab omnibus videantur.* Statores quos hic appellat interpres Chryſoſtomi, *velarij* poſteriori tempore dicuntur; quorum erat ianuis adſtare, vt velum dimitterent, aut leuarent; vel obducerent, aut deducerent. Cum enim integrum erat à ſtatoribus attollebatur, aut dimittebatur; in medio diuiſum deducebatur, aut obducebatur, prout palam, aut ſecreto quid erat agendum. Vnde orta prouerbialis formula, *quidpiam remoto velo, aut obducto facere*, pro eo, quod eſt, in omnium oculis, vel procul ab arbitris.

h l. penult. C de naufr. lib. 11. & ii Panna Patric. lib. 2. var. cap. 247.

i Ep. 79. ad Euſtath.

k Auguſti 13 apud Sur.

l Imper. Occid. ſub diſpoſ. viri ſpe. Vic. vrb. Rom.

m Hom 57. in 17. Matt.

Secundò. Erant *vela domeſtica*: multiplici quoque ipſa in vſu; ſed præſertim ad oſtia & fores nobilium; non ſolum vt aura violentior excluderetur; ſed vt exterorum aſpectus arcerentur. Id quod etiam noſtro tempore ſeruatur. In

huiuſmodi

huiuſmodi velo foribus obtento, Claodius qui mox regnauit, Caligula interfecto, eſt occultatus, inde ad Imperium eatractus. Suetonins. *Prorepſit*, inquit, *ad ſolarium proximum, interque prætenſa foribus vela ſe abdidit.* Et de Helingsbalo ad mortem quæſito Lampridius, *ſubito militum ſtrepitu exterritum, in angulum ſe condidit, obiectuque veli cubicularis, quod in introitu erat cubiculi ſe texit.* Et hic vſus magis ad extraneorum aſpectum prohibendum: in tricliniis verò, & ſolariis, etiam feneſtras, & patentiores aditus inumbrabant ad ventum defendendum. Seneca; *Quamuis*, inquit, *cœnationem velis & ſpecularibus muniant, & igne multo doment hyemem*; ad auram enim frigidiorem reparandam vela iſta in cœnationibus appendebantur; de quibus illud Martialis.

Accipe quæ nimios vincant vmbracula ſoles,
Sit licet & ventus, te tua vela tegent.

Eadem enim vela contra ſoles pariter, & ventos parabantur. Eorum autem in iure ciuili frequens mentio; quæ veſtibus etiam computari dicuntur, & inſtrumento domeſtico cùm legantur.

Tertio erant vela theatralia, & quæcumque vento, ſoli, aut aliis cæli iniuriis arcendis publicè prætendebantur. De quibus illud intelligendum

a Cap. 27. 7.

quod habet Ezechiel [a] de velis Tyri. *Byſſus*, inquit, *varia de Ægypto texta eſt tibi in velum, vt poneretur in malo.* Licet enim de velis ad nauigia plerique hæc intelligant; aptius tamen eſt vt de velis theatralibus aut [b] ſimilibus intelligantur: hæc enim varia erant pretioſa, & verſicoloria; nautica vero alba tantum, nec delicato lini genere contexta. Subdit enim ibi Ezechiel ianthina, & purpurea hæc vela fuiſſe: quia ſic colorata vela theatris, aut publicis viis ad pompas, & ſpectacula prætendebantur. De quibus ſunt illa Lucretij.

b Theodoret. hic.

c lib. 4.

[c] *Et vulgo faciunt id lutea, ruſaque vela,*
Et ferruginea; magnis cum intenta theatris
Per malos vulgata, trabeſque trementia pendent.
Namque ibi conſeſſum caueai ſubter & omnem
Scenalem ſpeciem Patrum, matrumque deorumque.
Inficiunt, coguntque ſuo fluitare colore:
Et quanto circum mage ſunt incluſa theatro
Mania; tam magis hæc intus perfuſa lepore,
Omnia corrident concepta luce diei.

Ex quibus vela byſſina Tyriis ab Ægypto tranſmiſſa quid, & ad quid eſſent intelligi poteſt. Erant enim pictura textili confecta. *Pictura*, quia byſſus ea qua illa conſtabant, varia fuiſſe dicitur ab Ezechiele. *Textili*, quia ſubditur ea texta fuiſſe. Varia autem tela & veſtis, eo ipſo pictura textili conſtat; quod varia, & texta. Picturam autem variabant licia varij coloris; *lutei, ruſi, ferruginei*, vt hic Lucretius; & vt Ezechiel, ianthini, & purpurei. *Malo* vero ſuſpendebantur, non nautico, ſed theatrali, vt habet expreſsè Lucretius. Lignea enim quæcunque trabs in qua directè ſtatuta vela ſuſpenduntur, *malus* Latinis dicitur. Propterea Ezechiel *texta eſt tibi in velum vt poneretur in malo*. Et Lucretius.

Per malos vulgata, trabeſque trementia pendent. Idcirco autem verſicoloria fiebant; vt non tantum ſolem, pluuiam, ventos arcerent; ſed vt maiorem etiam ſpectaculo gratiam conciliarent. Lux enim ſolis per picta vela tranſmiſſa totam theatri caueam verſicolore lumine replebat; & inde

——Intus perfuſa lepore
Omnia ridebant concepta luce diei.

Et hæc de velis publicis & theatralibus. Cubicularia autem, de quibus paulo ante diximus, ab Ægyptiis etiam non minus pretioſè confecta, Martialis illa teſtantur; in quibus cubicularia polymita deſcribit [d].

d lib. 14. Epigr. 150.

Hæc tibi Memphitis tellus dat munera; victa eſt
Pectine Niliaco, iam Babylonis acus.

Huic diſticho lemma præfixum eſt *cubicularia polymita*. Per quæ vela intelligit cubiculis inſeruientia ad fores, feneſtras, aditus obtegendos; & erant omnia pictura textili laborata multo ſubtilius, quam Phrygionis opere Babylonij ſolerent. Quibus hic à Martiali non Phrygibus acus adſcribitur in veſte pingenda, dum dicit. *Niliaco pectine victam Babylonis acum.* Quod ipſum lucem affert iis quæ ab Ezechiele dicuntur de Ægyptiæ texturæ præſtantia & Ægyptiorum peritia in velis ſiue cubiculariis, ſiue theatralibus conficiendis.

Quartò deuique generis huius erant eccleſiaſtica vela. De quibus fuſe Baronius [e] in Annalibus: eorum præcipuus vſus in templorum liminibus quibus inumbrandis, aut alia de cauſa prætendebantur. Et erant aliquando *monocroma* ninea tota. Vnde Paulinus de Eccleſia S. Fœlicis [f].

e tom. 4. an. Chriſt. 382.

f Nat. 9.

Aurea nunc niueis ornantur limina velis.

Aliquando textili picturæ genere variata vt idem.

Vela ferant foribus; ſeu puro ſplendida lino
Siue coloratum textum fucata figuris.

Quorum iſtæ figuræ? Vt plurimum illorum ſanctorum quibus dicarentur, vt indicat Venantius [g] Fortunatus; & huius generis vela illa omnia fuiſſe putandum eſt, quæ ſparſim Anaſtaſius in toto opere [h] recenſet; dum munera, & donaria variis in vrbe Eccleſiis diſtributa numerat. Hauſtum verò id ex veteri eccleſia Hebræorum, in qua Deus velum foribus tabernaculi prætendi mandauerat, mira varietate contextum.

g lib. 2. Car.

h In vit. Pont.

Ad verba Chriſti.

[i] Nemo immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus.

i Matth. 9. 16.

De veſtis ornatu qui per aſſumenta fiebat, & eius multiplici ſpecie apud Hebræos.

§. IV.

TErtium caput eorum, ad quæ diximus ornatum variæ veſtis poſſe reduci, eſt cum textum texto, pannus panno ſuperinſuitur. Ad quod Chriſtus verbis propoſitis alludit apud Matthæum, & clariùs apud Marcum [k] *nemo aſſumentum panni rudis aſſuit veſtimento veteri.* In hoc enim operis & artificij genere, veſtis quæ per *aſſumenta* variabatur, & fundamentum operis erat, non attrita eſſe debebat, ſed paris cum aſſumento firmitatis, aut longè maioris: quod ſi aliter fieret, opera & oleum perdebatur; cum fundamentum ornatus difflueret, & ſecum ſimul quod aſſutum fuerat ornatus gratia corrumperet. Etſi verò Chriſtus Dominus hîc videatur loqui de veſte ſarcienda, non ornanda, totum tamen exemplum ab hoc genere variandi veſtes

k Marc. 2. 21.

aſcitum eſt; in quo licet pannus aſſutus, pretioſior vt plurimum eſſet veſte, cui aſſuebatur; vt illa iudicant nobilis Poetæ,

Purpureus latè qui ſplendeat vnus, & alter
Aſſuitur pannus——

Semper tamen eui aſſumentum immittebatur, firmius & recentius, aut minimum æquè recens, vt aſſumentum ipſum eſſe debebat. Senſus ergo verborum Chriſti eſt, neminem ſiue ad ornandum, ſiue ad reſarciendum, recentem & nouam veſtem corrumpere, fruſtum ex illa reſcindendo, vt veterem ornet, aut farciat. Quem ſenſum cla- a Cap. 5. rè præferunt verba, quæ Lucas [a] refert. *Nemo commiſſuram à nouo veſtimento immittit in veſtimentum vetus. Neſſuno guaſta vna veſte nuoua, per ornarne, ò raperzarne vna vecchia.* Vnde ſob- b Ibid. verſ. 36. ditur à Luca [b]; *Alioquin & nouum rumpit, & veteri non conuenit commiſſura à nouo.* Quod eſt; vtrumque corrumpit, ſicut de illo dictum eſt, qui ex Senatore Monachus effectus; inter Monachos tamen delicias conquirebat. *Senatorem perdidiſti, & Monachum non feciſti.* Sed hunc ſenſum quem clarè præferunt verba B. Lucæ, turbant non nihil Marcus, & Matthæus. Apud Matthæum enim cum Chriſtus dixiſſet; Nemo mittit aſſumentum nouum in *veſtem veterem*; ſubdit; *Tollit enim plenitudinem eius à veſtimento, & peior ſciſſura fit.* Apud Marcum vero; *Alioquin aufert ſupplementum nouum à veteri; & maior ſciſſura fit.* Quæ enim & cuius hæc *plenitudo*, & hoc *ſupplementum?* Aut quomodo hæc cum ſenſu plane perſpicuo conſentiunt, quem ex c Mat. 2. d Barrad. Concor. tom. 2. lib. 5. c. 23. Luca protulimus? Varij varia. Theophylactus [c] quem recentiores [d] ſequuntur, dicit *aſſumentum* nouum firmitate ſua veſtem attritam diſcindere, ſi illi committatur. Et hoc ſignificare Chriſtum e Mar. 2. dum dicit [e], *Alioquin aufert ſupplementum nouum à veteri:* Sed hunc ſenſum Chriſti verba non capiunt. Neque enim dicit, *Aſſumentum auferre veſtem veterem*, quod iſti interpretantur reſcindere firmitate ſua; ſed ipſum *aſſumentum* eſſe id quod aufertur, vt clarè verba indicant apud Mat- f Cap. 9. thæum [f]. *Alioquin aufert plenitudinem eius à veſtimento.* Quam enim *plenitudinem* vocat hic Matthæus *ſupplementum* Marcus appellat: & eſt vtrumque id quod aufertur, non quod aufert. Qui enim *aufert & tollit*, eſt qui commiſſuram immittit. Et ſane verba Matthæi nihil ambiguitatis habent. Eundem enim ſenſum exertè præferunt, quem Lucæ verba ſignificant. *Tollit enim plenitudinem eius à veſtimento, & peior ſciſſura fit.* Quis tollit? Qui nouum veſtimentum ſcindit, vt vetus ornet. Vtrumque enim perdit, & corrumpit, dum à nouo aufert, quod veteri immittat. Sed Marci verba plane turbare videntur. Nec enim dicit, qui tollit *aſſumentum* à nouo; maiorem ſciſſuram facere; ſed qui tollit *à veſte veteri.* g Mar. 2. 21. Quod non apparet quomodo intelligendum [g]; *Alioquin*, inquit, *aufert ſupplementum nouum à veteri, & peior ſciſſura fit.*

Aliud ad hæc dici non poteſt, quam Marcum non oppoſitum aliis narrare; ſed illud ipſum quod illi dixerunt, clarius explicare. Qui enim ſic veſtes ornant, aut farciunt; maiorem ſciſſuram facere omnes Euangeliſtæ dicunt: quia nouam veſtem & veterem ſimul corrumpunt. At Marcus hoc amplius, quomodo vetus hac ratione perdatur exponit. *Aufert enim*, inquit, id eſt cogitur paulo poſt auferre nouum aſſumentum à veteri, cui illud inſuerat, & fit duplicata iactura; veſtis nouæ, quam ſcidit; & veteris, quæ maiori ſciſſura dirompitur. Quare autem cogatur illud auferre; illud in cauſa eſt; quod Euthymius, & alij adducunt, & nos ſuprà indicauimus. Quia firmitate ſua pannus aſſutus veterem deterit, & arrodit. In hoc illi probandi ſunt. in eo autem quod *aſſumentum, plenitudinem, ſupplementum* volunt eſſe id quod aufert & tollit, id eſt corrumpit veſtem veterem, omnino non ſunt audiendi. Clarè enim noſter interpres aſſumentum eſſe id quod aufertur indicauit apud Matthæum, dum tranſtulit illud in accuſandi caſu, non nominandi. *Tollit*, inquit, *plenitudinem eius à veſtimento.* Non ergo, *tollens*, eſt *plenitudo, ſupplementum, aſſumentum*; ſed ipſa tolluntur.

Alij tamen clari nominis [h] Interpretes *plenitudinem* apud Matthæum, & *ſupplementum* apud h Malden. Matth. 9. 16. Marcum, non *commiſſuram & aſſumentum*; ſed id, quod integrum in veſte veteri remanſerat, interpretantur; quod dicunt ab aſſuto panno *auferri*, corrumpi nimirum lacerari, & arrodi. Quem ſenſum probant ex ſequenti exemplo noui vini, veteres in vtres immiſſi. Sicut enim hoc vtres dirompit, ſi veteres ſint; ſic nouum aſſumentum reliquam veſtem, ſi attrita ſit. Sed primus ſenſus planiùs omnino videtur. Primò quia *ſupplementum & plenitudo* manifeſtè ipſa commiſſura appellatur; ab eo quod ſupplet & implet, ornando, aut farciendo *ſupplementum* dicta, & *plenitudo*. in quo cum veteribus explanatoribus recentiores conſentiunt; cur autem quod in veſte veteri ſanum remanſerat, *plenitudo* dicatur, aut *ſupplementum*; nulla poteſt ratio probabilis afferri. Secundò durè nimis *auferre, & tollere* exponitur pro eo quod eſt lacerare, deterere, arrodere. Primus ergo ſenſus retineatur.

Sed iam ad ornatum ipſum ea aſſumentis; cuius occaſione verba hæc, quæ ad illum alludunt, paulò liberius excuſſa ſunt. Eius duplex ſpecies erat. Altera tantùm in extremitatibus, à qua veſtes propriè dicebantur *prætexta*; altera per totum æquè diffuſa; ſecundùm quam dicebantur propriè *ſegmentata.* De qua vtraque breuiter hîc nonnulla notanda.

Prætextæ ergo veſtes, erant ad oras alio genere texti variatæ; quod illis inſuebatur eiuſdem vel alterius cum tota veſte coloris; & diſtinguebatur in *inſtitas, funiculos, limbos, vittas*; quæ nunc omnia noſtro tempore promiſcuo nomine *trine, & paſſamani* dicuntur. & *fimbrias, lacinias; oras, alas*; quæ nunc *frange*, plerumque totas inſutas; aliquando à veſtis extremo dependulas. Vnde & in ſacris literis ipſæmet *fimbriæ* nonnunquam *veſtis ora* dicuntur vt cum Dauid abſcidiſſe dicitur [i] *oram clamydis Saulis.* Laciniam enim i Cap. 17. fimbriatam; & interſectam abſcidiſſe putandus eſt.

Prætextæ verò veſtes, à quibus eas induti *prætextati*, Romanis antonomaſticè dicebantur, quæ *limbo & inſtita purpurea* ſubſutæ erant, propriæ magiſtratuum, & puerorum. Quorum quia maxima debet eſſe cura pudoris, factum vt *prætextata verba* dicantur, quæ procul ab omni impuritate, & obſcœnitate remota ſunt; vt alicubi Macrobius, & Feſtus obſeruant. Quod ſi aliquando verba prætextata, pro impuris appellantur; id per antiphraſim debet intelligi.

Apud Hebræos prætextæ veſtes etiam erant; ſed in vſu maximè *fimbriatæ*; quæ vittas non

habe

habebant, ex toto commiſſas & inſutas; ſed ab extremitate dependulas. Et aliquando veſtium *alæ* in ſacris literis appellantur, vt apud Ieremiam.[a] *In alis tuis inuentus eſt ſanguis animarum pauperum, & innocentium; non in foſſis inueni eos, ſed in omnibus his.* Sermonem enim hic eſſe de veſtium fimbriis Hebraicus textus conuincit, qui habet; *In oris veſtimentorum tuorum inuenti ſunt ſanguines animarum pauperum.* Quod eſt veſtes tuæ ſanguine tinctæ pluſquam cocco: ex fimbriis tuis ſanguis guttatim fluit pauperum, quos occidiſti. Niſi malimus ſignificari à Ieremia veſtes illas pretioſas, quibus inflati diuites incedunt, eſſe totas ex ſanguine pauperum, quos illi *deuorant, vt eſcam panis.* Quorum dum mercedes retinent, aut defraudant, ſudores, immo ſanguinem retinent quo veſtes illorum totæ ſcaturiunt. *Totæ inquam:* quod ſignificat in ora ſanguinem reperiri. Tantum nimirum eſſe, vt ad oras vſque perueniat & fimbrias veſtimentorum. Largam enim liquoris alicuius effuſionem & copiam, per illius ad oras veſtimenti defluxum ſcriptura[b] ſignificat.

a Cap. 2.

b Pſal. 132. 2.

Appellantur præterea diſtincto nomine *fimbriæ*, quibus vndique Iudæorum pallia ex Dei præcepto circundabantur.[c] *Funiculos,* inquit, *in fimbrijs facies per quatuor angulos pallij tui.* Et ante[d] iam iuſſerat, *loquere filijs Iſrael & dices ad eos, vt faciant ſibi fimbrias palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas.* Fuiſſe autem fimbrias iſtas dependulas, vt ſunt quas Itali vocant *frange*, ex Hæmoroiſſa colligimus, quæ retrò accedens[e] tetigit fimbriam veſtimenti Chriſti. In fimbriatis enim veſtibus etiam Chriſtus inceſſit; & æquum erat, ne daretur aliis occaſio illum carpendi, quod Dei præcepta contemneret; in quibus Phariſæi magnificè ſe vendirabant. Vt enim diligentiores quàm reliquos in legis ſe cuſtodia probarent; fimbrias iſtas non ſolum geſtabant, ſed iis longè latéque deductis, etiam ſolum verrebant. Porrò quod vitta hyacinthina dicitur in illis ponenda; duplicem ſenſum poteſt habere. Primus eſt, vt ipſæmet fimbriæ, vittæ dicantur. Secundus, vt in ipſis fimbriis vittæ ponantur, & ſit duplicatus ornatus; aſſutis primò fimbriis ad ipſas veſtes; deinde, fimbriis ipſis ad vittas adiunctis. Vtrum autem ex his dicatur; ſua probabilitate non caret. *Vitta* verò, quod in vulgata vertitur, Hebraicè פְּתִיל *petil*, ad verbum ſignificare volunt filum retortum & duplicatum, qui[f] ſubtilius iſta deſquirunt. Quod ſi eſt; *vitta* hoc loco illud ipſum eſt quod Italis *paſſamano*, conſtans ex filis ſericis duplicatis, & variè inter ſe, opere reticulato contortis. Et hæc *de prætexta*, cuius ornatus in aſſumentis erat, quæ extremitatibus adiungebantur.

c Deut. 22.

d Num. 15.

e Matth. 9.

f *Pagnin. in lex.*

Altera ſpecies erat, qua tota veſtis alterius panni ſegmentis inſutis, variè diſtinguebatur; de quo genere ornatus hic aliud dicendum non ſuppetit, niſi fuiſſe illum frequentiſſimum in velis domeſticis, præſertim quæ foribus prætendebantur. Hæc enim etiam noſtro tempore videmus hoc maximè genere artificij variari, cùm fruſta diuerſa variorum colorum apte diſſecta ſimul componuntur; & diuerſas deinde ſpecies ſubiectis velis aſſuta repræſentant; nunc animalia, nunc frondes & flores, nunc inſigna familiæ; quod ipſum in ſegmentatis antiquorum veſtibus ſeruatum. Cui veſtium generi probabiliſſimum eſt laticlauum veterum Romanorum annumerandum. Erat enim veſtis hæc ſegmentis alterius panni diſtincta, quæ in modum claui rotundata, æque tota veſte diſpergebantur.

Ad verba Ezechielis.

[g] Syrus negotiator tuus propter multitudinem operũ tuorum & gemmam, & purpuram & ſcutulata, & byſſum & ſericum.

g Cap. 27. 16.

Scutulata quod genus veſtium eſſent, & quo maximè operis artificio confecta.

§. V.

QVid *ricma*, vel *recamoth* ſit, pro quo noſter interpres & aliquando D. Hieronymus *ſcutulata* vertunt, ſupra docuimus. Quid verò ſint ipſa ſcutulata; ſi Latini nominis vſus inquiritur, hic exponemus. Ea de re mirum eſt quanta contentione ſit inter litteratores noſtri ſæculi diſceptatum: tota vero controuerſia ad duo capita reducitur; quid eſſet in illis expreſſum, & quo genere artificij; textura ne, vel acu eſſent elaborata.

Sunt ergo qui ſcutulatam veſtem operis eiuſmodi fuiſſe putent, qualis eſt noſtrum ſericum damaſcenum. Hadrianus[h] Iunius, alioquin damnatus auctor, *Veſtis,* inquit, *ſcutulata, textura plagis diſtincta, quales in aranearum telis viſuntur, non malè damaſceni operis veſtes, quæ vulgo di damaſco, ad ſcutulatam quæ variis formis luxuriat, referri poſſe videtur.* At Hermolaus Barbarus aliter explicat. *Scutula,* inquit, *& ſcutella, non modò vaſis genus eſt Latinis, cæteriſque; ſed quicquid ad illam ſimilitudinem formatur; vt in arboribus cum ſcutula præcipitur eximi inoculationis eius gratia quæ vocatur emplaſtratio, aliud non eſt, quàm partem corticis ſpecie ſcutulari detrahere, in cuius locum imprimi, & aptari queat par cortex ex arbore altera. A ſcutula autem ſcutulata veſtes, ſicut ab vngulis vngulatæ.* Sic Hermolaus. At Cælius conuenit etiam à *ſcutulis*, in quo omnes cum Plinio conſentiunt, appellari ſcutulata. *Quales, autem eſſent ſcutulæ, non videor,* inquit, *tibi ſignificare melius poſſe, quam ſi aranearum telas oſtendero, quas illi ſcutulatas ad capiendum muſcas circa graſſantes, mira arte ſuſpendunt.* Ab hac ratione explicandi propè abeſt Lazarus Baifius. Similiter enim *ſcutulatam* veſtem explicat à *ſcutulis* aranearum, quibus ſuas illæ telas intexunt. Antonius[i] verò Nebriſſenſis in ſua Quinquagena ſelectorum locorum ex ſacra Scriptura, quam ad editionem Complutenſem illuſtrandam, Ximenio Cardinali obtulit editionis auctori, *ſcutulatam veſtem* dicit ex Varrone, *ſcutulis* eſſe diſtinctam; ſcutula autem iſta quomodo eſſent effigiata; nondum apud alios liquere; An videlicet colorum varietate, an liciorum permutatione, nunc expreſſa, nunc depreſſa; vt in mappis fieri videmus; Sibi verò certum eſſe ſcuta illa ex ioanitate filamenti, & liciorum ſubductione in maculas eſſe formata. *Quemadmodum,* inquit, *etiam nunc videmus, ex filorum inciſione ſyndones & mantilia in varias picturas foraminari.* Sic iſti, & alij aliter poſt illos. Ex quorum verbis colligimus duplicem ſententiam de *ſcutulatarum* artificio; & triplicem de *ſcutularum* figura. De *artificio*; nam alij volunt texta fuiſſe; alij, licet obſcurè, indicant ſegmentata, aſſutis nempe ſcutulis variatas.

h *In ſuo Nomencl.*

i *Adnot* 38.

De

De *figura verò ſcutularum*, quæ in illis expreſſa; volunt alij fuiſſe quadram, alij rotundam, alij rhombi figura lauri folio perſimili: texturam verò ipſam; alij plenam fuiſſe volunt; ſolus Nebriſſenſis opere reticulatu pes ocellos, plagulas, foramina dehiſcentem: quod genus texturæ Caietanus, & alij in veſtibus ſummi ſacerdotis agnoſcunt, quas oculatas appellant, à foraminibus inſtar oculorum in texendo relictis. Mouetur autem Nebriſſenſis, quod Hebræa vox *ricma* & [a] *lircamoth*, quam noſter vertit *varietatibus*, Hieronymus *in ſcutulatis*, ad verbum ſignificat *in vacuitatibus*. Quid ergo dicendum?

a Pſal. 44.

Si licet in magno de ra tenui diſſidio mihi velut honorario arbitro, ſententiam quoque meam interponere, probabiliſſimum puto ex genere ſegmentatæ veſtis *ſcutulata* fuiſſe. Cuius ornatus in aſſumentis alterius panni ſitus eſt artificioſè diſpoſitis. Ipſas vero ſcutulas aſſutas, rotundæ figuræ fuiſſe puto in oblongum vergentis, qualis erant antiquorum ſcuta, & non abſimilem lauri folia repræſentant; Magnam autem habuiſſe cognationem cum latoclauo; niſi quod in homine ſegmenta claui figura diſſecta, purpurea omnia ſunt; in ſcutulatis vero plurium colorum; ratione cuius varietatis D. Hieronymus [b] vertit *ſcutulata*, quod in vulgata eſt, *in varietatibus*. Quod autem Nebriſſenſis, & alij mouentur, ad aſſerendum *ſcutulata*, reticulato opere conſtare; quia Plinius araneam ſcutulatorem dicit, *ſcutulato rete ſuos caſſes intexere*, nihil id eſt. Nec enim ſcutulatum rete dixit, quod ſcutulata veſtis in modum retis contexta ſit; ſed quod opus aranearum in plagulas, & maculas, orbibus ſe mutuo ſecantibus & ſubeuntibus circinetur. Nullæ ergo *vacuitates*, nulla foramina in opere ſcutulato; ſed vario textu, vel aſſutura in eodem panno ſcutulæ ſubinde varij coloris diſpoſitæ. Quod non melius intelligitur, quam ex equi colore, quem Palladius appellat ſcutulatum, vulgo *pomelè*. Nec enim cuipiam venire poteſt in mentem equum *ſcutulatum* dici, quod variæ in eo vacuitates, & foramina pateant opere reticulato: ſed quod orbiculatibus ſubinde maculis, ſit aptè diſtinctus, vnde etiam *varius* appellatur.

b Pſal. 44. 15.

c li. 2. c. 20. 8. — Ad illa verba Regum.

[c] Porro Ioab veſtitus erat tunica ſtricta ad menſuram habitus ſui, & deſuper accinctus gladio dependente vſque ad ilia in vagina; qui fabricatus leui motu egredi poterat, & percutere.

De varia forma veſtium, quibus olim populus Iudaicus vtebatur.

Disputatio II.

HÆc accurata tunicæ deſcriptio, qua Ioab induebatur, & forma veſtitus ipſius adeo ſubtili narratione propoſita, nobis occaſionem præbet, vt Hebræorum veſtium materia ſuperiori diſputatione tractata, tranſeamus ad illarum formam adiſſerendam, quod in hac diſputatione exequemur.

Forma veſtium ex doplici capite ſpectatur; ex vſu, quem præbent; & ex parte corporis cui concinnantur. Rerum enim artificioſarum forma ex fine quem reſpiciunt, & in quem potiſſimum deſtinantur, vt Ariſtoteles docet, & res ipſa loquitur, deſumi debet. Finis autem veſtium vſus eſt, quem ſingulæ præſtant, huic, vel illi parti corporis inſeruiendo. Ex partibus ergo corporis, quibus aptantur; & ex modo, quo illis aptantur, ineſt vnicuique forma, qua conſtant. Ex hoc igitur ſpectatæ veſtes, aliæ ſunt ad totum corpus tegendum aliæ ad certas partes. Ad *corpus*; (ſic appello, quod etiam vulgo ſolet, totum quod vitalia membra complectitur) ſunt togæ, pallia, pallæ, trabeæ, tunicæ, & in his variæ earum ſpecies inter ſe deinde diuiſæ penes vſum, quem præſtant: nam quæ tantum *ſuperinijciuntur*, amictus ſunt; vt toga, pallium, palla. Quæ *inſeruntur*; indumenta, vt tunicæ. Ad certas partes attributæ variè diuiduntur; vt, aliæ ſint ad caput, aliæ ad fauces, aliæ ad aures, aliæ ad thoracem, aliæ ad alias. Commodioris ergo explicationis gratia, dimiſſa ſubtiliori diuiſione, ſubtilius hæc inquirentibus, hanc ſequemur ex partibus corporis deſumptam, quibus aptantur; à Capite exorſi, & veſtibus illius cauſa, vſuique paratis.

Ad verba 2. Regum.

[d] Porro Dauid aſcendebat cliuum oliuarum, ſcandens, & flens, nudis pedibus & operto capite; ſed & omnis populus, qui erat cum eo operto capite aſcendebat plorans. d Cap. 15.

De variis capitis integumentis apud Hebræos.

Capvt I.

EA quibus olim capita regera ſolebant, multiplicis planè generis erant: de quibus antequam quidpiam exponamus, in vniuerſum quærendum videtur in vſu ne antiquis eſſet, vt recepto more ſolemus, incedare tecto capite, vel nudato?

Antiqui Hebræi tecto ne, an aperto capite eſſent in communi vita?

§. I.

IN communi vita dico. Nam dubium non poteſt eſſe quin aliquando tegerent; in itinere, in pluuia, in ſole. Tota igitur inquiſitio eſt de communi ratione agendi; an ſicut nunc ſolet, tecto capite agerent, an intecto.

Sunt qui [e] hoc ſecundum putent, & probari poteſt. Primo ex hoc loco regum, in quo Dauid & populus omnis præterquam aliàs ſolerent, & extra morem, operto capite inceſſiſſe narrantur: ex quo validum argumentum ſumitur ad hoc probandum. Habitus enim lugentium quotidianus non erat, nec eſſe ſolet; & apud omnes gentes, omni tempore longè diuerſus ſemper aſſumptus eſt, & aſſumitur, ab eo qui in communi vita adhiberur: ſed in luctu caput operiebant Hebræi; reliquo ergo tempore aperto erant. Operuiſſe autem in luctu; conſtat hic ex Dauide, & iterum infra in [f] morte Abſalonis; & ex illo Ieremiæ [g] *Luxit Iudæa, & clamor Ieruſalem aſcendit, &c. confuſi ſunt & afflicti, & operuerunt capita ſua ..... quia non venit pluuia in terram, confuſi* e Sanc. A. c. 19. n. 16. f 2. Reg. 18. g Cap. 14.

ſunt

Digitized by Google

ſunt agricolæ, & operuerunt capita ſua. Secundò. Probatur, quia frequens erat Hebræis vſus vnguentorum, florum, coronarum in capite. Quomodo ergo non illo nudato erant, & intecto? ſuper Domini caput vnguentum[a] effuſum eſt. An id non contumelia fuiſſet, ſi tectum Chriſtus caput habuiſſet? Ad hæc Abſalom regius filius incedebat[b] aureo capillo latè diffuſo; quo etiam ramis implexos poſtmodum[c] pependit. Quomodo ergo vllum poterat, vt nunc ſolemus, capitis tegmen geſtare? Similiter equites illi prætoriani de quibus Ioſephus, & nos ſupra diximus, quomodo poterant pileum, aut galericulum habere, quorum late cæſaries fluebat auri ramentis vndique reſperſa? Denique Phariſæi, vt auctor eſt Hieronymus, philacteria, ſiue membranulas in quibus legis præcepta deſcripta erant, in fronte ligabant, & in modum coronæ complicatas capite circumgerebant. Qua id ratione poterant, ſi pileum etiam geſtabant? Tertiò. Idipſum ex aliarum gentium ritu & exemplo probari poteſt, maximè Romanorum; ſub quorum imperio Iudæi. Romani enim in vſu quotidiano nudo capite erant; quod dubitari non poteſt. Cur ergo non ſimiliter Iudæi, qui victi à Romanis eorum mores in vita ciuili debebant induere; alioquin quæ indignitas, ſi Syriæ & Iudeæ Præſides, cumque iis ſatellitium prætorianum, totaque domeſtica cohors Romanorum nudis capitibus inceſſiſſent, & Iudæi illorum mancipia tectis interim agerent, & in publicum prodirent? Quartò denique nulla in vniuerſa ſacra ſcriptura pileorum mentio, aut alterius operimenti, quo Iudæi in quotidiana vita caput obtegerent. Intecto ergo agebant.

a Matt. 26. Mar. 14.
b Cap. 14. 24. lib. 2. Reg.
c Ibid. c. 15.

Sic iſti. Aſt aliis[d] contra videtur Iudæos olim, vt nunc paſſim ſolamus, tectum caput habuiſſe in communi victu. Probant, primò quia leproſus intecto capite prodire, & eſſe iubetur[e]. Quorſum id, ſi commune omnibus? Secundò ſummo ſacerdoti[f] præcipitur ne caput ſuum diſcooperiat, aut veſtimenta ſcindat in aliorum funere, cùm aliis id permittatur. Erat ergo ſuetum promiſcuè tecto capite degere, quando illud ſummo Sacerdoti diſcooperire negatur, aliis conceditur. Tertiò denique D. Paulus[g] viris in oratione præcipit *non velare caput*: ad quid id præcipere, ſi ſuo tempore in quotidiana vita, non velato prodibant? An periculum erat, ne qui ſemper intectum caput habebant; illud obtegerent oraturi Deum? Quid ergo dicendum? Reſponſionem meam per hæc capita ſignabo.

d Abulen. in cap. 53. leu. q. 10.
e Leuit. 13.
f Leuit. 21. 10.
g 1. ad Corinth. 11. 3.

Primum in communi vita Iudæi capite erant intecto; & tamen illud identidem pro vt variè caſus opportunitatis exigeret, obtegebant. *Intecto erant*; quia ſemper nudo; nec vllo certo genere tegminis obtecto, quod illi proprie hæreret ad id deſtinatum. *Obtegebant* identidem, quia pro ratione temporis aut loci, pallio, aut toga velabant. Ob id hoc vtrumque qua ceruicibus adhærebat, aggeſtum & implicatum; vbi opus erat, explicabatur, & ad caput adducebatur.

Secundum, pro ratione certi temporis, loci, perſonarum, erant certa genera tegumentorum, quibus caput operiebant de quibus poſtea diſtinctè.

Tertium. Quod dico de Iudæis, idem de pleriſque aliis gentibus & Romanis in primis intelligendum. Apud quos non alia ratio caput obtegendi, quod mox elatiùs explicabo.

Tria hæc quæ poſuimus, argumentis maximè probantur, quæ pro duplici ſuperiori ſententia producta ſunt. Omnia enim vera ſunt; & quæ probant intecto capite fuiſſe Iudæos, & quæ velato. Quæ enim pro *aperto* ſunt; hoc probant quod diximus; nullum fuiſſe Iudæis proprium veſtis genus, quo caput ordinariè velarent; non pileum, non *biretum*, non galerum, non aliud. Quæ autem pro *tecto capite* pugnant, hoc conuincunt quod diximus, habuiſſe illos aliquid vnde caput operirent, vbi id occaſio poſtulabat. Id vt clarius intelligatur, argumenta ſingula, qua parte nobis obeſſe poſſunt excutiamus.

Primò Dauid *operto capite*, lugens incedebat; & cum eo totus populus eodem pacto capite velato. Veriſſimum ergo vtrumque eſt, & nudo capite ſolitos incedere; & cum poſtularet occaſio, præſto habuiſſe, quo illud obtegerent; pallium togam, aut quid illis ſimile, quod à ceruice ſuper caput adducebant, & adducto velabant, vt hic factum à Dauide & omni populo. Quod ipſum fiebat identidem in vſu communi dum in publico erant, ſi ſol, aut æſtus grauior, ſi pluuia, ſi frigidior aura morderet.

Secundò lugubris habitus erat *velare caput*. Verum id eſt; ſed non qualicumque modo, verum prorſus inſolito, cooperiendo plane & obuoluendo, quod in quotidiano vſu non fiebat. Vbi enim opus erat, communis modus obtegendi caput erat, lacinia togæ à ceruice reducta, & adducta ſupra frontem illud velare: qui habitus in pleriſque ſtatuis cernitur, in quibus togæ ſinus à tergo reductus decenter caput obnubit, libera fronte relicta. Luctus autem tempore totum vndique tam apud Iudæos, quàm alios, obuoluebatur. At ſummo ſacerdoti præcipitur ne, quod alij faciebant, caput ſuum *ſuper mortuo* nudet, in ſignum luctus videlicet. Erat ergo luctus indicium nudare caput, non operire. *Nudare caput* in ſcriptura dupliciter dicitur; primo illud aperire, ſecundo capillo decaluare. Cum ſacerdoti præcipitur non nudare caput in luctu, de hac ſecunda nudatione præcipitur, non de prima, quod fuſiùs vbi de luctu & lugubribus ritibus Hebræorum.

Sed quid ſanctus Paulus orandum præcipit aperto capite; ſi paſſim tunc intecto homines incedebant? Vt orantis Chriſtiani habitus à gentilium & ethnicorum habitu diſtingueretur, quorum proprium ſacris adeſſe, & preces fundere velato capite. Vnde illa ſunt Heleni ad Æneam.

Quin vbi tranſmiſſæ ſteterint trans æquora claſſes,
Et poſitis aris, iam vota in littore ſolues
Purpureo velare comas adopertus amictu;
Ne qua inter ſanctos ignes in honore Deorum
Hoſtilis facies occurrat

Et Lucretius.[h] h lib. 5.

Nec pietas vlla eſt velatum ſæpe videri
Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras
Nec procumbere humi proſtratum, & pandere palmas
Ante Deûm delubra.

Denique tam proprium ethnicorum tecto capite ſacris adeſſe, & Deos ſuos venerari, vt Plutarchus alicubi quæſtionem proponat, & cauſas inquirat cur ſacrificantes, & Deos adorantes, ſoleant caput operire; quem morem etiam antiquis Iudæis obſeruatum, auctor eſt Abulenſis.

Vt

Vt ergo D. Paulus ab vtriſque fideles abducat, intecto capite, non operto, vult illos orare. Sed quid de leproſo; cur iubetur eſſe detecto capite, ſi moris id omnibus? Aliis liberum erat corrugatam togam vel pallium à ceruice ſuper caput adducere & operire; leproſis id non licebat, vt omnibus conſpicui vitari poſſent.

Sed quid de Romanis? Quoniam quid in hoc & in aliis ſimilibus ritibus ſolerent, magnopere pertinet ad priſcos Hebræorum mores illuſtrandos, id ſeorſim, ſed breuiter, exequemur.

Romani veteres intectène capite incederent an velato.

§. II.

Videtur ambiguum. Ex vna parte enim tecto fuiſſe quotidiano in vſu videntur. Primo quia inter honoris ſigna, qui aliis habebatur, erat (vt nunc etiam ſit) aperire caput. Eo igitur tecto degebant vbi honor non exhibendus [a]. Valerius Maximus vbi de Magno Pompeio agit adhuc adoleſcente; *Dictator*, inquit, *Sylla, priuato Pompeio & caput adaperuit, & ſella aſſurrexit, & equo deſcendit*. Secundò proprium erat ſeruorum nudo capite eſſe: liberorum & ingenuorum pileatos incedere; vnde factum vt *ſeruos ad pileum vocare*, eſſet illis libertatem proponere, ad quam capeſſendam innitabantur. Cur id? quia ſeruorum proprium nudis capitibus eſſe, liberorum tectis. Suetonius de patre Tiberij *Primò Preneſte, inde, Neapolim euaſit, ſeruiſque ad pileum fruſtra vocatis, in Siciliam profugit.* A quo more Cæſaris interfectores haſta pileum præfixum tota vrbe *circumtulerunt*, quaſi morte tyranni libertas eſſet omnibus reſtituta. Tertia. Si nudato capite communiter incedebant, ad quid tam frequens mentio tam multiplicis tegminis, quo caput operiebant, vt ſunt pileolus, galerus, galericulus, palliolum, petaſus, cauſia, cucullus, bardocucullus, & ſimilia?

a lib. 5. c. 2.

At ex altera parte videntur intecto capite in communi vſu fuiſſe ad quod à primis annis aſſueſcebant; crebris frigidæ lotionibus & aſſidua nuditate domi, foriſque ad caloris, & frigoris patientiam durati. Probatur hoc. Primò quia in itinere, aut in ſole ſignanter dicuntur integumento aliquo caput operuiſſe, vt puta *petaſo, pileo, cauſia, Macedonico galero*. Non igitur illud communiter operiebant. Vnde de Caligula refert Dio Nicenus illum Theſſalicum pileum in ſpectaculis permiſiſſe, ne ſolis ab æſtu lederētur: Et Syneſius tradit imperatores iter agentes in Laconico pallio ſpectari ſolitos, in quo tamen etiam erant qui nudo capite incedebant ad æſtum æque, vt frigus aſſidua patientia durati; quod nominatim memoriæ proditum eſt de Maſſiniſſa, Cæſare Dictatore, Corbolone apud Tacitum, & Adriano, de quo Spartianus: *Frigora & tempeſtates ita patienter tulit, vt nunquam caput tegeret.* Inde tamen morbum contractum refert, ex quo poſtea extinctus Idem de Seuero Herodianus, & de eodem Adriano fuſius Dio, de Iuliano Claudius Mamertinus in Panegyrico. Propter quæ Caſaubonus tam magnus noſtri temporis grammaticus, quam malus Theologus, abſolutè putat intecto capite domi, foriſque fuiſſe Romanos. Quam conſuetudinem adhuc tempore diui Chryſoſtomi ſeruatam, ex ipſius verbis [b] intelligimus, vbi contra illos agens qui ſpectaculis intererant, tanta eos illorum inſania laboraſſe dicit, vt nudo capite ſolis ardorem diem integrum tolerarent. Secundò, probari hoc ipſum poteſt, quia Cornelius Celſus in capitis medicina tradenda ſæpe præcipit illud velare & operiri. Quorſum enim id, ſi caput omnes tectum habebant in communi vita? *Si frigus*, inquit, *capiti nocuit; oportet illud perfundere aqua calida marina, vel certè ſalſa; tum vehementer perfricare; deinde calido oleo implere, veſte velare.* Quid enim attinet hoc admonere; ſi communis id vſus habebat? Itaque Budæus veſtem, qua velandum caput præcipitur, pileum interpretatur. Tertiò. Terentius [c] Culeo quia captus à Carthaginenſibus ab Africano ſuperiore fuerat recuperatus, *illius triumphantis currum, pileum capite gerens ſequutus eſt: auctori enim libertatis ſuæ tamquam patrono recepti beneficij confeſſionem, ſpectante populo Romano, meritò reddidit.* Erat ergo inuſitatum Romanis pileatos incedere. Quartò. Interfecto Nerone Romana plebs in ſignum lætitiæ, quaſi libertate donata, pileata tota [d] vrbe diſcurrit. Quorſum id ſi reliquis quoque diebus in eo habitu procedebat?

b Orat. 2. cont. Iud.

c De quo Valer. Max. lib. 5. c. 2.

d Sueton. in Nerone.

Hæc vtrimque propoſita, fortaſſe poſſunt hac de re animum in diuerſa diſtrahere. Mihi tamen omnia videntur, per hæc quæ ſubiicio, facilè poſſe componi.

Primum Romanos, vt etiam de Iudæis dicebamus, in quotidiana vita nullum geſtaſſe tegmen; cuius alius vſus propriè non eſſet, quam caput obtegere: proinde domi æque, quam foris intecto communiter capite fuiſſe; quod nobiles litteratores noſtri temporis docuerunt; & ſatis id probant argumenta propoſita, ſed illud ante omnia, quod ex tot ſtatuarum, millibus adhuc exſtantium, nulla capite tecto cernatur in communi veſtitu.

Secundò. Iter agentes certo genere tegminis caput operiebant in id propriè deſtinati, quales erant *petaſus, pileus, cauſa Macedonica*; Et id communiter: nam qui ſolebant aliter, eximij erant, & propterea, cum inſigni laude tolerantiæ poſteris mandati.

Tertiò. Per vrbem, ſi quando opus erat, & æſtus id, aut aura vehementior exigebat, obuelabant caput, adducta toga vel pallio, quod corrugatum, & circa ceruices aggeſtum explicabant, & ſuper caput attrahebant; in quo habitu plurimas adhuc in vrbe ſtatuas videre licet.

Qui minus valebant, aut recens ex morbo leuati, capite tecto incedebant. *Tecto*, inquam, ſuo proprio operimento, qui *pileolus* erat, aut *palliolum*, & intimè capiti hærens, illud ambibat, vt nunc ſunt Italis, qui paſſim ſub pileis maioribus adhibentur, *berettini*, & etiam pileo maiori depoſito retinentur. De his pileolis illud intelligendum, quod Ouidius [e] præcipit ei, quem vult valetudinem ſimulare.

e lib. 1. de arte.

Arguat & macies animum; nec turpe putaris,
Pileolum nitidis impoſuiſſe comis.

Cur id? quia pileolum geſtare, parum ſani erat, & valetudinis infractæ. Seneca [f]. *Videbis quoſdam graciles, & pileolo* (malè in vulgatis palliolo) *focalique circundatos albentes & ægros.* Nam quia veteres Romani, non ſolum intecto capite; ſed ceruice planè nudata agebant, inualidi vtrumque muniebant, caput *pileolo*, collum & ceruicem *focali*, faſcia lanea quæ circa fauces; à quibus

f q. nat. in fine.

etiam

etiam appellata. Et hanc etiam adhibebant recitaturi: ne ſcilicet inter recitandum ex calore gutture refrigerato, vox hæreret. Vnde Martialis [a]. a lib.6.ep.41.

Qui recitas lana fauces,& colla reuinctus.

Nam focale lana erat contextum, & ne frigidior aura fauces adſtringeret & vocis iter occluderet, prohibebat; alias ſoliti intecto collo, & ceruice, domi eſſe & in publico.

Sed hæc, ſi vera; quomodo caput aperire cuipiam, ſignum erat honoris? Si enim aperto capite ſemper erant: non videtur quomodo id aliis honoris cauſa potuerint aperire. Sed ex equo deſcendere; de ſella aſſurgere, ſignum etiam honoris erat. An ergo dicemus equo ſemper inuectos in ſella ſediſſe? Sicut ergo ſi forte ſederent, aut equo veherentur, in ſignum honoris aſſurgebant, aut deſcendebant; ſic ſi fortè operto capite erant, illud honoris cauſa aduentantibus aut occurſantibus aperiebant: non tamen ex eo rectè colligas aperto ſemper capite fuiſſe, non magis vtrique quàm ſemper equitaſſe, quod ea equo deſcenderent, aliquem honeſtaturi. Dixi *caput aperuiſſe*, quod noſtram ſententiam de togæ palliique lacinia confirmat ſuper caput adducta. Si fortè enim in eo habitu reperirentur, veſtem deducebant, qua caput cooperiebatur, & illud exerebant, quod propriè erat aperire. Nam *pileum* cuipiam *deponere*, quod nunc *aperire caput* dicimus; id propriè non eſt; ſed vt dicimus, eos accumbere menſæ, & exarare literas, priſca phraſi retenta, qui menſæ aſſident, & literas ſcribunt; ſic dicimus *aperire caput*, qui retegunt pileo depoſito, non qui proferunt veſte dimota.

Obiter verò hîc notandum? *nudare caput*, apud Romanos ſignum honoris & reuerentiæ fuiſſe; quod etiam noſtro tempore ſeruatur; Ortum autem id à Romanorum libertis. Ij enim manumiſſis, pileum ſumebant, indicium libertatis acceptæ; non quod pileus ſemper ab ingenuis geſtaretur, ſed quod illum geſtare, præter ingenuos & liberos, alij non poſſent. Serui ergo libertate donati, pileum ſumebant: honori verò patronorum liberti ex ſeruis effecti, quoties illi occurrebant, hoc dabant, vt pileum deponerent, quaſi ſeruos illorum ſe adhuc, non iam conditione, ſed animi gratitudine profitentes. Inde duo ritus; alter, vt apud Romanos, inter honoris ſignificationes à libertis non ſolùm in patronos, ſed à ciuibus in alios ciues apertio capitis prima computaretur. Alter, qui ad noſtra tempora perductus huc uſque perdurat, vt qui mutuo ſe vrbanis officiis ſalutant, alter alteri caput aperiant, & ſimul ſe verbo aliquo ſeruus alter alterius profiteantur: nunc exerte ſeruos ſe appellantes; nunc oſcula manibus iacientes; quod ſeruorum proprium in dominos. Et hæc aulicæ huius aſſentationis, aut vrbanitatis origo; quæ aſſiduè vſurpata, cur tamen vſurpetur ignoratur. Pileum enim qui alteri deponit, eo ipſo ſe libertatem coram illo deponere teſtatur, illius obſequiis paratus.

Variæ tegminum ſpecies ad caput operiendum, quorum in ſacris literis mentio fit.

§. III.

PRimò: Romanis olim, & Græcis genus integumenti fuit, quo recitaturi, vel imbecilla

Sopran. in Dauid.

valetudine, aut genio molliùs indulgentes, caput operiebant, & appellabatur *amphotis*, vel *amphotides* ab vſu quem propriè præbebat aures protegendi. Publicè enim recitatori, ne coronæ ſtrepitu maiore obtunderentur, aures obtegebant: & id operimentum à Quintiliano inter inſtrumenta eorum qui publicè recitabant, adnumeratur. Probabile autem eſt pileum ipſos geſtaſſe, anſulis hinc inde dependulis ad ipſas aures, à quibus ſubſelliorum ſtrepitum ſubmouebant; vt ne illo animus auocatus, alio diſtraheretur. Huius generis tegmen, quod à Quintiliano *aurium ligamentum* appellatur, an Hebræis aliquo in vſu fuerit; meritò quæri poteſt. Et probabile eſt fuiſſe: non quidem recitaturis, de quibus latè Lipſius [b] & alij; [c] ſed deliratis & mollibus & in cute curanda plus ſatis intentis. Nam & talibus etiam Romæ, & alibi *amphotides* auribus protegendis vſurpatæ. Crebra enim in ſacris literis mentio de auribus apertis aut obductis, obturatis aut reuelatis. In quo modo dicendi non obſcurè fieri videtur alluſio ad hunc morem aures protegendi & circumligādi. Quod quia delicatorum proprium erat, & luxu nimio fluentium, etiam tacitè vituperatur; & hinc orta phraſis in ſacris literis, vt *aperire alicui aurem*, ſit illi quid ita loqui, vt audiat, dimotis ſcilicet integumentis, quibus obturabantur. Contra verò *obturare aurem*, ſit non audire; non quod in illos digitus immitteretur; ſed quod demiſſis *amphotidibus* homines, delicatiſſimi faſtidij illas operirent. [d] *Sic reuelabo aurem*, dixit Ionathas Dauidi, pro eo quod eſt, tibi nunciabo, ſecretò referam. Vnde quæſo orta loquutio, vt *reuelare aurem alicuius*, ſit illi loqui ſecreto; & ita, vt percipiat? Non aliunde, niſi quia velatas aures delicatiores iſti gerebant: vnde quibus illos alloqui neceſſe erat, opus habebant vt aures illi reuelarent, abducerent id nimirum, quo velabantur. Et quia eo ipſo etiam aures aperiebantur, *aperire & reuelare aurem*, ad id ipſum ſignificandum aſſumptum eſt, nempe quid ſecreto quidpiam loquendum. Eſaias; [e] *Qui vides multa, non ne cuſtodies? Qui apertas habes aures, non ne audies?* Aures non ſunt ſicut oculi, qui poſſunt ad arbitrium occludi, vel aperiri: ſemper enim patent, ipſæ per ſe ſpectatæ; ſed quia nonnunquam apertæ gerebantur, idcirco *apertas*, id eſt, *diſcoopertas* illas habentes hîc ab Eſaia conueniuntur. Et noſter interpres, quod aliquando vertit, *indicare, narrare, in auribus loqui*, alij retento hebraiſmo, dicunt *aurem reuelare*. Ionathas idem Dauidi. [f] *Non faciet Pater meus quicquam, niſi prius indicauerit mihi*; LXX. *& non reuelabit auriculam meam*. Et quod habetur in Ruth [g]; *Audire te volui, & tibi dicere coram cunctis ſedentibus & maioribus*. LXX. diſerte *diſcooperiam aurem tuam*. Aures autem *aggrauatæ* cum dicuntur, induratum quidem cor intelligitur ad verba vitæ; ſed alluſio fit ad cooperimentum aurium: illis ita congeſtum, vt viam obſtruat vocibus loquentium.

Secundo loco, erant ad capitis vſum *tænia, vitta, faſcia*, quibus Iudæi comas circumligabant, & capillos; & id non fœminæ modo, ſed etiam viri, qui præter quam nunc moris eſt, ſine pileo, & alio, quod caput tegeret, incedentes, tempora tenui vitta ligabant in modum coronæ capillos cingente. In cuius vicem Phariſæi membranas adhibebant, in quibus decalogi præcepta deſcri-

b Ep. 48 cent. 2. ad Belg.
c Io. Leitan. Caſaubon. Marcelius in Perſ. ſat. 3. v. 30
Io. Mar. Catan. in Plin. lib. 2. epp.
d 1. Reg. 20. 13.
e Cap. 42. 20.
f 1. Reg. 20. 2.
g Cap. 4. 4.

pta,quæ à Chriſto Domino [a] phylacteria dicuntur. Exprobrat autem eos illa dilataſſe, quia vitta minimi ferme digiti latitudinem in aliis non excedebant, & erant lineæ, vel ſericæ, aut alia pretioſa materia confectæ; Phariſæi verò, qui loco vittarum, membranas gerebant, longas in lineas; vt in illis præcepta deſcriberent, latius extendebant. Propterea phylacteria dilataſſe, & fimbrias magnificaſſe dicuntur? Quod eſt vittas & fimbrias latiores, quam ſolerent alij, geſtaſſe. Erant autem vittæ ſacræ, & prophanæ. Sacra, quæ etiam Latinis infula propriæ ſacerdotum. De quibus Ezechiel, & nos infra. Prophana, aliorum virorum etiam, vt iam dixi. Porrò vittas idem fuiſſe, quod tænias alicubi D. Hieronymus [b] obſeruat, & nos infra pluribus, vbi de mundo muliebri.

Sed vnde ortus hic tæniarum vſus in vitis; aut quid opus illis circa tempora capillos concinnè conſtringere? Inde puto quod plerique longiorem cæſariem alerent, maximè qui apud Hebræos elegantiæ formæ, munditiiſque ſtudebant, qualis Abſalom erat, & equites prætoriani, de quibus in Canticis ſponſa, & ex Ioſepho nos ſuprà, [c] ne ergo laxè nimis coma vagaretur, & crines affluerent, vitta coërcebant in modum coronæ capiti circumligata. Hæc tempore luctus deponebantur, & capilli vel tondebantur, vel aſperſi puluere, liberè fluebant. Vnde Deus Ezechieli præcipiens ne mortuos lugeret, quos ipſe eſſet occiſurus; Fili hominis, [d] inquit, ecce ego tollo à te deſiderabile oculorum tuorum in plaga, & non planges, neque plorabis..... mortuorum luctum non facies; corona tua circumligata ſit tibi, & calceamenta erunt in pedibus tuis. Quæ corona circumligari mandatur, & non ſoluenda dicitur? Hæc tæniarum. Quia vittæ, vt dixi, in modum coronæ, caput alligabant; non ornamento ſolum; ſed integumento, dum denſam comam vertici apprimebant. Quod ne quis exiſtimet ſacerdotum propriũ fuiſſe, propterea quod Ezechieli dicitur corona tua circumligata ſit tibi, qui ſacerdos erat; id ipſum quod Ezechieli præcipitur, omnibus paulo poſt [e] præcipitur. Ora amictu non velabitis, & cibos lugentium non comedetis; coronas habebitis in capitibus veſtris. Omnibus hoc dicitur: omnes ergo in communi vſu coronas iſtas habebant; quæ (ne regias fuiſſe putemus) aliud non erant, quam vittæ capiti, modo quo dixi, circumligatæ.

Tertiò, Cydaris etiam inter operimenta capitis computatur. Quæ duplex erat, ſacra, & communis; ſacra, cum reliquis ſacerdotalibus veſtibus infra dicetur; de communi, mentio fit apud Ezechielem. [f] Aufer, inquit, cydarim, pone coronam. Nonne hæc eſt quæ humilem ſubleuauit, & ſublimem humiliauit. Cydarim enim hoc loco tegumentum capitis eſſe non ambigitur; aliqui ſacrum putant; melius cum Hieronymo alij [g] non ſacrum, ſed Regium. Ponitur hîc enim cydaris & corona pro rege; ſicut vulgò dicimus Coronam Galliæ, Poloniæ, Hiſpaniæ, cum de Regibus loquimur harum regionum. Vnde ratio ſubditur cur hic Rex ſit auferendus. Cur enim auferenda cydaris? Quia hæc eſt quæ humilem ſublimauit, omnia nimirum peruersè geſſit, humilem, id eſt, qui humiliari debebat ſubleuando, & ſublimem, id eſt, quem æquum erat extolli, deprimendo, vt Hieronymus interpretatur. Hæc enim Rex ipſe impius, contra quem tunc Deus per Ezechielem admiſerat; vnde cydaris, quæ dicitur hæc egiſſe, pro Rege appellatur.

a Matth. 23.
b Iſaiæ 3.
c Diſſ. 1. c. 2.
d Cap. 24. 23.
e Ibidem.
f Cap. 21. 26.
g Maldonat. Ezech. 42.

At quid propriè cydaris, & quale capitis operimentum? Quidam idem fuiſſe putant quod tiaram. Alij [h] Diadema volunt; quod hoc loco Ezechielis, vbi noſter interpres vertit cydarim, Hebraicè ſit mitſnepheth, quod ad verbum eſt circumligatio, vel inuolucrum; quale propriè erat diadema, faſcia nempe candida, quæ fronti, circa tempora alligata, & ibi in nodum collecta, reliquis tæniis à tergo decenter vndabat; & inde diadema, à diadein, quod eſt obuincere, nuncupata. Quod ſi verum eſt inſigne regium Hebræorum diadema fuiſſe dicemus, id autem an ita fuerit; infra cum de regiis veſtibus, expediemus.

Præter hæc erant etiam antiquis alia capitis operimenta, vt pileus pileolus, palliolum, galerus apex, flamen, flameus, thiara, cauſia, petaſus: de quibus accuratius exponere, noſtri inſtituti non eſt; cùm ex illis nulla lux ſacris literis afferatur, in quibus nulla illorum mentio. Supereſt tantum de galericulo aliquid, & de ſudario, & cucullo.

De galericulo refert Suetonius [i] Othonem propter raritatem capillorum, ſolitum illum capiti ita connectere, & adaptare, vt nemo dignoſceret. Quid dignoſceret? Raritatem capillorum, an galericulum? Incedebat ergo ſemper Otho capite velato; ſaltem vbi ſe dabat in publicum; quod ſi damus; quomodo ab iis quæ ſupra diximus, iſta non diſcrepant? Nihil omnino. Si enim ſuetum ſingulis in quotidiano vſu fuiſſet incedere tecto capite; non id vt inſolitum Suetonius in Othone notaſſet. Propter raritatem enim capillorum occultandam, opus illi fuit id comminiſci. Erat autem galericulus, vt opinor adſimilis vndecunque pileolo; niſi quod hic ex æquo capiti toti adhærebat; aſſurgebat autem aliquantulum in ſummo vertice galericulus; vnde volucri notiſſimæ nomen, quæ à plumulis in vertice aſſurgentibus galerita? Ob id raritati capillorum occultandæ ab Othone aſſumptus.

De ſudario nobis hic aliquid eſt explicandum, quod ambigant quidam num inter capitis operimenta fuerit apud Hebræos; & ſunt qui [k] affirment. Mouentur quod Oecumenius, & hiſtoria ſcholaſtica, ſudaria quæ à Pauli corpore ſuper [l] languidos deferebantur operimenta capitis exponunt, id quod ante illos viſus tradere Beda [m], referens magnum Gregorium interrogatum quid eſſet ſemicinctium, reſpondiſſe eſſe ſudarij genus, quo Iudæi & viui, & mortui caput obtegebant. Vnde Lazarus obuelatum ſudario caput habuiſſe dicitur, id quod de Chriſto Domino etiam refertur.

Sed perperam omnino ſudarium ſiue apud Hebræos, ſiue apud alias gentes, inter integumenta capitis adnumeratur. Ad quod obſeruandum; integumentum capitis ex proprio veſtis genere non dici, quodquoquo modo illi tegendo & velando adhibetur; ſed quod in eum vſum proprie deſtinatur: alioquin enim ſi quicquid aliquando in id aſſumitur, operimentum capitis appelletur, & toga, & pallium, & chlamis, & ſyndones operimenta capitis dicentur, cum frequenter illis vt ſupra dicebam, vel eorum laciniis capita tegerentur. Cum ergo ſudarium non eſſet ad id deſtinatum; eſto quod aliquando caput illo velarent, non propterea tegumentum capitis eſt appellandum. Quid ergo proprie ſudarium? Nomen ipſum indicat fuiſſe ſudori tergendo;

h Budæus in Pandec. Pancir. l. 2. var. cap. 9.
i Maldon. hic.
k in Othon. cap 12.
l Sanctiu in Acta cap. 19. n. 5.
m Act. 19. 12.
o Interl. ſup. Act. apoſt.

gendo; pannus nimirum, erat quadrata forma, vt plurimum lineus; à quo modicum diſtabant *orarium, manuale, mucinium*. quorum omnium crebra mentio poſterioris æui, ſcriptoribus, eccleſiaſticis præſertim. Sed de ſudario etiam Latinis, apud quos aliud non erat ſudarium, quàm quod vulgo *ſciugatoro*. Illo enim ſudorem tergebant, ablutas manus ſiccabant, cadentes à tonſore capillos excipiebant, collo circumponebant, & denique ad alia omnia vſurpabant, in quæ nunc abſterſoria noſtra lintea ſumuntur. Martialis [a] apertè ſudario ſuppoſito capillos exceptos indicat à tonſore diſſectos.

a *lib. 11. epig. 40.*

Iam mihi nigreſcunt tonſa ſudaria barba.

Sicut autem vulgò, qui *ſciugatori* dicuntur, à tergendo licèt appellati, multiplicem tamen vſum præbent; ſic antiquis *ſudaria*, licet à ſudore dicta, plures tamen alios in vſus adhibebantur, & omnes fermè in quos à nobis adhibentur; ad ſudorem tamen propriè Quintiliani illud [b] oſtendit; *Cum reus, agente in eum Caluo, candide frontem ſudario detergeret*. Et ad caput etiam aliqua ex occaſione velandum. Quid enim magis nunc obuium, quàm vt qui in itinere ſunt, & ſudarium circa collum geſtant, ad caput adducant? Sic de Nerone refert alicubi Suetonius [c] cum fugeret, *adoperto capite, & ante faciem obtenſo ſudario, quatuor ſolis comitantibus equum aſcendiſſe*. Nempe ſudarium collo obuolutum adduxerat Nero & ad faciem vſque protegendam extenderat.

b *Lib. 5 c. 3.*

c *Cap. 48. in Nerone.*

Quæ ergo ſudaria à corpore D. Pauli languentibus applicabantur, non capiti velando erant, ſed ſudori tergendo; licet in id etiam aliquando adhiberi ſolerent. Sed quid *ſemicinctia*? Lintea, quibus anterior pars corporis ad opus aliquod faciendum præcingebatur; ob id ſemicinctia dicta, quod non toti corpori, ſed anteriori parti prætenſa recingerentur; à nobis *ſenali* dicuntur, à ſinu & gremio cui prætenduntur. Cum ergo D. Paulus inter opifices concionaretur, & illi paſſim ſuos ægros adducerent, vt ſanarentur, ſemicinctia & ſudaria tranſmittebant vt à Paulo contacta, languentibus applicarentur vtrumque enim genus veſtis opificibus in vſu frequens & obuium *ſudaria, & ſemicinctia*. Præcincti enim in opere ſunt, & illis præterea ſudaria ſemper ad manus. Ad ſemicinctia vero Petronij [d] illud alludit anum deſcribentis, quæ miniſterio cuipiam intenta prodierat ſordidiſſimo linteo præcincta ſinum. *Con vn ſenale tutto imbrattato*. Sed quomodo D. Gregorius dicit *ſemicinctium genus eſſe ſudarij*? Sanè nec id ab iſtis, quæ diximus abhorret. Sudaria enim & ſemicinctia ſic explicata, planè conueniunt, vt vulgo *ſciugatori, è ſenali*, & differunt ſemicinctia à ſudariis, quod illa cinguntur anteriori parti corporis; iſta nequaquam, & ad ſordidiora miniſteria ſemicinctia, quam ſudaria.

d *In Satyrico.*

A quibus *oraria* non admodum differebant. Tantùm enim modo, & quantitate diſtabant, cùm ſudaria laxiora, breuiora eſſent *oraria*; prorſus illo genere diſcriminis, quo nunc vulgo, *ſciugatori, è fazzoletti* diſtinguuntur. Nam *oraria* propriè hoc ſecundum erant. Ad quod obſeruandum, in eccleſiaſticis auctoribus *orarium* duplex eſſe; ſacrum, & commune. *Sacrum*, quæ veſtis eſſet ambigitur. Probabiliſſimum tamen eſt fuiſſe, quæ nunc in Epiſcopis, *ſtola & pallium* dicitur; in Diaconis, *manipulus*. Appellata oraria, quod ad oram vſque veſtimenti pertingebant, &

Sopran. in Dauid.

quod ab oratoris aſſumebantur. In hiſtoria [e] S. Arnulfi huius orarij mentio fit, & id eſſe quod docui, ſignificatur. *Arnulfus*, inquit, *in promotione annulum & baculum acceperat, quoddamque genus orarij, quod pallium dicitur*. At orarium, vt veſtis communis, erat proprie linteum oris, & faciei vſui deſtinatum ad ſudorem illius tergendum, & nares purgandas; ob id *orarium* ab ore dictum, ſicut quod vulgo *fazzoletto* à facie eſt appellatum. De eo D. Ambroſius, loquens de Satyro fratre ſuo adhuc catechumeno, propterea nullis ſacris veſtibus induto, dicit eum cum iter nauigio faceret, & eo fatiſcente naufragium timeretur, *diuinum illud fidelium Sacramentum* (ſanctiſſimam Euchariſtiam ſcilicet) ligari ſibi in *orario* feciſſe, & *orarium*, inquit, *inuoluit collo atque ita ſe deiecit in mare*. Et Auguſtinus [f] de quodam cui oculus in maxillam prolapſus erat, *tunc*, ait, *ſicut potuit, oculum lapſum atque pendentem loco ſuo reuocatum ligauit orario*. Semper ergo illis erant ad manus *oraria*, ſicut apud nos *li fazzoletti*. & illis, ſi quid opus erat, ad collum, ad tempora, ad os alligabant. Vnde in vita D. Cypriani ex antiquiſſimis actis deſcripta; *Stans*, inquit, *in linea, expectabat ſpeculatorem, cui viginti quinque aureos dari præcepit, fratres vero ſternebant linteamina, & oraria ante eum ponebant, ne ſanctus cruor defluens, abſorberetur à terra*. Quid enim aliud poterant adſtantes fideles ad manus habere, quam linteamina ſudori, & faciei tergendæ, & naribus emungendis?

e *Hiſt. Rhemen.*

f *lib 22. de ciuit c. 8.*

Et ob id quod ſemper ad manus, etiam *manualia* dicebantur. In alia D. Cypriani vita pariter ex antiquis actis deſcripta. *Cum veniſſet autem ſpiculator, iuſſit* (Cyprianus) *ſuis vt eidem viginti quinque aureos darent; linteamina vero & manualia à fratribus ante eum mittebantur*. Quæ enim in alia vita oraria, *manualia* hic expreſsè dicuntur. Et paulo poſt in eadem vita *manuales laciniæ* nuncupantur, quibus alligatis capiti, ſibi oculos Cyprianus texiſſe ſubiicitur.

Nouo verò vocabulo ab Arnobio [g] orarium *mucinium* appellatur. *Iam verò*, inquit, *ſi veſtem, ſi ſupellectilem ponas in medio, tam vrbanam quàm ruſticam, eris ne idem vt poſſis diſcernere cui negotio rei quæque conueniat; cuius muneris accommodata ſint vſui . . . . . in quos habitus veſtis ſtragula facta ſit, mitra, ſtrophium, faſcia, puluinus, mucinium, læna, calautica, mantile, maſtruca, ſoccus, ſolea, calceus?* A naribus enim emungendis, & illarum muco tergendo, *mucinium* maluit Arnobius appellare, quod communius *ſudarium, ſudariolum, orarium*, & in quibuſdam partibus Italiæ *moccichino*, quod Arnobij *mucinio* reſpondet. Et hæc occaſione ſudarij dicta ſint inter integumenta capitis à nonnullis malè recenſiti.

g *lib. 2. contra gens.*

Inter quæ tamen non dubiè *cucullus* adnumerandus eſt, de quo licet in ſacris literis nulla, crebra tamen in Eccleſiaſticis mentio, & longè frequentior vſus. Erat autem cucullus veſtimenti genus caput, & ceruicem vſque ad ſuperiorem humerorum partem tegens; vſui maximo nautis, militibus; ruſticis ad pluuias & tempeſtates arcendas: Et olim etiam pueris induebatur vt ab iniuriis cœli defenderentur. Ob id Caſſianus à Monachis ſui temporis illum dicit aſſumptum, vt ea ſpecie habitus animi candorem, qualis in pueris teſtaretur. *Cucullus* [h], inquit, *perparuis vſque ad ceruicis humerorumque demiſſis confinia, quibus tantum capita contegant, indeſi-*

h *lib. 1. inſtit. cap. 4.*

nenter diebus vtuntur, ac noctibus; ſcilicet vt innocentiam, & ſimplicitatem paruulorum iugiter cuſtodire etiam imitatione ipſius velaminis commoneantur. Qui reuerſi ad infantiam Chriſti, cunctis horis cum affectu decantant; Domine, non eſt exaltatum cor meum, neque ambulaui in magnis neque in mirabilibus ſuper me. Cur enim ex eo habitu ſimplicitatem, & innocentiam iugiter cuſtodire Monachi commonebantur? Quia vt dixi, puerorum etiam indumentum cucullus erat. Alij etiam adiungunt ab arctioris vitæ in diſciplina religioſa cultoribus aſſumptum cucullum, vt ſecundùm Apoſtoli ſententiam intelligant ſe ſtultos in hoc ſæculo eſſe debere, vt ſapientes euadant. Cur id? Quia *cucullus* olim etiam morionum & fatuorum, & aliorum qui ludibrio habebantur, erat operimentum; cùm tempeſtate tranquilla in quotidiano vſu adhibebatur. An non enim ſtultus habeatur & fatuus, qui cœlo ſereno per vrbem nunc in penula, & petaſo obambulet ocreatus? Sic etiam olim cum cucullus ad pluuias arcendas eſſet, in cucullo videri ſereno, & tranquillo cœlo, fatuorum erat. Ob id alij cum Caſſiano ad ſanctam ſtultitiam profitendam cucullum dicunt à Monachis vſurpatum. Verum non hæc ſola ratio fuit cur hoc veſtis genus eligeretur, ſed cum deberet eligi, cur in eo opprobrium Chriſti refugeretur? Potiſſima enim cauſa fuere nocturni conuentus, & noctes integræ in orationibus euigilandæ. Quod ergo milites, nautæ, ruſtici, quibus de nocte ſurgendum facere ſolebant, vt bardocucullo inducerentur; id quoque Monachis eſt vſurpatum; & ab omnibus poſt illos, qui in diſciplina religioſa noctes in diuinis precibus trahebant communiter perſoluendis: vtcunque tamen conſtat vtile potius veſtimenti genus fuiſſe, quàm delicatum; proprium illorum qui in opere aſſidui eſſe debebant; vt erant antiqui Monachi. Vnde Columella [a] loquens de familia ruſtica, & quomodo ea à domino haberi debeat; *Cultam*, inquit, *veſtitamque familiam vtiliter magis habeat, quam delicatè; id eſt munitam diligenter à frigore, & imbribus; quæ vtraque prohibentur optimè pellibus manicatis, centonibus confertis, & ſagis cucullatis, idque ſi fiat; omnis pene hyemalis dies in opere tolerari poſſit.* Sidonius Epiſcopus [b] Abbati euidam ſui temporis cucullum dono mittens, eius vſum declarat. *Per libertos*, inquit, *tuos nocturnalem cucullum, quo membra confecta ieiuniis inter orandum cubandumque dignanter tegare tranſmiſi: quanquam non opportunè ſpecies villoſa mittatur, hyeme finita, iamque temporibus æſtatis appropinquantibus.* Nunc vero paſſim non *cucullus*; ſed *cuculla* dicitur [c] à Monachis veſtis genus longè diuerſum à cucullo, & cuculla veterum Monachorum. *Cucullam* dixi, quia ſic etiam cucullus quem deſcripſi, nuncupatus. D. Hieronymus [d] de teſtamento Hilarionis; *Omnes diuitias ſuas ei derelinquens, Euangelium ſcilicet, & tunicam ſacceam, cucullam, & palliolum.* Ennodius Apodemiæ [e] ſcribens; *Sic tu, Domna mea, longè à corpore degentem Ennodium perquiſiſti offerendo deſideratis nobile munus aſpectibus: Accepi cucullam qualem debuit dirigere religionem profitenti.* Religioſam enim tunc vitam agebat Ennodius, animi demiſſionem etiam habitus humilitate profitendo. Propterea ſubdit. *Sanctiſſima, ora vt dignum me humilium indumentis, & ſi non inuenerunt dona veſtra;* (cuculla ſcilicet, quam præmiſit) *tamen meriti ſui nobilitate perficiant.* At verò *cuculla* nunc veſtis eſt ab illa longè diuerſa. Totum enim corpus amplectitur, laxè fluens, & nihil habens affine *cucullo*, aut *cucullæ* priſcorum; ſed veteri togæ Romanorum prorſus adſimilis. Quod vero veteribus cucullus erat; *cappuzium* nunc appellatur. An vero *capitium* cuius Vlpianus meminit, idem ſit cum cucullo, & inter capitis tegmina computandum; ambigitur à pleriſque. Sunt enim qui [f] differre quidem volunt à *cucullo*; ſed operimentum capitis eſſe concedunt. Alij [g] vero inter peccatoris ornamenta recenſent; & habent pro ſe Varronem [h]. *Capitium*, inquit, *ab eo, quod capit, ſeu indutu comprehendit pectus.* Alij verò *capitium* idem putant eſſe cum *patagio* quod ad ſummam tunicam aſſui ſolebat; & à pleriſque illud eſſe putatur, *quod in ſumma camiſia parte circa ceruices criſpiſſimum aſſuitur, & ſinuatum.* Sed quicquid ſit de hoc; certum eſt cum antiquorum *cucullo*, magis omnino conuenire noſtri temporis *Cappuzia*, quam *cucullas*.

a lib. 11. de re ruſt. c. 1.

b lib. 7. ep. 16.

c Clement 1. §. 1. de ſtatu Monach. cap. intellreximus. de æta. & qualit. Pancirol. l. 1. Var. lect. iur. cap. 21.

d In vita S. Hilar.

e lib. 9. ep. 17.

f Iſidor. lib. 19. etimol. cap. 30.

g Briſſon. in lex. iur. v. Capitia.

h lib. 4. de ling. lat.

Ad verba ſecundi Regũ. [i] Tulit itaque Hanon ſeruos Dauid; raſitque dimidiam partem barbæ eorum, & præſcidit veſtes eorum medias vſque ad nates, & dimiſit eos.

i Cap. 10. 4.

An Hebræi olim, Orientales, & alij ſint vſi femoralibus vt nunc ſolemus.

Capvt II.

Contumelia legatis Dauidis irrogata à Rege Ammonitarum, ex hoc vtroque capite grauiſſima fuit; longè tamen ex veſtium præciſione grauior à pleriſque cenſetur, quàm à barbæ raſura: quod ex ea partes illas in omnium conſpectum nudas habuerint, quas naturalis pudor, ab omnium oculis vult maximè ſubmoueri. Nudatas autem eas veſtium præciſione putant, quod Hebræi olim nullis femoralibus vterentur. An hoc ergo ita fuerit; nunc quæramus.

Negant ergo plerique non [k] ſolum Hebræis, ſed Romanis ipſis vllum femoralium vſum fuiſſe, qualia nunc habemus. Probant primò quia veteres Græci, & Romani quoties tunicam paulo altius attollebant, aut togam, vel pallium incurioſius habebant, vt libere diffluere paterentur, eas partes nudabant, quæ non poſſunt honeſte nominari. Nullis ergo femoralibus erant accincti, quibus partes illæ corporis tegerentur. Narrat de Philippo Macedonum Rege, & Alexandri patre Plutarchus auctioni illum aliquando præſediſſe, qua captiui quos ceperat diuendebantur; ibi cum omiſſo animo ageret interim dum auctio perageretur, veſte fluente, quæ tegi debebant, apparuiſſe: tum vnum ex captiuis hoſpitem ſe paternum Philippi ſimulando ad illum acceſſum poſtulaſſe; vt ſecretò quis eſſet, aperiret. Admiſſum ſecretò dixiſſe, *Dimitte veſtem, vt honeſtius ſedeas; nam ſic quidem quæ conſpici non vis, ab aliis videntur;* & Philippum, adducta ſtatim veſte, captiuum, quaſi paternum hoſpitem liberaſſe. Sanè ſi Philippus femoralia geſtaſſet, qualia nunc habemus, etiam ſi pallium, chlamis, paludamentum, trabea diffluxiſſet; indecorum nihil oſtentaſſet. Similiter de Cæſare dictatore dicitur in occubitu togæ ſinum ad crura demiſiſſe,

k Lyran. 4. 10. 2. Reg. Abulen. in quæſt. 4. Dionyſ. & Hugo ibid.

ſiſſe, ſollicitum ne ſi minus honeſte caderet; illa, quæ ſunt velanda, nudaret. *Vtque animaduertit*, inquit, *vndique ſe ſtrictis pugionibus peti, toga caput obuoluit: ſimul ſiniſtra manu ſinum ad ima crura deduxit, quo honeſtius caderet, etiam inferiore corporis parte velata.* At quid hic erat timendum, ne nudaretur, & aſpectum poſſet offendere; ſi femoralia, qualibus vtimur, habuiſſet?

a *In charact.*

Præterea Theophraſtus [a] in charaćteribus hominis *incogitantis, bardi, buconis*, dicit illius eſſe genu ſuper genu reducto, membra quæ ſunt velanda, retegere. Et in characteribus *exoſi, abominandi, ſabidi*, quem nos *ſchifoſo*, dicit illum nihil aduertere quomodo veſtes reducat, pallium leuet, tunicam attollat; ſed hæc ita facere, vt identidem pudenda reuelet. An id eſſet poterat; ſi præter tunicam, & pallium, accincti femoralibus inceſſiſſent?

Secundò idem probatur, quia quoties apud antiquos eorum mentio, qui naturæ neceſſitati pareant; Id totum ſola tunicæ, aut veſtium eleuatione circumloquuntur. Signum ergo id eſt, nullo alio earum partium tegumento, præter tunicam, & alias ſuper illam veſtes obtectos. Herodianus [b] veſtes crurum demittere, pro eo vſurpat, quod *ventris onus deponere*. Et Hebræi naturæ in hoc obſequi circumloquuntur per *veſtes ad pedes demittere*, quod notat alicubi Serratius, [c] ex hoc etiam colligens Hebræos ſine femoralibus inceſſiſſe, quod apud illos idem ſit *pedes tegere*, quod ventrem exonerare. Et Tertullianus [d] alicubi; *Si quis*, inquit, *exoneranda veſica tunicam leuet*, &c. certè ſi tunica tantum leuanda erat; nulla ergo erant illis in id femoralia aperienda. Nec dubium quin ſi veſtis alia fuiſſet, qua partes illæ propriè tegerentur; is modus loquendi ad id exprimendum, minus congruus eſſet. Quis enim me nunc intelligat, ſi dixero quempiam *mantellum leuare*, pro eo quod eſt illum naturæ neceſſitati parere.

b *In vita Macrini.*
c *In dio c.3.*
d *Lib. de ſpectac.*

Tertiò Deus ſacerdotibus in veteri lege veſtitum præſcribens etiam femoralia geſtanda præcipit accedentibus præſertim ad altare ſuum. *Facies*, inquit, [e] *& femoralia linea, vt operiant carnem turpitudinis ſuæ, à renibus vſque ad femora: & vtentur eis Aaron & filij eius, quando ingredientur tabernaculum teſtimonij; vel quando appropinquant ad altare, vt miniſtrent in ſanctuario.* Quorſum autem id tam ſeriò præcipere, tam diſtinctè monere, tam ſeuerè præſcribere, vt adiungat, id omittentes, [f] *iniquitatis reos morituros*; ſi femoralium vſus omnibus communis? An periculum erat ne cum quotidianus vſus haberet, vt ab omnibus femoralia geſtarentur; ea ſacerdotes tantum deponerent, in templum ingreſſuri.

e *Exod. 28. 42.*
f *vèr. 43. ibid.*

Quartò præcepit etiam Deus ne gradus fierent quibus ad altare aſcenderetur; Ne *inferior populus*, inquit Hieronymus, [g] *aſcendentium verenda conſpiceret.* Erant ergo illa nulla propria veſte velata.

g *Epiſt. 128. ad Fabiol.*

Quintò probant inde aliqui quod [h] ſponſa tam multa ſit in ſponſi cruribus femoribuſque laudandis. Erant ergo illa nuda, & facilè conſpici poterant. Interrogantibus enim qualis eſſet dilectus ſuus; vt num vidiſſent illum poſſent agnoſcere, deſcribit eis illum per ſingula membra etiam ad crura, femoraque deſcendens. *Crura*, inquit, *illius, columna marmorea.*

h *Sanctius cap. 5. Canticor.*

Sextò denique quando alia deeſſent, contumelia hæc irrogata legatis Dauidis, id abundè

Sopran. in Dauid.

probaret. Idcirco enim vſque ad nates veſtes Ammonitæ ſciderunt, vt apparerent partes, quæ videri non debent. Præciſas autem veſtes talares exteriores, & amictui aſſumptas, nempe pallia, & eius generis; ex ſcriptura dubitari non poteſt, ne quis forte dicat *præciſas veſtes ad medias nates, femoralia fuiſſe.* Propter hæc igitur argumenta volunt iſti veteribus Hebræis, Græcis, pleriſque Orientalibus & Romanis ipſis nullum femoralium vſum.

Contra verò alij contendunt vnico argumento permoti, quod ſcilicet D. Paulus alicubi ſignificat eſſe cunctis inſitum, duce natura, partes iſtas corporis attentius obtegere, & impenſius *honeſtare*, quam vllas alias. [i] *Quæ*, inquit, *inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem honeſtatem habeat.* In quibus verbis tria ſunt obſeruanda, quæ huic inquiſitioni maximè faciunt. Primò loqui D. Paulum de partibus verendis, vt Patres [k] vno fermè conſenſu docent, & ex illis grauiores interpretes. Secundò quod his partibus propter inhoneſtatem quæ in illis eſt dicit *abundantiorem honeſtatem haberi*, id eſt, diligentius velari, cuſtodiri, abſcondi. Ita idem, & nominatim S. Auguſtinus.[l] Tertiò quod non loquitur hîc D. Paulus de eo, quod debet fieri; ſed quod paſſim fit, & ſeruatur ab omnibus. Nec enim præcipit, iſta cum dicit; ſed narrat. Hæc igitur, ſi certa ſunt, vt eſſe debent; hoc nobis argumentum ſuggerũt ad oſtendendum Iudæos non ſolum, ſed omnes alios antiquitus verenda ſuo proprio genere velaminis obtexiſſe. Quod ſi demus, feminalia ipſos habuiſſe; non dubium eſt: quod enim non omnino eiuſdem formæ cum noſtris eſſent; id non conuincit femoralia non geſſiſſe, ſed non omnino noſtris ſimilia. An quia illorum calcei non erant ex toto noſtris adſimiles; illos calceatos fuiſſe negabimus? Hoc ergo pacto ratiocinemur. Omnium gentium mos erat, teſte B. Paulo, verendas partes *abundantius honeſtare*, ſiue illis, *abundantiorem honeſtatem habere*, diligentius nempe cuſtodire, & ab omnium oculis ſubmouere. (Hoc enim D. Paulus appellat *honeſtare*) quàm vllas alias. Ergo cum pleriſque aliis ſuus eſſet proprius amictus; ad illas quoque partes tegendas ſuum quoque proprium fuiſſe putandum eſt.

i *1 ad Corinth 12. 23.*
k *Ambroſ. Chryſoſt. Theophilac. Anſel. hic.*

Hæc ſunt quæ in vtramque partem adducta, poſſunt animum in diuerſa diſtrahere. Quid ergo dicendum? Breui reſponſo mihi videntur omnia, quæ ad hanc controuerſiam ſpectant, ſic poſſe ſedari.

Iudæos olim, Romanos, Græcos, & Orientales pleroſque tegumentum aliquod habuiſſe velandis illis partibus propriè deſtinatum; nullum tamen veſtimenti genus illis in quotidiano vſu fuiſſe, quod eſſet noſtris femoralibus tibialibuſque perſimile. Aliquod habuiſſe; conſtat ex D. Paulo, & ex eo quod hoc veſtimenti genus *lumbare* propriè in ſacris litteris appellatum, quod lumbos præcingeret, & quæ circa lumbos in vſu quotidiano erat apud Hebræos; vt colligitur ex Hieremia; [l] & Chriſtus Dominus ad illud alludens, [m] *Sint*, inquit, *lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Adhæſiſſe enim genus hoc veſtis intimæ cuti; tradit idem Hieremias, per id ſignificari dicens intimam Dei cum populo Iudaico coniunctionem. [n] *Sicut*, inquit, *adhæret lumbare ad lumbos viri; ſic agglutinaui mihi omnem domum Iſrael, & omnem domum Iudam, dicit Dominus.* Quod autem *lum-*

l *Toto c. 13.*
m *Luc 12. 35.*
n *Cap 13. 11.*

bare Hieremiæ,apud Romanos *femorale*, ſiue *fœminale* , & *fœminalia* appellabantur. Licet enim eorum vſus proprius eſſet ad verenda velanda; non tamen ab illis, ſed honeſtatis gratia à viciniortbus partibus illis appellatio tributa , apud Hebræos à *lumbis*, à *femoribus* apud Romanos.

Qnod autem non eſſet vllo pacto hoc veſtis genus illis perſimile , quibus nunc femora cum genu politibos eoxendicibus & lumbis obtegimus, & *femoralia* vulgo dicuntur ; multiplieiter conſtar. Primo ex iis , quæ pro prima ſententia producta ſunt. Ex iis,inquam, non omnibus ſed aliquibus. Nam multa ibi miſcentur & mouentur inepta,qnæ paulò pòſt reuincentur. Secundò ex differenti forma veterum & noſtrorum femoralium. Nam noſtra pedibus & calcibus in illis immiſſis, ad lumbos attrahuntur , & vndique illis cum femoribus colligata, ad crura vſque infra genu regenda protenduntur. Vnde à calcibus immittendis *calze, & calzoni* , & apud aliquos à coxendieibus obuelandis , *coſciali* dicuntur. At *antiquorum femoralium duplex in hoc à noſtris diſcrimen.* Primò in forma & figura. Secundò in modo & amplitudine.In *forma* : quia non induebantur,aut amiciebantur ; ſed eingebantur.Erant enim faſciæ femoribus , & lumbis obuolutæ , & aptè deinde in nodum illis adſtrictæ : vnde & *ſubſibula* , *& ſuccinctoria* , *& perizomata* etiam appellatæ , alio nomine quandoque *campeſtria*; cum noſtra femoralia propriè inter indumenta ſint , quæ ſuum vſum præſtant , non iniecta , aut cincta ; ſed membris inſerta. Diſcrimen alterum erat in *amplitudine* : Fœminalia enim antiquorum planè breuia , & anguſta erant , & lumbos tantum , partemque illam femorum velabant, quæ neceſſe eſt , vt verenda regantur : at noſtra ſimul omnia velant à lumbis etiam vltra genua & poplites ad ipſa crura.

Ex his multa colliguntur vnde plerique veterum ritus,& multa in ſacris literis illuſtrantur.

Primò vnde ſit , quod licet Iudæi , Græci & Romani femoralia geſtarent ; inhoneſtè tamen poſſent partes quaſdam nudare. Id enim erat, quia illorum femoralia breuia,& attracta erant, & in eam quaſi formam,cuius nunc illud femoralium genus eſt , quæ vulgo *mutande* dicuntur. Hæc enim licèt verenda tegant ; non tamen ita faciunt , vt non inhoneſtum ſit in illis videri. Nec enim viro graui tantum indecorum eſt ipſa verenda nudare , ſed etiam quæ circa ipſa : quod fiebat ſi quando incurioſius tunicam attollerent, aut togam vel pallium fluxè labi permitterent. Ob id Cæſar vt honeſtè caderet , nec quicquam nudaret,quod tantum virum minus deceret,laciniam togæ adduxit;vt totis femoribus obtectus in mortem occumberet.

Secundò. Quia femoralia antiquorum tantum femora,qua parte verendis adiacent , obtegebant;femora,quæ ſupra genua & crura, ſimulque cum ipſis cruribus & poplitibus nudabant. Vnde tam crebra mentio crurum apud antiquos Poetas, quæ in aliis vel laudant , vel vituperant, vt ſqualida,vt glabra,vt piloſa , vt pumice leuigata. Quod non eſſet,niſi cruribus nudatis antiquis incedere in vſu fuiſſet. Martialis ª.

a lib.12.epig. 38.

Hic,qui fœmineus,noctéſque dieſque cathedris
Incedit,tota notus in vrbe nimis;
Crine nitens,niger vnguento,perlucidus oſtro,
Ore tener laxus pectore,crure glaber.

Quomodo enim Martialis poterat hunc , aut alios(quod,ſæpe facit) notare quod crura velleret & depilaret,ſi non moris tunc erat nudis cruribus incedere ? Similiter Iuuenalis.

[b] Sed fruticante pilo neglecta & ſqualida crura.
Quid macies ægri veteris,&c.

b Iuuenal. ſat.9.v.15.

Quomodo enim crura neglecta,aut curata;ſqualida,aut nitentia deprebendi poterant,niſi nudata ; Nudis ergo cruribus antiqui , ſicut & brachiis [c]. Vt enim illorum fœminalia longè ſupra genua deſinebant ; ita tunicæ ſine manicis brachia tota infra humerum à cubito nudabant.

c Tertul. de cul. fœm. Clem. Alex.

Tertiò. Hinc intelligimus quid ſint *faſciæ crurales,aut in cruribus* quarum ſæpe mentio in iure ciuili,vtebantur enim illis, vt nunc tibialibus vtimur;obuelando tota crura ſi quando opus erat illis rectis incedere. *Si quando* , dixi , nam communiter intectis incedebant.

Quartò. Hinc habemus quod Iudæis captiuis,Aſſyrij,Perſæ,& alij Orientales,inter alia ludibria illud etiam adhiberent,vt illos nudarent. De quo genere contumeliæ, præter id quod hîc habetur ,de violatione legatorum Dauidis ab Ammonitis,crebra mentio fit apud Eſaiam , [d] & alios [e]. Perſæ enim & Orientales plerique *braccati erant*,id eſt femoralibus vt nunc noſtra ſunt, è lumbis & pube crura ad vſque & vltra illa protecti. Quare vt Iudæis captiis illuderent , illos veſtibus exterioribus exutos , in medio ſtatuebant omnino nudos,vel adſtricto tantum ſubſibulo ſuccinctos. Quod per ſe ridiculum , & ignominiæ pleniſſimum erat in ipſos Iudæos, illi enim ſicut & Romani , barbarorum braccas auerſabantur. Vnde illud eſt Ouidij cum indignatione referentis,à patrio ritu quoſdam Græcos ita degeneraſſe,vt in Ponto braccas induere ſuſtinerent.

d Cap.20 & cap.47.
e Nahum. cap.3.

Quos vt non timeas poſſis odiſſe videndo,
Pellibus & longa corpora tecta coma
Hos quoque qui geniti Graca de gente videntur
Pro patrio cultu Perſica bracca tegit.

De quibus braccis,non Iudæorum,aut Romanorum propriis,ſed Perſarum,mentio habetur apud Danielem [f]. Inferioris verò temporis auctores, & qui minus Latinè loquuntur, braccas, fœminaliaque confundunt. Cum conſtet ex dictis longè diuerſa fuiſſe;& braccas barbarorum proprias , fœminalia verò Romanorum. Non dubium autem,quæ nunc femoralia nuncupantur, cum barbarorum braccis magis conuenire,quàm cum femoralibus Hebræorum.

f Cap.3 21

Nunc ad ea quæ pro prima ſententia allata ſunt , aliquid dicamus. Ex illis enim quædam noſtra probant ob id retinenda,quædam protſus inepta ſunt & reiicienda. Noſtra probant exempla Cæſaris,Philippi , Dei præceptum de gradibus non aſcendendis , præciſio veſtium legatorum Dauidis. Inepta verò ſunt, primò quod adducitur ex præcepto Dei femoralium vſum,modum , materiam præſcribentis. Quid enim inde conficitur ? Alios non geſtaſſe ? Similiter ergo alij tunicas non geſtabant , quia de tunica ſacerdoti præcipitur. Dicendum ergo præcipere Deum ſacerdotibus de femoralibus,primò vt ſiue illis non eſſent, præſertim dum ſacris operarentur. Secundò vt tali modo & materia illa conficerent ; quod vtrumque alios non adſtringebat. Ita enim femoralia geſtabant , vt eſſet liberum non geſtare , & cum geſtabant , ex quacunque materia poterant illa parare.

Secundò,aſſumuntur ad hoc probandum laudes

desà ſponſa coniectæ in ſponſum. *Laudat*, inquiunt, *crura: erant ergo nuda.* Veriſſimè dictum nudis cruribus inceſſiſſe Iudæos; & quæ faciè cerni poterant, cùm pallium aperiretur. Tunicæ enim vt plurimum, ſupra crura finiebatur. At ineptiſſimè prorſus Id ex hoc encomio ſponſæ colligitur. Quid enim? Sponſus laudat in ſponſa ventrem, vmbilicum, iuncturas femorum: an ſed id cuiquam veniat in mentem ſponſam, aut alias apud Hebræos fœminas partibus iſtis nudatis inceſſiſſe? Nec huic admodum coniectura diſſimilis à quibuſdam adducta de facto Noë, qui iacuit nudatus in tabernaculo ſuo; ex quo colligunt femoralium vſum nullum apud Hebræos fuiſſe. Quod ego non video quomodo deducatur. An enim quia nunc quiſpiam dormiens, & proſtratur in ſomnum, partem aliquam nudet; aptè colligatur vſum femoralium, communem non eſſe.

Tertiò. Adducuntur phraſes Hebræorum, & Græcorum quibus vtuntur in alui egeſtione circumloquenda. Hebræi enim dicunt [a] *tegere pedes*, pro eo quod eſt ventris onus deponere; Græci verò, vt Herodianus, *veſtes crurum demittere.* Quid inde conficit Caſaubonus? Antiquis femoralia non vſurpata. Ridiculè planè. Quid enim hæc inter ſe quibus nihil magis conuenit, quam lunæ, & vepribus? Sanè *demittere veſtes*, *aperire pedes* magis conuenit vſui noſtro in hoc obſequio naturæ. Femoralibus enim dum demittuntur, etiam pedes obteguntur. Itaque potiùs ex hac Hebræa phraſi, quam ad hoc etiam grauis interpres [b] expendit, vſus colligunt noſtrorum femoralium apud Hebræos, quàm reprobatur. Sed de his ſatis.

a Iudic. c.3. & 1.Reg.24

b Serrar. in Iud.c.3.

c Cap.15.27. Ad locũ primi Regum.

[c] Et conuerſus eſt Samuel vt abiret: ille autem apprehendit ſummitatem pallij eius, quæ & ſciſſa eſt.

De pallio vnde dictum; quotuplex apud Hebræos & alios; quod veſtis genus quorum proprium; ex qua materia, & colore.

CAPVT III.

PAllium vt Latina vox eſt, à variis variè deriuatur; & quidam *à palam deducunt*; quod exterior veſtis eſſet, & *palam* geſtaretur omnibus conſpicua; Quæ etymologiæ *palla* quoque tribuitur à Varrone. Alij à *pellibus* quod prima veſtis fuerit, quæ loco pellium ſucceſſit, aut quæ pellibus ſuperinducta, aut quæ facta ex pellibus. Eccleſiaſtici iuris auctores à *palliare*, quod eſt obuoluere, circumtegere, cooperire, deriuant. In quam ſignificationem *palliandi* verbo vſus eſt Apuleius, & paſſim auctores ſæculi poſterioris vtuntur, ſacri præſertim; *Palliari*, inquit, *tam aperta res non poteſt*; Ita nimirum tegi, vt non deprehendatur. In ſacris literis Hebraica vox, quam D. Hieronymus *pallium* reddit, non eadem ſemper eſt. Vnde quam etymologiam habeat in Hebræa lingua, quod nos *pallium* dicimus, facilè ſignari non poteſt. Quod enim habetur in Ioſue [d]. *Vidi inter ſpolia pallium coccineum valde bonum*, Hebraicè eſt אדרת *addereth*, pro qua Hieronymus *pallium*, alij *chlamydem*; Maſius *paludamentum*, quod ea voce, ſi notatio ſpectetur, dicat ſignificari *tapetem vel veſtem magnificam*, & quæ gloriam conciliat ei, qui vtitur. At quod habetur in Pſalmo [e]; *Et velut opertorium mutabis eos*; Hebraicè eſt לבוש *lebus* pro qua noſter *operimentum*, Hieronymus *pallium*. Ex quibus apparet *pallium* apud Latinos, & quæ voces illi reſpondent apud Hebræos, generale nomen eſſe ad veſtes exteriores, quæ primæ aliorum aſpectibus offeruntur; & in quibus non tantùm ratio neceſſitatis & vtilitatis, ſed etiam decoris habetur: quales veſtes *amictus*, & *amicula* nomine deſignantur; & ſunt omnes, exteriores, quæ vſum ſui præſtant iniectæ, & ſuperiectæ. Quæ enim latent, in iis, vt plurimum vtilitas tantum geſtantis ſpectatur: at quæ palam geruntur, in iis etiam pulchritudo quæritur. Ideo fere ſemper exteriores veſtes vnicuique illarumque munditiesmaiori cultu curatur, quam interiorum. Et hanc volunt eſſe cauſam nonnulli, cur D. Paulus, & ante illum Dauid cœlos veſtibus comparauerint, non quibuſcunque ſed exterioribus; *amictus & operimenti* nomine deſignatis. Quia nimirum in illis ornatus & munditiæs impenſiori ſtudio curatur.

d Cap.7.21.

e Pſal 101.

Ex his autem multiplex pallij diuiſio facilè notari poteſt. Primo enim aut largè, aut ſtrictè ſumitur. *Largè*; quicquid in veſtibus ad aliquid operiendum aſſumitur, *pallium* dicitur; quod *palliare*, ſit obtegere, & circumuoluere. Vnde quod obuoluit, tegit cooperit, eo ipſo *pallium*. In hoc ſenſu quæcunque vulgo *coopertoria* dicuntur, puta menſaria, cubitoria, ſtratoria, pallij nomine continentur. Sic Ouidius [f] alicubi lectuli opertoria, pallia nuncupat.

Eſſe quid hoc dicã, quòd tam mihi dura videntur
Strata, nec in lecto pallia noſtra ſedeat.

f lib.1 eleg.2

Et in Ruth [g] in eundem ſignificatum, Noëmi ad nurum de Booz; *Quando*, inquit, *ieris ad dormiendum, nota locum in quo dormiat; veniesque & diſcooperies pallium, quo operitur à parte pedum, & proijcies te, & ibi iacebis.* Similiter & apud Eſaiã. [h] *Coangustatum eſt ſtratum, ita vt alter decidat; & pallium breue vtrumque operire non poteſt.* Largè enim hîc pallij nomẽ omne veſtiarium cooperimentum ſignificat, ſiue proximè in vſum hominis adhibitum, ſiue ad alia tegenda vſurpatum. Et hoc cum latius erat, *pallium*; anguſtius, *palliolum* dicebatur. Ex quo genere erant panni quidam quadrata forma, quibus delicatiores, & infracta valetudine caput obuoluebant. De quo illud intelligunt plerique quod eſt in Seneca: *Videbis*, inquit, *quoſdam graciles, & palliola, focaliaque circundatos, pallentes & ægros.* Si enim *palliolum* hic, & non *pileolum*, quod magis puto, legamus; de hoc quadrato panno eſt intelligendum: vt rectè ante nos alij obſeruarunt. Strictè verò *pallium* ſumptum, dupliciter adhuc accipitur. Impropriè, & propriè. *Impropriè* veſtis omnis eſt ad hominem amiciendum parata. *Ad amiciendum* dici, non ad *induendum*, differentia inter has duas voces retento [i], quam ex Iuriſconſultis adduxi. In quo ſenſu pallij vocabulum acceptum omnes veſtes exteriores complectitur, quæ tunicis iniectæ, primæ ſe ſiſtunt alienis aſpectibus: & in hanc ſignificationem pallium Iſidorus [i] accepit, dum ſub illo quaſi ſub genere differentias iſtas omnes recenſuit; *togam, chlamydem, cinctum gabinum, paludamentum, diploidem, trabeam, ſagum,*

g Cap.3.4.

h Cap.28.20

i lib.19 cap. 24.

penulam, lacernam, mantum, birrum, caſulam, pla- [a Cap.25.] *netam, cucullam*; [a] Quæ ſunt omnia pallia virorum. *Regillum, pallam, ricinium, ſtolam, theriſtrum anaboladium*; quæ ſunt pallia fœminarum. In euodem quoque ſignificatum ſæpè in ſacris literis pallij nomen aſſumitur. Nec enim quoties de illo mentio in amictu hominis, pro certa ſpecie veſtis accipitur, qualem mox deſcribemus; ſed generali notione veſtis omnis exterior eſt, ſiue toga, ſiue pallium propriè dictum, ſiue paludamentum; quæ alio nomine amictus, amiculum, operimentum etiam appellatur. Sic autem ſumi- [b Matt. 5.40.] tur in verbo Chriſti eum præcipit. [b] *Si quis à te vult auferre tunicam, dimitte illi & pallium.* Nec enim ſi quis chlamydem, ſi quis togam, ſi quis mantellum geſtauerit; non vult illud dimittendum, quia *pallium* dixit; ſed illius nomine veſtes omnes exteriores expreſſit, quibus homines ſuper tunicas amiciuntur.

Propriè verò ſumptum *pallium*, pro certa ſpecie veſtis exterioris accipitur, & duplex erat; ſacrum, & commune. Pallium *ſacrum* veſtis erat, & adhuc eſt in Eccleſia Chriſtiana propria maiorum Epiſcoporum de quo poſtea. Pallium *commune* veſtis erat quotidiana, quæ illum vſum gentibus aliis, Græcis præſertim, præbebat, quem Romanis ciuibus toga præſtabat. Itaque ſic acceptum pallium deſcribi poteſt, vt eſſet veſtis exterior hominis amictui in quotidiano vſu parata, Romanæ togæ ex æquo reſpondens.

Qua ergo forma pallium; & qua re à toga diſtinctum? Mirum eſt quam multi multa, & quam diuerſa quiſque comminiſcatur. Mihi tria certa ſunt.

Primum Pallium, non rotundum vt togam, [c Deut. 22. 12.] ſed quadrata forma fuiſſe; quod in ſacris literis [c] expreſsè ſignatur. *Funiculos*, inquit, *in fimbriis facies per quatuor angulos pallij tui, quo operieris.* [d lib. de Pal. c. antepen.] Quare Tertullianus [d] inducens pallium ipſum quaſi pro ſe perorans, & aduerſus vituperatores cauſam dicens; *Omnis*, inquit, *liberalitas ſtudiorum quatuor meis angulis tegitur.*

Secundò fuiſſe ita quadratum pallium, vt eſſet altera parte longius. Eius autem vſum fuiſſe, vt media parte ceruici ſuperiectum, antrorſus anguli reducerentur; & iterum collo ſuperiecti, corpus expeditè regerent, vt obſcurè verbis iſtis [e Ibid. 1. pen.] deſcribit Tertullianus [e]. *At enim pallio nihil expeditius, &c. nuſquam veſtiendo componitur: quippe tota molitio eius, operire eſt ſolutim, id eſt vno circumiectu, licet equidem nuſquam inhumano; ita omnia hominis ſimul contegit; humerum velans exponit, vel includit. Caeterùm qua in humerum adhaeret: nihil circumfulcit, nihil circumſtringit ..... facilè ſeſe regit, facilè reficit; etiam cum exponitur, nulli cippo in craſtinum demandatur.* Non deſunt qui velint antiquorum pallium talis formæ fuiſſe, qualis nunc veſtes, quibus altarium frontes veſtiuntur, vulgò *frontalia*, Eccleſiaſtica voce *pallia* etiam nuncupata. Finge ergo tale quadratum textum, qua parte latius eſt, medium humeris ad ceruices appendi; & quam veſtitus formam præbuerit, eandem volunt antiquum pallium veteribus præbuiſſe.

Tertiò. Denique certum eſſe debet, pallium adſtrictum, adductumque fuiſſe, nec ad pedes vſque protenſum; quod non ſic in toga. Tertullianus ibidem. *Si quis calceatus inducitur, mundiſſimum opus eſt*, pallium nempe. At da toga dixerat: *Illius eſſe proprium tormentum calceos*, quod illi nimirum alliderentur; & ſubinde lutati, totam inquinarent.

Quorum ergo proprium pallium, quale modo deſcripſimus? Primò Græcorum omnium, ſicut toga Romanorum. Res eſt notiſſima: inde enim orta locutio, vt *palliati*, pro Græcis, *togati* pro Romanis appellarentur: non quod aliæ gentes non palliatæ, aut togatæ; ſed quod harum duarum maximè propria toga & pallium in quotidiano vſu. Sic comœdiæ palliatæ, & togatæ in quibus fabulam, qui agunt, aut Græci, aut Latini ſunt.

Sed contra hoc ingens oritur ratio dubitandi. Quomodo enim *pallium* quotidianus habitus Græcorum; ſi proprium apud illos inſigne Philoſophorum pallium erat? Eo ipſo enim quòd quis ſapientiam aut illius ſtudium profitebatur, pallium aſſumebat, & ex illo philoſophus agnoſcebatur. Apuleius [f]. *Nec qui pallio, baculóque, &* [f lib. 11. Met.] *baxeis, & hircino barbitio philoſophum fingeret.* Sidonius ad idem [g]. *Tum praeterea non caeſariem* [g lib. 9. ep. 11] *paſcere, neque pallio, aut claua veluti ſophiſticis in-* *ſignibus gloriari.* Idem Apuleius [h]. *Item pallio ca-* [h lib. 1. florid.] *dauera operiri, & philoſophos amiciri.* Propterea de Antonino Imperatore dicitur [i] duodecimum [i Iul. Capit. in Anton.] annum ingreſſum, habitum philoſophi ſumpſiſſe, & deinceps tolerantiam *cum ſederet in pallio*, & humi cubaret. Ob id Pythagoras à Valerio [k lib. 8. c. 1.] Maximo [k] palliatus antonomaſticè nuncupatur, quod primus philoſophi nomen aſſumpſerit. Et [l lib. 5. c. 2.] Lactantius [l] de quodam ſui temporis Philoſopho *antiſtitem*, inquit, *ſe Philoſophiae profitebatur; verum ita vitioſus; vt continentiae magiſter, non minus auaritia, quam libidinibus arderet: in victu tam ſumptuoſus; vt in ſchola, virtutis aſſertor, parſimoniae paupertatiſque laudator; in palatio, peius coenaret, quam domi; tamen vitia ſua capillis, & pallio, & (quod maximum eſt velamentum) diuitiis praetegebat.* Sunt qui dicant, non olim, ſed poſteriori tempore ſub Auguſtis & Cæſaribus pallium in vſu tam aſſiduo eſſe deſiiſſe Græcis; & à ſolis Philoſophis retentum. Sed id fictum eſt ad illudendam difficultatem. Cur enim Valerius Pythagoram dicit palliatum; ſi non inſigne Philoſophi pallium? Cur loquens Sidonius de priſcis Philoſophis, inter illorum inſignia, pallia reponit?

[m] *Tetrica nodoſa commendant pallia claua.* [m Carm. 15.]

Cur Apuleius & Gellius idem faciunt quoties de antiquis Philoſophis loquuntur? Alij ergo dicunt inter Romanos & Græcos alios togas aſſumpſiſſe; ſolos Philoſophos pallium ſemper retinuiſſe; ſic vt pallium etiam Græcis ipſis inſigne eſſet Philoſophum profitentis.

Sed dicendum vel pallium Philoſophorum proprium fuiſſe, non quod alij etiam non palliati; ſed quod Philoſophi in ſolo pallio, ſine alia veſte. Sic enim Diogenes *pallio* nudo corpori ſuperiniecto ſcribitur inceſſiſſe; vel certè non pallium ſolum fuiſſe inſigne Philoſophorum; ſed ſimul cum *baxeis*, & *baculo*; ita vt non ſolum pallium, nec ſolus baculus, aut baxeæ; ſed omnia ſimul eſſent indicium Philoſophantis. Itaque vbi pallium Philoſophis tribuitur, ſemper clauæ baculoque coniungitur; vt ex locis adductis conſtat. Et diſertè Gellius [n] non ſolum pallium, ſed [n lib. 13. c. 8.] alia iunctim Philoſophorum dicit inſignia fuiſſe. *Nihil*, inquit, *fieri poteſt indignius, quàm quòd homines ignaui, ac deſides; operti barba & pallio, mores, & emolumenta Philoſophiae in linguam, verborumque*

berumque

borumque artes conuerterent, & vitia facundiſſimè accuſarent intercutibus ipſi vitiis madentes.

Secundò. Præter Græcos, puto quoque fuiſſe pallium proprium Iudæorum indumentum; quod apertè colligitur ex Dei præcepto antiquiſſimo de fimbriis in quatuor angulis pallij conſuendis; & vſu perpetuo Nazaræorum & Phariſæorum. Non mirum autem, ſi cùm Iudæi nulla admodum commercia cum gentibus aliis exercerent, à quibus etiam ſummo deſpectui habebantur, ita nulla eorum ratio habita ſit, vt perinde quaſi nulli eſſent, Græcorum tantùm pallium eſſe diceretur, licet ab Hebræis etiam vſurpatum, & longè etiam apud illos antiquius.

Tertiò ſicut toga Romanorum propria, ſubinde tamen ab aliis induebatur; ſic pallium proprium Græcorum à Romanis ipſis identidem vſurpabatur. id autem cum fiebat, erat prorſus vt alio prouerbio dici ſolebat, à bobus ad aſinos; ab honeſto nimirum ſtatu in deteriorem deſcendere. Nam qui togam ſumebant, pallio relicto, vt qui recens ciuitate Romana donabantur conditionem ſuam meliorem reddebant; at qui toga relicta, pallio amiciebantur, à Romana ciuitate quaſi deſciſcere, & in aliam cooptari videbantur. Quod erat plane in deterius proficere. Inde locus prouerbio factus *de toga ad pallium*, pro eo quod eſt, à meliore ſtatu in deteriorem decidere. Cuius occaſione Tertullianus inſignem librum de pallio ſcripſit, cum ipſe prius togatus non ſolum, ſed Romana grauitate Senator toga depoſita, pallium ſumpſiſſet; vt humili habitu demiſſionem Chriſtiani animi profiteretur. Ob id ab ethnicis irriſus, identidem in illum iactantibus *de toga ad pallium, de cælo in cœnum*, & à *bobus ad aſinos* decidiſſe, librum contra eos ſcripſit, in quo pallium, eiuſque vſum defendit. Videamus ergo cum Romani ſubinde pallium ſumerent, qui iſti eſſent, & quare ſumerent.

Primò. Qui negotia forenſia ablegabant, & vitæ quietæ, & ab omni tumultu ſeiunctæ vacare ſe velle profitebantur. Et id quia toga etiam ſub Imperatoribus propria eorum erat, qui iura dicebant, aut tribunalia quoque modo in orbe Romano frequentabant. Tertullianus inter alia togæ pallium præferens, quod à negotioſa vita ſeiungat, inducit ipſum ſuam cauſam perorans. *Ego*, inquit, *nihil foro, nihil curiæ debeo; nihil officio aduigilo; nulla roſtra præoccupo, nulla prætoria obſeruo, cancellos non odoro, ſubſellia non contundo, iura non conturbo, non iudico, non milito, non regno; ſeceſſi de populo. Immo vnicum negotium mihi eſt, nec aliud nunc curo, quam ne curem.* Hæc enim omnia togati tantum obibant; quia iure ciuium fruentes, quales tantum togati.

Secundò. Quicunque Chriſto nomina dabant, vt plurimum à toga ad pallium tranſibant; vt ea ratione nuncium ſe mittere muneribus publicis ſignificarent. & id iam ita vulgatum, vt eo ipſo quod præter ſolitum quempiam poſt togam in pallio videbant, ethnici ſtatim clamarent, vt refert Tertullianus [a], *Græcus & impoſtor eſt*, etiam tamen in ambiguo nomine ludentes. Nam quia pallium imponebatur humeris dum indueretur, vt nunc noſtra mantella, & ipſum, *epithetum*, ſiue *appoſitum*, & palliati *impoſitores* dicti. Inde *impoſtores*. omnis enim *impoſtor* & *doloſus*, *planus* & *ſycophanta*, qui alios circumuenit falſo crimine appoſito, non aliter id agit, quam veritatem *palliando*. Ex quo, vt dicebam, ludus amarus in Chriſtianos ex amphibologia, cum impoſtores dicebantur, vt pallio ſimul indusi, & tacitè fraudis & calumniæ notarentur. Cæterum tam proprius Chriſtianorum habitus pallium, vt librum ſuum ſic claudat Tertullianus? *Gaude pallium, & exulta; melior iam te philoſophia dignata eſt, ex quo Chriſtianum veſtire cœpiſti.*

[a] Apol. c. 3.

Tertiò pallium etiam ex Romanis ſumebant, quicunque litteratum otium ſequuti, liberales artes profitebantur. Apud Tertullianum pallium ipſum ſic pro ſe loquitur. *De meo veſtiuntur, & primus informator litterarum, & primus edomator vocis, & primus numerorum arenarius, & grammaticus, & rhetor, & ſophiſta, & medicus, & poeta, & qui muſicam pulſat. Omnis liberalitas ſtudiorum quatuor meis angulis tegitur.* Hi ergo pallio apud Romanos vtebantur.

Videamus iam quo textu conſtaret, & quo colore. *Textu*; erat ſimplici & puro; *materia*; lana, aut lino, cum fimbriis ſemper, apud Hebræos præſertim, qui pallia non niſi limbis marginata ferebant. De textu Tertullianus. *Prius*, inquit, *ad ſimplicem eius ſpectes telam.* (Sic enim textum omne quacunque ex materia appellatur) *nullo radio conſtat; adeo nec artifice neceſſe eſt qui pridie rugas ab exordio formet, & inde deducat in tilias.* Ex lana vero & lino fuiſſe; non dubium: licet enim etiam ſericum aliquando legatur, ambiguum tunc eſt, propriè ne pallium ſumatur, an impropriè. Chlamys enim aut paludamentum, quæ & ipſa largè nomine pallij, contineri diximus, intelligenda fortaſſe ſunt, vbi pallium ſericum [b] appellatur. *Fimbriatum* vero fuiſſe; conſtat ex iis, quæ ſupra diximus: & tale fuiſſe nunc pallium Samuelis; indicat illius abſciſſio. Saul enim cum pallij Samuelis extremitatem tenuiſſet, & ille nihilominus ſuum iter intenderet, quod apprehenderat Saul, abſciſſum eſt; nempe fimbria, qua pallium præcingebatur ad oras.

[b] Stat. lib. 3. ſyl. 4.

In Abſidibus duarum Eccleſiarum Vrbis, Lateranenſis & Liberianæ, & in titulis ſanctarum Praxedis, & Potentianæ viſuntur in pallio veterum Chriſtianorum imagines; in quibus apparet illud fuiſſe figuræ quam dixi; breuius nimirum à tergo, antrorſus magis protenſum, quo quatuor anguli reducti dependent. Ipſum verò totum pallium expeditum, ſimplici textu, & candido, ſolutim iniectum; tale prorſus eſſe, quod ſi explicetur, apte poſſit pro *frontali aulæo deſeruire*; ex eo genere, quæ noſtris altaribus appenduntur, & pallia quoque vocantur.

§. I.

Chriſtus Dominus, togatus ne, an palliatus inceſſerit.

TOgatus videtur. Primò, quia Romani tunc iam Iudæos ſubiugauerant; illos ergo in ſuos mores conſuetudineſque traduxerant. Quare ſicut ea eo iam Hebræi menſæ accumbere, non ſedere ſolebant; ita eodem modo cum victoribus ſuis veſtiri; proinde vt victi à victoribus in veſte non diſcreparent, induiſſe togam probabiliſſimum eſt. Secundò, quia picturæ priſcæ ferma omnes Chriſtum nobis, & Apoſtolos togatos repræſentant, vt Romæ in pluribus antiquis Baſilicis videre licet. Tertiò, quia Tertullianus inſignis adeò pallij patronus, hanc inter alias lau-

dea

des, quas vndique conquirit, non omiſiſſet; ſi Chriſtus Dominus illud induiſſet.

Communis tamen ſententia eſt, non toga Chriſtum, ſed pallio vſum; quod indicant cum Patribus [a] recentiores interpretes. [b] Exponentes enim cur in quatuor partes Chriſti veſtimenta milites diuiſerint, aſſerunt id factum, quia veſtis Chriſti ſuperior, quæ nomine *veſtimenti*, vt ſupra docuimus, abſolutè ſignatur, quadrangula erat. Certum autem eſt pallium quatuor angulos habuiſſe, non togam; & illud, non togam à Chriſto depoſitam, cum veſtimenta ſua depoſuiſſe ſcribitur, Apoſtolorum pedes ablutorus, vt iidem Patres, & quos adduximus interpretes obſeruant.

a *Cyril. catech.* 13. *Auguſt. tract.* 118. *in Ioannem.* *Euthim. Ioan.* 19. & 20 *Hieronym. ep.* 22.
b *Beda hom.* 40 *tit.* 7. *Idem Euthim. Matth.* 26.

Nec argumenta conuincunt in oppoſitum allata. Non primum; quia licèt aliquos Romanorum mores ab illis victi reciperent; non tamen omnes: & toga propria Romanorum erat; quam aſſumere tantum poterant ea externis Romana ciuitate donati. Non ſecundum; quia picturæ Chriſtum repræſentantes, longè poſt ipſius tempora perfectæ ſunt, quando pictores, non quod verè fuit à Chriſto in veſtibus vſurpatum; ſed quod ipſis probabile videbatur, expreſſerunt. Nec tertium, quia Tertullianus apud Ethnicos, non apud Chriſtianos, laudes pallij proſequebatur: vnde non erat quod in commendationem pallij Chriſti exemplum proferret.

c *Iudic.* c. 14. 13.

Ad verba Sampſonis. [c] Dabo vobis triginta ſindones, & totidem tunicas.

Sindon, quod genus veſtis; an inter ſtragula tantùm, an etiam inter pallia computanda: adoleſcens amictus ſindone ſuper nudum, quis; ab Endromide ſindon quid differret.

§. II.

COmmunis vſus videtur ſindones intelligere lintea ſubtili textu, quæ lectulis ad mollius cubandum inſternuntur: at ex hoc loco clarè conſtat, ad amiciendum fuiſſe, non inſternendum. Sampſon enim cum Palæſthinis ſponſione propoſita conuenit; vt ſi ipſi problema ſoluerent, quod erat illis propoſiturus; triginta ſindones cum totidem tunicis, iis tradere cogeretur. Inde verò Sampſon ſponſione damnatus, vt illam ſolueret, totidem Aſcalonitas occidit, à quibus ablatas veſtes, de quibus in ſponſione conuenerat, ſindones nimirum, & tunicas iis, qui problema explicauerunt, repræſentauit. Erant igitur ſindones non lintea ad inſternendum, ſed veſtes ad amiciendum. Quales igitur?

Duo breuiter explicanda. Primum quid Latinis ſindon; & quod veſtis genus. Secundum, quid Græcis & Hebræis ea vox ſignificat, quam noſter interpres ſindonem reddit.

De primo dubium non eſt Latinis ſindonem genus aliquod pallij fuiſſe, quo aduerſus ventos, pluuias, & alias aëris iniurias ſe munirent? Martialis agens de endromide, veſte Lacedæmonia quam amico mittebat, & vſum maximè præſtabat, auræ frigidiori ab artubus arcendæ. Hæc habet [d].

d *lib.* 4. *epig.* 19.

Hanc tibi, ſequanicæ pinguem textricis alumnam,
Quæ Lacedæmonium barbara nomen habet,
Sordida; ſed gelido non aſpernanda Decembri,
Dona peregrinam mittimus endromida
Ne madidos intret penetrabile frigus in artus,
Neue grauis ſubita, te premat Iris aqua.

Poſt quæ ſubdit.

Ridebis ventos hoc munere, tectus, & imbres;
Nec ſic in Tyria ſindone tutus eris.

Cùm ergo conferat endromidem cum Tyria ſindone, in hoc quod eſt artus ab iniuria frigoris, & violentioris auræ defendere; manifeſtò conſtat ſindonem genus pallij, ſicut & endromidem fuiſſe, quod corpori circundaretur ad amiciendum; non ſterneretur ad cubandum. At qua forma & materia ſindon? Forma, planè erat informis, & nulla certa. tantum enim erat quadratum textum, quod æque poſſet ex omni parte corpori ſuperiinci, & illud inuoluere; Latum tamen, & amplum. Ob id à Nicodemo ſindon munda, & noua parata eſt, qua Chriſti corpus inuolueret, & ſepulturæ mandaret. At de materia nonnihil ambigitur. Beda enim [e] lineam fuiſſe dicit: vnde notat ob id in Eccleſia morem obtinuiſſe, *vt ſacrificium altaris, non in ſerico, nec in panno tincto; ſed in lino terreno celebretur, ſicut eſt corpus Domini in ſindone munda ſepultum. Quod in geſtis,* inquit, *pontificalibus à beato Syluestro Papa legimus eſſe ſtatutum.* At hoc non videtur cum vſu congruere, cui diximus ſindonem deſtinatam. Qualem enim tutelam præſtare poterat textum lineum contra frigus, & imbres? Et Martialis comparans ſindonem cum endromide, quæ lanea erat, ipſam quoque laneam fuiſſe ſubindicat. Ob id enim *pinguem endromidem* appellauit, quod lanea eſſet: pinguedo enim in veſtibus ex lana eſt aggeſta & depexa.

e *in Marc.* 15.

Sed dicendum ſindonem fuiſſe lineam. Nec obſtat vſus. Ex lino enim firmiſſima texta fiebant; quæ, vt alibi docuimus [f], non tantum frigoris appulſum repellerent, ſed telorum. At *endromis* erat lanea. Eſto id: non in hoc illa ſimilis ſindoni, quam lineam fuiſſe clarè B. Ioannes oſtendit. Quod enim alij Euangeliſtæ [g] dixerunt *inuolutum Chriſti corpus in ſindone*; verbis aliis enarrans ipſe dixit [h]; *Et ligauerunt eum linteis cum aromatibus.*

f *lib.* 1. *Reg.* c. 17.
g *Matth.* 27. *Marc.* 15.
h *Ioan.* c. 19.

De ſecundo quod noſter vertit *ſindon*, aliquando Græcè eſt *ſindon* vt apud Salomonem [i]; aliquando *ependitis*. Sindon Græcè, putant aliqui deductum ab Hebraico סָדִין *ſudin*, quod verbum eſt apud Salomonem de muliere forti; *ſindonem fecit, & vendidit; & cingulum tradidit Cananæo.* Hebraicè enim pro *ſindonem*, eſt סָדִין *ſudin* à radice Sadan; quam R. Dauid [k] textum lineum eſſe dicit, ex quo ſindones ad lectos ſternendos, & ſubuculæ fiunt ad induendum. Græcè autem LXX. pro *ſadin*, *ſindonas* verterunt; *nominis*, inquit quidam, *aſſociatione ducti*; quam tamen inter *ſudin*, & *ſindones*, ego non video. At *ependitis* vertitur *tunica*, vt apud Ioannem [l]. *Simon Petrus*, inquit, *cùm audiſſet, quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe: erat enim nudus*; Græcè pro *tunica*, eſt ἐπενδύτης *ependitis*. Quid ergo *ependitis*? Theophylactus [m] dicit eſſe linteum textum, quo Phœnices Tyriique piſcatores amiciebantur; ſiue nudi eſſent, ſiue veſtiti. Ex quo tria colliguntur.

i *Prouer.* 31. 24.
k *In lib. radic.*
l *Cap.* 21.
m *Ioan.* 21.

Primum. Cur Martialis appellet *ſindonem Tyriam*: non enim quod eſſet purpurea, vt quidam perperam; ſed quod eſt Tyro ſidone, Phœnicia, & quod Tyriis maximè vſitata; ſicut nunc

dicimus

dicimus l'*Olanda, Segouia*, pro textu lineo, vel laneo, quod in regionibus illis eximiè contexitur.

Secundum. Quod ſindon ependiti reſpondens, erat amiculum ad manus paratum; vt eo contra ſubitas aëris iniurias muniretur; cùm nec otium, aut facultas eſſet aliquid operoſius induẽdi qualea erant qui piſcabantur; qui pila ludebãt; qui ex balneis exibant; aut aliter, vnde ſudorem conciperent, exercebantur. Omnes enim iſti mox vt ab opere ceſſabant, ſindonem ſumebant; vt eo texto ſuperiecto, contra frigidioris aëris appulſum, ſudantibus maximè noxium, munirentur.

Tertiò colligitur quis ille fuerit adoleſcens apud Marcum, qui ſindone dimiſſa profugit. Si enim ſindon erat proprium amiculum piſcatorum, qui nudi & madentes, ſuo ex opere cum ſurgerent, eo inuoluebantur; haud improbabiliter ſuſpicari poſſumus piſcatorem quempiam fuiſſe, ex eorum numero, qui Chriſtum frequentes audiebant. At quem dicemus? Sunt qui Ioannem Euangeliſtam putant, qui Caietano non probantur. Alij volunt fuiſſe Iacobum minorem; quidam nullum ex Diſcipulis; ſed adoleſcentulum horti cuſtodem, qui turba militum ſtrepituque excitatus, cubili relicto, veſtem ſuperinduit, quam primo ad manum habuit: alij non cuſtodem horti; ſed vnum aliquem ex domo fuiſſe in qua Chriſtus cœnauerat. Theophylacto [a], & Victori Antiocheno probabiliſſimum videtur nec Apoſtolum, nec diſcipulum fuiſſe: cum enim Marcus præmiſiſſet; *Tunc diſcipuli eius relinquentes eum omnes fugerunt*; ſubdit; *Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum.* Non ergo hic ex numero diſcipulorum: alioquin vel Marcus non dixiſſet; omnes illos fugiſſe; vel certè quaſi generalem loquutionem corrigens ſubiecíſſet; *Vnus autem ex illis ſequebatur illum.* Quis ergo hic? Incertum planè. Tantum enim hoc ab Euangeliſta narratur, vt oſtendat quanta cura ſolliciti eſſent Iudæi ne quod fecerant emanaret, antequam in tuto Chriſtus, quem comprehenderant, locaretur. Ob id enim maiè cauiſſe, ne quis adeſſet extraneus, qui rem poſſet euulgare. Quare viſo adoleſcente curioſiùs id quod factum fuerat obſeruante illum comprehendere voluiſſe.

a Marc.14.

b Cap.18 6. Ad verba prima Regum.

[b] Expoliauit ſe Ionathas tunicâ, quâ erat indutus; & dedit eam Dauid, & reliqua veſtimenta ſua, vſque ad gladium, & arcum ſuum & baltheum.

De tunica, vnde dicta, quale genus veſtis, quotuplex, quorum propria, qua forma, opere, colore, & materia.

Capvt IV.

Tvnica Latinis à tuendo eſt appellata, vt notat Varro [e]. Vnde membranæ oculorum, cerebri, & alia quæcunque circumplexu ſuo in animalibus aut fructibus fouent, & tegunt, à tuendo quoque tunicæ dicuntur. Propriè verò hoc nomine veſtis appellatur, quæ circumplexu ſuo membra vitalia tegit à pectore ad ima crura. Quod totum in animali *corpus* antonomaſticè nuncupatur, ob quod hoc genus veſtis antonomaſticè quoque dictum eſt *à tuendo*, licèt aliæ veſtes etiam tueantur: quia aliæ partem aliquam corporis; at tunica omnes ferè tuetur, dum partes protegit, quæ reliquis aliis robur vireſque miniſtrant. Hebraica vox, quam noſter *tunicam* vertit, duplex eſt כתנת *chethoneth*, & מעיל *mehil*. Quod enim habetur de Samuel [d]; *Et tunicam paruam faciebat ei mater ſua, quam afferebat ſtatutis diebus*; in Hebræo pro *tunica* eſt *mehil*. at quod dicitur de ſacerdotibus [e]. *Porro filiis Aaron tunicas lineas parabis*; pro *tunicis*, Hebraicè eſt chethoneth.

e lib.1. & 4 de ling. Lat.

d 1.Reg.2.

e Exod.28.

Quid verò duæ iſtæ voces propriè ſibi velint apud Hebræos; non eſt omnino exploratum; quod eas, non vno ſemper modo vertat noſter interpres. Nam *mehil*, etiam vertit alibi *ſtolam*, vt in libro Paralipomenon [f]. *Porrò Dauid*, inquit, *erat indutus ſtola byſſina*. Alibi *veſtimentum*; vt de Iob [g]. *Surrexit*, inquit, *& ſcidit veſtimenta ſua*. Vtrobique enim eſt *mehil*. Similiter *chethoneth* aliquando tunica, aliquando etiam aliter Latinè redditur. Conſtans tamen opinio eſt, *chethoneth* propriè ſignificare veſtem interiorem, qualis eſt tunica; *mehil*, exteriorem; & ita differre *mehil*, & *chethoneth* Hebræis, vt apud Græcos χιτών, *chiton* (quod ab Hebræo *chithoneth*, videtur acceptum) & ἱμάτιον, *himation*, quæ differunt inter ſe ſicut Latinis tunica & pallium; veſtis ſcilicet interior & exterior. In quem ſenſum duæ iſtæ voces habentur apud Matthæum, cum Chriſtus dicit [h]. *Ei, qui tecum vult in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte illi & pallium.* Græcè enim eſt χιτῶν, & ἱμάτιον, licèt ergo *mehil*, tunica aliquando vertatur, propriè tamen exterius veſtimentum ſignificat: vnde ſæpiùs etiam ſimpliciter *veſtimentum*, & *veſtis* appellatur: quia in ſacris literis, vt etiam in communi ſermone, veſtimentum & veſtis abſolutè poſita, pro conſpicua, & exteriori dicuntur. Sic Chriſtus [i] *depoſuiſſe dicitur veſtimenta ſua, pedes apoſtolorum lauaturus*; non quòd nudus omnino remanſerit; ſed quòd veſtes exteriores & ſuperiores exuerit, quæ ſimpliciter veſtimenti nomine deſignantur. Eodem pacto Saol dicitur [k] *expoliaſſe ſe veſtimentis ſuis, & cecidiſſe nudus.* Nudus enim in ſcriptura dicitur ſine veſtimentis exterioribus quæ more recepto geſtare ſolet in publico ſe ſiſtens. Id quod, vt dicebam, vulgò etiam apud Italos vſurpatur in communi ſermone: qui enim ſolitus in toga, aut mantello procedere, ſine veſtibus eſſe dicitur, aut veſtimenta deponere, cùm ſine illis conſpicitur, aut illa deponit. Sic afferri cuipiam veſtem dicimus, & illi indui; cùm togam domeſticã illi curamus. Maneat ergo, quæ voces à noſtro interprete pro *tunica* accipiuntur, apud Hebræos interiores, & exteriores veſtes ſignificare: ita tamen vt quod Latinè tunica dicitur, Hebraicè magis voce *chethoneth* explicetur; voce verò *mehil* tunica, ſed exterior [l] ſignetur. Propter quod in ornatu ſacerdotali tunica prior, & intima quæ linea erat, *chethoneth*, exterior verò, & hyacinthina omnibus conſpicua *Mehil* appellatur.

f Paralip.1.c.15.

g Cap.1.

h Cap.5.

i Ioan.13.

k 1.Reg 19. 24.

l Exod 28.

Ex his verò quale genus veſtis tunica fuerit, haberi facilè poteſt: erat enim parata ad induendum, vt corpori applicata vitales illius partes ab iniuria cœli tueretur. Quatenus ad *induendum* ab *amiculis* diſtinguebatur, qualia ſunt pallia, togæ, & quæ ſub illis. Quatenus ad *partes omnes vitales*; ab aliis indumentis differebat, quorum

erat

erat partem duntaxat aliquam corporis rueri.

Iam verù tunica ſic accepia multiplex erar,vt variæ eius diuiſiones ea variia capiribus deduci poſſunt. Ex forma,ea quantitste, ex materia, ea ornatu,ex genere perſonarum, ea induendi modo. Ex *forma*;ſine manicis,& manicata. Ea *quantitate*;laaa & adſtricta; breuis, & talstis. Ex *materia*,ſerica,lanea,linea, hyſſina. Ea *ornatu*; pura prætexta, picta palmata. Ex *genere perſonarum*; virilis,muliebris. Ea *induendi modo* denique diuidebatur in induſium, ſubuculam, interulam ſupparum. Nam quæ corpori intime applicabatur, *induſium* erat; quæ ſub alia tunica induebatur, *ſubucula*. de quibus aliquid eſt dicendum quantum ſatis erit ad ſacras literas. Duo ergo hîc explicanda primum quot tunicis in communi vita Hebræi,& alij veſtirentur. Secundò ſohucula,& induſium dicentur, & ſi quæ aliæ differentiæ tunicarum.

De primo,non plures vna tunica geſtare ſolitos;multa perſuadere videntur. Primò quod nullæ ſtatuæ ſiue mulierum ſint, ſiue virorum, ſine nobilium,ſine ſeruorum plures præferant; vt facilè eſt in tanta ſtatuarum multitudine quæ in vrbe viſuntur, obſeruare, & etiam in proaimis ſuburbanis. Secundò Chriſtus Dominus vnica tantum tunica veſtiebatur, vt tradit Cyrillus
a Catech.5. Hieroſolymitanus [a]; & id quia in omni victu & veſtitu nihil vſurpabat, abhorreus à communi. Tertiò. *Deponere tunicam*, idem Romanis erat, quod nudum ſe ſiſtere,tantum ergo vnica veſtiebantur,cui togam,vel pallium in publicum pro-
b lib.3.Eleg. 13. cedentes inducbant. Ouidius tradens alicubi [b] tantum ſine crimine poſſe corpus in lecto nudari; ſubdit

Hinc ſimul exieris,laſciuia protinus omnis
Abſit,& in lecto crimina pone tua
Illic nec tunicam tibi ſit poſuiſſe pudori.

c Cap.5.13. Et ſponſa in Canticis [c]; cum nocturno tempore ianua pulſaretur à ſponſo petente, ſibi vt aperiret,nec ſe pateretur in publico pernoctare, noctis rore madentem, reſpondit nudam iam ſe, & lotam lectulo conceſſiſſe;nuditatem verò ſuam per hoc circumloquitur,quod tunicam depoſuerit,vt Patres obſeruant. *Expoliaui me*, inquit, *tunica mea;quomodo induam illam. Laui pedes meos;quomodo iterum inquinabo illos*? Exuiſſe tunicam; eſt nudam illam eſſe, & ſtragulis opertam iam cubare. Ex quibus nunc ſemiſopitæ,ſurgere moleſtum ſit. Si ergo tunicam deponere nudari erat; profectò non plus vna tunica geſtabatur.

At ex alia parte duabus ſaltem videntur vſi. Primò quia Chriſtus Dominus, præter togam, aut pallium,binas ſaltem tunicas geſtauit, vt ſupra ea recepta opinione docuimus. Probabile verò non eſt Chriſtum Dominum cum reliqui in communi vſu vnica contenti eſſent, ipſum plures induiſſe. Secundò. Quia Ionathas hoc loco dicitur *expoliaſſe ſe tunica ſua*,illamque cum *veſtimentis*, exterioribus nimirum pallio puta, vel chlamyde,dediſſe Dauidi. Non ergo tantùm vna tunica veſtitus erat; alioquin nudus in omnium oculis remanſiſſet. Tertiò. Quia Romani veteres, & Hebræi cum operis aliquid acturi erant,in quo vires exercendæ,& extendæ, tunicam in omnium conſpectu ponebant. Vna ergo ſi tantum veſtiebantur; in omnium conſpectu nudabantur;ſiue pila luderent;ſiue ſe armis exercerent; ſiue aliquid inſoliti laboris aſſumerent. Quo quid abſurdius? Cicero de Dionyſio;*Cum pila ludere vellet tunicamque poneret, adoleſcentulo, quem amabat gladium tradidiſſe dicitur*. Et Chriſtus Dominus loquens de eo qui exerceba-
tur in agro [d]; *Et qui*,inquit, *in agro,non reuertatur* d Matth.24.18.
tollere tunicam ſuam;quam nempe domi reliquerat, vt opus expeditiùs obiret. Hac de controuerſia duo mihi dicenda videntur.

Primum. Duas ſaltem tunicas in communi vſu veteres geſtaſſe;ſtrictiorem alteram, & nudo corpori protinus hærentem; alteram laxiorem, ſuper illam indutam, & magis fluentem. Hoc quæ proximè pro ſecunda ſententia ſunt allata, conuincunt; nec in contrarium adducta reuellunt. At ſtatuæ vnam tantùm tunicam præferunt. Primò id perpetuum non eſſe. Licèt enim rariſſimæ: nonnullæ tamen cum pluribus tunicis conſpiciuntur. Secundò,

——Pictoribus atque Poëtis
Quidlibet audendi,ſemper fuit æqua poteſtas.

Multa enim faciunt arti prodendæ, & oſtentandæ. Ex quibus arguere non licet id in vſu communi fuiſſe vſurpatum, quod aut ſculpendo, aut pungendo, ab ipſis exprimitur. Plerumque nuda nobis corpora ſtatuunt in comitio, in pugna, in agro. An ob id arguemus omnino nudos veteres pugnaſſe, iter egiſſe, aut quid operis in publico factitaſſe? Tertiò. Tunica interior & adſtricta, non ita conſpicua erat; ſed ab exteriori laxa, & fluente,tota quaſi obruebatur. Ob id nec à ſculptoribus in ſtatuis exprimitur; aut certè ipſa ſola repræſentatur ad artis excellentiam prodendam, dum ſimul nuda membra per illam tranſlucere artificis ingenio cernuntur.

At *tunicam exuere*;eſt nudare ſe. Non ſemper, ſed aliquando pro ratione temporis, & loci de quibus agitur. Et tunc tunicæ vocabulum per ſynedochê accipitur,ſingulari poſito pro plurali. Quem ſenſum habent verba ſponſæ de lecto, cui dormitura conceſſerat, reſpondentis. *Expoliaui enim me tunica mea*; pro ſubiecto argumento, de omnibus tunicis intelligitur; non quod vnica tunica tunc vterentur; ſed quòd *tunica* pro *tunicis* hic appellatur. Quod etiam intellectum fuiſſet, ſi, *expoliaui me veſte mea*, ſimpliciter dixiſſet. Eo ipſo enim nudam ſe lectulo cubare ſignificaſſet; & tamen ob id vnicam tantùm veſtem à veteribus vſurpatam non diceremus. At vbi res aliud poſtulat, & propriè loquendum eſt, tunica cùm depoſita dicitur, vna intelligitur, non plures; *vt in agro*, *in paleſtra*, *in xyſto*, *in ſphæriſterio*. ob id indutos pluribus intelligimus, quia vna detracta,non omnino ſine tunica remanebant. & hoc, inquam, erat in quotidiano victu,& veſtitu.

Si quid tamen,aliter vſus exigebat,etiam plures duabus adhibebant. Itaque de Auguſto legimus quatuor illum tunicis,ætate prouecta,veſti-
ri ſolitum. Suetonius [e] de illo, *Hyeme*, inquit, e Cap.82. in Auguſt.
quaternis cum pingui toga tunicis, & ſubucula thorace laneo, & femoralibus & tibialibus muniebatur. Non temerè autem hæc tam ſubtiliter exequitur Suetonius, & memoriæ poſterorum tradit de tanto viro. Quia rarum omnino & inſolitum tot ſimul tunicis indui. Vnde meritò Euthymius illos refellens qui Chriſtum Dominum quinque volunt tunicas habuiſſe, ſtupiditatem hominum admiratur,qui Chriſto tribuant,quod in communi veſtitu rariſſimi, aut nullus vſurparet.

His ſic ſtatutis de numero tunicarum; quales

eſſe

eſſent breuiter explicemus. Dixi diſtinctas in adſtrictiores & laxiores. *Adſtricta*, corpus intimè complectebantur; & ex hoc genere erant *induſium, ſubucula, interula, ſupparum*; quæ quatenus, an nihil inter ſe differrent; incertum eſt.

Induſium videtur proprium fuiſſe fœminarum; de quo Varro [a] cum dixiſſet *pallam*, exteriorem eſſe veſtem fœminarum, ſic appellatam quod palam geſtaretur; ſubdit: Alterum veſtimenti genus *induſium* eſſe, *ab eo quod intus* appellatum. Quomodo autem ſit illud *intus* accipiendum; Nonnius declarat; *Induſium dicens eſſe, quod corpori plures intra veſtes adhæret, tanquam intuſium.*

[a] lib. 4. de ling. Lat.

De *ſubucula* quomodo, & an ab induſio differret; ambigitur. Quidam, quod eſſet propria virorum; induſium, fœminarum. Alij, quod poſt induſium adhiberetur. Varro diſcrimen diſtinctè non ſignat. *Poſtquam*, inquit, *binas tunicas habere cœperunt, inſtituerunt vocare ſubuculam, & induſium*; potius eſt, vt idem vtroque nomine ſignificari dicamus. Interior enim tunica, & *induſium* ab eo quod intus, & *ſubucula* ab eo quod ſub alias omnes veſtes vſurparetur.

Interulam verò quidam, quam nos *camiſiam* dicimus, fuiſſe volunt. Illius in bono ſæculo Latinitatis Horatius, & poſtmodum Martialis; æuo poſteriore, Apuleius, & alij meminerunt.

Denique *ſupparus* vel *ſupparum* etiam interioribus tunicis adnumeratur. Explicans autem quid eſſet Feſtus, veſtimentum fœminarum fuiſſe tradit, inde dictum *quod ſubtus appareret*. Nec aliud iſtis de differentiis, quod adiungamus, habemus; niſi camiſiam noſtram inter illas computandam; Eam autem à litteratoribus noſtri ſæculi nunc ſubuculam, nunc interulam, nunc induſium promiſcuè vocari. Admonuerim tamen, cum tunica generale nomen ſit ad has omnes; propriè nihilominus cum *tunica* dicitur, exteriorem intelligi, ſuper quam proximè toga, vel pallium. Interiores enim illæ ſuo ſingulæ nomine, *ſubucula*, vel *interula* deſignantur.

Tunica quorum, & à quibus vel ſola, vel cum aliis veſtimentis indueretur.

§. II.

TVnica ergo, quorum propria? Omnium ferme gentium; & apud omnes tam virorum, quàm fœminarum. Apud Romanos tamen erant, qui ſine tunicis aliquando; alij qui ſemper in ſolis illis agebant.

Sine tunicis, opinor, erant ſeueriorem Philoſophiam profeſſi cum ſolo pallio incedentes; ob id ſignanter *palliati*, non quod, vt ſupra monui, ſoli ipſi cum pallio; ſed quod ſoli cum ſolo pallio: ſicut milites etiam caligati dicebantur, non quòd ſoli caligis vterentur; ſed quod in ſola caliga incederent, pedibus alio nullo tegumento protectis. Alij verò etiam cum caligis alium calcearum intra caligas induebant, vt infrà dicemus.

Secundò ſine tunicis erant Candidati; de quibus Plutarchus refert *in more fuiſſe, vt ſine tunica, ſola candida toga circumamicti, eaque recincta deſcenderent in campum; & id vt cicatrices & vulnera facilius oſtentare populo poſſent, ſi qua pro Rep. ſuſcepiſſent*: Inde Candidatos appellatos, non quod alij non candidi, cum Comitia fierent, & Tribus in ſuffragia mitterentur; ſed quod ipſi ſoli in ſola toga candida ſine tunicis.

Sopran. in Dauid.

Tertiò opus aliquod facientes etiam tunicam deponebant, vt ex Chriſti verbo [b] colligimus: & qui aliter ſe in ſtadio, vel alibi exercebant, vt habemus ex Cicerone, & docet pluribus Hieronymus Mercurialis.

[b] Matt. 24. 18.

Quartò qui ſeueriorem vitam apud Romanos profitebantur, toga ſola circumamicti, ſine tunicá prodibant, ſubligaculo, & adſtrictis femoralibus quæ nunc *mutanda* præcincti. Valerius de Catone; refert illum *Prætor cùm eſſet iudicium Scauri, quia æſtate agebatur, ſine tunica exercuiſſe, campeſtri ſub toga cinctum.* Campeſtre enim eſt, quod alij *campagum, ſubligaculum, ſemicinctium*, verendis iniectum. Et is habitus erat, quem *cinctum gabinum* veteres appellarunt; in quo plures ſtatuæ cernuntur Romuli, Iouis, & Conſulum Romanorum; qui toga ſupra nuda corpora tecti, & ad lumbos recincta, ſedent quaſi pro tribunali.

[c] lib. 5. c. 6.

Quintò denique prophetæ plerique apud Hebræos ſine tunicis incedebant, ſolo pallio, nudo corpori ſuperiniecto; lumbis tantum Zona pellicea recinctis, quæ *lumbare* propriè dicebatur; & reſpondebat ex æquo femoralibus & ſubligaculo Romanorum. In hoc habitu videtur Iſaias inceſſiſſe, & poſtmodum Elias. In nouo verò teſtamento Ioannes Baptiſta veſtimentum [d] ex pilis camelorum textum tantummodo geſtans, & Zona pellicea circa lumbos accinctus. Veſtimentum enim vt ſupra fuſius, veſtem exteriorem ſignificat; qualis Hebræis erat tantùm pallium. Et hi cum aliis veſtibus ſine tunicis.

[d] Matt. 3. 4.

Cum ſolis autem tunicis, ſine toga, vel pallio. Primò, erant Romani omnes domi, aut cum ruri agebant, vt indicat Tertullianus [e]; ſtatim enim vt à foro domum redibant, togam deponebant; & ruri, aut procul ab vrbanis turbis, ſemper in ſola tunica viſebantur: ob id *tunicata quies* appellata; vt contra, *togata cura*. Martialis [f];

[e] De Pal.

Quos, Fauſtine, dies qualem tibi Roma Rauennam
Abſtulit? ô ſoles, ô tunicata quies,
O nemus, ô fontes, ſolidumque madentis arenæ
Littus, & æquoreis ſplendidus Anxur aquis.

[f] lib. 10. epig. 51.

Et apud Sidonium *unguidos* [g] *menſes in otio fuliginoſo, aut tunicata quiete tranſmittere*, pro eo quod eſt procul ab vrbanis curis.

[g] li. 2. e. p. vlt.

Secundò erant omnes ſerui. Nunquam enim iſti cum toga apud Romanos; ſed aut in ſolis tunicis, aut cum pallio vt infra docebo.

Tertiò tunicati etiam in populo ciues viſebantur; ſed tenuiores, & infimæ fortunæ. Vnde illud Horatij

Vilia vendentem tunicato ſcruta popello.

Pauperes enim & extremæ ſortis in ſola tunica: propterea non *populum* vocat hos Horatius; ſed *popellum*. At verò ſi de promiſcuo tunicæ vſu loquamur, erat illa communis omnium gentium omnis ſexus, ætatis, & conditionis. *Omnium gentium*; quia nullis non ſuæ tunicæ; *omnis ſexus*; quia tam viri, quàm fœminæ, *omnis ætatis*; quia tam pueri, quàm ſenes, *omnis conditionis*; quia tam togatus, quàm miles; tam plebs vrbana, quàm ruſtica. Licet in his omnibus ſuum diſcrimen eſſet, non ſolùm in textura & materia; ſed etiam nonnihil in forma. *Nonnihil*, dico; quia tunicarum omnium ſua quædam figura erat, in qua deinde ſingulæ modicum variabant.

Tunica quali forma, & quam multiplici, &c.

§. III.

a Panciról. lib. 2. var. c. 98.

QVæ ergo hæc tunicæ forma? Qualis[a] ferme nunc in veſtibus cernitur, quas diaconi, & ſubdiacoui, dum ſacerdotibus adſunt, induunt, interim dum ſacris adminiſtrant. Ante pectus integra, ſine iugulo, ſciſſa à lateribus ad genua vſque protenſa, brachia tangens. In quo ſæpè variauit: à principio enim ſola brachia vſque ad cubitum tegebat in viris; in fœminis autem etiam cubitum vſque ad manus ideo manicatæ fœminarum; cùm ſolis brachialibus erant virorum. *Manica* enim cum de veſtibus agitur, propriè tegumentum eſt brachiorum ad manus vſque protenſum, & illas amplexum. Dixi *in re veſtiaria*; nam in re militari, *manica* ſunt etiam quæ vulgo *quanti di ferro*, de quibus Iuuenalis[b].

b Sat. 6.

Baltheus, & manica & criſta cruriſque ſiniſtri
Dimidium tegmen ——

c l. 1. C. de cuſt. reor.

In iure[c] verò ciuili *manica*; vinculum eſt iniectum reorum manibus quod vulgo *manette* nuncupatur. At in re veſtiaria non ſolum aliis veſtibus adiunctæ ſunt manicæ; ſed ipſæ per ſe ab aliis auulſæ, paratæ manibus à frigore tutandis; quæ vulgo *manizza, manicotti*, & Græco vocabulo *chirotheca*. de quibus Plinius[d]; *Cuius manus hyeme manicis muniebantur; vt ne cæli quidem aſperitas ſtudiis vllum tempus eriperet*. Tunicæ ergo virorum omnes ſine manicis olim; manicatæ fœminarum. Ideo probro viris fuit manicatas induere; vt ſine manicis fœminis. Virgilius[e] in exprobrationem Numani Remuli

d lib. 3. ep. 5.

e lib. 9.

Vobis picta croco, & fulgenti murice veſtis.
Deſidia cordi; iuuat indulgere choreis,
Et tunica manicas, & habent redimicula mitra,

f lib. 7. Cap. 12.

De quo ritu diſtinctè Gellius[f] *Tunicis vti virum prolixis vltra brachia, & vſque in primores manus, ac prope in digitos, Romæ atque in omni Latio indecorum fuit. Eas tunicas Græco vocabulo noſtri chiridotas appellauerunt: viri autem Romæ primò quidem ſine tunicis, ſola toga amicti fuerunt: poſtea ſubſtrictas & breues tunicas citra humerum deſinentes habebant; quod genus Græci dicunt Exomides.* Sed quomodo ſine tunicis olim Romani, omnes in ſola toga? Semper enim aut nudos aut togatos oportuit: vtrumque paris eſſe videtur abſurditatis. Nam & domi, & ruri, & priuatim, togatum ſemper egiſſe; plane moleſtum, nudum verò; prorſus inhumanum. Dicendum ergo ſine tunica quidem olim egiſſe; ſed cum interula, & campeſtribus; ſeu femoralibus qualia ſupra deſcripſimus: inde verò tunicas aſſumptas, quas interulæ ſuperinduerunt, ab illis diſtinctæ, ea ratione qua ſupra dixi. In his ergo, quæ virorum erant, primo brachiorum tegumento à fœmineis diſtinguebantur. Deinde, toto amplitudinis modo: nam fœmineæ tunicæ longiores erant & laxiores; adſtrictæ magis, & breuiores virorum. Illæ enim ad talos vſque laxo ſinu & fluenti pertinebant; hæ tantum ad genua. Gellius[g]; *fœminis*, inquit, *ſolis veſtem longam, lateque diffuſam in decorem exiſtimarunt. Ad vlnas, cruraque aduerſus oculos protegenda.* Bene hoc in fœminarum tunicis obſeruat: nam tunicæ virorum vlnas, & crura nudabant, Itaque Publius Africanus[h] Pauli filius Sulpitio Gallo homini delicato, inter alia pleraque quæ obiectabat, id quoque probro dedit *quod quotidie vnguentatus contra ſpeculum ornaretur, ſupercilia raderet, barba vulſa* (non attonſa) *feminibuſque ſubuulſis ambularet*. Quomodo enim notari potuiſſent in Gallo femina ſubuulſa; niſi nudis ille inceſſiſſet? Id autem erat, quia tunicæ virorum paulò ſupra genua deſinebant; vnde crura, poplites, & partem coxarum nudabant; maximè cum vtrinque ad latera paterent. Apertæ enim erant, non totæ; ſed infra alas vſque ad extrema femora: quare toga ſublata, facile quoque erat partem femorum nudari, qua genibus propinqua ſunt. Quintilianus[i] agens de Oratoris habitu pronunciantis, & ab illo quomodo tunica, quomodo toga ſit habenda deſcribens, inter alia, de tunica præcipiens, qualis ea eſſet in viris, inſinuat. *Cui*, inquit, *lati claui ius non erit, ita cingatur, vt tunica prioribus oris infra genua paululum, poſterioribus ad medios poplites vſque perueniant. Nam infra, Mulierum eſt; ſupra, Centurionum.* In quibus magni Rhetoris verbis quædam, quæ huc propriè ſpectant, obſeruentur.

g Ibidem.

h Gel. ibid.

i lib. 11. c. 3.

Primò Tunicas virorum alias fuiſſe *lati claui*, ſiue *clauatas*, quas geſtare, non omnibus ius erat; ſed equitibus & ſenatoribus tantùm. Alias, rectas, & puras, quas omnes geſtabant. *Clauata* verò, ſiue *lati claui*, quæ Feſto palmatæ dicuntur, erant ſiue textura, ſiue acu pictæ, quæ poſteriori tempore *dalmatica* ſunt appellatæ. De quibus Lampridius[k]. *Dalmaticatus* (Commodus) *in publicum proceſſit: atque ita ſignum emittendis quadrigis dedit.* Ab his autem *dalmatica* deinde Diaconorum appellatæ, de quibus in iure canonico[l].

k In vita Com.

l Cap. omnium. diſt. c. de manib. d. 70.

Secondò Rectas & puras laxiores fuiſſe, & ſolitas in pectore præcingi, quod indicat hîc Quintilianus, & Chriſtus Dominus ad cinctum tunicarum ſæpiùs alludens. Sine quo incedere, crimini Romæ, dabatur. Vnde id ortum de Cæſare, quod refert Suetonius[m] Syllam monere ſolitum optimates *vt à malè præcincto puero cauerent*, Cæſare nimirum, à quo iam partibus ſuis exitium timebat.

m Cap. 45. in Cæſ.

Tertiò. Mulierum tunicas *talares* fuiſſe, *genuales* tantùm virorum. Propterea Quintilianus dicit vltra genua tunicas Oratoris extendi non oportere; quòd quæ excederent, fœmineæ eſſent. Quare dicit ibidem ſumma cura Ciceronem egiſſe, vt crura toga protegeret, ne fortè dum diceret varices apparerent, quibus in cruribus laborabat. Argumento ineluctabili tibias, & crura ſine tegmine veteres habuiſſe, tunicaſque illorum non vltra genua protenſas. Si enim vel tibialia Cicero geſtaſſet, vel longiorem tunicam habuiſſet; opus illi non fuiſſet togæ ſubſidium quærere varicibus obtegendis.

Quartò. Non ſolùm fœminarum; ſed etiam puerorum talares tunicas fuiſſe, ob eandem cauſam pudoris nempe tuendi; & quod pueri tunicati tantùm & præcincti, ſine toga incederent. Ob id enim tunica prætexta vtebantur, vt ſupra dixi, limbo purpureo ad extremas oras aſſuto. Quare Ioſephi[n] tunica talaris erat, & polymita, quæ reſpondebat planè prætextæ puerorum apud Romanos, vt videantur iſti à Iacobo didiciſſe quomodo ſint pueri veſtiendi, veſte nimirum compta & talari, qualis erat tunica polymita ſimul ad decorum conciliandum, & pudorem tegendum.

n Gen. 37.

Quintò. Militares viri, & alij quicunque in opere & labore erant, tunicis breuioribus vtebantur,

bantur, ſupra genua tantùm pertinentibus ut expreſsè tradit hic Quintilianus, & infra nos, vbi de veſtibus nobilium,& ſeruorum.

Sextò. Denique formam tunicæ, qua viri, Quintiliani tempore adhuc vtebantur, hanc fuiſſe quam dixi, oempe fine manicis, & non vltra geoua. Quod ita ſeruabatur, vt viro crimini daretur in tunica cõſpici talari & manicata. Vo- de illa ſuot Ciceronis [a] in ſocios Catilinæ, *quos manicatis, & talaribus tunicis*, inquit, *velu amictos,non togis videtis*. Hoc eoim illis exprobrat, vt maximè temporibus illis igoominioſum. At contra poſtea factum eſt, & probro datum, ſi virorum tunicæ manicatæ non eſſent. D. Auguſtinus [b]. *Sicut*, inquit, *talares, & manicatas tunicas habere apud Romanos veteres flagitium erat; nunc autem honeſto loco natis, cum tunicati ſint, eas non habere, flagitium eſt*. Adeo vetum illud eſt.

Alia atas alios mores poſtulat.

Vt quod olim flagitium erat ſi geſtaretur, poſtea flagitium fuerit non geſtari.

a *Orat. 1.*

b *lib. 3. c. 12. de doctr. Chriſtiana.*

Colobium quale genus tunicæ fuerit, & de Chriſti Domini tunica inconſutili.

§. IV.

SVpereſt, vt omnia quæ de tunica dici poſſunt, complectamur, incoſutilis Chriſti Domini tunica, & colobium veterum monachorum. De illa quæri poteſt cur Euangeliſta tam diſtinctè commemoret eam inconſutam fuiſſe; & quid ſit eam *deſuper per totum* fuiſſe contextam; cur denique tanto ſtudio ſit à militibus expetita, vt de illa anxiè ſortirentur. Id Euangeliſta narrauit, quia communes aliorum tunicæ erant, vt dicebatur, à lateribus apertæ; ſub axillis autem ad medium vſque ſutura claudebantur, id quod ſupererat liberè fluente. At Chriſti Domini tunica, non acu, ſed textora cooiuncta. Notat enim Chryſoſtomus [c] aliorum tunicas fieri ſolitas duobus pannis in vnum ſutura coniunctis. At quid eſt *deſuper illam contextam*? Iſidorus [d] Peluſiota dicit *retractam*, nimirum, vt iam textæ telæ quid aliud ſuperrexeretur. Theophylactus exponit non tecto, ſed voius modi ſtamine, ſed tranſuerſim detextam. Probabilius vt per id Euangeliſta ſignificare voluerit, ab ſummo ad imum ſic fuiſſe vno contexto confectam, nihil vt acus opera fuerit in illa adiunctum, aut coniunctum. At cur tantopere milites de illa ſolliciti? Supra de hoc iam diximus. Sunt [e] qui ad ludibrium putent id milites feciſſe. Quaſi Regem traduxerant, io regio diademate coſixerant; vt regi titulus adſcriptus fuerat. Vt regis ergo veſtimenta, certatim ambibant, & quærere ſimulabant. Aſt alij [f] ſerio omnino contendiſſe volunt, quod aliquid inaudiſſent de Chriſti miraculis attactu ſolo patratis, & ob id medicatam, aut aliter efficacem vim ineſſe veſtibus illius exiſtimarent.

c *In Ioan. 19. V. Riberam, lib. 3. de temp. cap. 7. & 9.*

d *lib. 1. ep. 74*

e *Theophil. & Euthim. in Ioan. 19.*

f *Procop. in Gen. c. 28.*

Supereſt *colobium veſtis religioſa*; Ob id non omittenda ſacras literas, & quæ ad illas illuſtrandas faciunt explananti. De eo autem duplex dubium; quorum proprium eſſet, & quale genus veſtis: io vtroque autem occaſio ambigendi oon leuis: nam ex vna parte Caſſianus [g] dicat Monachorum propriam veſtem fuiſſe. De Monachis, Ægyptiis præſertim agens, eorumque veſti-

g *lib. 1. de inſtit. renunc.*

tu; *colobiis quoque*, inquit, *lineis induti; qua vix ad cubitorum ima pertingant; nudas de reliquo circumferunt manus; vt amputatos habere eos, actus & opera mundi huius, ſuggerat abſciſſio manicarum, & ab omni conuerſatione terrena mortificatos eos velaminis lineis doceat indumentum*. Ob id recentioribus [h] *colobium*, non inter veſtes modo verorum Monachorum; ſed omnium planè religioſam vitam arctiùs profitentium proprium exiſtimatur. Et id eſſe putant colobium, quod illi vulgari vocabulo inter veſtes ſuas *patientiam* appellant.

h *Pancir. lib. 1. var. c. 21.*

At ex altera parte, *colobium*, ſiue *collobium* (vtrumque enim nomen à bonis auctoribus vſurpatur) veſtis erat honeſtiſſima, qua Senatores vti iubebantur in vrbe, vt habetur in Codice Theodoſiano; & in Epiſtolis Pontificum meotio fit colobij epiſcopalis; quod arguit illud honeſtiſſimæ veſtis genus fuiſſe, quomodo ergo modeſtiæ, & dimiſſioni teſtandæ colobium à Monachis eſt vſurpatum; cum ea veſtis eſſet propria Senatorum, & ab Epiſcopis ipſis in Chriſtiana Eccleſia geſtaretur? Et augetur difficultas ex eo quod quidam addunt, non Monachorum modo; ſed eremitarum proprium fuiſſe, Paulumque primo m eremitam *colobium* ſuum Athanaſio reliquiſſe, *tunicam* Antonio.

Iam verò de veſte ipſa qualis eſſet, non leuior controuerſia quam de vſu. Conſentiunt enim omnes ſine manicis fuiſſe, collóque inſertam pone humeros, & ante pectus demiſſam, ad genua vſque pertinuiſſe. Quod ſi eſt; quomodo Senatores io Vrbe colobiis à Theodoſio vti iubentur; cùm eo tempore dicat Auguſtinus [i], ſine manicatis tunicis conſpici, fuiſſe flagitium? Adde ſeruos omnes in tunicis apud veteres fuiſſe, quæ ſine manicis omnes erant. At Seruius exertè tradit colobiis antiquos honeſtiores vſos, quæ erant ſeruis interdicta. Quorſum autem, ſi quod hic indicat Caſſianus, erant *colobia* maximè expedita ad opus quodlibet exequendum?

i *lib. 3. de doctr. Chriſt.*

Duo dicenda ſunt. Primùm, colobium fuiſſe veſtem vrbanam, non militarem. Ob id Imperator Theodoſius cum vellet in Vrbe vſum militaris veſtis interdicere, colobiis dixit vtendum Senatoribus; non quod illa pretioſiora eſſent, ſed quod pacis indicium; nec quod illa iuberet, ſed quod permitteret. Inhibens enim vſum ſagi, penulæ, & alterius militaris veſtis in Vrbe, quibus vti liceret exponens, colobium expreſſit. Itaque quod collobiis Senatores vterentur, argumento non eſt illa fuiſſe pretioſa; ſed quod militares veſtes non eſſent; cum non in ſignum dignitatis ab illis geſtarentur.

Secundò dicendum Monachos, eremitas, & alios ſeuerioris vitæ in religioſa diſciplina cultores colobiis vſos, non ad demiſſionem animi teſtandam ex forma veſtis; ſed vt eſſent in illis ad opus & vigilias expediti. Nec incongruum io eodem veſtitu diuerſa fuiſſe ſpectata, cum ad diuerſa referretur; & ob aliud à Senatoribus vſurpatum, ob aliud à Monachis, & eremitis. Sed quid de tunicis, quas maoicatas habere, eo tempore probro dabatur; colobia verò nil erant aliud, quàm tunicæ non manicatæ? Ob id enim Græca voce *colobia*, quod truncata & mutila, demptis nimirum manicis, dicta ſunt, vt alij obſeruant. Duo reſpondere poſſunt. Primum (quod minùs mihi probatur) D. Auguſtinum non de toto orbe Romano loquutum, cum dixit

It a ſuo

ſuo tempote *tunicas non manicatas geſtare pro flagitio fuiſſe*, ſed de ſola Africa. Alterum Imperatores non præcipere colobia Senatoribus; ſed cum præſeriberent quas veſtes non liceret in vrbe geſtare, colobia, de quibus ambigi poterat, cùm alias prohiberent, inter eas, quibus vti liceret expreſſiſſe.

a Cap. 19. 24 Ad illa verba primi Regum

[a] Expoliauit etiam ipſe ſe veſtimentis ſuis, & prophetauit cum cæteris coram Samuele, & cecinit nudus tota die illa, & nocte.

An aliquando veteres, nudi agerent in communi vſu.

§. V.

DVbium non eſt antiquos nonnulla in moribus vſurpaſſe, non ſolum noſtris oppoſita, ſed quæ videntur ab ipſa quoque ratione non leoiter abhorrere; in conuiuiis, in nuptiis, in balneis, in funeribus, in ipſo cultu & amictu corporis; inter quæ iſtud eſt, quod nunc proponimus, & nonnulli dubitant; an ita fuerint Hebræi veteres & alij pudoris incurioſi, vt publicè alicubi, & aliquando nudi agerent in communi vita. Sunt, qui affirment, & velint apud antiquos corporis nuditatem, non tanta cura, nec tam ſubtili diligentia in publico vitatam, vt nunc ſolemus. Quod probant primò, quia Saul hic regia licet dignitate præfulgens, nudus *cecidit & cecinit* tota die. Secundò, quia Ionathas [b] (b 1. Reg 18. 1) in omnium ſe oculis veſtibus exuit, & eas Dauidi tradidit. Nudum ergo ſe ſtitit aliorum aſpectibus. (c 1. Reg. 17.) Tertiò, quia Dauidi [c] ipſi cum Golia pugnaturo, ſuas veſtes Saul induit, in omnium etiam oculis ante ſuis exuto. Quartò, quia prophetæ, qui impulſu diuini Spiritus agebantur, nudi incedebant aliquando; ſine dubio non facturi, ſi res adeo inuſitata fuiſſet, & plena flagitij qualis nunc (d Cap. 20. 2.) habetur. Iſaiæ [d] enim præcepit Deus; *Vade, & ſolue ſaccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit ſic, vadens nudus, &* (e Cap. 1. 8.) *diſcalceatus.* Et Micheas [e]; *ſuper hoc*, inquit, *plangam, & vlulabo: vadam ſpoliatus, & nudus: faciam planctum velut draconum.* Quintò captiui omnes nudi à victoribus agebantur, & id quia ſtudio auaritiæ ſpolia illis omnia victores milites detrahebant, id certè non facturi, ſi tanta cura pudoris antiquis fuiſſet in nuditate regenda, quanta nunc eſt. Pudor enim non ſolùm læditur in eo, qui nudus ante alios ſtatuitur; ſed in iis etiam, qui coguntur alios nudos aſpicere, & ante quorum oculos nudi proſtituuntur. At victi adeo nudabantur, eo ipſo quod capti, vt in (f Nah 3. 5. Abac. 2. 15.) ſacris literis [f] *nuditas* pro captiuitate, & *nudus* pro captiuo ponatur. Sextò apud Hebræos, Romanos, & alios extremo ſupplicio plectendi nudabantur; & in nudos lege agebatur, ſiue in crucem tollendi eſſent, ſiue more maiorum prius verberibus cæſi, ſecuri feriendi; quem morem volunt plerique fuiſſe quoque cum Chriſto ſeruatum, ſic, vt omnino nudus in crucem actus, & de cruce pependerit. Quod ſi fuit; omnino dicendum Chriſtum Dominum tantam in ſe ignominiam non fuiſſe admiſſurum, ſi probroſum tunc adeo fuiſſet, & præter morem, nudum eſſe, (g li. 2. Reg. 7) & videri, vt nũc habetur. Septimò, David [g] in argumentum feſtæ lætitiæ ſacro tripudio membra vibrando, nudatus eſt ante arcam, vt illi Michol exprobrauit, in eo reprehendens nuditatem, non vt prorſus inſolitam, ſed vt Regis indignam. Octauò, veteres tam Græci, quàm Romani, in agro, in campo, in ſtadio, in palæſtra nudi agebant; nudi in omnium oculis luctabantur; nudi pila ludebant; nudi diſcum iactabant; nudi agros excolebant. Vnde Virgilius ad agricolam,

Nudus ara, ſere nudus.

Et de Lacedæmonica palæſtra Propertius indicans nudos in ea exerceri ſolitos, non viros modo, ſed etiam fœminas

Multa tuæ Sparte miramur iura palæſtra;
Sed mage virginei tot bona gymnaſij,
Quod non infames exercet corpore ludos
Inter luctantes nuda puella viros.

Nono, denique balnearum vſus erat Romæ & apud alias gentes adeo promiſcuus, vt in iis non ſolum viri, ſub aliorum virorum aſpectu; ſed paſſim quoque viris admiſtæ fœminæ nudarentur. Id ergo recepto more ſic apud illos inualuerat, vt nunc apud Indos; apud quos nudum conſpici, flagitium non habetur.

Sed dicendum ſemper apud omnes, quibus aliquis humanitatis ſenſus, & ſtudium; ſimul etiam ſummam curam fuiſſe pudoris, in nuditate tegenda; quod ſupra docuimus ex D Paulo, & ex D. Auguſtino. Nunquam ergo, & nullibi, ſiue apud Hebræos, ſiue apud Romanos, in communi vita, nuditas in aliorum conſpectu vſurpata, ſine probro & flagitio. Quem gentium omnium conſenſum tacitè D. Paulus [h] expreſſit, dum dixit his (h 1. Cor. 12. 23.) membris, quæ inhoneſtiora ſunt, abundantiorem honorem omnes habere illa circuntegendo & velando.

Vt autem in contrarium adducta ſoluamus, & explicemus; præmitto communem vſum loquendi habere, vt quædam dicantur non eſſe, aut non fieri, cum non conſueto modo ſunt, aut fiunt, quo debent eſſe. ſic à Chriſto Domino dicitur [i] (i Math. 11. 18.) Ioannes *veniſſe non manducans, neque bibens*, non quod omnino non manducaret aut biberet; ſed quod illius cibus & potus, conſuetus non eſſet, aut talis qui malignè nutriret; Et qui potius eſt ferarum victui, quam hominum accommodatus. Sic etiam Dauid ab Achimelech [k] ſolus aduenïſ- (k 1. Reg. 21.) ſe dicitur; non quod omnino non comitatus Dauid, qui ſimul cum illis panes propoſitionis comedit; ſed quod præter ſolitum paucis comitatus. Sic denique in re præſenti *nudus* aliquando dicitur, non omnino veſtibus cantus; ſed malè veſtitus, aut magna ſui parte nudatus; aut non cum illis veſtibus cum quibus ſolet incedere. Ad (l lib 5. de benef. c. 13.) quod Seneca [l]; *Quadam*, inquit, *etiam ſi vera non ſint, propter ſimilitudinem, eodem vocabulo comprehenſa ſunt. Sic illiteratum, non ex toto rudem; ſed ad literas altiores non perductum, ſic qui malè veſtitum & pannoſum vides; nudum ſe vidiſſe dicit.* Et hic modus loquendi nititur in axiomate, iure ſacro ſimul & ciuili recepto, & omnium gentium conſenſu probato: *quæ parum abſunt, abeſſe nihil videri, & in vnaquaque re, minimum quod interuenit, pro nihilo reputari.* Sic ergo qui ita veſtitus eſt, vt parum diſtet à nudo, quod eadem ferme patiatur incommoda, quæ nudus; etiam nudus appellatur qui parum comedit, *ieiunus*, [m] qui parum aquæ riuus continet, *ſiccatus* [n]. His præmiſſis ad ſingula reſpondeamus. (m Act 27. n Iſaiæ 19)

Primò Saul *nudus dicitur cecidiſſe*, non quia

veſtibus

veſtibus omnibus exutus; ſed quia ſuperioribus ſpoliatus, & regio omni ornamento depoſito ſola in tunica relictus eſt, vt fuſiùs in Commentariis obſeruauimus. Secundò Ionathas expoliauit ſe vſque ad tunicas interiores: vt enim etiam in eiuſdem loci Commentario tradidimus, ſuperiores veſtes ſimul cum chlamyde cum Dauide mutauit. Ob id nec nudus remanſit, propriè loquendo; nec vllum de nuditate ipſius in ſcriptura verbum. Tertiò Dauidi veſtimenta Saulis induta ſunt, & ſua detracta; non tamen ob id exiſtimandum vel illum nudum ante aliorum oculos ſtatutum; vel inde arguendum ſolitos antiquos, nudos incedere; ſi ſtatim quis ante alios ſua veſtimenta deponeret, vt aliis indueretur. Ad quartum Prophetæ nudi aliquando incedebant; non quod verenda non tegerent, vt improbabiliter meo iudicio, interpretes [a] non obſcuri nominis exiſtimant; ſed quod toto fermè corpore, præter illas partes, & illis adiacentes, nudato, vt alij omnes [b]. Ad quintum quod de captiuis dicitur; trahi in argumentum non poteſt, vt inde probemus antiquos ſolitos nudos incedere, quod nudos captiuos agerent. Sed probabile nec captiuos ita omnino nudatos, vt ſubligacula non haberent; niſi ſi quãdo vellent ad obſcœnus vſus illis victores abuti. Quod indicat id ex Habacuch allatum. Ad ſextum. Eſto quod ſontibus & damnatis illud etiam adderent ignominiæ, vt in augmentum pœnæ nudi plecterentur, non video quid inde de communi viuendi more colligi poſſit; probabilius tamen mihi eſt apud non barbaros in reos animaduerſum, verendia ſaltem velatos.

[a] Haymo, Dionyſ. Adam Sasbaut Cornel. in Eſ. cap. 20 2. qui tribuunt D. Hieron.
[b] Hugo, Ferr. Sanc ibi. V. Clementem Alex li. 2. pædagog. Gregor. 2. Mor. 31. Auguſt. lib. 16. de ciuit. c. 9. lib. 12.

At quid de Chriſto in cruce pendente? Sunt qui omnino nudum, & nulla parte corporis obtectum pependiſſe volunt: & hoc ipſum non refugiſſe, vt hac quoque ratione non minus hominum cauſa propter verecundiam in animo, quam propter lacerationem in corpore cruciaretur. At id, vt verum fatear, abhorret animus cogitare de Chriſto: nec enim decebat illius virgineum pudorem; vt tale genus confuſionis admitteret. Itaque qui Patres *nudum* ſuſpenſum dicunt, intelligendi ſunt de nuditate totius corporis, præter quam circa lumbos & femora, modo, quo dixi, quo tamen in genere ſupplicij ſuus ea confuſione cruciatus non aberat, cum homini pudico & verecundo plenum ignominiæ ſit, & confuſæ triſtitiæ ſic ante omnium oculos proſtitui. Ad ſeptimum de Dauide; non eſt curandum quid in illum Michol euomuerit, vt ſtomacho ſuo obſequeretur. Nudum illa Dauidem appellauit, acerbo cõuitio exaggerando deformem habitum in quo Dauid inceſſerat, arcam deducendo. At nudum non fuiſſe; clarè ſcriptura demonſtrat, quæ dicit illum lineo ephod indutum. Ad octauum quod dicitur de palæſtra & aliis exercitationibus gymnicis; nihil probat. In iis enim nudi agebant ſine aliis veſtibus non ſine femoralibus quæ ob id campeſtria dicebantur, quod cum iis in campis exercerentur; ſiue is ager ſiue ſtadium, ſiue xyſtus, ſiue palæſtra eſſet. Nec aliud dicendum de balneis. In iis enim non ſine femoralibus & ſubligaculis erant. In quo tamen ipſo negandum non eſt à verecundia non ſolum, ſed ab humanitate deſciuiſſe, quod balneas promiſcuas habuerint; in quibus fœminæ ſimul & viri lauabantur, quem non morem ſed abuſum turpiſſimum pluribus Patres inſectantur.

Sepran. in Dauid.

Ad verba 2. Regum. [c] Porrò Dauid aſcendebat cliuum oliuarum ſcandens, & flens, nudis pedibus incedens, ſed & omnis populus qui erat cum eo. [c] Cap. 15. 30.

Veteres an nudis pedibus inceſſerint; & de vario genere tegumenti, quo pedes apud illos operiebantur.

§. V.

NVdis inceſſiſſe pedibus antiquos Hebræos; ex his quæ ſubiicio poſſet fortaſſe quiſpiam ſuſpicari. Primò quòd Deus illis præcepit [d] *vt agnum paſchalem comederent feſtinanter habentes in manibus baculos, & in pedibus calceamenta.* [d] Ex. 12. 11. Quorſum enim id præciperet, ſi Iudæis ſolitum pedibus calceatis incedere? Certè quia baculi à veſcentibus non geſtabantur, eos cum vellet Deus in eſu paſchalis victimæ geſtari, nominatim de illis præcepit. Similiter ergo dicendum, quia excalceati incedebant, cum vellet illos in eſu victimæ calceatos, id præcepiſſe. Secundò Chriſtus Dominus in vita victuque communi nihil à reliquis differebat. Venit enim Ioannes *neque manducans, neque bibens*, & ſpretus à Iudæis eſt; ipſe verò vt omnem illis occaſionem præcideret à ſe reſiliendi, quaſi vnus ex illis, inter illos verſatus eſt; in veſte, victu, & reliqua ratione agendi, nihil in ſe notabile præferens, & ab vſu communis conſuetudinis alienum. *Venit*, inquit Chriſtus [e], *Ioannes non manducans, neque bibens; & dicunt dæmonium habet. Venit filius hominis manducans, & bibens; & dicunt; Ecce homo vorax, & potator vini.* [e] Matth. 11. 18. Quid eſt *non manducans, neque bibens?* An ſine cibo & potu Ioannes? Nequaquam. Sed eſt illum, non abſolutè, vt modò diximus, ſed vt cæteros homines nec bibiſſe, nec manducaſſe. vitæ ſcilicet genus ſingulare longe ab aliorum conſuetudine remotum, inſtituiſſe. At Chriſtum *manducaſſe, & bibiſſe*, eſt illum cõmunem cum cæteris agendi rationem in vita victuque ſeruaſſe, quod Chryſoſtomus & Euthymius obſeruarunt. Iam verò Chriſtus nudis pedibus inceſſit: vſitatum ergo tunc erat ſic incedere. Tertiò, Romani nudis etiam pedibus agebant, vnde patrum ſeueri habiti, qui calceis, præter quã in itinere, aut cauſa valetudinis vterentur. Hinc illud Tertulliani [f]; *Pedes nudi, magis decent: certè viriles magis, quàm in calceis.* [f] De pal. Et vetus Iuuenalis [g] interpres extriè ſcribit ſenatores [g] Sat. 1. v. 3. olim non modò excalceatos; ſed nudis pedibus fuiſſe. Propter quod etiam Scipioni, Catoni, Germanico, Phocioni laudi datum quod etiam in caſtris intectis pedibus eſſent; vbi ſcilicet communis conſuetudo ſine calceis incedendi propter belli incommoda non ſeruabatur.

Omnino tamen dicendum Hebræos æque vt Græcos, & Romanos in communi vita calceatos fuiſſe. Quod argumento ineluctabili conuincit in ſacris literis tam frequens calceamentorum mentio, dum inter veſtes quotidianas computantur, omni loco & tempore ſic promiſcuè ab omnibus vſurpatos, vt illis nemo careret. Itaque cum Samuel ab abſtinentiis laudatur, quod populum cum iudicauit, à nemine munus accepiſſet, de eo dicitur [h]; *Teſtimonium præbuit in conſpectu Domini, & Chriſti; pecunias, & vſque ad calceamenta ab omni carne non accepit; & non accuſauit illum* [h] Eccli. 46. 22.

 homo.

homo. Calceamenta enim hic nominatim ſapiens expreſſit, vt orationem exaggeraret. Nihil accepiſſe Samuelem, nec magnum, nec paruum, nec pretioſum, nec vile; vſque ad calceamenta viliſſimum genus veſtis, omnibus commune, & ſemper in promptu. Quare Iſaias *calceamenta* cum *zona renum*, ſiue *lumbari* (ſine quibus nunquam veteres, vt nunc nos ſine femoralibus incedebant) connumerat; quod aſſiduè, & ab omnibus
a Eſaias c. 5. 27. omni locu, & tempore geſtarentur [a]. *Non eſt deficiens, neque laborans in eo: non dormitabit, neque dormiet; neque ſoluetur cingulum renum eius; nec rumpetur corrigia calceamenti eius.* Erat ergo quotidianus adeo calceamentorum vſus, vt nunquam ſine illis, vt nec ſine zona; ſed etiam omnibus ita communis vt non modò diuites, non modò delicati luxúque fluentes; ſed infimæ quoque plebis homines ſine calceamentis non
b Cap 6. 8. eſſent. Vnde Amos [b] in auaros inuehitur, qui pauperes obnoxios ſibi faciunt argento mutuato aut calceamentis. Inducit enim illos ita ſe ipſos ad deuorandos pauperes excitantes. *Imminuamus menſuram, & augeamus ſiclum, & ſupponamus ſtateras doloſas; vt poſſideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis.* Si enim calceamenta non in aſſiduo vſu; profectò pauperes attritis calceis à diuitibus ſibi donatis, aut venditis, ſuam libertatem non addixiſſent. Denique quando alia argumenta deeſſent, quod hic de Dauide dicitur, id omnino conuinceret. Vt rem enim nouam, inſolitam, nec vſitatam narrat facet hiſtoricus illum ſimul cum populo nudis pedibus inceſſiſſe.
a Cap 20. 2. Similiter Eſaiæ [a] Deus præcipit in ſignum quod omnes admirentur, & portentum futuræ calamitatis, vt excalceatus incederet. *Vade*, inquit, *& ſolue ſaccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis.* Id quod Iſaias cum feciſſet, in ſe cunctorum oculos & ora conuertit. Vnde enim Deus id præcepit, & iſti ſunt admirati; niſi quia nouum & inſolitum nudis pedibus ambulare?

At quid de præcepto Dei calceatos eſſe iubentis in eſu paſchalis victimæ? Nihil id eſt: erat enim aliuquin vſitatum excalceatos veſci, quod vbi de conuiuiis latius exequemur. Ob id ergo Deus nominatim de calceamentis cauit agno paſchali veſcentibus cùm vellet ab illis geſtari, quæ ſpeciem haberent iter agentium, & feſtinantium qualia ſunt, in pedibus calceamenta, in manibus baculi.

At Chriſtus nudis pedibus egit in communi vita. Falſum id eſt vt paulo poſt oſtendam. Quod verò adiungitur calceatum incedere fuiſſe hominum vitæ minus ſeueræ. Falſum quoque id eſt, ad quod obſeruandum; aliud eſſe *calceum*, aliud *calceamentum*. Calceus eſt certa ſpecies operimenti ad pedes obtegendos: de quo mox diſtinctè. Calceamentum genus omne tegumenti complectitur, quo pedes quouo modo velantur. *Calceatus* ergo dupliciter accipitur, vno modo, *calceos gerens*; & id fortaſſe non erat hominis inſtitutum vitæ ſeuerioris amplexi. Alio modo, *calceamento aliquo munitus*; & id extra omnem notam erat hominis mollioris; cùm promiſcuum omnibus eſſet, etiam qui vitam dotiſſimè tranſigerent, & genus arctioris vitæ profiterentur, aliquo tegumento munire pedes. Sed hæc vt clarius explicentur, aliqua ſeorſim horum occaſione quæramus.

Ad verba Ioannis de Chriſto. [d] Qui poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cuius non ſum dignus calceamenta portare. d Matth. 3. 11.

An Chriſtus Dominus calceatus inceſſerit?

§. II.

NEgant plerique. Quod probant primò quia Chriſtus Dominus Apoſtolis præcepit ne calceamenta portarent. *Nolite* [e], inquit, *poſſidere* e Matth. 10. *aurum, neque argentum; neque pecuniam in zonis veſtris. Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta neque virgam.* Et iterum [f]; *No-* f Luc. 10. *lite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta.* Et rurſus apud eundem Lucam illos alloquens [g]. *Quando*, inquit, *miſi vos ſine ſacculo, &* g Luc. 22. *pera, & calceamentis numquid aliquid defuit vobis?* Quæ autem ratio patitur, vt cùm Chriſtus Apoſtolos intectis pedibus vellet incedere, potemus ipſum tectis pedibus inceſſiſſe? Secundò ſi Chriſtus calceatus erat & ambulabat; quomodo Magdalena veſcenti, & cum aliis accubanti pedes lauare, & tergere potuiſſet? An calceos illi prius detraxiſſe dicemus? Incommodè certè id fieri potuiſſet. Vnde D. Bonauentura factum Magdalenæ perpendens; *Hinc*, inquit, *manifeſtè potes habere quod Dominus diſcalceatus ibat.* Tertiò cum Simone Chriſtus expoſtulat, quod [h] h Luc. 7. *aquam pedibus ſuis non dediſſet*; quorſum quæſo? Ad abſtergendos, & à puluere quem contraxerant expurgandos. Nullos ergo calceos habebat, quibus pedes contegerentur, ſi opus illis erat aqua, qua ſordes, quas contraxerant, abluerentur. Quartò denique probatur ex D. Hieronymo ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis. *Milites*, inquit, *veſtimentis Ieſu ſorte diuiſis, caligas non habebant quas tollerent. Nec enim poterat habere Dominus, quod prohibuerat ſeruis.*

Communis tamen eſt ſententia Chriſtum Dominum tectis pedibus in vſu quotidiano fuiſſe. Licèt enim ambigi fortaſsè poſſit quo genere tegumenti ſit vſus; aliquo tamen vſum dubitari non debet. Primò quia id clarè verba hæc Ioannis atteſtantur. *Non ſum*, inquit, *dignus eius calceamenta portare.* Geſtabat ergo calceamenta Chriſtus. Si enim nulla geſtaſſet, nec vlla potuiſſet illi Ioannes detrahere; nec poſt illum deferre, quod erat miniſterium omnium viliſſimum, quæ cuipiam poterant exhiberi. Propterea enim antiquitus id pueris dabatur; *à pedibus* ob id appellatis, quod Dominum ſequentes, illi calceamenta detraherent, detergerent, poſt illum portarent, & cuſtodirent. Ex veteri enim more Iudæi loca ſacra adituri, vel conuiuio accubituri calceamenta ponebant, quæ *pueris à pedibus* tradebantur. Ad quem morem, vt rectè alij [i] notarunt, Ioannes i Malden. c. 3. in Matt. alluſit apud Matthæum cum dixit, *Non ſum dignus illius calceamenta portare.* Et clariùs apud alios Euangeliſtas [k]. *Non ſum dignus, procumbens* k Mar. 1. *ſoluere corrigiam calceamentorum eius.* Quo modo loquendi geſtus exprimitur pueri miniſterium id exhibentis. Ex quibus verbis argumentum ad calceamenta Chriſti probanda Auguſtinus [l] de- l Loco cit. ducit. *De calceamentis*, inquit, *conſolatur me Dominus meus. Si enim calceatus ipſe non eſſet; Ioannes de illo non diceret; non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti eius.* Idipſum quod ex iiſdem

verbis

verbis colligit Antoninus. Secundò Chriſtus, vt dicebatur, à communi modo viuendi in victu & veſtitu non diſcrepabat. Ergo cum proprium eſſet Iudæorum tectis pedibus incedere; Chriſtus id etiam ſeruaſſe cenſendus eſt. Tertio Apoſtoli calceati fuerunt. Ruit ergo fundamentum, quo contraria ſententia nitebatur. *Præcepit eis*, inquit Marcus,[a] *ne quid tollerent in via, niſi virgam tantùm: non peram, non panem, neque in Zona æs; ſed calceatos ſandaliis*. Et D. Petrus calceatus erat etiam in carcere; cum dixerit illi Angelus [b]; *Calceate caligas tuas*. Et ipſe D. Bonauentura [c] teſtatur calceamentum D. Petri Romæ adhuc religiosè ſeruari. Quare & omnes antiquæ picturæ proponunt nobis Chriſtum & Apoſtolos calceatos.

a Cap. 6. 8.
b Act. 12. 8.
c *Ep. de calceatu Chriſti & Apoſtolorum.*

Nec in contrarium allata poſſunt iſta conuellere. Non primum quia præceptum id perpetuum non fuit; ſed vt tradidit D. Chryſoſtomus, [d] in eo tantum itinere ſeruandum, quod tunc inſtituebant, & ob eum finem tantum, vt experiendo diſcerent, etſi rebus omnibus deſtituti, viæ ſe darent; nihil tamen ſibi defuturum; *propterea* (dicit Chryſoſtomus) *Lucas ſcribit Chriſtum diſcipulos interrogaſſe; Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid defuit vobis? Dicunt illi non.* Subieciſſe Chriſtum [e]; *Poſt hæc vobis comparate*. Manifeſtè ergo illis calceamenta permiſit. Nec ſecundum magis vrget. Accumbentes enim olim calceamenta ponebant. Ideo promptum Magdalenæ fuit ad Chriſti pedes accedere, lauare, tergere, lachrymis irrigare. Tertium denique non minus eluditur: quia calceamenta veterum, maximè tenuiorum, ſoleas tantum habebant, quibus infernè pedum ſola munita; supernè patebant, faſciis & vinculis alligata. Propterea ſoluenda erant, vt deponerentur; & facilè etiam ſordes & puluerem pedes in itinere contrahebant. Ob id domum ſe recipientes, pedes lauabant, vt fusè diximus ad libros Regum [f], & loti menſæ accumbebant, vt infrà etiam pluribus vbi de conuiuiis.

d *Serm. 9. in ep. ad Philip.*
e Luc. 22.
f *lib. 2. c. 11. in Comment.*

g lib. 2. c. 15. 30.
Ad eadem verba Regum.

[g] Porro Dauid aſcendebat cliuum oliuarum ſcandens & flens, nudis pedibus.

Quæ pedum nuditas apud antiquos & à quibus vſurpata.

§. III.

PRimò, *nudis pedibus incedere*, fuit ſemper apud omnes ſymbolum extremæ paupertatis. Cùm enim nuditas omnis id habeat; ob quod etiam in omni lingua recepto tropo *nudi* frequenter pro pauperibus extremæ ſortis appellantur: tum id præcipuè habet *anipodoſia*, ſiue nuditas pedum. Quod cùm ea parte corporis terræ ſolum calcetur, & qui pauperes ſunt, in opere & labore aſſidui ſunt, omni potius alio tegumento facile careant, quam quo pedes aliqua ratione ab iniuria defendant. Ij ergo, qui nudis omnino pedibus agunt, id ſi ſponte non faciunt, eo ipſo cenſentur omnium rerum inopia laborare. Proinde Ieremias cùm vellet extremam paupertatem ſignificare, qua Iudæi erant opprimendi, dixit eò redigendos, vt ſolliciti tantùm futuri ſint de pedibus obtegendis, & ſiti aquæ potu pellenda [h]. *Prohibe*, inquit, *pedem tuum à nuditate, & guttur tuum à ſiti.* Quaſi diceret eò redigeris, vt bene tecum agi potes, habens vnde pedum nuditatem tegas, & ſitim expleas; vt tota tua ſupellex calceamenta vetera futura ſint.

h Cap. 2. 25.

Secundo loco, *pedum nuditas* erat ſymbolum captiuitatis. Victor enim miles non ſolùm cæſorum ſpolia legebat; ſed omnium aliorum quos in poteſtatem redegerat. Captiuos autem, quos ante ſe ducebat, & ad ignominiam, & ad ſecuritatem, vt obnoxios magis haberet, excalceatos agebat. Sic enim minus fugam ſolicitare tentare poterant, aut quidpiā moliri, inter aſpera viarum, nudis pedibus incedentes. Vnde Ieremias [i] Ieroſolymæ captiuitatem ſymbolicè deſcribens, *Omnes*, inquit, *qui glorificabant eam, ſpreuerunt illam: quia viderunt ignominiam eius. ipſa autem gemens conuerſa eſt retrorſum; ſordes eius, in pedibus eius.* Quomodo ſordes in pedibus? Quia captiui nudis pedibus ante victoris faciem agebantur. Vnde Iſaias [k]; *Minabit Rex Aſſyriorum captiuitatem Ægypti.....nudam, & diſcalceatam, diſcoopertis natibus ad ignominiam Ægypti.* Captiuitatem enim Ægyptios intelligit. Antea verò vaticinatus erat de captiuitate Iſraëlitarum, in quam redigendi erant à Senacheribo per raſionem capitis, barbæ, pilorum pedum, illam circumloquendo. *In die*, inquit [l], *illo radet Dominus in nouacula conducta, in his qui trans flumen ſunt in Rege Aſſyriorum caput, & pilos pedum, & barbam vniuerſam.* Metaphoricè ſic appellat omne pedum operimentum. Sicut enim capillos abradet & barbam; ſic etiam pedes omni velamento nudabit; & præ ſe captiuos aget intecto capite, raſa barba & capillo, & nudis pedibus. Obſcœnam enim aliorum interpretationem non admitto, *pedum* nomine pudendum aliquid intelligentium. Et hæc duo hominum genera nudis pedibus erant inuitè & coactè.

i Thr. c. 1. 9.
k Cap. 20. 4.
l Iſa. c. 7. 20.

Tertiò. Sponte ſic incedebant olim priſci Romani; vt ea ratione corpus ad patientiā durarent; æquè Romanum putantes facere non minus fortia, quam pati. Vetus Iuuenalis interpres id notat. *Illo tempore*, inquit, *nedum ſenatores nigris calceis vtebantur; ſed nudis pedibus incedebant.*

Quarto loco erant plerique Philoſophi de quibus illud Martiani Capellæ intelligendum loquentis de pædia, & poliſophia. *Plerumque tamen adhæſit, arriſitque pauperibus magiſque illis, quos aut pedibus nudis, aut intonſe crine hiſpidos, aut ſordenti conſpexit pallio ſemitectos.* Habitum enim hic Philoſophorum deſcribit, quibus adhæſiſſe dicit philologiam.

Quinto loco, plerique veteres Imperatores excalceati fuiſſe leguntur, vt bellicæ tolerantiæ documenta præberent, militibuſque ſuis ad aſpera ferenda exemplo præirent. Talis erat Phocion Athenienſium [m] dux, qui nudis pedibus ruri & in caſtris agebat; niſi hyems atrocior fuiſſet. Vnde iocantes milites nullum certius ſæuientis hyemis indicium putabant, quàm cum Phocion in publicum calceatos exibat. Idem quoque Scipio & Germanicus aliquando factitaſſe traduntur de quo Tacitus [n] *inſtituiſſe* ſcribit, *ſine milite incedere pedibus intectis, & pari cum Græcis amictu; primi Scipionis æmulatione quem*, inquit, *eadem feciſſe apud Siciliam quamuis adhuc flagrante Pœnorum bello accepimus.* Licèt tam Scipio, quàm Germanicus in eo magis tolerātiam philoſophorum ſint æmulati, quàm militum. Quod etiam Cato-

m *Plut. in Phoc.*
n *lib. 2. annal.*

nem Vticenſem ſpectaſſe cenſendum: de quo Plutarchus in eius vita refert incedere ſæpe ſolitum diſcalceatum. Vnde Horatius [a].

a lib. 1. ep. 19.

Quid ſi quis vultu toruo, ferus, ac pede nudo
*Exiguaque toga ſimul & * textore Catonem* — * corrup.
Virtutem ne repræſentet, moréſque Catonis?

Sextò, Nudis pedibus erant Hebræi feſta ſua in templo celebrantes, & id ſuperſtitione magis quam religione. De quo ritu Ioſephus aduentum Berenicis in Ieruſalem deſcribens dicit eam more patrio, raſo capillo, nudiſque pedibus ſacra celebraſſe; quæ nudipedalia à Tertulliano Hieronymoque dicuntur. Ad quæ Iuuenalis alludit Iudæam terram deſcribens.

b Sat. 6. [b] *Obſeruant vbi feſta, mero pede ſabbata Reges,*
Et vetus indulget ſenibus clementia porcis.

Septimò, Nudipedalia genus erant ſupplicationis apud Ethnicos etiam vſurpatum, ad ſiccitatem auertendam, & pluuias impetrandas. De quo
c Apolog c. 4. Tertullianus [c]. *Denique cum ab imbribus æſtiua hyberna ſuſpenduntur, & annus in cura eſt, vos quidem quotidie paſti, ſtatimque pranſuri, balneis, & cauponis, & lupanaribus operati, Aquilicia Ioui immolatis, nudipedalia populo denunciatis.* In quibus ſcilicet nudis pedibus erant illa feſta agitantes: ob id nudipedalia nuncupata.

Octauò, Nudis pedibus incedere quidam hæ-
d To. 6. lib. de hær. ad Quoduultde. n. 68. retici inſtituerunt; de quibus S. Auguſtinus [d], *Eſt*, inquit, *alia hæreſis nudis pedibus ſemper ambulantium: in eo quod Dominus dixerit ad Moy-*
e Exod 3. *ſen* [e], *vel ad Ioſue* [f], *ſolue calceamentum de pedi-*
f Cap. 5. *bus tuis. & quod propheta Iſaias iuſſus fuerit nudis pedibus ambulare.* Sed vbi hic hæreſis? *Quia*, inquit Auguſtinus, *non propter corporis afflictionem ſic ambulant; ſed quia teſtimonia taliter intelligunt, vt omnes illis ad nuditatem pedum adſtringi putent.*

Nonò, denique nudis pedibus religionis cauſa veri Dei cultores incedere in publicis ſupplicationibus ſoliti ſunt, ad corporis voluntariam afflictionem aſſumendam, Deum placandum, veniam poſtulandam. Sic hoc loco Dauid; ſic ad
g Zonar. lib. 3. Paul. Diac. lib. 18. illius exemplum Heraclius [g] crucem Domini Ieroſolymis inferens; ſic noſtra memoria S. Carolus Borromæus cùm peſtis Mediolani graſſaretur, indicta ſæpe publica ſupplicatione, nudis ipſe pedibus incedebat, & alij plures ad paſtoris exemplum.

h Pſal. 53. 10. Ad verba Dauidis. [h] Moab olla ſpei meæ: in Idumeam extendam calceamentum meum.

De vario calceamentorum genere apud Hebræos.

Caput VI.

CAlceamentum, vt iam diximus, illud omne eſt, quo pedes, vt proprio operimento, & ad id parato teguntur. Videndum ergo hîc nobis eſt de quo genere calceamenti loquatur Dauid, & quid ſit *illud extendere in Idumæam.* ad quod vtrumque neceſſe eſt varias calceamentorum ſpecies diſtinguere, veteribus vſitatas, de quibus in ſacris litteris aliqua mentio. Quibus vt lux afferatur. Primò, calceamentorum varia genera diſtinguam. Secundò, quot operimentis pedum veteres vterentur exponam. Tertiò, quid Dauid intellexerit per extenſionem calceamenti in Idumæam.

Varia calceamentorum ſpecies apud antiquos, & ex illis Iudaico populo quæ magis in vſu?

§. I

TEgumenta pedum alia propriè erant ad id parata, quæ omnia vno calceamentorum nomine deſignantur; alia, neqoaquam. *Parata*; certa forma erant, quæ pedi vel toti, vel parti aptabantur. *Alia*; nullam certam formam habebant, ſed pedi circumligata, ita illum tegebant, vt alios in vſus aſſumi poſſent: & huius generis erant faſciæ quibus pedes obuoluebantur de quibus poſtea. Propriè autem in id parata, alia totum pedem tegebant, & ex his quædam texebantur, vt *pedules, pedalia, vdones*: quædam, corio conſtabant, vt *ſocci, cothurni, calcei perones, crepidæ*: alia verò, partem tantùm, vt ſoleæ, ſandalia, caligæ. Dicamus aliquid de ſingulis quantum ſatis eſt ad ſacras litteras illuſtrandas.

Soccus, calceamenti genus erat promiſcuè ab omnibus vſurpatum in quotidiana vita; tam viris, quam fœminis; tam priuatis, quam magiſtratu fungentibus. In *quotidiana* dixi, quia principes viri, & qui in cura reip. quoties cum toto ſtrepitu prodibant fortunæ ſuæ, non cum ſoccis, ſed cothurnati, aut cum calceis procedebant. Ob id ſoccus, erat propriè calceamentum Comicorum [i], quod in Comœdia res agerentur eo — i Hor. de ar. poet. Scalig.
modo, quo in quotidiana vita ſolent agitari. Eo- — de poet. lib. 1.
rum qualis eſſet forma; non omnino explora- — cap. 13.
tum; niſi quod certum eſt humiles fuiſſe, *ful-* — Giral. dial. 6.
mentum nimirum depreſſum habentes, & nihil — de hiſt. poet.
eleuatum. Iſidorus dum illorum etymologiam à ſacco deducit, *ſoccos, quaſi ſaccos* appellatos di-
cens [k], indicat in ſuperiori parte, qua pedem te- — k li. 19. c. 14.
gebant, ex ſacco conſtaiſſe; & ad talos vſque pertinuiſſe. Per vrbem illis induti incedebant, domi deponebant, tam viri, quam fœminæ. Hinc ſenex Terentianus.

[l] *Domum reuertor mœſtus, atque animo ferè* — l Heaut.
Perturbato, atque incerto præ ægritudine.
Adſido accurrunt ſerui, ſoccos detrahunt.

De fœminis verò, & iiſdem principibus Sueto-
nius [m] refert Vitellium Vitellij Imperatoris pa- — m In Vitel.
trem, ſummum ſui temporis adulatorem, & An- — cap. 2.
læ ventoſiſſimum mancipium, pro maximo munere à Meſſalina *petiiſſe vt ſibi præberet pedes excalceandos* (erat & Claudij Imperatoris vxor) *detractumque ſocculum dextrum, inter togam tunicamque aſſidue geſtaſſe*, pignus ſcilicet auguſtalis gratiæ, qua Conſul Romani Populi in Aula pollebat. Erant porro ſocci, non Latinorum
modò, ſed etiam Græcorum. Cicero [n] de Hyppia — n 3. de Orat.
Græco Philoſopho refert illum quæcunque indutui, aut amictui geſtaret, ſua ſe manu confeciſſet, iactaſſe; *annulum quem haberet, pallium quo amictus, ſoccos quibus indutus.*

Ex his duo colliguntur. Primò, *ſoccos* antiquorum non fuiſſe quas vulgò *pianellas* appellant; & à nonnullis crepidæ, ſed malè, dicuntur. Nec enim adiutore opus eſt ad hoc genus calceamenti deponendum. At in ſoccis opus erat. Ideo ſerui Domino ex foro reuerſo accurrebant, ſoccos detracturi. Secundò fit, fuiſſe ſoccos noſtris

calceis,

calceis,quibus communiter vtimur,non materia, ſed forma perſimiles. *Forma*,quia totum vndique pedem ſupernè, & infernè tegebant, vt calcei noſtri. quod obſeruat Smaragdus [a] Abbas,& ante illum indicat Iſidorus [b]. Non in *materia* quia licèt ſocci ſolum,ſuppactum,& fulmentum, ex corio eſſet; ſuperior tamen pars aut ex ſacco erat, aut ex alia materia contexta, vt idem Iſidorus tradit.

a *In reg. S. Bened.c.55.*
b *lib.19.cap. 34.Etimol.*

Sequitur *Cothurnus*, de quo lis eſt cui nunc ex noſtris calceamentis reſpondeat. Sunt qui volent *ſocculis* noſtratum fœminarum, quibus ſubere, aut alio ligno ſuppactis,& elatis, vtuntur;vt grandiores appareant: proprium enim cothurni grandiorem repræſentare geſtantem. Vnde Tertullianus [c] *ſic & tragedos cothurnis extulit: (diabolus) quia nemo poteſt adiicere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum, mendacem facere vult Chriſtum.* Ob id à fœminis aſſumptos cothurnos vt grandiores eſſent, Iuuenalis [d] irridet.

c *lib.de ſpect. c.de mantu.*
d *Sat.6.*

——Breuiorque videtur
Virgine pigmæa nullis adiuta cothurnis.

Alij malunt, & probabilius eſſe cothurnos, qui nunc vulgo *borzachini*. quod ſicut iſtis pedes ad ſuras vſque vinciuntur, & expediuntur ad iter; ita cothurnis olim. Ob id indutos eis in venando, maximè Principes Seruius obſeruat. Vnde Virgilius [e] venantis habitum deſcribens.

e *lib.1.*

Virginibus Tyriis mos eſt geſtare pharetram
Purpureóque altè ſuras vincire cothurno.

Vtrumque ergo cothurnis inerat, & pedes ad ſuras vſque vincire, quod noſtri *borzachini* faciunt,& ſubere,lignoue alio ſuppoſito, geſtantes extollere; quod noſtri borzachini, non ſemper, ſed aliquando faciunt, apud Gallos præſertim. Porro cothurnis vſas fœminas Iudæorum; illa increpatio indicat Iſaiæ [f]. *Et dixit Dominus pro eo quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo.* Quomodo eleuatæ? Cothurnos ſibi ſubiicientes, vt alij obſeruarunt. Ob id autem cothurni tragœdis aſſumpti, quod in tragœdia priſci heroës agerentur;qui ſemper præſentibus hominibus maiores repræſentantur.

f *Cap.3.16.*

Sequitur *calceus*, de quo quærendum quorum eſſet, quæ materia, qua forma, quotuplex. Proprius erat ingenuorum. Nam ſeruis nec *calcei*, nec *colobria* permiſſa, teſte Seruio. Inde quibuſdam impoſitum, qui cum ſine calceis ſeruos fuiſſe legerint apud Romanos, eo ipſo nudis pedibus exiſtimant inceſſiſſe. Quod falſum eſt. nec enim hoc ipſo quis intectis pedibus quod ſine calceis. At ex qua materia? Planè multiplici;communiter tamen omnes ex corio. Legimus itaque papyraceos, legimus laneos, vtrumque ad delicias; lineos etiam ad religionem Martianus [g] Capella. *Et ne philologia ipſius Phroneſis careret ornatibus eius pectori, quo verius cometetur cingulum appoſuit; calceos præterea ex proprio textili ſubligauit, ne quid eius membra pollueret morticinum.* Et Seruius auctor eſt Flaminicæ, quæ vxor Flaminis erat, *neque calceos, neque ſoleas morticinas habere licuiſſe*, ex pellibus nempe confectas. At in communi vſu calceus totus ex pelle, & corio. Inde iocus Martialis [h].

g *lib.2.c.1.*
h *lib.12.*

Hædina tibi pelle contegenti
Nuda tempora,verticemque calui
Feſtiuè tibi Febe dixit ille
Qui dixit caput eſſe calceatum

Propriè autem corium id appellabatur *aluta*, quæ pellis mollior erat, pumice nimirum leuigata. Cuius autem coloris eſſent in communi vſu calcei, dubitari poteſt. Sunt qui velint nigros virorum fuiſſe, albos, fœminarum. De viris enim & Senatoribus Horatius [i].

i *lib.1.Sat.6.*

——nigris medium impediit crus
Pellibus & latum demiſit pectore clauum

De fœminis illud atteſtatur Ouidij [k]

k *lib.3.de ar.*

Pes malus in niuea ſemper celetur aluta
Arida nec vinclis crura reſolue ſuis

Et Apuleius [l]; *calceis fœmininis albis illis, & tenuibus indutus,& in fœmineum ſexum inſertus,&c.* At contra videtur alicubi Martialis [m] candidum calceum viris tribuere. ſic enim in Cinnam

l *lib. 7. Metam.*
m *lib.7.32.*

Sordidior cæno cum ſit toga;calceus autem
Candidior prima ſit tibi Cinna niue
Deiecto quid ineptè pedes perfundis amictu?
Collige,Cinna,togam. calceus ecce perit.

Cùm enim communis vſus haberet, vt toga à calceis inquinaretur; quod ne fieret, vt inquit Tertullianus [n], anxiè togæ lacinias attollebant; contra fiebat in Cinna, quem propterea Martialis irridet, quod adeo ſordidam togam geſtaret, vt ab illa calcei, non illa à calceis inficeretur, cum eſſent iſti candidi; & illa ſordida. Albus ergo color in calceis virorum ex Martiale. At fœmineis nigrum tribuit D. Hieronymus [o] *caliga quoque ambulantis nigella, ac nitens, ſtridore ad ſe iuuenes vocat.* Erat ergo niger color ad decorem fœminis expetitus. Sed id fortaſſe tempore D. Hieronymi. Nam de ſuperiori, dubitari non poteſt calceos coloratos fœminarum proprios fuiſſe. quos quia viri molliores etiam vſurpabant; Aurelianus Imperator, *Calceos mulleos, & cereos, & albos, & hederaceos viris omnibus abſtulit, mulieribus reliquit.* Et hæc de materia & colore.

n *lib.de pallio.*
o *Epiſt.*

Forma autem calcei talis erat ferme, qualis nunc noſtri: ſuper omnia ſumma cura ſemper adhibita eſt, ne pedem nimis adſtrictus vreret, aut laxus impediret. Ouidius [p]

p *lib.1.de ar.*

Linguaque ne rigeat;careant rubigine dentes
Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.

Vnde à calceo nimis vel adſtricto,vel fluxo ſimilitudo Horatio [q] petita rei familiaris anguſtæ nimis, aut laxæ.

q *lib. 1. ep. 10.*

Cui non conueniet ſua res, vt calceus olim
Si pede maior erit ſubuertet; ſi minor, vret.

Facultates enim perinde dicit eſſe vt calceos; qui ſi maiores pede ſunt, euntem ſubuertunt, non iuuant ad ingrediendum. In laxo namque calceo pes fluctuat, impeditur inceſſus & facilime offendit inter ambulandum. Si verò minor ſit pede, nimis adſtringit, & preſſum aſſiduo dolore pungit. Propterea maior calceus pedem ſubuertit, minor vrit. *lo fa inciampare; è lo tormenta.* Quid ergo? Calceus habendus ita pedi conueniens, vt neque adſtrictus nimis, nec laxus ſit. Eodem modo res familiaris; ſi nimis anguſta, premit; ſi laxa, ſubuertit, inceſſum impedit, & offendiculum quaſi ponit ingredienti. Optandum id ergo quod Salomon [r] precabatur. *Diuitias & paupertatem ne dederis mihi, ſed tantùm victui meo tribue neceſſaria.* Sine calceis eſſe, aut omninò diſcalceatum incedere; res moleſti laboris pleniſſima: ſic omni re familiari deſtitui; ſed laxior incommodat, & anguſta nimis vrget, & vrit.

r *Eccl. 18. 25.*

Erat autem calceus duplex; alter ſenatorum proprius, alter communis. *Senatorum* interſectus ſic erat, vt ad talos tertiam Alphabeti literam obuerſis ſurſum capitibus referret, hoc pacto, Ɔ, quæ nota erat centenarij numeri apud Romanos.

A Romulo

A Romulo autem iuſſi primùm Senatores ea cum nota calceos geſtare; vt ex numero centum Patrum quos ipſe delegerat, agnoſcerentur [a]. quia verò tertia litera lunæ figuram refert, inde patrum, & ſenatorum calcei *lunati dicti*; & *lunam geſtare in calceis*, in argumentum nobilitatis acceptum & ipſa denique Luna nonnumquam pro calceis patritiorum & nobilium appellata. Statius [b].

a Iſidor. l. 19. c. 34.

b lib. 5. Syl. 2.

— Genitum ſi curia ſenſit,

Primaque patricia clauſit veſtigia luna.

Quod enim Romulus ſolis primùm Senatoribus concefſerat, vt ab inferiori ordine diſtinguerentur, aſſumptum deinde fuit à poſteris illorum; qui ob id *patricij*, quod à patribus id eſt Senatoribus à Romulo lectis ortum ducebant. Vnde de toto nobilium ordine, eiuſque veſtibus Martialis [c].

c lib. 1. epig. 50.

d Sat. 7.

Lunata nuſquam pellis, & nuſquam toga.

Denique Iuuenalis [d].

——— Et nobilis, & generoſus

Appoſitam nigra lunam ſubtraxit aluta

Ex nigro enim corio calcei virorum, cui ſymbolum nobilitatis appoſita luna, quam calcare nobilium erat; vt non immeritò poſſit quiſpiam ſuſpicari. D. Ioannem [e] hoc reſpexiſſe, cùm ad extollendam ſiue Eccleſiæ, ſiue B. Virginis, ſiue vtriuſque nobilitatem; dixit à ſe viſam mulierem, non lunatis calceis indutam, ſed ipſam *lunam* pedibus calcantem, vel ipſa *luna* quaſi pro ſolea calceatam.

e Apoc. 12. 1.

Quarto loco *perones* erant, apud Romanos indumenta propria ruſticorum ex crudo corio confecta, nec quicquam adhuc attritu pumicis læuigato, quo pedem totum ſuras ad vſque tegebant. Virgilius [f] ruſticorum turmam deſcribens in Prælium ruentem.

f lib. 7.

——— Veſtigia nuda ſiniſtri.

Inſtituere pedis, crudus tegit altera pero.

Ad quem locum notat Seruius peronem eſſe ruſticum calceamentum, & ex ipſo deinde Iſidorus. Vterque [g] tamen intelligendus apud Romanos. Apud alias enim gentes erat quoque *pero* militum & nobiliorum. Vnde Sidonius Apollinaris habitum Gothorum deſcribens, qui Sigiſmero Regio iuueni aderant nuptias ineunti, *regulorum*, inquit [h], *& ſociorum comitantium forma, & in pace terribilis: quorum pedes primi* (nempe dextri, vt etiam ſupra Virgilius) *perone ſetoſo* (crudo ſcilicet) *talos ad vſque vinciebantur.*

g lib. 19. cap. 34.

h lib. 4. ep. 20

Sequuntur quinto loco *crepidæ*. Dubium an illud eſſent calceamenti genus, quod pedem totum, calcaneo tantum nudato, ſuperne, & inferne tegit. Vulgus ſic exiſtimat: quas enim *pianellas* dicimus, *crepidas* appellat. At id ſi non vſquequaque falſum, prorſus ambiguum eſt. Nam primò *crepida* idem videntur antiquis fuiſſe, quod *ſocci*: Quod enim Cicero de Hyppia, tacito nomine, refert; illum ſibi manu ſua cuncta paraſſe, quibus induebatur; etiam *ſoccos*, Apuleius [i], quos Cicero *ſoccos*, ipſe *crepidas* appellat. *Omnia*, inquit, *quæ ſecum habebat, nihil eorum emerat; ſed ſuis ſibi manibus confecerat; & indumenta, quibus indutus; & calceamenta quibus erat inductus; & geſtamina, quibus erat conſpicuus. Habebat indutui ad corpus tunicam interulam, &c. eam ipſe ſibi ſolus domi texuerat: habebat cinctus baltheum variegatum, nec in hac eum opera quiſquam adiuuerat: habebat amictui pallium, &c. etiam pedum tegumenta crepidas ſibimet compegerat.* Si ergo idem crepidæ, quod ſoccus; certum eſt crepidas, *pianellas* non eſſe ſoccus enim totum pedem cum calcaneo ſimul ambibat, vt ſupra vidimus. Præterea crepidæ venatoribus ab Apuleio tribuuntur. Varios enim habitus deſcribens [k] in pompa ludentium. *Hic*, inquit, *incinctus baltheo militem gerebat; illum ſuccinctum chlamyde, crepida, & venabula venatorem fecerant.* At ſupra diximus pedum tegumenta venatoribus ſuras quoque vinxiſſe: quales erant *cothurnus*, & nunc *borzachini*; non ergo crepidæ hoc eſſe poterant, quod vulgo *pianelle*. Adde Ciceronem [l] ipſum indicare, crepidas eſſe calceamentum militare, cùm dicit in Capitolio videri quoque ſtatuas chlamydatas, & crepidatas. *Lucij*, inquit, *Scipionis, non ſolum cum chlamyde, ſed etiam cum crepidis in Capitolio ſtatuam videtis*, Nec puto honeſtus admodum fuiſſet habitus Conſulis Romani; marmore crepidatum effingi, ſi crepidæ hoc fuiſſent, quod *pianella*. Altius ergo crepidæ aſſurgebant, & ſuras quoque velabant. Alioqoin haud, opinor, pro decoro fuiſſet aſpici ſtatuam Ducis triumphalis in chlamyde & crepidis. Denique *pianella* noſtræ, ſoleæ ſunt antiquorum, aut certè genus illarum. At Horatius [m] a crepidis ſoleas apertè diſtinguit.

i lib. 2. Florid. in init.

k l. 11. Metam.

l Pro Rabir. Poſt.

m lib. 1. Sat. 3

Chryſippus dicat; ſapiens crepidas ſibi nunquam,

Nec ſoleas fecit.

Quid ergo dicendum? Ambigua res eſt: ex vna parte qui lexica nobis ex Cicerone concinnant, [n] volunt eſſe genus calceamenti depreſſum, contrarium cothurno; quibus Agellius [o] fauere videtur, illas inter ſoleas adnumerando. Ex altera parte cum cothurno videtur eaſdem facere Apuleius; & militum proprias ipſe Cicero, cum Piſonis ingenium præpoſterum, & ſtuporem ſugillans, dicit illum [p] *nocte intempeſta crepidatum, veſte ſeruili, nauem conſcendiſſe.* Ob id enim duo iſta coniungit, vt hominis abſurditatem prodat, qui crepidas habebat cum veſte ſeruili quaſi nimirum duo illa longiſſimè diſſita coniunxiſſet; cum crepidæ propriæ nobilium eſſent, & militarium virorum. Certum ergo tantum illud ſit genus calceamenti fuiſſe crepidas, elegans, adſtrictum, itineri expeditum, proprium nobilium quod ita pedibus aptè congrueret; vt nihil follicaret; ita adſtringeretur, vt ſonitu geſtantem proderet, & ad illum prætereuntes aduerteret: à quo ſonitu & crepitu ſunt etiam qui velint crepidas appellatas: vt hinc quoque probabile ſit cothurnum & crepidas inter ſe non admodum diſcrepaſſe. Certè filiæ Sion, contra quas Iſaias [q] plaudentes pedibus inter ambulandum, & ſtrepitu aliorum in ſe oculos, & ora vertentes, non poterant, niſi in crepidis, aut alio perſimili calceamenti genere fuiſſe. At eædem in cothurnis incedebant, vt ſupra diximus. Non ergo crepidæ genus ſoleæ depreſſum, & humile, quale iſti fingunt; cum cothurnus, eſſent, aut illi perſimiles.

n Mar. Nif. ſol.

o lib. 13. c. 20

p In Piſon.

q Cap. 3. 18.

Quod quando alia deeſſent, hoc vnico Valerij Maximi [r] teſtimonio probatur. Agens enim de militibus Antiochi, refert eos ab Imperatore ſuo tanta præda ditatos; vt magna ex parte aureos clauos crepidis ſubiectos haberent. Erant ergo militare calceamentum crepidæ, quale non poteſt eſſe, quod vulgo *pianelle*. Et Suetonius [s] de Caligula. *Modò*, inquit, *in crepidis, vel cothurnis; modò in ſpeculatoria caliga; nonnunquam in ſocco muliebri* viſebatur. Obſeruanda loquutio. *Modo*, inquit, *in crepidis, vel cothurnis*, quaſi nimirum idem

r lib. 9. c. 1.

s Cap. 52. in Calig.

idem eſſent, vel parum diſtarent. Nec enim quis benè diceret; *in pileo vel calceo*: quod in omnino diſiuncta particula *vel* haud apte conueniat.

De caligis & ſandaliis Apoſtolorum.

§. I I.

Apoſtolis in Euangelica hiſtoria duo calceamentorum genera, caligæ, & ſandalia tribuuntur.

De *caliga*; duo controuerſa ſunt, alterum, an in genere calceamenti fuerit; alterum, quale tandem, & qua forma & materia. De primo duplex lis eſt; vna, inter latinè, & barbarè loquentes: illi enim volunt eſſe pedum tegumentum, iſti femorum, & id prorſus quod vulgo *calze*. Altera inter ipſos Latinos; ex quibus alij volunt ita caligas eſſe pedum tegumentum, vt ſimul ſint tibiarum; quale genus Italis *calzette* dicuntur: alij, tantum pedum. De qua tota controuerſia & ſtatu cauſæ, magno apparatu actum eſt à Iulio Nigrone Societatis noſtræ homine eruditionis, etiam in minimis, accuratiſſimæ.

Sed contra barbarè loquentes omnino tenendum, *caligas* operimentum pedum eſſe, non femorum, & inter calceamenta computandas, non feminalia. Tacitus[a] de Caio Cæſare IV. Imperatore *Caligula* nuncupato, dum cauſam cognomenti explicat, *Quem*, inquit, *militari vocabulo Caligulam appellabant: quia plerumque ad conciliandα vulgi ſtudia eo tegmine pedum induebatur.* Hinc vno conſenſu qui Latinè noſtro, & ſuperioribus ſæculis ſunt[b] loquuti, caligas inter calceamenta locarunt.

a *lib. 1. annal.*

b *Beroald. Sabellic. Donat. Tireni. Caſaubon. in Suet. Calig. cap. 7. Muretus. Pier. Valer. lib. 40. Briſſon.*

Altera lis maior eſt inter ipſos Latinè loquentes. An caligæ ſic pedes tegerent, vt ſimul etiam tibias velarent, vt nunc ſunt noſtræ *calzette*. Affirmant Lexicographi, quibus Gloſſa fauere videtur, caligatos milites exponens, *ocreis ferreis indutos*. ocreæ enim pedes ita tegunt, vt etiam ſimul tibias. itaque plerique *caligas*, quas ab Angelo D. Petrus calceare iubetur, *tibialia*, quæ ſimul pedes, & tibias velarent interpretantur. Alij omnino negant, & nullo modo volunt caligas tibialibus adnumerari: quare caligas, quas vel Cæſar Imperator, vel Petrus habebat, Itali plerique reddunt *borzachini*, aut *calzari*. Quid hîc ergo dicendum? In tenui labor eſt, vt omnes controuerſiæ ſunt, quæ non de finibus agrorum, ſed de vi, & ſignificatu vocis alicuius exiſtunt. Vna tamen diſtinctione præmiſſa, puto facile poſſe litem ſedari. Qui dicunt *caligis* tibias obtectas, ſi totas intelligunt; apertè falluntur. Qui negant, ſi de omni parte negãt; etiam decipiuntur. Vtrique autem veri ſunt, ſi qui negant tibiarũ integumentum caligas, de tota tibia loquuntur. Et ſi qui affirmant, de parte tantum affirmant, non de tota tibia. Tibia enim totum crus intelligitur à genu ad calcem, vt ex Celſo conſtat. Cum ergo caliga ſupra talos aſſurgeret, vt mox dicemus; ita non totam tibiam tegebat; vt ex parte velaret. Ob id male *tibialibus* adnumeratur, & iis, quæ vulgo *calze & calzette*; cum hæc totam tibiam amplectantur.

Quorum ergo propriæ caligæ; ex qua materia, & quomodo pedem tegebant?

Propriæ militum fuere, non quod omnium, nec illorum tantùm, ſed quod aliquorum ſemper eſſent, illorum nempe, qui infimi in militia gradus. Ob id à Græcis & Latinis auctoribus caligæ militare, & caſtrenſe calceamentum nuncupantur. Sextus[c] Aurelius Victor de Caligula; *Quia*, inquit, *natus in exercitu fuerat, cognomentum calceamenti militaris, id eſt Caligula, ſortitus eſt.* Et Dio Caſſius[d] Græcus auctor, vt in editione Latina legitur, *Quod in caſtris enutritus, militaribus calceamentis pro vrbanis vteretur, appellatum Caligulam* dicit. Manifeſtè ſignans caligas eſſe *ypodima ſtratioticon* calceamentum militare. Quod vero militum infimi gradus proprium eſſet; indicat Iuſtinus[e]. Vbi agens de præda qua exercitum ſuum ex victoria ditauerat Antiochus. *Argenti*, inquit, *aurique tantùm, vt etiam gregarij milites caligas auro figerent, proculcarentque materiam, cuius amore populi ferro dimicant.* Hinc miles *caligatus* in iure ciuili pro gregario, & infimi gradus, vt alij obſeruarunt. Vnde de Caligula Suetonius refert quod *manipulari habitu* inter milites educabatur. Cur manipulari? Quia cum caligis, quæ manipularium & gregariorum. Hinc gloſſa explicans quod dicit Imperator *à caligato milite vſque ad protectoris perſonam*: *Quaſi dicat*, inquit, *à minore, vſque ad maiorem*. Clariſſimè autem Iuſtinianus. *Sed neque agricolas*, inquit, *aut milites armatos, & quos lex caligatos appellat; hoc eſt viliores, & obſcuriores non perſcrutamur.*

c *In vita Calig.*

d *lib. 57.*

e *lib. 38*

Ex hoc habemus cum probro in veteri republica & etiam ſub Imperatoribus duceretur cultus militaris in vrbe; cur vitio datum nonnulli ſit, in caligis per Vrbem prodire. Hinc Cicero in Antonium, *Quod quærebas*, inquit, *quomodo rediſſem; primum luce, non tenebris; deinde cum calceis & toga; nullis nec caligis, nec lacernis.* Ante enim obiecerat Antonio quod in vrbem cum laccina & caligis aduenisset; quod vtrumque militum proprium.

Secundo loco caliga propter eandem rationem, qua militum etiam viatorum propria erat: quia nempe pedes ab iniuria vindicabat, & geſtantem, expeditum itineri reddebat. Ob id Apoſtolis maximè congruens in perpetuo curſu verſantibus vt mirum non ſit Apoſtolum Petrum caligas habuiſſe. Cuius exemplo deinde veteres Monachi qui Chriſto militabant, & in opere aſſidui erant, caligas aſſumpſerunt, de quibus Caſſianus[f]; *calceamenta*, inquit, *velati interdicta Euangelico præcepto recuſantes, cum infirmitas corporis, vel matutinus hyemis rigor, ſeu meridiani æſtus feruor exegerit, tantummodo caligis ſuos muniunt pedes.* In quibus verbis Caſſianus calceamenti nomen generale ad omne genus tegminis, quo pedes operiuntur, accepit pro *calceis*, poſito genere pro certa ſpecie. Quo eodem modo ipſe cum aliis intellexit Chriſti verbum in Euangelio prohibentis[g] Apoſtolis calceamenta & permittentis[h] ſandalia. Calceos enim propriè ſumptos prohibuiſſe vult, non omne genus tegminis dum calceamenta prohibuit.

f *lib. 1. de inſt. Mon. c. 10.*

g *Matth. 10. 19.*

h *Marc. 6.*

Tertiò, erant caligæ gregariorum propriæ; non quod alij non gregarij non aliquando cum caligis, ſed quia gregariis alio calceamenti genere non vti licebat. Itaque leginius etiam Auguſtos ipſos aliquando caligas aſſumpſiſſe; vel vt ea ratione militum ſibi ſtudia conciliarent, vt Caligula; vel ad laſciuiam, & luxum etiam in hoc calcaamenti genere quærendum. Sic Gallieni ſenioris luxuriam Trebellius deſcribens, *Caligis*, inquit, *gemmas annexuit*. Et de Pompeio conqueritur alicubi Cicero qood *caligatus, & cum faſciis cruralibus incederet*; nimiam eius in hoc ambitionam

tionem carpens, & ſtudium militaris gratiæ patandæ. Denique fuiſſe quoque caligam nobiliorum militum; conſtat ex D. Ambroſio[a], qui ſcribens fratribus per omnem Italiam conſtitutis, inuenta à ſe corpora ſanctorum Geruaſij, & Protaſij, ait oranti ſibi viſos inter ſomnum ac vigiliam, *duos iuuenes ephebos, veſtibus candidiſſimis, id eſt colobio & pallio, indutos, caligulis calceatos, manibus extenſis orantes.* Certum autem eſt Geruaſium & Protaſium, non gregarios, ſed illuſtres milites fuiſſe. Quomodo ergo tam conſtanter *caliga* manipularium propria fuiſſe dicitur in iure ciuili? Dubitatio eſt, quæ nonnullos acriter angit; à nobis tamen ea dictis facilè ſoluitur. Erat enim propria illorum, quod aliud genus calcei nobilioris vſurpare non poſſent; vel quod puras caligas omni ornamento vacuas geſtarent, non quod alij nobiliores milites, iis præſertim ornatis non vterentur; vel denique quod probabilius eſt, quia manipulares ſolis caligis vtebantur; alij nobiliores alio quoque calceamenti genere ſimul cum caligis, vt paulo poſt iterum.

a Ep.53.li.7.

Caliga ex qua materia conſtaret, & qua illius forma.

§. III.

EX qua ergo materia caligæ? Qua parte pedis ſolo calcabantur, & plantam muniebant; ex crudo[b] corio, ſubere, vel alio ligno aliquando ſuppacto: Qua ſupernè patebant, & ad talos vſque perducebantur; ex vinculis aut laneis, aut lineis, aut ſericis; aliquando etiam ſcorteis. Ipſum verò caligæ ſolum clauis erat ſuffixum, ad firmitatem ſcilicet; vt non ſolum ad itinerum aſpera duraret, ſed vt fortius etiam militis veſtigia figeret, & lapſum prohiberet, in lubrico perſæpe pugnantium; vt neceſſe eſt mutua cæde terra ſanguine madente. Hinc Iuuenalis dum queritur à nimia frequentia populi ſe in vrbe premi, etiam adiungit milites aliquando adeſſe, quorum clauatis caligis lædatur[c].

b Gloſ. l. à caligato. C. de nupt.

c Sat.3.v.245.

—— Magno populus premit agmine lumbos
Qui ſequitur: ferit hic cubito, ferit aſſere duro
Alter: at hic tignum capiti incutit, ille metretam.
Pinguia crura luto, planta mox vndique magna
Calcor & in digito clauus mihi militis hæret.

Quia enim caligæ militum clauis ſuffixæ, cum in turba & frequentia aliorum pedes calcabant, clauos illis imprimebant. Ad quod D. Auguſtinus alludens[d] oſtendit in quolibet Chriſtiano Chriſtum lædi, ſicut in quolibet membro caput offenditur, hac comparatione vtens. *Tamquam,* inquit, *ſi velit ſibi aliquis oſculari caput, & calcare tibi pedes: fortè caligis clauatis conteret pedes tuos, volens tibi tenere caput, & oſculari.* Hæc Auguſtinus aduersùs eos qui dicunt ſe Chriſtum amare, & proximos oderunt, & perſequuntur, qui Chriſti membra ſunt. Hos enim dicit perinde facere, ſicut qui caput alterius oſculaturus accedit, & ſimul oſculum dum capiti imprimit, pedes clauatis caligis ſuffigit. Et erant ſuffixæ clauis caligæ non ſolùm militum, ſed etiam aliorum; qui in itinere aut opere iis vtebantur. Vnde veterum Monachorum etiam clauatas legimus. S. Gregorius[e] de Equitio Abbate; *Ecce,* inquit, *vir Dei clauatis calceatus caligis, falcem fœnariam in collo deferens veniebat.*

d Tract.10. in 5.Io.

e lib.1. Dial. c.4.

Qua ergo forma caliga? Solea erat plantæ ſuppoſita; pedi, qua ſupernè patet, & talos vſque reticulatim alligata, ſic vt vincula congruè inter ſe decuſſata, atque inter priores digitos decurrentia nodis aptè reſtringerentur, qui ſubinde gemmis à nobilioribus ornabantur: *à nobilioribus* dico, quia caliga quæ pura, & gregariorum propria, à qua illi caligati, talem ornatum non admittebat. Porrò forma caligæ etiam clauatæ Romæ ſubinde viſitur in arcu præſertim Seueri, & Conſtantini. Liber tamen hîc caligam repræſentare, vt adhuc exſtat in columna Traiani; ex qua tria hæc eius ſchemata damus.



In hoc triplici ſchemate tria obſeruanda. Primum, quòd ſuprà pluribus, antiquos incedere ſolitos crure toto etiam ſupra genua cum parte femoris nudato; vt hîc illud ipſum cernas quod de Gothis ſui temporis Sidonius[f], *genua, crura, ſuraſque ſine tegmine.* Et id non ſolùm in caſtris; ſed multò magis in vrbe cultúque forenſi, quod ſuprà docuimus. Inde Cicero teſte Quintiliano,[g] varicibus in crure laborans, vt illas abſconderet, dum cauſas oraret, togam demittebat ad calceos; quod opus non fuiſſet, ſi tectis cruribus inceſſiſſet. *Tectis,* inquam aut proprio tegmine, aut tunica ad illos protenſa. Hæc enim cum ſupra genua deſineret, crurum varices velare non poterat.

f lib.4.ep.20.

g lib.11. inſt. c.3.

Secundò caligam aliam vinculis inter primores digitos intercurrentibus alligatam, aliam nequaquam, illam nobiliorum fuiſſe; iſtam, manipularium, quæ ſimpliciter caliga dicta, conſueta phraſi apud Latinos, vt veſtes puræ, ſimplices, ornatu carentes, ſolo ſuo nomine nuncuparentur, *toga, tunica, pallij*: Pictæ verò & ornatæ, cum adiuncto, vt ex illo appellarentur *palmata, florida, ſcutulata, prætexta.* Sic cùm caligatum militem caligatium clauum, caligam denique ſimpliciter dicimus; hanc communem dicimus, in qua non inceſſiſſe, nec Centuriones, nec Auguſtos ipſos dubitare non poſſumus. Sed in hac operoſiùs exculta, in qua vincula non recto inter ſe ordine diſpoſita, ſed decuſſatim intercurrentia locum gemmis & lapillis præbebant: quos, inter alios, Gallienus caligis inſerere ſolitus erat.

Tertiò, Ex hoc triplici ſchemate diſcimus cur apud antiquos vbi de calceamentis agitur, iam frequens

frequens mentio vinculorum. Alligabant enim illa pedibus, non ſimpliciter immittebant; vt nunc ſolemus. Dempto enim calceo & ſocco (quibus tamen etiam ſuæ ligulæ & anſulæ) reliqua alia calceamentorum genera; crepidæ, cothurni, ſoleæ, perones, ſandalia vinculis omnia ſtringebantur. Ideo apud illos idem vincire pedes, quod calceare; & vincula pedum demere,
a lib. 3. met. quod calceamenta detrahere. Ouidius [a].

Vincla duæ pedibus demunt.

b lib. 2. faſt. Et idem [b] de Hercule calceamentis fœmineis induto.

Fregerat armillas, non illa ad brachia natas,
Scindebant magni vincula parua pedes.

c lib. 5 faſt. Et idem alibi [c] pedem ſine vinculis, pro nudo poſuit.

Ille memor veteris ritus, timiduſque deorum,
Surgit; habent gemini vincula nulla pedes.

A quo ritu D. Ioannes cum ſe indignum diceret, qui Chriſtum diſcalcearet, quod erat infimum miniſterium inter omnia quæ ſerui Dominis ex-
d Mar. 1. 7. hibebant, dixit [d] *non eſſe ſe dignum, qui illius ſolueret corrigiam calceamenti.*

Dubitari poſſet ex his num calcei ſenatorij, & ſocci vinclis adſtringerentur. Non adſtrictos
e lib. 19. cap. 34. indicat Iſidorus [e], *Caliga,* inquit, *vel à callo pedum, vel quia ligantur: nam ſocci non ligantur, ſed tantum intromittuntur.* Etymologia quoque adſtipulatur, *caliga* tantùm propria fuiſſe vincula & habenas. Caliga enim dicta, quaſi calceus ligatus. Dicendum puto non vincula propriè & habenas, quæ pedi circumuoluerentur in ſoccis & calceis fuiſſe; ſed anſulas tantùm, quibus aptè pedi adſtringerentur; vt nunc in noſtris ſole-
f lib. 1. Eleg. mus, de quibus Tibullus [f].

Fruſtra iam veſtes, fruſtra mutantur amictus,
Anſaque compreſſos colligat arcta pedes.

Eæ autem anſæ maximè erant ne calceus follicaret: quod ſummo ſtudio cauebatur elegantiæ ſtudioſis in cultu: de quibus D. Hieronymus [g];
g Ep. 22. *Omnis his,* inquit, *cura de veſtibus; ſi bene oleant; ſi pes laxa pelle non folleat; crines calamiſtri veſtigio rotantur.* Quod omnibus vitandum, qui curam nitoris habent, Ouidius vt ſupra diximus illo verſu monebat.

h lib. 3. de arte. [h] *Linguaque nec rigeat, careant rubigine dentes*
Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.

Anſulis igitur id in calceis cauebant, quæ non alligabantur pedi, ſed inſerebantur. Et hæc de caliga.

i Mar. 6. *Sandalia* ſequuntur, quæ dicitur [i] Chriſtus Apoſtolis permiſiſſe, cùm alia calceamentorum
k Matt. 10. genera negaſſet [k]. De quibus duo videnda. Primum, An idem eſſent, quod caligæ. Secundum ſi non idem; in quo differrent.

De primo non idem videntur. Primò, quia diſtincta nomina ſunt *caliga, & ſandalium*; quæ nemo hactenus ſynonima putauit. Secundò quia nullus rectè ſcribentium diceret; Milites Romanos olim ſandaliatos fuiſſe: qui tamen erant propriè caligati. Tertiò quia ſandalia in Eccleſia Chriſtiana propriè dicuntur calcei Apoſtolici. non ſic caligæ. Quis enim diceret antiquos milites Apoſtolicis calceis vſos; aut Apoſtolos militares calceos vſurpaſſe? Quarto denique, quia ſandalium videtur fuiſſe proprium calceamentum mulierum, & quidem diuitum, vt pluri-
l Petr. Vict. lib. 14. var. cap. 15. bus vir [l] eruditus probat ex Athenæo, & aliis antiquis. id quod etiam non obſcurè videtur indicare Terentius; loquens enim de quodam

Sopran. in Dauid.

quem cupiebat alius à neſcio qua fœmina male accipi.

Vtinam, inquit, tibi commitigari videam ſandalio caput: muliebri enim ſolea illum vapulare volebat: quod erat proprium puerorum. Vnde Perſius [m] ad hanc quaſi verberationem ſandalij alludens: m Sat 5. v. 169.

Nugaris: ſolea puer obiurgabere rubra.

Hic enim ſolea, ſandalium eſt, vt gloſſæ veteres interpretantur, quæ habent *ſolea σανδάλιον.* nec aliter hic ſoleam accipiunt, quam ſandalium Perſij nobiliores [n] interpretes. Cum igitur caliga n Io. Britan. Theod Myril. calceamentum mulierum non fuerit, idem cum ſandalio non erat. At idem eſſe conuincit. Primò, quòd caligæ D. Petri ſunt ſandalia. Quod enim in editione Latina eſt, à qua recedere non licet, *calcea te caligas tuas*, Græcè eſt *ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου.* Secundò quia LXX. quod noſter in Eſaia [o] vertit. *Tolle calceamenta tua*; ipſi o Cap. 20. 2. habent; *ſandalia tua.* Ad quem locum D. Hieronymus & ſuam, & LXX. lectionem exponens; *Calceamenta,* inquit, *LXX. ſandalia, id eſt caligas vocant.* Idem ergo vtrumque Hieronymo. Tertiò, quia quod Dominus Apoſtolis permiſiſſe dicitur [p] vt ſandalia geſtarent; plerique caligas p Mar. 6. exponunt Caſſianus, vt ſuprà vidimus. *Quibus tamen caligis,* inquit, *quamquam licitè vtantur, vtpote Domini mandato conceſſis; neque tamen pedibus eas inhærere permittunt; cum accedunt ad celebranda, ſeu percipienda ſacroſancta myſteria.* Dominus autem alia calceamenta, niſi ſandalia, non permiſit. Caligæ ergo idem quod ſandalia. Vnde D. Gaudentius, quod nos habemus apud Marcum, *calceatos ſandaliis*; ipſe legit *calceatos caligis.* Quid ergo dicendum?

Sandalia fuiſſe caligas puras, ſimplices, omni ornatu carentes; quales erant militum gregariorum, & manipularium. Itaque omne ſandalium, caliga; non item omnis caliga ſandalium. nam decuſſatim illigata pedi, & habenis, opere quaſi reticulato, multiplici nodo reuincta *ſandalium* non appellata, ſed caliga. Ob id vtrumque verum: & quòd *ſandalium*, idem quod caliga, & quòd non omnino ſynonima: quia latiùs appellatio caligæ fundebatur. Quod obiicitur indignum videri calceos Apoſtolicos eoſdem eſſe, & militares; & Romanos milites caligatos dici, non ſandaliatos; turbare non debet. Nam frugalitati Apoſtolicæ calceus gregariorum militum non inconuenit: & ſandalium Græca vox, non debebat propria nuncupatione Romanos milites deſignare. At quid quod ſandalium, mulierum erat, non caliga? Falſum hoc eſt. Eo enim ipſo caligam induebant, quod ſandalium; licet raro cum fœminis tribuitur, appellatio Latina *caliga* vſurpetur, ſed Græca *ſandaly.*

Ex his facilè ſecundum ſoluitur, in quo differat à ſandalio caliga. Nam cum duplex caligæ ſpecies ſtatuatur; ſimplex, & ornata; à pura & ſimplici caliga, nihil ſandalium diſtabat. Vtraque autem ſpecies caligæ tam pura, quæ ſandalium; quam ornata, à ſandalio diſtincta, ſub genere ſoleæ continebatur: quæ quale calceamentum eſſet, exponit Agellius [q]. *Omnia,* in- q lib. 13. cap 20. quit, *id genus quibus plantarum calces infimè teguntur, cætera prope nuda, & teretibus habenis vincta ſunt, ſoleas dixerunt.* Vnde Alcuinus [r], r lib. de diu. off. explicans quid ſint *ſandalia*, quæ ipſe ſandalias appellat, dicit eſſe ſoleas. *Quod,* inquit,

genus calceamenti (ſolea ſcilicet) *ſubterius munit pedes à terra ; ſubterius verò nihil operimenti habet, & eo iuſſi ſunt Apoſtoli indui à Domino.* Et Auguſtinus agens de ſandaliis ; dixit *iis indutos Apoſtolos, ita vt pes neque tectus eſſet ; neque nudus ad terram.* Quare benè qui caligas apoſtolicas, ſiue ſandalia, quid eſſent explicantes, dixerunt illas eſſe ſoleas iis perſimiles quibus vtuntur Fratres Minores, qui Cappucini vocantur; aut calceamenti genus non *habens corium deſuper*, quos vulgus Italicum *calceos apoſtolicas appellat.*

Quot operimentis pedum eodem tempore veteres vterentur.

§. IV.

NEmo nunc eſt ex paulo honeſtioribus qui triplici tegumento pedes non muniat. Primò lineo ; ſecundò laneo vel ſerico ; tertiò ſcorteo. Ex lino conſtant, qui vulgo *ſcarpini* quod ſonat molliores calceos. Calcei enim coriacei, vulgò *ſcarpe* dicuntur ; à quibus diminutiuo vocabulo *ſcarpini* ; non quod minores ſint, quam calcei ; ſed quod delicatiores, & molliores, & molliores. Ex lana, vel ſerico ſunt tibialia, quæ totum crus cum omnibus ſuis partibus anterioribus ambiunt, & pedes ipſos ſimiliter operiunt. Ex corio & pellibus ſunt qui vulgo *ſcarpe*, & Hetruſca lingua *calzari* dicuntur ; & reſpondent non caligis, neque ſandaliis ; ſed ſoccis aut calceis antiquorum : totum enim pedem ſuperne, & infernè regunt ad talos vſque quales erant tantum apud antiquos calcei, & ſocci. Malè propterea Tacitum Italis reddiderunt, qui caligulæ nomen in *calzarino* verterunt, & caligæ in *calzaro.*

Videamus ergo num totidem in communi vſu veteres operimentis pedes munirent. Dixi *in communi vſu* ; nam de militibus & viatoribus & aliis qui in aſſiduo opere verſabantur, iam dictum eſt. Dico ergo in communi vſu duplici tegmenti genere veteres pedes muniſſe, lineo vno, ex pellibus altero. Lineum poſterioribus temporibus *pedulis* eſt appellatum. Vnde *pedalia pedulio*, & nunc vulgò *pedali* quibuſdam, qui communiùs *ſcarpini*. De quibus pedalibus S Benedictus vbi loquitur de veſtimentis & calceamentis fratrum, *indumenta pedum pedules, & caligas dicit eſſe.* Et Cornelius Fronto ; *Pedale*, inquit, *menſura pedis ; pedule vero ſub pedibus præſtat vtilitatem.* Et vetus ſcholiaſtes Iuuenalis ad illud;

——pedibus qui venerat albis

dicit *pedales eſſe pedum tegumentum, braccis aliquando conſutum.* Vbi male in vulgatis pro *pedules*, legitur *pedornes.* Significat autem integra tibialia, quæ vulgo dicuntur *calze intiere.* quibus ad lumbos adſtrictis vno indutu, femina, femora, crura cum tota tibia & pedibus obteguntur. Dixi porro poſteriori tempore calceos iſtos lineos, ſiue etiam laneos, *pedules, pedalia, pedulia*, ſubſtantiuo nomine dictos. Nam in veteri repub. non hoc indumenti genere, ſed illius loco pedes faſciis obuoluebantur; & ex *pedules* ob id appellatæ nomine adiectiuo, quæ tamen eundem vſum præſtabant, quod calceus lineus, vel laneus, qui nunc *ſcarpini*. De quibus faſciis Vlpianus intelligendus, cùm dicit *faſcia crurales, pedulesque item pilsa*, veſtis loco ſunt.* At S. Benedictus appellat ſic

* al. *impilia.*

pedules, vt *caligas*, vtrumque nomine ſubſtantiuo, & diſertè Smaragdus antiquus Abbas *pedules*, dicit *eſſe quod nos dicimus calceos ; caligas, quod nos ſubtalares, vel ſoccos.*

In communi ergo vita veteres Hebræi pariter, vt & Romani : pedes faſciis pedulibus obuolutos, nunc vilioribus nunc pretioſioribus pro cuiuſque voluntate & fortuna, calceis, aut etiam caligis inſerebant ; & ſic in vrbe verſabantur. Quod colligitur, quia S. Benedictus, qui fratres ſuos à communi vita abducebat ; quantum tamen humanæ naturæ permitteret imbecillitas, illis concedit, vt frigore ſæuiente, *pedulibus in caligis* vtantur ; reliquo tempore *tantùm caligis* ; vt oſtendunt S. Fructuoſi verba, quæ Smaragdus adducit [a]. *In hyeme*, inquit, *pedules calceent, qui voluerint, id eſt à die Kalend. Nouembr. vſque ad Kal. Maias. reliquis menſibus æſtiuis, caligarum tantùm ſolatio muniendi ſunt.* Quibus conſonant quæ D. Iſidorus [b] habet in ſua regula. *Pedulibus*, inquit, (præter caligas nimirum) *vtentur ea monaſterio, quandiu hyemis coëgerit violentia ; ſiue dum fratres gradiuntur in itinere ; vel proficiſcuntur ad vrbem.* Ad quem locum Gloſſarium vetus; *pedana*, inquit, *pedulum nouus, qui caligis aſſuitur.*

a Cap. 55. in.

b Cap. 12.

Obiici contra id poteſt primò quod olim probro Romanis daretur in Vrbe faſciis pedulibus vti. Non ergo præter calceos, aut ſoccos, alio tegumenti genere pedes muniebant. Cicero in Clodium. *Tu ne cum vincirentur pedes faſciis, cum calanticam capiti accommodares.* Inuehitur hìc enim in Clodium muliebriter indutum : quare non poterant pedules faſciæ communi in vſu haberi. Secundò quod Vlpianus pedules à calceamentorum genere diſtinguit. definiens enim quæ veſtis loco, quæ calceamentorum ſunt ; vt ſciatur veſte legata, quid veniat ex hæreditate capiendum, dicit crurales & pedules faſcias, loco veſtis eſſe, non calceamentorum. Non ergo calceorum vſum præſtabant pedules.

Reſpondeo negari non poſſe præter calceos, ſoccos, & caligas, etiam pedules in communi vſu veteres aliquando habuiſſe. Si enim S. Benedictus hoc ſuis Monachis permittit; probabile non eſt id probro datum communiter aliis in quotidiana vita. Et certè faſcias in pedibus etiam viris, abſque nota vſurpatas ; argumento eſt id quod Plinius [c] refert cum Carbonis Imperatoris faſcias quibus ille in calceatu vtebatur, mures arroſiſſent ; à Catone hominem irriſum, qui id vt triſte augurium & portentum accepiſſet. Nec enim prodigium eſſe faſcias à muribus arrodi. ſed ſi faſciæ mures arrodiſſent, id enimverè prodigium futurum : erant ergo pedules faſciæ in vſu viris, etiam militibus & Imperatoribus, qui iis ſimul cum caligis vtebantur. Illis enim pes obuolutus, caligis inſuper induebatur. Propterea D. Auguſtinus hoc ipſum Catonis dictum referens, non faſcias, ſed caligas appellat à muribus arroſas. Dicit [d] enim conſultum Catonem à quodam qui ſibi caligas à ſoricibus eroſas diceret, reſpondiſſe ; *Non illud eſſe monſtrum ; ſed verè monſtrum habendum fuiſſe, ſi ſorices à caligis roderentur.* Quod ergo ſimul cum caligis ab honeſtioribus aut cum alio calceamentorum genere faſciæ pedules induerentur, alteræ pro alteris promiſcuè ſunt appellatæ.

c lib. 8. 57.

d lib. 2. de Doct. Chriſt. cap. 20.

Probant nonnulli, veteres præter coriacea calceamenta quæ exteriora erant, interiora alia geſtaſſe, quæ dicerentur *udones*, & noſtris ſcar-

pinis

plnis reſpondent. Sed falluntor. *Odones* enim quos alij *vdones*, calceamenta erant, vt tradit Vlpianus contexta quidem, nou tameo ex lino, aut lana; ſed ex hircinis pilis, vt habetur ex Martialis diſticho, cuius lemma, *Vdones.*

Non hos lana dedit, ſed olentis barba mariti
Cyniphio poteris planta latere ſinu.

Videntur ergo vdones non interiora, ſed extatiora pedum tegumeota fuiſſe. At ſi faſciæ in communi vſu; cur eæ probro Clodio à Cicerone datæ? Fortaſſe quia ſolis faſciis indui muliebra erat; & ſic Clodius ſine alio calcaamẽto pedibus faſciis obuolutis inceſſiſſet. Sicut enim in ſolis caligis ſine faſciis incedare militum erat, aut aliorum qui in opere, aut itinere verſabantur; ſic io ſolis faſciis, molliſſimorum & delicatorum. Fortè etiam oon faſciæ, ſed modus illarum vitio datus, quod pendulæ quod fluxæ, quod inter ambulãdum volitarent. Sed cur faſcias intar calceamenta non computat Vlpianus, ſi pedes illis calcaati? Qoia faſciæ non ad hoc tantum erant, vt pedes tegerent; nec vlla certa formæ conſtabant, quæ propriè padi daſtinaretur: ita enim in id aſſumebantur, vt ad alia poſſent vſurpari. Iis ergo pedes tecti, non calceati erant propriè, ſed obuoluti propterea noo inter calceamenta faſciæ; ſed inter veſtes; non quod calcei veſtes non ſint, ſi latiſſimè verbum hoc vſurpetur; ſed quod diſtinctionis caoſa, vaſtis tantum dicitur quæ ad induendum, amiciendom, cingeodum aſſumitur, non calceandum.

Calceamenta alicubi ponere, aut in aliquam regionem extendere, quid in ſacris litteris.

§. V.

HIs argo de multiplici calceamentorum genere, eorúmque differentiis esplicatis, quid ſibi Dauid voluerit oſtendamus, eum dixit; *In Idumaeam extendam calceamentum meum.* Quod hic calcesmantum vertitur, Hebraicè eſt נַעֲלִי *nahhal* quod compedem, pedum vinculum, & ligamentum ſonat, vt R. Dauid obſeruat: quia nimirum calcei antiquorum, vt ſupra diximus, vinculis, & loramentis adeo ligabantur, vt idem illis eſſet aliquando pedes vincira, quod calceare; & vinctos habere, quod calceatos; & id quocunque genere calceamenti. Manilius [a].

a lib. 5. Aſtron.

Inque caput ducti lapides per colla manuſque
Et pedibus mueis fulſerunt regia vincla

Valerius Flaccus [b].

b lib. 3. Argonau.

Ducit & ad pluuios, & vincula ſoluere monſtrat
Prima pedum glaucaſq; comas pratexere frondes
Imperat ———

Non atat ergo eur hoc loco Danidis aliqui [c] ſuſpicarentur pro calceamento farraas compedes intelligendas, quas Dauid ſe minetur, & esultantando prædicat hoſtibus ſuis iniectu rum, vt alibi deſcribit in victoa ſolitum dum dicit [d] *ad alligandes Reges eorum in compedibus & nobiles eorum in manicis ferreis*: licet anim vox נַעֲלִי *nahhal* ſonet vinculum pedum; non ob id aliud quam calceamentum eſt interpretanda: quia calceatus omnis cum vinculis.

c Cum Lorin. Pſ. 59.6.
d Pſal. 149.

Quid ergo hîc calceamentum axtendere? Duplex interpretatio: altera, calceamentum propriè accipit; altera, metonymicè continens pro conteoto; calceamentum nempe pro pede calceato. *Sepran. in Dauid.*

In primo ſenſũ videntur accipere Chaldæus Paraphraſtes hoc loco. *Super iunicturam*, inquit, *colli ceruicis fortium Idumaeorum proieci calceum meum*, & D. Hieronymus in alio Pſalmo, [e] vbi ſimilia verba leguntur ab ipſo verſa; *ſuper Idumeam proiiciam calceamentum meum.* Videntur ergo iſtam calceamenti axtenſionem, illius proiectionem ſuper Idumæam interpretari Per quod ſignificari dicunt viliſſimam ſeruitutem, quam Dauid eſſet deuictis Idomæis impoſiturus; & id ax alluſione ad duplicem antiquorum ritum. Primum vt ſeroi viliſſimi, calceos dominorum axciperent, deferrent, extergerant, ab omni cœno purgarent. Sic enim futuros Idumæos omnes; ao redigendos, vt aam ſeruitutem Dauidi ſeruiant, quam qui in regio palatio calceis excipiendis, & tergendis ſunt deſtinati. Dura nimis, & longè petita expoſitio, euius tamen vt probabilis, aliqui meminere. Alter ritus erat proiiciendi chirotheeam in locum hoſtilem, per quod ſignificatum dicit R. Emmanoel [f] omnino deſtinatum proiicienti locum illum ſibi ſubiicere, & radigere in ſeruitutem. Sad quid chirothecæ eum calceis? Hoc prorſus quod manibus eum pedibus. An ergo quia chirotheca proiiciebatur, intelligere quoque debemus calceamenta proiecta?

e Pſ. 107.10
f Pſal. 59.

Altera igitur interpretatio eſt calceamentum hic matonymicè dici pedem calceatum. Quem in aliquam regionem aſtendere, vel alicubi ponere, ſymbolum ſubiugationis erat. Et id dupliciter. Primò quia ſimplex pedum poſitio apud antiquos argumantum erat poſſaſſionis acceptæ eius rei, in qua pedes imponebantur. Vnde poſſeſſionem dictam volunt nonnulli, quaſi *pedum poſitionem*; quod quibus rebus pedas imponebaotur, earum onbis dominium capi cenſeretur. Ad quem vſum alluſio fit ſæpe in Scriptura [g], dum ſuis Deus pollicetur omnia ſa illis in poſſeſſionem daturum, quæ ſiot ipſi pede ſuo calcaturi. Quara nobiles Iuriſcooſulti obſeruatunt io iura ciuili pedes, eorumqua impoſitionam ſymbolum eſſa poſſeſſionis rerum immobilium, ſicut manus iniectionem, mouentium. Alter ritus erat non ciuilis, ſed militaris; eum victores eorum, quos deuicerant, colla, val dorſum impoſito pede premabant, in argumentom perfectæ victoriæ, & abſolutæ ſubiectioois, qua victi victoribus ſubderentur. Id quod in ſacris literis Ioſua [h] eum quinque Regibus primus legitur obſeruaſſe. Quos eùm es ſpelunca, qua ſe illi condiderant, abduci iuſſiſſet, *vocauit omnes viros Iſrael, & ait ad principes exercitus qui ſecum erant; Ite, & ponite pedes ſuper colla Regum iſtorum.* Fecit argo primus hic Ioſue, quod Moſes Dei nomina populo promiſerat [i]. *Negabunt te inimici tui, Iſrael; & tu eorum colla calcabis, & manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum. Adorabunt te filij patris tui.* Et ad eundem ritum Baruch alludens [k]. *Perſequutus eſt te inimicus tuus; ſed cito videbis perditionem ipſius, & ſuper ceruices ipſius aſcendes*: Pro eo quod eſt; ipſum omnino debellabis, & tibi ſubiicias. Ex hoc eodem ritu qood dicit [l] Dauid morti proximus, intalligendom aſt. *Tu*, inquit ad Salomonem, *noſti qua fecerit mihi Ioab filius Saruia, qua fecerit duobus principibus exercitus Iſrael Abner, & Amaſa, quos occidit, & effudit ſanguinem belli in pace; & poſuit cruorem prælij in calceamento quod erat in pedibus ſuis.* Nec enim hoc Ioab ad literam fecit; ſed per id Dauid axplicanit,

g Deut. c. 1. 36. c. 2. 5. c. 11. 24. Ioſ. 1. 3. c. 14. 9.
h Ioſ. c. 10. 24.
i Deut 33. 29.
k Cap. 4. 25.
l lib 3. Reg. 2. 5.

uit; quomodo Ioab vtrumque Ducem dolis & fraodibus eircunuentum, omniuo ſibi ſubdiderit io illos inſiliendo iam mortuos, vt illi faciunt, qui in argumeutum perfectæ victoriæ & quod amplius victi contra mutire non poſſint, illos calce proculcant. Et hoc ipſum nunc ſignificare de ſe vult Dauid, dum dicit extenſurum ſe caiceamentum in Idumæam. Reges enim eorum perfectè ſe deuicturum per id ſignificat; ita vt debellatis ſit colla pedibus calcaturus: quod eſt abſolutæ ſubiectionis indicium, vt alibi pluribus.

DISPVTATIO III.

De multiplici veſtium diuerſitate pro varia ratione perſonarum apud Hebraos.

DICEMVS primò de veſte muliebri & virili. Secundò de ſacra, & communi. Tertiò de veſte ſeruili, & ingenuorum. Quartò de veſte Magiſtratus, & priuatorum. Quintò de plebeia & nobilium. Sextò de puerili & adultorum.

a Cap. 22. Ad illa verba Deuteronomij

[a] Non inducetur mulier veſte virili, nec vir vtetur veſte fœminea. Abominabilis enim apud Deum qui facit hæc.

De veſte virili & muliebri; & earum multiplici differentia.

CAPVT I.

AGemus primò de promiſcuo veſtium vſu, quatenus, & apud quas gentes aut vetitus, aut permiſſus eſſet. Secundò. Differentias ſummas inter vtraſqoe veſtes exequemue. Tertiò, Propriæ fœminarum veſtes exponentur. Quartò propriæ virorum. Quintò denique de mundo muliebri, & vario illarum otnatu iu veſte, capillo, & totius eoltu corporis agemus.

Ordiamur à primo: promiſcuus vſus veſtis virilis & moliebris apud Hebræos nou ſolum contra mores erat & receptam conſuetudinem, ſed etiam contra legem. Ideo noo ſolùm probro dabatur, ſi quis vir muliebriter indueretur, aut viriliter fœmina; ſed etiam plectebatur. Id enim disertè Deus verbis iſtis ne fieret interdixit. Quæri tameu hic multa poſſunt. Primo. An hoc præceptum violare, noxa lethalis eſſet apud Hebræos. Affirmant paſſim Doctores; & manifeſte colligitur ex verbis adductis. *Non inducetur*, inquit, *mulier veſte virili.* Cur id? *Abominabilis enim apud Deum eſt qui facit hoc.* Cum igitur nil, niſi lethali cum culpa coniunctum, Deo ſit abominabile. (Venialia enim delicta Dei charitatem non ſcinduot; nec inter illum & homines amicitiam diſſoluunt) ſit vt vſus promiſcuus veſtis muliebris & virilis eſſet Hebræis interdictus ſob lethalis culpæ piaculo. Tantum enim

b Sap. 14. 9. hæc eſt, quæ Dei in homines odium concilias [b], *cui tantum odioſus eſt impius, & impietas eius.*

Secundò. Quæri poteſt an hoc præceptum ſit iuris naturalis, an tantum Moſaici. Sunt qui illud affirment; ſunt qui iſtud. Sunt qui mixtum volunt. Habuiſſe enim quidpiam legale tantum, quidpiam iuris naturalis. *Legale*, quod ſub lethali noxa ſeruandum eſſet: *iuris naturalis*, quod ratio ipſa dictet, haud pro decoro eſſe, veſtes alterius ſexus; alterom ſine cauſa vſurpare: quod D. Thomas docet, & alij citati.

Tertiò quæri poteſt an ſemper & vbique ſeruandum eſſet: ita vt nuoquam viro liceret muliebriter indui; nec viriliter fœminæ. Veſtis virilis à fœmina, tripliciter aſſumi poteſt; vt à viro viciſſim fœminea. Primò ob malum finem. Secundò ob indifferentem. Tertiò ob finem honeſtum ingentis boni parandi, vel atrocis mali depellendi. Ob duos priores fines, erat ſemper illicitus, & cum culpa lethali coniunctus vſus fœmineæ veſtis in viro, & virilis in fœmina; grauiùs tamen, aot leuiùs in hoc ipſo peccabatur, vt grauioris, aot leuioris erant noxæ fines illi peruerſi, ad quos ea veſtis mutatio parabatur. Et his omnibus etiam leuiùs delinquebant, qui tantùm ob finem aliquem indifferentem veſtem alieni ſexus aſſumebant. Qui enim ob finem malum, dupliciter eo ipſo peccabant; & quia malum illud intendebant, & quia rem Deo abominabilem faciebant. Qui verò ob finem alioquin indifferentem, aliter qoam pro ratione ſui ſexus induebatur, vnico tantum crimine adſtringebatur. At vbi finis honeſtus erat, ingentis boni, publici præſertim, curandi, vel atrocis mali depellendi, ea veſtis inuerſio non ſolum cum culpa nou erat; ſed etiam eum laude, & virtute. Itaque ſi quæ mulier ad pudicitiam ſuam, quam aliter ſeruare non poſſet, indura viriliter eſſet; amabilem ſe Deo, noo abominabilem reddidiſſet. Quod illuſtres canonici iuris interpretes obſeruarunt. Quare quod alicubi D. Auguſtinus eſſe dubius videtur an liceat vti viro veſte fœminea, intelligendus eſt eum nulla talis caoſa ſubeſt honeſtatis ad bonum aliquod publicum curandum, vel malum depellendum.

Quartò. Quæri poteſt vnde habeat hic vſus promiſcuus veſtis alieni ſexus abſurditatem & cum ratione pugnam. Reſpondeo ex duplici capite. Primo ex eo quod eſt quoddam quaſi mendacium, non verbis, ſed factis admiſſum: ob id, qui promiſcuè ſic induuntur, ſexum mentiri dicuntur. Dixi *quoddam quaſi mendacium*; quia verè tale non eſt. Si enim eſſet; nuſquam, & nunquam veſtem mutare liceret; vt nuſquam mentiri licet. Eſt igitur hoc, æquiuocatio quaſi quædam, & amphibologia, non in verbo, ſed facto; quæ ex ſe ſpectata, & vt Theologi loquuntur, ex obiecto ſuo, cum ratione pugnat, cùm per ſe quaſi ad fallendum dirigatur. Vnde ſicut æquiuocatione niſi cauſa probabilis adſit, vbi præſertim alius inde fallatur, vti non licet; ita nec iſta veſtium inuerſione. Secundò. Ob pericula, quæ ex hac veſtium permutatione conſurgunt plura flagitia patrandi. Quid enim non audeat fœmina viriliter induta?

[c] *Quem præſtare poteſt mulier galeata pudorem,* c Iuu. ſat. 6.
Quæ fugit à ſexu, vires amat? v. 251.

Hoc optimè Iuuenalis. Cui enim flagitio fœmina non ſit parata, quæ ſui pertæſa ſexus, alium affectat? Et ſi hoc de fœmina; quantò magis in viro. Fœmina enim quæ virum mentitur, ſexum nobiliorem affectat; vir verò qui fœminam, à ſexu nobiliore fugit; tanto igitur nequior. Ab hoc ergo vtroque capite pugna oritur, quam habet hic vſus promiſcuus alienæ veſtis in altero ſexu.

Quintò. Quæri poteſt an præceptum illud

Moſaicum ceſſauerit. Omnino dicendum ceſſaſſe; quod attinet ad id quod illi inerat ex lege Moſaica. Nunc igitur ex ſe ſpectatus vſus virilis veſtis in fœmina, & muliebris in viro; culpa venialis eſt, non lethalis, vt nobiles Theologi tradiderunt. Quod ergo à pleriſque dicitur poſſe ſine culpa ludendi cauſa veſtes alterius ſexus vſurpari; de culpa lethali, non de veniali eſt intelligendum; niſi ludus ſic inſtituatur, vt inter omnes conueniat qui veſte ſexus alieni induuntur, id non eſſe quod habitu mentiuntur. Eodem enim pacto poſſunt æquiuocationes adhiberi, dum inter loquentes conſtat eas ſic vſurpari, vt niſi qui audit, attentus ſit, in errorem labatur; vnde aliis, ſua culpa deceptus ridiculus exhibeatur. Cæterum ita veſtes inuertere, vt inde vir, fœmina credatur; aut fœmina, pro viro ſumatur; ex ſe ſpectatum, culpa non caret, niſi cauſa boni priuati vel publici ea ratione curandi factum excuſet, vt nos D. Auguſtinus docet loco citato. Et hæc apud Hebræos.

Apud Romanos hic promiſcuus vſus nulla priuata lege damnatus erat; ipſa tamen conſuetudine excludebatur. Vlpianus. *Veſtimenta*, inquit, *muliebria ſunt, quæ matris familiæ cauſa ſunt comparata, quibus vir non facile vti poteſt, ſine vituperatione; veluti ſtola, pallia*(for. palma) *tunica, capitia, zona, mitra quæ magis capitis tegendi cauſa, quam ornandi ſunt comparata.* Eleganter dixit Iuris Conſultus *quibus facile vir vti non poteſt*, nempe non paſſim, non temere, non ſine cauſa. & id ſi fiat; dixit, *non ſine pœna*, ſed *non ſine vituperatione futurum.* Quia Romanis ignominioſum tantùm id erat, non vlli pœnæ ſubiectum, niſi crimen aliud eſſet adiunctum, cui patrando, veſtis alieni ſexus eſſet aſſumpta. Itaque Clodio crimini datum, & ob id etiam in iudicio poſtulatus eſt, quod indutus veſte fœminea, ſacris ſe Bonæ deæ penetraſſet, quibus ſacrilega ſuperſtitione ſolas fœminas fas erat adeſſe.

Iam verò qui ſexum olim veſte mentiti ſunt, clari viri, vel fœminæ varij fuere. Notiſſimus ante alios Achilles eſt, de quo Tertullianus [a],
a lib. de pal. *Naturam concuſſit Laryſſæus Heros in virginem mutando: ille ferarum medullis educatus, ille ſcrupea ſchola eruditus ..... ſuſtinet ſtolam fundere, comam ſtruere, cutem fingere, ſpeculum conſulere, collum demulcere, aurem quoque foratu effeminatus.* Achilles enim à matre Tethyde cum adhuc imberbis eſſet, habitu puellari indutus eſt, vt hac ratione bello ſubtraheretur, cui Græcia tota contra Troianos armabatur. Ob id Tertullianus adiungit, commentum quaſi excuſando, *feras in puero matris ſollicitudinem.* Neceſſitas enim periculi vitandi, talem habitus mutationem ſuaſit. At in Hercule ſcenam hanc libido, non neceſſitas concinnauit. Ipſe enim etiam muliebriter indutus eſt, Achilles vt matri obtemperaret de filio ſollicitæ: Hercules, vt amicæ pareret. Duo viri totius antiquitatis fortiſſimi, habitus externi ſpecie apud Ethnicos in fœminas mutati ſunt Hercules, & Achilles; & vterque vt fœminæ pareret. Duo itidem viri fortiſſimi apud Hebræos in fœminas degenerarunt, non externo corporis habitu ſed interno, Sampſon & Dauid, fœminis ambo fœmineos in mores mutati; vt hinc intelligamus quid audeat in virum fœmina; & quantum viri, licet fortiſſimi, ex illarum
b lib. de pal. loc. cit. conſuetudine molleſcant. Tertullianus de Hercule loquens [b]. *Turpius*, inquit, *libido virum cultu*

Sopran. in Dauid.

transfigurauit, quam aliqua materna formido: tametſi adoratus à vobis(ethnicos alloquitur)*qui erubeſcendus eſt; ille qui totam epitheti ſui fortem, cum muliebri cultu compenſauit; tantum Lydia clancularia licuit, vt Hercules in Omphale; & Omphale in Hercule proſtitueretur.* Hoc enim dicit Tertullianus, quia Hercules ad imperium Omphales Lydiæ, quam deperibat, cultum cum illa mutauit; illi leonis ſpolio clauaque tradita, viciſſimque ab eo talari tunica mitraque indutus, & colo etiam recepta, vt alicubi Ouidius [c] inducit id Herculi Deianiram exprobrantem c Ep. 9.

Non puduit fortes auro cohibere lacertos
Et ſolidis gemmas appoſuiſſe toris.

Et Seneca [d]. d In Herc. Oet.

Fortem vocemus cuius ex humeris leo
Donum puellæ factus, & claua excidit,
Fulſitque pictum veſte ſidonia latus
———cuius horrentes coma
Maduere nardo.

Sampſon cùm Dalilæ gremio ſopitus, omni robore nudatus, in fœminam eneruatus, ab inimicis ludibrio habitus, oculis demum libertateque priuatus, ipſiſſima imago eſt virilis fortitudinis, quæ conſuetudine fœminea, tota mollitur; & fit glacie fragilior; id quod ethnici ſuo in Hercule expreſſerunt, qui ex tanto orbis domitore, fœminæ mancipium effectus, & ad eius nutum muliebriter indutus, etiam lanam ex colo deduxit.

[e] *Mæonias inter calathos tenuiſſe puellas* e Ouid. ibid.
Dictus & ad dominæ pertimuiſſe minas.

Et hæc viri.

At ne fœminæ minus in hoc illis inſanirent, vt Hercules, & Achilles fœminam, ſic olim Semiramis virum mentita eſt veſtis mutatione. *Deceſſit Ninus*, inquit Iuſtinus [f], *relicto impubere* f lib 1. hiſt. num. 2.
adhuc filio Ninya, & vxore Semiramide. Hæc nec immaturo auſa tradere imperium, nec ipſa palam tractare; tot & tantis gentibus vix patienter vni viro, nedum fœminæ parituris; ſimulat ſe pro vxore Nini, filium; pro fœmina, puerum. nam & ſtatura vtrique mediocris, & vox pariter gracilis, & lineamentorum qualitas matri ac filio ſimilis. Igitur brachia & crura velamentis; caput tiara tegit: & ne nouo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu & populum veſtiri iubet. Quem morem veſtis exinde gens vniuerſa tenet. Sic primis initiis ſexum mentita puer eſſe credita eſt. Et hæc fuſiùs retulimus, vt inde duo diſcamus. Primum cur apud Orientales omnes à muliebri veſte virilis minimum diſtet in forma, materia, cultu. Semiramis enim cum vir ex vna parte vellet haberi; ex altera, ſi vt eſt viri proprium, induta eſſet; facilè dolus apparuiſſet; illum habitum aſſumpſit, qui mulierum tunc magis erat proprius, quam virorum. Quis hic? Quo crura, brachia, humerique velantur, & ipſi pedes ad talos vſque, veſte demiſſa, teguntur, vt paulo poſt iterum clarius. Secundò cur Iſaias & alij prophetæ Aſſyriorum & aliarum gentium reges, pueros & effeminatos appellent. Denuncians enim Deus per Iſaiam captiuitatem Babylonicam populo; *Dabo* [g], inquit, *pueros principes eorum; & effeminati dominabuntur eis.* Pueri, & effeminati Reges Aſſyriorum, Chaldæorum, & reliquorum Orientalium dicuntur; Primò per alluſionem ad primos illorum Reges, qui Ninya puer & Semiramis fœmina fuere, per quos Imperium à Nino fundatum, non ſolum defenſum, ſed propagatum eſt, g Iſa. 3. 4.

Secundò qoia plerique illorum ita effeminati, vt muliebriter etiam indnti, inter fœminas conſeneſcerent. Iuſtious idem [a]; *poſtremus apud eos regnauit Sardanapalus, vir muliere corruptior. Ad hunc videndum (quod nemini antea permiſſum fuerat) præfectus ipſius Medis prapeſitus nomine Arbaſtus, cum admitti magna ambitione agrè obtenuiſſet, inuenit eum inter ſcortorum greges purpuram colo nentem, & muliebri habitu cum mollitie corporis & oculorum laſciuia omnes fœminas anteiret, penſa inter virgines partientem. Hoc viſo Arbaſtus indignatus tali fœmina tantum virorum ſubiectum, tractantique lanam, ferrum & arma portantes parere, negat ſe ei parere poſſe, qui ſe fœminam mallet eſſe, quàm virum; & inde illum bello aggreſſus, vita ſimul regnoque priuauit.*

a lib.1. hiſt. num.3.

At meliore genio & fato duæ Chriſtianæ fœminæ veſte ſui ſexus abdicata, alterius induerunt; Euphroſina & Theodora, vtraque Alexandrina. Sed illa vt virginitatem illibatam ſeruaret; hæc vt perditam recuperaret Illa enim parentibus nobiliſſimis orta, inueni que paris nobilitatis ab illis deſponſa, relictis vtriſque imberbis adoleſcentia habitu monaſterium adiit; admitti poſtulauit; admiſſa in habitu virili perſeuerauit, pro Euphroſina, Smaragdus appellata. Theodora verò virginis habitu dimiſſo, quem polluerat, errati pœnitens in virili veſte ſexum diſſimolauit; monaſterioque recepta, & monachis aggregata, vir ab omnibus cùm crederetur, viri quoque calumniam à procaci fœmina paſſa eſt; à qua patri monaſterij delata, quaſi ſtuprum intuliſſet, iuſſa eſt pro foribus monaſterij toto vitæ ſuæ, tempore cum puero excubare, quem ex ſtupro ſuſcepiſſe fuerat inſimulata. In qua vitæ aſperitate cùm ad mortem vſque mira patientia perdoraſſet; extinctam vbi de more fratres ſepulturæ daturi vellent abluere, fœminam repererunt, quem vt virum fœminæ ſtupratorem è monaſterio expulerant. Et hoc vtrumque exemplum ſufficiat ad oſtendendum quod paulo ante ex Theologorum ſententia dicebamus, habitum alieni ſexus haud eſſe damnandum, cum iuſta cauſa ſubeſt illum induendi.

Quâ maximè differentiâ veſtes viriles & muliebres diſtinguerentur.

§. II.

OB triplicem finem veſtis omnis homini paratur; ad *tuendum*, ad *tegendum*, ad *ornandum*. In primo ratio ſalutis habetur; in ſecundo pudoris; in tertio dignitatis. Veſte enim corpus ab iniuria defenditur, in quo ratio ſalutis agitur; & partes, quæ minus honeſtè patent obteguntur, in quo verecundiæ ſeruitur; & denique ſi concinna ſit, & aptè conueniat, corpus ornatur, in quo dignitas humanæ pulchritudinis augetur. Et hæc tria fuerunt omni tempore, & ſunt adhuc omni hominum generi in veſtitu propoſita. Nihil enim aliud in illo ſpectant, & hæc tria omnes, adeo vt etiam qui pannoſus vili centunculo membra circundat, in eo ipſo *ſalutis, verecundiæ*, & quantum fieri poteſt, haud in totum cuiuſdam in ſuis ſordibus *ornatus* obliuiſcatur. Quia verò non omnes hæc tria pariter, & iiſdem rationibus metiuntur, hinc eſt quod non apud omnes eædem veſtes vſurpentur; ſed omnes ſint

Quam varij linguis, habitu tam veſtis, & armis.

Vnde id? Primò quia ſalus & incolumitas corporis non iiſdem in omni regione fulcimentis indiget, vt ab aëris inclementiis defendatur. Acrius alicubi frigora ſæuiunt; alibi grauius æſtus exurit; hic cælum placidè tranquillum, nimios inter calores & frigora temperatur. Inde eſt quod alibi pellitæ veſtes, aut ex pingui lana villoſæ in vſu ſint, vt apud omnes vrſæ glaciali ſubiectos; alibi ſubtiliſſimo textu confectæ adhibeantur, vt in regionibus ad meridiem obuerſis, & ardenti ſoli magis expoſitis. Et hæc regionum ex climatum varietate diuerſitas, non ſolum differentiam parit in veſtium materia; ſed in forma. Neque enim ſeptentrionalium veſtes à noſtris tantùm differunt, quod ſint omnes fermè ſemper ea pellibus, aut lana ſuffartæ; ſed quod alitèr etiam membris aptentur: illud facit eas differre materia, iſtud etiam forma. Quod vtrumque diſcrimen Ouidius expreſſit de Getis, & Sauromatis agens, inter quos exul.

> [b] *Pellibus hirſutis arcent mala frigora bracca*
> *Oraque de toto corpore ſola patent.*

b lib.3. triſt. el.10.

Ora, inquit, *ſola*. Nam Romani, & Græci veteres nudis cruribus, humeris, & brachiis incedebant, vt ſupra pluribus.

Secundò. Quia non eadem apud omnes gentes cura pudoris: ex hoc etiam ſecundo capite differentia in veſtibus orta; vt quædam minus, quædam magis verecundiæ & pudori ſeruirent. Id autem in hoc cernimus perpetuò ſeruatum; vt quæ gentes minus barbaræ eſſent, eæ quoque maiorem in hoc rationem honeſtatis haberent.

Tertiò denique quia non idem apud omnes pulchrum, vetus enim & veriſſimum verbum eſt, *hoc nō omnibus idem, ſed ſuum cuique eſſe* Ratione ornatus longe quoque plures veſtium differentiæ extiterunt, dum ſcilicet hoc apud illas gentes pulchrum, & decorum aliud apud alias cenſetur.

> [c] *Tres mihi conuiuæ propè diſſentire videntur*
> *Poſcentes vario multum diuerſa palato*

c Perſius Sat.

Dicebat ille. Cur id? quia varij ſunt hominum guſtus, nec omnibus eadem probantur, aut æquè ad ſtomachum faciunt. Hoc quod accidit in palato, non diſſimiliter oculis contingit. Voto vno non viuitur; & quod cuipiam pulchrum, deforme videtur alteri. Hinc innumeræ veſtium ſpecies, totidem ferme quot gentium [d] & ſuæ quibuſque ita propriæ vt quibus alicubi ſenatores amiciuntur ad dignitatem conciliandam, iiſdem alibi, nec ita magno interuallo, moriones induantur ad riſum captandum.

d v. Iſidor. lib.19.c.23.

His præmiſſis, quod inſtituimus, explicemus, communem ſcilicet apud omnes gentes differentiam veſtis muliebris & virilis. Vtrique veſti tria illa propoſita; tueri ſalutem, ſeruire pudori, dignitatem parare. Sed quia diſſimiliter hæc tria in fœmina viroque ſpectantur; diſſimiliter quoque vir & fœmina veſtiuntur. Et ex hoc triplici capite diſcrimen vtriuſque veſtis exiſtit. Aliter enim tuendum fœminæ corpus, aliter viro; alia cura pudoris in fœmina, alia in viro; alius denique decet ornatus virum, alius fœminam.

Ea primo capite; quia fœminæ non ita aëris & cœli patent iniuriæ, cum illarum ſit domi reſidendo, communem ſobolem curare, dum viri foris agunt, vt familiæ conſulant, oritur prima differentia veſtis virilis, & muliebris *in materia*, vt muliebris ſit in ſuo genere mollior, & tenuior;

Digitized by Google

nuior; virilia, firmior, & aſperior: tum quia viri membra patientiora veſtis aſperæ ſunt, quam fœminæ; tum quia quò firmior materia, eò etiam magis aëris obſiſtit iniuriis. Ex ſecundo capite, quia longè maior cura pudoris in fœminis eſt habenda, quam viris; muliebris veſtitus apud omnes gentes plures corporis partes obregere debet, quam virilis. Eo enim pudori magis conſulitur, quo pauciores corporis partes alienis aſpectibus exponuntur. Dixi, *debet obtegere*; quia ſic honeſtatis ratio præſcribit; & id omnes gentes hactenus ſeruarunt, in quibus maior aliquis ſenſus humanitatis. Ob id enim in fœmina tam apud Hebræos, quam Romanos, veſtis huiuſmodi probata, quæ plures partes obtegeret; quod eius pudicitiæ, & verecundiæ ſollicitæ magis quam viri, proſpiceretur, vt pluribus ſubtiliſſimè diſputat Tertullianus [a]. At nunc aliter fit, & apud pleraſque gentes, apud quas, & præ quibus omnes aliæ barbaræ ſunt, veſtitus virilis totum corpus contegit, præter faciem & manus; muliebris verò & ceruicem, & collum, & ingulum, & vbera nudat. Quid hîc dicendum, niſi aliter hoc vſurpari, quam ratio præſcribat, & hactenus fuerit ab omnibus gentibus obſeruatum?

[a] lib. de hab. mul. de cul. fœm. de velan. virg. de pal.

Ex tertio capite, quia longè diuerſa eſt fœminæ pulchritudo, quam viri; & longè plus etiam decet illi ſtudere fœminam, quam virum; tertium diſcrimen oritur muliebris veſtis & virilis; vt illa ſit ſemper cultior iſta neglectior.

Ad id ergo quod quærebatur de generali diſcrimine vtriuſque veſtis, certum iam poſſumus ſignare reſponſum, vt dicamus veſtem muliebrem à virili apud omnes gentes differre in materia, forma, & ornatu. *In materia*; quia veſtis fœminea mollior ſemper apud omnes & delicatior; virilis aſperior, & ex materia firmiori. *In forma*; quod fœminea, fluxior, & laxior, quo plura membra contegeret, & obtecta minus exprimeret illis adhærendo; virilis adſtrictior, & magis adducta. *In ornatu*; quia fœminea, quæſita varietate cultior; virilis, purior.

Ex his duo colliguntur. Primò. Non eandem rationem verecundiæ in viro eſſe, & in fœmina, quo ad corporis membra tegenda, vel nudanda. Nam quia fœminæ vix alterius gratia à natura ſunt, quam gignendæ ſobolis, & educandæ; nihil in ſuo corpore habent, ſi faciem demas, (quæ noſcendi inter ſe gratia eſt exponenda) quod ſemper velari non debeat. At viri quia ad alia plura inſtituti ſunt; & ſi quis illis decor in brachiis, in toris, in humeris, in cruribus eſt; ad alia quoque eſt, quam ad liberos gignendos aut educandos, non ita pudorem violant, cum membra iſta denudant. Nam & miles, & athleta, & agricola, & operarius quilibet oſtentare artus poteſt, quibus ſe parem militiæ probet, & operi cui deſtinatur exequendo. Hinc eſt vt pedes & crura nudare in fœmina, ſit iniuria pudoris; non verò ſi nudentur à viro; & in vniuerſum quod non quaſcunque partes, indecorum eſt, apertas & nudas in fœmina conſpicere ſit in viro quoque pu[illegible]

[illegible]. Quod qui viri magis verecundiæ curam habere debent & pudoris, quales ſunt magiſtratum gerentes, religioſam vitam & Deo ſacratam profitentes, ij quoque veſtibus vti debent magis pudori conſulentibus. Quæ iſtæ? Longiores, & fluxiores. In quo vtroque *longitudine & laxitate*, veſtis horum virorum cum fœminea conuenit apud omnes gentes. Vt enim veſtibus talaribus & largè fluentibus fœminæ vtuntur ad pudorem tegendum; ſic etiam religioſiores quique viri, & diuino cultui dicati veſtes laciniosas, & fluxas ſunt amplexati; quod illis par eſſe debeat cum fœminis cura pudoris. Neque enim opus illis eſt artus oſtentare, aut apertos habere, qui nulli ſunt operi deſtinati, quod exigat membrorum gladiatoriam firmitatem. Niſi ergo ſeuerioris diſciplinæ cultus ad corpus aſperius exercendum aliud ſuadeat, vt videmus à Cappuccinis religioſis ſanctiſſimè ſeruari, omnibus aliis communiter qui Deo vitam ſacrarunt veſtes laxas & fluxas à recepta conſuetudine cernimus attributas.

[b] V. Tertul. locis cit. & Cypr. de hab. virg.

Ad illa verba Iudith.

[c] Vnxit faciem ſuam vnguento, & colligauit cincinnos ſuos mitra, accepit ſtolam nouam ad decipiendum illum.

[c] C. 10. 16. v. 10.

Quæ propriæ mulierum veſtes apud Hebræos; & primò de ſtola, qualis ea, quàm multiplex, & ex qua materia conſtaret.

§. III.

INter veſtes mulierum maximè proprias, & quas à viris aſſumi flagitium erat apud Romanos, prima ſtola numeratur. Vnde Vlpianus, vt ſupra vidimus, cum dixiſſet *veſtimenta muliebria eſſe quibus vir non facilè vti poſſit, ſine vituperatione*, hanc primam omnium ſubiicit exempli cauſa. *Veluti inquit ſtola, pallia, tunicæ, capitia, Zonæ, mitra.* De ſtola hîc ergo primò quærimus an ea propria ita mulierum, vt illas à viris in cultu diſtingueret.

Et ſanè videtur. Primò apud Romanos, vt hîc Vlpianus exertè. Vnde Seneca cum vellet exemplum ponere, coniunctionis abſurdæ; *Hoc, inquit, tale eſt, quale ſtola vir fortis indutus.* Et hinc *ſtola* Valerio Maximo quod fœminarum propria, *matronalis* dicitur. Ob id inter alia Caligulæ flagitia Ioſephus recenſet aliquando illum cum ſtola in publicum proceſſiſſe. Quare cum alicubi Cicero [d] exprobraſſet Antonio vitam muliebrem, & mores effœminatos, *Virilem, inquit, togam ſumpſiſti, quam ſtatim muliebrem ſtolam reddidiſti.*

[d] Philip. 2.

Secundò. Non ſolùm apud Romanos, ſed & alias gentes erat propria ſtola fœminarum. Sic apud Græcos, vnde ſimulacra dearum illis cum ſtola; nempe quia fœminæ in fœminea veſte; Sic *ſtolata Diana* Ciceroni dicitur. & apud Barbaros Semiramis in ſtola dicitur inceſſiſſe.

Tertiò denique, videri quoque poteſt idem ſeruatum apud Hebræos. Hic enim vbi Iudith veſtitus, ornatuſque deſcribitur, cum mitra, ſine dubio, propria fœminarum ſtola coniungitur. *Colligauit*, inquit, *cincinnos mitra, & ſtolam nouam induit.*

At ex alia parte multa ſuadent, non fœminarum tantum ſtolam fuiſſe, ſed etiam virorum; & primò apud Romanos. Nam Nonnius obſeruat ſtolæ nomine apud Latinos veteres quicquid tegeret ſignificatum. Quare *ſtolam* non fuiſſe proprium certæ veſtis nomen, quæ tantum mulieribus conueniret; ſed generale cuiuſque indu-

menti. Sicut & apud Græcos *ſtoli* ſignificat, à quo Latinè *ſtola* dariuatur. Ob id Ennium viris etiam ſtolam tribuiſſe, dum inducit Telephum regem loquentem.

Cedo, & caneo cum veſtiu ſqualido, ſeptus ſtola
& iterum.
Regnum reliqui ſeptus mendici ſtola.

Secundò, Apud barbaros promiſcuus erat vſus ſtolæ tam viris quàm fœminis; vt de Perſis Regibus Herodotus [a], & alij [b] atteſtantur, eorum amictum *ſtolam Perſicam*, & Barbaricam appellantes.

a lib 7.
b Arrian.l.4. in Alexand. Plutarch. in Alexand. Athen.li. 12. Helian. de var hiſt. lib. 1 c. 32.

Tertiò denique, de Hebræis certa res eſſe videtur. Sæpius enim ſtola viris tribuitur. Vnde Ioſephus [c] à Pharaone ſtola byſſina veſtitus dicitur honoris cauſa; & Mardochæus [d] ſimiliter ab Aſſuero; & ipſe Dauid [e] indutus ſtola byſſina ſaltaſſe dicitur ante arcam Domini. Denique pater ille Euangelicus aduentum perditi filij feſta gratulatione celebraturus [f], *Proferte*, inquit, *cito ſtolam primam, & date annulum in manu eius*. Propter hæc ſunt qui non ſolùm Hebræis, & aliis ſed etiam Romanis exiſtiment ſtolas in vſu promiſcuo fuiſſe.

c Gen. 41.
d Eſth. 6. 10.
e 1. Paral. c.
f Luc. c. 15. 22.

Quid ergo dicendum? Primò ſtolam dupliciter accipi. Primò largè, vt ex etymologia ſui noſtris indumentum quodcunque ſignificat. Et cum ſic accipitur; dubium non eſt tam de viris, quam de fœminis vſurpari. Secundò propriè, vt certam veſtis ſpeciem ſignat. Et in hoc ſenſu negari non poteſt apud Romanos fuiſſe ſtolam veſtem propriam fœminarum, earumque nobilium & matronarum, quod paulo poſt iterum. Ob id enim Liuia Auguſti vxor quod eſſet aſtutiſſima fœmina; & quicquid inciperet apta perficere, *Vlyſſes ſtolata* dicta eſt. *Vlyſſes* quod vt ille, vaferrima. *ſtolata*, quod fœmina. Quod autem Nonnius obſeruat; in eo, vt in aliis pleriſque deceptus eſt, ſi de ſtola loquitur; vt certam veſtis ſpeciem ſignificat. At Ennius ſtolam viris tribuit. Ridicule id adducitur ad Romanos mores probandos. Ennius enim externos Reges inducit; ob id non mirum, ſi cùm illi loquuntur, ex alienis, & externis moribus loquantur, non ex Romanis.

Secundò. Certa res eſt apud Orientales omnes vſum ſtolæ tam viris, quàm fœminis promiſcuum fuiſſe; quod inde ductum, quia, vt ſupra vidimus ex Iuſtino [g], Semiramis cùm virum fingeret, & prodi timeret, veſte fluxa, talari, manicata, *ſtola* nimirum vti perſeuerauit; & eum veſtitum edicto ſanxit à viris vſurpari. Quod in toto fermè Oriente cœptum, in quo illa latè regnauit, in futura deinde tempora propagatum eſt. Ob id Reges Perſæ, Medi, Aſſyrij, Ægyptij, & Orientales quique ſtolati.

g lib. 1.

Tertiò, Ex hac vicinia non mirum ſi ſtola quoque in vſu promiſcuo fuit apud Hebræos; nec tantum fœminarum, ſed etiam virorum. Quod adducta teſtimonia, & alia prætarea, quæ afferri poſſunt, apertè conuincunt: & optima ratione ex his quæ ſupra diximus, poſſumus perſuadere. Stola enim tunica erat, vt paulo poſt, talaris, & manicata, late fluens & ſolum quaſi verrens. At tali tunica promiſcuum erat Hebræis vti tam viris, quam fœminis, vt ex legatis [h] Dauidis conſtat, & nos infra. Stola ergo etiam promiſcua erat.

h lib. 2. Reg. 10.

Qualis ergo veſtis ſtola, qua forma, & materia? Primò, *Indumentum* erat, non *amictus*. Inſerebatur enim corpori, non iniiciebatur. Itaque non in togarum, aut palliorum numero erat, ſed tunicarum. Eius formam deſcribit Acron vetus Grammaticus ad illa verba Horatij, matronæ Romanæ habitum deſcribentis [i].

i lib. 1. Sat. 2.

——— *Qui nolunt tetigiſſe, niſi illas*
Quarum ſubſuta talos tegit inſtita veſte.

Matrona, inquit, *ſtola vtuntur demiſſa vſque ad imos pedes, cuius imam partem ambit inſtita ſubſuta.* Quid inſtita? Supra diximus; & Lactantius antiquus interpres Statij [k] *Faſciola*, inquit, *eſt quæ imam veſtem ſuo pingit ornatu, paſſamano, frangiâ, orlo, fregio*, nunc dicitur. Erat porro ſic laxè fluxa, vt tota rugis eſſet inarata. quod diſtinctius paulo poſt, vbi de habitu matronali. Et hæc de forma. De materia verò ſtolæ; non eſt quod aliud dicamus: varia enim pro cuiuſque libitu, & fortuna poterat eſſe.

k lib. 6. Theb. ad ver. 537.

Sed ſupereſt vnus hîc ſcrupulus eximendus; infirmum nimirum argumentum ex Vlpiani auctoritate duci ad probandum ſtolam tantum mulierum fuiſſe, & nullo modo virorum. Hic enim ſicut ſtolam nominat, ſic & tunicam, & pallium, & Zonas. An ergo ob id, pallium & tunicam tantum dicemus fœminarum fuiſſe, & non virorum? Si dicatur, tunicas, & pallia fuiſſe duplicia, muliebria alia, alia virilia; cur non itidem dicimus duplicem fuiſſe ſtolam apud Romanos; ſuam nempe fœminis, & ſuam viris? Reſpondeo non ea hoc loco ſolo Vlpiani; ſed ex illo cum aliis adiuncto manifeſtè confici, *ſtolam*, muliebrem fuiſſe veſtem apud Romanos, & non virilem. Nec enim vſpiam legimus vitio datum cuipiam quod paſſim *tunicatus*, aut *palliatus* incederet: at datum legimus, quia *ſtolatus*. Argumento igitur hoc eſt nullo modo ſtolam conueniſſe viris; pallium verò & tunicam conueniſſe.

Erat igitur propria ſtola fœminarum apud Romanos, quæ non alio fermè habitu prodibant, quam quo beata Iudith hîc deſcribitur proceſſiſſe, cum mitra, & ſtola; *mitra*, qua crines circumligabantur; *ſtola*, quæ totum vndique corpus ad imos vſque pedes obtegebatur. At quomodo ſi ſtola Iudith induta; aut ſi hæc ſtolæ forma, quam diximus, in calceamentis ſuis Holophernem cepit? Dicitur enim [l] *ſandalia eius rapuerunt oculos eius; pulchritudo eius captiuam fecit animam eius.* Similiter ſponſus in Canticis captum ſe dicit in calceamentis ſponſæ [m]. *Quam pulchri*, inquit, *ſunt greſſus tui in calceamentis filia principis?* Si enim ſtolata Iudith, ſi ſtolata ſponſa; ſandalia, aut alia calceamenta & greſſus in illis non apparebant, cùm ſtola pedes ad imos demitteretur. Sed non totis pedibus ſtola ſuperfundebatur, ſed ad medios tantum pertingebat. Ouidius matronalem habitum deſcribens [n].

l Iud 16. 11.
m Cant.
n lib 2. de ar.

Eſte procul vitta tenues inſigne pudoris.
Quæque tegit medios inſtita longa pedes

Et quamuis totos texiſſet, poterat tamen in ambulando ſtola ſubduci, & pedes in calceamentis apparere; quibus vt Holopherni Iuditha placuit; ita captus eſt Sponſus in canticis [illegible] non in ſolis calceis, ſed in ſcita pedu[illegible] ta, greſſibúſque concinnè re[illegible] captus ſit. Quod quid arcanæ ſignificationis contineat; alibi, & alij.

* * *

Ad

Digitized by Google

a Cap.3.24. Ad illa verba Iſaiæ. [a] Et erit pro Zona funiculus.

Zona an, & quomodo mulierum tantum propria apud Hebræos, & Romanos.

§. IV.

VLpianus, vt vidimus, muliebres veſtes enumerans, quibus vti viri, ſine nota, non poſſunt, etiam Zonam nominat. *Veluti*, inquit, *ſtola, capitia, zona*. De hoc ergo dubium eſt, an zona, & quomodo tantùm propria fœminarum.

Videtur fuiſſe. Primò ex hoc loco clariſſimo Vlpiani. Secundò, quia dum proprias veſtes & ornamenta fœminarum, quas illis Dominus eſt
b Cap.3.17. ablaturus, Eſaias [b] enumerat, zonas inter illa recenſet. *Decaluabit*, inquit, *Dominus verticem filiarum Sion ..... auferet ornamentum calceamentorum..... & erit pro ſuaui odore fœtor; & pro Zona, funiculus.* Sed ex alia parte videtur etiam zona commune cingulum virorum, tam apud Hebræos, quam Romanos fuiſſe. De Hebræis; conſtat adeo fuiſſe illam viris vſitatam, vt nunquam ferme deponerent; & cum veſtes alias abiicerent, in zona tamen ſemper conſpicerentur. Inde enim Dauid cum vellet inſeparabilem duorum
c Pſ.108.19. coniunctionem exprimere [c]; *fiat*, inquit, ei, *ſicut veſtimentum, quo operitur; & ſicut zona, qua ſemper præcingitur.* Et Elias in veteri teſtamento pariter vt Ioannes in nouo, cum veſtes alias abieciſſent, vterque tamen zonas retinuerunt. Et hoc Hebræi: Romanis vero nihil frequentius, quàm zona præcingi. Illa enim milites, illa viatores, illa Senatores & Præſides, & alij quicunque omnis conditionis & ordinis cingebantur, vt iterum paulò pòſt clariùs conſtabit. Vnde ergo Vlpianus inter muliebria veſtimenta vel ornamenta zonas enumerat?

Iam dixi non ſignificare per illa verba Vlpianum veſtes, quas nominat, eſſe fœminarum tantum proprias, non virorum. Quî enim id velit cùm tunicas etiam, palliaque commemoret, quæ certum eſt promiſcua fuiſſe? Sed velle tantùm, quæ pallia, & quæ tunicæ ſunt fœminarum, à viris eas, ſine nota, non vſurpari. Non ergo tunicas omnes, aut pallia, aut zonas inter muliebres enumerat; ſed certas tantum, quarum vſum viris dicit interdictum. Quæ tunicæ ergo, & quæ pallia muliebria, & non virilia? Tunicæ talares, manicatæ, & inſtita ſubſutæ, quæ proprio nomine *ſtola*; pallia, quæ alio nomine *palla*; & *pepla*, & *theriſtra*, & *mauortia*. ſic ergo dicendum de zonis alias fuiſſe viriles, alias fœmineas; & has à viris vſurpari, ſine vitio, non potuiſſe, ſicut viriles à fœminis. In quo ergo zona virilis à fœminea diſtincta? In materia, forma, vſu. In *materia*; nam zona fœminea delicatior, ornatior, & varia pictura gemmis, auroque diſtincta. In *forma*; quia fœminea, ſimplex erat; virorum, duplicata, ſinu intus vacua pecuniæ ſeruandæ, vt mox dicetur. In *vſu* denique quia zona fœminea papillas illis & pectus adſtringebat, virilis lumbos ambibat. Ob id idem puto fuiſſe zonam fœmineam, quod faſciam pectoralem; de qua hoc eodem loco Iſaias, & nos paulo poſt, vbi de habitu matronali. Fœminea ergo zona maximè verecundiæ ſeruiebat ad mamillas tegendas; virilis vſum etiam præſtabat in pecunia ſeruanda. In ea enim nummi condebantur, quos ad manus habere volebant. Ob id viatorum, & militum maximè proprium aurum, & argentum in zona geſtare. Minus enim onere grauabantur, & vtrumque tutius habebant, cum zonam nunquam dimitterent, & ob id periculum non eſſet, ne alicubi viaticum obliuiſcerentur.

Ex his duo colliguntur. Primò quare Chriſtus Apoſtolis quos ad Euangelium prædicandũ mittebat, præceperit ne pecuniam haberent in zonis ſuis. Zonas enim non prohibuit eo præcepto modoque loquendi; quia nunquam ſine zona & cingulo præſertim viatores, & milites. At vetuit in illis id geſtare, quod erat ſuetum tunc temporis in zonis ab omnibus haberi, pecuniam, & nummos [d]. *Nolite*, inquit, *poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis veſtris.* In iis d Matt.10.9.
enim omnes alij, præſertim iter acturi, pecuniam locabant; vnde loculi dicebantur, quos Iudas habebat [e], *pecuniæ quæ mittebatur aſſeruanda.* Ij e Ioan.13.
enim loculi, non aliud quam zona; de cuius vſu in pecunia condenda, paſſim plura teſtimonia ſuppetunt antiquorum. Gracchus in oratione, quam habuit ad Quirites. *Zonas*, inquit, *quas plenas argenti extuli, eas ex prouincia inanes retuli.* Et de Vitellio Suetonius [f]. *Zona*, inquit, *ſe aureorum plena circumdedit.* Hinc illud Alexandri [g] Seueri. f Cap.16 in Vitel. g Lampr. in eius vita.
Miles, inquit, *non timet, niſi veſtitus, armatus, calceatus, & ſatur, & habens aliquid in Zonula*, quod nimirum poſſit amittere: nam qui nihil habet, quo poſſit indulgere genio, ſi ex prælio excedat, minus timet; quia nihil eſt, quod perdat in pugna. Hinc Peſcennius [h] Niger edicto ſanciſſe dicitur *ne in zonis milites ad bellum aureos, vel argenteos nummos portarent.* Et id moris Romanis h Spart. in eius vita.
non ſolum, ſed etiam Græcis erat. Tradit enim Plutarchus [i] Soſigenem aureos trecentos nummos in cingulo pro viatico habuiſſe. Quin etiam i In vita Demetr.
fœminæ, licet non in quotidiano vſu; cùm tamen iter habebant, etiam in hunc vſum zonis vtebantur. Apuleius [k] de Plotina nobili fœmina, k lib.7. metam.
quæ in itinere verſabatur; *Zonis*, inquit, *auro monetali refertis incincta.* Rectè igitur Chriſtus Dominus cum vellet omnem anxium timorem Apoſtolis adimere vetuit illos in zonis quidquam portare. Et hoc ſiue eos, vt legatos & viatores, ſiue vt milites ſpectemus. Vt *viatores*; quod aurum in via geſtatum timidum faciat geſtantem; nimirum vt ille dicebat

——— *Sibique vtroque timentem.*

Veriſſimè enim dictum eſt à Iuuenali [l]. l Sat.10. v.19.

Pauca licet portes argenti vaſcula puri,
Nocte iter ingreſſus gladium contumque timebis
Et mota ad Lunam trepidabis arundinis umbram.
Cantabit vacuus coram latrone viator.

Quare id? Rectè Seneca [m] *quia nudum latro tranſmittit; & etiam in obſeſſa via pauperi pax eſt.* m Ep.
Cùm ergo peregrè Chriſtus Apoſtolos mitteret; vt omnem illis timorem & ſollicitudinem demeret, omnem quoque pecuniam habere vetuit. In qua dum fiderent; erat quoque neceſſe vt eidem timerent. At Dei fiducia, qua volebat illos inſtructos, viaticum erat vndequaque certum, quod nullius latronis patebat iniuriæ, & cui propterea nihil Apoſtoli timebant; cùm tale viaticum à nullo poſſet auferri. Nec omnes tamen capiunt verbum iſtud. Qui enim ſerui Chriſti non ſunt, tunc ſolliciti in itinere ſunt, cum ſecum pecuniam non habent. Vnde verbum

Digitized by Google

a Sidon.ep.2. l.7.

bum antiquum eſt [a], *nihil eſſe viatori grauius viatico leui : contra verò nullum onus leuius viatico graui.* Verum Apoſtolis & Apoſtolicis viris timor Dei,& fiducia in illo,pro viatico eſt : & hoc inſtructis timendum nihil occurrit, vt vice verſa alibi, quam in Deo fidentes, omnia quoque timent;quia nihil eſt,quod illis auferri non poſſit in quo fidunt, ſi Deus non eſt. Vt *viatores* ergo, ſuos Apoſtolos Chriſtus pecunia carere volebat.

Sed etiam vt *milites*. Hi enim nunquam magis timent,in expeditionem ituri;quam cum bene nummati, & præda ditati, & Zona ſuccincti pecunia referta, vt modo dicebamus ex Alexandro Seuero, quod eleganter etiam expreſſit Horatius inducens militem nil,niſi arma ; poſſidentem ad omnia pericula impauidum : deinde vero præda ditatum, pugnam omnem, & aleam detrectare.

b lib.2. ep.2.

> [b] *Forte ſub hoc tempus caſtellum euertere Prætor*
> *Neſcio quod cupiens,hortari cœpit eundem*

Militem ſcilicet, qui pauper fortiter fecerat, & ob id fuerat à ſuo Duce ditatus.

> *Verbis, quæ timido quoque poſſent addere mentem.*
> *I bone quo virtus tua te vocat ; i pede fauſto,*
> *Grandia laturus meritorum præmia:quid ſtas ?*
> *Poſt hac ille catus quantumuis ruſticus : ibit.*
> *Ibit eò quiuis qui Zonam perdidit,inquit*

Id eſt qui nihil habet pecuniæ in Zona repoſitæ, quod poſſit amittere. Cùm ergo milites eſſent Apoſtoli, quos in mundum Chriſtus homines debellaturos mittebat ; rectiſſimè præcepit vt timiditatem excuterent illius cauſas abiicerent,& amputarent. Quæ ſunt aurum,argentum, æs in Zona & cingulo.

Secundò colligitur cur Dauid Zonam in ſymbolum adducat rei inſeparabiliter adhærentis: eam enim antiqui nunquam à ſe deponébant. Cur id ? Quia ibi pecunia, & nummi. Itaque ſi fortè veſtes aliæ ponendæ eſſent;hanc,ſi non aliter,dentibus morſuque tenebant. Iuuenalis naufragum deſcribens.

> —— *Infelix, ac forſitan ipſa*
> *Nocte cadit, fractis trabibus, fluctuque premetur.*
> *Obrutus, & Zonam laua, morſuque tenebit.*

Adeo enim Zonam à ſe ſeparari non permittebant,vt nec in ipſo naufragio, cùm rerum omnium capit obliuio, illam dimitterent;ſed aliter cùm non poſſent,morſu tenerent. Sed hîc quæri poteſt quomodo pecunia in Zona. Sunt qui dicant in marſopiis habitam, quæ quia Zonæ appendebantur ; iccirco in Zonis dictam geſtari pecuniam. vt nunc muliones, & agazones faciunt,qui marſupiis & complicatis crumenis incluſos nummos gerunt;ipſa verò marſupia Zona cinguloque ſuſpendunt. Sed omnino dicendum in ipſa Zona quæ duplicata erat, aurum conditum,& geſtatum. Ob id enim Zonæ iſtæ refertæ pecunia dicuntur;& in naufragio,non marſupia, ſed Zona mordicus ſeruabatur. Tota ergo.Zona quæ latinſcula erat,auro monetali replebatur & ea cincti incedebant.

Tertiò. Hinc colligitur cur Iſaias Chriſti ſupremi iudicis & incorruptiſſimi iuſtitiã deſcribens, dicat [c] *futuram iuſtitiam cingulum lumborum eius.* Cur enim iuſtitia quæ prima virtus eſt iudicis,& eorum,qui populis cum imperio præſunt, cingulo comparatur ? In hac enim ſententia ſicut in pluribus aliis (quod & aliàs monui) particula, *quaſi*, ſubintelligitur, vt ſit ſenſus erit iuſtitia quaſi cingulum lumborum eius ; ita nimirum illam habebit,vt ſolet haberi cingulum. Vnde ergo iuſtitia cingulo confertur? Audiui qui aliquando ex ſuggeſtu diceret dum ad populum concionaretur ; quia ſicut nihil eſt quod æquè cingulum inflectat,inclinet in vnam potius partem,quam alteram propellat;quam ſi marſupium auro plenum illi ſuſpendatur : illico enim ex ea parte propendet. Sic nihil eſſe quod æquè iuſtitiam labefactet, & rectum iudicium corrumpat, quam aurum,& pecuniam. Nullum enim cingulum eſſe tam aptè corpori adſtrictum, cui crumena nummis grauida ſuſpenſa non illud diſtringat. *vna ſcarſella piena d' oro torce il centurino.* Sed hoc nimis populariter. vera cauſa cur incorrupti iudicis iuſtitia cingulo comparetur, eſt ex alluſione ad duplicem ritum, quem expoſuimus, in Zona & cingulo ab antiquis ſeruatum. Alter eſt,quia ſicut Zona ſemper,& vbique præcingebantur, & eam nunquam à ſe ſegregabant,adeo vt vbi aliæ veſtes exuendæ eſſent,hanc in extremo quoque ſpiritu retinerent ; ſic Iudex primum omnium, ſuo muneri vt ſatisfaciat, intentus iuſtitiæ eſſe debet ſemper & vbique ſeruandæ. Hoc enim primum omnium Iudicibus à Salomone [d] mandatur. *Diligite iuſtitiam, qui iudicatis terram.* Secundò quia verò & incorrupto iudici Zona & cingulum non auro, & pecunia, ſed iuſtitia replenda eſt ; quod eſt illi chariorem eſſe iuſtitiam quam aurum & pecuniam. Proptereà de tali iudice dicitur [e]. *Qui munera ſuper innocentem non accepit.* Non pluris fecit munera, quam innocentiam. Et ſatis illi fuit cingi Zona, ſi non pecunia, iuſtitia referta. Hoc eſt ergo *erit iuſtitia cingulum lumborum eius.* anxius non erit vnde Zonam repleat auro & argento ; ſed quomodo ſanctè & ſyncerè iuſtitiam adminiſtret. Nam *qui diligunt* [f] *munera, iudicium ſubuertunt;* & hi ſunt, quibus pro cingulo, non iuſtitia eſt; ſed aurum & pecunia in Zona reconditum.

c Cap. 11.5.

d Sap. 1.1.

e Pſal.14. 5.

f Ex.23 8.

Ad illa verba Geneſis.

g Cap.24.65

[g] Rebecca quoque conſpecto Iſaach deſcendit de camelo .... & tollens citò pallium operuit ſe.

Pallium quomodo fæminarum apud Hebræos, & quæ alia earum propria veſtes.

§. V.

INter muliebres veſtes,quibus vti viris, abſque nota,non licet,Vlpianus etiam pallia numerat: quod de Romanis fœminis aſſertum in Hebræis quoque locum habuiſſe videri poteſt. Hic enim Rebecca ſuo quaſi proprio operimento, pallio ſe tegit Iſaacho conſpecto. Sed ex alia parte non leuem difficultatem facit,quod ſuprà docuimus, fuiſſe palliorum vſum promiſcuum, tam fœminis quam viris. Quomodo ergo ſic illarum proprium dicitur ab Vlpiano,vt eo,ſine vituperatione viri vti non poſſent? Sunt qui ob hoc non pallium legendum putent apud Vlpianum,ſed *palla*, quæ ſine dubio propria tantum mulierum veſtis erat,& nullo modo virorum. Sed nec hoc pacto difficultas ſedatur. Vlpianus enim etiam tunicas inter huiuſmodi veſtes enumerat;& tamen nihil notius,quam tunicarũ vſum fuiſſe promiſcuum.

Dicendum

Dicendum ergo pallium,ſicut & togam, tam virorum fuiſſe quàm fœminarum, diſtinctionem tamen inter vtrorumque pallium fuiſſe, ſicut & inter togas,& tunicas.

In quo ergo pallium fœmineum, quod aſſumere viro probroſum erat, à virili diſtinctum? Primò pallium mulierum, *palla* propriè dicebatur, alio nomine etiam *recinium* & *lena*. Licet
a li.19.c.25. enim Iſidorus [a] *recinium* idem faciat cum ſtola matronali; perſpicue tamen fallitur: quod ſtola *indumentum* erat,recinium *amictus*.Vnde ſtola tunicis computabatur,recinium palliis. Secundò pallium fœminarum quadrangulum quoque erat vt etiam virorum. Hoc enim vt ſuprà diximus, erat omni pallio commune. Vnde Tertullianus vniuersè de illo loquens *pallij*,inquit,*extrinſecus habitus,& ipſe quadrangulus*. Quare bene in hoc Iſidorus *pallam* quadratum pallium definiuit; ad pedes tamen vſque demittebatur; extremis oris, quæ veſtigia tegebant,variè pro cuiuſque fortuna diſtinctis. Tertiò denique,pallium fœminarum rugis vibrantibus ſinuatim criſpabatur. At pallium virorum nec limbum habebat,gemmis, aut ornatu alio diſtinctum, nec rugis inarabatur; ſed *ab vtroque latere regeſtum, & ceruicibus circunſtructum,in fibula morſu humeris acquieſcebat*; inquit Tertullianus.

Tale ergo erat pallium fœminarum. Videamus iam ſi quæ aliæ veſtes propriæ illarum. Ad quatuor eæ genera reducuntur; ad tegumenta capitis,ad indumenta, ad amictus, ad calceatum.

Propria capitis fœminarum ſiue tegumenta ſiue ornamenta erant, mitræ,calantica, caliptra, caliendrum,flammeum ſiue flammeolum,reticulum,ricula,plaga.

Mitræ vt proprij ornamenti fœminarum me-
b Cap.3.20. minit Iſaias [b]. *Auferet*,inquit, *Deus in illa die ornatum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia,& armillas, & mitras.* Eas autem capiti tegendo, vel ornando, vel vtrique fuiſſe conſtat
c Cap. 10.3. ex beata Iudith; de qua dicitur [c]: *Lauit corpus ſuum, & vnxit ſe myro optimo, & diſcriminauit comam capitis ſui, & impoſuit mitram ſuper caput ſuum.* Dubium ergo hîc multiplex eſt. Primò quomodo mitra fœminarum tantùm. Secundò qua forma. Tertiò ex qua materia.

De primo difficultatem facit quod etiam in
d Ex.29.9. & 39.28.& 32.Leu.8. 13. ſacris [d] litteris mitra non ſolum viris, ſed ſacerdotibus tribuitur. Sed expedita reſponſio duplicem fuiſſe mitram; ſacram, & politicam. Sacram,propriam ſacerdotum, longe alia forma & materia,quam politicam fuiſſe,vt infra pluribus. Iccirco autem tegmen vtrumque eodem vocabulo vocatum, quod eſſent ambo capitis operimentum cultiſſimum,licèt illud viris,hoc fœminis attributum.

Qua ergo forma mitra fœminea? Difficile eſt quidquam certi ſtatuere; niſi tantùm reticulum quaſi fuiſſe gemmis,auro, aut alio ornatu diſtinctum, quo capilli concinnè colligati in ſuggeſtum aſſurgebant; & vt firmiùs adhæreret capiti, ſub mento redimiculis adſtringabatur. Hinc Virgilius effœminatum Paridis veſtitum deſcri-
e lib.4. bens [e].

Et nunc ille Paris cum fœmineo comitatu
Mæonia mentum mitra crinemque madentem
Subnixus rapto potitur——.

Propterea enim ſubnixum dixit mentum Mæonia mitra, non quod ea non capitis eſſet; ſed quod ita illi aptata, vt ſub mento, ne diffluerer, adſtringeretur. Apud Iſaiam [f] vox quam Hiero- f Cap.3.
nymus *mitras* vertit, eſt רעלות *rehhaloth*, quæ tremorem ſonat, huiuſmodi enim ornamenta quæ fœminarum capitibus aptantur,ita fabricata ſunt, vt aura qualibet vibrata, laſciuiant. vnde illis à tremore nomen. Obſeruat autem Hieronymus etiam *rehhaloth* venena dici. quod nomen rectè conuenire cultui exquiſito formæ; *quia*,inquit,*ſi vir,aut mulier ſe ornauerit, & vultus hominum ad ſe prouocauerit, & ſi nullum inde ſequatur damnum; iudicium tamen patietur æternum; quia venenum attulit, ſi fuiſſet, qui biberet.*

Cæterùm tria illa, quæ mitræ tribuimus, *capillos religare,in ſuggeſtum* attollere, & *ſub mento* adſtringi poetæ ſignificarunt,dum mitræ cornua adſignant,& illa dicunt capillos redimiri, &
tempora cingi. Ouidius [g] de Hercule muliebri- g Ep.9.
ter induto;

Auſus es hirſutos mitra redimire capillos.

Et idem de alio qui itidem mulierem,ſed anum, ſimulabat.

[h] ——*picta redimitus tempora mitra* h Metam.
Innixus baculo,poſitus per tempora canus 14.
Aſſimulauit anum.——

Hic enim Ouidius vtrumque expreſſit; & capillos mitra redimitos, & eam ad tempora pertinuiſſe. At cornua mitræ tribuit Valerius [i] Flac- i li.2. argo.
eus; ob quod Seruius [k] incuruam mitram fuiſſe k.lib.4. Æn.
dicit. Ita enim capillos ſtruebat, & religabat, vt in ſuggeſtum ſublati, ſpeciem quaſi cornu referrent. de qua re paulo poſt iterum, cum de ornatu. Qua ergo ex materia mitra? Omnino ex pretioſa: quare aut ex byſſo, aut ex ſerico, & inſuper ornatu vario depicta. Male ergo Iſidorus laneam definit. Si enim mitra ſacerdotia ex byſſo contexta erat; quæ ratio patitur; vt mitra nobilium fœminarum lanea ſemper eſſet?

Præter mitram,alia, quæ recenſuimus capitis operimenta,modicum ab illa diſtabant, maximè ſi de reticulo, rica, calantica, & caliptra loquamur. Certè de calantica Seruius diſertè docet idem eſſe, quod mitram. Ad illud enim Virgilij,

Et tunica manicas, & habent redimicula mitra.

Pallia, inquit, *virorum ſunt mitræ fœminarum, quas calanticas dicunt.* Quare Cicero contra Clodium, qui muliebrem veſtitum induerat. *Tu me*, inquit, *cum vincirentur pedes faſciis, cum calanticam capiti accommodares.* Caliptræ præter Feſtum,meminit etiam Plato in Alcibiade, cum dicit in Aſia quaſdam regiones eſſe mundo regiæ vxoris attributas, & appellationem ab illo mundo, vel genere ornatus ſortitas; & inter alias Caliptram,ſic appellatam, quod eius vectigalia caliptris regiæ vxoris eſſent aſſignata. & hæc de capitis operimentis propria fœminarum.

Quod ſpectat ad indumenta, propriæ illarum tunicæ erant, quæ *ſtola, ſypparia, cyclades, & ſyrmata dicebantur.* De ſtola & ſyppario; ſupra iam ſatis. tantùm repetam ſtolam, fuiſſe tunicam laxam, rugis criſpatam, ad talos vſque demiſſam. Vnde Martialis.

Rugoſiorem cum geras ſtola frontem.

Adeo enim rugis inarata ſtola, vt inde comparationes ducerentur: Itaque non abſurdè licet ſuſpicari ſtolam antiquorum, non abſimilem

fuiſſe

fuiſſe lineæ veſti, quia nonnunquam maiores præſules albati procedunt. hoc tamen inter illas diſcrimine; quod antiquæ ſtolæ pedibus illudebant; iſtæ quæ *rocheti* dicuntur, modicum vltra genua teoduot. Cyclades erant etiam tuoicæ muliebres. De qoibus Lampridios [a] Alexaodti dictum refert; *Matronas regias contentas eſſe debere cyclade, quæ ſex vnciis auri non plus haberet.* Erat autem veſtis teouiſſima & rotunda: vnde illi nomeo: *κυκλὰς cyclas* eoim Græcè, circulum Latinè ſignificat de cuius tenuitate Iuuenalis [b]

a In Alexan.

b Sat. 6. verſ. 259.

Hæ ſunt quæ tenui ſudant in cyclade, quarum
Delicias, & panniculus bombycinus vrit.

Longam autem fuiſſe; Propertius;

Quæ modo per viles inſpecta & publica noctes,
Hæc nunc aurata cyclade verrit humum.

Syrma, veſtis erat fœminea, quam alij palliis, alij tonicis adoumetant: ea tragœdi etiam vtebantur: & ſuntqui à ſtola non differre putent, niſi qood ſyrma longius, & laxios. Hinc Muſæ cum ſyrmate finguntur. Sidooius [c] Thaliam alloquens.

c lib. 8. ep. 11.

Sparſam ſtringe comam, virente vitta,
Et rugas tibi ſyrmatis profundi
Succingant hedera expeditiores.

Profundum eoim ſyrma, quod longum, & laciniofum. Vnde Prudeotius [d]

d In Pſycom.

Vt tener inceſſu veſtigia ſyrmate verrat.

Tenerum appellat, quia fœmineum, fœminarum autem maximè proprium ſyrma. Et boc de indumentis.

Ad amictum fœminarum, præter pallium, pallam, recinium, quæ ſtolæ ſuperiniiciebantur *theriſtrũ* ſpectabat; genus muliebris pallij de quo Iſaias [e], & ibi Hieronymus. *Habent*, inquit, *mulieres & theriſtra; quæ nos palliola poſſumus appellare, quibus obuoluta eſt Rebecca* [f], *& hodie quoque Arabia, & Meſopotamia operiuntur fœminæ; quæ dicantur græcè θέριστρα theriſtra, eo quod ἐν θέρει, hoc eſt in æſtate, & caumate corpora protegat fœminarum.* Apud Eſaiam quod nos habemus *theriſtra*, Hebraicè eſt רדידים *redidim*, quam vocem R. Dauid Hiſpanicè vertit, *velo de ſeda*, vt intelligamus theriſtrum fuiſſe textum tenuiſſimum, quale ſericum, aut bombycinum.

e Cap. 3. 23.

f Gen. 24.

Læna etiam à quibuſdam iotet muliebria pallia computatur: propterea quod D. Hieronymus alicubi Perſij verſus ad fœmioas transferens, illis videatur lænam, vt proprium amictum tribuere. *Vidas*, inquit, *pleraſque rabido ore ſæuire, & tincta facie, viperinis orbibus, dentibus pumicatis, carpere Chriſtianos.*

Hic aliqua cui circa humeros hiacyntina læna eſt
Rancidulum quiddam balba de nare loquuta,
Perſtrepit, ac teneto ſupplantat verba palato

Et alibi clariùs idem Hieronymus itidem mulierculas quaſdam ſoggillans *lænam* pallium illarum facit. *Purpura tantum in veſte tenuis, & laxius, vt crines decidant ligatum capat; ſoccus vilior, & per humeros hyacinthina læna mauorte volitans.* Sed perſpicuè iſti falluntur: læna enim aut virorum propria veſtis erat, aut magis quam fœminarum. Iuoenalis de diuite qui reueretur à cœoa. *Pauper*

—— Caaet hunc quem coccina læna
Vitari iubet, & comitum longiſſimus ordo.

& Perſius cuius ſunt verſus à Hieronymo fœminis aptati, non de fœmina, ſed de viro loquitur [g].

g Sat. 1. v. 46

Hic aliquis cui circa humeros hyacintina læna eſt,
Rancidulum quiddam balba de nare loquutus

Quare ſunt, qui veſtem propriam virorum lænam fuiſſe volunt, & cœnatoriam, de quo poſtea. Interim ſatis eſt non fuiſſe propriam fœminarum.

Sunt etiam qui propter verba Hieronymi proximè citata *mauorte*, ſiue *maforte*, proprium pallium fœminarum faciant. Sed oec mioos etiam iſti falluntur; licèt idem cum illis Iſidorus ſentire videatur, vt perſpicuè colligitur ex Caſſiano, qui *mauortem*, ſiue *mauorte*, proprium facit amictum Monachorum ſui temporis. *Poſt hec*, inquit, *anguſto palliolo tam amictus humilitatem, quam vilitatem pretij compendiumque ſectantes, colla pariter, atque humeros tegunt, quæ mauortes tam noſtro, quam ipſorum nuncupantur eloquio.* Adeo ergo mauorte, proprium pallium fœminarum non erat, vt etiam à Monachis perpetuò veſtiretur.

Verius tamen ioter pallia fœminea, *peplum*, ab eodem Iſidoro adnumeratur, *matronale pallium, ex purpura ſignatum, cuius fimbria aurei flaminis ſummitate reſplendent.* Et hæc de amiculis fœminarum.

Ad illarum calceatum ſpectabant propriè calcei Sicyonij, de quibus Lucretius [h]

h lib. 4.

Vnguenta, & pulchra in pedibus Sicyonia rident.

Et Virgilius

Cogatus aut teneris pedibus Sicyonia ſeruans
Nec niueo retinens baccata monilia collo.

Sed his omiſſis, in Scriptora ſandalia quoque fœmiois tribuũtur: Iudith [i] eoim ad Holophernem itura, ſandalia ſibi dicitur induiſſe. Quod tamen ea mouere non debet quæ ſupra de ſandaliis à nobis allata: quaſi minimè hæc Apoſtolos decerent, quæ deliciarum cauſa à fœmiois aſſumebantur. Primò enim hic Iudith ſe parat itineri. Diximus autem ſandalia & caligas ab his maximè aſſumptas, qui ſe darent itineri. Secundò non incoouenit io vno, & eodem genere calceamenti diuerſa ſpectari. Sandalia enim pedem nudabant. Vt ergo alio fine delicata mulier, alio vir ſeuerus & grauis pedem nudaot; ſic potuere ſandalia tam à fœmiois olim, quàm à viris indui diſciplinæ ſeuerioris.

i Cap 10. 16.

Ad illa verba 2. Regum de Thamar.

[k] Quæ induta erat talari tunica. Huiuſmodi enim filiæ Regis virgines veſtibus vtebantur.

k Cap. 13. 18.

De habitu virginum proprio apud Hebræos.

§. VI.

HActenus diſcrimina virilis, & muliebris habitus exequuti ſumus; nunc ipſos muliebres habitus inter ſe conferemus. Et primo de virginali dicemus, inde de matronarum, & viduarum proprio, quatenus à meretricio cultu diſtinguebatur. *Erat*, inquit, *induta tunica talari: huiuſmodi enim filiæ Regis virgines veſtibus vtebantur.* Indicat his ſacer hiſtoricus Thamar indutam tunc ea veſte fuiſſe, qua ſolerent virgines & Regum filiæ. Erat ergo ſine dubio proprius aliquis habitus virginum, quò ab aliis diſcernerentur. Qualis hic igitur.

Tam apud Hebræos, quam Romanos, & alias gentes habitus virginum proprius huiuſmodi fuit, vt per illum multò minus quàm reliquæ fœminæ

Digitized by Google

fœminæ alienis oculis paterent. Itaqua cùm viri nudis brachiis,cruribus,tibiis,& parte ſemotum incederent; omnes fœminæ quibus aliqua cura pudoris, his omnibus tectis agerent, ad talos vſque veſte demiſſa; virginibus præter has, etiam cura caput,faciem, & colli nuda velare, ne alienis oculis temerarentur. Quare iuxta cum reliquis fœminis,talaribus tunicis vtebantur, vt hic dicitur de Thamar; Extra quam autem aliæ ſolerent,etiam capite,facie,ceruice, & totis humeris tegebantur.in quod velum paratum habebant aut ex byſſo, aut ex lana, aut ex ſerico, aut ex alia materia contextum,prout cuique votum,aut opes erant.Et hic habitus in ſuis virginibus non ſolùm ab Hebræis, ſed ab aliis quoque gentibus ſeruatus eſt. Id vt clariùs explicetur, duo diſtinctè, ſed breuiter exequemur. Primò apud quas gentes ſolitum velari virgines. Secundò cur id inualuerit. Apud quas gentes,& quomodo velatæ virgines? Primò. Apud Hebræos: ab hoc enim ritu Rebecca [a] quia virgo erat, ad occurſum Iſaac ſtatim pallio caput, faciemque protexit.Secundò ex eodem ritu Salomon ſponſam vt adhuc in habitu virginali ſæpiùs inducit quaſi capite, facieque velatam: Ob id orans vt oſtendat ſibi faciem ſuam; & in vno oculorum ipſius vulneratum ſe clamans. Tertiò denique ex hoc ritu apud Hebræos virgo ſuo peculiari nomine עַלְמָה *almah* dicta eſt;quæ vox propriè *abſconditam* ſonat.Cur enim virgo abſcondita?Quia non ſolùm domi ſeruata,non ita liberè vagari permittebatur; ſed quia dum prodibat, etiam habitus qualitate alienis oculis abſcondebatur.Et ſi fortè quando ſpectator non aderat, illud ad collum aggeſtum, & ex capite demiſſum gerebat; illico ad extranei, vel extraneæ etiam *mulieris* occurſum ſuper caput attollebat: & eo tota tecta curioſis oculis ſubtrahebatur. Ob id ergo idem Hebræis *abſcondita* quod *virgo*;ſicut idem *cognita*, quod nupta & polluta. *Tactam* enim mulierem,intectam, & ob id omnibus cognitam incedere permittebant. *Intactam* vero, qualis virgo, tectam volebant, & ob id omnibus incognitam & ignoratam.

a Gen. 24.

Hinc duo diſcamus. Primò nunquam vocem עַלְמָה *almah* in ſacris literis vſurpari, niſi ad ſignificandam virginem illibati plane pudoris & incorrupti. Quod Rabini [b] ſulphuratores negant; & hæretici [c] Rabinis, & Rabinizantibus deteriores. Et hoc vt Iſaiæ teſtimonium nobis extorqueant, in quo de partu virginis vaticinatur, dum dicit [d]; *Ecce virgo concipiet,& pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Aiunt enim *almah*,nomen ætatis eſſe,non conditionis; & ſignificare iuuenculam, ſiue virum expertam, ſiue adhuc intactam. Ad quod maximè probandum adducunt teſtimonium ex Salomone, qui *almah*, pro iuuencula virum paſſa vſurpauit [e]. *Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. via aquilæ in calo:via colubri ſuper petram, via nauis in medio mari, & via viri in adoleſcentula.* Hebraicè enim pro adoleſcentula eſt *almah*.

b V Galatin. lib. 7. de arc.
c Caluin. in Matth c. 2.
d Iſa c 7.
e Prou 30. 19.

Sed conſtans Catholicorum [f] ſententia eſt vſpiam,vt dicebam,in ſacris literis *almah*, niſi pro virgine non vſurpari. Locus autem obiectus ex libro Prouerbiorum, hoc confirmat, non concutit. Primò enim ſi legatur *in adoleſcentula*, ſenſus eſt, ſecundum aliquos [g], difficilius etiam cognoſcere viam Chriſti in *adoleſcentula*, & egreſſum eius ex Maria virgine, quam viam aquilæ in cælo. Sed hic ſenſus quia myſticus videri poteſt; Secundò dicunt alij [h] ſignificare Salomonem difficilius eſſe cognoſcere, num fœmina quæ virgo ſit, & habeatur, talis verè ſit, quam viam aquilæ in cælo,& lapſum colubri ſuper lapidem. Via ergo viri in adoleſcentula,congreſſus eſt eius cum virgine, qui difficillimè deprehendi poteſt. Quæ veriſſima expoſitio eſt, ſi legatur *in adoleſcentula*. Sed ſi legatur,vt legi debet,& in emendata editione legitur, æque Latina, vt Græca LXX. *in adoleſcentia*; planiſſimus ſenſus eſt. *In adoleſcentia difficillimum prorſus eſſe viam*, ſtudia, propenſiones viri cognoſcere; quo tendat,quem ſit exitum ſortiturus. In ea enim ætate pendet adhuc animus; & paulo momento facile quolibet impellitur, vt propterea Virgilius eam ætatem mobilem dixerit. Dum faciles animi iuuenum, dum mobilis ætas.

f Hieron. tradit. in Gen. c. 24. l. 1. cont. Iouin. in Iſa. c. 7. Maldon. 1. Matth. 23. Ianſen. c. 5. Concor. Suar. tom. 2. in 3. par d. 5. ſec. 2. Vaſq. ibid. diſp. 121. c. 3.
g Ambroſ. Lyran. Abulenſ. Ianſen. Suar. diſp. 5. ſect. 1. tom. 2. Sopran. in Dauid.
h Maldon. loco cit.

Et Lactantius; *in adoleſcentia maximè mobilia ſunt ingenia.* Quod alicubi pluribus Ariſtoteles docet. Hac ergo expoſitione admiſſa,quam plerique omnes recipiunt, potius ex hoc loco prouerbiorum confirmatur *almah* virginem ſignificare prorſus intactam,quam impugnetur.

At id non ſolùm, ſed ex dictis etiam ſecundò diſcimus,cur hoc tantùm,& non aliud apud Hebræos ea voce ſignificetur: quia nimirum illis conſueta phraſi mulier à viro tacta,cognita dicitur. Vice ergo verſa, quam intactam prorſus, & illibatam ſignificare voluerunt incognitam & *abſconditam* nuncuparunt. Ob id nuptas & viros expertas intecto capite & facie permittebant,vt cognitas;virgines incedere velatas iubebant,vt prorſus ignotas.

Secundo loco apud Romanos etiam virgines ſic velatæ. Colligitur quod ſponſæ omnes,vt ſuo loco dicemus,obuelato capite marito tradebantur; ob id *nuptæ*, quod obnupto capite, velato nempe & operto,viri in poteſtatem venirent. Id cur? quia cum proprium eſſet intactæ fœminæ velari,quo atteſtarentur intactam eam in mariti manus venire,velatam tradebant; & id etiam in ſecundis nuptiis vbi fœminæ ſecundo nubebant: vt tunc etiam integræ viderentur. Quod obſcurè ſubindicat Tertullianus [i],dum apud Ethnicos omnem nuptam dicit ad maritum velatam deduci ſolitam.

i lib. de vel. virg.

Tertiò,non ſolùm apud Romanos,ſed & apud Græcos, & alios, velamen quod caput à vertice tegeret,& expanſum, facilè poſſet totam faciem velare,proprius olim virginum habitus erat. Indicat hoc Tertullianus [k]. *Per Graciam*, inquit, *& quaſdam Barbarias eius plures Eccleſia virgines ſuas abſcondunt*; (velatu nempe capite, & facie producunt) *eſt & ſub hoc calo* (in Africa ſcilicet) *inſtitutum iſtud alicubi, ne quis gentilitati Gracanica aut Barbarica conſuetudinem illam adſcribat.* Hoc enim vult ibi Tertullianus inſtituto Apoſtolico virgines velum geſtare conſueuiſſe: non recepto à gentilibus more, qui ſolebant etiam ſuas virgines abſcondere qualitate veſtitus. Propterea in eodem libro [l] apud Arabes non ſolùm virgines, ſed omnes fœminas dicit prodire ſolitas toto capite facieque velatas. *Iudicabunt*, inquit, *nos Arabia fœmina ethnica, qua non caput, ſed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno oculo liberato, contenta ſint dimidiam frui lucem, quam totam faciem proſtituere. Mauult fœmina videre, quàm videri.*

k lib de vel. virg c. 2.
l Cap. vlt.

Et hæc non definiendo;ſed probabiliter aſſe-

tendo poſuimus: tantum enim certum eſſe debet habitum virginibus ſuum proprium fuiſſe: qualis autem propriè fuerit, non ita certum. Cicero ſimulacra quædam à Verre furto ſublata in
a In Ver. 4. habitu veſtituque virginali fuiſſe dicit [a]. *Erant,* inquit, *ænea præterea duo ſigna non maxima: verum eximia venuſtate virginali habitu atque veſtitu ..... Canephoræ ipſa vocabantur.* Et iterum
b Ibidem. [b] de alio ſimulacro Dianæ. *Erat*, inquit, *admodum amplum, & excelſum ſignum cum ſtola; veruntamen in illa magnitudine ætas, atque habitus*
c De vel. virg. circa med. *virginalis.* Et Tertullianus [c]; *ſi veſtiatur* ait *fœmina impubes habitu matronali, & altera iam matura viro, & annos pubertatis egreſſa, veſtitu* virgineo; *facilius*, inquit, *illa mulier negabitur, quam iſta virgo credatur.* Explorata res ergo diſtinctum fuiſſe virginum habitum, à matronarum: at in quo, & quomodo, non ita. Sed probabilis coniectura velum fuiſſe, quale deſcripſimus quod vſque ad lumbos à capite deſcendebat, & in ſola virginibus etiam Tertullianus requirit.

Ad quod obſeruandum plura quæ in eo libro de velandis virginibus antiquus hic auctor habet, prima facie cum his, quæ de velo virginum tradidimus, pugnare videri. Ibi enim contendit Tertullianus Chriſtianas virgines velari debere; contra quam tunc à quibuſdam fieret in Eccleſia Romana, & Africana. Quorſum autem ſi proprius habitus omnium virginum velamen erat? An Chriſtiani eo ipſo, quod Chriſtum amplexi, virgines ſuas impudentiores volebant? Si ergo Romæ, ſi in Africa Chriſtianæ virgines abſque velo, ſine dubio non fuit id proprium in cultu, & veſtitu virgineo. Adde Tertullianum qui velari debere Chriſtianas omnes virgines contendit, hoc argumentum à communi conſuetudine omnium virginum non omiſſurum, ſi talis illa fuiſſet. An enim æquum erat vt Chriſtianæ virgines intectæ proditent, ſi virginum proprius habitus apud Hebræos, & alios capitis velamen fuiſſet? Argumento ergo hoc eſt, falſa prorſus coniectura niti, quod de facie & capite virginum velato poſuimus. Adde nubentibus tantum ſignanter capita velata dici. Non ergo antequam nuberent, virgines, velatæ; ne prius eſſent obnuptæ, quàm nuptæ. *Etiam,* inquit Ter-
d Ibid. tullianus [d] *apud ethnicos velata ad viros ducuntur.* Sed ad iſta reſpondeo, Tertullianum librum illum de velandis virginibus conſcripſiſſe, cum iam eſſet dogmate Montanico corruptus. Damnauit autem in eo conſuetudinem Catholicarum quarundam Eccleſiarum, qua virgines, *quæ bonum ſuum propoſito ſanctificauerant*, id eſt quæ virginitatem profeſſæ fuerant, in Eccleſia caput non velabant; vt ea ratione à nuptis, & non integris diſcernerentur, quas iubet Paulus caput in Eccleſia velare. Potius hinc ergo noſtra coniectura firmatur de velo virginali. Matronæ enim illud non geſtabant communiter: ob id à Diuo Paulo illis in Eccleſia iubetur, in qua vt poſſent diſcerni virginitatem propoſito profeſſæ, ſine
e 1. ad Cor. 14. velo habebantur. Quare quod D. Paulus [e] de mulieribus præcipit, propriè tunc in illis Eccleſiis accipiebatur, pro illis quæ veræ mulieres ſunt, & non intactæ. Propter quod Tertullianus
f Cap. 1. & 2. ibi [f] plurimus eſt in oſtendendo *mulieris* nomen non ſtrictè ibi pro matrefamilias; ſed largè pro omni fœmina accipiendum: quod quatenus verum ſit, id modo non diſputo, contentus ex hoc loco Pauli colligi mulieres viro iunctas, intecto capite fuiſſe; in quo habitu ne in Eccleſia perſeuerarent ipſum vetaſſe. Quare quæ Eccleſiæ ſic verba Pauli intellexerunt, noluiſſe virgines in Eccleſia velatas eſſe (vt alibi ſemper ſolebant) vt à non virginibus diſcernerentur.

Quod verò dicebatur virgines tantùm dum viro tradebantur obnuptas, & velatas; id falſum eſt. Virgo enim ſemper cum velo; quod vt dicebam, adducebat, & eo faciem obducebat, & includebat ad occurſum extraneorum. Ob id notatum ſignanter obductam & incluſam tradi quoque ſponſo conſueuiſſe; quod ei iam non obtegenda videbatur, cum extraneus non eſſet. Tectam autem, velatam, & clauſam tradi ſponſo eſt inſtitutum, vt illibatam prorſus accipere, non ſolum ab alieno tactu; ſed aſpectu ſignificaret.

Vnde ergo hic gentium conſenſus in amictu virgineo qui illas abſconderet eligendo? Ex duplici capite; pudoris cuſtodiendi, & periculi vitandi. *Pudoris*; quia virginibus quæ veræ virgines ſunt, inſitum naturaliter eſt ad aſpectum extraneorum erubeſcere, maximè virorum. *Trepi-*
dare, inquit Ambroſius [g], *virginum eſt, & ad omnes viri ingreſſus pauere; omnes viri affatus vereri.* g lib. 2. in Luc.
Et Tertullianus [h], *vera & tota & pura virginitas nihil magis timet, quam ſemetipſam; etiam fœminarum oculos pati non vult.* Hic pudor & verecundia maximè in virginibus cuſtodiendus eſt; & omni cura cauendum ne deteratur. Cur id? Quia pudicitiæ cuſtos pudor eſt, & illius quaſi ianitor & æditiuus verecundia virginalis. Vt ergo pudicitia cuſtodiatur, cura eſt habenda pudoris. Obteritur autem is, & perit maximè dum videtur ab extraneis virgo, & viciſſim videt. *Sic enim,* h De vel. virg.
inquit Tertullianus [i], *frons duratur, ſic pudor teritur, ſic ſoluitur, ſic diſcitur aliter iam placere deſiderare.* Ob id quia gentibus omnibus à natura inſitum in ſuis virginibus puritatem amare, conſenſerunt omnes in virginum pudore cuſtodiendo, quo ſemel amiſſo, tam grauiter pudicitia periclitatur. Id autem dupliciter faciunt. Primo domi ſepoſitas habendo, ſecretiori illius in parte, & ab aggreſſu ſemota etiam domeſticorum & familiarium, nedum extraneorum. Cicero i Ibid.
[k] inſtitutum hoc, vt commune gentibus omnibus expreſſit. *Domi,* inquit, *teneamus eloquentiam ſeptam liberali cuſtodia ...... tueamurque vt adultam virginem caſte.* Et ſponſus in Canticis de adulta virgine loquens, & ſuæ iam conſcia pubertatis [l]; *Quid,* inquit, *faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt?* (quomodo illam habebimus, cum qua cuſtodia) *ſi murus eſt; ædificemus ſuper eum propugnacula argentea; ſi oſtium, compingamus illud tabulis cedrinis.* Cuſtodiendam nempe ſignificans, ſed cuſtodia liberali; vt eam virgo non auerſetur; claudatur propugnaculis, ſed argenteis; tabulis includatur, ſed cedrinis; prorſus ita ſepiatur, vt amet ipſa cuſtodiam ſuam ne vagari velit; aut ab vllo videri, quæ ſciat *ipſum etiam bonum ſuum eſſe ſibi erubeſcendum.* Ob id aptiſſimè neſcio quis hanc virginum cuſtodiam horto vernanti, ſiue floribus in horto clauſis comparauit. Vt enim qui florum ſtudio tenentur, omni illos cuſtodia ſeruant; nec acceſſum ad illos aliis permittunt. Sic omnibus inſitum virgines ſuas ab aliis habere ſepoſitas. k De clar. orat.
l Cap. 7.

Vt flos in ſeptis ſecretus naſcitur hortis
Ignotus pecori, nullo contuſus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat ſol, educat imber,
Multi illum pueri, multæ optauere puellæ

Sic

Digitized by Google

Sic virgo dum intacta manet ——

Ob id ſponſus in Canticis Horto concluſo ſponſam comparauit. Hæc ergo prima ratio pudoris virginei cuſtodiendi, domi ſepoſitas illas habere: ſed ſecūda, ſi fortè prodeundum ſit, amictus qualitate valere. Quæ enim ratio patitur, ad pudorem cuſtodiendum, ſepram ita domi virginem haberi; vt ne quidem ſuorum oculis videri poſſit; Eandem verò cùm in publicum procedit, ita vulgare, vt omnium aſpectibus exponatur? Ergo verecundiæ, & pudoris vallum dum domi virgo reſidet, muri ſunt quibus clauditur; vbi procedit, velum, quo tegitur. Itaque domi velum illius, muri ſunt; foris, murus illius velum eſt. Tertullianus ad Virgines ſermone conuerſo; *Oro te, virgo ...... vela caput ..... inde armaturam pudoris, circumdue vallum verecundiæ, murum ſexus tuo ſtrue* (de quo muro ſuprà ſponſus in canticis) *qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.*

Hæc ergo prima cauſa velandi virgines, ob pudorem cuſtodiendum: ne incipiant non erubeſcere; ne frontem obdurent; ne dum vident, & videntur, in illis pudor obliteretur. Eſt enim pudor vt veſtis: vſu hæc obſoleſcit, ille viſu & aſpectu. Apuleius. *Pudor*, inquit, *vt veſtis, quanto obſoletior; tanto incurioſius habetur.* Sic virgo ſemel erubeſcere dediſcens extraneorum aſpectus, inde etiam incipit non timere congreſſus. Ex quo illud, quod Tertullianus deplorat, *Dum caput non tegunt, vt ſollicitentur gloriæ cauſa, ventres tegere coguntur infirmitatis ruina.*

Secunda cauſa eſt ob periculum vitandum. *Omnis ætas*, inquit Tertullianus, *in virginis aſpectu periclitatur, quarum flos etiam humanam libidinem excuſat.* Omnes ergo nationes meritò conſenſerunt *in facie tam periculoſa adumbranda, quæ vſque ad cælos ſcandala miſit.* Angelos enim putat Tertullianus, filios Dei, qui dicuntur

a Gen. 3. [a] in virgines exarſiſſe. Duorum ergo periculo cauetur in virgine velanda. Primo aſpicientium, ſecundo virginis aſpectæ. *Aſpicientium*; ne deſiderent, & inde rixæ, cædes, rapinæ oriantur. *Aſpectæ*; ne ipſa contaminetur. *Publicatione enim ſui virgo periclitatur*, inquit Tertullianus, *dum percutitur oculis incertis, & multis; dum digitis demonſtratur titillantium, dum nimium amatur.*

b Cap. 38. 15. Ad verba Geneſ. de Thamar.

[b] Quam cum vidiſſet Iudas ſuſpicatus eſt eſſe meretricem. Operuerat enim vultum ſuum ne agnoſceretur.

De habitu meretricio & matronali.

§. VII.

APud omnes gentes, Romanos in primis, honeſtæ mulieres à fœminis proſtituti pudoris, vt moribus ita veſtis diſcrimine diſtinguebantur. Idipſum videtur etiam ex hoc loco colligi apud Hebræos valuiſſe. Niſi enim Thamar in veſtitu fuiſſet, qui minus honeſtam matronam deceret, Iudas illam non eſſet quæſtuariam ſuſpicatus. Hic ergo quatuor exequemur. Primò oſtendetur apud Romanos, & alios, hoc habitus diſcrimen inter matronas, & impudicitiam profeſſas fuiſſe. Secundò quale iſtud diſcrimen eſſet. Tertiò an id etiam apud Hebræos ſeruaretur. Quartò vnde Iudas Thamar meretricem ſit ſuſpicatus.

Sopran. in Danid.

Quo ad primum certa res eſt proprium quendam matronarum habitum fuiſſe, quem non licebat fœminis aſſumere proſtituti pudoris. Tertulianus [c]. *Infeliciſſima libidinum victima à matronis cultu diſtinguuntur.* Quod non ſolùm erat conſuetudine receptum, ſed lege ſancitum; quam Tertullianus idem quæritur alibi [d] minus ſuo tempore ſeruatam. *Quid minus*, inquit, *habent infeliciſſima illa publicarum libidinum victimæ; quas, ſi quæ leges à matronis, aut matronalibus ornamentis coërcebant, iam certè ſæculi improbitas quotidie inſurgens, honeſtiſſimis quibuſque fœminis vſque ad errorem dignoſcendi coæquauit.* Vnde Labeo, *ſi quis*, inquit, *appellet mulierem non matronali habitu indutam, non tenetur iniuriarum.* Et hæc erat prima pœna matronis inflicta, quæ non ſuo, ſed proſtitutarum habitu incedebant; vt poſſent impunè pro meretricibus accipi. Meretricum vero pœna, ſi habitus qualitate caſtas agerent, prætoris arbitrio permittebatur.

c Apolog. c. x.

d De cul. fœm cap. …

Quo ad ſecundum. In quo ſitum hoc diſcrimen. Primò in ornatu ipſo, & lenocinio formæ. Laſciuus enim cultus in illis; at grauis, & cum dignitate venuſtus in matrona. Horatius ad id alludens [e]; e lib. 1. ep. 18.

Vt matrona meretrici diſpar erit, atque
Diſcolor infido ſcurra diſtabit amicus.

Vt, inquit, in cultu, & ornatu diſcolor eſt à meretrice matrona; ſic à ſcurili amico debet verus diſtare.

Secundò *in ipſa veſte* nam ſtola ad pedes demiſſa laxè fluens & ſtriata propria erat matronarum; cum meretrices aut nulla, aut breuiſſima tunica, cum ſola toga prodirent. ideo *togata mulier*, pro impudica; non quod aliæ non in toga, etiam virgines; ſed quod proſtitutæ cum ea fermè ſola. vt enim ſignanter palliati philoſophi; ſic meretrices *togatæ* notanter dictæ, quod in exigua, arcta, adſtricta, & perſæpe nulla tunica, toga, eaque pellucida tegerentur.

Ad quod obſeruandum ſi quæ matrona impudicitiæ damnabatur, olim coactam habitum proprium ſumere meretricum: cuius moris meminit alicubi Tacitus [f]. Is autem habitus erat inter alia certi generis toga, ſub qua tunica breuis, & adſtricta, ad quod Iuuenalis alludens cùm inſectatus eſſet effeminatiſſimum veſtitum virorum quorundam ſui temporis, pellucidum, tenuem, oculos tranſmittentem, hæc deinde ſubiicit. f lib. 3 annal.

—— [g] *ſed quid* g Iuuen. ſat. 2 v. 67.

Non facient alij cum tu multitia ſumas
Cretice, & hanc veſtem populo mirante perores
Damnetur ſi vis etiam Corfinia; talem
Non ſumet damnata togam.

Contrarium enim videtur hîc Iuuenalis inferre, quàm quod intendit: exaggerare vult mollitiem, tenuitatem; & textum delicatiſſimum togæ, qua Creticus indutus perorabat, & dicit illam talem eſſe vt eam Corfinia damnata non ſumeret. Quid enim mirum, ſi damnata mulier veſtem pretioſam, delicatam, ſubtiliorem non induat? Solent enim damnati quicunque in ſordibus agere, non ſplendidè veſtiri. Sed hoc locum habet in aliis; in muliere impudicæ vitæ damnata nequaquam. Cogebatur enim ad ignominiam habitum ſumere impudicarum. Dicit ergo Iuuenalis, & queritur talem eſſe togam ſui temporis Oratorum, adeo pellucidam, vt in illa meretrices

etiam erubeſcerent; quæ ob id, vt dicebam, ſignanter *togata*, quòd ea pellucida, & quaſi ſola tegerentur. Nam tunica illis, vel nulla, vel ita breuis, vt eas nudaret potius, quam tegeret. Hinc Martialis [a]

a lib. 2. epig. 39.

Coccina, formoſe, donas, & ianthina Mœcha
Vis dare quæ meruit munera? mitte togam,

Significat enim illam vt meretricem iam, non vt matronam cenſendam. Harum erant pallia, togæ, tunicæ coccineæ, ianthinæ, purpureæ; illarum togæ puræ, & pellucidæ. Vnde *togata* filius apud eundem Martialem pro filio impudicæ.

Sed patris ad ſpeculum tonſi, matriſque togatæ
Filius

Et hinc nodus ſoluitur in quo plerique laborant dum ritus veteres illuſtrant. Ex vna parte toga dicitur communis omnium fuiſſe apud Romanos; virorum fœminarum, puerorum, puellarum; omnis conditionis, & ordinis. Vnde Varro, *Toga*, inquit, *commune veſtimentum fuit, diurnum, & nocturnum; & muliebre, & virile.* Hinc *togatus*, vt ſupra vidimus, abſolute pro Romano poſitus. Ex altera verò parte *toga* propria fuiſſe dicitur impudicarum. Quomodo nodus hic explicandus? Ea ratione, qua dixi. Primò togam fuiſſe propriam meretricum; quod in ſola quaſi toga; cum tunicæ illarum & breues, & adſtrictiſſimæ eſſent. Secundò quia *toga* illarum erat pura, nullo cultu variata; matronarum picta & ferè ſemper purpurea; quæ non iam nudo togæ nomine, ſed prætexta, aut aliter appellabatur. vt indicat Aſconius ad illa verba Ciceronis [b]. *Eripies tu igitur puellæ togam prætextam. Toga*, inquit, *communis eſt habitus, & fuit; & marium, & fœminarum, ſed prætexta, honeſtiorum; toga, viliorum.* quod etiam circa mulieres ſeruabatur.

b 3. Ver.

Tertio loco diſtinguebatur habitus meretricius à matronali, ſpecialiter in cultu capitis. Matronæ enim vittis capillos alligabant, quas meretrici non licebat aſſumere. Ideo Poëtæ vtrumque coniungunt, cùm matronalem habitum deſcribunt, & vittas, & ſtolas. vnde Ouidius excuſans libertatem conſcribendi, quod ea, non pudicis, ſed impudicis ſcripſiſſet, quæ ſcripſerat.

Scripſimus hæc illis, quarum non vitta pudices
Contingit crines, nec ſtola longa pedes.

Et alibi

Eſte procul vittæ tenues, inſigne pudoris
Quæque tegit medios inſtita longa pedes

Denique ſæpè repetit nihil ſe de illis, aut ad illas ſcribere

Quas ſtola contingi, vittaque ſumpta vetat.

Quartò denique, puto etiam faſciam pectoralem propriam tantùm fuiſſe virginum & matronarum, qua ſcilicet ſub tunica pectus, & mamillas tegebant, quæ etiam ſtrophium dicebatur. Turpillus antiquus Poëta

Me miſeram quod inter vias epiſtola excidit
mihi
Infœlix inter tuniculam & ſtrophium collocaueram

Quæ verba Nonnius adducens, *ſtrophium*, inquit, *faſcia breuis eſt, quæ virginalem tumorem cohibet papillarum.* Meminit autem huius faſciæ, & eius muneris Iſaias [c], loquens de veſtitu, & ornatu virginum Solymitarum. *Erit*, inquit, *pro criſpanti crine, caluitium; pro faſcia pectorali, cilicium.* Et Ieremias [d]. *Numquid obliuiſcetur virgo ornamenti ſui, aut ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ.* Munus autem illius, vt dicebam, erat ad pudorem ſimul, & decorem conciliandum; vt nuda pectoria verecundè tegerentur, & etiam ne papillæ nimis turgerent: illis ob id impudicæ non vſæ, quibus nulla cura pudoris. Hinc ſine faſcia aut zona mulier, pro impudica, vel certe non virgine; quod nullum certius argumentum impudicitiæ ſit in fœmina, quam impudentia; impudentia autem nulla maior in illa, quam mamillas exertas oſtendere, nec inde pudore ſuffundi in quotidiano cultu. Et hæc innuiſſe ſufficiat, vt fœminæ quæ nunc ex aliqua peruerſa conſuetudine, nudis mamillis incedunt, intelligant meretricio ſe habitu incedere, non matronali. Contra quod peruerſum inſtitutum plenum proſtituti pudoris egregius olim Poëta [e] declamauit, ſed parum fœlici ſucceſſu

c Cap. 3. 24.

d Cap. 2. 32.

e Dantes purgat. cant. 23.

Tempo futuro mi è già nel conſpetto,
Cui non ſarà queſt' hora molto antica
Nel qual ſarà in Pergamo interditto
A le ſfacciate donne
L'andar moſtrando con le proprie il petto
Quai barbare fur mai, quai Saracine,
Cui biſognaſſe per farle ir couerte
O ſpiritali, ò altre diſcipline?

Et hæc apud Romanos & alios in habitu meretricio, & matronali ſeruata.

De tertio an aliquod etiam veſtis diſcrimen apud Hebræos matronas, meretricesque diſtingueret; non nihil ambigitur. Nam meretrices in Iudaico populo non permittebantur. Non erat ergo cur illas à matronis certa veſtis abiungeret. *Non erit*, inquit [f] Moſes, *meretrix de filiabus Iſrael; neque ſcortum de filiis Iſrael.* Sunt qui velint ante legem, quando hoc factum Iudæ contigiſſe dicitur, meretrices in Iſrael fuiſſe, & habitus qualitate notatas: poſt legem non diſtinctas, quia nullæ permiſſæ.

f Deut. 23.

Sed omnino dicendum meretrices etiam tempore legis in Iudaico populo fuiſſe: quod apertè conſtat ex altercatione duarum mulierum ante [g] Salomonem; & eiuſdem Salomonis monita [h] conuincunt, quæ toties inculcant de meretrice, eiuſque conſuetudine, colloquioque vitando. Quod enim in Deuteronomio habetur, ſignanter exponitur *de filiab. Iſrael.* De aliis ergo cùm nihil exprimatur, interdictum nihil intelligitur. Diſtinctas autem habitus qualitate fuiſſe; Iudæ ſuſpicio conuincit, qui quod Thamar eo pacto indutam vidiſſet, meretricem putauit.

g lib. 3. Reg. cap. 3.

h Prou. ſo. forme per totum.

Qualis ergo hic erat habitus, vnde Iudas in hanc ſuſpicionem adductus? Aliud dici non poteſt, niſi theriſtrum. Hoc enim licet ſimul cum aliis veſtibus aſſumptum, eſſet quoque indumentum pudicarum; ſicut toga apud Romanos. Solum tamen, aut alieno tempore indutum, fœminam iniuriæ paratam prodebat. Illud autem Thamar induerat alieno tempore, & loco. Quare meritò ſuſpicionem fecit impudicæ. Erat enim theriſtrum tenuiſſimi textus, & pellucidi, quod ita corpus tegebat, vt ſimul etiam nudaret; ſi veſtis alia non ſuberat, quæ membra velaret. Quale genus texturæ Seneca [i] notat alicubi dum dicit; *Quid ſi contigiſſet illi videre noſtri temporis telas, quibus veſtis nihil celatura conficitur; in qua non dico nullum corpori auxilium, ſed nullum pudoris eſt.* Ex perſimili tela & textu theriſtrum erat, quod Thamar induerat. Ex illo ergo & ex loco, vbi moram trahebat, in ſuſpicionem Iudæ venit quæſtuariæ, & proſtituræ. Proprium enim hacum vagari, in angulis biuiorum ſedere, & inde

i Ep. 90.

prætereuntibus

a Prou.7.10. prætereuntibus inſidiari. Salomon [a] meretricem deſcribens. *Occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas;garrula, & vaga; quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere, pedibus ſuis: nunc foris,nunc in plateis,nunc iuxta angulos inſidians.* Iuxta *angulos*,hoc eſt, quod in *biuio*. Nam in angulos biuia deſinunt; & inde caſſes pluribus tenduntur, cùm plures etiam ex biuio proſpectentur in re ſua occupati prætereuntes.

Non deſunt, qui velint Thamar meretricem creditam ex capitis operimento: quod proprium meretricum eſſet velatas incedere. Sed ſi ob hoc Iudas Thamar, meretricem credidit; Iſaac quoque debebat Rebeccam, meretricem putare,quæ

b Gen.24. [b] viſo illo caput operuit. Operuit ergo caput Thamar, ne agnoſceretur à Iuda: quod ſolent meretrices aliquando facere. Prius enim quaſi aliud agentes,videndas ſe præbent, vt Salomon

c Prou.5 & 7 [c] indicat. Inde vt ſui maiorem cupiditatem accendant,eorum ſe ſubducunt aſpectui, quos ante ceperunt,vt ille de quadam alia dicebat.

Et fugit ad ſalices,& ſe cupit ante videri.

Thamar itaque cum ex habitus qualitate, & loco, vbi moram trahebat, meretricem iam ſimulaſſet; poſtea cum vidiſſet Iudam iam captum, faciem abſcondit;vt acriùs accenderet, & multo magis ne deprehenderetur. Cæterùm velatas incedere adeo proprium meretricum non fuit, vt in ſacris & prophanis literis os, & faciem apertam habere, & aliorum oculis indnratam pro

d Ierem.3. meretrice ponatur [d]. *Facies*, inquit, *meretricis facta eſt tibi: impudorata es tu,& noluiſti erubeſcere.* Quin & Iſaias caſum,ſtragemque Babylonis, ſub metaphora fœminæ deſcribens, quæ ex virgine proſtituta fiat, vt apertè demonſtrat virginum proprium fuiſſe velamen; ita meretricum

e Iſa 47.1. Vt legit D. Hier.ep.22. omnino diſcoopertas incedere [e]. *Deſcende*, inquit, *ſede in terra, virgo filia Babylonis: ſede in terra: non eſt ſolium filia Chaldæorum; non vocaberis vltra mollis,& delicata. Accipe molam, mole farinam, diſcooperi velamen tuum, denuda crura, tranſi flumina; reuelabitur ignominia tua, apparebunt opprobria tua.* Diſcooperi, inquit,*velamen tuum:* quia virgo deſinis eſſe, & iam inter meretrices computaris. Debes ergo velum, quod eſt illorum proprium omittere, & oſtentitiam faciem,quod meretrices ſolent, circunferre.

f Cap.38.14. Ad illa verba Geneſis de Thamar. [f] Depoſitis viduitatis veſtibus,aſſumpſit theriſtrum.

De habitu nuptarum & viduarum.

§. VIII.

DVo certa ſunt. Primum nuptas, & quæ adhuc in coniugio erant, in alia veſte ſolitas incedere, quam viduas. Hoc apud Hebræos ab antiquiſſimis temporibus obtinuiſſe; ex hoc loco manifeſte diſcimus. Thamar enim dicitur viduitatis ſuæ veſtes exuta. Seruatum autem deinceps ritum per ſubſequuta tempora; beata no-

g Cap.10. 2. bis Iudith [g] oſtendit; quæ vt Holophernem deciperet, etiam viduitatis ſuæ veſtimenta depoſuit. Quare quod de concubinis Dauidis habetur

h lib.2.Reg. cap.20.3. ab Abſalone pollutis, eas à Dauide ſegregatas [h], *in viduitate vixiſſe*, intelligendum non ſolum à

Sopran. in Dauid.

mariti thoro ſepoſitas,ſed in veſte quoque iuſſas incedere propria viduarum. Hoc idem veſtis diſcrimen apud Romanos etiam vtraſque diſtinxiſſe non dubium eſt. Vnde mortuo in expeditione Germanico, viduitatis habitum ſumpſiſſe ſtatim Agrippina refertur. Quod idem religiosè quoque ſeruatum eſt in Eccleſia Chriſtiana, & hucuſque ſeruatur. Tertullianus hoc indicat dum alicubi queritur ab Epiſcopo quodam,virginem *in viduatu* collocatam, id eſt habitu viduarum indutam,inter viduas habitam: quarum in primitiua Eccleſia magnæ erant prærogatiuæ. *Cui*, inquit,*virgini,ſi quid refrigerij & honoris debuerat Epiſcopus, aliter vtique ſaluo reſpectu diſciplinæ præſtare potuiſſet; ne tale nunc miraculum, ne dixerim monſtrum, in Eccleſia denotaretur, virgo vidua.* Ad idipſum D.Hieronymus [i]. *Eas fuge, quas viduas neceſſitas fecit, non voluntas* ..... *in quibus tantùm veſte mutata priſtina,non mutatur ambitio.* Certum ergo ex his apud hos omnes ſuum proprium habitum viduis fuiſſe. i Ep.22. ad Euſtoch.

Secundò, certum eſt pullum illum fuiſſe & obſoletum, omni ornatu carentem. Hoc res ipſa non ſinit ambigere, & clarè nobis in ſacra Scriptura proponitur, dum veſtes *lætitiæ* veſtimentis *viduitatis* opponuntur. De Iudith [k]. k Cap.16. 9.
Exuit, inquit,*ſe veſtimento viduitatis, & induit ſe veſtimento lætitiæ in exultatione filiorum Iſraël.* Id eſt, quo vti mos erat Iſraëlitis in feſta celebritate.

Primò ergo dico pullam fuiſſe veſtem viduarum. D.Hieronymus Salinam inſtituens quomodo in viduitate ſe gereret. *Tu verò*, inquit, *quæ tumulo mariti ſepeliſti omnes pariter voluptates* ..... *quæ pullam tunicam nigroſque calceolos, candidæ veſtis, & aurati ſocci depoſitione ſumpſiſti.*

Secundò, omni ornatu illas abſtinuiſſe indicat hic beata Iudith. cum enim præmiſſum eſſet *poſuiſſe veſtimenta viduitatis*; ſubditur omni ſe illam ornatu compſiſſe. Quare D.Hieronymus; *Pallor, & ſordes gemmæ tuæ ſint.* Et alibi rationem tacitè reddit cur apud omnes receptum, vt ornatum omnem vidua abdicet in cultu. Quia etiam apud Ethnicos ornatus in muliere permittitur,vt oculis mariti placeat, quem habet, aut quærit. Quæ ergo maritum non habet, ornatu carere debet; alioquin eo ipſo maritum captare deprehenditur, *Vidua*, inquit,*quæ marito placere deſiit, nihil habet neceſſarium, niſi perſeuerantiam.*

Tertiò, Intecto capite erant viduæ. Indicat Tertullianus de illa virgine loquens, quam queritur honoris gratia ab Epiſcopo viduis aggregatam,vt illorum prærogatiua gauderet. Portentoſam enim virginem appellat, quia eum caput non tegeret, vt viduæ ſolebant, inter quas aſſumpta, ſimul vtrumque ſe negabat viduam, quia virgo erat; virginem, quia viduam profitebatur. caput autem intectum viduas habuiſſe puto, & quia nullo velo obductum vt ſolebant virgines; & quia nulla mitra redimitur, vt ſolebant nuptæ. Quare beata Iudith habitum viduitatis abiiciens,aſſumpſit mitram. *Colligauit*, inquit,*cincinnos ſuos mitra.*

Quartò,omni lauacro abſtinebant Inde Iudith illico vt viduitatis inſignia depoſuit [l], *lauiſſe corpus ſuum* dicitur, *& vnguento vnxiſſe*. Propterea D. Hieronymus ad Salinam ſcribens, omni balnearum lauacro monet abſtinendum. *Balnearum calor ſanguinem non intendat*.. l Cap.10.2.

Quintò denique nuptarum proprium erat crines diſcriminare; id eſt à fronte duas in partes hinc inde diuidere; viduæ crinem totum æquabiliter adſtringebant. Tertullianus de cultu capitis agens proprio nuptarum, quem dolet à quibuſdam virginibus vſurpari. *Vertunt*, inquit, *capillum, & acu laſciuiore comam ſibi inferunt*; (aſcititiam ſcilicet) *crinibus à fronte diuiſis apertam profeſſa mulieritatem.* Hunc ornatum ſibi Iudith adbibuiſſe ſignificatur, cùm depoſuit habitum viduitatis [a]. *Et diſcriminauit*, inquit, *crinem capitis ſui.* in duas ſcilicet partes à fronte diuiſit, in quo habitu plures adhuc ſtatuæ in vrbe viſuntur, omnes mulierum nuptarum. Aliæ enim capillo ſunt obuoluto, & æquali ſuggeſto ſurgente. Sed hoc mox clarius conſtabit, vbi de ornatu cultuque muliebri.

a Cap. 10. 2.

b Pſal. 108. 29. — Ad illa verba Dauidis.

[b] Operiatur, ſicut diploide, confuſione ſua.

De veſtibus virorum propriis; quot illæ & quales eſſent.

§. IX.

HOc modo loquendi Dauid genus veſtis ita viri propriè ſignificare videtur, vt nunquam ſine illa conſpiciatur, aut ſit, cùm veſtitus incedit. *Operiatur*, inquit, *ſicut diploide confuſione ſua.* Ex quo pleriſque viſum *diploidem* inter prima virilia veſtimenta reponere. Quid ergo *diplois*, & quæ veſtis propriè? Dubium eſt an certam veſtis ſpeciem ſignificet; an generale nomen ſit, & idem quod veſtimentum. Qui certam ſpeciem putant, alij pallium volunt, auctoritate ducti Auguſtini [c], & Apollinaris, qui pro *diploide*, *pallium* duplex habent. Alij ſequuti Euthymium & Nicephorum, *chlamydem*. Quidam tunicam & talarem. Nonnulli, cingulum & Zonam. Alij generalius veſtem ſuffultam, aut factam, ex pelle nimirum, aut panno ſuppoſito, qualis vulgò, *fedrata*. Sed probabilior opinio eſt *diploidem* certam veſtis ſpeciem non eſſe; ſed ſignificare eam, quæ pro cuiuſque conditione cultior eſt, & inſignior. Qua ſcilicet homines vti ſolent in publicum procedentes. Indicat hanc expoſitionem Hieronymus, qui ſimpliciter legit; *Operiatur ſicut veſtimento, confuſione ſua.* Quæ mihi ſententia maximè probatur. Primò quia vox originalis, quam noſter interpres hoc loco cum L X X. *Diploidem* reddit, ſolet ab illo aliquando tunica, aliquando chlamys, aliquando veſtimentum reddi; non leui argumento per hanc nullam certam ſpeciem ſignari: ſed generale vocabulum eſſe, quod & tunicæ & chlamidi, & aliis indumentis poſſit conuenire. Secundò quia vocabulum Græcum, duplicatam, ſiue duplicem veſtem ſignificat. In quo nulla certa veſtis ſpecies notatur. Tertiò quia nomine *veſtimenti* ſimpliciter poſito (vt hîc pro diploide legit Hieronymus) veſtis exterior, vt plurimum, ſignificatur, & quam ſolent homines aſſumere, cum in publicum procedunt, vt nos pluribus ſupra probauimus, & alij [c] ante nos obſeruarunt. Quartò quia ex phraſi Hebraica epitheton *duplex*, eius cui adiungitur, qualitatem exaggerat, eximium illud in ſuo genere ſignificans, vt nos alibi [d] fuſiùs oſtendimus: Sic *duplex contritio* [e], magna grauiſque contritio, & ſæua vexatio. *Duplex Eliæ* [f] *ſpiritus*; ardens, vehemens, excellens; quem ſibi Eliſæus precabatur. Duplex ergo veſtis (hoc enim ad verbum eſt diplois) ex phraſi Hebraica, veſtis eſt, quam quiſque habet pro conditione ſui ſtatus eximiam, & quam aſſumit, in illorum conſpectum veniens, quos veretur. Quintò denique colligitur ex ſenſu quem Dauid hîc intendit. Eos enim qui ſibi detrahentes mentiuntur, ita in manifeſto mendacio deprehendi vult; indeque tanto opprobrio confundi, vt non audeant oculos attollere, flagitij conſcientia, non ingenuitate pudoris. Vitare ergo publicum, aliorum aſpectum ferre non poſſe; & ſi quando ante alios ſit illis procedendum, pro forenſi veſte, quam ſolent aſſumere dum volunt honeſtius prodire, vt circumtecti vndique nubilo confuſionis incedant. Elegantiſſima ſine dubio ſimilitudo ad exprimendum quantopere refugiant aliorum aſpectum, & quam grauiter aliorum oculis vulnerentur, qui ſibi conſcij in manifeſto mendacio deprehenduntur. Sicut enim qui ante eos procedunt, quos verentur, honeſtiorem veſtem induunt; ita iſti pro tali veſte, confuſione teguntur. Vellent enim maximè tunc illis abſcondi; quod eſt eorum votum, quos facti alicuius pudet; vt potiùs optent hiatu terræ abſorberi, & toti ſic operiri, quam ab aliis conſpici. Quod illa dicebat.

c Maldon. Tolet. Bernard. in Iac. 13. ibi, cum depoſuiſſet veſtimenta ſua.

d 1. Reg. cap. 26. 8.

e Ierem. 17. 18

f 4 Reg. 2. 9.

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat.

Confuſione ergo ſicut veſtimento operiri, eſt cùm quis procedit in publicum pro veſte forenſi, qua ſolet indutus, confidentius aliorum cœtus adire, confuſione repleri, vt aliorum oculos refugiat, nec congreſſum ſuſtineat. Quam ſententiam iſtorum verborum illi Patres indicant [g], qui pro diploide, pallium duplex aut veſtem aliam forenſem interpretantur.

g Auguſt. Niceph. Apollin. Euthim. in Pſ. 108. 29.

Quia tamen non defuerunt, qui diploidem, id eſſe quod *abollam* putarunt; de hac eſt aliquid dicendum. Erat enim hæc veſtis inter viriles, de quibus nunc agimus. De ea ergo Seruius ad illud Virgilij

[h] *Duplicem ex humeris reiecit amictum.* — h lib. 5.

id eſt, inquit, *abollam, qua duplex eſt, ſicut chlamis.* Ex quibus verbis Seruij putarunt aliqui diploidem, eſſe abollam, quæ duplex ab illo dicitur. Sed eſt manifeſta Hallucinatio. Nec enim abolla, duplex dicitur, quod eſſet veſtis ſuffulta & fulcimento duplicata; ſed quod illius, ſicut & chlamydis duæ ſpecies eſſent, vrbana, & militaris. De militari *abolla* teſtis Martialis cuius iocus in Criſpinum, qui cum militaret, abolla depoſita, togam ſubinde ſumebat, habitum pacis proprium & vrbanum.

[i] *Neſcit cui Tyriam dederit Criſpinus abollam,* — i lib. 8.
Dum mutat cultus, induiturque togam.

Et diſerte Nonnius [k] *abollam* inter militares veſtes enumerat; at de abolla vrbana conſtat ex Iuuenali [l], qui illam & Senatoribus in vrbe, & ſeueriorem vitam profeſſis attribuit

k V. Abolla.

l Sat. 3. v. 115

——*Audi facinus maioris abollæ*
Stoicus occidit Baream——

Loquitur enim de Senatore, qui Baream detulit, & per calumniam etiam damnauit. At quid eſt duplex amictus in Virgilio? Sanè Seruius pro ſuffulto videtur accipere; & tale indicare fuiſſe chlamydem, & abollam. Sed valde vereor, vt amictus, & veſtis duplex, & *duplex pannus*, vt eſt apud Horatium loquentem de pallio Diogenis;

Contra

Contra; quem duplici panno patientia veſtit
Poſſit accipi pro veſte ſuffulta. Potius ego dicendum *duplicem amictum* Virgilium dixiſſe, quia vere duplici veſte Dares indutus, aut quia craſſioris textus,& pinguioris;qui qualis eſſet; alterius eſt operis, & otij. Maneat ergo tantum, abollam veſtem virilem fuiſſe paſſiis comparatam.

Tertio loco thorax eſt, qui ſine dubio virorum,& non fœminarum. Duplex hic etiam erat; vrbanus & militaris. De militari; notius, quàm hîc moneri debeat. De vrbano, & qui in communi vſu,quærendum nunc aliquid eſt, & illius occaſione diſtinctius exponendus veſtium numerus,quibus induti veteres incedebant.

Quot ſimul veſtibus eodem tempore veteres induerentur.

§. X.

SI, quod paſſim nunc obſeruatur, inſpicimus; longè pluribus veſtibus omnes communiter indutos incedere reperiemus; quam vllo vnquam tempore veteres ſolerent. Refert enim
a Cap.82. Suetonius [a] de Auguſto *quaternis illum tunicis hyeme, cum pingui toga muniri ſolitum, ſubucula præterea, thorace laneo, & femoralibus & tibialibus.* Et hoc Auguſto peculiare, quod minus firmis viribus eſſet;aliis commune non erat, qui tot ſimul veſtes in quotidiano cultu non adhibebat. At nunc nullus eſt hominum fermè, qui ſimul vno eodemque tempore duodecim minimum veſtibus non induatur;nempe,camiſia, interula aut lanea,aut ſerica,aut goſſypina, thorace,ſago,quod voce corrupta *ſaie*, ſub femoralibus lineis,laxioribus femoralibus, tibialibus interioribus lineis, & aliis ſuper iſta ſericis aut laneis pedulibus, pallio denique & pileo. Qui veſtium numerus aliquando etiam augetur vbi tempeſtas paulo frigidior ingruit; & in æſtate non valde minuitur. Eædem enim veſtes tunc etiam fere geſtantur; hoc tantùm diſcrimine, quod hyeme pinguioris texturæ ſunt; æſtate tenuioris. Aliquid hic ergo de ſingulis cum veterum veſtibus conferamus.

Et primo loco *camiſia* eſt. De hac ſuprà nonnihil attigimus.Dubium autem inter litteratores eſt,an ea veteribus cognita,qualis nunc eſt, & in eum vſum. Plerique negant. Primò quod eius nulla mentio apud antiquos. Secundò quod veteres, nec ſtatuæ, nec picturæ ſpeciem vllam camiſiæ præferunt. Tertiò quia *interula, ſubucula, induſium*, quæ ab aliquibus cum noſtrate *camiſia* idem fuiſſe putantur;& materia tamen & forma longè diſtabant. *Materia*; quia illæ laneæ erant, camiſia,linea. *Forma*;quia illæ ad modum tunicæ ſine iugulo, ſine manicis;iſta,ad collum adſtricta & manicata. Aſt alij cognitas & vſitatas contendunt. Primo quia Iſidorus illius etiam ſub nomine *camiſia* meminit,vt veſtis paſſim ſuis,& ſuperioribus temporibus vſurpatæ. *Camiſias*, in-
b lib.19 c.2. quir [b], *appellamus, quod his dormimus in chamis, id eſt ſtratis noſtris.* Secundò quia falſum eſt ſubuculas,aut interulas non fuiſſe lineas. Sueto-
c Cap.82. nius enim de veſtitu Auguſti [c] agens, peculiariter in eo notat *ſubucula thoracem lineum.* Quorſum autem hoc,ſi omnibus & ſemper interula,& ſubucola laneæ erant?

Mihi videtur,vt in omnibus huiuſmodi, rixa hæc eſſe,quæ difficile decidi poſſit, niſi vtrinque nugis armemur. Duo ergo ſtatuantur: Primo veteres vſum tunicæ ea forma & materia, qua nunc camiſia noſtra non habuiſſe, quod argumenta allata conuincunt. Secundo *camiſiam* noſtram paulo ante tempora Iſidori ortum habuiſſe ex interiori tunica antiquorum. Cùm enim ſolerent plerique cum ea cubitum concedere,nec eam abiicerent dormituri,à *chamis* (qui lectuli depreſſi ſunt, ab eo quod ab humo, quæ Græcè *chame*,parum attollerentur, ſic appellati) *camiſiam*, tunicam illam interiorem dixerunt; quæ deinde minus vt ſomnum capientibus incommodaret,omiſſo textu laneo, molliori confici cœpta eſt,in lineam mutata. Dixi paulo ante tempora Iſidori; nam etiam D. Hieronymus [d] d Ep.128.ad Fabiolam.
camiſias agnoſcit, & inter veſtes militares enumerat. *Solent*,inquit,*militantes habere lineas, quas camiſias vocant; ſic aptas membris, & adſtrictas corporibus, vt vel ad curſum, vel ad prælium ſint expediti.* De quo loco plura infrà [e] cùm de ve- e Cap.3. huius diſputat.
ſtibus ſacris.

Secundo loco, *camiſiola* eſt. Hæc ſic dicitur, quod licet materia denſior & pinguior, quam camiſia ſit;illa tamen breuior eſt, ob id nomine diminutiuo quaſi *parua camiſia nuncupatur.* Hæc ſine dubio veteribus ignota erat, quibus tunicæ omnes minimum ad genua pertinebant;camiſiola autem noſtra vix ad imum ventrem protenditur.

Tertio loco, *thorax* eſt, quem nunc *giubbone* dici plerique contendunt. At valde dubium eſt num noſter,quem ſic appellamus,fuerit antiquorum thorax. Neque enim vllæ vſpiam ſtatuæ, ſpeciem thoracis referunt,ea forma,qua *giubboni* noſtri viſuntur. Qualis ergo veſtis antiquorum thorax,aut quid eo nomine appellabant?Partem tunicarum, quæ pectus & oppoſitam dorſi partem ambibat,*thoracem* ipſi dicebant, alio nomine *pectorale* nuncupatum. Itaque thorax illis erat reliquæ tunicæ coniunctus (de quotidiano loquor, non militari) vt indicat Suetonius verbis adductis;*Cum ſubucula*,inquit,*thorace laneo*, non quod tota ſubucula lanea non eſſet, ſed quod thorax illius aliquando fortaſſe alia materia confectus eſſet;byſſina, purporea, ſerica, vel certè ſignificat duplicata lana ſuffartum, cum tota ſubucula ſimplex eſſet. Nullam ergo veſtem vrbanam veteres habuerunt, quæ ſupra reliquas tunicas induta, pectus muniret ad vmbilicum tantum protenſa. *Vrbanam* dico. nam militarem habuere,quam propriè *pectorale*,& thorax dictaq; non ſolum ex ære,aut ferro, ſed ex lana & lino; qua vtebantur in communi veſtitu milites, induto deinde ſuper eam thorace ferreo, aut materiæ firmioris,quam lana, aut linum;cuiuſmodi erant ex crudo corio,quorum loco nunc ſunt,qui vulgo *colletti* dicuntur. Poteſt hîc aliquid turbare quod Iuuenalis alicubi thoracem pueris, & infantibus tribuit. Loquens [f] enim de parte f Sat 6 v. 142.
gaudente circa ſe numero paruulorum

Sed tua nunc, Mygale,pariat licet,& pueros tres
In gremium patris fundat ſemel;ipſe loquaci
Gaudebit nido,viridem thoraca iubebit
Afferri,minimaſque nuces,aſſemque rogatum.

Viridis enim thorax hic dictior puero flagranti afferendus, vt nuces,& aſſes;& de eo ſic loquitur Iuuenalis, vt de veſtitu à tunica diſtincto. Sed dicendum thoracem hoc loco à Iuuenali poſitum pro quacunque veſte,quæ pectus obtegeret,

Vetus interpres *armilauſiam fraſinam* interpretatur, *qualem ridiculi cauſa ſimiis induebant:*
a li.19.c.22. Armilauſia verò quid eſſet, Iſidorus exponens [a] dixit vocatam, *quod ante, & retro diuiſa, atque aperta, in armis tantùm clauderetur, quaſi armi clauſa.* Abuſiuè ergo thoracem hîc Iuuenalis appellauit pro certa ſpecie puerilis amictus.

Quarto loco, *ſaium* eſt. Hoc ſine dubio veteribus in vſu non erat, ſi de cultu vrbano loquamur: at ſi de militari; planè non aliud magis. Obſeruandum ergo *ſagum* antiquorum, quod minimum à noſtro *ſaio* diſtabat, veſtem fuiſſe qua milites, non in acie ipſa, ſed bello vigente quotidiano cultu vtebantur. Quod ſimul cum aliis militaribus veſtibus in vrbanum indumentum paulatim hac ratione deſciuit. Nam apud omnes gentes, Romanos præſertim, ars militaris in magna ſemper exiſtimatione fuit; & qui fortiter in bello feciſſent, ij ante alios, etiam pacis tempore peracto bello, præmiis & honoribus augebantur. Ob id militia ſemper nobilium fuit: & eo res adducta, vt ante quingentos annos milites pro nobilibus & nobiles pro militibus cœperint appellari. Hinc factum vt cum veteribus Romanis in primis, interdictum eſſet in vrbe agere militari cultu, progreſſu temporis, cùm cuperent omnes, milites haberi, vel militum filij, ad nobilitatem ſuam adſtruendam, militaribus veſtibus etiam nullo bello vrgente; in vrbibus vterentur. Demptis ergo armis, ex ferro, aut ære quæ milites in acie gerebant, ſenſim receptum vt quibus veſtibus in caſtris milites, vtebantur, in iiſdem qui militaſſent, etiam in vrbe prodirent. Sic quia militibus ſaga, thoraces, tibialia, lacernæ, pilei, itidem iſtis omnibus vti cœperunt in vrbano veſtitu. Hinc noſtra, quæ vulgo nunc *ſaie, calze, calzette, berette,* quorum priſcis Hebræis, & Romanis, nihil vſurpabatur in vrbano cultu.

Quarto loco, pallium illud eſt, quod communi nomine *mantellum* appellatur. Hoc ſine dubio, licèt non ſub iſto nomine, antiquis in eodem vſu erat, quo apud nos eſt. Illis enim propriè pallium dicebatur; quia verò *mantellum*, velamentum omnes appellabant, ſeorſim factum eſt, vt pallia quibus homines in publicum prodeuntes circumuelantur, mantella dicerentur. Plautus;

Nec mendaciis mihi vſquam mantellum meis.

Mantellum enim hîc pro velamento poſuit. Quod verò aliqui dicunt *mantellum*, idem eſſe quod mantila; in eo perſpicuè falli, ex hoc Plauti loco conuincuntur: nec enim quæ propriè mantilia dicta, aliis obuoluendis, tegendis, circumuelandis adhibebantur. Reſtat ergo vt *mantellum* vel eſſet antiquis omne velamentum; vel certè genus etiam pallij ſignificaret, ex quo noſtro communi
b V. Cœlium lib.16.c.10. pallio nomen factum [b]. Et hæc de virili veſte generatim dicta ſufficiant. Quæ enim de femoralibus, pileis, tibialibus dicenda fuerunt; ſupra ſatis explicata ſunt.

* * *

Ad illa verba Ezechielis. [c] Ecce venerunt, quibus te lauiſti, & circumliniſti ſtibio oculos tuos, & ornata es mundo muliebri. c Cap. 23. 40.

De cultu ornatuque fœmineo, qui mundus muliebris appellatur: qualis is, & quàm varia contineret.

§. IX.

Mundus muliebris dupliciter accipitur; amplè, & adſtrictè. *Amplè*, cuncta complectitur, quibus vtuntur fœminæ ad ornatum ſuum: ob id, vt feſtiuè quidam dixit, *mundus* appellatus, quod omnia quæ à fœminis in hunc vſum aſſumuntur, tot ſint, & tam varia, vt ſi in vnum conferantur, mundum alium conſtituant, aut hunc iam factum replere poſſint. Vt enim tempus, quod in ſe comendis abſumunt, omne ferè eſt, per quod aſtrorum ſpatia decurrunt: vnde illa dixit

[d] *Dum ornantur, & comuntur, annus eſt.* d Terent. in Heryra.

Ita illa quæ ad ſe comendas transferunt, tam multa ſunt, vt totus per illa mundus exhauriatur. Alij quicquid ad ornatum mulieris facit, *mundum* muliebrem appellatum volunt, quod in hac vita nihil habent, quod accuratius agant, & in quo ſtudioſius occupentur, quam formæ cultum. Hunc enim totum fructum eſſe, quem ex hoc mundo percipiunt. Viri venantur, luctantur, bella gerunt, ciuitates ſtruunt, & innumeris denique auocamentis oblectantur; at mulierum totum & vnicum negotium eſſe ſe ornare, & comere, ideo *mundum* illarum dici, quicquid vſum aliquem præbet ad illas ornandas. Et hoc ſi mundus muliebris amplè ſumatur. At ſi *ſtrictè*, mundus muliebris eſt, qui ad muliebrem munditiem comparatur, & ab *ornatu* diſtinguitur. Nam ornatus illa complectitur, quæ circa ſe fœmina componit, vt ex illis gratiam ſibi maioris decoris acquirat: *mundus* autem id omne eſt, per quod mundior mulier efficitur, etiam ſi non ab illa
geſtetur. Lucius Valerius apud Liuium [e] *mundum* muliebrem largè accepit, vt complectitur ornatum & cultum. *Non magiſtratus, nec ſacerdotia, nec triumphi, nec inſignia, nec dona aut ſpolia bellica his contingere poſſunt; munditiæ, & ornatus, & cultus, hæc fœminarum inſignia ſunt: his gaudent & gloriantur. Hunc mundum muliebrem appellarunt maiores noſtri.* Et in eundem ſenſum accipitur à noſtro interprete in hoc loco Ezechielis. *Mundo,* inquit, *muliebri ornata es.* Ornatum ergo & cultum, *mundum* muliebrem appellauit. e Dec.4.li.4. init. in or. Valer.
Similiter & in Eſther [f]. *Et præcepit Eunucho vt acceleraret mundum muliebrem ..... & tam ipſam, quàm pediſequas eius ornaret.* f Cap.2.9.

At ſtrictè ſumitur à Iuriſconſultis à quibus ornatus fœmineus à mundo muliebri diſtinguitur; & cum illis à Tertulliano [g]. *Habitus,* inquit, *fœmineus duplicem ſpeciem circumfert; cultum, & ornatum. cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant; ornatum, quem immundum muliebrem conuenit dici: ille in auro, & argento, & gemmis, & veſtibus deputatur; iſte, in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt.* g De hab. mul. cap.4.

Tria hîc ergo nobis ſunt explicanda. Primùm quomodo, & cur ornatus muliebris adeo ſubtiliter

liter à mundo diſtinctus. Secundò quid in mundo propriè contineretur. Tertiò quid in ornato.

Quoad primum accuratè adeò diſtinctio ſignata eſt inter mundum,& ornatum; vt ſi quãdo in teſtamentis mundus, aut ornatus muliebris cuipiam legaretur; eo nomine quid legatarius deberet accipere, non ignoraret. Propter hoc *mundum* muliebrem iis definierunt per quæ mulier mundior fit; *ornatum*, per quæ inſtructior. Paulus [a] Iuriſconſultus *mundo muliebri legato ea cedunt*, inquit, *per quæ mundior mulier, lautiorque efficitur ...... ornamentis legatis ea cedunt, per quæ ornatior efficitur mulier*. Eandem diſtinctionem, & definitionem ornatus & cultus affert Vlpianus [b],& cum eo omnes Iuriſconſulti qui videntur id à Varrone [c] ſumpſiſſe, dum *mundum* dicit appellatum à munditie, quam fœminæ confert. Ex quibus ſi nos hæc ſubtilius ad philoſophicam trutinam examinare velimus; dicere poſſumus *mundum* muliebrem id eſſe, quod vſu ſuo nitidiorem, mundiorem, lautiorem fœminam reddit; ornatum, quicquid non vſu tantum, ſed adiectione ſua reddit eam inſtructiorem. Itaque mundus fœminæ pulchritudini ſeruit, illam expoliendo; ornatus, ipſam ditando.

a lib. 3. ſent. c. 6.
b l. argumento § ornatum. § mundus. ff. de au. & arg. leg.
c li. 4. de ling. lat.

Ex quo fit contrario modo, quàm Iuriſconſulti Tertullianum mundum muliebrem ſumpſiſſe,& ab ornatu diſtinxiſſe, illi enim mundum in iis poſuerunt, quibus cutis,& capillus expolitur; ornatum verò in iis, quibus fœmina procedit inſtructior. At Tertullianus aurum, argentum, & gemmas, *mundo* voluit contineri; pigmenta verò & alia, quibus cutis, & coma curatur, *ornatu*. Nobis, Vlpiani & aliorum veterum ratio tenenda, cum quibus mundum muliebrem appellauimus, quo fœmina cultior & lautior efficitur. *Ornatum*, quo procedit inſtructior. His de diſtinctione præmiſſis, inter ornatum & mundum, videamus iam quid vtroque propriè contineretur.

d Cap. 9. 30. Ad verba quarti Regum.

[d] Porro Iezabel introitu eius audito depinxit oculos ſuos ſtibio,& ornauit caput ſuum.

Quid mundo, cultuque mulebri contineretur, vt hic erat ab ornatu diſtinctus.

§. XII.

Hic cultus, quem impia Iezabel accerſiuit, ad mundum muliebrem ſine dubio ſpectabat. Vt ergo qualis is eſſet diſtinctius explicemus, ante omnia quæ mundo muliebri continerentur, breuiter percurramus. Paulus [e] Iuriſconſultus mundo muliebri contineri dicit *ſpeculum, concas, ſitulas, buxides* (forte pyxides) *vnguenta, & vaſa in quibus ea ſunt*. Tertullianus [f] adnumerat pigmenta & ea omnia, quibus facies, capilli, cutis in alium colorem mutantur. Vlpianus [g] *aquaria vaſa* adiungit. Ex quibus colligimus ad mundum muliebrem quatuor maximè ſpectaſſe; pigmenta, vnguenta, vaſa, quibus iſta ſeruata; & ſpeculum, ſine cuius conſilio hæc omnia non vſurpabantur.

e loco citato lib. 3. ſent. c. 6
f de habitu mul. c. 4. & 5
g Dicta l. argumento. § mundus & l. Titia. § 1. ff. de au. & ar.

Primo ergo loco erant pigmenta; vt purpuriſſum, ceruſſa, crocus, & quicquid cuti, capilloque tingendo parabatur.

In primis *ſtibium*, quo hic Iezabel vſa dicitur ad oculos tingendos. De quo tria dicenda; primò quod eſſet. Secundò quomodo, & ad quid vſurparetur. Tertiò à quibus.

De primo *ſtibium*, id eſt quod officinæ hodie antimonium vocant, ex quo gluten nigrantis coloris,& ſplendidi componebatur; quod oculis illitum non ſolùm illis pulchritudinem; ſed vigorem etiam conciliabat, ob adſtringentem vim, & exſiccantem, qua ſuccus ille refrigerando pollet.

De ſecundo dubium eſt; an ipſi oculorum orbes ſtibio fucarentur; an quæ circa ipſos; vt ſupercilia,& palpebræ. Sunt qui ſupercilia tantum putent. Ea enim nigra in pretio fuiſſe,& ad formam muliebrem ſpectaſſe, conſtat primò ex Homero, qui alicubi Iunonis pulchritudinem commendans; nigris eam ſuperciliis appellat. Secundò quia Iuuenalis mollitiem virorum ſui temporis carpens, dicit illos vt mulieres ſolebant, ſupercilia ſibi depinxiſſe ad formæ gratiam quærendam.

Ille ſupercilium nitida fuligine tinctum
Obliqua producit acu———

Tertiò quia Galenus alicubi tradens quomodo collyrio quodam eſſet vtendum manifeſtè indicat palpebris ſtibium, non oculis applicatum. *Oculis ipſis*, inquit, *robur adiicies, ſi ſicco collyrio, quod ex Phrygio lapide componitur, vtare; ac ſic palpebris ſpicillo inducas, ne oculi membranam intus contingas: ita namque mulieres quotidie faciunt, cùm ſtibio oculis gratiam conciliant*. Aſt aliis ipſi oculorum orbes hoc pigmento videntur infecti; quod indicat ſatis modus loquendi ſacræ Scripturæ. *Depinxit*, dicitur hic de Iezabele, *oculos ſuos ſtibio*. Et apud Ieremiam [h] vbi alluditur ad hoc factum Iezabelis. *Tu autem vaſtata, quid facies? Cum veſtieris te coccino, cum ornata fueris monili aureo; cum pinxeris ſtibio oculos tuos, fruſtra componeris: contemnent te amatores tui*. Iezabel enim tacitè hic innuitur,& ſub eius typo Ieruſalem increpatur; quæ ſicut illa ſtibio pinxerat oculos; & exquiſito cultu ſe compſerat, vt Iehu irretiret à quo non ſolum ſpreta ſed interfecta eſt; ita Ieruſalem ab iis ipſis gentibus eſt vaſtata, quas vt ſibi conciliaret, earum idolis adhæſerat. Quod ergo dicebam modus hic loquendi, quo Scriptura ſæpiùs vtitur, ſatis oſtendit non ſupercilia ipſa tincta; ſed oculorum orbes infectos dum dicit non ſupercilia ſtibio, ſed oculos fuiſſe depictos. Sed facile duæ iſtæ ſententiæ componi poſſunt, ſi ſimul vtrumque factum dicamus; & ſupercilia nimirum & oculos ipſos, formæ gratia, hoc artificio curatos. Vnde Iuuenalis loco producto, cùm præmiſiſſet de ſuperciliis, de oculis adiungit.

h Cap. 4. 30.

Ille ſupercilium madida fuligine tinctum
Obliqua producit acu, pingitque trementes
Attollens oculos.———

Et Plinius [i] palpebras oculoſque coniungit. *Palpebra*, inquit, *in genis homini vtrinque, mulieribus vero etiam infecta quotidiano: tanta eſt decoris affectatio, vt tingantur oculi quoque*. Quid igitur hac tinctura quærebant? Nigrorem & amplitudinem congruentem. Vtroque enim ſuperciliis & oculis putabant gratiam & pulchritudinem conciliari. Supercilia quidem, & producta,& nigra mirè probabantur: ideo, ſi quæ rara, aut anguſta, aut flacceſcentia, hoc, aut ſimili medicamento curabant, adeo in id intenti, vt artium ſecreta quærerent ad id aſſequendum. Plinius [k] ob

i lib. 11. c. 37.
k lib. 30. c. 15

id

id non omittit *vnis formicarum cum muſcis tritis ſupercilia denigrari.* At in oculis amplitudo & nigredo, inter ſupremas laudes habita ſunt, vbi fœmina ab oculorum pulchritudine commendabatur. De nigrore; non dubium. Ob id enim Homerus in hymno, quem Iouis filiis dicauit, Muſas *nigreculas* appellat. Et alibi [a] eodem epitheto Chryſeidem inſignit fœminam famoſiſſimam. Pindarus [b] verò nigros oculos in Venere commendat ſimiliter vt Homerus ipſe [c]. Quare Catullus alicubi deformem puellam deſcribens.

a Iliad. 1.
b Ode 6.
c In hym. ven.

Salue nec minimo puella naſo,
Nec nigris oculis ———

Contra Plautus [d] pulchrum deſignans.

d In Pen.

Atque ipſa eſt ſpecie venuſta, ore paruo, atque oculis pernigris.

Vno verbo igitur; is adeo color probatus in fœminis; vt ipſæ Gratiæ Veneris comites, nigris ſemper oculis deſtingerentur [e]. *De magnitudine* verò etiam conſtat ex Homero, qui ſæpius [f] pulchritudinem Iunonis extollens, bouinis illam oculis appellat, amplis ſcilicet & patentibus. Quo eodem epitheto Claudiam honeſtat Cicero [g] ad Atticum ſcribens. Explicans autem Iſichius cur id ab Homero tam crebro dicatur; amplitudinem oculorum dicit illo epitheto ſignatam: ob id Aſpaſiæ feminæ pulcherrimæ formam deſcribens Ælianus [h], amplis admodum oculis fuiſſe notat. Vt hinc intelligamus cur in Canticis ſponſus oculos ſponſæ, piſcinæ in Eſebon comparauerit; nitorum per id & nigrorem in illis & amplitudinem tacitè commendans. Nam piſcina profunda qualis in Eſebon, etiam nigrorem habet.

e Eurip. in Bac. & eius ſchol.
f lib. 14. 15. 20.
g lib. 2. c. 9.
h li. 12. var. hiſt. Plutarc. probl. 149.

Ad hoc ergo vtrumque aſſequendum, oculos ſtibio fucabant: amplos enim ſic, & nigros reddebant. Cyprianus [i]; *Illi* (apoſtatæ angeli) *& oculos circunducto nigrore fucare, & genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crinem, & expugnare omnem oris & capitis veritatem, corruptela ſua impugnatione docuerunt.* Sed audio quid contra hæc ambigatur. Plerique enim indicant non nigrum, ſed rutilum, aut croceum colorem in oculis quæſitum. Idem Cyprianus [k]; *Deum videre non poteris, quando oculi tibi non ſunt, quos Deus fecit; ſed quos Diabolus infecit. Illum tu ſectata es, rutilos, atque depictos oculos ſerpentis imitata es, de inimico tuo compta, cum illo pariter & arſura.* Et Ouidius [l].

i De hab. Virg.
k Ibid.
l De arte.

Nec pudor eſt oculos tenui ſignaſſe fauilla,
Vel prope te nato lucide Cydne croco.

Sed dicendum nigrorem in oculis placuiſſe flammeam, & rutilantem; qualis eſt in fuligine diluta. Propterea oculi *fuliginati*, ſiue quod ſtibio color hic, ſiue quod ipſa fuligine quæſitus. Tertullianus [m]; *In Dominum delinquunt, quæ cutem medicaminibus vngunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt.* Et hoc etiam ſtibio quæſitum Hieronymus [n] indicat, de Magdalena loquens ad Chriſtum accurrente. *Crine, quo multos deceperat, pedes Domini tergens abluta eſt: non habuit criſpantes mitras, nec ſtridentes calceolos, nec orbes ſtibio fuliginatos. Quantò fœdior, tantò pulchrior.* Ouidius tamen ipſam fuliginem indicat in id aſſumptam, *tenuem fauillam* appellans. Vtcunque id ſit; apparet ſtibio, vel fuligine nigrorem in oculis quæſitum, ſed rutilantem, quo grandiores oculi reddebantur; vnde & ſtibio Græcum epitbetum tributum πλατυόφθαλμον *platyophthalmon*, ab oculorũ orbibus dilatandis.

m lib. 2. de cul. mul.
n Ep. 50. ad fur.

At quid adhæc crocus, ſi nigror in oculis quæſitus? Quia croco diluto, niger color accenditur & fulgorem quendam concipit, vnde rutilare videtur: fortaſsè crocus non omnis, ſed ex Cydno paratus, ex eo genere quod Plinius [o] agnoſcit nigrore permixtum. Sed qui ſtibio in hunc vſum vtebantur? Non fœminæ modò, ſed etiam viri; iſti tamen apud Romanos non abſque nota; apud alias gentes, etiam cum laude. Zenophon [p] de Cyro tradit aulicos illum ſuos, & maiores amicos, quo illis auctoritatem apud alios conciliaret, auguſtiore ornatu voluiſſe ſemper incedere. Inter alia *ſinebat*, inquit, *vt oculos ſuos pingerent, vt pulchriores apparerent*, quod ex vſu Medorum fuiſſe notat.

o lib. 21. c. 6.
p lib. 8.

Præter ſtibium quod ad oculos & ſupercilia, erant etiam *ceruſſa, & purpuriſſus*, cuti fucandæ parata; ceruſſa candor, purpuriſſo rubor quærebatur. Hieronymus [q]; *Quid facit in facie Chriſtiana purpuriſſus & ceruſſa; quorum alterum ruborem genarum labiorumque mentitur; alterum, candorem oris & colli; ignis iuuenum, fomenta libidinum, impudicæ mentis indicia?* Et hæc in mundo muliebri, cuti; ſed capillo tingendo crocus aſſumptus. Tertullianus [r] *video quaſdam & capillum croco vertere.* Quod tamen omnium non erat; ſed Africanarum tantùm, quibus quia nigrior capillus erat à natura, queritur ibidem Tertullianus eas nationis ſuæ pudere, quod non Germanæ, aut Gallæ procreatæ eſſent, & earum comam, capillorum flauitie æmulati. Cæterùm capillo tingendo præter crocum, alia quoque pigmenta parata erant, quibus ætas viridior ſimularetur. *Dominus ait*, inquit ibi [ſ] Tertullianus, *Quis veſtrum poteſt capillum atrum ex albo facere, aut album ex atro? Ecce, inquiunt, pro albo, vel atro, flauum facimus gratia faciliorem. Quamuis & atrum ex albo conantur facere, quas pœnitet ad ſenectam vſque vixiſſe. Erubeſcit ætas exoptata vetis.*

q Ep. 50. ad fur.
r De cul. fœm. c. 3.
ſ Cap. 4.

Vnguenta pars altera mundi muliebris.

Præter pigmenta in mundo muliebri, etiam vnguenta, & aromata computabantur, vt apertè ſignificatur in libro Eſther [t]. *Expletis omnibus*, inquit, *quæ ad cultum muliebrem pertinebant, menſis duodecimus vertebatur; ita duntaxat vt ſex menſibus oleo vngerentur myrrhino, & aliis ſex quibuſdam pigmentis, & aromatibus vterentur.* Cultum hîc propriè noſter interpres appellauit, vt ab ornatu diſtinguitur, & alio nomine mundus muliebris nuncupatur, vt ex Iuriſconſultis oſtendimus: in eo autem præter pigmenta de quibus hactenus etiam vnguenta, & aromata contineri demonſtrat, vt iidem quoque expreſsè tradunt, dum quid mundo muliebri contineatur, oſtendunt. Horum autem magnus & frequens vſus apud Hebræos.

Primò in conuiuiis, vt fusè cum Hebræorum triclinium explicabitur; vbi etiam quid propriè vnguenta, & eorum varias ſpecies exequemur.

Secundò in veſtibus. Et id ab antiquiſſimis temporibus. Inde enim Iſaac [u] indumentorum Eſau fragrantiam percepit. Et in Pſalmo [x] nuptiali veſtimenta ſponſi ab hac eadem fragrantia commendantur. *Myrrha inquit, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis*, ſpirant ſcilicet, vt paulò poſt diſtinctè conſtabit, vbi de veſtibus odoratis.

t Cap. 2. 2.
u Gen. c. 27. 27.
x Pſal. 44.

Tertiò vnguentorum & aromatum vſus, erat in cultu corporis, vbi præſertim aliqua præter ſolitum celebritas inſtaret. Hinc Iudith Holophernem

phernem aditura [a]; *Lauit corpus ſuum, & vnxit ſe myro optimo.* Quorſum autem, & vnde tam frequens antiquis vnguentorum vſus, Hebræis præſertim, duæ mihi ſuppetunt cauſæ. Prima quod viuo corpori præſtabant, quod erant poſtea mortuo daturi, vt hac ratione teſtarentur non minus fœtere corpus hominis adhuc viuens & ſpirans, quàm cum iacet extinctum: ob id vtrobique vnguentis opus eſſe, quibus fœtor arceatur. Secundò vt intelligamus quanto quis magis odoribus perfuſus incedit, & hoc deliciatum genere laſciuit, eo morti proximiorem eſſe. Vngi enim maximè mortuorum proprium erat antiquis; vt cum de funeribus egimus oſtenſum eſt. Ob id D. Paulus alicubi viduam in delicijs, licèt viua ſit, mortuam dixit. Sed hæc aliàs.

a Iudith. 10. 3.

Vaſa & pixides vnguentaria.

HÆc etiam mundo muliebri contineri Iuriſconſultus oſtendit [b]. Talia erant onyx, alabaſtrum, lecytus, lenticula, tiſcus, olfactoriola, capſales: ex quibus in ſacris literis mentio fit.

b Vlpian. cum Pomp. loco citato.

Primò lenticulæ; de qua ſermo dum Saulis, & Iehu inunctio deſcribitur [c]. *Tulit*, inquit, *Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius, & oſculatus eſt eum.* Et Eliſæus [d] ad vnum ex filiis Prophetarum, *Accinge*, inquit, *lumbos tuos, & tolle lenticulam olei hanc in manu tua, & vade in Ramoth galaad.* & paulò poſt; *tenénſque lenticulam olei fundes ſuper caput eius.* Ex quibus apertè conſtat lenticulam vas fuiſſe oleo, non vulgari olearum, ſed pretioſo ſeruando & effundendo. Quale autem, aut cuiuſmodi eſſet, aut vnde ſic appellatum; mirè plerique ſolliciti ſunt, ea de re etiam prolixè diſputantes. Sunt enim qui ab oleo lentè fundendo, lenticulam velint appellatam: ſunt qui à liniendo, quod Abulenſis [e]: ſunt qui à lentis figura: ſunt qui à lentis paruitate. Vaſculum enim fuiſſe minutum. Sed in exiguo labor eſt. Dicendum ergo lenticulam vaſculum vnguentarium fuiſſe, à lenticulari figura ſic appellatum in manibus geſtari ſolitum, vt manifeſtè ex Apuleio colligitur [f]; qui deſcribens habitum Hippiæ ſophyſtæ, cultu viſendum, & elaboratu mirandum, dicit eum aliquando ita proceſſiſſe; vt omnia quæ ſecum habebat, eſſet ipſe ſibi ſuis manibus fabricatus, indumenta quibus indutus, calceamenta quibus inductus, geſtamina quibus conſpicuus. Inter alia etiam ampullam oleariam quam geſtabat, *lenticulari forma, tereti ambitu, preſſula rotunditate*; quæ eſt expreſſa vaſis huius deſcriptio. Fallitur ergo Iſidorus [g], cùm dicit lenticulam fuiſſe vas modicum, à liniendo dictum, quadrangulum, in latere apertum. Quid enim hæc cum lenticula; aut cur tali vaſculo lenticulæ nomen indercetur? Hebraica vox, qua noſter interpres locis citatis, lenticulam reddit, eſt פך *pac*, à verbo פכה *paca*, quod in piel deſtillare ſignificat. Ex qua voce vas quodlibet vnguentarium in Hebræo *pac* appellatur; quod vnguenta pretioſa non toto impetu, ſed ſtillatim fundantur. Latinis huiuſmodi vaſa nomen ex triplici capite ſortiuntur à materia, forma, & modo fundendi. A *materia*, vt alabaſtrum, onix; à *forma*, vt lenticola, cornu; à *modo fundendi*, vt guttus & gutturnum, quod idem putant nonnulli cum lenticula fuiſſe. Idem enim vas, quod guttatim liquorem funderet, *guttum* dictum, vt Varro tradit; & quod lentis formam haberet, preſsè rotundum, *lenticulam* [h].

c 1.Reg 10.1.
d 4.Reg.9.1.
e 1.Reg.10. 9.1.
f lib. 2. Florider.
g lib.20.c.7.
h V. Plin.lib. 37.c.12.

Sed audio quid hîc dici poſſit; cur in mundo muliebri lenticula computetur, cum vas promiſcuum fuerit ad omnes vſus, etiam ad Reges vngendos? Sed hæc futilis eſt obiectio; quaſi nimirum quæcunque mundo muliebri continebantur, alibi nuſquam præter quam in cultu muliebri vſurparentur. Falſum enim id eſt; alioquin crocus, purpuriſſus, ceruſſa, ſtibium, fœminarum tantùm propria fuiſſent, quæ certum eſt diſtinctè in mundo muliebri computata: & ſpeculum, quod in mundo muliebri primas habet, alibi nuſquam vſurparetur. Aliud ergo eſt aliqua in mundo muliebri contineri; aliud nuſquam alibi. Quæ hic recenſemus, in mundo muliebri ſunt; non tamen vt aliter etiam ab aliis non vſurpentur. Iccirco autem hæc explicantur, vt ſciatur quando iuſſus eunuchus eſt, Eſtheri mundum muliebrem expedire, quid prouidere debuerit.

Secundum vas vnguentarium cuius in ſacris literis mentio *lecytus* eſt; de quo in tertio Regum [i], vbi ſuſcitatio filij viduæ ab Eccleſia, narratur. Vas autem vnguentarium fuiſſe; non dubium eſt, quod LXX. pro eodem videntur accipere cum lenticula. Quod enim nos habemus [k]; *Tulit Samuel lenticulam*; ipſi habent, *lecytum*. ſed probabile eſt fuiſſe diſtinctum, vt diſtinxit noſter interpres. Lecytus enim oleo etiam vulgari aſſeruando deputabatur; lenticula, tantùm pretioſo.

i Cap.17.
k 1.Reg 10.

Tertiò eſt *alabaſtrum*, cuius in Euangelio [l] mentio cum de Chriſti lotione à Maria Magdalena. Erat autem vas à materia ſic appellatum, quod in muliebri mundo diſtinctè ponitur ab Vlpiano. Vaſis autem marmoreis vnguenta ſeruati ſolita Plinius ſcribit, quod ita diutius incorrupta durarent. Cæterùm in vſu vnguentorum obſeruandum, ſolitus veteres illa vaſis includere, quæ eſſent orificio anguſtiſſimo; ne ſcilicet aperta diffluerent, aut euanida redderentur. Ex hoc autem poſſet cuipiã dubitatio ſuboriri, quomodo tam frequens in ſacris & profanis literis vnguenta diffundi, & effondi dicantur, ſi vaſis erant incluſa, quibus non niſi guttatim poterant, & ſtillando liquari. Contraria enim ſunt guttatim fluere & effundi. Sed dicendum in iuſto vſu vnguentorum veteribus ſolitum ipſa vaſa ſimul tota confringere; & illis fractis, vno impetu vnguentum quod claudebatur effundere; quod Magdalenam feciſſe dicitur in Euangelio. Fracto enim alabaſtro, vnguentum ſuper Chriſti caput effudit. Et ad id ſponſa alludens [m], *Oleum*, inquit, *effuſum nomen tuum.* Sic enim ſponſi nomen olere ſignificat, vt late ſpirat vnguentum, fracto vaſe diffuſum. Quod paſſim vſurpatum in vnguenti vſu Martialis [n] illud oſtendit.

l Matth.26. Mar.14.
m Cant.1.
n lib 5. epig. 102.

Quod quacunque venis Coſmum migrare putamus,
Et fluere excuſſo cinnama fuſa vitro.
Nolo peregrinis placeas tibi Gellia nugis
Scis puto poſſe meum ſic bene olere canem.

Excuſſo enim vitro dixit; quia vnguenta, quo claudebantur vaſe diffracto, ſpargebantur.

Speculum.

HOc, vt dixi, ab Vlpiano, & Iuriſconſultis inter prima in mundo muliebri computatur. Eius vſum ab antiquiſſimis temporibus Hebræis fœminis crebrum fuiſſe, conſtat ex libro Exodi [o], vbi habemus Moſem *labrum feciſſe æneum cum baſi ſua de ſpeculis fœminarum, quæ ad oſtium tabernaculi*

o Cap.38.

bernaculi excubabant. Seruatum autem deinde vſum,& quotidianum fuiſſe;indicat Iſaias [p],cùm futuram calamitatem filiarum Sion ex hoſtili direptione prænuncians, inter alia dicit illis anferenda ſpecula,ſyndones,vittas,& theriſtra.

Sed ex illo Exodi loco dubitatio conſurgit ex qua nam materia eſſent ſpecula Hebræorum, & an eorũ vſus fœminis ſimul & viris promiſcuus eſſet. Vtriuſque nobis occaſionem præbet quod ex vna parte labrum dicitur ex illis confectum; quod æneum cum eſſet, ambigi meritò facit, ex qua materia ſpecula fuerint, ex quibus æneum labrum potuit conflari. Ex alia verò ſunt qui dicant ita labrum fabrefactum;vt in eo ſacerdotes & alij poſſent imaginem ſuam ſpeculari. Propter primum ſunt qui putent non ex ſpeculis labrum confectum;ſed ad inſtar ſpeculorum. Itaque vertunt [a] ex Hebræo: *Fecit labrum in viſionibus ſiue ſpeculis mulierum.* Et paraphraſticos exponunt feciſſe labrum ita terſum, vt pro ſpeculo mulieribus inſeruire poſſet, quæ ad tabernaculum accedebant. Sed hæc expoſitio aliorum omnium auctoritate refellitur, interpretis noſtri præſertim qui vertit, *de ſpeculis*. Et Hebræa vox במראת *bemaroth*, tam poteſt verti, *de ſpeculis*, quam *in ſpeculis*, ſiue *viſionibus*. Et etiam ſi latinè dictum eſſet *ſpeculis*;eo modo dicendi ſignificatum quoque eſſet ex iis, vt materia, labrum conflatum. Quia noſtro interpreti cum Latinis aliis particula, *in*, nonnunquam pro, *de*, ponitur; & materiam ex qua quid fit, indicat, non tantùm locum. Quomodo ergo ex illis labrum? Alij dicunt ex illis, id eſt ex illorum ornamentis. Specula enim ipſa per ſe ſpectata vitrea; ornamenta verò quibus incluſa, ænea fuiſſe. Ex his ergo, non illis effectum labrum;& nihilominus veriſſimè dictum de ſpeculis factum; quod ſpeculi nomen & id ſignificet, quod imagines repræſentat; & ea quæ ad ornatum illi iunguntur. Ita Abulenſis [b]. Sed ſuperfluo iſti labore torquentur [c], falſâ perſuaſione decepti, quod ſpecula non niſi ex vitro conſtarent. Antiquitus enim ex metallo erant, argento maximè, ſtanno, & ære. Argenti in hunc vſum meminit Apuleius: vſum enim ſpeculi defendens, qui ſibi fuerat exprobratus. *Si mos*, inquit, [d] *cæterorum hominum retinendus videtur, in ſtatuis, & imaginibus non repudiandis; cur exiſtimas imaginem ſuam cuique viſendam potius in lapide, quam in argento? Magis in tabula, quàm in ſpeculo?* In laminas enim argentum ducebatur, ex quibus antiqui ſpecula: quem etiam in vſum ſtannum, & æs aſſumpta, ſeorſim ſingula, & aliquando ſimul temperata; cuius generis optima Brundiſina fuiſſe, Plinius [e] tradit. At nunc aliter vſurpatur:ex chalybe enim cum pleraque fiant, in aſſiduo tamen vſu ſunt, ex vitro conflata. Hoc enim in laminas funditur; iis auerſis argentea bractea ſupponitur, vnde ſpeculum fit, quod longè melius, quàm metallum enim quodlibet imagines repræſentat. De ſpeculis ergo fœminarum, fieri labrum potuit; quia priſcis, non vitrea, ſed metallica ſpecula fuere. Licet etiam non abnuerim poſſe intelligi labrum de ſpeculis factum, non ſolum quod illa, ſed quod eorum quoque ornamenta in id aſſumpta; nam egregiè cælari, & ornari ſpecula conſueuiſſe; Senecæ illa declarant. *Specula*, inquit, *totis paria corporibus auro, argentoque cælata ſunt; deinde, gemmis adornata & poculis.* Cæterùm, quia ſpecula ipſa metallica veteribus erant, hine frequens pumicis mentio in illis expoliendis. Cùm enim argentea, vel ænea eſſent opus erat illa ſubinde tergere; quod ope pumicei pulueris præſtabatur. Vnde Tertullianus [f] agens de ſagittis Herculis ab Omphale aſſumptis; *Vetus*, inquit, *Hydræ, Centaurorumque ſanguis in ſagittis pumice ſpeculi excludebatur.*

a Caiet. Ex. 38.
b In Exod. c. 38.
c V. Riber. li. 2. de temp. cap. 16.
d Apolog. 1.
e lib. 33. c. 9.
f De pal. c. 4.

Nunc de ſecundo, an viris vſus ſpeculi, ſino probro fuerit Hebræis. Qui dicunt labrum hoc tanta læuitate politum, vt inſtar eſſet ſpeculi, in quo ſe ſacerdotes inſpicerent; ſine dubio volunt Hebræis non ſolum ſine probro ſed etiam cum laude ſpeculi vſum fuiſſe.

Sed dicendum ſpeculum inter ea eſſe, quorum vſus adiaphorus eſt, & indifferens; vtrinque abſiſtens ſcilicet; vt nec in ſe ſpectatus honeſtus; nec damnandus ſit; ſed perinde vt finis eſt, in quem, & propter quem adhibetur, admittendus, aut reprobandus. Vel enim conſulitur à viro ſpeculum gratia formæ; vel ad rerum naturam ſcrutandam. Si hoc; profecto, vt ſtudium ſapientiæ damnandum non eſt; ita nec vſus ſpeculi in hoc reprobandus. Si illud; intereſt quam quis in ſe formam expetat, aut velit excolere. Si enim viro non dignam; ſine dubio, vt hoc formæ ſtudium damnandum; ſic & ſpeculi vſus. Si verò quæ viri ſit propria, quam ſtatus exigit perſonæ quam gerit; vt non inconuenit hanc non negligere; ſic etiam damnari non poteſt eius conſilium de ſpeculo poſcere.

Hinc primò fit viris vſum ſpeculi ſemper probro datum cum ad illud ſe mollius excolerent. Apuleius [g] cum præmiſiſſet accuſatorem ſuum contra ſe clamitare. *Habet ſpeculum philoſophus; poſſidet ſpeculum Philoſophus*, ſubdit; *Vt*, inquit, *liberè concedam, ne aliquid obieciſſe te credas, ſi negauero; non tamen ex eo accipi me neceſſe eſt, exornari quoque ad ſpeculum ſolere.* Hinc & Scipio Africanus effœminatos Sulpitij Galli mores collegit [h] ex eo quod vnguentatus quotidie aduersùm ſpeculum ornaretur. Vnde ratio intelligitur cur D. Iacobus de viro loquens in ſpeculo ſe contemplante, ea forma loquendi ſit vſus. *Si quis*, inquit [i], *auditor eſt verbi, & non factor; hic comparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo. Conſiderauit enim ſe, & abiit.* Vſus eſt enim Apoſtolus in hac ſententia verbo planè vigilanti. Primò dum dixit virum conſiderare vultum natiuitatis ſuæ. Secundò. Conſiderare & abire. Viri enim eſt vultum ſuæ natiuitatis inſpicere; talem nimirum, qualem à natura recepit: mulieris verò & viri effœminati, qualem habet ab arte fucatum. Qui enim verè vir eſt, pro flagitio ducit vultum pigmentis vllis inuertere. Quod ſi quis id tentet, is iam non vir eſt, ſed vmbra viri in fœminam degenerans. Ideo non de eo ſermo Apoſtolo. Vultus enim fucatus & pictus, non natiuitatis, ſed artis eſt; non ſuus cuiuſque dicitur, ſed mutuatus. Vnde Martialis [k] lepidè de muliere faciem fucante

Cum lateas centum condita pyxidibus
Nec tecum facies tua dormiat —

Non eſt igitur facies exquiſite compta, natiuitatis, ſed artis; & alterius, quam illius, cuius eſſe dicitur. Secundò. Dixit; *conſiderauit ſe, & abiit.* Viri enim eſt non tantùm, ſe talem in ſpeculo videre, qualis eſt à natura; ſed etiam ſtrictim & raptim, non otioſè ſedendo. Propterea D. Iacobus eum qui in metaphorico ſpeculo ſacræ Scripturæ, quæ legerit, aut ab alio audierit, obliuiſcitur, mulieri non comparauit in ſpeculo ſe contemplanti, ſed viro. Illa enim ſe in eo non conſiderat

g Apolog. 1.
h Gell. lib. 7. cap. 12.
i Cap. 1.
k lib. 9. 38.

ſiderat & abit; ſed conſiderat, & perſiſtit, & otioſe perducat & moratur; vſque adeo, vt ille de mulieribus dixerit; *dum comuntur & ornantur, annus eſt.*

Secundò. Si vir vultum ſuum inſpiciat, non ad exquiſitiùs ornandum; ſed pro ſtatu perſonæ, quam gerit, componendum; id adeo non culpatur, vt etiam ſæpè laudabile ſit. Hinc de Socrate refertur, vltrò diſcipulis ſuaſiſſe crebro vt ſemet in ſpeculo contemplarentur. *Vt qui eorum foret pulchritudine ſibi complacitus, impendio procuraret, ne dignitatem corporis malis moribus dedecoraret; qui verò minus ſe commendabilem forma putaret, ſedulo operam daret, vt virtutis laude turpitudinem tegeret.* Vnde concludit Apuleius [a]; *Adeo vir omnium ſapientiſſimus, ſpeculo etiam ad morum diſciplinam vtebatur.* De Demoſthene quoque memoriæ mandatum legimus ſemper ante ſpeculum, quaſi ante magiſtrum, cauſas meditatum; *ita vt ſummus Orator cum à Platone philoſopho facundiam hauſiſſet, ab Eubulide dialectico argumentationes didiciſſet, nouiſſimam pronunciandi congruentiam ab ſpeculo poſtularet.* Quod ipſum factitatum ſcimus ab inſigni concionatore noſtri temporis Cornelio Muſſo; quoties enim paulò accuratius ad populum erat verba facturus, ſemper priùs ante globoſum ſpeculum quomodo dicturus eſſet meditabatur. Vnde talis Orator euaſit, qualem poſt eius obitum ſequentia tempora deſiderarunt, & ægre repererunt. Qui ergo volunt ſacerdotes veteres in labro Moſaico faciem ſuam contemplatos antequam ad diuina accederent peragenda, non ob aliud id volunt, niſi vt ea, qua par erat, vultus & totius corporis conformatione procederent; & omnia corrigerent, quæ poſſent ſui venerationem minuere apud oculos ſpectatorum.

Tertio loco vſus ſpeculi vitis abſque omni nota ſemper fuit, vt in eo naturæ rerum, & viſorum miracula diſcuterentur. Gellius [b] cum geometriæ duas partes diſtinxiſſet ὀπτικὴν & κανονικὴν opticen, & canonicen, ὀπτικὴ · *Optici*, inquit, *facit multa demiranda id genus, vt in ſpeculo vno imagines vnius rei plures appareant. Item vt ſpeculum in loco certo poſitum, nihil imaginet; aliorſum tranſlatum, faciat imagines. Item ſi rectus ſpeculum ſpectes; imago fiat tua eiuſmodi, vt caput deorſum videatur, pedes ſurſum. Reddit etiam cauſas ea diſciplina, cur iſta quoque viſiones fallant; vt quæ in agro conſpiciuntur, maiora ad oculos fiant.* Ad idem Apuleius cum præmiſiſſet debere philoſophum ſpeculum inſpicere, vt ad illud pro ratione conformetur, quæ perſonam decet, quam gerit; ſubdit; *Nec ob hoc debet tantummodo philoſophus ſpeculum viſere. Nam ſæpè oportet non modo ſimilitudinem ſuam; verum etiam ſimilitudinis ipſius rationem conſiderare ..... cur in planis quidem ſpeculis formæ pares, & imagines videantur; in tumidis vero & globoſis omnia defectiora. At contra in cauis auctiora: vbi & cur læua cum dexteris permutentur, quando ſe imago eodem ſpeculo tum recondat penitus, tum foras exerat.*

a Apol. 1.

b lib. 16. c. 18

Mundus, & cultus in veſtibus: odoratæ, cataclyſtæ, cretatæ, pexæ, quales.

§. XIII.

MVndus muliebris is tantum non eſt, quo proximè eoluuntur ipſæ; ſed & qui illarum veſtibus applicatur: in his enim ſicut in fœminis, quæ ad cultum ſpectant, in duo diuiduntur; mundum, & ornatum. *Mundo*, veſtes nitidiores redduntur; *ornatu* ditiores. De hoc ſuprà ſatis, vbi de materia veſtium; de illo, nunc aliquid.

Mundus ergo in veſtibus vt ab ornatu diſtinctus, ab odore, candore, contabulatione maximè quærebatur. Ab *odore*: nam Hebræis, & priſcis omnibus ſummo ſemper ſtudio curatum vt veſtes in feſta maximè celebritate quid gratum ſpirarent. Idque apud Hebræos ab antiquiſſimis temporibus obtinuiſſe; argumento ſunt, quæ paulò ante diximus de veſtimentis Eſaü, quibus Iacob indutus [c] Iſaac ex noto odore mira delectatione compleuit. Nec ob aliud Christus Dominus [d] Salomonis veſtimenta commendans, liliorum agri mentionem intulit; niſi vt ad odorem alluderet, qui ſpirabat ex illis.

c Gen. 27. 27.

d Matth. 6. 27. 29.

Sed duplex hîc poteſt dubium ſuboriri; alterum, quod paulò ante tetigimus, quomodo gratus hic odor veſtibus aſpergeretur; alterum, an eſſet ea conſuetudo recepti moris & probati. De primo, materiam præbet ambigendi quomodo potuerint vnguenta veſtibus illini, quin illæ ſimul inquinarentur. Sed dicendum quatuor maximè modis odorem hunc in veſtibus curatum, vt paulò ante indicauimus, & hîc iterum non piget aduertere, vt inde varia ſcripturæ loca lucidemus. Primò enim ſuffitu curabantur. Pretioſa enim aromata incendebant, ad quorum euaporationem veſtimenta ſuffumigabant, vt indicat Chaldæus paraphraſtes: illud enim Dauidis explicans, *Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis; Aloes, & caſia lignea ſuffumigabantur omnia veſtimenta tua.* Ad quod etiam alludit ſponſus in Canticis cum veſtes ſponſæ commendat [e]; *Odor*, inquit, *veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.* Thuris enim odor, non aſpergine, ſed ſuffumigatione diffunditur. Secundò ſola ab aliquibus geſtatione veſtes odoratæ fiebant. Tantus enim erat in nonnullis vnguentorum vſus, quibus toto corpore madebant, vt inde quoque odor permanaret ad veſtes. Et hunc in veſtibus Eſau viſus eſt Iſaac agnoſcere: percepta enim veſtimentorum illius fragrantia, percepit quoque ex illis odorem filij [f]. *Ecce*, inquiens, *odor filij mei ſicut odor agri pleni.* Et ab hoc ritu ſponſa dicit in Canticis ex certi odoris fragrantia ſponſum agnoſcendum qui ſolitus ex ipſo ſpirare, traheret [g] adoleſcentulos. Tertiò veſtibus odor afflabatur ex aſſeruatione in arculis, & repoſitoriis odoratis. Quod apertè ſignificauit Dauid in Pſalmo [h] nuptiali; vbi laudans ſponſi veſtes, illas ab odore commendat, quem ex arculis, in quibus aſſeruatæ conceperant. *Myrrha*, inquit, *& gutta & caſia à veſtimentis tuis*; id eſt veſtimenta tua tantam ſuauitatem afflant, vt ex illis myrrha, gutta, & caſia fluere videantur. & id propter domos, & capſulas eburneas, ex quibus educuntur. Repoſitoria enim hîc domos appellat, phraſi conſueta in ſacris litteris, quæ loculamentum quodlibet etiam vndique clauſum ad aliquod recipiendum & aſſeruandum, quantumuis paruum, domos nomine deſignant. Sic auium nidi, domus appellantur; & pyxides, quas collo ſuſpenſas odoris plenas geſtabant, *& olfactoriola* à noſtro interprete [i] nuncupantur *domus animæ* Hebræa phraſi dicuntur, in qua ſcilicet includitur odor afflatu ſuo animam recreans, & vires reſtituens. *Ex domibus ergo eburneis veſtes edu-*

e Cant. 4. 11.

f Gen. 27. 27.

g Cant. 1.

h Pſal. 44.

i Eſaiæ 3.

ſta, ſunt ea repoſitoriis odoraria cattactæ: vnde & ipſæ ſuauiſſimè ſpirent. Martialis [a] exaggerans alicubi neſcio quam fragrantiam:

a lib. 12. epig.

Poma quod hyberna matureſcentia capſa
Arbore quod verna luxurioſus ager
De palatinis domina quod ſerica prælis
Succina virginea quod regelata manu.

Quod enim Dauid dixit, ex *domibus eburneis*, hoc Martialis dixit ea *palatinis prælis Auguſta veſtimenta predacta* odorem ſuauiſſimum inhalare. Quarto denique veſtes odoratæ fiebant aſpergine vnguenti, quod in illas ea corpore redundabat cui primo vnguenta aſpergebantur. Itaque veſtes ipſæ non per ſe proximè linebantur; ſed ea ipſis membris oleo odorato perfuſis in illas vnguenta ſtillabant: vnde ipſæ quoque perſperſæ gratiam eandem ſuauis odoris habebant. Hoc pacto veſtimenta ſummi ſacerdotia odore perfuſa ſignificat Dauid [b]. *Sicut*, inquit, *vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti eius.* At quomodo non inde veſtes inquinatæ? Vnguentum enim quantumuis pretioſum, liquor tamen erat, & olei pinguedine leneſcens veſtibus aſpergi non poterat, quin ſimul illas macularet. Hoc quomodo ſoluendum; fortè paulò pòſt conſtabit.

b Pſal. 132.

Secundum breuiter expedimus: an hîc vnguentorum vſus antiquis ſine nota fuerit, & qualis admiſſus, & cum laude permiſſus. Duo dicenda ſunt. Primò in communi vita fuiſſe Hebræis vſum vnguentorum, non ſolum crebrum, ſed aſſiduum & quotidianum; & id abſque nota: quod illis eſſet permiſſum ad odorem tetrum arcendum quem gens illa ſuper alias inhalare ſolet. Ad quod etiam tot illis in vſu lauacra tam quotidiana, tam aſſidua, tam repetita. Qua de re memini alibi me latius diſſerere, cùm ſimul etiam oſtendi fœtorem hunc illi genti ſemper inhærere, donec abluti ſacro baptiſmate, ſordes animi perfidiamque deponant.

Secundò, ſi de Romanis loquimur, vſus vnguentorum quantum erat in conuiuiis extra notam, & noxam; tantùm erat in reliqua vita ſuſpectus & improbatus, non ſolum in viris, ſed etiam in fœminis. De conuiuiis; infrà ſuo loco fuſiùs. Interim ſatis eſt ad indicandum Martialis iocus qui bene olere, & non conuiuari dicebat eſſe proprium mortuorum.

Qui non cœnat, & vngitur
Hic verè mihi mortuus videtur.

Significat enim per id extra conuiuium vnguenta ſine omni nota mortuis tantum adhiberi ſolita; à viuis autem in reliqua vita non ſine probro vſurpata: quod infinita declarant; adeo vt etiam de fœminis vulgo iactaretur eas demum bene olere, ſi nihil olerent. Cicero; *ſed tamen erant ornata hoc ipſo, quod ornamenta neglexerant; & vt mulieres, ideo bene olere, quod nihil olebant, videbantur.* At in viris vnguenti vſum longe magis improbatum; illud indicat Veſpaſiani, de quo Suetonius refert, *ne quam occaſionem diſciplinæ corrigendæ prætermitteret, adoleſcentulum fragrantem vnguento, cùm ſibi pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aſpernatus, voce etiam grauiſſima increpuit; Maluiſſem, inquiens, allium oluiſſes: literaſque reuocauit.* Quare rectè Martialis ad Coracinum concludit.

Quod ſemper caſſiaque cynnamoque
Fragras ...
Rides nos Coracine nil olentes
Malo quam bene olere, nil olere.

Et hæc de munditia veſtis ab odore.

Veſtes cretatæ.

MVndus in veſtibus maximè veteribus à candore quæſitus. Eum candorem creta quadam curabant, quæ veſtibus indebatur: inde cretatæ togæ, faſciæ, crura, pro candido fulgore micantibus. Et quia qui magiſtratum petebant, in toga prodibant inſignis candoris, ambitionem cretatam Perſius appellauit.

Ius habet ille ſui palpo; quem tollit hiantem
Cretata ambitio. —

Veſtitum enim ambientium magiſtratum, & tribus prenſantium, quod candidus eſſet, nomine cretatæ ambitionis deſignauit; quod ille candor in toga, cretâ quæreretur. Iſidorus; *toga candida*, inquit, *addita creta, quo candidior, inſigniorque eſſet.* Hinc apud Iuuenalem bos cretatus pro candido.

——*duc in capitolia magnum,*
Cretatumque bouem ——

Et apud Martialem de mappa candida, quam ſignum Circenſibus Prætor emittebat.

Cretatam Prætor cum vellet mittere mappam.

Hæc ergo creta qualis eſſet, à quibus & quomodo veſtibus inderetur, vnde illæ candidæ fierent; meritò quæri poteſt. Ea de re ſupra indicaui quid eſſet nobis probabiliter ſentiendum. Dixi enim de hac creta aliquid eiuſmodi ſentiendum, quale cernimus in *amylo noſtro*, quod dilutum lineis ad candorem & rigiditatem ſolet adiungi. Fiebat autem id opera fullonis, cuius erat veſtimenta poliendo & durando curare.

Mundus in veſtibus à contabulatione.

PEr hanc in certas complicationes veſtes durabantur, ita vt rugis vndique criſpatæ rigerent. Id artificio duplici fiebat. Primo cretæ, quam diximus adiectione. Sicut enim *amylo noſtro* lineæ veſtes non ſolum candorem concipiunt, ſed rigorem; ſic antiqui per cretam illam vſu non abſimili veſtes ſuas albabant, & durabant. Sic autem duratæ, facilè poterant in plicas inflecti, quas pertinaciſſimè retinebant. In quem vſum poſt cretam, tabulæ & aſſes, adiunctis ponderibus, aſſumebantur; inter quas veſtimenta compreſſa rugas quas artificioſè ſemel acceperant, ne ſolueret vſus aſſiduus, altiùs admittebant. Huius nitoris artifex, *arcularius* appellatus, ipſæ tabulæ, & aſſeres, ex tylia confectæ; totum inſtrumentum, *preſſorium* dictum; ipſum opus, vel opera *contabulatio*. Ponderum in hunc vſum meminit Seneca, & arculæ, & preſſuræ. *Placet non in ambitionem cubile compoſitum; non ex arcula prolata veſtis; non ponderibus aut tormentis ſplendere cogentibus preſſa; ſed domeſtica & vilis; nec ſeruata, nec ſumenda ſollicitè.* Arculas autem ea tylia arbore fuiſſe; indicat Columella. *Arculas*, inquit, *fagineas, vel etiam tyliaceas, quales ſunt, in quibus veſtimenta forenſia conduntur, huic rei paulo ampliores præparari conuenit.* Ob id Tertulliano, tædia recenſenti ſubeunda in toga curanda, mentio crebra *tyliarum*; aſſerum nimirum & tabularum ea tylia arbore, inter quas arctatæ veſtes in rugas ſcitè componebantur. Agens enim de pallio, cuius vſum togæ præfert;

Prius,

Digitized by Google

Prius,inquit,reſpice ad ſimplicem telam eius:nullo radio conſtat;adeo nec artifica neceſſe eſt, qui pridie rugas ab exordio formet; & inde deducat in tylias, totumque contracti vmbonis figmentum cuſtodibus forcipibus (ſic appellat fibulas inter quas aſſeres intercepti) *adſignat.* Ea autem in rugas formatio, veſtis contabulatio dicta. Apuleius. Iſidis pallam deſcribens, dicit illam *multiplici contabulatione dependulam, ad vltimas oras nodulis fimbriarum decoriter confluctuaſſe.* Signatè autem Tertullianus in hoc opus artificis meminit, quia proprius in id attributus, vt dicebam, *arcularius* appellatus. Sicut enim dutatio, & cretatio veſtis,vnde illa candida & rigida, fullonis opus erat; ita *contabulatio*, vt illam vocat Apuleius,& *compaginatio*,vt Tertullianus,aut *tabulata conformatio*,vt Macrobius,[a] *arcularij*.Iam verò ſic contabulata veſtis, antonomaſticè rugoſa dicta, vndique ſcillcet rugis inarata. Tales erant ſtolæ pallæque fœminarum, & toga candidatorum,& eorum omnium qui in publicum elegantius culti prodibant; quorum veſtes à creta duratæ & albatæ, deinde ſtriis illis, & plicis in ſulcos criſpatæ, candorem viuidius ſpargebant rugis vndantibus repercuſſum. Nec abſurdum fortaſsè fuerit tale quid in veterum contabulata veſte concipere; qualem nunc in ſummorum Præſulum *rochettus* cernimus; quæ tunicæ ſubtiliſſimo textu, miro candore fulgentes, & rugis vndique artificiosè criſpatæ, *rochetti*,quaſi rugatæ antonomaſticè dictæ videntur.

a lib. 3. ſat. cap. 13.

Genus aliud mundæ veſtis erant *cataclyta* de quibus Tertullianus aliquid innuit. Quid autem eæ propriè eſſent, aut quomodo excultæ; non conſentiunt viri docti. Tantum illud certum eſt eas veſtibus adnumerandas,quas exquiſita munditia commendaret, vt indicat Tertullianus, qui eas cum pauonis inaurata pluma componit.

Veſtis pexa.

ODorem,candorem,criſpitudinem, ſine dubio omnes inter ea, quæ ſunt ad ornatum, & mundum veſtium computarunt. An verò etiam *pexitas*,ſit inter illa cenſenda; à nonnullis ambigitur. Itaque ſeriò inter philologos & litteratos, ſuperiori tempore certatum eſt quid eſſet veſtis *pexa*; & num hæc appellatio eſſet in illius *depretiationem*,vt Tertullianus loquitur,an commendationem. Vno verbo an *pexa* veſtis, ornatam & in ſuo genere cultam ſignificet; an vilem,& rudem. Sunt qui hoc ſecundum velint auctoritate ducti D. Hieronymi, cuius hæc ſunt contra Iouinianum [b]. *Ante nudo eras pede; modò non ſolum calceato,ſed & ornato:tunc pexa tunica & nigra ſubucula veſtiebaris;nunc lineis & ſericis veſtibus, & Atrebatum indumentis ornatus incedis.* Cui enim ex his Hieronymi verbis non liqueat *pexam tunicam*,vilem & rudem eſſe,in qua qui incedebat, eo ipſo ſordidatus & pallidus dicebatur:Itaque ſunt,qui ea hoc loco Hieronymi *pexam* tunicam detritam interpretentur, in qua nulli ſint flocci. Alij contra *pexam* veſtem, concinnam elegantem pretioſam intelligunt, & eo nomine Hieronymum reprehendunt, quod *pexam* tunicam pro vili poſuerit. Probant quia conſtanter à priſcis auctoribus, è diuerſo, pexa veſtis opponitur tritæ; & vniuersè pexum inculto. Vnde *pexus homo* cultus & elegans; *pexus capillus*, artificiosè compoſitus. Martialis.

b lib. 2.

Pexatus pulchrè,rides mea, Zoile, trita:
Sunt hæc trita quidem,Zoile, ſed mea ſunt.

Pexatum enim vocat pexis veſtibus indutum. Manifeſtè autem pexa tritis opponit; & hæc rideri dicit à Zoilo. Dubium autem non eſt tritia opponi, non lacera, non vilia,non abiecta; ſed pretioſa, & planè recentia. Itaque Perſius quem *pexum* dixerat, indutum exponit toga recenti, quaſi idem ſit pexis veſtibus indui, quod recentibus.

Scilicet hæc populo, pexuſque togaque recenti
Et natalitia tandem cum ſardonyche albus
Celſa ſede legens———

Sed clarius Horatius ſubucolam tritam pexæ tunicæ opponendo, monſtrauit *pexam* veſtem nouam,& recentem eſſe non attritam

Si curtatus inæquali tonſore capillos
Occurri,rides: ſi forte ſubucula pexa
Trita ſubeſt tunicæ,vel ſi toga diſſidet impar,
Rides: quid mea cum pugnat ſententia ſecum?

Sed aliis videtur *pexum* in veſte, non eſſe notam ornatus,aut inornatus;ſed tantùm materiam indicare, vel modum texturæ. *Pexum* ergo poni volunt pro laneo, aut villoſo. In quem ſenſum B. Hieronymum dicunt eſſe loquutum dum tunicam pexam ſericæ & lineæ oppoſuit. Quid hic ergo dicendum? Pexam veſtem *ſi propriè ſumatur*,laneam eſſe,& villoſam;craſſioris nempe texturæ, cuiuſmodi Suetonius *pinguem* appellat; tranſlatè vero pexam etiam appellatam recentem nitidam, concinnam, & congruenter aptatam. Propriè *pexi* vocabulum in hac materia ſumpſit D. Hieronymus. Nec enim aliud per tunicam *pexam* intellexit,quam *laneam & villis hirſutam.* Proprium autem hunc eſſe vocis huius ſignificatum; Plinius [c] expreſſit, vbi loquens de lanis Iſtricis,& Liburnicis,cum dixiſſet illas eſſe pilo propiores,quàm lanæ;ſubdit ob id eas eſſe minus aptas *pexis veſtibus conficiendis.* Cui autem dubium per hoc oſtendi pexam veſtem, eſſe craſſam,pinguem, villoſam? lana enim *pilo* proxima tantum minus apta eſt huic generi texturæ. Pexa ergo veſtis,ſi propriè ſumatur,non tritæ, laceræ, abiectæ,neglectæ;ſed *raſa* opponitur,quæ floccis nullis obducta, tota teres & terſa eſt. Vnde ab hoc eodem ſignificatu Columella [d] folia illa in arboribus *pexa* appellauit,quæ non leuia & terſa ſunt,ſed lanuginoſa. At verò tranſlatè *pexum*, idem eſt quod nitidum, cultum,ſplendens; & ſi de veſte loquamur, recentem ſignificat, concinnam, & congruenter aptatam. Significationis ratio ex duplici capite deriuatur. Primo à *pexo* capillo. Hic enim præſertim cum paulò laxior eſt, impexus, hirtus eſt, & incompoſitus; *pexus* verò,comptus,nitidus,& vno tenore fluens. Sic etiam veſtis ab hac tranſlatione,pexa pro compta ponitur. Quia quemadmodum coma pectine compoſita,concinnè cadit, ſic quicquid in veſte artificiosè diſpoſitum eſt, *pexum* dicitur; quod vulgo *attilato.* Altera ratio tranſlationis eſt à veſte villoſa,quæ tandiu villos retinet, dum recens eſt; vnde factum vt *pexa veſtis* poſita ſit pro recenti,& *impexa*,pro trita. Tranſlatè igitur *pexi* vocem vſurparunt Horatius,Perſius,Martialis in locis adductis,quod quia per ſe clarum eſt, preſſius non exponam. Tantùm admoneo aliud eſſe *pexum* hominem,aliud *pexatum.* Pexus enim ſemper eſt nitida cultus, quem vulgò dicimus *attilata. Pexatus* verò eſt pexis veſtibus indutus;

c lib. 8. c. 48.

d lib. 11 c. 3.

quod ſi *proprie* accipitur, ſignificat; non taſis & terſia, ſed pinguibus amictum & craſſioris texturæ. Si *tranſlatè*, etiam ornatè cultum. Perſius verò cum dixit.

——— Pexuſque togaque recenti.

non intelleait toga pexa iodutum; ſed nitidè comptum aolica elegantia, vt ibidem veteres interpretes exponant, qui *pexum*, tonſum, & *pectinatum* interpretantur [a]. Et hæc oon ſatis modò, ſed nimis fortaſse multa in re tam tenui.

a Cornut. & Prob. in Sat. 1. Per.

Ornatus muliebris, vt à mundo diſtinctus, qualis eſſet, & quot, & quàm varia contineret.

§. XIV.

HIs de mundo muliebri explicatis, de ornato reſtat agendum, quem alteram partem poſuimus habitus exquiſitioris in fœmina ex ſententia Tertuliani & Iuriſconſultorum quod etiam diſcrimen noſter interpres inſinuat Eſther habitum curioſius ab Eunucho quæſitum, in ornatum, mundumque diſtinguens. Primum ergo de ornatu dicetur, vt capiti, & capillis adhibebatur, quod eorum cura exquiſitior, adeo eum ornatu coniuncta, vt hoc generale vocabulum ſibi quaſi proprium fecerit. Ob id Tertullianus cum muliebrem habitum in mundum & ornatum diuiſiſſet; ornatum dicit *in cura capilli maximè poſitum*, cuius cultus, ornatus propriè dictus eſt bonis auctoribus vnde proprietatem vocis retinens vulgatus interpres de Iezabele dixit [b] *ſtibio pinxiſſe oculos ſuos, & ornaſſe caput.* Videamus ergo preſſius hic capitis ornatus à quo fieret, quomodo, quibus inſtrumentis & qua forma & apparatu. Prius autem de cura capilli in fœminis agemus; inde, de eadem nonnihil in viris.

b lib. 4 Reg. c. 9. 30.

Quis ergo fœmineum caput ornabat. Ancilla in id deſtinata; quæ ob id ſuo proprio nomine dicebatur *Ornatrix*. Suetonius. *Hæc matris meæ liberta & ornatrix fuit.* Ad quarum vnam nomine Cypaſſim eſt illud Ouidij.

Ponendis in mille modis perfecta capillis,
Comere, ſed ſolas digna Cypaſſi Deas.

Harum officium Hieronymus inſinuat ad Marcellam de Bleſilla loquens; *Tunc crines ancillula diſponebant, & mitellis criſpantibus vertex arctabatur innoxius; nunc neglectus caput ſcit ſibi tantum ſufficere quod velatur.* Quinetiam diſtinctas fuiſſe diſtinctis muneribus in hoc opere deſtinatas; indicat Clemens Alexandrinus. *Ornatrices* (Koſmitriæ) *ornandis mulieribus deſeruiunt: & hæ quidem ſpeculis, illæ vittis, aliæ præſunt pectinibus* quæ tria diſtincta munera Claudianus etiam diſtinctè ſignauit.

——— largos hæc nectaris imbres
Irrigat; hæc morſu numeroſi dentis eburno
Multifidum diſcrimen arat; ſed tertia retro
Dat varios nexus, & certa diuidit orbes
Ordine ———

Nihil autem facilius fuiſſe, quam vt ancillulæ iſtæ grauiter à Domina & ſæpiſſime vapularent, & res ipſa loquitur, & auctores priſci teſtantur. Interim enim dum Dominæ totæ erant in hac cura, quæ magnitudine ſua omnes alias curas obruit in fœmina; ſi quid ab ornatrice peccabatur, impatientiſſimè ferebant. Et plerumque deformitatem ſuam in ornatricis ſupplicio vindicabant; quaſi non naturæ vitio, ſed illius inſcitia deformes eſſent Iuuenalis [c]

Diſponit crinem laceratis ipſa capillis,
Nuda humero Pſecas infelix, nudiſque papillis.

c Sat. 6. verſ. 491.

Tum inducit Dominam querentem.

Altior hic quare cincinnus? taurea punit
Continuo flexi crimen facinuſque capilli.
Quid Pſecas admiſit? Quænam eſt hic culpa puellæ,
Si tibi diſplicuit naſus tuus?

Flagellis ergo cædebantur; ſed & plerumque calamiſtro, & acu, quæ ad manus erant intorquendo capillo. Ouidius [d] ad hoc alludens.

Ante meos oculos ſæpe eſt ornata, nec vnquam
Brachia direxit ſaucia fecit acu.

d lib. 1. eleg. 14.

Præmiſerat enim ornatricem nihil vnquam in domina comenda peccaſſe, nullum crinem abrupiſſe, nullum extra ordinem poſuiſſe, nullum violentius attraxiſſe; vt ob id in ſe dominæ manus armauerit. Ad idem iocus eſt Martialis [e], qui & hoc ſtudium formæ in capillo comendo, & ſupplicium ancillarum declarat; non ſolum cum quid illæ peccaſſent, ſed cum Domina deformitatem ſuam indignata, dolori ſuo ancillæ cruciatione litabat.

e lib. 2. ep. 66

Vnus de toto peccauerat orbe comarum
Annulus incerta non bene fixus acu.
Hoc facinus Lalage ſpeculo quod viderat vlta eſt,
Et cecidit ſectis icta Plecuſa comis.
Deſine iam, Lalage, triſtes ornare capillos,
Tangat & inſanum nulla puella caput.
Hoc Salamandra notet, vel ſæua nouacula nudet,
Vt digna ſpeculo fiat imago tuo.

Ad hæc verbera Dominæ deformitati ſuæ iraſcentis alluſum plerique putant à regio Propheta, dum dicit [f]; *Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ; ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.* Ancillæ enim iſtæ *comptrices* dupliciter oculos intentos in dominarum manibus habebant. primò, vt quid illæ digito, manuque monſtrabant, in capilli ſtructura, curarent emendando & expoliendo; prout domina de ſpeculi conſilio monebat. Secundò, oculi ancillæ erant in manu Dominæ, cuius ictus, & verbera timebat; ſi quid minùs ad placitum diſpoſuiſſet in coma. *Oculus enim ſerui in baculo eſt*, dicebat Hugo [g]. Porrò ex harum ancillarum numero erat, quæ beatæ Iudithæ Dei [h] ſe nuto comcuti adfuit ad Iſraelicum populum liberandum. *Surrexit*; inquit, *de loco in quo iacuerat ..... & vocauit Abram ſuam..... & exuit ſe veſtimentis viduitatis ſuæ, & lauit corpus ſuum, & vnxit ſe myrro optimo.* Abram ſuam, inquit, hæ enim ornatrices certis & ad munia aptis nominibus appellabantur; & prætetea peculiari quadam ratione propriæ Dominæ ancillæ dicebantur; vt merito dicatur Iudith *Abram ſuam* vocaſſe. Sic apud Ouidium, & alios vidimus. *Cypaſſim*, *Pſecadem*, *Plecuſam*; quæ erant certa nomina, quibus vt plurimum ornatrices appellabantur, & ita illæ Cypaſſim, & Pſecadem ſuam appellabant; vt hic dicitur Iudith *Abram* ſuam aduocaſſe. Et hæc de ornatrice.

f Pſal. 122.

g Hugo Victor. adn. 208 in Pſal.

h Cap. 10.

Nunc modus ornatus ipſius explicandus. Ad quatuor hic maximè reducebatur; vnctionem tincturam, flexum, & ſtructuram capillorum.

Primò enim capilli pretioſis vnguentis vngebantur. Id Claudianus [i] expreſſit in nuptiis Honorij.

i Epit. Honor. & Mar.

Cæſariem tum fortè Venus ſubnixa coruſco

Fingebat

Fingebat ſolio, dextra leuaque ſorores
Stabant Italia, largos hac nectaris imbres
Irrigat.——

a lib. 14. 24. Et Martialis [a].

Tenuia ne madidi violent bombycina crines
Figat acus tortas, ſuſtineatque comas

Hoc enim dicit ne crines vnguento madentes bombycinas veſtes inficiant, ſi vagentur; acu figendos.

Secundò capilli tingebantur. Quibus enim natiuus ſuus color diſpliceret, alium aſciſcebant. b De cul. fæm. c. 6. Tertullianus [b]. *Video quaſdam & capillos croco vertere; pudet eas etiam nationis ſuæ, quod non Germanæ, aut Gallæ ſunt procreatæ. Ita patriam capillo transferunt: malè & peſſimè ſibi auſpicantur flammeo capite, & decorum putant quod inquinant. At qui, & detrimentum crinibus medicaminum vis inurit; & cerebro perniciem etiam cuiuſlibet ſynceri humoris aſſiduitas reſeruat* [*]. * al. reſerat. Quæ poſtrema Tertulliani verba lucem ab Ouidio capiunt, alicubi querente aſſiduo medicaminum vſu ad capillos tingendos vitio contracto penitus eos in fœmina defluxiſſe.

c Ouid. lib. 1. el. 14.

[c] *Dicebam; deſiſte tuos medicare capillos.*
Tingere quam poſſis iam tibi nulla coma eſt
Non tibi vis morbi nocuit; procul omen abeſto.
Non minuit denſas inuida lingua comas.
Facta manu, culpaque tua diſpendia ſentis.
Ipſa dabas capiti mixta venena tuo.

Tinctura ergo hæc capillorum medicaminibus curabatur; aliquando etiam aſſidua lotione; poſtquam deinde in ſole ſiccabantur. Vtrumque autem omnium fuiſſe, Tertullianus ibidem commemorat, à quo tamen formæ ſtudio non ceſſaſſe fœminas queritur. *Animando enim ſimul, & ſiccando* capillo ſolis ardorem *exoptabilem* illis cum præmiſiſſet; *Quis*, inquit, *decor cum iniuria? Quæ cum immunditiis pulchritudo?* Rectè autem dicit *immunditiis* pulchritudinem quæſitam, quia mundus muliebris, vt ſupra vidimus, etiam ea rebus immundis conſtet, aut quæ deturpant, etiam cum decorem concilient. Petronius, *Fluebant per frontem ſudantis acaciæ riui, & inter rugas malarum tantum erat cretæ* (ceruſſam intelligit, & purpuriſſum) *vt putares detectum parietem nimbo laborare.* Ob id Clemens Alexandrinus muliebrem mundum *immundum appellat & illiberalem*, quemadmodum etiam alicubi Tertullianus. Et D. Hieronymus *faciem pſimuthio, non decoratam dixit, ſed ſordidatam.* Vnde verò iſtæ ſordes & immunditiæ in hoc mundo? Plautus expreſſit.

Vbi ſe ſudor cum vnguentis conſociauit, illico
Eiſdem oleat, quaſi cum multa iura ſimul conſudit coquus.

Rectè ergo Seneca mores ſui temporis carpens, *capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum fœminis, & immundiſſimis ſe excolere munditiis noſtrorum adoleſcentium ſpecimen eſt.* Sed quid de capilli tinctura dicebatur,

Color in illis quæſitus, duplex erat; vnus qui mentiretur ætatem; alter, qui gratiam: ille ater erat autem niaros, hic vt plurimum flauus. Tertullianus ibidem. *Sed enim Dominus ait; quis veſtram poteſt capillum atrum ex albo facere, aut album ex atro? Hæ qua reuincunt Deum; Ecce, inquiunt pro albo vel atro flauum facimus gratia faciliorem. Quamuis & atrum ex albo conantur facere, quas pœnitet ad ſenectam vſque vixiſſe.*

Seprân. in Dauid.

Proh temeritatem; erubeſcit ætas exoptata votis ······ *adoleſcentia, in qua delinquimus, ſuſpiratur. Abſit à ſapientiæ filiabus ſtultitia tanta. Senectus enim plus occultari ſtuduerit, plus detegitur.* Vt autem Tertullianus flauum colorem dicit croco quæſitum, Valerius Maximus rutilum dici cinere paratum. *Summa*, inquit, *diligentia capillos cinere rutilant.* Atrum verò colorem ad comæ canitiem occultandam cortice nucis inducebant. Tibullus.

Tum ſtudium formæ eſt, coma tum mutatur; vt annos
Diſſimulet, viridi cortice tincta nucis.

Tertiò, capilli *flectebantur*, & id multipliciter prius autem monendum aliud eſſe capillos *pectere*, aliud *flectere.* Dum pectebantur æquabili lapſu iacebant diſpoſiti: *flexi*, vel in cirros vel in annulos, vel in ſpiras intorquebantur. Ex quo mendum facilè tolli poteſt quod Martialem inſedit. Vt enim in vulgatis legitur, ſic ad Pannicum ſcribit.

Pectere te nolim: ſed nec turbare capillos
Splendida ſit, nolo, ſordida, nolo, cutis.
Nec tibi myſtarum, nec ſit tibi barba reorum
Nolo virum nimium, Pannice, nolo parum.

Prohibet enim hic Pannicum Martialis vt à nimiis munditiis, ita ab immodico neglectu vrbani cultus. Quid ergo facit ad hoc, capillum non eſſe pectendum, ſed nec turbandum? An indecorum, aut molle nimis, & effeminatum eſt in viro capillos pectere? Et quomodo non turbati, non hiſpidi, & hirti ſint, niſi pectantur? Legendum [d] ergo. d V. Ianum Gulielmum Veriſim. lib. 3. cap. 6.

Flectere te nolim, ſed nec turbare capillos.

Quid ergo flexus hic capillorum & quotuplex? Triplex vt dicebam. Primò cum capilli ſinguli criſpabantur. Secundò cum etiam in annulos, cirros, & cincinnos intorquebantur. Tertiò cum flocci in modum ſpiræ, & funis torti ſe plicabantur; quæ vulgo *trecce* dicuntur. Quas omnes ſpecies Apoſtolus [e] vno intortorum crinium vocabulo complexus eſt. e 1. ad Tim. cap. 2. 9. *Mulieres in habitu ornato; cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe, & non in tortis crinibus.*

De annulis verò loquitur Martialis [f] f lib. 2. 66.

Vnus de toto peccauerat orbe comarum
Annulus.

g lib. 12. 98.

De criſpatura capillorum Virgilius [g] accipiendus, cum Turnum loquentem inducit Æneæ crines muliebriter cultos exprobrantem.

———da fœdare in puluere crines
Vibratos calido ferro, myrrhaque madentes.

De tortis crinibus in ſpiras Apoſtolus diſtinctè, cum monet ita ſe matronas ornare, vt in tortis crinibus non incedant. Prudentius [h] habitum ſuperbiæ deſcribens. h In Pſychomac.

Turritum tortis caput accumularat in altum
Crinibus.

Ii crines intorti, in plures ſpiras & plicas diſtincti, proprio vocabulo *ſerta* dicebantur; vt ante nos alij notarunt. Senæ autem erant in capite matronarum, & aliquando etiam ſeptem. De quibus illud accipiendum Martialis.

Portabat vxor rufa crinibus ſeptem.

Septem enim crines, erant *ſerta* crinium, quæ vulgo *trecce*, & eæ deinde capiti certo ordine conuoluebantur. Manilius.

Illis cura ſui cultus, frontiſque decoræ
Semper erit, tortoſque in flexum ponere crines,
Aut nodis reuocare, & rurſus vertice denſo
Figere.———

De quo iterum clariùs paulò poſt. Et hic modus in capillis ornandis.

Inſtrumenta ad id tria præcipuè; pecten, acus, & calamiſtrum. De *pectine*, quod diſcerniculum puto quoque appellatum, res notior, quam moneri debeat. Ouidius.

Non acus abrupit, non vallum pectinis illos;
Ornatrix toto corpore ſemper erat.

Ex buxo autem plerumque fuiſſe; Martialis oſtendit in Apophoretis.

Quid faciet nullos hic inuentura capillos
Multifido buxus, quæ tibi dente datur?

De acu D. Hieronymus, *habent*, inquit, *mulieres acus ſuas quibus ornatorum crinium compago teneatur; ne laxius fluant, & in ſparſos diſſipentur capillos.* Erat enim acus duplex in muliebri ſupellectile; ſutoria, & crinalis; quam etiam *diſcriminalem* D. Hieronymus appellat, & comatoriam Petronius. Illa ſarcinatricum propria; hæc ab ornatricibus adhibita ad crines figendos. Cùm enim in ſpiras contorti, variè capiti conuoluendi eſſent, acubus opus erat vt figerentur; vt clariùs Martialis expreſſit in diſtico, cuius lemma eſt *Acus aurea*: vt hinc etiam obiter diſcamus ex qua materia fuerit acus iſta.

* Malè in vulgaris *Madidos*. *Tenuia ne madidi * violent bombycina crines,*
Figat acus, tortas ſuſtineatque comas.

Hac acu & Fuluia in Ciceronem, & Herodias in Ioannem ſæuierunt, ambos extinctos. Hieronymus. *Nec magnopere glorieris*, inquit, *ſi facias, quod faciunt ſcorpiones, atque cantarides. Fecerunt hoc & Fuluia in Ciceronem, & Herodias in Ioannem; quia veritatem non poterant audire, linguam veriloquam acu diſcriminali confoderunt.* At Cleopatra non alios extinctos, ſed ſeipſam vitam hac acu confodit. Dio Caſſius illius mortem referens multorum opinionem fuiſſe dicit acu illam ſe confixiſſe, qua capillum componere ſolita erat; ita veneno inuncta vt vbi primum ſanguinem vel minimum attigiſſet, mortem celerrimam afferret, & abſque omni dolore. Quam acum Cleopatram de more in capite geſtatam, Antonij morte audita detraxiſſe, eaque ſiniſtræ mammillæ adacta, mortem ſibi conſciuiſſe.

Calamiſtrum verò ferrum erat; quo calefacto in cinere capilli ſinguli in cirros, & annulos vibrabantur. Cicero; *Non te illius vnguentorum odor, non vini anhelitus, non frons calamiſtri notata veſtigiis in eā cognitionē adducebat* Hinc pueri calamiſtrati D. Hieronymo; & aliis calamiſtrata frons, coma, capillus; id eſt calamiſtro criſpata. Per metaphoram verò calamiſtrata oratio, nimis exquiſitè culta, quam dicimus *affectatam*. Et *calamiſtris inurere*, pro eo quod eſt curioſè nimis expolire. Qui huiuſce rei erant opifices, *cinerarij* dicti ſunt; ab aliis *ciniflones* [a].

a Plaut. in Aulular. Horat. lib. 1. Sat. 2.

Reſtat nunc breuiter de forma huius ornatus in toto capite, & de illius inſtructu & apparatu.

Forma multiplex erat; præcipuè probatum vt capilli prius in ſex vel ſeptem ſertas intorti, nunc in verticem, nunc in frontem adeo ſuggeſtu tollerentur. Id quam anxiè, & quam multiplici forma quæſitum Tertullianus [b] notat. *Quid crinibus veſtris quieſcere non licet; modò ſubſtrictis, modò relaxatis, modo ſuſcitatis, modo eliſis? Alia geſtiunt in cincinnis coercere; alia vt vagi & volucres elabantur, non bona ſimplicitate.* Dixi porro *ſuggeſtum*, quod vocabulum in hoc capitis ornatu propriè vſurpatum. Tertullianus [c] loquens de hac tota comæ ſtructura, ad capitis ornatum, *Cum, inquit, & noſtra & aliorum cauſa verſetur, in ſtudio perieuloſiſſimi decoris iam non tantum conficta, & elaborata libidinis ſuggeſtum recuſandum à vobis ſciatis; ſed etiam naturalis ſpecioſitatis obliterandum.* Quid hîc ſuggeſtus? Operoſa illa ſtructura capilli per plures *ſertarum* ordines, vel in verticem accumulati, vel in frontem. De accumulatione in verticem, idem Tertullianus [d]. *Si autem & naturæ præiudicium adiicit Apoſtolus, quod honor ſit mulieri redundantia capillorum; quia coma pro operimento eſt; vtique hoc maximè virgini inſigne eſt; quarum & ornatus ipſe propriè ſic eſt; vt concumulata in verticem, ipſam capitis arcem ambitu crinium contegat.*

b De cul. fœm. c. 7.
c De cul. c. 2.
d De virg. velan.

De reductione in frontem Statij illud [e] accipiendum.

e lib. 1. ſyl. epis ſtella.

Mihi dulcis imago.
Proſiluit; celſa procul aſpice frontis honores
Suggeſtumque comæ.

Celſa dixit;

Turris enim quædam ſuper frontem, aut verticē, ex ea capilli ſtructura ſurgebat. Vnde turritum caput, turritus vertex, turrita frons. De fronte, Lucanus;

Turritaque gerens frontem matrona corona.

De vertice turrito, D. Hieronymus ſæpius, & Prudentius tum alibi, tum cum deſcribit habitum ſuperbiæ, de quo paulo ante.

Turritum tortis caput accumularat in altum
Crinibus extructos augeret, vt addita cirros
Congeries, celſúmque apicem frons ardua ferret.

In gradus autem prius aptè capilli certo ordine diſponebantur; quod Ouidius appellat; ponere comas in ſtatione.

Sed vitate viros cultum, formamque profeſſos,
Quique ſuas ponunt in ſtatione comas.

Et Suetonius comam in gradus formare. De Nerone enim quem non puduiſſe ſcribit ornatu muliebri proceſſiſſe. *Circa cultum*, inquit, *habitumque adeo pudendus, vt comam ſemper in gradus ornatam peregrinatione Achaica etiam ponè verticem ſubmiſerit.* Ad hunc autem comæ ſuggeſtum mitris, & capillis adſcititiis vtebantur. De mitris D. Hieronymus. *Tum crines ancillula diſponebant, & mitellis criſpantibus vertex innoxius arctabatur*; vt nos iterum. De *capillis adſcititiis*, nihil frequentius apud antiquos. Idem D. Hieronymus. *Antea quæ erant ſæculi diligebat; polire faciem purpuriſſo, & ceruſſa ora depingere; ornare crinem, & alienis capillis turritum verticem ſtruere.* Quod ipſum fuiſſe maximè in vſu apud Hebræos; argumento eſt quod de Abſalone refertur. *Porrò ſicut Abſalon* [f] *vir non erat pulcher in omni Iſrael …… & quando tondebat capillum ponderabat capillos capitis ſui ducentis ſiclis pondere publico.* Significatur enim per hæc Abſalonis cæſariem à mulieribus emptam, vt alienis capillis ornatæ prodirent. Quem morem exagitat Tertullianus [g]; *Si non pudet*, inquit, *enormitatis, pudeat inquinamenti; ne exuuias alieni capitis forſitan immundi, forſitan nocentis, & gehennæ deſtinati, ſancto & Chriſtiano capiti ſupparetis.* In id Germanarum fœminarum capilli à Romanis fœminis expetiti, quod ibidem tradit Tertullianus, & clare Ouidius [h].

f lib. 2. Reg. c. 14. 25.
g De cul. fœm c. 7.
h lib. 1. eleg. 14.

Nunc tibi captiuos mittet Germania crines:
Culta triumphatæ munere gentis eris.
O quam ſæpe comas aliquo mirante rubebis:

Et

Et dicet; empta nunc ego merce probor.

Nec ſolum iuuenes fœminæ & adoleſcentulæ; ſed etiam ætate prouectæ hoc vitio laborabant. Quas,inquit alicubi Hieronymus, *nec annorum numerus docere poteſt quod vetula ſunt; quæ capillis alienis verticem ſtruunt, & præteritam iuuentutem inrugis anilibus quærunt.* Serio autem priſci Patres hoc in fœminis Chriſtiana reprehendunt ab Apoſtolorum Principe [a] edocti. *Mulierum*, inquit, *non ſit extrinſecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus.* Non ſit,inquit,*extrinſecus capillatura*; quod Clemens Alexandrinus exponens; *alienorum*,inquit, *capillorum appoſitiones ſunt omnino reiiciendæ; & externas comas capiti adhibere eſt maximè impium.* Sed de hoc iterum. Interim hic admonuero capillos ſic componere,verbo ſatis apto *ſtruere*, ac *ædificare* veteres dixiſſe. Quod totus ſuggeſtus, turris inſtar haberet, ex aliena coma, quaſi ex lapidibus aliunde congeſtis extructæ. Iuuenalis [b].

a Pet.ep.1. cap.3.

b Sat.6.

Tot premit ordinibus tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput; Andromachen à fronte videbis.
Poſt minor eſt; aliam credas.

Hoc enim capitis ornatu, non decorem tantum quærebant; ſed etiam proceritatem. Quo enim grandiores apparerent,non contentæ cothurnos aſcendere, frontem etiam, & verticem attollebant. Propterea Iuuenalis hic dixit fœminam ſic ornatam aliam à fronte videri,aliam à tergo. A fronte Andromachen, à tergo longe minorem. Ad quod ipſum Tertullianus [c]. *Affigitis præterea neſcio quas enormitates ſubtilium, atque textilium capillamentorum nunc in galeri modum, quaſi vaginam capitis, & operculum verticis;nunc in ceruicem retrò ſuggeſtum. Mirum quod contra Domini præcepta contenditur. Ad menſuram neminem ſibi adiicere poſſe pronunciatum eſt; vos planè adiicitis ad pondus.* Cæterum, quam hic ſtructuram comæ in modum galeri ad verticem conuolutæ dicit Tertullianus; alio nomine idem [d],& Cyprianus [e] *Botronatum* dixere,capillum ſcilicet in modum botri ſuper verticem extructum. Et hæc de capillorum & capitis ornatu in fœminis.

c De cul. fem.c.7.

d Tertul. de cul.c.10.

e De hab. virg.

De eodem in viris aliquid dicendum eſſet;ſed alibi commodius id exequemur, cum de vita, & quotidiano cultu diſſeretur. Interim ſatis illud eſt admonere viris etiam, vt nunc eſt, ſemper item fuiſſe ſuum ſtudium nitoris in cura capilli; quod à recto tramite illos quoque tranſuerſos vt fœminas agit, niſi ſeuera grauitate coërceatur. Tertullianus [f]; & *viris*, inquit, *propter fœminas, & fœminis propter viros vitio natura ingenita eſt placendo voluntas; propriáſque præſtigias formæ & hic ſexus ſibi agnoſcit. Barbam acrius cædere,interuellere, circundare; capillum diſponere, etiam colorare; primam quamque caniciem ſubducere..... ſpeculum omni occaſione conſulere, anxiè inſpicere.* & reliqua quæ perſequitur ibi Tertullianus, & meritò damnat in viris. Quia vt etiam Ethnicus poëta [g] monebat.

f De cul. c.9.

g Ouid. ep. Phed. ad Hippol.

Fine coli modico forma virilis amat.

Vnde in vniuerſum viro cuique præſcribit [h]

h Idem lib.3. de ar.

Sed tibi nec ferro placeat torquere capillos,
Nec tua mordaci pumice crura teras.
Iſta iube faciant quorum Cibeleia mater
Concinitur Phrygiis exululata modis
Forma viros neglecta decet.

Sed,vt dicebam,de his iterum latiùs,vbi de quotidiana vita,cultuque domeſtico Iudæorum.

Ad locum Eſaiæ.

[i] In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia, & periſcelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes,&c.

i Cap.3.19.

De ornatu fœmineo in reliquo corpore, & variis inſtrumentis ad illum.

§. X.

HActenus de ſolo ornatu capitis;nunc de reliquo corpore, & variis ornamentis ad illud; quæ tot erant, vt ſingulis fermè membris eſſent ſua ornamenta tributa, eáque non vnius generis,ſed planè multiplicis.

Ante omnia autem monendum puto, quibus in natiuo decore ſpes exigua placendi erat, eas ſubſidium ſibi per ornamenta quæſiſſe;vt ſaltem diuites apparerent, quæ pulchræ non poſſent. Apelles de quo Plinius eloquium illud protulit [k]; *Omnes prius genitos, futuroſque poſtea artis præſtantia ſuperaſſe*, vni ex pueris ſuis aliquando mandauit vt Helenam pingeret. Is ad magiſtrum tabulam ſuam attulit, in qua exquiſito genere colorum Helenam expreſſerat, aurata veſte, aureis ornamentis vndique fulgentem, torquibus & monilibus onuſtam. Tum Apelles; *ſcitè*, inquit,*cum enim pulchram non poſſes, feciſti diuitem.* Itidem matronæ, quibus fortuna benignior, quam natura, cum ſe pulchras non poſſint alienis oculis venditare, variis ornamentis adſcitis, ſe oſtentant diuites. De quibus hîc tria nobis expedienda. Primum ſtudium illorum in fœminis quam ardens Secundum quanto diſpendio parata. Tertiò præcipua ornamenta ſingillatim cenſebimus,de quibus hic Iſaias.

k lib.35.c 10

De primo quando alia nobis argumenta deeſſent, ad hunc ardens ornamentorum ſtudium in fœmina probandum; locus hic Iſaiæ abundè ſufficeret. Erat Deus Ieroſolymitas exciſurus, & Hebræis fœminis viros, filios, fratres ablaturus; vt tamen illas terreat, & futuræ calamitatis denunciatione procellat, non illis ſe minatur ablaturum filios,fratres,viros;non exciſurum patriam,non gentem totam euerſurum.Sed quid? *Ornamentis*,inquit,*vos omnibus ſpoliabo.* Grauius ergo fœminis eſt iis quæ ad ornatum corporis faciunt,quàm quibuſcunque aliis ſpoliari. Audi ipſum Eſaiam [l]. *Et dixit Dominus; pro eo quod eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant..... auferet ornamenta calceamentorum,& lunulas, & armillas, & torques,& mitras*,& quæ plurima deinde commemorat,ad ornatum fœminæ comparata. Quibus omnibus adiungit deinde [m]; *Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio.* Hoc quaſi acceſſorium,illud principale *Viri*, inquit, *quoque cadent.* Primo loco quod illas magis excruciat, ornamenta amittenda commemorat, deinde, viros. Propterea hos etiam perituros, quaſi præteriens adiungit poſt ornamenta diſtinctè

l Cap 3.16.

m verſ. 25. ibid.

Digitized by Google

ſtinctè numerata, ſubdens; *Viri quoque tui gladio peribunt.*

Nimirum hæc in fœmina curas omnes alias extinguit. Habemus in libris [a] Regum veniſſe creditores ad mulierem quandam de vxoribus prophetarum, vt filios eius tollerent ad ſeruiendum; cum non poſſent aliter defuncti patris debita perſolui. Fidem ergo ob id, & auxilium Eliſæi imploranti, reſpondit hic; *Quid vis vt faciam tibi? Dic mihi quid habes in domo tua?* At illa reſpondit; *non habeo ancilla tua quicquam in domo mea, niſi parum olei, quo vngar.* Ita ne verò? Creditores inſtabant, filios poſcebant, omnia domi perierant; oblita mulier aliorum omnium, tantum vnctionis non obliuiſcitur. *Parum*, inquit, *olei quo vngar.* Nimirum ornatus & nitoris ſtudium in fœmina nouiſſimè extinguitur. Deſunt cibaria, abeſt pecunia, vrget creditor, periclitantur liberi; paſtus, potus, ſupellex, omnia denique iam perierant, reſtat aliquid quod petat, & poſtremo loco reſeruatur, *oleum ad vngendum.* Tantum ergo & tam vehemens eſt hoc ſtudium nitoris in fœmina, vt alia omnia poſthabeat, quæ ad corpus tuendum faciunt, modo ſatis ornata procedat in publicum. Abſtinetur ab eſcis, vt decor retineatur; & ventri ieiunium indicitur, vt in luculenta veſte matrona reſplendeat. Ob id D. Hieronymus [b] merito dixit ſuo proprio epitheto fœminarum genus *philocoſmon* appellari. *Philocoſmon*, inquit, (ſtudioſum, ſcilicet amanſque ornatus) *genus fœmineum eſt, multaſque inſignis pudicitiæ, quamuis nulli virorum, tamen ſibi ſcimus libenter ornari.* Et inde eſt, quod nullas moleſtias ſentiunt; nulla corporis incommoda refugiunt, ornatæ modo ſint; pondus illis quodcunque leue eſt; vltro in id vulnerantur, & valetudinis periculum, tanti non faciunt. Ambroſius [c] ad hoc. *Delectantur compedibus mulieres, dummodo auro ligentur; non putant onera eſſe, ſi pretioſa ſunt; non putant vincula eſſe, ſi in his theſauri coruſcent, delectant & vulnera, vt aurum auribus inſeratur, & margarita dependeant: habent & gemma pondera ſua; habent veſtimenta frigora ſua; ſudatur in gemmis, algetur in ſericis; tamen pretia iuuant; & quæ natura auerſatur, commendat auaritia.*

a lib. 4. c. 4. 2.

b *Ad Gaudent. de educat. Pacat.*

c *De Nabuth. 5.*

Et hæc de ſtudio ornatus in vniuerſum; quod cum tam ardens fuerit, mirum non eſt, ſi tot ſemper impenſas fecerint, vt illud explerēt. Sanè enim in id adeo profuſæ fuerunt, vt in ſola matrona ornanda, integrum aliquando patrimonium conſumeretur. Ambroſius ibidem; *ſmaragdos & hyacinthum, beryllum, achatem, topazion, amethyſtum, iaſpim, ſardion, ſummo quærunt furore, vel ſi dimidium patrimonium petatur.* Modeſtè hoc Ambroſius, vt parceret illarum pudori. At alij exertè tota patrimonia hîc effuſa queruntur. Ouidius [d]

Quis pudor eſt cenſus corpore ferre ſuos.

ſuos hic dixit; aſt alios etiam nepotum. Propertius.

Matrona incedit, cenſus induta nepotum.

Poſterorum ſcilicet, ad quos erant peruenturi, ſi nimia illa profuſio in ornamentis abſoiſſet. At parum eſt, ſi totius corporis ornatus tam impensè flagitauerit; ex ſolis auribus patrimonia pendebant. Hieronymus, ſiue quis auctor [e], ad Demetriadem de ſæculi virginibus loquens. *Hæc eſt illis*, inquit, *per dies ſingulas cura præcipua, decentibus fucis colorare faciem, implicare auro crinem, & ardentes concharum lapides capitis honorem facere; & auribus patrimonia ſuſpendere.* Rectè, non patrimonium, ſed *patrimonia* dixit. Nec enim vnum tantùm; ſed plura patrimonia auribus ornandis impendebantur Seneca [f]. *Video*, inquit, *vniones non ſingulos ſingulis auribus comparatos; iam enim exercitatæ aures oneri ferendo ſunt. iunguntur inter ſe, & inſuper alij binis ſupponuntur. Non ſatis muliebris inſania viros ſubiecerat, niſi bina, ac terna patrimonia ſingulis auribus pependiſſent.* Vt hinc minùs iam mirum ſit quod ſe vidiſſe Plinius [g] refert, Lolliam Paulinam nobilem fœminam Caij principatu non in ſolemni die feſtæ celebritatis; ſed in communi ſponſalium cœna, tot gemmis ornatam proceſſiſſe, vt eius cultus quadringenties ſeſtertiom, id eſt auri integro millione æſtimaretur. *Lolliam Paulinam*, inquit, *quæ fuit Caij Principis matrona, ne ſeriò quidem, ac ſolemni ceremoniarum aliquo apparatu; ſed mediocrium etiam ſponſalium cœna, vidi ſmaragdis, margaritiſque opertam, alterno textu fulgentibus; toto capite, crinibus, ſpiris, auribus, collo, manibus digitiſque. Quæ ſumma quadringenties ſeſtertium colligebat.*

d lib. 3. de arte.

e *Qui putatur Iul. Ian. Pelagian. à Beda tom. 9. Hieron.*

f lib. 7. de benef.

g lib. 9. c. 35.

Certa mulicbrium ornamentorum nomina, quorum in ſacris litteris mentio.

Videamus iam ſingillatim quæ, & qualia eſſent huiuſmodi ornamenta. Nobis Iſaias præit, qui pleraque illorum ſubtili enumeratione diſtinguit. Sed eius occaſione ſub aſpectum hic omnia dabimus, quæ ſparſim in ſacris literis habentur ad hoc argumentum ſpectantia. Ex iis ergo quidam toto corpore aſſumebantur; vt aurum lapilli, margaritæ, gemmæ: alia ad caput propriè ſpectabant; vt mitræ, diſcriminalia, palliola, galericuli, corymbia: alia ad faciem & partes in illa; vt frontalia, inaures: alia ad collum, ceruices, pectus; vt torques, circuli, monilia: alia ad brachia, & manus; vt armillæ, ſpatalia, dextrariola: alia ad crura; vt periſcelides, genualia. de quibus alij [h] fuſe; nos hîc quantum ſatis erit inſtituto noſtro ſtrictim de ſingulis alphabeti ordine ſeruato diſſeremus.

h *Pollux in onomas lib. 5. cap. 16 lib. 7. 13 & 22. lib. 10. 28. Clem. Alex. l. 2. pæd. c. 12. Volater. Philol. l. 27.*

Annullus.

Hvius vſus Romanis ſerus; apud Græcos antiquior: Hebræis, opinor, antiquiſſimus fuit, vt ex facto Iudæ colligimus. Hic enim ad Thamar cum acceſſiſſet, admiſſus non eſt [i], niſi pactus annulum, quem geſtabat in digitis. Multa autem de iis quæri poſſunt; ex qua materia fuerint, quo artificio ad quid, in qua manu, & à quibus geſtati.

i Gen. 38. 18.

Eorum materia Romanis primò ferrea fuit; Hebræis, opinor, ſemper aurea. Deplorat id Plinius: quam merito, neſcio; niſi, quod ſtudio declamandi in ſui ſæculi mores, illa etiam carpit, quæ innoxia ſunt. *Peſſimum*, inquit, *ſcelus fecit, qui annulum primus induit digitis.* Si de quocunque intelligit, etiam ferreo; quod id ſcelus ſit, ipſe videat, qui paulo poſt annulum ferreum inſigne bellicæ virtutis appellat. Si de aureo; quod maius ſcelus eſt, digitis illud inſerere, quam collo, & capiti, & reliquis membris? Id potiùs obſeruandum, quod idem tradit, longo tempore Romanū ſenatum ferreis tātùm vſum; aureis annulis iis tantum permiſſis, qui legati ad gentes

k lib. 33. c. 1.

exteras

exteras mitterentur. Ex quo intelligimus cur D. Iacobus inſignem virum deſcribens, & dignitate conſpicuum aureum illi annulum tribuat.

a Cap. 2. 2.

Etenim, inquit [a], *ſi introierit in conuentum veſtrum vir aureum annulum habens in veſte candida.* Quaſi enim hic ciuem Romanum deſcribit apud exteros peregrinantem; & libera legatione fungentem cui ius aurei annuli geſtandi, vt apud

b *Loco cit.*

exteros, inquit Plinius, [b] *honoratiſſimus* haberetur. Cæterum Hebræis fabre admodum factos, & in illis artificioſè gemmas incluſas; argumen-

c Cant. 5. 14.

to eſt quod ſponſi manus [c] tornatiles à ſponſa dicuntur; & adeo pulchræ, vt ſponte ſua, non externo ornatu, *plenæ hyacinthis appareant.* annulis ſcilicet, quibus incluſi hyacinthi ſplenderent.

d Ierem. cap. 24. 1. c. 29. 2.

Vnde in ſacris literis *incluſorum* [d] crebra mentio, artificum nimirum qui fabre aurum cælabant, & gemmas annulis, aliiſque monilibus includebant. Sed ad quid annuli? Ad duo præcipuè. Ad manus ornatum & ad res ſignandas. De *ornatu*, certa res eſt vel ex adducto loco ſponſæ. Sponſi enim manus extollit, quod adeo pulchræ ſint, & ornatæ ſuo ornatu bono, ac ſi gemmatis annulis ornarentur. Vnde diſtinctè inter ornamen-

e Cap. 3.
f Num. 31. 50. Iud. 10. 3.

ta fœminea non ſolùm hîc ab Iſaia [e], ſed alibi [f] annuli ponuntur, cum *inauribus & dextrariolis* computari. De vſu vero annuli ad ſignandum; res eſt etiam tam in ſacris, quam in exteris literis teſtata. Epiſtolas enim & alia quæ ſeruata maximè volebant annulo ſignabant. Ad illas quod ſpectat habemus in libris Regum de Iezabele Naboto exitium ſtruente. *Scripſit*, inquit,

g 3. Reg. 21. 8.
h Eſth. 3. 12.

[g] *literas ex nomine Acabi, & ſignauit eas annulo eius, & miſit ad maiores natu.* De Aman; *ſcriptum*, [h] inquit, *eſt vt iuſſerat Aman ad omnes ſatrapas ex nomine Aſſueri, & litera ſignata ipſius annulo.* In quem eundem vſum maximè erant annuli apud Romanos; vnde *ſignatorij* annuli apud illos tam crebra mentio. Hic porro ſumma cuſtodia ſeruatus, rarò, & fere nunquam deponebatur. Ideo pro ſymbolo ponitur *annulus ſignatorius* earum rerum, quæ chariſſimæ ſunt & in ſumma

i Cap. 22. 24.

cura. Deus apud Ieremiam [i] ad id alludit. *Si fuerit*, inquit Iechonias, *annulus in dextera mea; inde euellam eum; & dabo te in manum quærentium animam tuam.* Annulus, inquit, mihi non eſt, Iechonias; ſed ſi eſſet, id eſt ſi mihi charus ita eſſet, & coniunctus vt annulus ſolet; illum tamen abiicerem ipſius peccatis offenſus. Et quo abiiceret? *In manum quærentium animam ipſius*; formidanda conuerſio ex manu Dei, in qua quis vt annulus geſtabatur, in manum abiici inimicorum. Sed ad id quod agimus, hinc eſt, vt *ponere quaſi ſignum, & ſignaculum, & in manibus geſtare, & deſcribere*, ſit in ſacris literis amare, colere, ſemper in oculis habere, & ſollicitè cuſtodire. Lo-

k Cap. 2.

quitur Deus ad Zorobabel apud Aggæum [k]. *Aſſumam te*, inquit, *Zorobabel, & ponam te quaſi ſignaculum, quia elegi te.* Habebo te ſemper ante oculos meos, ac ſi eſſes annulus ſignatorius in manu mea. Et ad hoc ipſum etiam reſpicitur in verbis, quibus Deus Ieruſalem alloquitur apud Iſaiam. *In manibus meis*, inquit, *deſcripſi te.* Quomodo id? *Muri tui coram oculis meis ſemper*: vt annulus ſignatorius eſſe ſolet, in quo propterea charorum imagines cælabant, vt eos ante oculos

l *De triſt. li. 1. eleg. 6.*

ſemper haberent. Ouidius [l].

Si quis habes noſtri ſimiles in imagine vultus
In digito qui me ferſque referſque tuo,
Effigiemque meam fuluo complexus in auro,
Chara relegati quæ poteſt ora vides.

m *lib. 5. ep. 2.*

Hinc iocus Martialis [m] in amicum, qui cum vno digito plures annulos geſtaret, in quibus effigies charorum inſculptæ erant, dixit non mirum eſſe, ſi in publico ſpectaculo athletæ plures ſimul pueros humeris leuarent, cùm vno digito Stella decem amicos portaret.

Cæterum, cur hîc annulus ſignatorius adeo charus, & ita ſollicitè ſeruaretur; ipſa res loquitur. Si enim eo res ſuas ſignabant quod diſpendium pati non poterant, ſi in alienas manus facilè peruenisset? Ideo quibus is tributus & permiſſus, iis ſe plurimum fidere; eo argumento prodebant.

n *Plin. lib. 33. c. 1. Tertul. in Apolog.*

Et inde eſt primò quod vxori futuræ *pronubus* [n] *annulus* aut dabatur, aut mittebatur. Quod enim deberent omnia eſſe viro & vxori communia, nihil vt viri ſit illi non peruium, in huius rei ſymbolum ſponſæ annulus ſignatorius mittebatur.

Secundo annuli traditio fidei ſymbolum fuit, quam quis alteri obſtringeret. vnde pro arrha in omni contractu & ſponſione dabatur. *Annulus*, inquit Vlpianus, datus eſt arrhæ nomine. Et Papinianus, *ſponſionis cauſa*, inquit, *annulum accepit*, & Vlpianus iterum. *Inſtitor cum oleum vendidiſſet, annulum arrhæ nomine accepit.* Quem morem apud Hebræos ab antiquiſſimis tempo-

o Gen. 38.


ribus obtinuiſſe; Thamar oratio declarat. *Putas*, [o] inquit, *quod uiſ ſi dederis mihi arrhabonem, donec mittas, quod polliceris. Ait Iudas; Quid tibi vis pro arrhabone? Reſpondit; Annulum tuum, quem manu tenes.*

Tertiò hinc fit quod quibus annulos morituri tradebant, eos hæredes inſtituere videbantur. Quaſi enim dominos rerum ſuarum, ea traditione declarabant, quibus ſignaculum, quo claudebantur, permittebant. Sic Alexander exiſtimatus eſt Perdiccam ſucceſſorem facere, quod illi moriens annulum tradiderit. Aliàs, ſi non hæredes, eo pacto ſaltem cuſtodes rerum ſuarum eos declarabant quibus annulum relinquebant. *Pater*, inquit Papinianus, *pluribus filiis inſtitutis, moriens claues & annulum, cuſtodiæ cauſa maiori natu filiæ tradidit.* Sed quæri poteſt quotuplex hic annulus ſignatorius eſſet, & qua forma; & vter annulorum vſus antiquior; ad ſignandum ne, an ad ornandum. *Signatorius* annulus duplex erat; alter ad epiſtolas, diplomata, & alia huiuſmodi ſignanda; cuius forma non abſimilis ab ea, quæ nunc noſtrorum eſt, cum pala, & gemma; aut etiam ſine illa ex ſolo auro, ſigno aliquo ſculpto ad certam notam imprimendam; vt plurimum tamen cum gemma erat, & in ea figura cælata, qua ſignabant; & erat in cuiuſque facultate figuram quam vellent aſſumere. Ob id Clemens

p *lib. 3. pæd. c. 11.*

Alexandrinus [p] monet Chriſtianos *ſignare debere columba, piſce, vel naui vela vente; aut lyra muſica, qua Polycrates vſus; aut anchora, quo Seleucus; nullo vero modo idolo, enſe, vel arcu; quæ ſunt omnia inimica pacis, aut poculo, quod ſobrios & moderatos non decet.* Alter *ſignatorius* erat ad arcas, & ſimilia cuſtodienda. Huius annuli eadem forma: quæ noſtrorum erat; ſed clauiculam habebat adiunctam, vt ex antiquis monumentis apparet, in quibus huius annuli ſignatorij tale extat exemplar, vt illud nobis Lipſius in Tacitum communicauit, & nos aliis ab illo.

Puto

Puto autem bine facilè cognoſci priorem fuiſſe vſum annuli ad ſignum & cuſtodiam, quàm ad ornatum; quod diſertè Macrobios teſtatur. *Veteres*, inquit, *non ornatus, ſed tantùm ſignandi cauſa annulos circunferebant; vnde nec plures habere, niſi vnum licebat.* Et ratio ipſa ſuadet ſolitos primum bomines aliquid huiuſmodi babere præ manibus quo fidem ſuam aliis oppignorarent, & ea, quæ ad illos ſpectabant certa nota diſtinguerent. Ex quo factum, vt commoditatis cauſa in digitis illud insererent; vnde etiam poſtea decor ex materia & arte quæſitus; vt quod aſſiduè geſtandum erat, non neceſſitate tantùm, ſed gratia commendaretur. Is autem qui aſſiduè geſtabatur, ſignatorius erat ex primo genere, non ſecundo.

In qua ergo manu geſtatus? Ieremias indicat
a Cap.22. in dextera. *Si fuerit* [a], inquit, *Iechonias annulus in manu dextera mea.* Sed in ſiniſtra ſolitos à Romanis geſtari in digito minimo proximo, teſtata res eſt, ſi de prima inſtitutione loquamur. Poſt modum verò nullo delectu iam in ſiniſtra, quàm dextera, & in omnibus digitis; quin & digitorum articulis geſtari cœpere. Plinius loquens de medio digito. *Hic*, inquit, *ſolus excipitur; cæteri omnes onerantur, atque etiam priuatim articuli minoribus aliis. Sunt qui tres vni minimo congerant; alij verò, & huic vnum tantùm, quo ſignantem ſignent.* Hinc autem luſus argutus Martialis in Stellam, & amicum & vatem.

Sardonycas, ſmaragdos, adamantas, iaſpidas vno
Portas in articulo Stella, ſeuere, meus,
Multas in digitis, plures in carmine gemmas
Inuenias, inde eſt hæc, puto, culta manus.

A quibus ergo geſtatus annulus? A viris promiſcuè, vt fœminis; inter quarum ornamenta diſtinctè hîc ab Iſaia computatur, & in auribus adiungitur. Vt etiam illis alibi connumeratur. Rectè autem id ſunt enim inaures ſymbolum diſciplinæ, annulus memoriæ. *Diſciplina*, illæ; quod auribus appendantur, quæ ſunt ſenſus ad illam. *Memoria*, annuli; quia quod habemus in digitis, ejus obliuiſci non poſſumus. Ob id Deus legem ſuam præcipit in digitis haberi, quaſi annulum ſcilicet ob oculos ſemper verſantem. *A viris autem dixi promiſcue, vt fœminis*, geſtatum annulum: quod intelligendum tantùm de ingenuis: nam ſeruis illorum vſus interdictus. Vnde enim illis annulus, qui fidei eſt & dominij ſymbolum, quibus nulla fides habetur, & qui ſe in poteſtate non habent? Macrobius, *non plures*, inquit, *quam vnum habere licebat; nec cuiquam, niſi libero, quos ſola fides decerneret, quæ ſignaculo continetur. Ideo ius annulorum famuli non habent.* Et inde eſt quod annulo à Principe donari, ſit idē Iure liberum fieri, vel ingenuorum iure priuilegiiſque gaudere: & antiquitus filij, quos pater familias in conſortium iam quaſi domeſticæ adminiſtrationis admittebat, à patria quaſi poteſtate exemptos annulo donabantur, in ſignum quòd iis etiam reliqua familia obſequium præſtaret. Sic prodigus [b] b Luc.15.
filius à patre gratanter receptus, annulo inter alia ornamenta donatur. & Pharao [c] Ioſepho, c Gen.41.
quem toti Ægypto præfecerat, à ſeruitute carceris exemptum annulum tradidit; vt ſui iuris non tantum oſtenderet; ſed cui iure alij obedientiam deberent.

Armilla.

BRachiale à Priſciano dicta, humeris circundabantur, vel potius brachiis, quā humeris annectuntur. Antiqui enim teſte Feſto [d] humeros d lib.1.
cum brachiis *armos* appellarunt. Vnde *arma* dicta, quod ab *armis* ſuſpenderentur. Erat autem armilla ex auro, vario artificio confecta: noſtris earum vſus obſoleuit, quod antiqui nudis brachiis vſque ad humeros incederent; vnde apta illis ad decorem nudæ carnis indebantur. Nobis, qui brachia ſimul, & humeros velamus, ea cura non eſt. Non ſunt ergo propriè armillæ, qui nunc *braccialetti*, aut *maniglie* dicuntur. Armillis enim lacerti ſub alis cingebantur; noſtri *braccialetti* manus ornant, qua carpo iunguntur; forma tamen vtriſque non abſimilis, vt ob id aliquando ornamenta manuum etiam armillæ dicantur.

Erant autem duplicis generis armillæ; *muliebres* & *militares*. quas inter an aliquod diſcrimen eſſet, & quid illud; incertum: vt hinc intelligamus virorum fortium præmia etiam à mulieribus affectata, vel certè belli fæliciter parrati pretium eſſe ornamenta pacis. In eo enim qui fortiter feciſſent armillis à ſuo duce donabantur. Iis autem an alibi, quam in bello, qui donati fuerant vterentur; apud Romanos incertum eſt. Hebræis illarum vſus promiſcuus fuit, non ſolùm viris & fœminis, ſed illis tam militiæ, quam domi. Nam de Iuda legimus pacis tempore cum armilla fuiſſe; Saulem vero dum cum hoſte confligeret, eandem geſtaſſe.

Dubium verò poteſt hîc eſſe, an vno tantùm, an vtroque brachio geſtarentur armillæ; & an cuique liberum pro libito eas vſurpare; qua denique forma eſſent. De primo, dubium facit quod vno tantum brachio, eoque læuo geſtatæ videntur, vt hiſtoria declarat à Liuio relata. *Addunt*, inquit, *fabula quòd vulgò Sabini aureas armillas magni ponderis brachio læuo gemmatoſque magna ſpecie annulos habuerint, pepigiſſe eam quod in ſiniſtris manibus haberent: eo ſcuta pro aureis donis congeſta, &c.* Et is vſus coniectura firmatur: antiquitus enim ornamenta omnia in læua manu geſtabantur, vt dextera libera eſſet. Hinc in ſacris literis *ſiniſtra* ponitur in ſymbolum diuitiarum; *dextra* verò longi temporis, vt enim dexteræ digitis centenarius numerus, & qui vltra illum eſt, computabatur; ita ſiniſtra gemmæ, & annuli gerebantur. Inde factum, vt hæc eſſet argumentum opulentiæ, illa diuturnitatis. Vnde Salomon de ſapientia loquens, & bonis, quæ ſecum affert colentibus illam [e]; *Lon-* e Prou.3.16.
gitudo, inquit, *dierum in dextera eius, & in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria.* Et Chriſtus Dominus ad id forraſſis alludens [f], *Cùm facis*, inquit, *eleemoſy-* f Matth.5.
nam neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua. Siniſtra enim theſaurorum cuſtos habita, quod illi aurea ornamenta inderentur. Ab Hebræis verò vnam tantum armillam geſtatam Iudæ & Saulis argumento probatur; qui cum armillati fuiſſe dicantur, vnam tantùm etiam habuiſſe, expreſsè

preſsè ſignatur. At obſtare videtur quod alibi in ſacris literis cum inauribus armillæ iunguntur. a Gen.24. *Protulit* [a], inquit, *vir inaures aureas, & armillas totidem* Probabile eſt viros vnam tantum, eamque læuo brachio; fœminas binas; & vtroque geſtaſſe. Sioiſtro enim brachio, qua ad humerum pertinet, armillis ornati viri, nihil in bello impediebantur, cùm eodem etiam ſcuta geſtarentur, at impediti ſine dubio fuiſſent, etiam io dextera armillis induti.

Puto autem à viris non pro libito potuiſſe geſtari; ſed ab iis tantùm, quoa virtus eximios feciſſet: erat eoim in illis aut virtutis aut dignitatis inſigne; *virtutis*, in militibus *dignitatis* in aliis. Ideoque Iudas qui ſuæ familiæ princepa, & Saul qui Rex, vterque cum armilla. Secus de fœminis dicendum: eæ enim quia tantum ad ornatum, non ad vllum teſtimonium virtutis, armillas geſtabant, permiſſum cuique erat pro ſuæ fortunæ modo ſibi illas parare.

De forma verò poteſt nonnibil ambigi ex eo quòd habetur in Iob, quem Dominus interrogat. b Cap 40. 21. [b] *An extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius. Nunquid pones circulum in naribus eius, aut armillis perforabis maxillam eius.* Ex hoc enim acutæ ad perforandum armillæ fuiſſe videntur. Et id ſi erat; non apparet qua forma eſſe potuerint, & quomodo humeris aptatæ. Sed obuia reſponſio eſt. Armillæ enim in circulum flectebaotur, qui ea vtroque capite ſuis anſulis inuicem inſertis innectebatur. Iis anſulis non dubium quin perforari maxillæ poſſent, ſi illis interciperentur.

At adhuc turbat quod ſæpiùs in ſacris litteris armillæ, non brachio, ſed maoibus tribuuntur. c Gen 24. 30. *Cùm vidiſſet*, inquit [c], *Laban inaures & armillas in manibus ſororis ſuæ.* Et Deus ad Ieruſalem d Cap. 16. 11. apud Ezechielem [d]; *Dedi*, ioquit, *armillas in manibus tuis.* Sed id intelligendum, noo quod manus armillis ornarentur; ſed quod traditæ manibus acciperentur. Et idem eſt *tradidi armillas in manibus tuis*; ac tibi, & in tuam poteſtatem. Aliud enim armillas eſſe, aliud ornatum, qui manus iuncturæ cinguntor, Chryſoſtomus apertè docet. Explicans enim Iſaiæ verba, quæ nos in vulgata habemus, *Auferet* ..... *& monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia*; ipſe ſic legit & interpretatur; *Armillas aureas ad decorem brachiorum circumpoſitas. aliud item genus brachialis, alia item ornamenta circa manuum iuncturas.* Poſtrema enim hæc ſunt quæ nos vulgo *braccialetti & maniglie* plane ab armillis diſtincta quæ brachiis ad humeros circundatæ.

Botronatus.

VOcem iſtam Tertullianus, & Cyprianus pro *mitra* repoount, quam noſtra vulgata legit in Iſaia; *Torques*, inquit, *& monilia, & armillas & mitras.* At Cyprianus. *Et armillas, & botronatum.* quo pacto legerat etiam Tertullianus; quem in eo libro Cyprianus æmulatur, non ſolum ſententias, ſed etiam verba mutuatus. Quid ergo *botronatus?* Rhenanus redimiculum putat adſtringendo capillo paratum, ita dictum, quod botri formam referret. Nec aliud ſana probabilios adduci poteſt, niſi mitræ ſpeciem fuiſſe, quam D. Chryſoſtomos generali vocabulo appellat *textile crinibus implicandis accommodum, & ornando capiti circumpoſitum.* Qoa de re cum plura ſupra, vbi de turribus fronte & vertice in cultu capitis, hic aliud non addo: tantum adiungo *botronatum* videri in apicem deſiiſſe. Vnde Tertullianus; *Nullas*, inquit, *lunulas Iſaias reprobet, nullum botronatum retundat.* Si enim retundi debebat, in acumen exibat: & inde eſt quod alibi Tertullianus idem queritur in capite mitrato cornua geſtari. Quem verò *botrum* inter ornamenta muliebria Pollux enumerat, eundem ſine dubio cum botronato fuiſſe putandum eſt.

Brachialia.

IDem videntur eſſe quod armillæ; ſed D. Chryſoſtomus [e] videtur per illa generalius quid accipere quod in *armillas & brachiola* diſtinguit: e In Iſaiam cap 3. illas, quæ prope humeros brachia cingebant, hæc quæ manuum iuncturæ complicabaotur.

Bulla.

QVamuis eſſet apud Romanos inſigne nobilitatis in pueris; erat tamen etiam bulla inter oroamenta fœminarum. Auro conſtabat in figuram cordis efficta. Propterea pueris attributa, vt eo argumento docerent ætatem illam alieno corde, & conſiliis, quibus regeretur egere. Apud Orientales regij cameli, & iumenta bullis ad collum aureis ornabantur, vt in libro Iudicum indicatur [f]. *Surrexit*, inquit, *Gedeon, & interfecit Zebea, & Salmana; & tulit ornamenta & bullas quibus colla regalium camelorum decorari ſolent.* f Cap. 8. 21. Bullis ergo pueri, fœminæ, cameli decorati: Quod quid arcanæ ſignificationis poſſit habere; difficile non eſt diuinare. Cæterùm ad hoc ornamenti genus improbabile non eſt in Canticis alludi, cum ſponſus alloquens ſponſam; *Pone me* [g], inquit, *ſicut ſignaculum ſuper cor tuum.* Erat g Cant. 8. 6. enim vt dixi, bulla cordis figura, & à collo demiſſa, cordi etiam applicabatur. Tertullianus alicubi [h] refert *Parthos per omnia membra corporis grana pretioſa ſuſpendere vice bullarum.* h In Cul. fœm. c. 7.

Capillatura.

QVam Princeps [i] Apoſtolorum damnat in fœminis, putatura nonnullis idem, quod *capillitium, capillamentum & corymbium.* ornatus nempe capitis ex adſcititiis capillis aſſutus. Sed i 1. Petri 3. 3. perſpicue falluntur. Adnata enim coma capillitij, capillamenti & capillaturæ nomine, tam in viris, quàm fœminis deſignatur; licèt eo loco Petrus alienos capillos intelligat; non quod capillatura id ſignificet, ſed quod extrinſecam capillaturam cum damnet, aliud non poſſit intelligi, quam corymbium, de quo paulo poſt.

Catena.

ILla omnia ornamenta ſunt, quæ vulgo etiam nomen retinent, & à ſacris Patribus dum ardens ſtudium ornatus in fœmina damnant, vinculorum nomine deſignantur, vt à Tertulliano, Ambroſio, Hieronymo, & Cypriano. Toto autem corpore applicabantur, vt ex his Plinij colligitor in vſu auri mulierum luxus deplorantis. *Diſcurrunt*, inquit, *catenæ circa latera; vt incerta margaritarum pondera è collo dominarum auro pendeant.* Eius autem diminutiuum *catella*, eſt,

patua catena ſcilicet quod verbum ad certum ornamenti genus in fœminis vſurpauit Horatius meretricis aſtum deſcribens.

a lib. 1. ep. 18. *[a] ——— ſæpe catellam,*
Sæpe periſcelidem raptam ſibi flentis.

b Dec. 4. li. 9. In viris verò Liuius [b] cum ſcribit Quiotum Prætorem ſuos equites catellis, & fibulis ornaſſe.

Circulus.

GEnerale nomen ad plura genera ornamentorum, vt annullos, armillas, inaures, monilia, torques. Propriè vero ſignificare videtur, ornamenti genus, quo collum cingebatur, vt armillis brachia; de quo plerique Virgilij [c] illud intelligunt. c lib. 5.

Flexilis obterti, per collum it circulus auri.

Alij aureos annulos fuiſſe dicunt, qui à fronte ſuſpenſi ante faciem ventilabantur, naſo, genis, naribus obertantes. Ad quod alludi putant à Salomone [d] dum dicit. *Circulus aureus in naribus ſuis mulier pulchra, & fatua.* Apud Ezechielem circulus apertè poni videtur pro inaure; licèt D Hieronymus circulos à fronte dependulos interpretatur. Exponens enim verba Prophetæ [e]: *Dedi circulos auribus tuis. Vſque hodie*, inquit, *inter cætera ornamenta mulierum ſolent auri circuli in os ex fronte pendere, & imminere naribus.* Sed de hoc iterum paulo poſt cum de *frontali*.

d Prou. 11.
e Ezech. 17.

Corymbium.

ILlud eſt quod paulo ante dixi, ornamentum ſcilicet ex appoſititia coma, vix vt à natiuo capillo diſcerneretur. Erat autem id tantùm proprium fœminarum; galericulus verò de quo paulo poſt, etiam virorum: quod corymbium fuſiores comas haberent; galericulus attonſam referret. De corymbio autem Petronius [f]. Vbi de puero narrat, qui in diſſimulationem ſexus ornabatur. *Ancilla Triphena*, inquit, *Gytonem in partem nauis inferiorem ducit, corymbioque pueri caput adornat, acu ſupercilia profert è pyxide.*

f In ſatyr.

Dextralia.

FOemineis ornamentis ſæpius [g] adnumerata. Idem fuiſſe quod dextrocheria cenſentur. De quibus D. Ambroſius [h]. Quod antem, aut quale ornamentum propriè eſſet, & vt ab armillis diſtinctum; non admodum liquet. Probabile mihi eſt fortaſsè quæ nos *braccialetti è maniglie*, dextralia & dextrocheria appellata. Quod dexteræ carpo maximè applicarentur. Quam enim fœminæ ſæpius oſtentabant, eam etiam magis ornatam habebant; contra quam viri, quiquid in aſſiduo opere ſint, ſi quid ornatus in manibus circunferunt, ſiniſtræ ablegant; vt illis dextera ſit expeditior. Refert Iulius Capitolinus de Maximino ad magnitudinem illius proceritatemque prodendam, vſum illum fuiſſe pro annulo dextrocherio vxoris ſuæ.

g Exod. 35. Num. 31. Iud. 10.
h In vita S. Agnet & lib. 3. de Virgin.

Diſcriminale.

QVod alij *diſcerniculum*. Si non pecteo eſt, quod aliud ornamentum, ſit incertum eſt. Volunt aliquid acum eſſe; alij *vittas*, quibus flocci crinium ſeorſim circumligabantur in ſpiras. Quod enim ſertas alias, ab aliis diſcernerent, diſcriminalia appellata. Sed vtroſque refellit Iſaias qui *acus, vittas, & diſcriminalia* vt diſtincta recenſet. Fortaſſe ſingulæ aureæ erant interſtitium regentes, quo capilli hinc inde diſcreti, fœminarum frontem aperiebant vt alicubi loquitur Tertullianus [i].

i De velan. virgin.

Frontalia.

ERant quæ nunc nos generali vocabulo *gioielli*. Fœminæ capiti ea ita figunt, vt ante frontem ludere ſinant erratico lapſu: noſter interpres hoc genus ornatus intellexit, cum quod in Iſaia Hebraicè eſt נזם *nezem*, & Theodoretus vertit ornamentum naſi, ipſe reddit *gemmas in fronte pendentes* pro quo aliæ verſiones habent *frontalia*. Sed alij frontalia veterum putant, quæ noſtræ nunc fœminæ dicunt *la teſtiera*.

Galerus, & Galericulus.

ALiquando eſt ſimplex capitis operimentum; de quo nos ſupra pluribus & illud Claudiani [k] eſt accipiendum. k lib. 1. de rapt.

Cyllenius adſtitit alis
Somniferam quatiens virgam, tectuſque galero.

Aliquando ornamentum & tunc tegmen eſt aptè ex alienis capillis extructum, quo vtebantur fœminæ ad deformitatem natiuæ comæ tegendam. Vnde illud eſt Iuuenalis de [l] Meſſalina. l Sat 6. 120.

Sed nigrum flauo crinem abſcondente galero.

Aut etiam viri ad caluitium diſſimulandum; vt de Othone [m] ſupra retulimus; qui cum raros capillos haberent, ad id occultandum *galericulo*, inquit Suetonius, *vſus ita adaptatè & adnexo, vt nemo dignoſceret.* Galeri verò in fœminis Tertullianus meminit; vt ſupra retulimus cum de capillis adſcititiis ageremus [n]. *Affigitis*, inquit, *neſcio quas enormitates ſubtilium atque textilium ornamentorum nunc in galeri modum, quaſi vaginam capitis, & operculum verticis.*

m Suet. in Ot. c. 12.
n Cap 7 de cul.

Gemma.

PRæcipuum inter ornamenta fœminea locum ſortitæ, quæ ſolæ ſibi ſufficiunt, & ſine quibus alia quæ ornatui comparantur languere videntur. Eæ toto corpore ſpargebantur, vt ſupra dixi. Sed intereſt diſcrimen agnoſcere inter lapillos, gemmas, & margaritas. Licèt enim plerumque confundantur; propriè tamen diſtincta ſunt, vt Cicero clarè ſignificat dum dicit *nullam gemmam, aut margaritam in Sicilia fuiſſe, quam Verres diligentiſſimè inueſtigatam non fuerit ſuffuratus*. Sed in quo diſcrimen hoc ſitum; ambigitur. Alij putant gemmas genus eſſe ad omnes lapides pretioſos; margaritas, certas ſpecies, quas vulgò perlas & vniones. Alij gemmas integras, margaritas perforatas. Sed vſus bonorum auctorum indicat lapillos gemmas eſſe non perſpicuas; gemmas perſpicuas cuiuſcunque coloris; margaritas tantùm albas. Nec dubium cùm Iſaias comminatur ablaturum Dominum ornamenta calceamentorum; de gemmis intelligere: quæ non ſolum capiti, monilibus & veſtibus ipſis; ſed etiam calceis inſerebantur. Tertullianus [o]; *Latent in cingulis ſmaragdi, & cylindros vagina ſua ſolus gladius ſub ſinu nouit, & in peronibus vniones emergere de luto cupiunt. Denique*

o De hab. mul. c. 7.

iam

iam gemmatum habent, quod gemmatum eſſe non debet, ſi non comparet. Emergere, inquit, vniones de luto cupiunt, nempe quia calceamentis inſerti. Vnde Plinius; *Quin*, inquit, *& pedibus nec crepidarum tantùm obſtragulis; ſed totis ſocculis addunt. Neque enim geſtare iam margaritas, niſi calcent, ac per vniones etiam ambulent ſatis eſt.* Hunc luxum coërcere aggreſſus eſt Alexander Seuerus, de quo refert Ælius Lampridius *gemmas eum de calceamentis & veſtibus abſtuliſſe.* Poſtea ſubdens; *oblatas ſibi gemmas vendidiſſe, quod muliebre eſſe diceret, gemmas poſſidere; quæ neque militi dari poſſent, nec à viris haberi.*

Inaures.

ORnamentum notiſſimum, de quo ſæpiùs in ſacris & externis literis eæ quam pretioſæ eſſent aliquando, & cuius impenſæ; ſupra nonnihil attigimus. Hic tria tantùm diſtinctiùs explicaſſe ſuffecerit. Primò formá illarum & materiam, Secundò. Quomodo auribus aptarentur. Tertiò à quibus geſtatæ. Illarum forma non vna erat: aliquando ſimplex, cum nimirum integræ tantùm gemmæ, & puræ ſuſpendebantur, vt erant *cilindri*, de quibus proximè Tertullianus, & ante illum Plinius. Aliquando & variè effigiatæ; ſiue cum ſingulæ gemmæ inſculpebantur, ſiue cum gemmæ ſimul & aurum in figuram aliquam floris, vel auiculæ formabantur. Vt plurimum autem non aliæ gemmæ, ſed vniones & margaritæ in id aſſumptæ Plinius de vnionibus loquens. Hos, inquit, *digitis ſuſpendere, & binos ac ternos auribus fœminarum gloria eſt.* Ex his verò qui ſunt faſtigiata longitudine, dicit elenchos appellatos ad inaures maximè expetitos de qui-
a Iuu. ſ. 6. 456. bus Iuuenalis [a]

Nil non permiſit mulier ſibi, turpe putat nil,
Cum virides gemmas collo circundedit; & cum
Auribus extenſis magnos commiſit elenchos
Intolerabilius nihil eſt, quàm fœmina diues.

Has *margaritas* proprio vocabulo D. Ambroſius appellat, cum verba refert Agnetis ad Præfecti filium loquentis. *Alium*, inquit, *amatorem habeo qui tradidit auribus meis ineſtimabiles margaritas.* Cùm dicit *ineſtimabiles*, alludit ad incredibilis pretij magnitudinem, quo margaritæ & grana inauribus inſerta taxabantur. Ea quibus duo Cleopatræ, millies ducenties ſeſtertium æſtima-
b lib. 8. c. 35. ta (qui ſunt tres noſtri milliones) Plinius [b] auctor eſt.

At quomodo auribus aptabantur? Difficultatem facit ea vna parte, quod illis perforatis indita
c De hab. vir. c. 9. dicuntur. Cyprianus [c]; *Non inferantur*, inquit, *auribus vulnera.* Et Tertullianus, *ſcrupuloſa ſcilicet Deus, auribus vulnera intulit, & tanti habuit vexationem operis ſui, & cruciatus infantiæ tunc primum dolentis, vt ex illis cicatricibus grana neſcio quæ penderent.* Ex altera verò parte magni ponderis gemmas aceruatas, & in auribus inſertas accepimus. Quas ſi perforatis auribus geſtabant; quomodo non auris in ima caruncula tandem fatiſcens lacerabatur? Propter hoc ergo puto ponderis leuioris inaures ea ima parte tantum vulneribus iam factis & obductis immiſſas. Quæ verò grauioris erant, circumſecus & tota aure fuiſſe ſuſpenſas.

A quibus ergo geſtatæ? A fœminis omnis ætatis, & in quibuſdam regionibus etiam à viris. Fœminæ enim non grandiores tantum, ſed adhuc infantulæ, genere hoc ornatus excultæ. cum enim ad id opus eſſet aures perforatas habere, tenera adhuc ætate eas perforabant; quod tunc caro minori diſcrimine, & leuiore doloris ſenſu ſcinditur. Ad quem cruciatum, vt infantulæ quantuluſcunque eſſet obdurarent, alio lenocinio non vtebantur, quam oſtentatione gemmarum. Quibus vt ornarentur faciles ſe vulneri præbebant; Adeo mundities & cultus ille ſexus eſt amans, vt etiam cùm nihil aliud ſentit, ardorem hunc ſentiat. De his aurium vulneribus in infantulis poſt Tertullianum Cyprianus, illa quoque
deteſtãs [d]. *An vulnera inferri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc infantia, & mali ſæcularis ignara cruciatur; vt poſtea de aurium cicatricibus & cauernis pretioſa grana dependeant, & graui, ſi non ſuo pondere mercium quantitate?* Sed id in fœminis poterat tolerari; etiam viri perforabant aures, vt ex illis grana pretioſa penderent; non tamen id in vſu Romanis; ſed Orientalibus tan- d De hab. vir. c. 6.
tùm, & barbaris procul remotis. Plinius [e] loquens de auribus. *Nec in alia parte*, inquit, *fœminis maius impendium, margaritis dependentibus. In Oriente quidem & viris aurum geſtare, eò loci decus exiſtimatur.* Quæ Iuuenalis Orientales in Vrbe cognitos dicit, ea auribus vulneratis. e lib. 11. c. 37.

Natus ad Euphratem molles quod in aure feneſtra
Arguerint, licèt ipſe negem ———

Minus ergo mirum eſt quod etiam Hebræis id in vſu fuerit apud quos ab antiquiſſimis temporibus viri quoque ſuis inauribus vtebantur. Indicat id Aaronis oratio populum alloquentis, & pretioſa quæque ornamenta poſtulantis; vt ea illis deos, quos ipſe flagitauerat, conflaret [f]. *Tolli*- f Exod. 32. 2.
te, inquit, *inaures aureas de vxorum, filiorumque & filiarum veſtrarum auribus & afferte ad me.* Hoc enim Aaron poſtulauit, vt ab inſana petitione populum deduceret; qui dixerat [g]; *fac nobis Deos,* g Ibidem.
qui nos præcedant. In qua tamen perſeuerauit; & inaures ſuas tam viri, quàm fœminæ conflando vitulo contulerunt. Rectè enim id quia cùm inaures obedientiæ ſymbolum ſint, illarum depoſitio inobedientiam ſignat. Ea inauribus ergo depoſitis conflatus eſt vitulus; quia *ex inobedientia venitur ad idololatriam*; & quaſi *peccatum ariolandi eſt, nolle* [h] *acquieſcere.* h 1. Reg. 5.

Lunulæ.

HAs Iſaias proximè poſt calceamentorum ornamenta ſubiungit: vt poſſet forraſſe quiſquam ſuſpicari ſpectaſſe eas ad ornamenta pedum, cum præſertim calceis olim lunulæ ad ornatum, & argumentum nobilitatis inderentur. Sed de lunatis calceis à nobis alibi dictum; quæ ſi recolantur, conſtabit, ornamentum calceamentorum lunulas hic ab Iſaia poſitas, eſſe non poſſe. Quod ergo ornamenti genus, aut quarum partium? D. Hieronymus *bullas* putat ante pectus ex collo dependulas in lunæ effigiem formatas. Chryſoſtomus non ad pectus, ſed ad collũ ornandum putat aſſumptas. quod videtur ſentire inter eccleſiaſticos ſcriptores Aldelmus [i] plura ſimul i De virg. c. 25.
ornamenta complexus propria fœminarum. De duabus enim ſanctis virginibus agens, quæ omnem mundum ſuum cultumque muliebrem pauperibus erogarant, *ornamentorum gloriam*, inquit, *tam diſcriminalia capitum, & periſcelides crurum, quam olfactoriola nardi, & crepundia collo, gemmi-*

feris lunulis pendentia ad ſtipem mancis, & matriculatis prodiga liberalitate contulerunt. Et iterum[a]

a Cap. 8. ibid.

Collum lunulis, & lacertos dextralibus oruari, & gemmiferis digitorum annulis concupiſcis. At Latinis, & priſcis auctoribus *lunula* videtur annolis, quibus ornantur digiti, adnumerari. Plautus;

Lunulam, atque anellum aureum in digito.

Sane non eſt in his diu inquiſitio torquenda. tot enim næniæ, tot gerræ, tot titiuilitia, tot nugaciſſimæ nugæ mundo & ornatui muliebri computantur, vt immenſi ſit operis inter illa certum diſcrimen ponere. Et verò aliquando exiguum eſt, quod inter ſe quædam diſtant, niſi quod alio nomine cenſantur. Id quod à fœminis ſtudioſè factum pleriſque notant vt ea ratione viris imponant, dum non idem; ſed diuerſas res ſubinde videntur expoſcere, & ab inſtitoribus licitari.

Mamillare.

b Cap. 2.

FAſcia pectoralis erat, cuius & hic in Eſaia, & alibi etiam mentio apud Ieremiam[b]. *Nunquid*, inquit, *obliuiſcetur virgo ornamenti ſui, aut faſcia pectoralis ſua? Populus vero meus oblitus eſt mei diebus innumeris.* Et poſſet hic eſſe dubium, vnde tantopere faſcia pectoralis amaretur, vt à Domino in ſymbolum vehementis amoris adducatur. Sed cùm papillæ pectorali faſcia tegerentur, ea tanto ſtudio ſeruabatur, quanta erat, aut eſſe debebat virginibus cura pudoris. At nunc in pleriſque ſaltem regionibus aliter fit. Nihil enim vilius videtur eſſe, quam faſcia pectoralis. quippe cuius pleriſque fœminis nullus iam vſus ſit; quæ ſic mamillas totas alienis oculis ingerunt, vt cum procedunt in publicum primum omnium, quod in illis etiam à longè conſpicitur, non facies, non manus, ſed mamillæ ſint. Iſtis profecto fruſtra Deus ingentis ſupplicij loco comminatus eſſet, faſciæ pectoralis ablationem, cuius apud illas nullus eſt vſus; & quam etiam vltro deponunt. ſed de hoc aliàs.

Mitra, & Mitella.

DE hac, ſupra ſatis; hic tantum nonnihil addendum, vt error Ioſephi Scaligeri reuincatur, quem, Deum ſui putant, omnis politioris eruditionis. Hic[c] enim cum mitram, vt alij omnes ornamentum capitis dicat in fœminis; vt aliquid tamen diceret præter omnes, in quo ſolus ſapere videretur, adiunxit *mitram* proprium fuiſſe vetularum. Adducit Ouidium[d]

c In Virgil. Cap.

d lib. 3. metam.

—— Simularet anum, mitraque capillos
Preſſerat —

Et alibi.

Illa modo mitra canos incincta capillos
Fingebat tremula ruſtica liba manu.

Manifeſtè tamen redarguitur ex illo ipſo Virgilij opere quod hoc dum tradit, explanat. Ibi enim de Copa ſaltatrice, & adoleſcentula loquens Virgilius;

Copa Syriſca caput Graia redimita mitella
Criſpum ſub crotalo docta mouere latus.

In ſacris literis vero res eſt exploratior; vel ex hoc vno Iſaiæ loco, in quo inter ornamenta præcipua, quibus adoleſcentulæ excoluntur, *mitra* numerantur. Nec puto beata Iudith Holopherni vetulam ſe probare volebat, cum exquiſitiſſimè culta prodiret, *mitra* caput ornauit. Nec de vetula loquebatur Catullus[e] cum de Ariadna ſcripſit in ipſo ætatis flore.

e In Argonaut.

Non flauo retinens ſubtilem vertice crinem.

Dicendum ergo mitram muliebre ornamentum fuiſſe, maximè iuniorum, aut quæ ætatem diſſimularent. Vnde Iuriſconſultus eas non virginibus, aut ſponſis, aut ſolis adoleſcentibus adſcribit; ſed vniuersè toti generi, pronuncians inter ornamenta muliebria *mitras* habendas, vbi cuipiam ornamenta muliebria legata fuerint. Qualis autem ornatus eſſet, qua forma & materia; ſupra pluribus indicauimus. Hic expreſſius adiungo, mitras criſpatas fuiſſe reticulato opere ad capillos adſtringendos aptè contextas, vt D. Hieronymus[f] indicat. De Bleſilla ad Marcellam. *Tunc crines ancillula diſponebant, & mitellis criſpantibus vertex arctabatur innoxius.* Tæniis autem, vittis, aut faſciis conſerebatur: vnde plerunque non ſolum teris ſed ſimplici *tænia, vitta, faſcia* nomine mitræ deſignantur. Ob id etiam generali vocabulo *corolla*, aut *corona* aliquando appellatæ, quod caput ornando redimirent. Proprium enim mitræ erat ſic capillos adſtringere, vt quodammodo coronarent. Sic Virgilius mitra redimitam dixit, & Ouidius[g].

f Ep. 2 5.

g Ep. Deian.

Auſus eſt hirſutos mitra redimire capillos.

Reticulum verò mitram etiam appellatam Iuuenalis[h] illud oſtendit

h Sat. 2.

Reticulumque comis auratum ingentibus implet.

Monile.

GEnerale nomen eſt ad omnes circulos aureos, aut ex alia materia; qui tamen ad ornatum parentur. Vnde non ſolùm torques, lunulæ, muſtenulæ, ſed etiam inaures aliquando complectitur. D. Hieronymus[i] eius ſignificatum latiùs extendit, omne genus muliebris ornamenti eo contineri dicens & alibi[k] monilium etiam nomine inaures expreſſit. *Hæc*, inquit, *monilia in pectore, & in auribus tuis hæreant.* Propriè tamen monilia collo ſuſpendebantur in modum catenæ auro & gemmis pulchra varietate contextæ. Cyprianus illorum ſimul vſum pretium, & artificium deſcribit[l]. *Nec diſtinctis auro, lapillis, & margaritis contexta ſerie, & numeroſa compage diſtinctis monilia Deus inſtituit: quibus ceruicem, quam fecit abſconderes; vt operiretur illud quod in homine ipſe formauit. Et conſpiceretur id deſuper, quod diabolus adinuenit.* Ceruicem abſcondere dixit, quod ex *collo* monilia ſuſpenderentur. Ouidius[m]

i In Cap 3. Iſa.

k ep. 8. ad Demetr.

l De hab. Vir. c 6.

m Metam. 5.

Ornabant aurata monilia collum.

Et ruſus[n]

n lib. 10.

Pendebant tereti gemmata monilia collo.

Quod autem Cyprianus margaritis dicit illa contexta, confirmat id etiam Virgilius *baccata* monilia appellans: baccæ enim margaritæ ſunt.

colloque monile
Baccatum, & duplicem gemmis auroque coronam.
Ferre iubet. —

Ob id ſponſæ collum in Canticis monilibus comparatur: quod ſuo natiuo bono, ſine alio monili, eundem fulgorem referret candore permixtum, quem ſolent collo & ceruici monilia conciliare[o]. *Collum tuum*, inquit, *ſicut monilia.* Ipſum ſibi monile eſt, nec eo indiget, vt aureo candore reſplendeat. In collo enim & ceruice candor rubore mixtus laudatur: à margaritis autem monilia candebant, ſimul & ab auro rutilabant. Cæterùm cùm margaritæ auro flexili inſerebantur,

o Cant. c. 1.

Digitized by Google

ferebantur, vt è collo penderent, monilia propriè erant, que nunc *vezzi* dicuntur. Vbi vero ſolæ margaritæ conſerebantur, ornatus is *viria* & *viriola* dicebatur. De quibus in iure ciuili crebra mentio. D. Ambroſius alicubi hoc nomine vſus
a Gen. c. 24. eſt dum quod in vulgata [a] habemus *armillas*, ipſe *virias* transfert. Sed cum viriæ ſint *margaritarum linea*, quæ brachiis etiam poſſunt adaptari, & collo, & manibus non dubium quin armillæ quoque & dextrariola viriæ dici poſſint.

Murenula.

MOnilis ſpecies ea marini piſcis imagine vocabulo conformata inquit Hieronymus: ea virgis enim auri, & argenti quadam flexuoſi ordinis catena contexebatur: ob id & flexu, & varietate coloris illius piſcis imaginem referebat. Hinc ſponſi comites murenulas ſpon-
b Cant. 1. 10. ſæ promittentes, eas argento vermiculatas expreſſerunt [b]. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Quod genus picturæ plano opere punctis duntaxat ſtellularum more micantibus ad effigiem rerum, & animalium formabatur. Sub murenulis anguiculæ, & ſerpentes, aureæ catenæ genus, continebantur ad quæ Clemens Alexandrinus alludens dicit alicubi quod *quemadmodum Euam ſerpens decepit; ita etiam alias mulieres mundus muliebris aureus eſca vtens ſerpentis figura, in probra impellit; aureas quaſdam murenulas & ſerpentes ad decorem affingens.*

Olfactoriola.

c Cap. 3.
d Cant. 1. 12. DE quibus Eſaias [c]. Illa ſunt, ad quæ puto ſponſa reſpexit, cùm dixit de ſponſo ſuo [d], *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter vbera mea commorabitur.* Erant enim olfactoriola, pyxidulæ perforatæ, rotunda ſpecie pomum, aut quid ſimile referentes; quibus pretioſus odor includebatur; ante pectus è collo dependulæ; vt inde naribus odor afflaretur. Eas pyxides *olfactoriola* noſter interpres hic appellauit; Hebraicè בית נפש *Beth nephes* dicuntur, id eſt, *domus pectoris*, vt volunt aliqui; vel, vt alij melius, *domus animæ*, in quibus anima, halitus ſcilicet ſuauiſſimus, ea quo vires anima colligebat, continebatur. Faſciculum, inuolucrum, colligationem ſponſa tale vaſculum appellauit, quod inter vbera locandum dicit; quia propria ſedes olfactoriolis ad pectus & vbera. Neſcio quid ad ſimilem vſum reticulum appellauit alicubi Cicero. Loquens enim de Verre, *Ipſe*, inquit, *coronam habebat vnam in capite; alteram in collo, reticulumque ad nares ſibi opponebat tenuiſſimo lino minutis maculis plenum roſa.* Faſciculum nempe, ſiue colligationem, & inuolucrum myrrhæ deſcribit, aut alterius floris & aromatis odorati. Malè igitur qui *olfactoriola*, ſiue *domus animæ* vaſa interpretantur in quibus domi ſeruarentur vnguenta. Proprie enim olfactoriolum vt nomen indicat, vaſculum ſignificat ad odorandum, non repoſitorium ad vnguenta cuſtodienda.

Periſcelides.

ERant ornamenta crurum. Græcis enim σκέ-
e De cul. fam. c. 13. λος *ſcelos* crus eſt: vnde Tertullianus [e]: *Diſcutienda ſunt delicia, quarum mollitie & fluxu fidei virtus effeminari poteſt. Neſcio an crus de periſcelio in neruum ſe patiatur arctari.* Nobile illud equeſtris ordinis apud Anglos inſigne, quod illis appellatur *la gartiera*, periſcelidem,
vel periſcelium, clarus hiſtoricus [f] appellauit; f Paul. Æm. lib. 2. hiſtor. franc.
aptè ſanè rem nouam veteri vocabulo. Eſt enim non aliud apud illos *la gartiera*, quam cruris ad genua ligamentum; quod cum auro & gemmis diſtinctum ornatus gratia adhibetur ipſam periſcelidem refert antiquorum.

Spatalium.

DE hoc etiam Tertullianus poſt verba proximè præmiſſa; *Neſcio an manus ſpatalio circundari ſolita in duritia catena dureſcere ſuſtineat.* Ex quo loco ſatis apparet ornamentum manus fuiſſe: quale vero fuerit; incertum, niſi quod exquiſiti cultus fuiſſe nomen ipſum indi-
car à σπαταλᾶν *ſpatalao* [g] quod eſt, *deliciari*, de- g Renan. in Tert. de cul. fam.
ductum. Turbat autem quod alicubi Plinius [h]
tradit, *ſpatalia à mulieribus confici è frutice ploca-* h lib. 13. cap. 25.
mo. Quod ſi eſt; ex auro ſpatalia non fuerunt. Extra aurum autem ea ſolo frutice quis ornatus conflari poterat, in quo manus deliciarentur? Puto ergo ſpatalia de quibus Plinius, aliud quid eſſe à ſpatalio Tertulliani: qui hoc nomine aliud non intellexit, quam qui nunc vulgo *braccialetti, ò maniglie.*

Torques.

ORnamenti genus notiſſimum, cuius vſus
tam virorum proprius, quam fœminarum. i Liu. lib. 7. dec. 1.
De viris; nota res eſt ex Manlio qui Torquati [i] nomen adeptus, quod torque donatus eo ornamento virtutis inſignis inter alios conſpiceretur. De fœminis; notius eſt, quam debeat explicari.
LXX. hîc apud Eſaiam, & iterum apud Ezechie-
lem [k] κάθεμα *cathema* dicunt, quod Hieronymus k Cap. 16.
torquem vertit. Et eſt hîc propriè, quod generali nomine *catena* dicitur. Vt autem intelligatur, quid fœminis ipſis, & aliis, quibus illæ ie comunt, tot ornamenta ſint, in hoc catenæ vocabulo muliebrium ornamentorum catalogus abſoluatur.

An, & quatenus viris, & fœminis in cultu corporis, & veſtium mundities, & ornamenta permiſſa ſint.

CAPVT II.

HOc à nobis proponitur accuratiùs paulò diſcutiendum, vt diuerſa de hoc argumento Scripturæ loca, quæ prima ſpecie pugnare videntur explanemus. Primò autem agemus de fucis, & pigmentis; tum, de cura capilli, tertiò, de vario ornatu in veſtibus & toto corpore. Et hæc omnia ſeorſim priùs de fœminis quæremus.

* * *

a Cap. 24. Ad locum Ezechielis. [a] Ecce venerunt quibus te lauiſti, & circunliniſti ſtibio oculos tuos, & ornata es mundo muliebri. Sediſti in lecto pulcherrimo, & menſa ornata eſt ante te.

An, & quatenus uti fœminæ liceat fuco colorum ad faciem, capilloſque fingendos.

§. I.

Difficultatem facit ex vna parte quotidianus vſus, qui ſi non laudatur, nec etiam à Chriſtianæ vitæ magiſtris vt noxius improbatur; argumento non dubio nihil in eo lethalis piaculi contineri. Nec enim ſi id eſſet lethali culpa paſtores in tanta corruptelæ illecebra, tanta diſſimulatione conniuerent. At ex altera parte turbat ſanctorum Patrum veneranda phalanx, qui iunctis animis & vocibus vſum omnem fucorum ad faciem capilloſque tingendos abſolutè damnant; vt improbum, vt probroſum, vt deteſtandum. Quod à multiplici capite deducunt. Primò, quod iniuriam Deo inferat. Secundò, quia mendacij ſpecies ſit. Tertiò, quia dolo malo permixtum. Quæ ſingula priuſquam illorum verbo expono, præmitto *faciem fucare pigmentis & colore capillum*, dupliciter poſſe ſpectari. Primò in ſe. Secundò ratione finis, aut alterius circunſtantiæ, cum qua id iunctum, aut quæ ex illo ſequatur. Hic non quærimus an aliunde ſpectatus faciei fucus & capilli damnandus ſit; vt ſi finis non bonus accedat, ſi lapſus inde aliis paretur, ſi nimis eius in impenſa excedatur. Sed an ipſe per ſe & in ſe conſideratus culpari debeat, an permitti; nuſquam alio relatus. In hoc ergo ſenſu Patres ita loquuntur vt omnem fucum prorſus improbare videantur; quod eius vſus lethalem noxam contineat: & id, vt dicebam, ex illo triplici capite.

Primò, quia Deo iniuriam inferat. Quomodo id? Eius opus interpolando, & quaſi degeneris artificis corrigendo. Cyprianus [b]. *Manus Deo inferunt, quando illud quod ille formauit reformare, & transfigurare contendunt, neſcientes quia opus Dei eſt omne quod naſcitur; Diaboli quodcunque mutatur.* Et poſtea verba ſubdit, quæ D. Auguſtinus [c] in exemplum grandis dictionis adducẽs, non minus probat ob veritatem ſententiæ, quam ob elegantiam verborum; *Si quis pingendi artifex vultum alicuius & ſpeciem, & corporis qualitatem æmulo colore ſignaſſet; & ſignato iam conſummatoque ſimulacro, manus alius inferret, vt iam formata, iam picta, quaſi peritior reformaret; grauis prioris artificis iniuria, & iuſta indignatio videretur. Tu te exiſtimas impunè laturam tam improbæ temeritatis audaciam?* Et poſtea profeſſus exerte hoc in ſe ſpectatum, nullum licet inde aliorum periculum ſequatur damnandum eſſe; ſubdit. *Vt enim impudica erga omnes, & inceſta, fucis lenocinantibus non ſis; corruptis, violatiſque, quæ Dei ſunt, peior adultera detineris.* Tandemque cum dixiſſet ornatum hunc, & cultum, impugnationem eſſe diuini operis, ſic concludit; *Non metuis oro, quæ talis es; ne cum reſurrectionis dies venerit, artifex tuus te ad ſua præmia, & promiſſa venientem remoueat & excludat? increpans vigore cenſoris & iudicis dicat; Opus hoc meum non eſt; hæc imago noſtra non eſt; cutem falſo medicamine polluiſti, crinem adultero colore mutaſti, expugnata mendacio facies eſt, figura corrupta eſt, vultus alienus eſt, Deum videre non poteris, quando oculi tui, non ſunt quos Deus fecit; ſed quos diabolus infecit.* Similia Tertullianus habet: à quo, vt à magiſtro, ſuo Cyprianus accepit. *In Dominum* [d] *delinquunt, quæ cutem medicaminibus vngunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt; diſplicet illis nimirum plaſtica Dei in ipſis, redarguunt, reprehendunt artificem omnium. Reprehendunt enim cum emendant; cum adiiciunt; vtique ab aduerſario artifice ſumentes additamenta iſta, id eſt de diabolo.* Obſerua non dici; in homines delinquunt; contra pudicitiam peccant; ſed *in Deum, & Dominum delinquunt*; contra illum inſurgunt; quia ipſius opera redarguunt, & artificium reprehendunt. Ac proinde cum id ſemper in ſe habeat vſus pigmentorum in facie fucanda, ſemper erit damnandus; etiam ſi nuſquam alio referatur. Id ipſum etiam Hieronymus videtur innuere [e], *Ornatus iſte*, inquit, *non Domini eſt, velamen iſtud Antechriſti eſt* (loquitur de facie purpuriſſo, & ceruſſa fucata:) *quæ fiducia erigit ad cœlum vultus, quos conditor non agnoſcit?* Nec diſſimiliter Ambroſius [f] in Deum peccare fœminas oſtendit, quæ cutem medicaminibus inficiunt, quod illius in ſe picturam ſubuertant, imaginem deleant, opus interpolent. *Deles*, inquit, *picturam mulier, ſi vultum tuum materiali candore oblinias, ſi acquiſito rubore perfundas: illa pictura vitij eſt, non decoris* ..... *tuo diſplices auctori, qui videt opus ſuum eſſe deletum. Dic mihi ſi ſupra artificem, aliquem inducas, qui opus illius ſuperioris, nouis operibus obducat; nonne indignabitur ille qui opus ſuum adulteratum eſſe cognouerit? Noli tollere picturam Dei, & picturam meretricis aſſumere.* Tandemque concludit *ſi quis adulterat opus Dei, graue crimen admittit. graue eſt enim crimen vt putes quod melius te homo, quam Deus pingat. Graue eſt vt dicat de te Deus; Non cognoſco colores meos, non agnoſco imaginem meam, non agnoſco vultum quem ipſe formaui. Reiicio ergo quod meum non eſt; illum quære qui te pinxit; cum illo habeto conſortium; ab illo ſume gratiam, cui mercedem dediſti. Quid reſpondebis?* Similem prorſus ſententiam Prudentius [g] habet. Fucum enim damnans cutis, & oculorum, hoc eodem argumento vtitur, quod Deo iniuriam faciant, eius opus, & picturam vt imperiti artificis emendando, quæ ſic fucantur;

Ac velut artificis Domini manus imperfectum
Os dederit, quod adhuc res exigat.—

Et paulò pòſt.

Dei quæ plaſmata fuco
Inficiunt, vt pigmentis cutis illita, perdat,
Quod fuerat falsò non agnoſcenda colore.

Ex hoc ergo primo capite videtur argumentum confici poſſe ad vſum pigmentorum damnandum ex auctoritate Patrum, quod ſit Deus iniurioſus. Nam quoties opus alicuius artificis ab illo abſolutum, ab altero quaſi imperfectum, interpolatur; illi artifici iniuria fit. erroris enim arguitur & imperitiæ. Sed in hoc fuco cutis, oculorum, & totius faciei, Dei ſummum opus interpolatur, & emendando corrigitur; ergo illi iniuria fit, cum tacitè imperitiæ damnetur, & quod ille abſoluerat, improbetur.

b De hab. vir. c. 6.

c lib. 4. de doctr. Chriſtiana c. 21.

d Tertullian. de cul. fœm. cap. 5.

e Ad Fur. de viduit. ſeru. ep. 9.

f 6. exam. cap. 6.

g In Amartigen.

Digitized by Google

Ex ſecundo capite fucos damnant, quod illis vti, mentiri ſit, & Deum mendacij arguere. Mentitur enim quæ ſe ſic expingit. Ambroſius [a]; *Si pulchra es; cur abſconderis? ſi deformis; cur te formoſam eſſe mentiris?* Cyprianus [b]; *Quæ omnia peccatores angeli ſuis artibus prodiderunt..... illi & oculos circumducto nigrore fucare, & genas mendacio ruboris inficere; & mutare adulterinis coloribus crinem, & expugnare omnem oris & capitis veritatem, corruptela ſuæ impugnatione docuerunt.* Et paulò poſt cum verba Apoſtoli [c] retuliſſet; *Epulemus in azymis ſinceritatis & veritatis; Num*, inquit, *ſinceritas perſeuerat, & veritas, quando quæ ſincera ſunt polluuntur; colorum adulteriis, & medicamentorum fucis in mendacium vera mutantur?* Et inde; *expugnata eſt mendacio facies; figura corrupta eſt.* Sed ad idem clariùs adhuc Tertullianus [d], ex quo ſua Cyprianus. *Quantum autem à noſtris diſciplinis & profeſſionibus aliena ſunt, quam indigna nomine Chriſtiano faciem pictam gerere, quibus ſimplicitas omnis indicitur. Effigie* [*] *mentiri, quibus lingua non licet.* Effigie mentiri dixit, quod etiam cæterni auctores pari ratione dicere de hoc ornatu loquuti. Propertius [d];

a lib. 1. de virg.

b De hab. virg.

c 1. Corint. 5

d Cap. 5. de cul. fœmin.

* al. effigiẽ, ſed male.

Vt natura dedit, ſic omnis recta figura eſt
Turpis Romano Belgicus ore color.
Illi ſub terris fiant mala multa puellæ,
Quæ mentita ſuas vertit inepta comas.

Et apud Xenophontem Iſcomachus abſolutè pronunciat *ora ceruſſa, & purpuriſſo depingere, eſſe alienam pulchritudinem mentiri.* Quod ſignatè etiam Hieronymus de hoc duplici pigmento loquens. *Quid*, inquit, *faciunt in facie Chriſtiana purpuriſſus, & ceruſſa; quorum alterum ruborem genarum, labiorúmque mentitur; alterum candorem oris & colli?* Et hoc totum, quia vt dicebat Prudentius

——*Non contenta decore*
Ingenito, externam mentitur fœmina formam.

Ex his ergo rationem ab hoc capite deductam ſic ſtringere poſſumus. Nullum mendacium, culpandum non eſt; & mentiri nunquam, & nuſquam licet; ſed oculos, & ora fucare, mentiri eſt; non verbo, ſed facto; non lingua ſed manu. Non ergo id vnquam non culpandum. Addunt Patres non ſolùm id eſſe mentiri; ſed etiam Deum arguere mendacij; quod ſacrilegam temeritatem continet in conditorem. Quomodo id? Arguta ratione probant, neſcio an ita vera. Tertullianus; *Sed enim Deus*, ait, *quis veſtrum poteſt capillum atrum ex albo facere, aut album ex atro? Hæ quæ reuincunt Deum. Ecce, inquiunt, pro atro, vel albo flauum facimus gratiæ faciliorem.* Et ex illo Cyprianus. *Dominus tuus dicit; Non potes facere capillum vnum album, aut nigrum; & tu ad vincendam Domini tui vocem, vis te eſſe potiorem: audaci conatu, & ſacrilego contemptu crines tuos inficis.*

Denique ex tertio capite idem probant; quod hic vſus fucorum ſit totus dolo malo, & multiplici fraude permixtus. Primo in ipſas vtentes. Secundo in maritos. Tertio in omnes alios. *In ipſas vtentes:* quia primæ omnium illæ decipiuntur, ab eo fine longè fruſtratæ, quem hoc fuco quærunt. Quid enim quærunt fœminæ dum fucis ornantur? Aut pulchræ fieri, aut pulchræ videri. In vtroque falluntur. Nam pulchras inde non fieri certum eſt. Ambroſius. *quæ ſe componit, vt placeat omnium in ſe oculos & ora conuertens, eo ipſo quo ſtudet placere, deformior eſt.* Et Auguſtinus de Ambroſio & Cypriano loquens, & vtriuſque verba in exemplum grandis dictionis adducens; *Inuecti ambo ſunt*, inquit, *in eas, quæ formam pigmentis colorant; aut potiùs decolorant.* Meritò ſe correxit Auguſtinus. Prorſus enim decolorantur his adſcititiis coloribus fœmina, non colorantur; inde facta deformior, vnde putat maiorem ſe gratiam venuſtatis acquirere. Nec id tantùm fit; ſed etiam putatur. Deformior enim eo ipſo creditur, quæ ſic expingitur. Ambroſius [e]; *Quanta hæc amentia; effigiem mutare, picturam quærere; & dum veretur maritale iudicium, prodere ſuum? Prior enim de ſe pronunciat, quæ cupit immutare quod nata eſt; ita dum aliis ſtudet placere, prius ipſa ſibi diſplicet. Quem iudicem mulier veriorem requirimus deformitatis tuæ; quam te ipſam quæ videri times?* Fraudem ergo prius ipſæ ſibi faciunt, omnium primæ deceptæ, quæ his fucis vtuntur.

e lib. 1. de virg.

Sed & in viros quoque ſuos non minùs fraudis admittunt; quibus aliam faciem, pro alia ſupponunt, eo ipſo pariter adulterare docentes. Forma enim alienis coloribus quæſita; non illarum propria, ſed aliena eſt. Aliam ergo faciem maritis offerunt, & aliam illi amant, quam quæ vxoris eſt. Et hoc ipſo docent illos adulterare, dum alienam formam illis conciliant, quam verè non habent. Hoc eſt, quod D. Auguſtinus alicubi dicit; *Faciem fucare coloribus adulterinam fallaciam eſſe.* Et quod ante illum Ambroſius, *quæ quæſitis coloribus ora depingunt, dum viris diſplicere formidant, de adulterio vultus, meditari adulterium caſtitatis.* Dum enim alium vultum marito tradunt, quam qui natiuus earum eſt; eum etiam aſſuefaciunt alium vultum quam vxoris amare.

Denique in omnes alios à fœmina peccatur hoc vſu fucorum; quod inde aliis omnibus lapſus, & ruina paretur. Hieronymus ob id ceruſſam, & purpuriſſum appellat ignem iuuenum, fomenta libidinum, impudicæ mentis indicia. Tertullianus. *Si Dominus ampliãdo legem, à facto, ſtupri concupiſcentiam non diſcernit in pœna; neſcio an impune habeat qui alicui fuerit cauſa perditionis. Perit enim ille ſimul in tua forma, ſi cõcupierit; & admiſit iam in animo, quod concupiuit. Et facta es tu gladius illi .... expingamus nos vt alteri pereant. Vbi eſt ergo diliges proximum tuum ſicut te ipſum?* Hac eadem ſimilitudine D. Chryſoſtomus vtitur, Mulierem fucis ornatam igneo gladio comparando. Cur, inquit, *ignem accendis? quomodo te puram à peccato cenſes, cum illius inſaniæ tuum opus ſit? Tu gladium acuiſti, tu dexteram armaſti; tu venenum temperaſti; quomodo ergo poteris ab homicidij ſupplicio liberari?* Ex his ergo concludi poſſe videtur, ex ſententia Patrum fucorum vſum omnem eſſe damnandum, vt contra Dei voluntatem & præcepta, quemadmodum, non ſuis, ſed S. Paulæ verbis D. Hieronymus diſertè pronunciat. *Cùm*, inquit, *crebrius moneretur, vt parceret oculis, & eos ſeruaret euangelicæ lectioni; aiebat: Turpanda eſt facies, quam contra Dei præceptum purpuriſſo, & ceruſſa, & ſtibio ſæpè depinxi.*

Propter hæc & ſimilia veterum Patrum dicta, Chriſtiani nobis officij magiſtri diuiſi ſunt, & varias inde controuerſias excitarunt de licito vſu pigmentorum in facie & capillis ornandis. Alij enim omnem illorum vſum abſolutè damnarunt; vt labem mortalis criminis continentem. Alij contra, per ſe ſpectatum, nulli lethali noxæ. Alij vlterius progreſſi, nulli omnino culpæ coniunctum voluerunt; ſed inter illa locan-

Sopran. in Dauid.

dum, quæ perinde bona, vel mala ſunt, vt animus eſt, qui illis vtitur: bona, ſi bono fine, mala, ſi malo, aut aliis circonſtantiis prægrauentur. Ex hoc porro diſſidio opiniorũ alia deinde controuerſia ſequuta eſt; an poſſint Antiſtites ſacri fucorum vſum ſub anathematis pœna fœminis interdicere. Cùm enim plerique eorum in prima opinione eſſent, & iuxta illam vellent diuini verbi præcones in fœminas inuehi, quæ faciem pigmentis illiniunt; eorum vſum ſic damnando, vt peccare mortaliter teſtarentur vtentes; hoc autem iſti renuerent: illi & vſum fucorum edictis interdixerunt, & vtentes pœnis ſubiecerunt, & expiationem eorum ſibi reſeruarunt, aliis adempta facultate eos abſoluendi. Noua hinc controuerſia ſuſcitata eſt; an vſus fucorum poſſet edicto epiſcopali probiberi; cui ſi quæ fœmina non pareret, lethalem noxam incurreret, à qua tantum poſſet ex Epiſcopi mandato & facultate expiari. Quam quæſtionem Ioannes Andræas ob eximiam legum peritiam lucerna iuris appellatus, primus accuratè diſcuſſit? ab illo autem plures qui eandem tractarunt iiſdem pene verbis ſua tranſcripſerunt. Poſtea verò lis eadem longo tempore ſopita, Mediolani iterum tempore S. Caroli eſt excitata. Vicarij enim illius Patrum dicta ſequuti, quæ retulimus, vſum fucorum in facie expingenda mortale peccatum putabant. Ob id ſactis Concionatoribus exigebant vt ardentius in illum inueherent, & graui oratione fœminas pigmentis expictas, vt in eo mortaliter peccantes arguerent. Quod cùm illi renuerent, & plerique etiam omnia alia vulgarent, edicto publicè fuco & pigmenta damnarunt. & quæ iis vterentur, earum abſolutionem ſibi reſeruarunt.

Tria hîc ergo breuiter ediſſeremus. Primò quid exploratè tenendum de licito vſu fucorum in cute & capillis. Secundò quæ ſit ea de re Patrum ſententia, & an à noſtra diuerſa. Tertiò an iuſtè poſſit edicto interdici, & tranſgreſſionis abſolutio reſeruari.

Quid tenendum de fucatione cutis & capillorum ſtudio decoris inducta.

VSus fucorum dupliciter ſpectari poteſt; vno modo per ſe; alio, ex affectu, & effectu. Ex *affectu*, quo fit; *effectu*, qui ex illo conſequitur. *Per ſe, cum ſpectatur*, ex ſuo genere & obiectu ſpectari dicitur; *ex affectu & effectu* ex fine & circunſtantiis: rurſus, cum fuci & pigmenta præcipuum vſum habeant in forma & decore parando, dupliciter id eſſe poteſt. Primò vt verè paretur, & verus inde decor obtineatur. Secundò vt ſimuletur. His poſitis.

Dico primò. Id agere vnde verè fœmina pulchrior fiat, ex ſe malum non eſſe; ſed potiùs bonum. Probatur: quia pulchritudo ex ſe non ſolum eſt inter bona corporis; ſed inter illa non infimum. Tertullianus [a]. *Accuſandus*, inquit, *decor non eſt, vt fœlicitas corporis, vt diuinæ plaſticæ* (ſic corpus appellat à Deo quaſi figulo conditum) *acceſſio, vt animæ aliqua veſtis vrbana.* Sed id agere vnde in nobis verè bona corporis aduentant aut augeantur, vt ſanitas, vt fortitudo, vt proceritas, vt agilitas, ex ſe ſpectatum malum nõ eſt; ſed potius bonum. Conſtat primò quia alioquin non liceret lapſas vires reparare, claudicantem tibiam dirigere, ſanitatem depulſo morbo curare. Secundò quia *eſſe & viuere*, per ſe ipſa ſunt expetibilia, vt cum Ariſtotele [b] docent omnes [c] Philoſophi; ſed omnium accuratiſſimè D. Auguſtinus [d]. Ergo multo magis bene eſſe. Sed pulchritudo, vt ſanitas & agilitas, confert vt quis bene ſit. Ob id Tertullianus appellauit decorem, *diuinæ plaſticæ acceſſionem*: per quam ſcilicet non ſolum homo habet vt ſit, ſed vt bono modo ſit. Ergo non ſolum malum non eſt; ſed bonum & laudabile id agere, vt acquiratur. Ad quod aduerte, quod aliàs monui, *bonum & malum ex ſe, vel ex obiecto, aut ex ſuo genere* illud eſſe, quod tale eſt rationi ſine alio extrinſeco, comparatum. Si enim quid hac ratione ſpectatum, rationi congruit; eo ipſo bonum ex ſuo genere eſt; ſi diſſonat, malum; ſi neutrum indifferens. Bonum autem & malum cum hic dicimus, non naturale intelligimus, ſed morale. Naturali enim bonitate nulla res eſt, quæ non bona ſit; morali autem, ex obiecto tantum bona eſt, quæ rationi congruit, mala, quæ diſcrepat. Ex hoc autem quod tradidimus, manifeſtè probatur. Nam illud ex ſe malum non eſt, ſed potiùs bonum, quod rationi, & eius appetitui congruit, non diſcrepat; ſed eſſe, & bene eſſe rationi congruit; cùm omnia natura ſua eſſe velint, & appetant; ergo multo magis bene eſſe; Cum igitur *pulchrum eſſe & decorum*, ſit bene eſſe; per ſe ſpectatum malum non erit, ſed bonum; ac proinde id agere vt verè quis pulchrior fiat, malum non eſt, ſed potiùs bonum; niſi id aliunde vitietur.

Dices pulchritudinem, quæ à Deo, & natura ſit, bonum corporis eſſe, non arte quæſitam: ſpecie enim & genere differre, quæ ab arte, & natura fiunt. Sed dicendum, quæ ab arte ſunt: alia ab ea ſola fieri, nullo interuentu naturæ; niſi materiam ſubminiſtrantis; vt ſunt domus, nauis, cytharæ, veſtes: alia ab arte eſſe natura excitante ad operandum. Primi generis opera, ſunt artificioſa tantùm, non naturalia. Secundi generis, ita ab arte ſunt, vt etiam à natura. Proinde primi generis artificioſa differunt eſſentia ſua & ſpecie a naturalibus; ſecundi generis, nequaquam. Eiuſdem enim rationis eſt ſanitas ſiue à Deo & natura tributa, ſiue ab arte medica reparata, vt bene Caietanus [e] ad hoc ipſum, quod agimus, obſeruauit. Et hoc quia ſemper ſanitas à natura eſt, aliquando ſe ſola operante aliquando ab arte excitata. Eodem modo dicendum de forma, & decore. Si enim verus ſit, eiuſdem ſemper rationis eſt, ſiue à natura ſola ſit, ſiue interuentu artis excitetur.

Dico ſecundò veram in ſe pulchritudinem curare; poteſt eſſe malum ex affectu, & effectu. *Ex affectu*, primò ſi nimius ſit, antepoonendo tale bonum aliis, quibus eſt poſthabendum; vt ſpiritualibus & æternis. Secundò ſi malo quis fine moueatur, qualis eſſet hominibus ad vſum libidinis placendi. Ex *effectu* verò, ſi ex ea cura neglectus rerum potiorum ſequatur; ſi detur aliis occaſio ruinæ; ſi periculum quis nominis incurrat; vt ſi leuior inde quis, aut vanus, & iactantior, aut quod grauius impudicus exiſtimetur. Quæ omnia Theologi noſtri docent ante quos Tertullianus edicens vbi periculum eſt proprij, vel alieni lapſus, *non ſolùm elaboratam formam non accerſendam, ſed eſſe naturalem ſpecioſitatem diſſimulatione & incuria obliterandam*, vt oculorum incurſibus pernicioſam.

Dico tertiò decorem, qui non verus ſit, ſed apparens, vllis artibus quærere; ſi per ſe ſpectetur, ex genere ſuo, & obiecto malum eſt; venia-

lis

a *De cul. fœmin. c. 2.*

b 1. *Phyſ. tex.* 81. 2. *de Gen.* 59.

c *Themiſt. Simpl. Auer. de quibus & aliis Baldum. ibidem*

d *Epiſt. ad Euod.* 101. *lib.* 11. *de ciu. c.* 26 *lib* 3. *de lib. arb. c.* 7. *& a.*

e 2. 2. *q.* 169. *art.* 2. *d.* 3.

lis tamen noxæ non lethalis. Verumque Patres, & Theologi noſtri docent. De Patribus paulò poſt. Ex Theologis eſt D. Thomas, quem ſchola tota ſequitur rectè ſententiarum; à quo doctrina hæc traditur, & probatur. Quia omnis fallacia & fictio, quæ non fit animo certæ veritatis denotandæ, mala eſt ex ſuo genere & obiecto. vt conſtans eſt ſententia doctorum. Sed hæc adſcititij decoris inductio, eſt quædam fictio, vt per ſe conſtat, & illam diſertè Patres appellant proximè [a] relati. Per ſe ergo mala eſt. Quod autem non culpæ lethalis; idem D. Thomas [b] etiam tradit, & probat. Quia nullum mendacium per ſe ſpectatum, lethale crimen eſt, niſi ratione obiecti, aut finis intenti, ſit cum pernicie coniunctum. *Ratione obiecti*; vt cum circa diuina mentimur. *Ratione finis*; cum pernicies aliis mentiendo paratur, vt tradit Auguſtinus [c] quem alij ſequuntur. Sed fictio per ſe ſpectata, in tantum mala eſt, in quantum ad mendacium accedit. Ergo cùm non poſſit in ſe ſpectata, maius eſſe malum, quam mendacium; culpæ tantum venialis erit, non lethalis.

b loco cit.

c Pſal. 5. ibi. Perdes omnes qui loquuntur mendacium.

Ex his fit primò cutem fucare pigmentis, & ora ceruſſa, purpuriſſoque depingere ad decorem quærendum; malum per ſe eſſe, licet non lethale. Conſtat ex dictis. Nam faciem ad hoc fucare, adulterina fallacia eſt, vt loquitur Auguſtinus. Et decor inde quæſitus, verus non eſt, ſed apparens. Nec enim pigmentis natura excitatur, vt ſicut arte medica vires, & vera ſanitas reparatur: ita verus decor, & non mendax, illis inducatur. Sed contra potiùs fit. Verus enim decor & forma, ſi quæ eſt in fœmina, fucis aboletur, vt fictus ſuperinducatur. Ob id à Nazianzeno non decor appellatur, ſed *larua decoris*.

Secundò fit cutem & faciem fucare, non decori mentiendo, ſed turpitudini celandæ; malum non eſſe. Sic exertè cum aliis D. Thomas. Sicut enim licitum eſt verum tegere, non falſum dicere; ſic malum non eſt turpitudinem abſcondere; quamuis malum ſit pulchritudinem ſimulare. Si quis ergo liuor, ſi quæ cicatrix in facie, ſi cutis aſperior, ſi tumor extuberans; licèt his deformitatibus fucis & pigmentis occurrere. Et ſi cui fœminæ coma defluxerit; alienam licebit [d] aſſumere, non minùs quàm ad alium ornatum, ouium lanas, & ſericum fila contexere.

d Caiet. 2. 2. loco cit. du. 3.

Tertiò fit vſum fucorum lethalem [e] tantùm eſſe ex nimio, & prauo affectu. Ex *nimio*; vt cùm bono formæ poſt habentur reliqua, cum Dei & animi cura negligitur; & ob id illius & Eccleſiæ præcepta non audiuntur. *Ex prauo*, cùm quis fucatur, vt ſe & alios ad illicitam libidinem incendat. *Ad illicitam* dixi; nam ſi vt marito placeat, & in ſuum amorem magis alliciat; mortale [f] non eſt. Sed quid ſi non hoc mulier intendat, ſed videat ſequuturum; nec tamen abſtineat? Aliqui [g] dicunt, non eſſe mortale. Affirmant alij [h] longè probabilius. Quid enim? an non lethali ſe crimine obſtringit, qui gladium offert, aut venenum temperat in mortem ruenti, licet id non intendat vt moriatur? Rectè D. Chryſoſtomus [i]: *Mulier ſi ſe decorauerit, & vocauerit ad ſe oculos hominum; etiam ſi plagam non intulerit, vindictam tamen dabit extremam. Venenum enim obtulit, etſi nullus, qui biberit, inuentus ſit.* At Tertullianus alia ſentire videtur: loquens enim de ea quæ ſe non in hoc ornat, vt alij pereant; ipſi tamen inde labuntur. *Perit* [k], *inquit, ille ſimul in tua forma, ſi concupierit; & admiſit iam in animo, quod concupiuit; & facta es tu gladius illi. Vt à culpa vacet, ab inuidia non liberaberis: vt cùm in alicuius agro latrocinium geſtum eſt, crimen quidem Dominum non conſtringit, dum tamen res eius infamia notatur, ipſe quoque infamia aſpergitur.* Eximit ergo Tertullianus iſtas à culpa lethali, dum vult crimine non conſtringi. Sed dicendum Tertullianum ibi non loqui de decore, qui fucis inducitur, ſed de cultu, qui variis ornamentis adſciſcitur. Ille per ſe malus eſt; hic, nequaquam. Propterea in hoc fœmina mortaliter non peccat, etiam ſi videat alios lapſuros, ab illo non abſtinendo: in eo vero peccat, quia cùm ornatum per ſe malum aſſumat, eo ipſo etiam mortaliter delinquit, quod dat operam *rei illicitæ*, vt cum ſchola loquamur, ea qua videt alios perituros, etiam ſi in hoc non ornetur, vt illi labantur.

e text. eſt apertus c. non ſolo. 32. q. 5. De quo Hoſtien. c. 1. ne clerici, vel monachi.

f D. Thom. Hoſtie. Ioan. Andr. Mont. Len. locis cit. ex D. Auguſt ep. 73.

g Nauar. man. cap. 23. num 23.

h Syluaſt. Ornatus n. 4.

i De compunct. & refert Hoſtien. loco cit.

k cap. 2. de cul fœm.

Quartò fit; licèt vxor poſſit in mariti gratiam turpitudinem ſuam fucis abſcondere, ſi notabilis ſit; non tamen iiſdem poſſe [l] mendacem ſibi decorem fingere, & ſpeciem quam non habet ſimulare. Si id ergo à viro iubeatur; fucos adhibebit, non vt pulchrior appareat, ſed vt non ita deformis.

l Ita Aug. ep. 73. & ex eo DD. c. fucare de conſecr. d. 5. D. Thom. 2. 2. q 169. a. 2.

Obiicies contra hæc primò quæ ſunt ex ſe mala, nuſquam & nunquam licere; quia bene fieri aliquando non poſſunt, vt mentiri, & Deum odio habere. Sed fucatio poteſt aliquando benè fieri. non eſt igitur ex ſe, & per ſe mala: nam in tantum mala eſt, in quantum fictio quædam eſt, vt diſertè traditur à D. Thoma [m]. Sed fingere & ſimulare aliquando licet vt conſtat de Chriſto [n] Domino, & de fuga quæ licitè [o] ſimulatur ad hoſtes in bello fallendos. Reſpondeo per ſe & ex ſe malum duplex eſt. aliud, *intrinſecè* tale; aliud, *ex ſuo genere tantùm, & obiecto*. Per ſe malum primo modo; nuſquam & nunquam licet: quia fieri nunquam bene poteſt, quod fieri niſi male non poteſt: quod autem intrinſecè malum eſt, aut non eſt, aut cum malitia ſua eſt. At *per ſe malum* ſecundo modo; aliquando licet: quia benè fieri aliquando poteſt, quod à malitia quam ex genere ſuo & obiecto habet, acceſſu circunſtantiæ alicuius ſeiungi poteſt. Primi generis ſunt odium Dei, & omne mendacium; ſecundi, hominem occidere, partes obſcœnas tangere; alium decipere, & ſimilia, quæ per ſe ſola ſpectata, cum ratione pugnant [p]; ex aliquo adiuncto, maxime illi congruunt. Hominis enim occiſio ſe ſola rationi comparata, cum ratione pugnat: At hominis nocentis, non pugnat, ſed congruit. Item partes obſcœnas tangere, ſi abſolutè ſpectetur, rationi diſſonat; ſi finis adiungatur morbi ſanandi, maximè congruit. Similiter ergo de fictione hominis dicendum eſt, & de fuco, qui ad decorem inducitur, vt fictio quædam eſt.

m 2. 2. q. 169. a. 2.

n Luca vlt.

o Ioſ. 3.

p D. Thom. 1. 2. q 18. & 2. 2. q 64. a. 7. & q. 111.

Obiicies ſecundò. Abſcondi turpitudo non poteſt, quin aliquis inde decor ſimuletur. Ergo ſi hoc non licet; nec illud etiam licet. Reſpondeo multa eſſe, quæ licèt intimè re ipſa coniuncta, poſſunt tamen intentione ſeiungi, vt vnum ſine altero appeti poſſit, & executioni licitè mandari; quamuis illud etiam inde ſequatur, quod appeti directè non poteſt. Eſto igitur cum abſconſione turpitudinis, alicuius decoris inductio coniuncta ſit; nego tamen fucari quempiam ad turpitudinem celandam non poſſe, quæ ratione ad decorem ſimulandum; quia licet eiuſdem

fucationis effectus ſit tam abſconſio pulchritudinis, quam inductio decoris; nil tamen inconuenit eiuſdem actus eſſe duos effectus, quorum *vnus ſit in intentione; alter, præter illam* ac proinde totus actus bonus erit, ſi bonum ſit quod intendit; *cum* [a] *bonitas actus ex eo quod eſt in intentione pendatur, non extra illam.*

a D. Thom. 2.2.q.64 a.7 in 6.

Obiicies tertiò. Si duo te coniuncta poſſunt intentione diſiungi, vt vnum honeſtè appetatur, alterum niſi inhoneſtè non poſſit; & nihilominus alterius appetitio, & eius executio bona ſit; licet alterum quod illi coniunctum eſt bonum non ſit, modo non intendatur. Ergo poterit mulier ora fucare, & cæterum mendacem ornatum pigmentis aſciſcere, & ſic ornatam aliorum ſe aſpectibus dare, qui ſint ex illa lapſuri, modo id non intendat, vt labantur. Reſpondeo. Cum duo coniuncta ſunt, quorum alterum turpiter tantum; alterum, aut honeſtè, aut non ita turpiter appeti poteſt, tum demum hoc ſine noxa licet appetere, cum alterum cui coniunctum eſt in alterius perniciem non cedit; nequaquam vero ſi cedit. Iam vero turpitudo cælata, & decor inde ſequutus, ambo pertinent ad ſe ornantem non ad alios. At ornatus fœminæ, & aliorum lapſus inde prouenieus, ad diuerſos pertinent; ideo par in vtroque ratio non eſt. Tunc enim tantum quod eſt cum aliena pernicie coniunctum, hac neglecta appetere licet, & exequi, cùm is in cuius præiudicium res cedit, mali ſibi ſui auctor eſt, aut alter iure ſuo vtitur, quod nemo poteſt illi contendere. Qua ratione [b] licet ad ſe ipſum tuendum, inuadentem occidere.

b D. Thom. 2.2.q.64.a.2

Obiicies, & quætes quartò. Si fucus omnis fictionis ſpecies eſt, & proinde malus: nec etiam licebit capillos inficere, & annos, ætatémque mentiri; quod tamen plerique faciunt, & id ſine vllo peccato ſe putant facere. Reſpondeo qui canitiem tingunt, ſi faciunt id ad annos diſſimulandos; licitè faciunt, ſi aliqua occaſione faciunt; quia id non eſt, niſi quod eſt cælare & verum tegere, quod aliquando licet; & ex genere ſuo malum non eſt, cum aliud id non ſit, quam turpitudinem abſcondere; quod [c] *inter malum & bonum, ex genere ſuo indifferens eſt.* At vero ſi ad iuuentam ſimulandam id faciunt, illicitè faciunt, quis ſicut ætatem diſſimulare, & deformitatem abſcondere, eſt quaſi verum tegere, quod abſolutè licet; ſic iuuentam ſimulare eſt quaſi falſum dicere quod per ſe non licet.

c D. Thom. 2.2.q.64.a.2

Quæ ſit Patrum ſententia, & an à noſtra diſſideat in vſu fucorum ad decoris gratiam quærendam.

MVlti putarunt ex ſententia Patrum, omnem vſum fucorum crimen eſſe lethale: ac proinde noſtram ab illorum ſententia eſſe longè diuerſam: probant primo quia Patres dicunt per illum æternam damnationem incurri. Hæc autem tantùm per lethale crimen incurritur. Cyprianus [d] mulierem alloquens ſic fucatam; *Deum,* inquit, *videre non poteris de inimici tuo compta, cum illo pariter arſura.* Secundo quia dicunt in hac fucatione Dei contemptum & iniuriam contineri; cuius opus interpolatur, & mendacij dicta arguuntur, vt paulo ante probauimus illorum verbis adductis. Hæc autem omnia ſine lethali labe non ſunt: tertio quia dicunt hanc eſſe ſpeciem quandam adulterij, & lenocinij, vt ex iiſdem verbis probatur, quæ ſupra protulimus.

d Cap.7. de hab.vir.

Sed omnino dicendum eſt idem prorſus ſentire Patres quod nos docuimus; eſſe nimirum tantum lethale fucis abuti, ſi *ex indignatione in Deum* adhibeantur, aut cum illius contemptu, aut ad incentiuum malæ libidinis in ſe, vel aliis excitandæ: quod tantum voluiſſe Patres, alij cum D. Thoma [e] ante nos obſeruarunt. *Ex indignatione* dixi, vt eum quis impatientius ferens deformitatem ſuam, contra Deum quantum poteſt aſſurgit, vt ingenio ſuo formoſum ſe faciat, vel illo nolente; cum *contemptu* vero, vt ſi ad illius verba arguenda quis faciem, capillumque fucaret. Hac autem moderatione Patrum dicta maximè Tertulliani, Cypriani, Ambroſij intelligenda eſſe, nemo non videt: aliter enim deprehendi facilè poterit nullum ea pondus ſolidæ probationis habere. Quid enim? Iniurioſum Deo eſt, inquiunt, faciem fucare. Cur id? Quia cum illius contemptu quem imperitum, quem vanum, quem mendacem faciunt ſic ſe fucando. Picturam enim illius nouis coloribus inducunt; opus refingunt, capillos, quos mutari non poſſe dixerat, expugnant, ex atris albos dum faciunt, ex albis alios. Hæc illi. Quæ ſi vera ſine vlla moderatione ſunt; abſtineant ergo omnes tam viri, quam fœminæ à facie & capillis abluendis, aquam puri laticis non attingant, inde ſe non quotidiano vſu reſpergant, ne formam à Deo acceptam corrumpant; & vt in colore quem primo ab ortu ſemel acceperant perſeuerent; ne Chriſtum vanitatis arguant; ſi fortè caput ſæpius abluendo ex vno colore capillus in alium vertatur. Naſcitur homo rudis & imperitus, & animam ſecum affert quam *vt tabulam raſam* philoſophus pronunciauit. Nullas ergo artes ediſcat, nullis diſciplinis imbuatur, ne fortè ſibi dicatur quod manus Deo infert, cuius opus interpolat, & melius vult reddere, quam ab illo acceperit, illum quaſi imperitiæ condemnando. Denique quid verbis opus eſt? Tota eorum ratiocinatio eſt, non licet pigmentis ora fucare nec faciem tingere; quia non licet imaginem à Deo formatam & acceptam in aliam vertere, quaſi noſtra ſit melior, illa deterior. Eſſe enim id imaginem Dei in nobis oblitetare. Primò Imago & effigies Dei quæ in nobis eſt, non in corpore, ſed animo quærenda eſt, vt ipſe D. Ambroſius [f] alicubi pronunciat. *Ad imaginem*, inquit, *interior eſt homo, non iſte exterior; ille qui ſenſu æſtimatur, non qui oculis comprehenditur.* Non ergo quis audeat animum virtutibus vllis excolere, diſciplinis vllis inſtruere, polire artibus. Relinquatur ille in ſua ruditate, non comptus, non ornatus, ita prorſus vt à primo ortu acceptus eſt: Nullæ denique in hac *pura tabula* lineæ ducantur; ne Dei imago & pictura interpoletur, & ea ratione iniuria artifici inferatur, quaſi imperitiæ redarguto. Secundò. Nullus altiores ſibi cothurnos ſubiiciat, ne Chriſtum mendacem faciat pronunciantem *neminem adiicere poſſe ad ſtaturam ſuam cubitum vnum.* Tertiò. Denique vt quiſque natus eſt, ita perſeueret; nec curet artus explicare vires appoſitis ſubſidiis augere, membra roborare. Quæ omnia cum prorſus abſurda ſint; abſurda quoque debent illa putari, quæ Patres dicunt, ſi ſic intelligantur, vt ex illis poſſint iſta deduci. *Manus ergo Deo,* iuxta Patres, *inferre*, illæ fœminæ cenſendæ ſunt, non quæ quoquo modo ſed quæ ex indignatione & contemptu diuini artificis

e 2.2.q.169 a.2. & ex illo Ioan. Andr. dic. reg. quæ ſunt. Anch. Alberic. Montlon. locat.

f Inſtit. ad virg. c 3.

artificis illius opus iouertunt. Ac proinde quæ faciem fucant, indignatæ quod à Deo formoſæ factæ non fuerint, & illo vel inuito ſpeciem quæ-quæ ſnam ſibi facturæ.

Duo tantùm breuiter obſeruáda ſunt. Primum negari non poſſe de hoc argumento pleraque Patres hyperbolice dixiſſe, quò ſcilicet inolitum iam vitium validius extirparent, in tanta præſertim corruptela morum, qualis erat inter gentes idolorum cultui dicatas. Ab illis enim vt non ſolum religione; ſed externo cultu Chriſtianæ fœminæ ſepararentur, erat in fucos & pigmenta, non alio quam accuſatorio orationis genere detonandum, acri, vehementi, exaggerato.

Secundò, quoſdam illorum non ita affectui ſuo indulſiſſe, vt non diſtinctè & ſignatè dixerint vſum fucorum non inter grauia, ſed inter leuia peccata cenſendum. D. Hieronymus[a] de Paula loquens, *Ita leuia peccata plangebat, vt illam grauiorum criminum crederes eſſe ream.* Quæ leuia hæc peccata? ſubdit *Ceruſſa, & purpuriſſa ora aliquando pinxiſſe.* Tertullianus[b] ſimiliter non minus in hoc vehemens fucatas *mulieres* dicit *non cum fucis & pigmentis in cælo futuras*; ſed tamen futuras. Vult ergo *peccatum id eſſe*, quia cum illo Dei conſpectui ſiſti non poterunt; *ſed leue*, quia tandem poterunt. Quod eſt proprium venialis culpæ, quæ patriæ cæleſtis ingreſſum, non in totum impedit, ſed retardat, interim ſcilicet dum iuſto piaculo luatur.

a Epiſt. 27.

b Cap. 7. de fæm.

An poſſit Epiſcopi ſtatuto fucorum vſus interdici in cultu fæminarum.

QVa occaſione olim, iam & ſuperiori tempore controuerſia hæc fuerit excitata; paulo ante docuimus. De ea ergo ſic breuiter ſtatuendum.

Poſſe[c] Epiſcopos edicto ſuo fucorum vſum prohibere mendaci decori quærendo, cui non parentes noxam lethalis labis incurrant; à qua niſi de Epiſcopi auctoritate, non abſoluantur. Quod eſt vno verbo poſſe id edicto vetare, & eius tranſgreſſionem ſibi reſeruare. Probatur quia ſpectat ad Epiſcopum ea curare, quæ vergunt in ſalutem, aut diſpendium animarum; illa præcipiendo, iſta vetando. Si ergo de his quidquam ſtatuat; eius edictum iuſtum eſt, & proinde ſeruandum, cùm traditæ poteſtatis limites non excedat. Sed ornatus mulierum maximè per fucos, & pigmenta quæſitus ad diſpendium ſpectat animarum; cum laqueus illis inde, & aliis paretur. Ergo ſi quicquam de eo ſtatuat Epiſcopus, iuſtè ſtatuet, & illi proinde parendum.

c Ioan. Andr. reg 24, qua de reg. iur. in 6. in Mercur. Alberic. Anchar. Bald. & alij cum Montiō verbo Ornamentum lit I. & Tiraquel. l 3. gloſ. 1. p. 3. n. 14.

Dici poſſet primò ornatum mulierum non ſpectare ad Epiſcopum; ſed, ſi nuptæ ſint, ad viros, vt in ſacris ſanctionibus habetur. Si vero non nuptæ, ad parentes. Ergo ſi Epiſcopus de hoc quidquam ſtatuat, limites ſuæ poteſtatis excedit. Tenentur enim fœminæ, quæ nuptæ ſunt, in illo ornatu incedere, qui maximè viro probatur; aliæ vero in eo, qui parentibus & propinquis. Si ergo ſecus aliquid Epiſcopus ea de re ſtatuat; aut illi parendũ non erit, aut laqueus mulieribus iniicitur, quæ perplexæ neſciant cui magis obediant.

Reſpondeo etiam ad Epiſcopum mulierum ornatum ſpectare, vt conſtat ex Apoſtolis, qui de eo accuratè præceperunt. Vnde Petrus[d], *Mulierum*, inquit, *non ſit extrinſecus capillatura; neque circundatio auri, neque veſtimentorum cultus.* Et à D. Paulo de mulieribus ſcribitur *vt ornent ſe, non in tortis crinibus aut auro, aut margaritis, aut veſte pretioſa.* Spectat ergo ad viros ornatus vxorum, vt talis ſit, qui illorum oculis placeat. Ad Epiſcopos vero, vt Dei oculos non offendat. Talis autem eſt qui nec viris, nec propinquis, nec aliis extraneis vllam præbeat occaſionem ruinæ.

d 1. Pet. c. 3.

Dici ſecundò poſſet, iniuſta eſſe ſtatuta, quæ ſcandalo & offenſioni ſunt, laqueoſque maiores animis iniiciunt. Sed rem *per ſe indifferentem*, ſub pœna lethalis criminis prohibere, dat aliis occaſionem ruinæ, & laqueos animis diſponit, qui ante non fuerant. Ergo cum ornatus mulierum ſit ex ſe res indifferens, iniuſtè ſub obligatione mortalis criminis prohibebitur; ac proinde prohibitio licitè negligetur.

Reſpondeo. Propter hoc argumentum aliqui[e] diſtinguunt inter ornatum, qui ſit per fucos, & per alia ornamenta. *Per fucos*; prohiberi ab Epiſcopo poſſe: quia cum de ſe malum ſit, edicto ſuo poteſt Epiſcopus illud excludere. *Per alia verò ornamenta*; non poſſe, prout dicit D. Auguſtinus[f]. Quia quod de ſe malum non eſt; non poteſt Epiſcopus edicto ſuo malum ſaltem lethale reddere: quia eſſet conſcientias in anguſtias redigere, & animos illaqueare. Sed dicendum, poſſe Epiſcopum de ornatu quocunque præcipere; & illum ſub obligatione mortalis criminis prohibere, modo laſciuus ſit, & incentiuum præbeat impuritati; ſiue ornatus is per fucos, ſiue per alia ornamenta paretur. Quis autem talis ornatus ſit, nimirum *prouocatiuus libidinis*, ad ipſum etiam ſpectat iudicare adhibito conſilio prudentum.

e Ioan Andr. & Montion. loco cit.

f Epiſt 73. ad Poſſid & habetur dicto 1. fucare.

Per hoc ad obiectionem. Cùm dicitur rem omnino indifferentem prohiberi ſub mortali non poſſe; reſpondeo. Licèt ornatus abſolutè ſumptus, indifferens ſit, non tamen indifferens eſt, qui laſciuus eſt. Inſtatur. Inde laqueos animæ parari, cum quod ex ſe veniale peccatum eſt, mortale prohibendo ſit. Reſpondeo potius laqueos remoueri & occaſionem ruinæ. Licet enim vſus fucorum per ſe ſpectatus, ſit tantum cum veniali, tot tamen habet pericula coniuncta lethaliter labendi, vt multo plura peccentur illo permiſſo, quam ſub obligatione mortalis excluſo. Cum Auguſtinus obiicitur; is eſt pro nobis, non contra nos. Apertè enim dicit fucos prohiberi poſſe; alium ornatum veſtium non facile debere; niſi cum iunctus eſt occaſioni peccandi. Dubium autem non eſt, præter ornatum fucorum, eſſe quoque alios laſciuos certam peccandi occaſionem ſecum trahentes; vt ſunt veſtes pellucidæ, quibus nudantur potius corpora, quam veſtiuntur. Cum hoc enim ornatu incedere, licet omnis fucus abſiſtat, & malus animus alios incendendi, peccatum ſemper eſt; etſi de ornatu loquamur, in quo nudum pectus exponatur; (vt plerique[g] probabilius putant,) etiam lethale. Cur ergo non poſſit Epiſcopus edicto, ſuo hoc genus ornatus excludere? At obſtat in pleriſque regionibus in oppoſitum vſus inueteratus. An conſuetudo deprauatiſſima dicetur vſus, & non potiùs abuſus? Quid enim ſi mos vſquam obtineat vt impunè quiſque quod aliorum eſt poſſit vſurpare;

g Caiet verbo, Ornatus & 2. 2. q. 69. art 2. Sà in aphoriſ. verbo Ornatus. 1.

ant, ne à propoſito argumento diſcedamus, obſecœnis nudatis incedere?

An,

An, & quatenus licitus ſit formæ cultus, qui non in fucis, ſed in reliquis ornamentis ſitus eſt.

§. II.

INquiſitionis huius expeditio, facilis erit ex proximè dictis: videtur ergo prima facie dicendum etiam ornatum hunc ex ſe ſpectatum, malum eſſe; quam graue, non diſputo. Primò. Quia, vt proximè dictum eſt, decorem fingere, & formam ſimulare per ſe malum eſt; quia ſpecies fictionis eſt, vt D. Thomas dicebat. Sed omnis ornatus, etiam non per fucos decorem fingit & ſimulat, qui verè non eſt; ergo etiam per ſe malus eſt. Quod omnis ornatus aliquem decorem inducat; otio abutemur, ſi probemus. Inde enim mulier amabilior fit; vnde leges Eccleſiæ concedunt vt in gratiam viri poſſit vxor ornari, quo gratior illi, & amabilior reddatur. Non poteſt autem reddi amabilior, niſi reddatur aliquo modo pulchrior. Talem autem pulchritudinem veram non eſſe, ſed apparentem: clarè etiam conſtat. Adſcititia enim eſt, & cum ornamentis ſimul cauitur. Et certè ſi decor fucis inductus, fictus, & non verus eſt, quod illis ablatis euaneſcat; cur hic etiam non talis ſit? Denique verum hunc decorem non eſſe; fœminei decoris artifices agnoſcunt, & fatentur: quibus eſt in ſua profeſſione credendum. Ouidius[a].

a De remed. lib. 2.

Auferimur cultu, gemmis auroque teguntur
Omnia; pars minima eſt ipſa puella ſui.
Sæpe vbi, ſit quod ames, inter tam multa requiris:
Decipit hac oculos, Ægide, diues amor.

Si ergo pulchritudo vera non eſt ornamentorum aggeſtione parata; cur illam inducere, genus ſimulationis non ſit; eam autem per fucos parare, ſimulatio ſit?

Secundò omnis ornatus, qui per pigmenta non eſt, in veſte pretioſè culta, in auro, argento, gemmiſque conſiſtit: ſed hæc omnia eorumque vſus ab Apoſtolis Patribuſque damnatur. *Ab Apoſtolis*, quorum verba ſupra protulimus. Tam enim Petrus[b]; quam Paulus[c], hæc omnia interdicunt; adeo non diſſimiliter, vt alter ab altero videatur verba mutuaſſe; à *Patribus* autem, quia iiſdem fermè verbis in ornatum vtrumque feruntur; tam eum qui per fucos eſt, quam qui per veſtes pretioſas inducitur. D. Gregorius illud enarrans: *homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & byſſo; ſunt*, inquit, *nonnulli, qui cultum ſubtilium pretioſarumque veſtium non putant eſſe peccatum. Quod ſi videlicet culpa non eſſet; nequaquam ſermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod diues qui torquetur apud inferos, purpura & byſſo indutus fuiſſet.* Et paulo poſt; *Quam culpam poſſumus melius etiam ex diuerſo colligere: quia ſi adiectio vilis indumenti virtus non eſſet Euangeliſta vigilanter non diceret; Erat indutus pilis camelorum.* Et alibi rurſus. *Nemo exiſtimet in luxu atque ſtudio pretioſarum veſtium peccatum deeſſe: quia ſi hoc culpa non eſſet, nequaquam Petrus à pretioſarum veſtium appetitu compeſceret dicens; Non in veſte pretioſa. Penſate ergo quæ culpa ſit hoc etiam viros appetere, quo curauit Paſtor Eccleſiæ & fœminas prohibere.* Similiter Cyprianus; *Serico & purpura indutæ, Chriſtum induere non poſſunt: auro & margaritis & monilibus adornatæ, ornamenta mentis & pectoris perdiderunt.* Quid clarius? De Margaritis, de Monilibus, de auro loquitur, de purpura & ſerico, ſine quibus ornatus vllus non eſt. Si ergo non licet hæc vſurpare; nec alium ornatum, etiam non per fucos, licebit aſſumere. Non licere autem illa; clarius edicere Cyprianus non poteſt, quam dicendo ſic indutas, Chriſtum cauere, & ornamentis animi nudari. Qua voce non ſolum malum hoc eſſe demonſtrat; ſed lethali culpæ coniunctum: per hanc enim ſolam Chriſtus amittitur, & ornatu virtutis animi ſpoliantur.

b 1. Pet. c. 3.
c ad Tim. 1. c. 2.

Tertiò. Denique ſtudium placendi viris in fœmina malum eſt, vt pluribus Tertullianus exequitur: omnis ornatus etiam non per fucos ad hoc eſt, vt cum eodem Tertulliano Ambroſius & alij. Omnis ergo malus eſt.

Sed dicendum ornatum qui per fucos non eſt, per ſe ſpectatum, malum non eſſe; ſed honeſtum, aut inter indifferentia locandum. Docet hoc D. Thomas cum ſchola Theologorum, à quibus etiam probatur. Nam quod per ſe ſpectatum, conueniens eſt, aut neceſſarium hominum naturæ; vel bonum eſt, vel certè malum non eſt: alioquin non oporteret per ſe ſpectatæ naturæ nec corruptæ conuenienter viuere, contra commune philoſophorum decretum; quorum illud eſt.

Viuere natura ſi conuenienter oportet.

Vel id oporteret exequi, quod malum eſt, quod vtrumque abſurdiſſimum eſt; ſed ornatus non per fucos, ex ſe ſpectatus, naturæ hominis vel neceſſarius, vel conueniens eſt. Natura enim hominis eſt, vt ſocialiter viuat; vitæ vero ſocialiter degendæ ornatus aliquis vel neceſſarius, vel conueniens eſt; vnde tacito quodam naturæ ductu pro ſua quiſque conditione ſtudent ornari magis in publico, quàm domi eſſe; & cum aliis agendo, quàm cum ſoli. Non ergo per ſe ſpectatus ornatus, malus eſſe poteſt; ſed aut indifferens erit, aut etiam bonus.

Dices; ornatum excedentem non conuenire naturæ. Sed hoc confirmat noſtra, non deſtruit. Quod enim naturæ & rationi non pugnat; niſi ſecundùm exceſſum, aut defectum ſpectatum, per ſe non pugnat; ac proinde malum non eſt. Non *per ſe*; quia cum conſideratur vt excedens, aut deficiens; cum adiuncto ſpectatur, ſine quo poteſt eſſe. Tale verò quod eſt, ex ſe malum non eſt; quia quod tantùm pugnat cum ratione, vt *excedens*, aut, *deficiens*, exceſſu aut defectu ſublato ac proinde tantùm per ſe ſpectatum pugnare non poteſt. Alioquin, non ex illis tantùm, vel illorum altérutro pugnaret.

Sicut ergo ornatè loqui (qua comparatione ad hoc ipſum vtitur alicubi Clemens[d] Alexandrinus, & nos ex illo) per ſe bonum eſt, aut indifferens; quia conueniens naturæ hominis, quæ eſt ſocialiter viuere, ad quod vtile, vel neceſſarium eſt ornatè loqui. Sic etiam ornatè veſtiri. Vitioſum ergo tantum erit ex exceſſu, vel defectu; qui proueniat aut ex affectu culpando, vel effectu vitando. Ex his oppoſita ſolui facilè poſſunt.

d lib. 3. pædag.

Ad primum. Nego per ornatum decorem falſum induci ſicut per fucum. Cùm dicitur ornatu fieri fœminas pulchriores; id etiam nego. Ditiores enim inde fiunt; pulchriores non fiunt, vt ſupra referebamus Appellem dixiſſe illi, qui Helenam pinxerat auro, & gemmis ſuffarcinatam; *Cum pulchram non poſſes, feciſti diuitem.* Ex eo tamen, quod magis ornatæ ſunt, etiam magis amantur. Quia amorem non ſolum pulchritudo

vera

vera conciliat; ſed quæcunque maior ratio bonitatis alicubi ſe prodens. Vnde ſi cætera paria ſint in duobus; ex quibus alter ornatus, alter incultus; ille eo ipſo magis amabitur inſtinctu naturæ. Vnde id? Aut quia publicæ gratiæ cupidior, aut quia munditiæ ſtudioſior, aut quia communia iudicij reuerentior, aut denique quia ditior apprehenditur. At vnde hoc diuitiis vt aliorum ſibi affectum magis concilient? Res nota, quæ monitore non egeat. Diues enim ſub maiore ratione bonitatis apprehenditur, quatenus nobis cenſetur magis prodeſſe poſſe. Nec dubium quin in vita ciuili, ſi cætera in duobus ſint paria, is qui ditior apprehenditur, etiam vtilior exiſtimetur; ac proinde tacito quodam inſtinctu etiam magis ametur.

Ad ſecundum Patres ornatum pretioſæ veſtis, & ex auro, monilibuſque conflatum, abſolutè non damnant; ſed vt ex affectu, vel effectu fines excedit

Quos vltra, citraque nequit conſiſtere rectum.

Ex affectu; vt cùm quis ad impuritatem ornatur; aut cum totus in hoc eſt, potiorum cura neglecta. *Ex effectu*; cùm in ornatum cenſus impenditur, & inde patrimonia deſtruuntur. Specialiter autem Patres in aurum, monilia, & veſtes ſericas inuehuntur, non quod hæc Chriſtianum per ſe ſpectata dedeceant; ſed quod tali tempore, quale tunc agebatur, omnia gentilium perſequutione feruebant; ad necem Chriſtiani vndique conquirebantur; Chriſti nomen paſſim lacerabatur. An ergo tam calamitoſo tempore æquum erat, vt Chriſtianæ fœminæ ſerico, monilibuſque ſplendentes, in publico quaſi luctu triumpharent? At diues euangelicus in inferno ſepultus, aliud feciſſe non legitur, quam quòd purpura & byſſo induebatur. Eſto id. An magnum, & maximè enorme flagitium non eſt, aliud in hoc mundo nihil egiſſe, quam byſſo & purpura indutum ſplendidè diebus ſingulis, epulis incubaſſe? Quo enim certiori argumento quiſquam teſtatur aliud ſe nihil, quam iſta curare; vota ſua omnia in his habere; tantùm hæc pro ſummo bono putare; Deum alium non cogitare? Clarius ergo dico, verbis illis Euangeliſtam facilè ſignificare, diuitem illum purpura & byſſo, in ſumma epularum affluentia, ſic vſum; vt hoc tantum ageret, alia omnia negligeret; cùm hoc illum tantum feciſſe dicit, & inde in inferno ſepultum.

Ad tertium ſtudium placendi viris in fœmina duplex eſſe poteſt; alterum, ad libidinem; alterum, ad ciuilem beneuolentiam, & ſocialem. Illud omnino malum eſt, ſi in alia fœmina ſit, quam in vxore reſpectu mariti. Iſtud non tantum damnandum non eſt; ſed laude dignum. Cùm enim homo in ſocialem vitam conditus ſit, vnicuique natura inſeruit ſtudium mutuo placendi: quod eſt quaſi glutinum quoddam, quo diuerſi animi communi ſocietate iunguntur. Porro ſtudium hoc illis ardentius inſtillauit, qui aliorum auxilio magis indigent ſubleuari. Tales fœminæ ſunt, quæ ſine viris aut omnino viuere non poſſunt, aut planè miſerè. Illis ergo magis ſtudium placendi viris inſeruit, quam iſtis inter ſe; proinde bonis id artibus quærere, damnandum non eſt.

Obiectio ex Tertulliano proponitur & diſcutitur.

Contra hæc quæ proximè diximus, videtur eſſe Tertullianus [a], à quo multa diſputantur contra quodcúque ſtudium decoris, & votum per illum placendi viris in fœmina. Primò enim poſitionem iſtam quaſi præſtruit. *Non de integra conſcientia venit ſtudium placendi per decorem.* Quare id? Primò, *quia hunc*, inquit, *naturaliter incentorem libidinis ſcimus*; impuræ ſcilicet cupiditatis, & turpis appetentiæ. Quantum ergo quiſque in ſe & in aliis hanc debet euitare; tantum ſtudium decoris. Secundò. Quia tentationibus viam aperire non debemus: hanc ſtudium aperit ex decore placendi. Tertiò. Quia cum timore & tremore ſalutem noſtram debemus operari, nihil de nobis præſumendo; ſed auxilium Dei ſollicite poſtulando; Nam qui præſumit, minus veretur; hinc minus præcauet, & inde plus periclitatur. *Timor enim*, inquit, *fundamentum ſalutis eſt, præſumptio impedimentum timoris.* Omne ergo decoris ſtudium damnandum. Nam vel periculum in eo amatur, & flagitium eſt; vel non curatur, & præſumptio eſt. Quartò. *Omnis vſus* [b] *& fructus pulchritudinis corporis luxuria eſt.* Ergo qui extranei debent eſſe ab omni luxuria, extranei quoque debent eſſe ab omni ſtudio decoris. Tales ſunt Chriſtianæ fœminæ. Ab omni ergo ſtudio formæ vacare debent. Quinto. Omnis gloriatio, & complacentia carnis, damnanda eſt: omne ſtudium formæ continet gloriationem de bono corporis, & proinde carnis. Eſt ergo damnandum. *Chriſtianis enim aut nullatenus gloriandum eſt, quia gloria exaltationis ingenium eſt,* non congruens profeſſoribus humilitatis; aut ſi gloriandum, non in carne, ſed in ſpiritu gloriandum; aut ſi in carne, *non compta, & decora; ſed propter Chriſtum lacerata.* Ex quibus omnia claudit Chriſtianæ fœminæ eſſe decorem formæ negligere; proinde *nullo ſtudio curare ſi habeat; ſiue non habeat faſtidire.*

Sed ad hæc reſpondendum eſt. Primò Tertullianum *non abſolutè* quodcunque ſtudium decoris in fœmina damnare; ſed *in certo tempore*, quando ſcilicet mala publica premunt, hoſtes ingruunt, infidelium perſequutiones inſurgunt; vt tunc erat, quando hæc ille ſcribebat. Vndique enim Chriſtiani perquirebantur ad necem. An ergo, vt ſupra dicebam, debebat tunc Chriſtiana fœmina ad ſpeculum otioſè ſedere: vt inde comptior prodiret in publicum? Secundò. Dubium non eſt Tertullianum feruentiùs ſemper efferri, quoties argumentum aliquod pertractat. Vt enim quod vult, obtineat; plus etiam poſtulat, quàm debeat imperare. Ieiunium laudat; eo progreditur, vt omnem remiſſionem damnet. Caſtam viduitatem commendat; eo delabitur, vt ſecundas nuptias à lupanaribus non diſtinguat. In fucos, pigmenta, & adſcititios capillos inuehitur; & agreſtem tantum habitum conatur inducere, non hominum proprium, ſed ferarum. Qua ergo parte peccat ardentiùs euectus, audiendus nobis non eſt, ſed coërcendus: quod faciemus eius rationes ſoluendo, ſi quid contra nos facere videntur.

Ad primum falſum eſt decorem & formam eſſe naturaliter incitatricem libidinis. Eſt enim tantum ex malitia, & malo animo ſpectatorum. Naturaliter enim decor & pulchritudo, eſt ad

honeſtam

[a] *De cult. fœm. c. 2. & deinceps.*

[b] *Cap 3. ibid.*

honeſtam beneuolentiam conciliandam. Qua de re fuſius à nobis alibi [a], cùm de ſpecie digna Imperio, diſputatum eſt. Ad ſecundum ſicut naturalis decor & *formoſitas* (vt Tertullianus [b] appellat) per ſe ſpectata tentationibus viam non aperit; ſed ex malitia ſpectatorum: ſic nec ornatus illius id ex ſe habet; ſed ex malo animo vtentium, vel intuentium. Ad tertium. Timor ille debet id agere; vt in ornatu, & cultu corporis fœminæ ab omni ſpecie procacitatis abſtineant, & quæ ſit ex ſe prouocatiua libidinis, qualis eſt veſtis pellucida, per quam membra tranſparent; & multo magis aperta, qua pectus, vbera, aut aliæ partes nudentur, quæ non niſi honeſtè poſſunt maritis exponi. Ad quartum falſum eſt omnem fructum pulchritudinis corporis *eſſe in luxuria*; alioquin aut in cælo beatorum corpora deformia eſſent, aut in illis, ſine vllo fructu, pulchritudo vacaret. Ad quintum ſtudium formæ non debet eſſe in fœmina, vt inde glorietur de bono carnis; de qua certè ſi gloriatur, etiam debet in Domino gloriari, à quo omne donum eſt etiam pulchritudo; ſed vt inde beneuolentiam eorum ſibi conciliet, à quibus honeſtè poteſt, & debet amari.

Ex his fit primò. Non licere fœminæ talem cultum induere, qui ſit illecebra corruptelæ, & *oculos & ſuſpiria adoleſcentium poſt ſe trahet*. In quo rectè Tertullianus. At quis hic cultus? Omnis laſciuus, vnde arguatur in vtente animus parum pudicus. Nihil eſt enim quod magis alios turpis libidinis ardore ſuccendat; quàm conſpectus fœminæ de impudicitia ſuſpectæ, & flagitio paratæ. Talis autem quæcunque colitur impudicè. Quid eſt impudicè? Cum nulla cura pudoris: quod multipliciter fit inceſſu corporis, iniectu oculorum, agitatione membrorum; ſed præcipuè partium illarum nudatione, quas honeſtæ & pudicæ, ſaluo pudore, non ſolent.

Fit ſecundo poſſe fœminas in tali ornatu ſe ſiſtere viris ſuis; in quo aliis nec debeant, nec poſſint. Conſtat; quia ſicut honeſtè poſſunt ad amorem ſui illos accendere; ſic in id poſſunt honeſtè, cultu liberiori parari. Quo cultu coram aliis vti non poſſunt, ſicut nec illis in eum finem poſſunt velle placere quo viris volunt.

Tertiò. Denique fit nullam iuſtam excuſationem fœminas habere, cùm liberiore cultu comptæ, coram aliis, quam marito, verſantur. Nam vel eodem modo, & in eundem finem volunt aliis placere, quo viris, & adulteræ ſunt; vel vt placeant viris, aliorum periculum non verentur, & homicidæ ſunt. At aliquando id mariti præcipiunt; audiendi non ſunt. Quid enim ſi iubeant etiam vt aliis proſtituantur, aut cum aliis impudicè verſentur? Si enim ius tantùm habent in vxores vt ita comantur, quatenus illis placeant, aut etiam non diſpliceant; non ita vt ex illarum aſpectu alij vulneretur. Vel enim maritus ita vult vxorem ſuam aliis, vt ſibi placere, & in idipſum ad quod illam amat, ab illis amari; & leno eſt, non maritus. Vel ſibi tantum vult placere, non aliis; & ſic nec in eodem ornatu, quo ſibi placet, illam debet aliis exponere. Quod ſi aliud vult, & aliud exequitur; abſurdè vult; ob id nec audiendus. *Maritus enim quilibet, & non adulter, caſtitatis exactor eſt in vxore; quæ in tantum viro ſuo placet, in quantum alteri eo modo quo placet viro, placere non curat*; vt rectiſſimè Tertullianus [c].

a Diſput. ad cap. 16. lib. 1. Reg.

b Cap. 3. de cult.

c Cap. 4. de cul.

De ſacris veſtibus & prophanis.

CAPVT III.

SAcræ veſtes; aliæ locorum erant, aliæ perſonarum. *Locorum*; tabernaculi, arcæ, & totius templi; quibus omnibus inſeruiebant vela, cortinæ, cilicia; partim ad externas iniurias arcendas, vt *cilicia*; partim ad alienum aſpectum prohibendum, vt *vela & cortinæ*: partim præter hoc, ad ornatum etiam & maieſtatem loco conciliandam vt vela templi foribus aut arcæ prætenſa. De his veſtibus non eſt quod hîc fuſiùs agamus, ſatis id executi, vbi generatim de ſtragulis egimus. Inter ſtragula enim vela & cortinæ. *Perſonarum* veſtes ſacræ, variæ erant pro vario genere earum; quod triplex erat apud Hebræos; *miniſtrorum templi*, *prophetarum & Naʒaræorum*; de quibus omnibus alibi diſtinctius. Hîc tantùm de veſte miniſtrorum templi, quæ propriè ſacra. Quia inter perſonas, ij maximè ſacri. *Miniſtri* ergo Templi alij per ſe ipſi ſacrificabant, vt ſummus Pontifex & ſacerdotes minores; alij ſacrificantibus aderant, ea parando, & curando, quæ ſacrificiis vſui erant, & ea quæ ad cultum templi ſpectabant, cuſtodiendo, vt Leuitæ; alij ſacras laudes canebant, vt cantores; & aditum templi obſeruabant, vt ianitores. De his omnibus in vniuerſum quod ad veſtes attinet, duo ſunt explicanda. Primò. An in communi vita à reliquis cultu diſtinguerentur. Secundò. An omnes ſaltem in ſuo miniſterio curando certo genere veſtis vterentur, & quod illud eſſet.

De primo res ambigua videri poteſt, cùm de eo nihil in Scriptura definitè tradatur. Coniecturis igitur eſt res decidenda: quas ſi ſequamur, vnum mihi certum eſt; alterum, probabile. *Certum* ſacerdotes omnes, & maximè ſummum cultu veſtis à reliquis in vita communi diſtinctos. Qui enim aliter eo honore potuiſſent ab obuiis excipi, quo æquum erat; ſi nota eos aliqua à reliquis non exemiſſet? *Probabile* verò, non ita certum, idipſum de Leuitis quoque videtur; non quod iis honor aliquis maior ab obuiis haberetur; ſed quia cum vitæ inſtituto à reliquis ſecernerentur, & à pluribus oneribus immunes eſſent, æquum quoque erat, vt eos veſtis aliqua ſepararet. Ad eum ergo modum, quo ſtatus omnis Eccleſiaſticorum in Chriſtiana rep. à reliquo laicorum diſtinctus eſt; probabile quoque eſt totum Leuitarum ordinem veſtis habitu à reliquis diſcrepaſſe. At quis ille? De Leuitis; incerta res eſt: de ſacerdotibus; probabile eſt eorum proprium, & quotidianum indumentum *ephod* fuiſſe. Cum enim Scriptura vellet exprimere quot ſacerdotes Saul in Dauidis odium trucidaſſet; pro eodem accepit *ſacerdotem*, & lineo ephod indutum; quod minus congrueret, ſi proprium & quotidianum ſacerdotum indumentum ephod non eſſet. *Conuerſus, inquit, Doëg Idumæus, irruit in ſacerdotes, & trucidauit in die illa ſeptuaginta quinque viros veſtites ephod lineo.* Et hæc de prima quæſtione. Supereſt ſecunda; an omnes proprium cultum haberent in miniſterio ſuo peragendo. Et de Leuitis; dubium eſt, pleriſque cenſentibus nullum habuiſſe. De reliquis verò; non licet ambigere, cum diſtinctè nobis ſummi Pontificis, & aliorum ſacerdotum propria veſtimenta Scriptura proponat; & rationem etiam illa conficiandi eum cura præſcribat. De his igitur

V tria

tria breuiter expediemus. Primò quot ea eſſent. Secundò qualia; quo nimirum artificio, & ex qua materia confecta. Tertiò quid ſignificarent.

Ex his primum maximè in promptu eſt: in ſcriptura enim numerus eorum, & vſus explicare proponitur; & in vniuerſum octo, ſiue veſtimen-
a Exod. 28. per totum. ta, ſiue ornamenta ſacerdotalia recenſentur [a]. Primò femoralia, ſecundò ſubucula, tertiò balteus, quartò tiara, quintò tunica hyacinthina, ſextò Ephod, ſeptimò rationale, octauò lamina aurea. Ex his autem quatuor, erant tantùm ſummi Pontificis propria; tunica hyacinthina, ephod aureum, rationale, & lamina. Quatuor vero reliqua cum cæteris ſacerdotibus illi communia; nempe femoralia, ſubucula, balteus, & tiara, vt
b Exod. 28. diſtinctè dicitur in eodem capite [b]. Porrò harum veſtium vſus in ipſo tantùm miniſterio diuini cultus, tam ſummo, quam reliquis ſacerdotibus permittebatur, vt diſtinctè Deus ad Moyſen, dum
c Exod. cap. d Ibi v. 43. rationem illi præſcribit [c] eas conficiendi. Omnibus enim enumeratis, adiungit [d]; *Vtentur eis Aaron & filij eius, quando ingredientur tabernaculum teſtimonij; vel quando appropinquant ad altare, vt miniſtrent in ſanctuario, ne iniquitatis rei moriantur.*

e Cap. 28. 4. & 42. Ad verba Exodi.

[e] Facient veſtimenta ſancta fratri tuo Aaron, & filiis eius, vt vt ſacerdotio fungantur mihi.

De ſingulis ſacris veſtibus ſeparatim; quales eſſent, ex qua materia, & quo maxime artificio confectæ.

§. I.

f Ioſeph. lib. 3. antiq. c. 8. Philo lib. 3. de vita Moſ. & 2. de Monarch. Orig. hom. 6. in Leuitic. Hieron. ep. 128. ad Fabiol. cum de vaſib. ſacriſ. Iſidor. lib. 19. Etymolog. c. 21. Beda lib. 3. de tabern. & vaſ. eius. g Riber. de temp. lib. 3. à cap. 5. Arias Montan. in Aaron, ſeu de veſtib. ſacr. Barrad. tom. 2. Concor. lib. 3. c. 43. Martin. Becan. in Analog. veter. & noui teſtam. cap. 7. 9. Sigon. de republ. Hebr. lib. 5. c. 2. & deinceps. Oleaſt. Caiet. Lipom. Cornel. & alij in Ex. cap. 28.

DE hoc argumento accuratè priſci Patres [f] egerunt, & poſt illos Neoterici [g] Tractatores, à quibus accipi poterunt, ſi quis ea fuſius explicata requiret, quæ nos hic ſtudio breuitatis erimus delibaſſe contenti. Seorſim autem de ſingulis agemus, à femoralibus exorſi, de quibus Deus hæc ad Moyſen;

Ad locum Exodi.

[h] Facies & femoralia linea vt operiant carnem turpitudinis ſuæ, & vtentur eis Aaron & filij eius, quando ingredientur tabernaculum vt miniſtrent.

Femoralia.

QVi primo homini, & eius vxori non dedignatus eſt zonas pelliceas ſuis ipſe manibus conficere, eo etiam deſcendit, vt ſacerdotibus ſuis femoralium conficiendorum rationem diſtinctè tradiderit. *Facies*, inquiens, *femoralia linea*. De his breuiter hæc explicanda; nomen, materia, textura, forma, vſus. *Nomen* Hebraicè eſt מִכְנְסֵי *Mechenese*, Græcè *Periſcelides*; de quo vtroque Hieronymus [i]. *Vocatur*, inquit, *lingua Hebræa genus hoc veſtimenti Mechenese, Græcè* περισκελῆ *Periſchels à noſtris feminalia.* Nomen Hebræum à כָּנַס *chanas* deducitur, quod eſt colligere. Vnde Ioſephus à quo ſua Hieronymus. *Sacer-*
h Cap. 28. 42. i Ad Fabiol. 128. k lib. 3. antiq. c. 8. *dos*, inquit, *ſacris* [k] *operaturus, purus iuxta legem, & caſtus accedens, ante omnia Manachaſen* (Hebræum nomen vt auctor in Græco, ſic interpres in Latino retinuit) *quem vocant, induitur; quaſi dicas conſtrictorium. Propter quod ipſum genus hoc veſtium collectorium appellant.*

Materia femoralium, linum erat. Vnde Hebraicè facies מִכְנְסֵי בַד *Michenese bad*, id eſt femo- *l V. Riber. lib. 3. c. 6.*
ralia [l] linea. Sed quali lino? Non omni, ſed certi tantum generis, nempe byſſo, ex qua retorta fiebant. At quomodo? ambiguum eſt, ob verba Hieronymi: videtur enim ex vna parte ſignificare contexta fuiſſe; ex alia verò, nequaquam; *ſed* *m Diſput. 1.*
opera nexili confecta; de quo ſupra [m] plura. *Refert Ioſephus*, inquit Hieronymus, *hæc feminalia de byſſo retorta, ob fortitudinem ſolere contexi; & poſt quam inciſa fuerint, acu conſui. Non enim poſſe in tela huiuſmodi fieri.* Verba planè perplexa. Affirmat *contexi*; negat in tela fieri. Sed dicendum *texturam* propriè accipi per tramam, ſtamen, ſubtegmen, medio radio, pectine, & liciatorio. At quæ fit etiam per varios nexus, aliquando, licet minus propriè, textura quoque appellatur. Indicat ergo Hieronymus ex byſſo retorta femoralia fuiſſe, quæ per acū deinde opere nexili iungerentur. Erat autem *byſſus retorta* Hebraicè שֵׁשׁ מָשְׁזָר
ſces moſzar [n], ad verbum *byſſus duplicata*; quæ fit *n V. Rib. loco cit.*
ex byſſo quæ netur, & poſtea duplicata torquetur. Ex ea autem non contexta ſed conſuta feminalia, expreſsè Ioſephus affirmat.

Eorum forma pendebat ab vſu, quem præſtabant; de quo Ioſephus idem cum dixiſſet hunc veſtitum *Manachaſen*, quaſi *conſtrictorium* vocari; ſubdit. *Eſt autem ſubligare, ſiue ſubligaculum circa verenda, conſutum ex byſſo retorta, quod pedibus inſertis induunt velut dimidiatas braccas, atque circa ilia conſtringunt.* Clarius autem ex illo Hieronymus; *Lineis feminalibus*, inquiens, *quæ vſque ad genua, & poplites veniunt, verenda celantur. Et ſuperior pars ſub vmbilico vehemen-*
ter adſtringitur. Malè ergo qui [o] feminalia velu- *o Becan c. 7. q. 5. loco cit.*
ti caligas fuiſſe dicunt: nihil enim feminalibus commune cum caligis; cum hæ pedum tegumenta fuerint; illa, femorum.

Et ex his in quem vſum præſcripta fuerint; apertè conſtat. *Vt operiant*, inquit Deus, *carnem turpitudinis ſuæ.* Quod explicans ex Ioſepho Hieronymus, *vt ſi quando*, inquit, *expeditis mactant victimas, tauros, & arietes trahunt, portantque onera, & in officio miniſtrandi ſunt, etiam ſi lapſi fuerint, & femora reuelarint, non pateat quod opertum eſt.* Vt olim ſacerdoti cuidam gentilium fertur accidiſſe; quem tunc deridiculo habitum, quod lapſus in victima cædenda, operta nudaſſet, poſteris etiam ridendum tradidit Martialis, vndique captare ſolitus materiam iocandi.

At hæc ſi vera ſunt; quorſum Deus vetuit altare cum gradibus extrui, & ad illud ſacerdotes per gradus aſcendere, ne eorum turpitudo detegeretur? *Non aſcendes* [p], inquit, *per gradus ad* *p Ex c. 20. 26*
altare meum, ne reueletur turpitudo tua. Si enim non poterant altari ſe ſiſtere, niſi femoralibus induti; periculum non erat ne populus inferior aſcendentium verenda conſpiceret, quæ eſſent illis operta. Varij variè reſpondent. Abulenſis nomine turpitudinis, ipſam crurum & genuū intelligit nuditatem; quam vult etiam in ſacerdotibus tegi, nec aliorum conſpectibus exponi. Femoralibus enim etiam ſi verenda; non tamen crura & genua tegebantur, vt diſertè indicatur in Exodo; *Vt operiant*, inquit, *carnem turpitudinis ſuæ à renibus vſque ad femora.* Quare quod Hieronymus in verbis adductis, de genibus & poplitibus adiunxit, de ſuo adiunxit. Alij malunt

ipſa quoque femoralia prohibita eſſe alienis oculis exponi. Licet enim ſub illis verenda laterent; quod tamen eſſent adſtrictiora, neſcio quid obſcœni aſpicientibus obiiciebant; quod Deus in ſacerdotibus volebat ab aliorum oculis ſubduci. Et id vt quam longiſſimè quæcunque ad ſacra miniſteria ſpectabant, ab omni ſpecie impuritatis abeſſent.

a Exod.28.4 Ad verba Exodi.

[a] Facient tunicam, & lineam ſtrictam.

Subucula, ſiue linea ſtricta.

§. II.

SEcunda veſtis erat tunica ſtricta, quæ proximè poſt femoralia induebatur. De qua eadem, quæ de femoralibus explicabimus. Et primò nomen. In Exodo veſtis hæc *ſtricta linea dicitur.* in Leuitico *ſubucula linea.* Hebraicè כְּתֹנֶת *Ketoneth*, à Ioſepho *linea interula.* Eius materia, linum erat; non qualecunque ſed byſſus; vnde appellata. Ioſephus [b]; *ſuper femoralia*, inquit, *induit lineam interulam byſſinam duplicata tela confectam; χεθομὲν noſtris vocatur; ſignificatque ea vox lineam: linum enim vocamus χεθὸν cheton.*

b lib. 3. antiq. c. 8.

Forma autem erat adſtricta, & talaris. Hoc ſecundum Hieronymus poſt Ioſephum diſtinctè tradit. *Secunda veſtis*, inquit, *ex lino tunica eſt poderis, id eſt talaris; appellaturq; Hebraicè* כְּתֹנֶת *Ketoneth, Græcè χιθὼν Chiton, quod Hebraico ſermone in linum vertitur*, At de adſtricta; diſtinctè Scriptura. *Tunicam*, inquit, *facient, & lineam ſtrictam.* Hoc, quod ſit; dubitatur: & ambigendi cauſam præbent variæ verſiones. Quod enim in Hebræo eſt כְּתֹנֶת תַּשְׁבֵּץ *Ketonet, taſbets*, & noſter vertit *lineam*, ſiue *tunicam ſtrictam*; alij vertunt *tunicam opere phrigionico oculis contextam*, vt Pagninus; alij ſimpliciter *tunicam oculatam* vt Vatablus. Alij *tunicam palatam*, vt R. Salomon. *palis* ſcilicet, aut ſedibus annulorum, diſtinctam in quo nouitatis ſtudio perſiſtens etiam Montanus, *Erat*, inquit, *tunica certis ordinibus quas liſtas vocant inſignis, illique ordines oculati omnes; cuiuſmodi mappas in Belgio contextas vidimus, quæ perdicis oculi à figurarum illarum frequentia, vulgo vocantur.* Alij apud Lipomanum [c] vertunt *tunicam incluſionis*, & exponunt *gemmatam*, variis nempe gemmis incluſis diſtinctam. *Incluſores enim* Hebraicè gemmarij ſunt. Sed his omnibus omiſſis, quæ prorſus inſulsè dicuntur, vt mox etiam clariùs conſtabit; certum nobis eſſe debet cum Ioſepho, Hieronymo, & aliis, tunicam hanc, vt noſter interpres vertit, nec incluſam, nec oculatam, ſed ſtrictam à Scriptura appellari. Vnde id & cur? Explicat ex Ioſepho Hieronymus, huius tunicæ formam ſimul exponens; *Hæc*, inquit, *adhæret corpori, & tam arcta eſt, & ſtrictis manicis, vt nulla omnino in veſte ſit ruga, & vſque ad crura deſcendat.* Hæc Hieronymus adiungens ex duplici ſyndone fuiſſe confectam. Vnde in eius verbis duo dubia ſunt. Alterum, quid hæc duplex ſyndon, & quomodo ex illis tunica; alterum, quomodo ad crura deſcendiſſe dicatur. De primo; Ioſephus, à quo Hieronymus, ex duplici tela confectam dicit. Hanc Hieronymus duplicem ſyndonem appellauit. Puto autem per id

c Cat. in Exod. 28.

ſignificari tunicam hanc ad modum vulgaris *camiſiæ* fuiſſe: quod ibi etiam diſertè Hieronymus. Hæc autem duabus telis conſtat ad latera vtrinque ſutura coniunctis: alterum, plus difficultatis habet. Oblitus enim ſui videtur Hieronymus. Quam enim talarem cum Ioſepho dixit, poſtea crurum tenus deſcendiſſe dicit. Sed hoc illi non diſſonat. Ad crura enim *deſcendiſſe* dicit, non *deſiſſe*. Quo modo loquendi qui crura texiſſe dicit, non negat talos. Clariùs autem hoc totum à Ioſepho proponitur. *Tunica*, inquit, *hæc talaris corpori adſtricta habens manicas circa brachia, & ipſis adſtrictas; quæ accingitur circa pectus, paulo axillis inferius Zona lata, nuſquam ſinuatur habetque circa collum amplam aperturam, cuius ora vncinis a pectore, & à tergo committuntur.* Ex quibus ſatis graphicè forma, & ſimul etiam tunicæ huius vſus habetur, qui erat vt in miniſterio ſuo ſacerdotes expeditiores eſſent. Hieronymus ad hoc; *Solent*, inquit, *militantes habere lineas, quas camiſias vocant. Sic aptas membris, & adſtrictas corporibus vt expediti ſint vel ad curſum, vel ad prælium; Dirigere iacula, tenere clypeum, enſem vibrare, & quocunque neceſſitas traxerit accurrere. Ergo & ſacerdotes parati in miniſterium Dei vtuntur hac tunica, vt habentes pulchritudinem veſtimentorum, nudorum celeritate diſcurrant.* Sed quomodo tunica hæc poterat eſſe talaris, ſi geſtantes ad omne opus expeditos reddebat? Nihil eſt enim quod magis impediat, quam veſtis talaris. Vnde *accingi*, & *expediri* in aliquod opus, in ſcriptura pro eodem ponuntur. Eſt autem accingi veſtes fluentes & talares adducere, & cinctu colligere. Fortaſſe militum linea, non erat talaris; vt nec etiam ſacerdotum. Quod enim Hieronymus & alij hanc tunicam ſtrictam ποδήρη *podirim* appellauerint; errore forte factum eſt illi attribuendo, quod eſt proprium tunicæ hyacinthinæ, de qua poſtea. Vel certe dicendum Zona etiam & cingulo ita fuiſſe præcinctam, vt crurum tantum tenus deſineret. Cæterum quod dicit Hieronymus de tunica militari linea, & adſtricta; modum & formam deſcribit habitus, quo Ioab indutus erat, quando per ſummum ſcelus occidit Amaſam. *Porro* [d], inquit, *Ioab veſtitus erat tunica ſtricta, ad menſuram habitus ſui.* Scilicet vt expeditus eſſet ad fugam arripiendam, & curſu ſe ſubduceret; ſi quid Amaſa ſubodoratus, inſidias animaduertiſſet.

d lib. 2. Reg. c. 2. v. 8.

Ad verba Exodi.

[e] Facies balteum opere plumarij.

e Cap. 28. 39

Zona, ſiue balteus, & cingulum.

§. III.

TErtia veſtis cingulum erat. Hebraicè אַבְנֵט *Abenet* [e]; Babylonicè, ſiue Chaldaicè הֶמְיָנִין *hemianin*, quam Zonam ſubinde, & balteum noſter interpres appellat. De hac ſic ex Ioſepho Hieronymus, *Hoc cingulum*, inquit, *in ſimilitudinem pellis colubri, qui exuit ſenectutem, ſic in rotundum textum eſt, vt marſupium longius putes.* Poſtea de textura ſubdit; *Textum eſt ſub tegmine cocci, purpuræ, hyacinthi, & ſtamine byſſino ob decorem, & fortitudinem; Atque ita polymita arte diſtinctum, vt diuerſos flores ac gemmas artificis manu,*

mann,non textas, ſed additas arbitreris. Obſeruandum autem, balteum fuiſſe tam ſummi Pontificis, quam aliorum ſacerdotum; cum hoc tamen diſcrimine, quod balteus ſummi Pontificis erat hac varietate diſtinctus, quam diximus, & præterea tunicam hyacinthinam amplectebatur: at aliorum ſacerdotũ purus, & ſimplex erat; & tunicam ſtrictam inter vmbilicum pectuſque cingebat; vt indicat ibidem D. Hieronymus in quo tamen nonnihil à Ioſepho diſcedit. Hic enim dicit adſtrictam tunicam lineo balteo cinctam, ſub axillis ad pectus, quod eſt *ſub mamillis.* At Hieronymus fermè vult circa lumbos; qui cinctus proprius eſt legis veteris; vt nouæ qui fit ad mamillas. Qua in re Doctores noſtri myſterium etiam agnoſcunt. Veteri enim lege continentiam ſola externi operis prohibitione ſancitam; quod per lumbos accinctos exprimitur. At Euangelica, non ſolum opera, ſed etiam cogitationes inhibitas; quod mamillarum cinctora deſignat. Moſes enim dixit. *Non mœchaberis.* At Chriſtus; *Si quis viderit mulierem ad concupiſcendum, iam mœchatus eſt.* Ideo lumbi cingebantur antiquis, per quos externa luxuriæ opera deſignantur; ſub Chriſto vero papillæ cordi proximæ, quod ſedes eſt cogitationum. Et hoc quoad vſum cinguli.

De eius verò artificio & forma; duo adhuc obſeruanda ſunt. De artificio quidem, quod illud vario florum genere diſtinctum, opere Phrygio Hieronymus affirmat Philonem, Ioſephumque ſequutus: id quod etiam noſter interpres inſinuat, dum vno verbo dicit; *illud opere plumario*

a Exod. 39. 28. *confectum* [a]. *Fecerunt cingulum,* inquit, *de byſſo retorta, hyacintho, purpura, ac vermiculo diſtincto arte plumaria.* Quod tamen de cingulo ſummi Pontificis intelligendum eſt. De quo Hieronymus, & hic locus Exodi ſunt accipiendi. Nam inferiorum ſacerdotum byſſinum erat ſimplici artificio textum. De quo illud accipiendum

b Cap. 28. 39. quod alibi dicitur in Exodo [b]. *Stringeſque tunicam byſſo.* Cuius planiſſimus ſenſus eſt; cinges tunicam zona byſſina. In quo tamen non modicum turbant nouarum verſionum captatores: pro eo enim quod in noſtra eſt; *Stringes tunicam byſſo*; vertunt ipſi; *oculabis tunicam byſſo*, id eſt oculis diſtingues. Sed iſta, vt ſupra monui, futilia ſunt. Hebræum enim verbum שִׁבַּצְתָּ *ſcibbaſta:* quod noſter vertit, *ſtringes*, hoc propriè ſignificat, vt alij ante nos obſeruarunt. Non *oculabis*, monſtrum verbi quod iſti comminiſcuntur שָׁבַץ *ſcibetz* enim à quo *ſcibbatſt*, eſt conſtringere, ligare, innodare; vt etiam perſpicuè intellexerunt LXX. qui quod noſter habet, *ſtrictam* & *ſtringere*, ſemper hic vertunt *colligare, conſtringere, vincire.* Tenendum ergo tunicam illam interiorem & ſtrictam, plane puram fuiſſe, nullo opere elaboratam, vt erat etiam inferiorum ſacerdotum balteus erat, quo illa cingebatur. Alterum quod hic obſeruandum eſt de cinguli forma, quam Hieronymus idem ex Ioſepho, marſupij ſimilem fuiſſe dicit; *vt marſupium*, inquit, *longius putes.* Et Ioſephus ita factum tradit, *vt eſſet intus inane.* Quid enim cingulum, aut balteus poterat habere cum marſupio commune; aut quomodo erat intus inanis? Sed id aperte intelligitur ex iis, quæ ſupra de zona docuimus, & eius vſu apud antiquos in ea nummos geſtandi, & aſſeruandi. Vt ergo intelligeremus diſtinctè qua forma balteus hic eſſet; Ioſephus, & Hieronymus expreſſerunt

Sopran. in Dauid.

illud non qualecunque cingulum fuiſſe, ſed ex eo genere, quo pecuniæ conditæ circunferuntur.

Ad verba Exodi. [c] Impones eis mitras, eruntque ſacerdotes mihi religione perpetua. c Cap. 29. 9.

Tiara, & mitra ſacerdotalis.

§. IV.

QVarto loco tiara erat, operimentum capitis. Hebraicè מִצְנֶפֶת *Miſznepeth*, à vulgato & aliis etiam mitra, galerus, & cidaris appellata materia eius byſſus erat; forma, in modum dimidiatæ ſphæræ. De quo vtroque Hieronymus. *Quartum genus eſt veſtimenti rotundum pileolum; quale pictum in Vlyſſe conſpicimus, quaſi ſphæra media ſit diuiſa & pars vna ponatur in capite ..... non habet acumen in ſummo, nec totum vſque ad comam caput tegit; ſed tertiam partem à fronte inopertum relinquit; atque ita in occipitio vitta conſtrictum eſt, vt non facile labatur ex capite. Eſt autem byſſinum, & ſic fabre opertum linteolo, vt nulla acus veſtigia extrinſecus appareant.* Dubium poteſt eſſe, quod habetur de coronulis his mitris adiunctis; quales ex eſſent. *Facient*, inquit alibi [d], *mitras* d Exod. 39. 26. *Aaron, & filiis eius cum coronulis ſuis ex byſſo.* Beda putat ea auro fuiſſe. Quod enim dicitur, *ex byſſo*; refert ad mitras, non ad coronas. Sed perſpicuè refellitur ex Ioſepho [e], Philone [f], & ipſa Scriptura; quæ clarè ſignificat vittas byſſinas tiaræ circumplicatas, & in orbem ſinuosè ductas, coronas appellatas.

e lib. 3. antiq. loco cit.
f 2. de Monarch.

Et hæc quatuor veſtimenta ſummo Pontifici cum ſacerdotibus omnibus communia erant; vt habetur in Scriptura diſertè; *Filiis* [g], inquit, *Aaron tunicas lineas parabis, ac balteos, & tiaras in gloriã & decorem.* Et paulo poſt [h]; *facies & feminalia linea; & vtentur eis Aaron & filij eius.* Erant enim omnes Aaronis filij ſacerdotes; Aaron vero ipſe ſummus inter omnes: vnde fit has quatuor veſtes; tunicam ſtrictam, ſiue ſubuculam, balteum, tiaram, & femoralia, tam ſummi, quam inferiorum ſacerdotum communia fuiſſe. Videamus ergo iam præter hæc quæ propria ſummi ſacerdotis eſſent.

g Exod 28. 40.
h verſ. 42.

Ad verba Exodi. [i] Facies & tunicam totam hyacinthinam, in cuius medio ſupra erit capitium, & ora per girum eius textilis. i Cap. 28. 31.

Tunica hiacinthina ſummi Pontificis propria.

§. V.

HÆc altera tunica Hebraicè מְעִיל *Mehhil*, cum ſubucula, quæ ſtricta tunica dicitur, in vno tantùm conueniebat, in pluribus diſcrepabat. *Conueniebant* quia vtraque talaris erat & manicata; ob id vtraque ποδήρης *poderis* à LXX. interpretibus appellata. Diſcrepabat autem primo *in materia*: nam ſtricta, erat ex byſſo; hæc tota lanea, coloris hyacinthini; illa ſimplex & pura; hæc, ſummo artificio variata. Secundò, *in ornatu*: illa enim omni carebat; hæc, inſigni cultu erat

planè conſpicua. Ad extremas enim oras ſeptuaginta duo tintinnabula cum totidem malogranatis habebat; quæ alternatim diſpoſita, limbum ambibant. Philo [a] florea adiungit inter tintinnabula, & malogranata ſuas etiam per vices inſertos. Sed eorum Scriptura non meminit; tantùm tintinnabulis, & malogranatis expreſſis. Quæ etiam, quot eſſent; incertum eſt. Clemens Al. vult 366. Proſper 50. ſeptuaginta duo Hieronymus, & Ioſephus. Scriptura, nullo certo numero ſignato, plurima tantum fuiſſe dicit. *Cinxit*, inquit, *illum*, de Moſe loquens, *tintinnabulis aureis plurimis*. Quarto denique diſcrepabat *in modo texturæ*. Nam tunica ſtricta ex duabus telis conſtabat, quæ ſub axillis aſſuebantur; at hyacinthina, deſuper vno perpetuo ductu erat contexta per totum; ſic vt etiam limbi ipſi ad exteras oras aſſuti non eſſent, ſed ſimul attexti, firmitati maiori. Quæ omnia D. Hieronymus ſuis verbis exprimit ex Ioſepho ſententia deſumpta. *Mehhil, eſt tunica talaris, tota hyacinthina, ex lateribus euſdem coloris aſſutas habens manicas, & in ſuperiori parte qua collo induitur, aperta, oris firmiſſimis, ex ſe textis, ne facile rumpatur. In extrema parte, id eſt ad pedes ſeptuaginta duo tintinnabula, & totidem mala punica iiſdem contexta coloribus ve cingulum. Inter duo tintinnabula vnum malum eſt; inter duo mala vnum tintinnabulum, vt alterutrum ſibi media ſint.* Hæc Hieronymus. Erant autem tintinnabula aurea, vt diſertè Scriptura [b]. Mala autem punica, quæ pari cum cingulo artificio dicit Hieronymus eſſe confecta; Scriptura etiam diſertè tradit ex hyacintho, purpura, & cocco bis tincto elaborata. Quod verò ſupra diximus, tunicam hanc inconſutilem fuiſſe; ſatis apertè Ioſephus inſinuat dicens illam non conſtitiſſe *ex duobus ſegmentis, vt ſuturas haberet; in humeris, ac lateribus; ſed vnica tela in longum contexta; aperturam in ſummo habuiſſe, non tranſuerſam, ſed in longum deſcendentem à tergo, & ante vſque ad medium pectus.* Ex quibus haud coniectura improbabili diſcimus Chriſti Domini tunicam inconſutilem in forma & textura hyacinthinæ ſummi Pontificis tunicæ ſimilem fuiſſe, niſi quod operis artificio, pretio qualitateque materiæ & ornamentorum cultu diſcrepabat.

a *lib. 3. de vita Mos.*

b Exod. 28. 34.

c Cap. 28. 6. Ad verba Exodi. [c] Facient ſuperhumerale de auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, byſſoque retorta opere polymito.

Ephod Pontificium.

§. VI.

SEcunda veſtis ſummi Pontificis propria & ſexta ſacerdotalis, ephod erat; quæ ſuper tunicam ſtrictam, & hyacinthinam induebatur. Ea אפוד *ephod* Hebraicè dicitur, à LXX. interpretibus *ἐπωμὶς epomis*, id eſt ſuperhumerale. Materia, & operis artificio longè alias omnes ſuperabat. Auro enim in fila deducto contexta erat ex ſubtegmine cocci, hyacinthi, & purpuræ, cum ſtamine byſſino; qui omnes colores inter ſe mira varietate diſpoſiti, totum opus mirabili pulchritudine decorabant. De ea ergo veſte, hæc quæri poſſunt. Primò qua forma eſſet. Secundò an manicas haberet. Tertiò quæ ornamenta extrinſecus adiuncta. Quartò an & quomodo ſummi tantùm Pontificis eſſet propria.

De primo. Priſcæ picturæ, quæ ſummum nobis legis veteris ſacerdotem repræſentant, ephod exprimunt ad eam formam, quæ nunc ſunt Cardinalium, & maiorum præſulum, quæ dicuntur *Mozzette*, dempto tantum *capucio*, quod iſtæ habent, & quo ephod carebat. At Philo, & Ioſephus thoracis ſimile fuiſſe dicunt. Id ſi eſt, alia longe forma illius fuiſſe videtur, quam quæ paſſim tribuitur. Putatur enim ephod collo circumiectum, humeros & anteriorem partem texiſſe, ad cingulum vſque protenſum; quod affine nihil habet cum forma thoracis. Dici poſſet non per omnia thoraci ſimile, ſed qua tantùm humeros, & pectus ad cingulum tegebat: in modo vero tegendi plane fuiſſe diſſimile. Nam thorax, inter indumenta erat; ephod, inter amictus; Thoraci brachia inſerebantur; ephod iniiciebatur humeris & brachiis. ob quod palliolum à Hieronymo appellatur.

Ex hoc autem an manicas haberet, decidi poteſt: affirmant ex Ioſepho nonnulli, cui hac in re dicunt præ aliis deferendum. Sed omnino dicendum manicis caruiſſe. Quomodo enim breuis pallij figura fuiſſet; ſi manicas habuiſſet? At Ioſephus eſt in contrarium. Non puto: Hieronymus enim qui nobis illum latinè reddit in ſacris veſtibus deſcribendis, nuſquam manicarum meminit, dum ephod enarrat; apertè potiùs manicis caruiſſe ſignificans, dum *palliolum* fuiſſe dicit, oculos mira pulchritudine perſtringens.

Iam verò *de ornamentis*; præter aurea plumario opere, duos ephod habebat lapides pretioſos, qua parte humeros tegebat; eos lapides Vulgatus *Onychinos* fuiſſe dicit cum pluribus antiquorum; Ioſephus quod parum abeſt, *ſardonyches* appellat. Soli LXX. *ſmaragdos*. in iis ſculpta erant nomina filiorum Iacob; in ſingulis ſena natiuitatis ordine diſpoſita; ita vt ſex maiores in dextro, ſed minores in ſiniſtro humero legerentur [d]. Mirum autem eſt quod de his lapidibus à Ioſepho refertur; quoties ſummus Pontifex in re diuina litaſſet, humeri dextri lapidem fulgidiùs micare ſolitum, procul vt etiam intuentibus conſpiceretur; quem fulgorem tempore ſecundi templi deſiiſſe, irato Deo ob præuaricationem legum ſuarum.

d *lib. 3. antiq. c. 9.*

De quarto. An ephod eſſet tantùm ſummi Pontificis; quia de hoc aliàs fusè, breuiter hic ex Hieronymo dicendum ephod, duplex fuiſſe; aureum, & lineum; *aureum*, ſummi Pontificis erat; *lineum*, non ſolum ab inferioribus ſacerdotibus ſed à Leuitis, & aliquando etiam non ſacris hominibus vſurpabatur. Sic Samuel ephod induitur, qui tantum Leuita; & Dauid, qui nec ſacerdos, nec Leuita. At quomodo ſupra docuimus ephod lineum, propriam fuiſſe ſacerdotum veſtem? propriam aſſeruimus; non quod alij quandoque eam non vſurparent, ſed quod ſacerdotes perpetuo cum illa.

Ad verba Exodi. [d] Rationale quoque iudicij, facies opere polymito iuxta texturam ſuperhumeralis. a Cap. 28. 15.

Rationale, tertius ornatus ſummi Pontificis proprius.

§. VII.

HOc non tam veſtis erat, quam veſtis additamentum, ſuperhumerali enim adiungebatur,

batur; de ipſo autem Deus ad Moyſen ſic præcipit in verbis propoſitis. *Rationale facies* ..... *ex auro, hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto, & byſſo retorta; quadrangulum erit & duplex; menſuram palmi habebit tam in longitudine, quam in latitudine.* Ex quibus Hieronymus enucleatè cuncta diſtinguit, & explicat, ad illud exactè cognoſcendum; nomen, materiam, artificium, modum, vſum, ornatum. *Nomen*; appellatur enim Latinè veſtimentum hoc, *Rationale*; Hebraicè, חשן *choſen*; Græcè, λογεῖον *logion*. Materia, erat eadem quæ ſuperhumeralis; artificium quoque perſimile. Modus autem & forma, planè ſimplex, ex omni parte quadrangula, menſura palmari. At vero ornatus adiunctus, duplex erat; alter, *gemmarum*; alter, *doctrinæ & veritatis*. Denique vſus illius erat, vt ſuperhumerali inſertum qua parte pectori propendens, lacunam ad hoc ipſum habebat; Pontificem ornaret, coram Domino ingredientem. Sic igitur hæc omnia Hieronymus. *Septimum veſtimentum eſt menſura paruum; ſed cunctis ſupradictis ſacratius. Intende, quæſo, animum, vt quæ dicuntur intelligas. Hebraicè vocatur* חשן *Hhoſcen; Græcè autem*, λογεῖον; *nos rationale poſſumus appellare, vt ex eo ſtatim nomine ſcias myſticum eſſe quod dicitur. Pannus eſt breuis, ex auro, quatuor intextus coloribus, iiſdem quibus ſuperhumerale, habens magnitudinem palmi per quadrangulum, ne facile rumpatur.* Hæc ille. Cuius vt dicta, ſimulque alia, quæ ad Rationale ſpectant, melius intelligantur,

Quæri primò poteſt, quid nomen Hebræum ad verbum ſignificet. Sunt qui plura putent prout verbum חשן *choſen*, vel *hhoſcen*, variè deducunt. Alij enim à חשה *choſa*, id eſt *tacuit*, deriuant; vt per antiphraſim *choſen*, ſit loquens. Hoc enim rationale, dum oracula fundebat, quodammodo loquebatur. Alij à חסן *choſen*, quod protectionem ſonat, quam rationale pectori præſtabat, illud muniendo. Vnde nouorum verſionum captatores, pro Rationali, pectorale reponunt. Alij per metathesim *Hhoſcen*, ad נחש *nachas* reducunt, quod eſt, *diuinauit*. Sed hæc omnia Hebraizantium ſomnia ſunt. Certum enim nihil eſt de voce Hebrea, niſi eam rectè Latinè reddi *Rationale*, & Græcè λογεῖον *logion*: ne proinde hoc ſignificare.

Secundò, quæri poteſt cur rationale diceretur. Reſpondit Abulenſis, quia quaſi ratione præditum, fundebat oracula: vnde *logion* Græcè dictum; quod tam ſermonem & loquelam ſonat, quam rationem, vt etiam Auguſtinus [a] obſeruauit.

Tertiò, cur rationale iudicij? Quia per illud, iudicium, & ſententia Dei explorabatur, & populo prodebatur.

Quartò, quæ menſura palmi intelligatur; Reſpondeo. Duodecim digitorum, quæ medij cubiti magnitudo eſt. Quod diſcimus ex Hebræo textu. Latinis enim palmus & quatuor eſt, & duodecim digitorum. Hunc autem accipiendum, & non illum; Hebræa declarant, quæ habent זרת *zereth* propriè duodecim digitorum menſuram.

Quintò, quæri poteſt quomodo ſuperhumerali inſereretur. Reſpondeo non ſutura, ſed nexu, catenulis nimirum ex auro, de quibus Deus [b] ad Moyſen; *Facies in rationali catenas inuicem ſibi cohærentes ex auro puriſſimo; & duos annulos aureos, quos pones in vtraque Rationalis ſummitate, catenaſque aureas iunges annulis.* Ex quibus verbis, & aliis ſimilibus in eodem capite ſupra poſitis probabili coniectura colligitur Rationale quatuor annulis ad ſingulos angulos inſertis; totidem annulis ad Ephod alligatum: deinde verò quod ex auro, & pondere gemmarum grauius eſſet, ad ſuperhumerale duabus inſuper catenulis adhæſiſſe, quod indicant Hieronymus, & Ioſephus, & ex illis Ribera [c].

Sextò, cur hæ catenulæ ſibi *inuicem cohærentes* præcipiantur; & quid ſit eas ſibi cohæſiſſe? Reſpondet Abulenſis, & Hugo Victorinus, & ex iis Cornelius [d], & idipſum indicat Beda [e], non quod illæ mutuo iunctæ exigantur; ſed quod ex annulis inuicem nexis. Perinde ergo volunt eſſe catenas ſibi cohærentes, ac *plectiles*, vt eſt ad verbum in Hebræo. Sed quis neſcit aliter fieri catenas non poſſe; niſi ſibi inuicem annulis opere plectile connexis? Non erat igitur vt hoc diſtincte moneretur. Eo ipſo enim quod catena dicitur, annuli ſibi inuicem inſerti intelliguntur. Puto ergo *ſibi cohærentes*, ſignificare, tam longas eſſe debuiſſe, vt ad tergum reductæ, poſſent inuicem copulari; vel certè quod in ipſo Rationali ſibi cohærerent, vtrinque deinde diſiunctæ, vt ſuperhumerali necterentur, vt vult Ribera [f].

Septimò, dubium eſt quomodo Rationale duplex fuerit. Expedita reſponſio eſt, duplicata tela confectum, vt ſunt veſtes aliæ ſuffartæ ad firmitatem; quæ maxime in Rationali requirebatur; vt ne gemmarum, & auri pondere fatiſcens diſrumperetur. Supereſt operoſior expoſitio de duplici Rationalis ornamento; altero, *gemmarum*; altero, *doctrinæ, & veritatis*; de quo vtroque ſeparatim dicemus.

Ad verba Exodi. [g] Poneſque in eo quatuor ordines lapidum, in primo verſu erit lapis Sardius, & Topazius, & Smaragdus.

Lapides Rationalis.

§. VIII.

De his lapidibus breuiter dicendum qui & quot eſſent, quomodo diſpoſiti, quæ nomina filiorum Iſraël, & vt in illis inſcripta.

De primo duodecim erant, & hoc ordine diſtinctè in ſcriptura ſignantur; Sardius, Topazius, Smaragdus; Carbunculus, Sapphirus, Iaſpis; Ligurius, Achates, Amethyſtus; Chryſolitus, Onychinus, Beryllus. De quibus hic ex fuſioribus aliorum diſputationibus libabimus quantum inſtituto noſtro ſatis eſt. Ordiamur à primo.

Sardius.

Hebraicè אדם *odem*, id eſt rubeſcens, à verbo אדם *adam*, quod rubrum eſſe ſignificat, gemma eſt rubei coloris. Arias Montanus eundem putat cum noſtro *Rubino*. Plinio Sarda appellatur, tranſlucidus, & ignis ſpeciem referens, omnium tardiſſimè ſuffuſo humore rubeſcens; ob id diutiſſime contra omnem iniuriam natiuo vigore refulget.

a *Quæſt.* 116. *in Exod.*
b Ex. 28. 22.
c *lib.* 3. *c.* 11.
d Ex. 28. 13.
e *lib.* 3. *de tabern. cap.* 5.
f *loco cit.*
g *Cap.* 28. 17.

Sopran. in Dauid.

Topazius.

VIridis eſt, & cum primum tepertus, omnibus ſui generis gloria prælatus, *quam poſtea Smaragdo ceſſit.*

Smaragdus.

VIridi quoque colote reſplendet; de quo Plinius. *Nullius coloris aſpectus iucundior eſt. Nam herbas quoque virentes, frondeſque auidè ſpectamus. Smaragdos verò tanto libentiùs; quoniam nihil omnino viridiùs illis comparatum viret. Soli gemmarum contuitu oculos implent nec ſatiant; quin & ab intentione alia obſcurata, aſpectu Smaragdi recreatur acies; ſculpentibuſque gemmas, non alia gratior oculorum refectio eſt, ita viridi lenitate laſſitudinem mulcent; non ſolo mutati, non vmbra, non lucerna; ſemperque ſenſim radiantes*, &c.

Carbunculus.

a lib.37. c.7. INter ardentes gemmas principatum habet, cum ipſe non ſentiat ignes; vt ait Plinius[a]. Ob id nonnullis ἀπύρωτος *apyrotes* appellatus.

Sapphirus.

COEleſtis coloris eſt aureis punctis collucens; vt meritò à nonnullis putetur eſſe, qui nunc lapis lazuli, qua de re ſupra pluribus, vbi de coloribus.

Iaſpis.

MAximæ firmitatis, & viriditate coloris Smaragdo perſimilis.

Ligurius.

QVæ gemma ſit; diſceptatur. Aliqui *Lyncurium* appellant, putantque eſſe gemmam ex Lyncis vrina duratam. Sed quod inde fit, non gemma, ſed ſuccini ſpecies eſt, vt ex Plinio alij obſeruant. Ribera vult omnino Ligurium legendum; & ita legiſſe Hieronymum, contendit, qui ſic de hoc lapide; *Scrutans eos*, inquit, *qui de lapidum ſcripſere naturis, atque gemmarum, Lyncurium inuenire non potui.* Sic male legunt Eraſmus, & Victorius, cùm Hieronymus Ligurium omnino ſcripſerit. Quid enim Lyncurius eſſet; facile reperiſſet, cum de eo Plinius, Theophraſtus, Dioſcorides accuratè tradiderint; at Ligurius nuſquam apud illos, aut alios reperitur. Si ergo, vt vult legendum, Ligurios, non Lyncurius, legatur; certum eſt eſſe non poſſe ſuccum aut gemmam ex Lyncis vrina concretam; quoniam qui id affirmarunt, ethymologiam nominis ſequebantur, quæ nulla eſt, ſi *Ligurium* legamus. Quid ergo Ligurius? Hæret Ribera. Alcazar electrum vult firmios & pretij rarioris: ſed quorſum hìc inter gemmas electrum? Nec enim rectè lapidibus ſed ſuccis adnumeratur. Probabile ergo eſt Ligurium, eundem eſſe lapidem cum hyacintho, quod videtur Hieronymus ſuſpicatus. Miratus enim in hoc numero gemmarum pretioſiſſimam, nempe hyacinthum, prætermiſſam ſubdit; *Niſi fortè eſt alio nomine Ligurius.* (malè in vulgatis Lyncurius.) Et hanc coniecturam firmat, quod in Apocalypſi[b] vbi totidem gemmæ duodecim ſignandis Apoſtolis referuntur, pro Ligurio hyacinthus habetur. b Cap.21.

Achates.

OCtauus lapis. *in magna*, inquit Plinius[c], *auctoritate, nunc in nulla eſt, reperta primum in Sicilia iuxta fluuium eiuſdem nominis; poſtea, plurimis locis; excedens amplitudine numeroſa, varietatibus diuerſis mutantibus cognomina eius.* Aptiſſima omnium ob multiplices linearum intercurrentium ductus inuicem ſe interſecantium plures imagines à natura referre. Quo in genere memorabile eſt quod de Pyrrhi Regis Achate Plinius[d] idem narrat, *in qua nouem Muſæ & Apollo cytharam tenens ſpectaretur, non arte ſed ſponte naturæ: ita diſcurrentibus maculis, vt Muſis quoque ſingulis ſua redderentur inſignia.* Quod tamen rider Scaliger vt famæ commentum, nec aliter ipſe Plinius admittit, quam fama vulgatum. c li.37. c.10. d Ibid.

Amethyſtus.

INdica purpureas inter gemmas principatum tenet, vt Plinius dicit. Cauſam nominis ſubdit, quia vſque ad vini colorem accedens, priuſquam eum deguſtet, in violam deſinat, fulgorque quidam in illa purpuret, non ex toto igoens, ſed in vini colorem deficiens. Hinc Amethyſtus dicta, quod à colore vini deficiat, aut inhibeat ebrietatem, cui reſiſtere putatur, vt ex eodem Plinio tradit Iſidorus.

Chryſolithus.

VT ipſo nomine præfert, aureo colore tranſlucet, ob id lapis aureus appellatus. Optimus eſt, qui in collatione aurum albicare quadam argenti facie cogit, vt Plinius, & Iſidorus ex illo.

Onychinus.

SIue Onyx, multiplex eſt; inter omnes Arabica præcipua, in colore vnguis humani, variis intercurrentibus venis igniculos habens nigricantibus zonis accenſos, vt pluribus Plinius & Dioſcurides.

Beryllus.

VLtima gemma eſt, de qua Plinius multis, inquit, natura Smaragdi, aut certe ſimilem Berylli habere videntur in India originem habentes, raro alibi reperti. Poliri omnes ait ſexangula figura artificum ingeniis; quod alioquin hebeſcant, ni ſurdus color angulorum repercuſſu ſuſcitetur. Inter eos probatiſſimos dicit, qui viriditatem puri maris imitantur.

Et hæ gemmæ Rationali erant inſertæ. Qua in re non leue dubium poteſt oriri, cur pretioſiſſima gemmarum Adamas omiſſa. Varij varia. Quis enim cognouit ſenſum Domini; aut quis conſiliarius eius fuit; vt cum gemmas vellet, ſciat cur aliis aliis maluerit? Si tamen moribus informandis, aliquid eſt ex coniectura dicendum, improbabile non eſt, Adamantem omiſſum quod ſymbolum referat impuritatis; & animi,

animi, qui ad cætera firmi, libidinis ardore, quaſi tactu hircini ſanguinis macererur. Qua de re pluribus infra. Nunc de gemmarum diſpoſitione dicamus.

Ea clarè in Scriptura proponitur, vt quatuor ordinibus lapides diſpoſiti, terni in vno quoque
a Exod. 28. 17. locarentur. *Pones* [a], inquit, *in eo quatuor ordines lapidum, in primo verſu erit lapis Sardius, Topaſius, & Smaragdus. In ſecundo, Carbunculus, Sapphirus, & Iaſpis. In tertio, Ligurius, Achates, Amethyſtus. In quarto, Chryſolitus, Onychinus, Beryllus.* Hæc ita clara ſunt, vt interpretis operam non requirant. Tantum notandum quod D. Hieronymus obſeruat. Eoſdem lapides legi in diademate
b Ezech. 28. Principis [b] Tyri, qui hic numerantur; non tamen omnes: hic enim duodecim ſunt, iſti ex his nouem tantùm. Nec ſine myſterio; ad ſignandum nimirum cum lucifero, cuius typum Princeps Tyri gerebat, ex ſingulis ordinibus Angelorum, qui nouem ſunt, aliquem cecidiſſe. In Apocalypſi
c Cap. 21. verò [c] totidem, quot hic, aliter tamen diſpoſiti ponuntur; quod illi lapides Apoſtolos ſignent, Eccleſiæ militantis fundamenta. Iſti vero duodecim Patriarchas, qui longè ſunt Apoſtolis inferiores.

De tertio; quomodo, & quæ nomina filiorum Iſrael eſſent in illis lapidibus inſculpta. Dubium primum eſt an omnes Patriarchæ comprehenſi. Negant quidam; & omiſſos volunt Leui, & Ioſeph; loco quorum ſuppoſitos Manaſſem, & Ephraim Ioſephi filios. Probant primo quia Patriarchæ illi lapidibus erant inſcripti, à quibus duodecim tribus appellabant, vt hic diſertè ſigni-
d Cap. 28. 21. ficatur, in loco Exodi [d], quem tractamus. Sed à Leui & Ioſeph nullæ ſunt tribus propagatæ: inter duodecim enim nulla eſt tribus Leuitica, aut Ioſephina; ſed illarum loco eſt Ephremitica, & Manaſſea. Secundo quia Ephraim, & Manaſſes à Iacobo adoptati inter illius filios computantur. Et ipſi ergo deſcribi quoque debebant, cum filiorum Iacob nomina deſcribi iubentur. At hæc ratio probat nec Leui, nec Ioſeph omitti debuiſſe, planè probat; & verè non omiſſi fuerunt, non quod verè & ſignatè eorum nomina, ſicut aliorum, lapidibus fuerint inſcripta; ſed quod longè præſtantius, fuerint repræſentata. Leui quidem; quia ſummus ſacerdos Leuites erat ex Aaron. Longè ergo melius ipſe per ſe *Leui* nomen, & memoriam referebat, quam aliorum Patriarcharum, quos in pectore ſculptos habebat. Similiter nec Ioſeph omittebatur. Duo enim illius filij deſcripti, longè præſtantius Ioſephi nomen exprimebant. Quia cum duo eſſent, bis eum quodammodo repræſentabant. Vnde adeo non omiſſus Ioſeph, vt bis etiam videri poſſit in ſuo nomine repertus. Et hæc mihi magis opinio probatur, quicquid alij conſentiant; quorum argumenta tanti non ſunt, vt ab ea recedamus.

Secundum dubium quo ordine deſcripti fuerint. Ad quod expedita reſponſio. Prout enim quiſque præcedebat ætate; ſic ante alios deſcribebatur. Primo ergo loco, Ruben in ſardio micabat, in Topazio Simeon, in ſmaragdo Iudas; qui tres erant in primo ordine gemmarum. In Carbunculo verò Dan, in Sapphiro Nephtali, in Iaſpide Gad; qui ſecundum ordinem complebant priori ſubiectum. In Ligurio Aſer, in Achate Iſachar, in Amethyſto Zabulon, tertio ordine locari. Denique in Chryſolito Ephraim, in Onychino Manaſſes, in vltimo Beryllo Benjamin. Quia enim Ephraim, & Manaſſes patrem referebant; Benjamino in hac deſcriptione præferebantur.

Tertium dubium; quomodo nomina hæc eſſent inſculpta. Ratio ambigendi eſt ex illo Scri-
ripturæ verbo [e]; *Calabuntur ſinguli lapides nomini-* e Exod. 28. 21.
bus ſingulorum per duodecim tribus. Quod Hebraicè eſt; *ſculpes eos, ſculptura ſigilli, ſecundum nomen ſuum.* Chaldaicè vero; *ſculpes eos ſculptura diſtincta, ſicut ſcriptura annuli, vel ſigilli.* Quid eſt enim ſculpere *ſculptura ſigilli*, vel *annuli* iuxta nomen ſuum ſingulos Patriarchas; aut, vt habet vulgata lectio, eorum nomina cælare? ſunt qui putent inſinuari per hoc filios Iacob in his gemmis, non ſui ſingulos appellatione nominis inſcriptos; ſed inſigni quemque ſuo & gentilitio ſtemmate deſignatos. Hoc eſt, *non i loro nomi; ma le loro arme, inſegne, ò impreſe.* Probant primò quia iubentur in Hebræo deſcribi filij Iſrael *ſculptura ſigilli, & annuli*, id eſt vt ſolent annuli cælari, quibus ad ſignandum homines vtuntur? In his autem non nomina ſua ſed inſignia ſculpunt, vt Leonem, Aquilam, ſimilia. Secundò quia in Hebræo non dicitur *deſcribes nomen*; ſed *ſculpes eos ſculptura ſigilli iuxta nomen.* Non igitur nomen Iuda ſignatè deſcriptum erat, ſed illius inſigne, nempe Leo, in bello ab illa tribu geſtatum ſicut Danitæ Aquilam præferebant, Ephraimitæ Bouem, Rubenitæ caput humanum. Tertiò quia, propriè nomina cũ ſcalpro lapidibus inciduntur propriè, non cælantur, ſed inſcribuntur. Cælantur autem, quæ varias per imagines inſculpuntur. Cum ergo iubeantur in vulgata *nomina cælari*, non debet id intelligi de nominis ipſius per ſingulas literas inſcriptione; ſed de ſtemmatis artificioſa ſculptura. Notum autem eſt inſignia & ſtemmata gentilitia, *nomina* quoque dici eorum, qui illis vtuntur. Quartò denique, quia alibi in Scriptura diſertè dicitur Patriarcharum magnalia his in la-
pidibus fuiſſe deſcripta. *Parentum* [f], inquit, *ma-* f Sap. 18. 24.
gnalia in quatuor ordinibus lapidum erant ſculpta. Quæro enim quæ iſta magnalia, & quomodo deſcripta? Nuda tantùm nomina literis exarata? Et quis dicat Cæſaris magnalia in ære, vel marmore cælari, cum nudum Cæſaris nomen per ſuas literas illis inciditur? Vel ergo dicendum quæ Patriarchæ glorioſè geſſerunt, fuiſſe lapidibus inſculpta, quod plus nobis dat, quam velimus; vel certè *magnalia ſculpta*, id eſt inſignia & ſingulorum ſtemmata, & quæ nunc *Arma* dicuntur, fuere cælata. Quod enim *magnalia* legitur in vulgata, Græcè eſt; *δόξαι Doxæ* nempe *gloriæ* quæ ſunt ſtemmata glorioſa, ſiue argumenta nobilitatis ſingulorũ, quia ducta ab aliquo inſigni facinore, aut virtute, qua quis aliis excellebat.

Hæc expoſitio videtur aliis longè nimis accerſita. Clare enim Scripturam in noſtra præſertim editione ſignificare, non ſtemmata, ſed nomina ſculpta. *Habebunt*, inquit, *nomina filiorum Iſrael: duodecim nominibus cælabuntur ſinguli lapides nominibus ſingulorum per duodecim tribus.* Quare quod in Hebræo habetur; *Sculpes eos ſculptura ſigilli*; nil aliud volunt ſignificare, quam nomina Patriarcharum in lapidibus incidenda opera cælatoris; ad eum modum, quo ſigilla ſolent. Itaque *ſculptura ſigilli*, non eſſe referendum ad notam inſculptam, ſed ad modum inſculpendi; quod clariſſime conſtat ex hoc eodem capite, vbi de lamina aurea præcipitur. *Fa-*
cies [g], inquit, *laminam, in qua ſculpes opere cala-* g verſ. 36.

toris (Hebraicè, *ſculptura ſigilli*) *ſanctum Domino*. Quid enim hic eſt ſculptura ſigilli? Non aliud, quam vt ſigilla cælari ſolent. Alioquin etiam dicendum eſſet aureæ laminæ ſtemma gentilitium, aut hieroglyphicum aliquod inſculptum; quo quid abſurdius? Sacroſanctum enim Dei nomen tetragrammaton quatuor literis exaratum, non aliud, in illa ſplendebat, vt volunt antiqui [a] Patres.

a *Auguſt. in Exod q. 116. & 117. Hieronym. ep. 128. & 130. Beda lib. 3. de vaſ. tabern.*

Hæc probabilia videntur, apertéque ſaltem conuincunt non ideo dici poſſe gentilitia ſtemmata filiorum Iacob in gemmis inciſa, quod Hebraicè dicantur inſculpta *ſculptura ſigilli*. Sed tamen quod in loco Sapientiæ habetur, illorum *magnalia* fuiſſe in lapidibus incluſa; non video, quam aliam commodiorem expoſitionem accipiat; niſi quod inſignia & argumenta rerum ab illis glorioſè geſtarum, cælata in illis fuerint, ſymbolicis notis. Ad hoc alij reſpondent, *magnalia*, ſiue vt Græce eſt δόξας *doxas & glorias*, ipſa nomina appellari, conſueta ſcripturæ phraſi, qua nomen alicuius glorioſè vulgatum, illius gloriam appellat. Vnde illa ſunt [b]. *Et conuerterunt gloriam Dei in ſimilitudinem vituli comedentis fænum.* id eſt nomen Dei vitulo tribuerunt. Et alibi [c]; *Gloriam meam alteri non dabo.* non permittam vt alij præter me dij appellentur. In quem ſeoſum in hymno Angelorum canit Eccleſia; *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.* id eſt propter nomen tuum nobis manifeſtatum. Quæ, ſi cuipiam probantur; aduerſarium me non habebit. In re enim tenui non eſt diutius funis in diuerſa trahendus; vt ex his, quod quiſque maluerit, ſequi non poſſit.

b Pſ. 105. 20.

c Iſaiæ 48. 11.

d Cap. 28. 30. — Ad verba Exodi.

[d] Pones in rationali iudicij doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino: & geſtabit iudicium filiorum Iſrael in pectore ſuo, in conſpectu Domini ſemper.

Doctrina, & Veritas alterum Rationalis ornamentum.

§. IX.

SI quid in ſacris literis explanatorum torſit ingenia, hoc vnum eſt, quod nunc aggredimur explicare; de quo tria nobis ſunt exponenda quæ maiorem difficultatem videntur habere; nomen, res ipſa, & vſus. Ordiamur à nomine.

Pones, inquit, *in Rationali Doctrinam, & veritatem.* Hebraicè, אוּרִים תֻּמִּים *Vrim, & thumim.* Magna autem controuerſia eſt quid *vrim*, & *thumim* propriè ſint ex origine vocis; & cur per has duas à noſtro interprete vertantur, vt *vrim*, appellet *Doctrinam*; *thumim veritatẽ*. Sunt [e] qui vrim deducant à *Iara*, quod eſt *docere*; & *thumim*, ab *aman*, quod eſt credidit, aut nota aſſeuerantis: propterea noſtrum interpretem *vrim*, vertiſſe *doctrinam*; & *thumim*; veritatem. Alij dicunt אור *vrim*, ab *or* deduci, quod eſt *lux*: & quia omnis doctrina lux eſt, *vrim*, quod eſt ad verbum luces, & illuminationes, *doctrinam* verſam. *Thumim* verò à תָּמַם *tamam*, quod eſt perficere, complere, integrare: ob id noſtrum interpretem ſenſum magis, quam verba ſequendo *thumim* vertiſſe *veritatem*. Completum enim perfectum, & integrum quod eſt, eo ipſo *verum* eſt; & integritas, *veritas*; & homo integer idem, qui verus. Alij quid ſit *vrim*, & *thumim*, nec ſe ſcire dicunt, nec ab aliis ſciri poſſe, aut explicari. Retinent ergo nomen vtrumque inuariatum; & pro eo quod in noſtra habemus; *Doctrinam & veritatem*, toties ipſi reponunt *vrim & thumim*.

e *Bellar. lib. 4. de ſumm. Pontif. 23.*

Duo nobis debent hîc eſſe certa. Alterum, *Doctrinam, & veritatem*, eſſe veram interpretationem illarum vocum *vrim*, & *thumim*. Loco quorum ſeptuaginta habent; δήλωσιν *delosin* & ἀλήθειαν *alitheiam*, id eſt *manifeſtationem*, ſiue *demonſtrationem*, vt legit ex illis Auguſtinus [f], & *veritatem*. Qui nobis ergo nouas verſiones cudunt, & pro iſtis duabus vocibus alias reponunt; aut eas ignotas eſſe prætendunt, nec exprimi Latinè poſſe; temeritatis damnandi ſunt; eo ipſo quod vulgatam illi editionem damnant, à qua niſi cum nota temeritatis diſcedere non poſſunt. Alterum, quod certum eſſe debet eſt, incertum planè eſſe quæ ſit propria ethymologia *vrim*, & *thumim*, liberum proinde eſſe eas ab vna, vel alia radice deducere, modò vulgata lectio nihil inde turbetur, & inconcuſſa retineatur. Et hæc de nomine huius ornatus.

f *Quæſt. 117. in Exod.*

De re ipſa, nempe quid eſſet hæc doctrina, & veritas; longè grauior & operoſior explicatio eſt, in plura penitus, & diuerſa tendentibus quicunque de hac re paulo accuratius egerunt. Omnium tamen ſententiæ facilè poſſunt ad quinque nobiliores reduci. In prima ſunt, qui putant id ſciri non poſſe. Certum [g] enim tantùm eſſe iuſſiſſe Deum poni in Rationali *vrim, & thumim*; ſiue, vt noſter vertit, *Doctrinam & veritatem*; aut vt alij *manifeſtationem, demonſtrationem illuminationes, & perfectiones, ſiue integritates*: Quid autem hoc eſſet; ignorari. *Quid*, inquit Caietanus; [h] *intelligatur nominibus vrim, & thumim; nullus, quantum nouimus; hactenus explicauit. Diuerſi diuerſa dicunt; nec certi aliquid habetur. Neſcitur materia luminum, & perfectionum; neſcitur modus, quo hæc ponerentur.* Et hic tamen auctor oblitus ſui, vel id explicaturus, quod dicit neſciri paulò poſt hoc aggreditur explicare, futilem omnino expoſitionem afferens, per quam non vis exponitur diuinæ ſententiæ; ſed ſenſus eluditur. Rabinos enim ſequutus, omiſſa vera & integra verſione vulgata, verba ipſa Hebraica ſic interpretatur. *Dabis ad pectorale vrim, & thumim*, id eſt, ita pectorale concinnabis, vt appareant, & luceant omnes eius partes; & perfectè cum ipſo pectorali congruant, & inter ſe. Duas enim conditiones iſtas ad literam ſignificari dicit iis duabus vocibus תֻּמִּים, אוּרִים *Vrim, & Thumim*, quæ ſunt *luces & perfectiones*. quibus Rationale ſic indicatur aptandum, vt ex omni parte luceat, & concinnè congruat. Hanc expoſitionem qui legerit, ſatis ſcio miraturum quomodo potuerit viro docto & cordato, qualis erat Caietanus, excidere. Sed mirari deſinet qui ſciet hominem vndecunque doctiſſimum Hebraicæ linguæ ſtudio inconſultiùs abreptum, ita Rabinis in diſciplinam ſe dediſſe, vt quas ab illis nugas audiebat, altius exciperet; & aliis ipſe nugis ingenioſiùs excultas aliis venditando proponeret; ex quo genere hæc expoſitio cenſeri debet. Quid enim inſulſiùs, quàm cùm Deus præcipit in Rationali poni Doctrinam, & Veritatem; velle eum tantum Rationale ſic indui, vt doctè induatur, & aliis partibus commenſuretur? His ergo nugis omiſſis

g *Lipoman. Exod. 28.*

h Exod. 28. 30.

ſis, in officina Rabinorum nobis excuſis.

Secunda ſententia vult *Vrim, & Thumim, Doctrinam, & Veritatem*; neſcio quid fuiſſe diuinitus elaboratum, nec humana vlla arte confectum; quod quale, vel quid eſſet, ſciri diſtinctè non poſſe, Moſi à Deo ſimul cum lege traditum; vel ipſo Rationali completo. Sic Arias [a] Montanus adiungens ad hoc ſignificandum ſcripturam conſultò longè diuerſa ratione de aliis ornamentis, & de hoc fuiſſe loquutam. De illis enim vbi ſermo eſt, dicere Deum Moſi *facies hoc, vel illud*; at vero de hoc *non facies, ſcribes, incidas*; ſed pones; aut, vt in Hebræo, *Dabis in Rationali iudicij Vrim & Thumim.* Non facies hoc tu; ſed à me acceptum pones, aut dabis in pectorali.

a De veſtib. ſacerd.

Tertia ſententia vult ornatum fuiſſe ea gemmis, in quo ſcriptum eſſet nomen Dei tetragrammaton, & ineffabile. Propterea autem dici illud *Vrim, & Thumim*; quia eo nomine omnis illuminatio, & integritas continetur, ſiue, vt eſt in vulgata, *Doctrina, & Veritas.* Includi enim in eo literis ſymbolicis ſanctiſſimæ Trinitatis, & incarnationis myſterium, in quo vtroque doctrina omnis, & veritas, per quam ſalui ſumus. Ita poſt Lyranum [b]; Vatablus, & Eugubinus. Duæ ſuperſunt ſententiæ reliquis probabiliores, altera dicit illos duodecim lapides Rationalis, in quibus erant inſculpta nomina filiorum Iacob, *Vrim, & Thumim* fuiſſe; ſiue *Doctrinam, & veritatem*: ſic vero appellatos, quod ex illis illorumque fulgore varie temperato, oracula redderentur; quibus ambigui rerum ſuarum, illuminabantur, & inſtruebantur; & *Doctrina, & veritas* concipiebatur, de qua Dominum conſulebant. Altera longe probabilior affirmat, *Doctrinam, & veritatem*; ſiue *Vrim, & Thumim*, nil aliud, quam duo iſta nomina fuiſſe ſuis literis expreſſa, & ſignanter inſcripta. Illam priorem plures [c] cum Lyrano ſequuntur, Hanc poſteriorem cum priſcis [d] Patribus interpretes grauiores.

b V. Barrad. tom. 2. Concor. lib. 3. cap. 4. 6.

c Abulenſ. in Exod. c. 28. q. 15.

d Auguſt. q. 117. Exod. Hieronym. ep. 128. Gregor. 2. Paſt. c. 2.

Reſtat tertium De vſu huius ornamenti: nec dubium eſt alium eum non fuiſſe, quam Rationalis ipſius aptati ſic & inſtructi vt hactenus deſcripſimus; non ſolum aurea textura, ſed incluſione gemmarum, & huius myſtici lemmatis inſcriptione. Quia igitur vſus Rationalis, in quo gemmæ & Doctrina & Veritas inſcriptæ? Præcipuus erat ad oracula fundenda. Eo enim ſacerdos indutus, Dominum conſulebat; vel ante ſacerdotem alij. Et Dominus vel immutato fulgore gemmarum oracula temperabat; quod plures [e] minus probabiliter voluerunt; vel quod longe probabilius eſt, ipſi ſacerdoti reſponſa quæ conſulentibus redderet, ſuggerebat. Quod quomodo fieret; quia fuſe à nobis eſt alibi diſputatum, hic aliud non adiungemus.

e Epiphan. lib. de lapidibus ſacr.

f Cap. 28. 36. Ad verba Exodi.

[f] Facies laminam de auro puriſſimo, in qua ſculpes opere cælatoris ſanctum Domino.

Tiara Pontificia, & aurea lamina in illa.

§. X.

VLtimus ornatus ſummi Pontificis proprius erat in tiara, lamina aurea, de qua nunc dicendum. Statuendum vero ante omnia eſt ſummum Pontificem cum reliquis ſacerdotibus communem habuiſſe tiaram; quam etiam galerum, pileolum, cydarim, & mitram ſupra diximus appellatam. Quod ita tamen intelligendum non eſt, vt eadem eſſet vtrorumque tiara. Sicut enim ephod vtrorumque communis erat, cum magno tamen diſcrimine materiæ & artificij; ſic de tiara dicendum. Longe enim præſtantia operis, & ornamentorum qualitate ſummi Pontificis tiara reliquorum ſacerdotum mitris antecellebat, vt pluribus Ioſephus, ex quo alij. Inter alia verò, quibus diſtinguebatur, erat aurea lamina, quam ſolus ſummus Pontifex in tiara, non inferiores ſacerdotes geſtabant. Ea qualis, & ad quid eſſet; à Deo Moſi diſertè proponitur. *Facies*, inquit, *laminam auream.* Lamina hic vocatur; alibi, *corona.* Non quod totum caput cingeret, ſed quod vitta hyacinthina tiaræ alligabatur, quæ vitta capiti circumuoluta, retro deinde laciniis pendebat, vt antiquæ diadematum coronæ ſolebant. *Corona* [g], inquit, *ſupra mitram eius, expreſſa ſigno ſanctitatis.* Apertè enim hîc Eccleſiaſticus laminam, in qua ſignum ſanctitatis erat expreſſum, *coronam* dicit. Alligatam aureo vitta fuiſſe; etiam Scriptura declarat. *Ligabis* [h], inquit, *eam vitta hyacinthina, & erit ſuper tiaram imminens fronti Pontificis.* Vittas autem illas à tergo propendentes, antiqui diadematis ſpeciem præbuiſſe, Salomon oſtendit, ob id alicubi [i] *laminam* eum ſuis vittis & infulis, *diadema* nuncupando. Sed quid in hac lamina ſculptum? *Sanctum Domino. Sculpes*, inquit, *opere cælatoris ſanctum Domino.* Quod quid ſit, dubitatur. Sunt qui volunt has duas voces קדש ליהוה *Kodeſc laiehoua*, quas noſter vertit *ſanctum Domino*, laminæ inſculptas. Sed recepta ſententia eſt ſolum Dei nomen tetragrammaton in illa fuiſſe deſcriptum. Quare ſculpes in ea ſanctum Iehoua, eſt ſculpes in ea quadrilitterum nomen hoc Dei, ſanctiſſimum & omni veneratione colendum. At alibi dicitur in hac lamina Dei magnificentia inſculpta. *Magnificentia* [k], inquit, *tua in diademate capitis illius ſcripta erat.* Verum hoc eſt; ſed Dei magnificentia, aliud ibi non eſt, quam nomen illius, ſanctum, & magnum. Et hæc de ſacris veſtibus illarumque ornatu nunc de ſignificatu; primò, in genere; deinde, de ſingulis ſeparatim.

g Eccli 45.

h Exod. 28. 37.

i Sap. 18. 24.

k Ibidem.

Ad verba Exodi. [l] Facies veſtem ſanctam Aaron fratri tuo in gloriam, & decorem. l Cap. 28. 2.

De varia ſignificatione veſtium ſacrarum: cur in iis materia tam pretioſa, & tam multiplicis artificij quæſita.

§. XI.

HIc operoſus cultus veſtium, quibus ſacerdotes; ſed præcipuè omnium ſupremus ornabatur ſacris operaturus, in eo tantùm non ſiſtebat, quod extrinſecus oculis offerebatur; ſed aliquid arcanæ ſignificationis habebat, quod nobis hic eſt breuiter explicandum. Ad duo ergo nobis inſinuanda illa omnia maximè referebantur, ad intelligentiam inſtruendam, & ad mores informandos. Quod intelligentiam inſtruit interpretatione allegorica eſt ercendum, quod mores informat eſt tropologice interpretandum. Ordiamur à primo.

Allegorica

Allegorica ſacrarum veſtium ſignificatio.

ALlegoricè ergo nobis hunc veſtitum Pontificis aliquid ſignificaſſe, quod videlicet tantum intelligamus non operemur Scriptura demonſtrat. Agens enim Salomon alicubi de ſummo Pontifice, & eius ornatu [a]; *In veſte*, inquit, *poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum*. (a Sap. 18. 24.) Quomodo enim totus terrarum orbis ſummi Pontificis veſtibus ineſſe poterat; niſi quia illum ſymbolicè repræſentabant? Nam vel hac ratione; vel quia deſcriptus in iis eſſet, aut coloribus expreſſus continebatur; non hoc ſecundum. Neque enim vſpiam legimus ſicut mala punica acu formata, tunicæ hyacinthinæ limbo ſuſpenſa fuiſſe; ſic varietate colorum terrarum ambitum in veſte vlla Pontificia fuiſſe deſcriptum. Si ergo in illa erat, ſymbolicè tantùm erat, & ſub allegoriæ nubilo tacita ſignificatione repræſentatus. Quæ ergo veſtis hoc habebat? Dicit Salomon, *in veſte poderis*: per quam dubium eſt quid velit intelligi. Sunt qui tunicam *hyacinthinam*: eam enim propriè podiris & talaris appellata; ſed omnino dicendum non in hac ſola tunica; ſed in toto Pontificis habitu, & omnium complexu veſtium, quibus vndique à ſummo capite ad imos vſque talos induebatur orbem terrarum ſymbolica ſignificatione contentum. Propterea non dicit in *podere*; ſed *in veſte poderis, quam habebat*: quod eſt in toto veſtitu quo ad imos pedes à ſummo vertice tegebatur.

Duo ergo videnda quomodo totus hîc orbis ſignificaretur, & ad quid. De primo Philo nobis ex priſca Hebræorum traditione rem totam eleganterediſſerit; à quo deinde alij deſumpſerunt. Cum enim ſingulas, quas hactenus expoſuimus, veſtes explicaſſet; *Et hic*, inquit, *fuit amictus ſummi Pontificis. Quid autem ſibi velit, & integer, & per partes eius; ne id quidem videtur ſilentio prætereundum. Totus enim totius mundi quædam imago fuit, partes vero ſingularum partium*. Et poſtea; *Nam byſſus, ſiue linum, quod ex terra oritur, terram; purpura, quia marinorum conchyliorum colore inficitur, mare; hyacinthus, quia aëris colorem habet, aërem; coccus, quia igni colore ſimilis, ignem ſignificat*. Tunica igitur interior terram; hyacinthina exterior aërem, tintinnabulorum ſonitus tonitrua; mala punica fulgura; purpureus color mare; coccineus ignem adumbrat, alibi verò idem Philo ſuperhumerali cœlum dicit indicari; duobus in illo ſmaragdis duo emiſphæria; duodecim gemmis in rationali totidem ſigna Zodiaci. Quibus ſimilia Ioſephus, & ex vtroque Hieronymus. Ex quibus D. Thomas ſcholaſtica breuitate ſic rem totam, paucis immutatis, explanat dum ſacras veſtes, & earum arcanam ſignificationem enarrat. *Femoralia*, inquit, *& tunica linea* terram ſignificant, ex qua linum ſumitur; balteus Oceanum, qui terram cingit; hyacinthina tunica aërem, illius tintinnabula tonitrua; mala punica coruſcationes; ephod, ſiue ſuperhumerale cœlum ſydereum; onichini in illo, duo emiſpheria, ſiue duo magna luminaria Solem & Lunam; duodecim gemmæ totidem ſigna Zodiaci; lamina denique cum nomine tetragrammato Deum omnibus præſidentem. Adiungit Hieronymus, à quo D. Thomas, rationali ipſo terram ſignificari ex traditione Hebræorum; *qua inſtar puncti, licet in ſe cuncta habeat; à cunctis tamen calcatur elementis. Eam autem ephod alligari, quod cœlum ſignificat; quia terrena hærent cœleſtibus, & ratio terrenorum temporum caloris & frigoris, & duplex inter vtrumque temperies de cœli curſu rationeque deſcendit*. Et hæc de primo; quomodo orbis terrarum ſacris veſtibus exprimatur.

Ad quid autem id? Ad multa ſine dubio ſignificanda. Primò vt intelligamus omnea res quæcunque illæ ſint, & totum hunc orbem terrarum cum omnibus, quæ illius ambitu continentur, vt in gloriam & honorem Dei creata ſunt, ſic etiam omnia debere illius in cultum impendi, & illi pro ſuo quoque modulo ſupplicare. Verba Sapientis ſunt [b] *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*. (b Prou. 16. 4.) Et hîc Deus Moſi præcipit vt *faciat veſtimenta Aaron*, in quibus *totus erat orbis terrarum, in gloriam & decorem*, non Aaronis ſolum, ſed ipſius Dei. (c Pſal. 150.) Quomodo id? Vt omnia, quæ ſunt, debitum Deo obſequium preſtent, & non ſolum [c] *omnis ſpiritus laudet Dominum*; ſed omnia opera Domini ipſum in ſæcula benedicant.

Secundò vt intelligamus mundum hunc inferiorem Dei perpetua prouidentia gubernari. Et vt Ariſtoteles alicubi [d] dixit, *oportet omnia hæc inferiora contigua eſſe ſuperioribus lationibus*; (d lib. 4 meteor. c. 4.) ſic, vt dicebat D. Hieronymus, *neceſſe eſſe terrena hærere cœleſtibus, vt ſalua ſint, & diſpoſitionem terrenorum temporum de cœli curſu rationeque deſcendere*. Ob id ſummus Pontifex à Deo opem poſtulaturus, totum in veſtibus orbem terrarum ſecum gerebat.

Tertiò. *Vt Pontifex Dei creaturarum omnium typum portans in veſtibus ſuis, indicaret cuncta indigere miſericordia Dei*, inquit Hieronymus; *Et cum ſacrificaret ei, expiaretur vniuerſalis conditio*.

Quartò. Vt officium ſummi Pontificis noſceremus, quod eſt ſollicitum agere, non ſolum pro ſe & ſuis, ſed pro mundi vniuerſi ſalute. *Sacerdotes reliqui*, ait Philo [e], *tantum pro familiaribus, amicis, ciuibuſque ſolent rem diuinam facere; at ſummus Pontifex, non ſolum pro toto humano genere, ſed etiam pro naturæ partibus, terra, aqua, igne precatur, & agit gratias*. (e lib. 2. de Monarc.) Et ex eo Hieronymus orbem terrarum Deo ſupplicaturum, ſummum Pontificem geſtaſſe dicit; *vt non pro liberis tantum, parentibus, & propinquis, ſed etiam pro cuncta creatura voce, & habitu precaretur*.

Quintò. Vt ſignificaretur Chriſtum Dominum, cuius typum ſummus Pontifex ſacris indutus veſtibus exhibebat, vniuerſum mundum ſua morte reparaturum, decorique priſtino redditurum. *Iam tunc*, inquit D. Hieronymus, *purgationem mundi, & rerum omnium ſanctitatem hac cuncta ſignabant*. Propterea D. Paulus de Chriſti redemptione agens, & officio mediatoris; *Vt notum*, [f] inquit, *faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ ſecundum beneplacitum eius quod propoſuit in eo in diſpoſitione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto, ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris in ipſo*. (f Ad Epheſ. c. 1. 10.) Quomodo *omnia*, & quomodo *inſtaurare*? Deo cuncta coniungendo & in decorem priſtinum reparando. Propterea pro *inſtaurare*, D. Hieronymus legit ex Græco *recapitulare*, id eſt ad caput iterum, à quo hominum vitio cuncta defecerant, reuocare. Ob id orbis terrarum totus in veſte Pontificis Deo ſupplicantis; quia cuncta ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris, erant aliquando ſuo iterum principio copulanda.

Ad

Google

Ad id Nazianzenus alludens, Chriſtum Dominum de Iordanis aquis aſcendentem cum à Ioanne baptizatus eſt, ſecum totum mundum ex iiſdem aquis dicit extuliſſe. *Aſcendit*, inquit, *Ieſus de aqua, ſecum quodammodo demerſum educens, & eleuans mundum.* Ecce Aaron in cuius veſte totus erat orbis terrarum, Chriſtus ex aqua paſſionis emergens, & ſecum expiatum eleuans orbem cœno ante demerſum profundæ iniquitatis.

Sextò denique, vt intelligant Principes omnes, ſummum Dei, ſupremumque Pontificem, non ſolum hominum curam agere, ſed illi rerum omnium ſollicitudinem eſſe mandatam; ac proinde eſſe illi cuncta aliquo modo ſubiecta, quod de nullo alio hominum dici poteſt. Optimè ad hoc Bernardus tertium librum ſuum ad Eugenium ſic auſpicatur. *Finis ſuperioris libri huic principium ponit. Itaque iuxta promiſſum illius, conſideranda quæ ſub te ſunt. Quænam ſint iſta; non eſt quod à me quærendum putes, ſacerdotum optime Eugeni: rectius fortaſſe quæ non ſint quæres, orbe exeundum ei, qui forte velit explerare quæ non ad tuam pertinent curam.* Orbis ergo terrarum in veſte ſummi Pontificis qui Romani typum gerebat, expreſſus erat: quia ad huius curam pertinet quicquid illius ambitu continetur. Vt enim cuique ſuæ veſtis aliqua cura eſt, aut eſſe poteſt, & debet, vt illam, cùm opus eſt, adducat, excutiat, dilatet, explicet; ſic totius orbis & omnium, quæ in illo ſunt, ad ſummum Pontificem cura aliqua ſollicitudoque pertingit. Et hæc ſtrictim de ſenſu allegorico.

Senſus tropologicus veſtium ſacrarum, vt in vniuerſum ſpectantur.

AT ad diſciplinam, moreſque formandos, non minora tam operoſo cultu myſteria continebantur.

Primò. Veſtiendus eſt Aaron, & illi cultus idoneus expediendus, in quo Deo miniſtraturus aſſiſtat. Has veſtes non ipſe ſibi, ſed Moſes illi iubetur efficere. *Facies*, inquit, *veſtem fratri tuo in gloriam, & decorem.* non inferioribus id ſacerdotibus mandatur, non Leuitis, non reliquis tribubus, aut Principibus earum: omnibus omiſſis Moſes eligitur, & qui tum ſolus & ſupremus Princeps rei Iudaicæ præſidebat, ſacras Pontifici veſtes expedire iubetur. Quorſum id & ad quid? vt intelligerent Reges & Principes muneris ſui non eſſe Deo ſacrificia offerre; ſed offerentibus non ſolùm ad neceſſitatem; ſed ad ornatum & cultum omnia prouidere. Debent illi templa conſtruere, Eccleſias ditare, ſacerdotia erigere, nouam ſupellectilem parare; & ea omnia expedire quæ Leuitæ & Sacerdotes, & Aaron ipſe opus habent ad miniſterium in quod aſſumuntur. Hoc ita futurum Iſaias prædixit Eccleſiæ, & nos factũ legimus, & fieri quotidie ab illis Principibus videmus, quibus Deus cordi eſt, & ſalus anima-
a Cap. 49. 23 rum ſuarum. *Erunt* [a], inquit Iſaias ad Eccleſiam, *Reges nutrij tui, & Reginæ nutrices tuæ.* Et paulo
b ver. 18. ante dixerat [b]; *Omnibus his velut ornamento veſtieris, & circundabis eos tibi quaſi ſponſa.* En Moſen Aaroni veſtem ſacram parantem; Reges Eccleſiæ nutricij ſunt, & Eccleſia ipſa illorum non ſolum opibus, & opera veſtitur; ſed Principibus & Regibus ipſis quaſi veſtimentis induitur.

Secundò. Tam vult Deus ab omni terrenorum cura ſacerdotes ſuos procul agere; vt nec illis quidem permittat de ſacris concinnandis veſtibus cogitare. *Facies*, inquit Moſi Deus, *veſtem ſacram Aaron in decorem & gloriam.* Facies illi tu, non ipſe ſibi. Iam factã vult illi tradi, illius curæ permitti, ab illo ſeruari: priuſquam fiat, de ea non vult eſſe ſollicitum. Cur id? Quia veſtis ſacra tota pretioſa materia conſtabat; auro, purpura, byſſo, gemmis. Si paranda hæc ab Aarone fuiſſent, in aurum, & gemmas, & purpuram, & byſſum erat illi ſollicitudo vertenda, de iis cogitandum; & ſub obtẽtu religionis negotium cupiditatis agendum. Vt hæc illi occaſio amputaretur, omnis de veſtibus cogitatio etiam ſacris ab illo transfertur in fratrem. Si non licet aurum, gemmas, & purpuram ſacerdoti conquirere, vt inde Dei cultus inſtruatur; an ergo licebit vt equorum Phaleræ parentur, priuatæ veſtes conficiantur, aulæa textilibus picturis ornentur, parietes veſtiantur, & domeſtici forenſiſque luxus inſtrumenta reſplendeant?

Tertiò. Veſtium ſacrarum materia, non quæcunque ſed planè pretioſa requiritur. Cur id? *Quia nihil vile, ac ſordidum*, inquit Beda [c], *in ſacerdotis ore, vel opere debet apparere; ſed cuncta quæ agit, vniuerſa quæ loquitur, omnia, quæ cogitat & coram hominibus præclara & in conſpectu æterni Arbitri oportet eſſe glorioſa.* c lib. 3 de taber. c. 3.

Quartò. Nec tantum materia pretioſa requiritur; ſed varia, & miro multiplicis operis artificio laborata. *Vt quanta*, inquit D. Gregorius [d], d 2 Par. Paſtor. 3. *debeat ſacerdos virtutum diuerſitate clareſcere, demonſtretur?* Et pergit deinde ſingulas ſpecies enarrare. *In ſacerdotis habitu fulget aurum, vt in eo intellectus ſapientiæ principaliter emineat; cui hyacinthus adiungitur, vt per hunc quod intelligendo penetrat, non ad fauores infimos; ſed ad amorem cæleſtium ſurgat; purpura permiſcetur, vt ſacerdotale cor in ſemetipſo ſuggeſtiones vitiorum reprimat, eiſque veluti ex regia poteſtate contradicat; bis tinctus coccus adiungitur vt omnia virtutum bona ex charitate decorentur, quæ quia Deum & proximum diligit, quaſi ex duplici tinctura fulgeſcit. Quid verò per byſſum; niſi candens decore munditia, caſtitas deſignatur? Quæ byſſus retorta pulchritudini ſuperhumeralis innectitur; quia tunc caſtimonia ad perfectum munditiæ candorem ducitur, cum per abſtinentiam caro fatigatur?*

Earundem veſtium expoſitio, vt ſeparatim ſpectantur.

§. XIII.

ET hæc generatim de ſacris veſtibus ex ſua materia, & artificio ſpectatis; Nunc aliquid de ſingulis in eodem ſenſu tropologico diſſeremus. Dubium autem non eſt vnamquamque veſtem præcipuam aliquam virtutem in ſacerdote ſignaſſe; quam Deus ab illo requirit, & officium exigit, cui ſe pares Angeli non agnoſcunt. D. Thomas [e] more ſcholaſtico ſingulis veſtibus, e 1.2. q. 102. a. 5 ad 8. has virtutes dicit myſtico ſenſu ſignari. Femoralibus & tunica linea *puritatem*; cingulo *diſcretionem*; tunica hyacinthina *cæleſtem conuerſationem*; tintinnabulis aureis *ſanam doctrinam*; malis puniceis *bonos mores*; ſuperhumerali *tolerantiam*; Rationali cum nominibus tribuum *ſollicitam pro ſubiecto populo charitatem*; tiara in capite *rectam intentionem*; lamina aurea *iugem Dei recordationem*. Sic ille ſingula aceruatim amplexus. Ipſum

ergo

ergo ex parte ſequuti ſeparatim aliqua de ſingulis ex ſanctis Patribus obſeruemus.

Prima ergo virtus ſacerdotis caſtitas eſt, in illo omnium maximè requiſita, & quaſi fundamentum cæterarum. Quod tam notum, vt etiam gentiles non ignorauerint. Vnde Virgilius cum proprium quod eſt ſacerdotum, proprio epitheto vellet exprimere, caſtos appellauit.

a lib. 6. Æn.

[a] Quique ſacerdotes caſti dum vita manebat.

Propterea, non vna tantum veſte, ſed triplici in hoc ſacerdotii ornatu volunt illam Patres adumbratam. Et primo *femoralibus*, de quibus Deus, dubium ne eſſet iis caſtitatem ſignari; [b] *Facies*, inquit, *femoralia, vt operiant carnem turpitudinis ſuæ*. Vt quamuis carne conſtent vt homines; nihil in ea tamen turpe ſe prodat quod illos pudore ſuffundat. Obſeruat autem Auguſtinus [c] rectè per indumentum caſtitatem ſignificari; *vt non ex ſe ipſo habita; ſed data intelligatur*. At D. Hieronymus [d] altius hic aliquid introſpicit. Quærit enim cur in Leuitico [e] de ſeptem tantum veſtibus ſcriptum ſit; & referatur quomodo Moyſes fratrem ſuum Aaron illis induerit; de ſolis autem femoralibus reticeatur; quæ tamen hic in Exodo tam ſubtiliter deſcribantur. Et reſpondet hac de cauſa factum, quod ad genitalia & verenda noſtra lex manum non mittit; id eſt continentiam & virginitatem lege non præcipi; ſed meliora ſpectantibus ſuaderi. *Vade*, ſubdit, *Apoſtolus* [f] *inquit de virginibus præceptum Domini non habeo, quaſi Moſes loquatur; ſemoralibus ego non veſtio, nec impono alicui neceſſitatem qui vult ſacerdos eſſe, ipſe ſe veſtiat*. Rectè id. Caſtitas enim perfecta, non abſolutè præcipitur; ſed talem ſtatum eligentibus ſeruanda mandatur. Quare Gloſſa [g] ordinaria; *Fœminalia*, inquit, *illam caſtimoniæ portionem, quæ à copula coniugali prohibet, propriè deſignant; ſine qua nemo, vel ſacerdotium ſuſcipere, vel ad altaris miniſterium* (vt ſubdiaconi, & Diaconi) *conſecrari poteſt. Id eſt ſi non aut virgo permanſerit, aut vxoriæ coniunctionis fœdera ſoluerit*. Ob id in ſacris canonibus [h] ſancitur *ad ſacrum ordinem neminem accedere permittendum, niſi aut virgo, aut probatæ caſtitatis exiſtat*. Nec enim otioſe vacat, quod cum de aliis veſtibus agitur, nulla mentio mortis ingeritur; vbi verò de femoralibus; *Vtentur*, inquit, *eis, ne iniquitatis rei moriantur*. In cæteris enim ſi ſacerdos, aut alius ſacro miniſterio deſtinatus offendat[i], aliquando miſericordi venia conniuetur: at hic ſi peccatur, illico pœna mortis infligitur, vt intelligamus quantopere caſtitas à Deo in ſacerdotibus requiratur.

b Ex. c. 28. 42.
c Quæſt. 122. in Exod.
d Epiſt. 128.
e Cap. 8.
f 1. Ad Cor. 7.
g Ex. 28. 42.
h c. nem. c. erubeſcant. c. plerúis 32. d. c. ſi quiſquã de cohabit. cleric.
i lib. 3. de tabern. c. 7.

Ob quod ipſum non ſolis femoralibus, ſed etiam balteo, & linea tunica, vt dicebam, eſt adumbrata. De balteo Beda [i]; *Quod ſuperhumerale*, inquit, *ſtrictum erat balteo, quis non videt, quod cuſtos bonorum operum fideliſſima, virtus eſt caſtitas*. De tunica verò ſtricta ſiue linea; idem Beda, [k] ſimul exponens cur linea, cur talaris, cur ſine ruga; & quomodo per hæc omnia ſacerdotalis caſtitatis conditio deſignetur. *Linum* enim requiri; quia linum & byſſus tunditur, maceratur, torquetur, vt ad candorem ſubtilitatemque perueniat, quam tunica poſtulat; ipſiſſima caſtitatis imago, cuius candor, non niſi carnis maceratione paratur: *ſtrictam* vero tunicam eſſe debere: *quia propoſitum*, inquit, *caſtitatis non oneruiter eſt, nec fluxa mente cuſtodiendum. Aſſidua enim attentione opus eſt*, vt tantum bonum, ſine læſione, ſeruetur *Talarem*; quia ampla debet eſſe ſacerdotalis caſtitas, & diuturna, *Ampla*, vt omnia membra circundet; *diuturna*, vt ad finem vſque vitæ perduret. Propterea *talaris* ad pedes pertingens. Omnia enim membra debent in ſacerdote ſua caſtitate ſplendere; vt in corde nihil voluatur obſcœnum, in geſtu nihil appareat impudicum; manus, oculi, pedes, omnia denique caſtitate tegantur: quæ præterea ad finem vſque vitæ perduret; ob vtrumque *talaris*.

k Cap. 8.

Sine ruga denique debet eſſe tunica, quæ ſacerdotis caſtitatem deſignat; quia virtus hæc nullas in illo plicas admittit. In reliquis multa diſſimulantur; multa nonnunquam leuitate materiæ tranſmittuntur: hic ruga nulla permittitur, nihil leuitati materiæ condonatur; ſed in hoc ſacerdos omni vel minima nota carere debet; præcipue vero periculi, & ſuſpicionis. *Periculi*, reſpectu ſui; *ſuſpicionis*, reſpectu aliorum. *Reſpectu ſui*, quia non tantum caſtus eſſe debet; ſed procul ab omni periculo labendi. Si ergo ſacerdos *tunicam lineam* habeat, *adſtrictam, & talarem*; id eſt, ſi caſtus ſit; at in labendi occaſione verſetur, quam lentus à ſe non ſegregat; bene quidem virtutem habebit; ſed non ſine nota; quaſi tunica linea indutus, ſed non *ſine ruga*. Quod ſi non ſit cum periculo *reſpectu ſui*; ſaltem erit cum offenſione reſpectu aliorum; quibus ex occaſione, in qua verſatur, obloquendi materia præbetur. Propterea etiam ex hoc capite talaris erit tunica, ſed *rugoſa*, caſtitas in ſe perfecta; ſed aliorum ſermone traducta. Hac de re fuſiùs eſt à nobis alibi [l] diſputatum, vbi de ſacerdotali caſtimonia, etiam in veteri lege requiſita, diſſeritur. Ob id acrius hic non premo quæ ad hoc argumentum ſpectant, accuratè ſatis ibi diſcuſſa.

l In 1. Reg. c. 21.

Vnum tantùm hîc non omittam, quod maximè demonſtrat, quam debeat ſacerdotalis caſtitas omni ruga carere. Paulus Apoſtolus ad Titum, quem conſtituerat Epiſcopum ſcribens, eumque inſtruens qua quemque hominum ſtatum diſciplina dirigeret[m], *Tu*, inquit, *loquere, quæ decent ſanam doctrinam, ſenes ſobrios eſſe, honeſtos, pudicos* ..... *anus in habitu ſancto, non criminatrices, non vino multo ſeruientes, bene docentes; vt ad caſtitatem erudiant adoleſcentulas*. inde ſubdit de iuuenibus ab eodem Tito monendis, de ſeruis inſtruendis; de omnibus denique verbo doctrinæ paſcendis; res ſanè digna, quæ curioſius obſeruetur. Apoſtolus à Tito vult omne hominum genus erudiri; ad adoleſcentulas cum venitur eas non à Tito, ſed ab aliis mulieribus, iiſque vetulis, quas ipſe priùs Titus inſtruxerit, officij ſui vult, & muneris admoneri. *Anus*, inquit, *admone vt in habitu ſancto ſint* ..... *vt prudentiam doceant adoleſcentulas, vt viros ſuos ament, filios ſuos diligant*, Ad quid hoc? Benè D. Hieronymus. *In præcepto mulierum vetularum de adoleſcentibus fœminis mandata ſubiecit; vt non tam ipſe doceret adoleſcentulas, quam quid à vetulis docerentur exponeret*. Vt tunica hyacinthina nulla ſit ruga contracta, vt caſtitas ſacerdotalis ab omni procul periculo ſeponatur; ab omni longè rumuſculo ſegregetur; ſacerdos cum adoleſcentula non colloquatur; & ſi inſtruenda ſit, anus prius inſtruantur, à quibus illa diſciplinæ præcepta erudiatur. Caſtus quis eſt, at in aſſiduo cum adoleſcentulis colloquio frequenter cernitur; talarem tunicam habet, ſed non ſine ruga. Subeſt hîc enim vel cauſa

m Ad Tit. ep. 2. ca. 2.

periculi vel meteria ſuſpicionis. Amputetur ergo dicit Apoſtolus ob id ad Titum. *Non tu*, inquit, *adoleſcentulas inſtrue*, vt pudicitiam ſeruent, vt viros ſuos ement, vt filios diligant; ſed anus ipſe doce, vt à te illæ doctæ, magiſtræ poſtea fiant adoleſceutium. Et hoc ed Titum de ſacta inſtitutione: quid dicturus Apoſtolus ad eos qui Titi non ſunt, de vago colloquio, de libere confabulatione, de ſuſpecto eootubernio? Cum pieratis & officij admoneotur, enm ſeria colloquie miſcentur, cum de cuſtodie diſciplinæ conueniuntur, in Secerdotis tunica rugas Apoſtolus timet, ob id à tali colloquio vult ebſtinendum; quid in libere confabulatione timebit? Non rugas opinor, ſed lacunas. Has Auguſtinus ſanctiſſimus Epiſcopus timebat; adeo rugarum peuidus in tunica caſtitatis, vt de illo proponet hodie nobis Eccleſia, quo die enniuerſeriam eius celebritatem colimus, *fœminarum & in eis ſororis, & fratris filiæ contubernium, familiaritatemque vitaſſe*, cum diceret. *Etſi propinquæ mulieres ſuſpectæ non eſſent, ad eas tamen quæ veniitarent, non ſuſpicione carere.* At hæc vt dicebam fuſius alibi.

Reſtat edhuc ad hanc ſecerdotis caſtitatem quod attinet, *byſſus retorta*, ee qua femorelia confici iubentur. Ad firmitatem enim operis byſſus retorta requiritur, quie ſumme ſemper enimi conſtantie & firmitete opus eſt in hac virtute tuenda. Reliqua enim vitia ſic virtutes oppoſites oppugnent, vt eliquando cedant oppreſſe, vel eetincta; & pacem eb illis aliquem ſperare liceat, et caſtitetis hoſtes nuſquam & nunquam ee ecie diſcedunt, vbique ſemper intenti, & in illius exitium parati. Ipſe ſenectus, vt D. Hieronymus alicubi conquerituṙ[a], feruidis cogitetionibus perſæpe torretur, & membris languentibus, animus exæſtuat hoc igne ſuccenſus. Ob id byſſus & linum, non ſolum ſæpius maceratum requiritur; ſed filo duplicato retortum; vt edſtringere valide poſſit, nullo periculo ſciſſuræ.

c Epiſt. 22.

Secunde *Virtus* ſacerdotis propria eſt *terrenorum contemptus & amor cœleſtium*; quæ duo ab Eccleſieſticis tractatoribus, & arctioris vitæ magiſtris vno *cœleſtis conuerſationis* vocabulo deſignantur. Hanc ſacerdotalis viri propriam eſſe; ee ſe ipſo Apoſtolus monebat, dum diceret in perſona omnium ſacerdotum[b]; *Conuerſatio noſtra in cœlis eſt.* Ob id ergo poſt femoralia, lineam tunicam & baltheum, quibus caſtites exprimebatur, *hyacinthinam tunicam* ſummus Pontifex induebat; quæ cæleſtem hanc conuerſationem deſignabat. Beda[c], *Tunica hyacinthina*, inquit, *qualis eſſe debeat ſacerdotalis vita docetur; hoc eſt ſupernis ſolum deſideriis inceſſanter intenta, & conuerſationem iuxta Apoſtolum habens in cœlis.* Et ſubdit huius tunicæ capitium firmiſſimam oram habuiſſe; *quia primordium ſacerdotalis vitæ forti radice timoris Domini ſubnixum, & contra omnes inſidias hoſtis antiqui debet eſſe munitum.*

b Ad Philip. 3.

Tertia ſecerdotis *Virtus* eſt *ſtudium prædicationis* ad animas inſtruendas. Vt enim D. Gregorius[e]; *prædicationis officium ſuſcipit, quiſquis ad ſacerdotium aſcendit.* Ob id tunicam hyacinthinam non ſolum debet ſacerdos induere; ſed ex ea debent aurea tintinnabula pendere. Quid hoc eſt? Quie prædicationis officium non in principio ſtatim ſanctæ conuerſationis aſſumi; ſed cum iam diu quis in illa probatus fuerit, debet vſurpari: ideo non in ſummitete, nec in medio; ſed in extrema ora tintinnabulis aureis tunica cingebatur. Et erant hæc alternatim malogranatis inſerta[d]; *quia nec opus ſacerdotis debet vnquam à ſonitu verbi quod loquitur, diſcrepare; nec ab operis rectitudine linguæ ſonitus diſſidere.*

e lib. 5. ep. 24.

d Beda lib. 3. de tabern. c. 6

Sopran. in David.

Aliis *aurea tintinnabula*, ſunt bona fame; quæ eeternam tunicæ oram embiunt; quia bona famie debet tantum ſequi ſanctam actionem, non ipſam præcedere. Sed præter hæc; duo puto voluiſſe Deum tacitè per hac tintinnabula ſignificare.

Primò. Vitam ſummorum præſulum obſcuram eſſe non poſſe, nihilque abſconditum debere ſperari, quod ab illis geretur.

——[e] *Nam lux altiſſima fati*
Occultum nihil eſſe ſinit, latebraſque per omnes
Intrat —

e Claud. de 4. Conſul. Hon.

Hioc tintinnabulis eccinctus iuſſus Aaron incedere, vt omnes ſuos greſſus intelligat eſſe vocales. Secundo, vt populi ed illum reuerenter eccipiendum peteotur, tintinnabulorum ſonitu prius excitantur; quod ſi non faciant, nihil habeant, quod illos eecuſet.

At quid malogranate? Fidei, & fidelium vnitatem potat illis Gregorius ſignificatam. *Sicut enim, inquit, in malo punico multa interius grana vnoco exterius cortice clauduntur; ſic innumeros ſancta Eccleſia populos vnitas fides contegit, quos intus diuerſitas meritorum tenet.* At Beda *virtutum multiplicem operationem vno claritatis munimine profeſſam, mala punica interpretatur.* Cyrillus per tintinnabula ſingulos particularium Eccleſiarum Doctores intelligit; per mala punice, particuletes Eccleſias. *Tintinnabula, ænigma non obſcurum ſunt prædicationis: vrbium vero, mala punica. Vt enim vrbs vno muro circundatur, & plurima in ſe domicilia continet; ſic malum punicum vno putamine cingitur; ſed interius grana tanquam muris tunicis diſtinguuntur, & prope dixerim per domicilia colliguntur. Tintinnabulum ergo ſingulis malogranatis adiunctum eſt; quia vnicuique vrbi ſuus magiſter eſt.* Hæc Cyrillus de malis punicis.

Tunica Hyacinthinæ *ephod* ſuperinduebatur, humeros velans; vnde illi nomen eſt *ſuperhumerale*; huic *Rationale* iungebatur. Sic vt prius ephod, inde Rationale; *Quia* inquit Hieronymus, *prius nobis eſt faciendum, quam docendum, ne doctrinæ auctoritas caſſis operibus deſtruatur.* At Rationale ipſum quadrangulum erat; vt indicaretur[f] *rationem hominis ſolidam eſſe oportere, & inconcuſſam.* Eidem vero *manifeſtationem & veritatem.* Philo[g] dicit adiunctas; *quia ratio debet eſſe veriſſima, & nihil eorum præ inuidia celare, quod cognitu vtile ſit.* At Beda *doctrinam & veritatem*, vult in pectore Pontificis eeculeas, *vt ſciat ſacerdos doctrinæ ſe ſtudiis, & veritatis inquirendis, non curandis rimandiſque ſæcularibus negotiis eſſe ſacratum.*

f Philo lib. 3. de vita Moſ.

g ibidem.

Sequuntur in Retionali *Gemmæ*, & inſculpta nomina ſingularum tribuum: non obſcura, puto, ſignificatione myſterij. Vt enim ſummus Pontifex intelligeret quantum onus geſtaret, in ſingulis lapidibus ſunt ſingulæ tribus inſculptæ: quia quanta cura ſollicitus eret; ne vitio aliquo gemmæ difluerent; tanta quoque de ſalute omnium tribuum anxius eſſe debebat. Redditus habent Sacerdotes & Epiſcopi; ſed in his redditibus omnium ſuor animarum nomina ſculpte populi ſibi ſubiecti, *pro quibus rationem ſunt reddituri.* Pondus Ætne gremius: licet enim gemmæ &

 lapilli

lapilli magnopere non videantur pondere ſuo geſtantis humeros grauare; tribubus tamen adiunctis, onus ſunt angelicis humeris formidandum. At nunc paſſim cum ſacerdotium quis, & epiſcopatum deſiderat, omnium primum oculos ad gemmas redditusque conuertit; quibus veſtis ornatur, & qui ex Epiſcopatu percipiuntur; nominum vero quæ in illis inſculpta ſunt, nulla ratio ducitur. Quam magni enim ſint redditus, & qui prouentus, anxiè quæritur; quis & quantus ſit numerus animarum, quantum ratio reddenda eſt, non cogitatur. Beda [a] rectè de hoc. *Aaron nomina filiorum Iſrael ſuper pectus portat in æternum: quia Præſul quiſque fidelis, eorum quibus prælatus eſt, curam nunquam intermittit habere. Sed vitam inguer illorum hortando, increpando, conſolando, confortare, & confortandam, tutandamque Domino crebris ſatagit orationibus commendare.*

a Cap.7.lib.3.de Tabern.

Aſt aliter hoc ipſum D. Gregorius [b]. Per nomina enim Patriarcharum, Patres antiquos intelligit; quos in pectore debet ſacerdos ſummus aſſidue geſtare; quia illorum vitam ſemper ante oculos debet habere, vt illorum veſtigiis inſiſtat. *Aſcriptos*, inquit, *Patres ſemper in pectore ferre, eſt antiquorum vitam ſine intermiſſione cogitare. Nam tunc ſacerdos irreprehenſibiliter graditur, cum exempla Patrum præcedentium indeſinenter intuetur.*

b 2.Paſtor. cap.3.

Denique hæc omnia virtutum ornamenta vno Dei nomine conſecrantur: quia quicquid à ſacerdotibus vſpiam cogitatur & fit, id totum in Deum referri debet, & eius inuocato nomine coronari. Si enim B. Apoſtolus ab vnoquoque fideli requirit, vt omnia quæ faciunt, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti faciant; quid æquum eſt in hoc à ſacerdote præſtari? *Lineis induimur*, inquit Hieronymus [c], *ornamur hyacinthinis, ſacrato balteo cingimur, Rationale in pectore ponitur, accipimus veritatem, profert ſermo doctrinam: imperfecta ſunt vniuerſa; niſi tam decoro currui dignus quæratur Auriga, & ſuper creaturas creator inſiſtens, regat ipſe quæ condidit.* Tandemque concludit auream laminam magni Dei nomine notatam, omnium poſtremam reliquis ornamentis accedere; quia nihil prodeſt nobis omnium rerum eruditio, niſi Dei ſcientia coronetur.

c Epiſt.128.

De habitu, veſtituque ſeruili.

Capvt IV.

Agemus primò quid in huius diſcrimine à veſtitu nobilium ratio, & natura requirat; deinde, quid in eo diſcrimine retinendo apud Hebræos & alios ſit obſeruatum. Ordiamur à primo.

Dubium non eſt, quin ratio ipſa, & rerum natura poſtulet, vt talis cuique veſtitus aſſumatur, qui vitæ congruat, quam profitetur. Itaque ſeruorum cùm ſit aſſidue in humili opere verſari, nobilium procul ab illo, ſeruis à natura veſtitus ille conueniet, qui non ſolum talia opera non impediat, ſed maximè iuuet; nobilibus verò contra, qui maximè ſit ab infimis operibus abiunctus, & ad illa adeo non expediat, vt impedimentum præſtet. Ariſtoteles id acutè vidit, & vno verbo ſignificauit; dum cauſam reddit cur Apud Lacedæmonios eſſet proprium nobilium comam nutrire. *Quia* [d], inquit, *erat libertatis indicium.* At id cur? ſubdit; *Non enim eſt facile crinitum facere opus aliquod ſeruile, atque artem aliquam fabrilem exercere. Liberale autem eſt non ad alium, nec ad alterius arbitrium viuere*; veriſſimè dictum.

d Ariſt.1. Rhet.c.5.

Ex quo primò fit proprium nobilium habitum eſſe veſtibus indui, quæ ad exteriora opera & *mechanica*, vt appellat Ariſtoteles, præſtent impedimentum; vt eo ipſo intelligatur eſſe eos non ad ea exercenda, ſed ad aliis imperanda. Ob id omnium ferè gentium conſenſu magiſtratum gerentes, ſapientiam profitentes; vt iuris, vt medicinæ vt alterius facultatis inſigni donati, veſtibus omnes longis, & latè fluentibus vſi ſunt & adhuc vtuntur. Nec ob aliud ſacræ literæ cum Deum nobis hominis ſub ſpecie proponunt, ſed omnia nutu regentis, illi veſtes attribuunt laciniosè fluentes [e]. *Vidi* (inquit Iſaias) *Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum; & ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum.* Quid hæc, quæ ſub ipſo? Tractus veſtium lacinioſus, quo ſolum verrebat incedens, & ſolium inſidens operiebat. Et D. Ioannes in Apocalypſi [f] Chriſtum vidit *in medio ſeptem candelabrorum aureorum, veſtitum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea.* Talaris ergo veſtis, & vltra talos extenſa propria eorum, qui non ad opus ſeruile, fabrile, mechanicum, quod manuum, brachiorum, corporis denique miniſterio expediatur: & quoniam tales, nobiles ſunt, & qui in magiſtratu conſtituti, & qui diuina curant, à ſæculi negotiis ſegregati; vt ſacerdotes ſacris altaribus addicti hinc horum omnium veſtes, amplæ, latè fluentes, & talares; & id apud omnes gentes ſimiliter quia pueri & fœminæ minus etiam aptæ ſunt ad hæc opera præſtanda, veſtis illis quoque laciniosè fluxa tributa eſt, & ad talos demiſſa. Eorum enim qui externis operibus deſtinati non ſunt, duplex genus eſt, aliorum quos illa non decent, & aliorum qui obire non poſſunt. In primo genere ſunt omnes nobiles, & alij qui ad nobilia munera deſtinati; qui licet opera hæc mechanica poſſint exercere; non tamen decet. In ſecundo genere ſunt omnes ætatis, aut ſexus infirmioris, quales fœminæ & pueri; ob id veſtes vtriſque talares & amplæ tributæ illis, vt inde conſtet ad aliud eos, quàm ad opera ſeruilia deſtinatos; licet hæc poſſint; iſtis vt conſtet eos ad illa non eſſe, quia non poſſunt. Et hæc de veſtitu nobilium ex illo breuiſſimo Ariſtotelis dicto colliguntur.

e Cap.6.1.

f Cap.1.13.

Secundò ex eodem colligitur qualis eſſe debeat veſtitus ſeruorum; talis nimirum qui ſola externa ſpecie, & primo aſpectu teſtetur eſſe eos ad opera mechanica deſtinatos. Quid opus mechanicum? Actio quæ natura ſua debet ab actione alia gubernari, qualia fermè ſunt quæ niſu, & labore corporis exercentur; & propria ſunt artium, aut facultatum mechanicarum. Ad quod obſeruandum Ariſtotelem ibi ſtrictim & lateter facultates omnes in mechanicas diſtinguere, & architectonicas: illas eſſe quæ manuum, & aliorum membrorum opera exercentur; iſtas, quorum opus ab animo rationeque peragitur. Ob id eas *obedire*, iſtas imperare: quia animi imperio, miniſterio vero corporis homines vtuntur. Ergo *mechanicum* opus & ſeruile eſt, quodcunque corporia opera & labore præſtatur; architectonicum vero, quod animo rationeque perficitur; & quia ſerui ad obſequendum ſunt, nobiles & ſapientes ad imperandum; ideo Ariſtoteles eos eſſe dixit ad opera mechanica, quæ manuum

opere

opere peraguntur; iſtos ad architectonica quæ ſolo animo & præſcripto rationis expediuntur. Quis ergo veſtitos mechanicis operibus accommodatus? Indicat ibi Ariſtoteles [a], & ipſa per ſe ratio ſuggerit, qui nec talaris ſit, nec laciniosè diffuſus; ſed adductus, adſtrictus, accinctus. Eleganter Pet. Chryſologus [b] hoc obſeruauit in illud; *ſint lumbi veſtri præcincti. Cingulum*, inquit, *eſt propriè iudicium ſeruitutis.* Quare id? ſubdit; *Quia & diſcurſus expeditos reddit, & facit agiles obſequentes.* Hæc cum ita ſint, facilè eſt videre ſi rationis ductum ſequamur, qualis eſſe debeat proprius habitus ſeruorum.

a 1. Rhetor. loc. cit.

b Serm. 54.

Primò enim, vt modo dixi, attractus debet eſſe & adductus. Sinus enim fluentes & vndantes; opera exteriora præpediont, & veſtis ad genua vſque, taloſque dimiſſa liberos diſcurſus intercipit.

Secundò pedes eſſe debent excalceati; ſaltem ſola planta muniti: vnde in ſacris literis excalceatum incedere, ſymbolum eſt ſeruitutis.

Tertiò caput nec pileo, nec galero, nec vllo alio tegumento, debet eſſe protectum. Facilè enim dum inclinantur dum celerius mouentur & huc illuc aguntur, hæc tegumenta decidunt, & impedimentum præſtant celeritati.

Quartò denique cincti debent eſſe, quod cingulo nihil ſit, quod artus & membra magis ad opera expediat, quæ corporis miniſterio peraguntur.

Et hinc eſt quod in ſacris literis *ſuccinctum, accinctum, præcinctum* ſtare, ſint ſymbolum ſeruientis, quare qui ſignificare volunt ſernile miniſterium ſe cuipiam exhibere, coram illo ſe accingunt, & præcingunt. Ob id Chriſtus Dominus oſtendens hominum cauſa ad ſeruilia ſe miniſteria demiſſurum, id circunloquutus eſt per veſtis *accinctum. Amen* [c], inquit, *dico vobis quod præcingat ſe & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Obſtupeſcit ad hæc Chryſologus [d] & expaneſcit. *En*, inquit, *mutatio inaudita rerum, en terribilis correptio dominationis, en pauenda conuerſio ſeruitutis; quia parumper ſeruus adſtitit in Domini ſui expectatione ſuccinctus, hunc vt talionem reddat, diſſimulat ſe in ipſa diuinitate diuinitas.* Quomodo id? Quia habitum ſeruientis aſſumet. Quis hic habitus? *Præcinget & tranſiet.* Vt enim liber quis ſit ad tranſeundum & circumcurſandum, ante præcingitur. Propterea dicit ibi Chryſologus in cœleſtibus polliceri nobis Chriſtum nouiſſimam virtutem, qui longè prius nobis eam exhibuerit in terris: in cœleſtibus præcingens ſe, & diſcumbentibus miniſtrando, in terris præcingens ſe & pedes Apoſtolis abluendo; vtrobique ſeruili habitu aſſumpto, quia vtrobique præcinctus. Qui ergo ſtatu & conditione ſeruus, ſemper eſt adductis veſtibus, & adſtrictis; qui non conditione, ſed voluntate, tunc veſtes adductas induit cum exhibet cuipiam obſequium ſeruituris; vel certè longas, quas habet, colligit & præcingit. Et hæc in diſcrimine ſeruilis habitus, & ingenuorum ratio & natura requit.

c Luc. 12. 37.

d Serm. 12.

Nunc ſecundum videamus, quid in hoc veſtis diſcrimine ſit moribus vſurpatum. Multa de multis gentibus quærenda eſſent; omnia tamen ad Hebræos & Romanos reducemus, de vtriſque quærentes an eſſet apud illos ordinarios aliquis habitus ſeruorum à nobilium veſtitu diſtinctus; & quis ille.

Sopran. in Dauid.

Breuiter ergo dicendum tam apud Hebræos, quam [e] Romanos in materia, numero, & forma veſtium diſcrepaſſe. In *materia*, quia ſeruorum veſtis ſemper ex vili, denſa, & obſoleti coloris, ornatu nullo extrinſecus adiuncto. In *numero*, quia ſeruis nullæ vnquam togæ, nulli pilei, pauciores tunicæ, nulli calcei. Quod ſi quando pallium concedebatur; illud erat anguſtum, & circa collum reductum, vt nobis ſæpe Plautus ſeruos producit. In *forma* denique quia tunica non eadem ſeruorum & nobilium. hæc enim laxior, & quæ facilè poſſet in plicas & rugas contabulari; illa adſtricta, & adducta. Quæ omnia per ſe clara ſunt. Exemplis autem ſuperſedeo, quibus illuſtrata probentur, quod ſacras & externas hiſtorias legenti paſſim nulla opera monitoris occurrant.

e V. Petr. Fabr lib. 2. ſemeſtr. c. 10.

Vnum tantùm eſt quod de Romanorum conſuetudine difficultatem facit. Scribit enim alicubi Seneca tantam ſeruorum multitudinem in Vrbe fuiſſe, vt eum cogitarent aliquando Patres de diſcrimine aliquo, quo ſerui & nobiles internoſci poſſent, abſtinuerint ne paucitas ingenuorum, & illorum multitudo conſpiceretur. *In Senatu*, inquit [f], *dicta eſt aliquando ſententia, vt ſeruos à liberis cultus diſtingueret; deinde apparuit quantum periculum eſſet, ſi ſerui noſtri nos numerare cœpiſſent.* Hæc ſi ita ſunt; nullum ergo apud Romanos inter ſeruos, & liberos veſtium diſcrimen. Ita eſt; ſed hoc id quod poſuimus non euertit. Diximus enim à nobilibus illos, non ab omnibus liberis, & ingenuis cultu diſtinctos. Nam in populo Romano multi erant extremæ ſortis, in veſtitu obſoleto, & planè ſeruili incedebant, anguſtia ad id rei familiaris adacti, non cōditione ſtatus. Aliud igitur eſt ſeruos habitum proprium vſurpare non potuiſſe; aliud, ciues in habitu, quo ſerui ſolerent, nunquam inceſſiſſe. Illud veriſſimum eſt; itaque toga, calcei, pileus nuſquam à ſeruis vſurpabantur, niſi ſi quando ſaturnalia luderent, aut cum manumittebantur. Hoc ſecundum falſum, quia plures res anguſta domi premebat, & in ſola tunica cogebat incedere; quos ob id Horatius *popellum* appellauit, de Iudæo ſulphuratore loquens, qui

f lib. 1. de clem. c. 23.

Vilia vendebat tunicato ſcruta popello.

Ad illa verba; [g] Rex autem Iſraël & Ioſaphat Rex Iuda ſedebat vnuſquiſque in ſolio ſuo veſtiti cultu regio.

g 3. Reg. 22.

Capvt V.

De Regum, & ſupremorum Principum habitu apud Hebræos.

§. I.

Regum proprius habitus in veſtes & inſignia diſtinguitur, quibus illi ſubiectis populis conſpicui redduntur: de vtriſque ſeparatim dicemus, ea explicantes, quæ propria non ſolum Hebræorum Principum, ſed aliarum gentium fuere, quarum in ſacris litteris aliqua mentio. Prius autem de regiis veſtibus dicemus; deindè, de regio cultu & inſignibus.

Regiæ veſtes eximium quid apud omnes gentes ſemper habuerunt in materia, forma, & ornatu. In *materia*; quia peregrina ſemper & pretioſa conſtabant. In *forma*; quia ad maie-

ſtatem maxime conciliaodam. Io *ornatu* ; quia operoſiſſime comptæ. Materia ergo ptoptia veſtium regiarum fuit *aurum,purpura,ſericum*; non quod alij nunquam his vterentut ; ſed quia Reges ſemper aſſiduè. Et primò *aurum* adeo illorum propriom ; vt plerumque auteæ veſtes pro regiis in ſaetis litteris, & apud externos Auctores,vt ſupra docuimus appelleutut. In hoc genete fuerunt apud Romanos,qoas *paragandas* poſterioti tempore dixerunt ; de quarum varietate fuſè ante nos alij.

Sequitnt *purpura* , quam etiam ſupra docuimos adeo aliquando Regum fuiſſe propriam & imperautium ; vt aliis eam habere, capitale fuerit. Illorum certe maximè propriam fuiſſe , quæ tuuc ibi plura protulimus , & hæc quæ ſubiicimus apertè demonſtrant. Hiue enim inter omina Imperij ſemper habitum , ſi purpura , vel quid purpureum affulſiſſet. Vnde Capitolinus omen aliquando Impetatuti Claudio Albino fuiſſe dicit , quod infans , purpurea matris faſeia ligatua eſſet : Et vbi quis Imperator ptimum ſalutabatur , inter prima delati Imperij ſigna , purpura erat ; quam cum non aliter ad manus eſſet , ex aris,ex delubris , ex vexillis rapiebant. Sic Gordiauus à militibus , à quibus ad Imperium euectus fuerat,purpura contectus eſt è vexillis detracta,vt refert Capitolinus [a] ; Ex aria aſſumpta Celſus ; è Deorum ſimulactis *Probus*, & *Saturninus*. Et de Proculo refertur cum Imperator à militibus tumultuario creatus eſſet , nec adeſſet purpura qua veſtiretur,lanam purpuream & infectam illius humeris aggeſtam. Et hoc eſt quod ſupta monuimus D. Gregotium purpuram quæ erat in veſtitu Pontificis , allegorice ad animi imperium tetuliſſe ; quod in degeneres affectus debet exercere : quia nempe purpura proprie imperantium. *Propria* , inquam , quia nunquam ſiue illa ; licet alij aliquando cum illa ; non tamen omoi : nam qui priuatorum purpura vtebantur , id tantùm in veſtibus poterant ex lana & lino ; purpureo ſerico ſolis Principibus reſeruato. Quæ poſtea proprio nomine *blatta* dicta eſt. Quod enim blatta exquiſitiſſimum eſſet purpureæ tinctutæ genus , *ſericum purpureum*, vel *blatteum ſericum* ; vel ſimpliciter *blatta* , vel *blatteum* eſt appellatum. Quare quod Suetonius de Nerone refert , *piſcatum eſſe aureo rete purpura coceoque funibus nexis* ; Eutropius aliis verbis enarrans, *piſcatum* dicit *retibus aureis,qua blatteis funibus extrahebat* , ex purpureo nempe ſerico confectis. Et ne proprium id Romanorum tantum putemus,etiam Reges Aſſirij, & alij Orientales,inter ea quæ maximè propria erant regalis cultus , *purpuram* habebant. Quare Balthaſar ei, qui ſcriptoram eſſet interpretatus , habitum regium promittens , *Quicunque* , inquit [b], *ſcripturam hanc legerit , & interpretationem eius manifeſtam mihi fecerit purpura*(veſte nempe regia) *veſtietur.*

a In Gordiano.

b Dan c.5.

Sericum denique propria quoque materia erat veſtium regiarum. Hinc vt ſupra [c] monuimus,cum Mardochæus regiis veſtibus Indui iuſſus eſſet , poſtmodum narratur [d] ex palatio Regis egreſſus ſerico pallio circumamictus. Qua de re, quis ſupra pluribus hic plura non addo. Tátùm illud adiungo ſericum aliæ materiæ permixtum , viris Principibus , & priuatis promiſcuum fuiſſe; veſtes vero totas boloſericas omnino priuatis interdictas : quod , quandio durauerit ; hic iterum non explico. Et hæc de materia veſtium regiarum.

c Diſput.1. hac eod. lib.

d Eſth 8.7.

Nunc de forma : ea, vt dixi , maximè quæſita, quæ faceret ad illos magis conſpicuos reddendos. Talis erat quæ maieſtatem illis conciliaret, aot innatam augeret. Itaque apud omnes Orientales in veſtibus regiis amplitudo, & ſinuoſa laxitas in primis quæſita eſt ; quod vtrumque quomodo maieſtati parandæ vel ornandæ conduceret ; explicatur à Xenophonte,vbi Cyri veſtitum deſcribit [e]. *De Cyro*,inquit , *videmur didiciſſe quod non ſolum decere exiſtimabat Principes ſubditis praſtare,quod iis forent meliores;ſed etiam opus eſſe dicebat , vt ornatu corporis eos allicerent. Elegit itaque ſtolam medicam , quam ferre quoque familiaribus Principibus perſuaſit. Hac enim viſa eſt ei occultare , ſi quis defectum aliquem haberet in corpore ; praterea ea indutos & pulcherrimos & maximos oſtendere.* Quomodo id ? ſubdit ; *Quia laxa & laciniosa veſte induti , facilè poterant calceos extollere,& ſic maiores,quam eſſent,apparere.*

e lib.8. Cyripæd.

Orientalibus ergo prima veſtis *ſtola barbarica* erat à Medis,Perſis,Aſſyriis, Ægyptiis vſurpata; longè ſine dubio , diuerſa à martonali ſtola Romanorum. Propriam autem illam Regum,& virorum principum fuiſſe , qui ad aliis imperandum eligebantur,argumento Ioſephus eſt , qui à Pharaone cum regia poteſtate Ægyptiis impoſitus,ante omnia *ſtola* [f] *byſſina* veſtitus eſt. Ad hanc formam regiæ veſtis , vt plurimum exterior veſtis erat,qua Reges vſi ſunt Hebræorum. Ei vero aliæ apud alias gentes appellationes attributæ,ex forma paululum immutata deſumptæ, qua quæque conſtabat. Nos hic aliquot enarrabimus ſine dubio proprias virorum principum. De forma enim talium veſtium agentes , non poſſumus eam commodios explicare , quam ſingulas recenſendo.

f Gen.41.42

Primo ergo loco *Trabea* fuit. Hanc volunt plerique ſtolæ barbaricæ reſpondiſſe; vt idem eſſet apud Romanos *trabea*, quod Hebræis & aliis orientalibus Regibus barbarica ſtola ; quam nos Itali dicimus *Manto regale*. Iſidorus [g] ; *Trabea*, inquit , *toga ſpecies ex purpura & cocco qua opertè Romani Reges initio incedebant*. Recte *operti*, fluxa enim & laxè ſinuoſa cum eſſet , Regem ita in conſpicuo ponebat , vt ſimul abſconderet , vt illi plus inde venerationis accederet. Propria ergo *trabea* Romanorum Regum. Hinc Ouidio [h] Romulus trabeatus.

g lib.9.

h lib.1. Faſt.

Hoc igitur vidit trabeati cura Quirini.

Et de Seruio Tullio ſexto rege Iuuenalis [i]

i Sat.8.

Ancilla natus trabeam & diadema Quirini
Et faſces meruit Regum vltimus ille bonorum.

Inde verò quia Conſules Regum loco ſequuti, trabeæ quoque ipſis aſſumptæ , vt proprium dignitatis inſigne. Hinc *trabea conſularis*. Ammiano [k] : & Auſonius [l] ſui conſulatus inſignia recenſeos.

k lib.26.

l Pro Tract. ad filium.

Vt trabeam pictamq; togam mea premia Conſul
Indueret.faſtiſque meis pralatus haberet.

Similiter Liuius [m] *Conſul*,inquit, *verè primo trabeatus incontinenter ad hoſtem pergit*. Obſeruandum verò trabeam Latinis dupliciter vſurpari; *propriè* , & eſt veſtis , quam dixi propria regnantium,*impropriè*;& eſt idem ferme quod *chlamys*. Inter chlamydem vero & propriam trabeam hoc diſtabat;quod chlamys,pallij ſpecies erat;trabea, togæ. Ideo chlamys adducta , & attractior ; trabea , laxè fluens. Quod igitur aliquando Romanis

m lib. 32.

nis equitibus trabea tribuatur; intelligendum id eſt de trabea pro chlamyde, non proprie dicta: Valerius Maximus ſic accipiendus cum dicit [a], *Trabeatos equites idibus Iulijs Quintum fabium tranſuehi inſtituiſſe.* Et ſimiliter Suetonius [b] decretum referens vt *quoties Domitianus gereret Conſulatum, Equites Romani, quibus ſors obtigiſſet, trabeati, & in haſtis militaribus illum præcederent.* Neque enim quia apte trabeam eandem accipiat, quæ propria Regum; inter alia, quia ea lacinioſa & fluens, & in morem ſtolæ barbaricæ diffuſa finibus; quo habitu nullus impeditior ad iter & opus, ad quod vtrumque expediti eſſe debebant equites, qui tranſuehebantur, aut Domitianum tutelæ cauſa comitabantur.

a lib. 2. c. 2.
b Cap. 14. in Domit.

Qualis ergo veſtis *trabea* propria regnantium? Vt iam dixi, toga erat ampla ſinuoſè fluens, aureo textu, & verſicolore, qui quod trabium, virgarumque ſpecie variatus eſſet; inde veſti trabeæ [c] nomen indictum. Sunt qui putent eam coloris albi fuiſſe; quod candida plerumque dicatur. Sed vt alibi monnimus, *candidum* perſæpe non pro ſpecie coloris, ſed pro *ſplendenti, & lucido*, nuncupatur. In quo ſenſu veſtis candida nonnunquam eſt eadem, quod ſplendens, & auro argentóve refulgens. Qualis etiam *auro ſqualere* à Virgilio dicitur. Regalis ergo trabea, quia ex auro in hoc ſenſu candida. In ea, vel ſimili veſte Herodes [d] fuiſſe putandus quando *veſtitus veſte regia, ſedens pro tribunali populum alloquebatur.* Et hic, *Dei voces, non hominis, acclamabat.* Eam enim veſtem Ioſephus [e] ſubtilius deſcribens, *Amictus*, inquit, *erat veſte tota ex argento, mirabili opere contexta, quæ radijs orientis ſolis percuſſa, & diuinum quendam fulgorem emittens; venerationem cum horrore ſpectantibus excitabat.* Simili quoque veſte Aſſuerum indutum debemus accipere de quo in libro [f] Eſther. *Reſidebat ſuper ſolium regni ſui indutus veſtibus regijs, auroque fulgens, & pretioſis lapillis.* Licèt enim Barbari & Hebræi Reges exterius indumentum quo regiè amiciebantur, ſtolam aut alio nomine, non trabeam appellarent; aliud tamen non erat, quam quid adſimile trabeæ Romanorum, quæ in ſacris literis *ſtola gloriæ, & iucunditatis* appellatur, fere ſemper cum *corona coniuncta*; quod eſſet propria regnantium; antonomaſticè verò ſic dicta; quia cum ſtola, vt ſupra vidimus, *veſtimentum* ſignificet, huic nomen generis eſt attributum, quaſi veſtimentorum omnium præſtantiſſimo: propter quod à Dauide Deus Opt. Max. vt Regum Rex ſtolatus, aut trabeatus inducitur amictus non ſerico, aut byſſo; ſed lucis operimento. *Confeſſionem*, inquit [g], *& decorem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimento.* Vel vt alij legunt, *amictus lumine ſicut ſtola, & trabea.* Ad quod alludens D. Fulgentius [h], cum Dei filium ſignificaret vt Regem de thalamo ſuo procedentem, ex vtero Virginis egreſſum in regijs veſtibus inceſſiſſe carnem quam ex Virgine ſumpſit, illius trabeam appellauit, *il ſuo manto reale. Heri*, inquit, *Rex noſter trabea carnis indutus, de aula vteri virginalis egrediens, viſitare dignatus eſt mundum.* Obſeruandum porro, vt Orientales & Hebræi Reges iis quos in præmium virtutis, aut priuata gratia ſuper alios extollebant, regalia indumenta dabant, vt factum legimus ab Aſſuero cum Mardochæo, à Balthaſſare cum Daniele, & ante omnes à Pharaone cum Ioſepho; ſic Romanos indumenta proprie imperantium, non ſolum poſt

c Turneb. lib. 9. 11. Marcel. ad 3. Taciti.
d Actor. 12. 22.
e lib 9. Antiq c. 7.
f Cap. 15. 15.
g Pſal. 103.
h Serm 5. qui eſt de S. Stephano.

Sopran. in Dauid.

Reges Conſulibus; ſed præter Conſules, iis, quores egregias in bello geſſerant, conceſſiſſe. Proinde in *trabea* erant qui triumphabant, & quibus ornamenta triumphalia concedebant. Et hæc de trabea.

Secundo loco *chlamys* erat, & ipſa nonnunquam inter indumenta recenſita propria regnantium. Eutropius [i] de Diocletiano. *Ornamenta gemmarum veſtibus calceamentiſque addidit: nam prius Imperij inſigne in chlamyde purpurea tantum erat.* Hinc Caſſiodorus [k] de dignitate patritiatus loquens, cui regia ornamenta conceſſa erant, illi chlamydem auratam tribuit. Et Patres obſeruant in regio habitu Chriſtum per ludibrium à militibus fuiſſe productum, cum illi chlamydem coccineam induerint; quia hæc erat inter inſignia regnantium. Sed dicendum cum chlamys Regibus attribuitur, per illam trabeam, vel paludamentum intelligi; niſi dicamus quotidianum Regum & Imperatorum habitum, cum in publico familiarius agebant, chlamydem fuiſſe.

i lib 9. hiſtor. Rom. in Dioclet.
k lib. 5. Variar. & ix ex Patr. Pls. l. 14 aduerſar. c. 16.

Tertio ergo loco *paludamentū* erat nō ſemper à Principibus, ſed in bello duntaxat vſurpatum: à trabea differebat, quod hæc togæ ſpecies, illud pallij erat. Ob id trabea largè laxeque fluens; paludamentum adſtrictius. Milites enim quilibet *in ſagis* erant, ordines qui ducebant *chlamydati*, Imperator ipſe *paludatus*. Itaque *paludamentum*, chlamys erat Imperatoris; *chlamys*, paludamentum inferiorum Ducum; *ſagum* paludamentum, & chlamys cuiuſcunque militis. In ſacris literis chlamys, exterior veſtis eſt, quam quotidiano cultu ſupremus Dux in bello geſtabat: vnde Saul in chlamyde ſemper inducitur [l], cum non pro maieſtate ſupremi Ducis agebat. Tunc enim paludamentum aſſumebatur. At quod de trabeæ diſcrimine diximus à paludamento, quod togæ ſpecies eſſet, ab Auſonio turbatur. Hic enim vt modo vidimus inter inſignia Conſulatus *trabeam, pictamque togam* recenſet. Non ergo *trabea*, toga, niſi velimus duplici toga Conſules indutos; ſed dicendum togæ pictæ nomine, vel tunicam palmatam Auſonium intellexiſſe; vel trabeam, & pictam togam Conſulatus inſignia fuiſſe, non quæ ſimul induerentur, ſed ſubinde per vices. Togam pictam frequentiùs & in quotidiano cultu; trabeam cum tota maieſtas exerebatur. Et hæc de veſtibus exterioribus.

l 1. Reg 24

Interiores autem Regum veſtes erant apud Romanos *palmata tunica*. Sic dictæ, quod palmis intextæ, vel vt Seruio placet ad illud Virgilij [m].

m lib. 11.

Et ſellam regni, trabeamque inſignia noſtri.

quod illas à Regibus conſequebantur, qui palmam de hoſtibus reportaſſent. Ob id triumphantes in trabea erant, & palmata tunica.

Quinto loco calcei erant ſerici & purpurei, quos proprios Regum fuiſſe præſertim apud Romanos argumento eſt, quod Conſules qui Imperatorum tempore regio ornato incedebant, aureis calceis vtebantur. Caſſiodorus [n] in formula Conſulatus. *Pinge, vaſtos humeros vario colore palmata, validam manum victoriali Scipione nobilita, lares proprios etiam calceis auratis egredere.* Nec dubium quin Regibus Orientalibus præſertim, aurei non ſolum calcei eſſent, ſed gemmati, quod ſupra ex Plinio & aliis docuimus, vbi de cultu mundoque muliebri. Et hæc de veſtibus regiis, eorumque materia, & varia forma. Nunc de inſignibus.

n lib 6. variar.

Regum inſignia præſertim Orientalium.

§. II.

COmmuni generis humani conſenſu tria videntur in cultu regio, quaſi regiæ dignitatis inſignia fuiſſe, quibus illi ſubiectis populis conſpicui reddantur. Diadema, ſiue corona, ſceptrum, & talaris non ſolum, ſed lacinioſa veſtis, ſinibus amplè diffuſa, quam alij aliter Romani vt vidimus trabeam, Orientales ſtolam nuncuparunt.

Primò ergo *diadema* erat, de quo breuiter dicendum quid eſſet & quale, ad quid, & cur, & à quibus Regibus vſurpatum.

De primo. Diadema nunc vulgò creditur & appellatur ex auro ſolido, vel alio pretioſo metallo corona. Nihil à vero longius. Erat enim diadema, linea faſcia candida vt plurimum, & diſtincta gemmis. Quod *linea*, & *faſcia*, argumento ſunt quæ de Lyſimacho Iuſtinus refert Alexandri Magni comite. *Lyſimachum*, inquit, *deſilienſeque Alexãder haſta cuſpide ita in fronte vulnerauit, vt aliter ſanguis claudi non poſſet, quam diadema ſibi demptum Rex alligandi vulneris cauſa capiti eius imponeret. Quod auſpicium primum regalis maieſtatis Lyſimacho fuit.* Et Plutarchus vbi narrat vxoris Mitridatis interitum, cui permiſſum à victoribus fuerat mortis arbitrium. *Vbi*, inquit, *adfuit Baccides, eique indixit mortem* (Monymæ vxori Mitridatis) *quæcunque faciliima videretur, detractum capiti diadema, collo aptauit, atque ex eo ſemetipſa ſuſpendit; quo cito abrupto, execrabilis faſcia, inquit, ne ſic quidem mihi vtilis eris?* Hinc apud Romanos Lucio Metello *diademati* cognomen eſt inditum, quod aliquando vlceris cauſa candida vitta caput ligatum geſtaſſet; Et in Magnum Pompeium cum is aliquando crura faſciis albis cinxiſſet, à pleriſque ambitionem eius, regnique cupiditatem notantibus, iactatum eſt *parum referre qua quiſque parte corporis diadema geſtaret.* Cur id? quia diadema, non aliud quam faſcia & vitta. Quare cum idem Magnus Pompeius Tigranem Armeniæ Regem ſuperatum Regno expuliſſet, hic ad illum accedens, ad victorem victus, inſigne regni candidam faſciam, qua caput præcingebatur, pedibus eius abiecit. Qualis ergo hæc faſcia & vitta, & qua forma capiti circundata? Pierius id graphicè deſcribit [a] ex antiquo numiſmate effigie Tigranis Regis inſculpto. *In quo*, inquit, *prælata faſcia floribus, & alitibus acu pictis opere Phrigio nitebat, quæ à fronte caput ad occipitium circundãs, duabus hinc inde taniis à medio diſciſſis à tergo pendebat, vndique fulgentibus gemmis marginata.* Ad quid ergo, & cur in argumentum tantæ dignitatis res vilis aſſumpta; certè nec in ſe pretioſa, nec magnopere ſpectanda? Non aliunde factum id exiſtimo; niſi quia, vt alij [b] etiam ante nos obſeruarunt, Reges olim inaugurati one ſua pretioſo oleo circa tempora inungebantur; & ſic inuncti, & quaſi ſacrati linteolo tempora delibuta velabant, & in eo habitu primum in conſpectu populi prodibant: inde factum, vt faſcia circa tempora inſigne Regis haberetur, vt inuncti, & ad ſceptrum ſacrati. Proceſſu vero temporis opere Phrygio variata, gemmiſque diſtincta, non ſolum ad inunctionem velandam, ſed ad ornatum conferendum cœpta eſt vſurpari; vt a nobis alibi [c] fuſiùs eſt explicatum.

[a] lib. 41. hyeroglyph.

[b] Hieronym. Balb. libel. de coronat. ad Carol. V.

[c] In Comm. ad 1. Reg. c. 10.

A quibus ergo Regibus faſcia hæc vt inſigne dignitatis adhibita? Ab Orientalibus, iis præſertim, qui Regno per inunctionem ſacrabantur. Quare dubium non eſt Hebræorum Regibus aliam coronam Regni inſigne non fuiſſe, quam *diadema* ſic explicatum: quod ſatis illa confirmant, quæ ſupra docuimus, in ſacris literis vittas omnes capiti circundatas, *coronas* appellari. Itaque Regibus Ægyptiis, Perſarum, Aſſyriorum, Thracum, Armenorum, non aliud in capite dignitatis inſigne, quam diadema. De Perſis, Macedonibus, & Thracibus illud oſtendit, quod ex Iuſtino protulimus. De Regibus Armeniæ; quod ex Plutarcho de Tigrane. De Syriæ, & Aſſyriæ; quod in libro Machabæorum de Antiocho refertur, qui moriens, inſignia Regni amico reliquit filio reddenda; *diadema*, [d] *ſtolam*, & *anaulum*. De Ægyptiis teſtatur Florus [e], Antonij habitum deſcribens qui Regum Ægyptiorum cultum aſſumpſerat, vt à Cleopatra, quæ Regina erat Ægypti, non diſſideret.

[d] lib. 1. Machab. c. 9.

[e] lib. 4. hiſtor. Rom. c. 11.

Aſt aliis aliarũ gentium Regibus inſigne capitis *corona* erat, à *diademate* propriè ſumpto diſtincta, quod corona ex metallo & ſolida; diadema, linea, & in modum vinculi; corona ſuperimpoſita cingeret, diadema ligaturà vinciret. Hæc antiquitus propria fuit Regum Occidentalium; & in Italia priſcis Regibus vſurpata. Vnde illa ſunt Virgilij [f] de Latino

[f] lib. 12.

> —— *ingenti mole Latinus*
> *Quadriiuga vehitur curru, cui tempora circum*
> *Aurati bis ſex radij fulgentia cingunt,*
> *Solis aui ſpecimen* ——

Quibus verbis elegantiſſimus Poeta originem tacitè ſignificauit coronæ Regiæ, cùm propriè ſumitur, vt à diademate diſtincta. Quod enim Reges omnes antiquitus ortum ſibi cœleſtis ſtirpis aſſererent, & maximè ſe Solis filios haberi vellent, à cœlo & Sole titulos etiam, & ornamenta mutuabant. *Titulos*; quia omnes à luce deriuati: vnde factum vt Reges, illuſtres, ſpectabiles, clariſſimi, ſerenique dicantur, & quicquid denique cum luce eſt, ſplendoreque coniunctum illis tribuitur. *Ornamenta*; Solis radios quos vere non poſſent induere, auro ſimulando. Coronam itaque circa caput adiunxerunt, ex qua duodecim in directum radij vibrati, Solis ſpeciem referebant; qui deinde cœpere ſurſum ad verticem attolli, & inde in eam formam corona regia conflata, quæ nunc vſque perdurat; varie tamen à variis apud alios variata.

Secundo loco, poſt diadema & coronam, *ſceptrum* erat; baculus nimirum aliter apud alios ornatus; antiquiſſimis temporibus etiam ferro præfixus; inde, auro. Loco cuius apud Romanos faſces ſucceſsêre, & deinde apud illos, & alios gladius. Erat enim ſceptrum inſigne poteſtatis, ſicut diadema conſecrationis quia enim non aliter in ſubiectos populos poteſtatem Reges exercent, quàm paſtor in gregem; vnde toties non ſolùm in ſacris, ſed in prophanis literis paſtoris nomen Regibus attribuitur, huius poteſtatis idem illi ſymbolum habent quod paſtores, *baculum* nempe, aut virgam. *Nec enim aliud ſceptrum erat*, inquit Suidas [g], *quam lignea virga, qua denotabatur Reges eſſe Paſtores populorum, vt illos Homerus* [h] *appellat; quos ſceptro regunt, vt oues à paſtoribus baculo reguntur.* Hoc à Dauide virga regni vocatur [i]; de qua quomodo Hebræis Regibus in vſu fuerit, alibi diſſeruimus [k]. An autem

[g] In ver. σκῆπτρον.

[h] 1. Iliad.

[i] Pſal. 44.

[k] in Comm. 1. Reg. c. 14.

Romanis

Romanis Auguſtis, & Conſulibus ſceptrum aliquando, & virga, inſigne fuerit poteſtatis; paulo poſt iterum cùm Iuſtini Imperatoris habitum deſcribemus.

Tertiò denique Regum inſigne fuit veſtis exundans, & ſinuosè fluens apud omnes gentes. Et id non ob aliud, quam vt ex ipſo habitu ſtatim appareret ipſos non eſſe ad vllum exercitus opus, & mechanicum deſtinatus; nec ad aliquid exequendum, ſed ad imperandum. Vt enim ſupra

a *lib. 1. Rhet. c. 5.*

ex Ariſtotele [a] dicebamus, liberi hominis maximè proprium eſt, illum habitum geſtare, qui prima ſtatim ſpecie teſtetur, ipſum non propter alios eſſe, ſed propter ſeipſum. Talis eſt habitus laciniosus, fluens, exundans. Eo ipſo enim apparet non eſſe qui illum geſtat, ad opera quæ corporis miniſterio peraguntur; ſed quæ animo perficiuntur. Quod ſi præterea ſit planè habitus ſinuoſus & impeditus; eo ipſo indicat eſſe non ad vllum obſequium aliis præſtandum; ſed ad illa ab aliis accipienda. Ob id Regum habitus quando cum toto ſtrepitu procedunt fortunæ ſuæ, non ſolum laxus & fluens, ſed laciniuſus vndique & impeditus.

Ex his facile eſt intelligere quis, & qualis cultus regius fuerit, in quo duo iſti Reges conſediſ-

b 3. Reg. 22.

ſe quiſque ſuo in ſolio dicuntur [b]. Duo enim complectebatur; regia veſtimenta, & inſignia regni, *Regia veſtimenta*, erant tunica picta, ſtola, calcei ex illa materia, & ornatu quem diximus. *Inſignia* verò fuere diadema & ſceptrum. Quæ omnia vt clarius illuſtrentur, libet hic adiungere varios ornatus, & cultus magnorum Regum à variis deſcriptos; vt ex illis intelligatur, quantum ſubinde ſit in hac conſuetudine variatum.

Varia Regni inſignia, & Regum cultus, qui diſtinctius in ſacris litteris deſcribuntur ex aliis Auctoribus illuſtrati.

§. III.

Antiquiſſimus & proprius Regum cultus in ſacra ſcriptura deſcriptus, fuit in Ægypto regnantium, quorum in publicum procedentium propria Regni inſignia fuiſſe videntur *ſtola* byſſina, *torques* aureus, *currus*, & præeuntis voce populis indicta *veneratio*. De Pharaone enim Ægypti Rege narratur cum Ioſephum vellet euehere, & regalia illi ornamenta conferre, tuliſſe an-

c Gen. 41.

nulum de manu ſua, eique dediſſe; & inde [c] *veſtiiſſe eum ſtola byſſina, & collo torquem aureum circundediſſe; feciſſeque eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genuflecterent.* Ex quibus verbis Phi-

d *De vita Ioſ.*
e *In Gen. cap. 41.*

lo [d] & Rupertus [e] hæc quatuor colligunt priſcis illis temporibus inſignia regnantium. Et primò torquem aureum; de quo Philo; *Datur*, inquit, *Regibus à populo torques, vt ornamentum in proſperitate, ſi probus fuerit; & quaſi catena & vinculum in aduerſitate.* At quomodo torques, & purpura inſigne Regum; ſi tot aliis communicabatur? Nam & aliæ dignitates præter regiam, in torque & purpura viſebantur. Vnde Tertul-

f *De idolol. cap. 18.*

lianus [f], *purpura illa*, inquit, *& aurum ceruicis ornamentum, eodem more apud Ægyptios & Babylonios inſignia erant dignitatis, quo more nunc prætexta vel trabea, vel palmata, & corona aurea ſacerdotum prouincialium.* Et torques non ſolum Præfectis, & Magiſtratibus: ſed militibus etiam dabatur in ſignum victoriæ relatæ. Vnde D. Am-

g *Orat. de obitu Valent. Imp.*

broſius [g], *Torques*, inquit, *inſignia eſſe victoriæ dubitari non poteſt, cum hi, qui in bello fortiter fecerint, torquibus honorentur.* Sed dicendum quæ propria fuerunt olim, & adhuc ſunt Regum & Imperantium inſignia, benè de rep. meritis, aut iis qui magiſtratum gerebant, ſemper ſolita communicari: quæ tamen non deſinunt eſſe Regum propria, quod ab aliis quoque geſtentur. Aliter enim ab iis, aliter à Regibus. Ab his enim vt propria & ipſorum dignitati debita geſtantur; ab aliis vt meritorum præmia: in Regibus inſignia ſunt regiæ dignitatis; in aliis regiæ gratiæ, & clientelæ; vel etiam partis alicuius regiæ dignitatis. Regij enim Magiſtratus quid aliud ſunt, quam membra quædam, & manus Regum, in quibus portio aliqua reſidet regiæ poteſtatis, quantam ſcilicet cuique Miniſtro volunt illi partiri. Quare ſicut illis aliquid ſuæ dignitatis impertiunt; ſic etiam ſuorum ornamentorum. Et quemadmodum regia dignitas non ob id deſinit eſſe propria Regum, quod ex parte regiis Miniſtris & Præfectis communicetur; ſic neu ornamenta regia propria deſinunt eſſe Regum, quod etiam illis impartiantur. Et hæc de Præfectis in quibus inſignia Regum aliqua viſuntur. Aſt aliis, qui non in magiſtratu ſunt, vt dicebam, regia inſignia collata, regiæ gratiæ, & amicitiæ argumenta ſunt. Sic etiam nunc Aquila proprium eſt inſigne Cæſarum Romanorum; quot tamen gentes & familiæ ſunt, quibus aquilam fas eſt in gentilitio ſtemmate præferre? Sed Auguſtus eam vt propriam præfert; alij precariam, & vt Auguſtalium partium ſtudioſi.

Sic etiam antiquitus torques, coronæ, diademata, armillæ fuere propria inſignia regnantium; non quod ab aliis non geſtarentur; ſed quod non niſi à Regibus conceſſa, vt argumentum virtutis, dignitatis, aut regiæ amicitiæ & cognationis. Nec inde tamen inſignia Regni in turba confundebantur. Nam licet pleraque ſubinde, non tamen vni omnia, quæ in Regibus erant, ſed aliis alia dabantur. Id quod facile poſſumus hic obſeruare. Pharao enim Ioſepho regia quidem, & plura ornamenta conceſſit; non tamen omnia. *Plura*; vt eum ſcirent alij regnare. *Non omnia*; vt intelligerent non eſſe Regem. Quid ergo deſuit? Diadema & ſceptrum; de quibus nulla mentio: quæ tamen dubium non eſt propria quoque fuiſſe inſignia Regum Ægyptiorum. De diademate, Ioſephus [h] narrans quomodo Pharao Moſen primum exceperit, à Thamide filia ſibi oblatum, quem illa pro ſuo educabat; *Acceptum*, inquit, *cum ad pectus adpreſſiſſet, inde filiæ gratificaturus comiter diadema ſuum eius capiti impoſuit; Moyſes vero capiti pueriliter detractum prolabi in humum paſſus, pedibus etiam calcauit. Id quod ominoſum eſt viſum, & regni perniciem portendere.* At de ſceptro, Flo- h *lib. 2. antiquit. cap. 5.*

rus [i] vbi deſcribit habitum Antonij, qui regium cultum induerat, vt Cleopatræ Ægypti Reginæ, quaſi Rex iungeretur, *Antonius*, inquit, *patriæ, nominis, togæ, faſcium oblitus, totus in monſtrum illud, vt mente, ita animoque cultuque deſciuerat. Aureum in manu baculum* (ſceptrum ſcilicet) *ad latus, & in acie purpurea veſtis ingentibus diſtincta gemmis, diadema quoque aderat, vt Regina Rex ipſe frueretur.* At in libro [k] ſapientiæ dicitur i *lib. 4. hiſt. Rom. c. 11.*

k *Cap. 10.*

apertè ſceptrum regni Ioſepho collatum. *Hac*, inquit, (nempe ſapientia) *venditum iuſtum non dereliquit; ſed à peccatoribus liberauit eum, deſcenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi ſceptrum regni.* Sed hoc loco *ſceptrum*, pro poteſtate imperandi appellatum, res ſignata pro ſigno, non ipſa virga, quæ manibus geſtabatur. Huius enim ſceptri Ioſepho tributi, ſicut nec diadematis, in Geneſi nulla mentio.

a In 2. Reg. c. 15. 1.

Quod additur *de curru*; dubium non eſt, vt alibi [a] fuſe docuimus, ab antiquiſſimis temporibus Regum proprium fuiſſe curru geſtari. Natura enim duce gentes omnes æquum eſſe, nullo monente, viderunt, vt qui dignitate reliquis anteiret, loco quoque cæteris emineret. Hinc Regibus equi, & currus, in publicum procedentibus; aut ſi in turba conſiſterent, *ſolium, thronus, tribunal*. Hic Ioſephus procedebat; ideo de curru mentio, quo maximè vehi ſolitos Ægypti Reges; illa ſponſi ſignificant in Canticis [b]. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea.* At vt incedentium Regum proprium inſigne erant certi generis currus & equi; ſic ſedentium proprium inſigne *ſella curulis*, etiam ſolium, thronus, tribunal appellata, & aliter apud alios extructa. Hanc, ſicut nec primum currum, Ioſepho Pharao non communicauit. *Tu eris*, inquit [c], *ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: vno tantum Regni ſolio te præcedam.* Nec mirum. Regius enim thronus, & ſella apud omnes gentes, adeo Regum propria; vt ipſa ſola ſymbolum regnantis eſſet: vnde in ſacris litteris idem eſt in ſolio, vel throno ſedere, quod regnare; & *ſolium ſuum alicubi ponere*, quod regium ibi dominatum habere.

b Cant. 1.

c Gen. 41. 40

Adiungitur inter hæc ornamenta Ioſepho conceſſa, præconis vox venerationem omnibus indicentis. *Clamante* [d], inquit, *præcone, vt omnes coram eo genu flecterent.* In Hebræo, quod noſter *genuflectere* vertit, eſt אברך *abrech*, quam vocem Symmachus integram retinuit, alij aliter interpretantur; ſed illius ſenſum aptiſſime noſter expreſſit; & ſimul morem indicauit, qui paſſim ſeruatur Regibus procedentibus. Semper enim aliquis ante illos præcedit admonens circumfuſos, vt ſe demittant; & ſummo Pontifice ſolemni pompa procedente, ſubinde ſtipatores ingeminant; *A baſſo*, qua voce turba circunflua venerationis exhibendæ monetur; & plane reſpondet ad Hebræam *Abrech*, ſi illa *flecte genu* ſignificat, vt noſter interpres putauit.

d Gen. 41. 43

Secundus cultus in ſcriptura propoſitus, eſt Regum Chaldæorum nobis in ornamentis, & inſignibus indicatus à Balthaſſare Danieli collatis. Cum enim illa prodigioſa ſcriptura in pariete apparuiſſet, edixit Balthaſar [e]; *Quicunque legerit ſcripturam hanc, & interpretationem eius manifeſtam mihi fecerit; purpura veſtietur, & torquem aureum habebit in collo, & tertius in regno meo erit.* Poſt modum enim cum Daniel eſſet illam interpretatus fidem ſuam Rex liberauit, illa præſtando quæ pollicitus fuerat. Ex quibus obſeruant Patres [f] purpuram & torquem regia inſignia fuiſſe tribus illis ſolita communicari, quos inter publicæ rei adminiſtratio diuidebatur apud Aſſyrios & Chaldæos.

e Dan. c. 5. 7.

f Theodoret. & Hieron. ibid.

Tertius cultus eſt Regum Medorum, & Perſarum; de quo tres illi iuuenes in libro non canonico Eſdræ [g] loquuntur; *Dicamus vnuſquiſque noſtrum ſententiam eamque ſignemus, & cuiuſcunque apparuerit ſermo ſapientior, dabit illi Rex Darius dona magna; purpura cooperiri, in auro bibere, ſuper aurum dormire, & currum freno aureo, & cydarim byſſinam, & torquem circa collum.* Ex quibus intelligimus ornamenta [h] quæ Antiochus Syriæ Rex Alexandri filius Ionathæ dono miſit, Regiæ fuiſſe dignitatis argumenta; nempe *vaſa aurea in miniſterium, poteſtatem bibendi in auro; & vt purpuram indueret, & fibulam auream.* Et hæc de Regibus barbaris in ſacra ſcriptura, eorumque inſignibus referuntur.

g lib. 3. c. 3.

h lib. 1. Machab. c. 11.

Nunc tantum breuiter proponam publicum & priuatum habitum Romanorum Cæſarum; vt ex illius collatione multa quæ in ſacra ſcriptura de Regum Hebræorum, & aliarum gentium inſignibus dicuntur, illuſtrentur: contentus ex tota Auguſtorum ſerie duo exempla referre; medij temporis alterum, alterum poſtremi. Primum erit Iuſtini qui Iuſtiniano ſucceſſit. Cuius habitum dum inauguraretur Corripus illius æqualis deſcribit, pro illo tempore poëta non pœnitendus. Alterum erit Caroli V. qui Bononiæ patrum noſtrorum memoria ritè eſt à Clemente VII. coronatus. Corippus [i] ergo ſic de Iuſtino.

i lib. 2. Num. 4.

Egreditur, tunicaque pios induitur artus,
Aurata ſe veſte tegens.
Purpureo ſura reſonant fulgente cothurno
Cruraque Puniceis induxit Regia vinclis;
Lectaque pro ſacris tacta molliſſima plantis
Parthica campago dederat quæ tergora fucis;*
Sanguineis prælata roſis, laudata rubore.
Auguſtis ſolis hoc cultu competit vti;
Sub quorũ eſt pedibus Regũ cruor; omne profecto
Myſterium certa rerum ratione probatur
Quo ſolet edomitos victor calcare tyrannos
Romanus Princeps, & barbara colla domare.
Nobilibus gemmis & cocto lucidus auro
Baltheus effulgens lumbos præcinxit heriles,
SubStrictoque ſinu veſtis diuina pependit
Poplite fuſa tenus, pretioſo candida limbo.
Cæſareos humeros ardenti murice texit
Circunfuſa chlamys, rutiloque ornata metallo,
Principis exerta vincebat lumina dextra.
Aurea iuncturas, morſu perſtrinxit adunco
Fibula & à ſummis gemmæ nituere catenis:
Gemmæ, quas Getici ſelix victoria belli
Præbuit, atque fauens domonis Rauenna reuexit.
Quaſque à Vandalica Beliſarius attulit Aula.
Arnandi manibus ſacrati circulus auri*
Impoſitus collo Imperium ſublime dicauit
Quod faciens ter, ter dextrũ cùm munere tendens
AVGVSTI IVSTINE LOCVM
TIBI CONFERO. *dixit*

* Corruptè hæc omnia in vulgatis loquũtur.

* Nomen viri proprium in vulg. *Armati* corrup.

Sequitur hinc inauguratio

Quatuor ingentem clypeis ſublimibus orbem
Attollunt lecti iuuenes, manibuſque leuatus
Ipſe miniſtrorum ſupra ſtetit, vt ſua rectus
Littera, quæ ſigno ſtabili non flectitur vnquam.*
Poſtquam cuncta videt, ritu perfecta piorum
Pontificum primus, plenaque ætate vetuſtus*
Adſtantem benedixit eum, cœlique potentem
Exorans Dominum ſacro diademate iuſſit
Auguſtum ſancire caput, ſummoque coronam
*Imponens apici, FELICITER********
Ipſe coronatus ſolium conſcendit auitum
Atque crucis faciens ſignum venerabile ſedit
Erectaque manu cuncto præſente ſenatu
Ore pio hæc orans ait.

* I. quæ prima eſt littera Iuſtini.

* Ioann. Scholaſticus Patriar. Conſtant.

Hæc

Hæc diſtinctius à Corippo deſcripta non duximus omittenda; quod ex illis omnia fermè veterum ornamenta Principum, eorumque inſignia, ritoſque inaugurationis habeantur, in medij temporis Auguſtis ſeruari ſoliti.

Primò ergo tunicam ponit, quæ picta & palmata erat, & auro contexta qualem ſupra deſcripſimus.

Secundò Cothurnos, ſiue caligas Auguſtales, quas fuiſſe proprias Imperatorum medij temporis etiam ſupra docuimus; vbi de vario calceamentorum genere, & vinculis quibus alligabantur.

Tertiò Calceos purpureos & corio peregrino confectos; quos fuiſſe proprios Imperatorum; illa ſignificant.

Auguſtis ſolis hoc cultu competit vti.

a In Hiſt. comp. in Michaele Rancabe Cyropalato. Vnde Cedrenus [a] *Michael*, inquit, *ſuorum quendam intimorum cum diademate purpureo & calceis coccineis, quæ erant Imperij inſignia, miſit, ſe ei Imperio cedere indicans.* Erant autem purpurei in ſymbolum victoriæ & ſubiectionis inimicorum, quod illa Corrippi ſignificant

Auguſtis ſolis hoc cultu competit vti
Sub quorum eſt pedibus Regum cruor.

Indicans enim ſymbolicam ſignificationem habere, quod *tergora* Principum calceis aſſumpta, ſint

Sanguineis prælata roſis, laudata rubore

Subdit hîc myſterium includi, & hoc eſſe

Quod ſolet edomitos victor calcare tyrannos
Romanus Princeps & barbara colla domare.

Rubens enim calceus & ſanguinei coloris etiam in ſacris literis ſymbolum eſt inſultationis in
b 3. Reg c. 2. hoſtem, vt alibi [b] diximus. Erant præterea calcei
c Georg. Pachim. lib. 2. ex quo, & alijs Pancirol. iſti non puri; ſed variè [c] picti gemmario opere aquila in illis impreſſa. Cyropalates [d] calceamenti genus deſcribens, quod fert Imperator, in
d De offic. Aulæ Conſtantinop. pag. 55. publicum ſolemni pompa procedens dicit illud ad latus ſecundum ſutas, & in ſuperiori calcei parte Aquilam ex lapillis & margaritis habere.
e lib. 4. de Michaele Paleologi ſocero. Vnde Nicephorus [e] *Cæſar cum Deſpota ſocero ſebaſtocrator appellatur; ſoceri vero illuſtre diſcrimen in calceis cæruleis aquila intertexta conſtituebant.*

Quarto loco *baltheum* Corippus ponit ex auro gemmiſque diſtinctum; quod proprium Imperatorum inſigne fuiſſe, & ab illis alijs concedi ſolitum in ſignum dignitatis alicuius; multa declarant. Hinc enim in nouo iure ciuili Prouinciarum Præſides, eorumque dignitas *prouincialia cingula* dicuntur. Et alibi Prouinciarum Iudices *cingulum* habere dicuntur, vbi Græcè pro cingulo eſt *ἀρχεῖον archeion*; quod verbum ſemper interpres vertit *cingulum*, ſignum ponens pro re ſignata; quod cingulum ſcilicet ſignum eſſet *imperij, & magiſtratus*, quod vtrumque vox Græca ſignificat. Hinc *cingulum deponere*, pro magiſtratu abire aut dignitate priuari. Metaphraſtes in vita Eutbicij hæc illius verba refert. *Zona, & dignitatis meæ inſignia non ſunt à me ablata.*

Obſeruandum autem cingulum ſiue baltheum aliud militare fuiſſe, aliud vrbanum; ſiue aliud *militiæ caſtrenſis*, aliud *palatinæ*. Hoc ſine gladio erat, & ad lumbos cingebatur; illud dextro humero impoſitum oblique ante pectus, & ad ſiniſtrum latus deſcendens, gladium ſuſtentabat ad femur dependulum. Illud inſigne erat Imperij & dignitatis; iſtud, militiam profeſſi. Quare tam milites, quam magiſtratum gerentes in iure *cincti* dicuntur; ſed hac diuerſa ratione cingendi, quam dixi. Quod enim cingulum Auguſtale & proprium militiæ Palatinæ quod erat imperij & magiſtratus inſigne cingeretur ad lumbos; indicant illa Corippi

Nobilibus gemmis, & cocto lucidus auro
Balthcus effulgens lumbos præcinxit heriles.

Et vſui ratio adſtipulabatur. Cùm enim qui in Imperio Reges Auguſti, Magiſtratus ſupremi, omnes in veſte fluxa & talari eſſent, cingulo aliquo opus erat, quo tot veſtibus ſuffarcinati, ſinus attraherent, vt agerent cum minore moleſtia, tot impedimentis onuſti potius, quam induti. At in militia caſtrenſi veſtes ipſæ adductæ adſtrictæ, attractæ: proinde opus non erat cingulo quo ſtringerentur; ſed vnde arma penderent. Ob id ad armum dextro humero iniectum obliquo flexu pectus interſecans, gladium pendentem, & ſiniſtro femori ſubnixum ſuſtinebat. Virgilius [f] f lib. 12.
de cingulo Palantis quod occiſi ſpolium Turnus habebat.

—— Infelix humero cum apparuit alto
Balthem, & notis fulſerunt cingula bullis.

Quod inſigne, ſed militare fuiſſe docent, quæ paulo poſt ibidem de eodem cingulo ſubduntur.

—— Atque humeris inimicum inſigne gerebat.

Quia verò gladius ex illo ad femur pendebat, ab eodem Virgilio *gladium à femore eripere*, ponitur pro eo quod eſt gladium ſtringere, & nudatum è vagina educere,

———— Ocius enſem
Æneas viſo Tyrrens ſanguine lætus,
Eripit à femore, & trepidanti feruidus inſtat.

Eamdem porro rationem cinguli militaris ab humero pendentis Hebræos quoque ſeruaſſe,
non [g] dubium. Hinc enim *baltheo de ſuper accincti* pro militibus appellantur [h]. Et in Pſalmo g Vatabl. Pſalm 44. v. 4. Pineda lib. 4. de Salom. c 4. ſec. 4. n. 3.
[i] nuptiali, Salomoni cantatur; *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum.* Et de Aod dicitur in libro Iudicum [k]; *Fecit ſibi gladium ancipitem habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus, & accinctus eſt eo ſubter ſagum in dextro femore.* h 4 Reg 3. 21. i Pſal 44. 4.
contra morem ſcilicet vt latendo Regem falleret, quem percuſſurus aduenerat. Alij enim omnes in ſiniſtro femore gladio cingebantur. At Aod quod ambidexter, oppoſita ratione geſtauit. k Cap. 3. 16.

Vtrumque autem cingulum tam caſtrenſis militiæ, quàm palatinæ gemmis erat, & bullis, & ſolido auro diſtinctum. De cingulo imperiali non dubium; & hic Corippus disertè deſcribit: de militari & armato, D. Ambroſius [l]. *Duces*, inquit, *& Principes omnes etiam militantes accuratè ſericis veſtibus accincti, operoſis cingulis auro fulgente pretioſis, ambiunt ſolito mudius in conſpectu Regis incedere.* Non tamen erat cuique liberum quas vellet cingulo gemmas inſerere. Nam l Serm. 24 qui eſt de Natiu.
cautum Imperialibus [m] edictis erat vt in baltheo margaritis, ſmaragdis, hyacinthis abſtineretur, alijs gemmis permiſſis. Illis enim Auguſti tantum cingula fulgebant. m l. vnica. C. nullis. infra eques.

Cæterùm quòd *fibula* cingula hæc vtrinque capitibus adnecterentur, magna mihi perſuaſio eſt vt aliquando fibula pro Zona, & cingulo dicatur, pars præcipua pro toto. Quare quod Alexander Syriæ Rex Ionathæ miſiſſe dicitur [n] *fibulam auream* inſigne Regni, & Imperij; accipiendum de cingulo puto *fibula* gemmea, & aurea nectendo. Eodem enim modo video Virgilio & & alijs Latinis auctoribus *fibulam* pro toto baltheo & cingulo vſurpatam: quia nempe totum n li. 1. Mach. c. 10. 89.
quod

quod præſtat cingulum, & Zona veſtibus adſtringendis, per fibulam præſtat. Virgilius [a]

a lib. 1.

Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.

Loquitur enim hic de toto cinctu, quo veſtia alioquin vndatura colligebatur; quod totum fibula præſtabat, ſed cinguli capitibus innexa. Similiter Virgilius [b]

b lib. 5.

Alter Amazoniam pharetram plenamque ſagittis
Treiciis lato quam circunflectitur auro
Baltheus, & tereti ſubnectit fibula gemma.

Nempe & baltheus & fibula pharetram ſubnectendo cingebat. Sed fibula in baltheo, & baltheus per fibulam. Hinc *fibula* pro balteo & cingulo: & quia cingulum dignitatis inſigne fibula quoque inter ea computata; non tamen à baltheo diſtincta [c]. *Miſit*, inquit, *fibulam auream* (Alexander Ionathæ) *ſicut conſuetudo eſt dari cognatis Regum; & dedit ei Accaron, & omnes fines eius in poſſeſſionem*; dominatum in has terras illi contulit; & eius dominatus inſigne cingulum dedit, *fibula* ſignificatum. Similiter Antiochus Alexandri filius eidem Ionathæ [d] *dedit poteſtatem bibendi in auro, & vaſa aurea in miniſterium, & eſſe in purpura, & habere auream fibulam.* Idem igitur fibula quod cingulum cum illa in ſignum dignitatis accipitur. Quod tamen non aſſerendo, ſed coniectando propono. Dubium enim me facit, quod etiam fibula inter ornamenta Principalia numeratur, vt paulo poſt. Quis vero balthei auguſtalis vſus, indicat hic Corippus, auratam nimirum tunicam attrahere, & in ſinus adſtringere

c 1. Mach. c. 10. 89.

d li. 1. Mach. c. 11. 58.

Baltheus effulgens lumbos præcinxit heriles
Subſtrictoque ſinu veſtis diuina pependit
Poplite fuſa tenus pretioſo candida limbo.

Quinto loco *chlamys* à Corippo ponitur; quæ ſine dubio non propriè hic vt pallij genus erat; ſed impropriè pro trabea dicitur, vt indicat epithetum illud *circunfuſa*. Chlamys enim adſtrictior erat, non ſinuosè laxa vt dici poſſet eum indueretur, corpori circunfundi. Hæc purpurea ſolido auro rigebat, ita collo iniecta, vt alterum brachium, nempe dexterum exereretur: ob quod fortaſſe *chlamys* hic appellata, cuius proprium ſemper exerta dextera geſtari; cum *trabea* totis humeris brachiis, & armis circumuolueretur. Hanc autem Iuſtini trabeam oculos auri fulgore, & murice perſtrinxiſſe dicit hic eleganter Corippus.

Et latos humeros vndanti murice texit
Circunfuſa chlamys, rutiloque ornata metallo
Principis exerta vincebat lumina dextra.

Sexto loco *fibula* ponitur, propriè dicta, qua iuncturæ trabeæ, ſiue chlamydis, vnde brachia exerebantur reuinctæ. Et hoc eſt quod hærere me facit, ne quod de fibula paulò ante propoſui, ſine cunctatione deffendam. Duo ergo dico. Primo negari non poſſe *fibulam* auream à cingulo diſtinctam etiam inter ornamenta regia computati; quibus vti tantum ex conceſſione Principis liceret. Vopiſcus de Aureliano. *Conceſſit*, inquit, *militibus fibularum aurearum vſum.* Et Trebellius Pollio *Valerianus Princeps Zoſimo Syriæ Procuratori præcepit vt Claudio extra alia dona daret fibulas argenteas duas, inauratas duas, & fibulam auream.* Extat autem conſtitutio Leonis Imperatoria de priuatis loquens. *Fibulis*, inquit, *vtantur in chlamydibus quæ ſola auro & arte pretioſa ſint*, nempe gemmeis Principibus reſeruatis. Et in hunc ſenſum *fibulam* ſumi puto in primo Machabæorum [e]; vbi refertur nulli populatium licuiſſe *fibulam auream* geſtare, niſi conceſſu Ionathæ. Secundo hoc admiſſo, dico *fibulam auream*, licet inter ornamenta fuerit; non tamen inter inſignia dignitatis, ſi per ſe & propriè ſumatur; ſed inter illa eum recenſetur, *fibulam* pro toto cingulo appellari.

e Cap. 14. 44.

Cæterùm quis eſſet vſus fibulæ, cum non in Zona, & cingulo graphicè hic à Corippo deſcribitur.

Aurea iuncturas morſu perſtrinxit adunco
Fibula—

Rectè *morſu adunco*, dum enim vtramque veſtis oram adſtringit, extremam marginem videtur fibula mordere. Quod ipſum Ouidius [f] expreſſit, de fibula non in Zona loquens; ſed in chlamyde; aut aliter in veſtium oris adnectendis.

f lib. 7. Met.

Raſilis huic ſummam mordebat fibula veſtem.

Septimo loco numeratur *gemmeus torques* illis verſibus expreſſus

& a ſummis gemmæ nitnere catenis.

Quod inſigne præcipuum Regni & Imperij fuiſſe; quæ ſubduntur oſtendunt

** Aruandi manibus ſacrati circulus auri*
Impoſitus collo Imperium ſublime dicauit
Quod faciens ter, ter dextram cum munere tendens
Auguſti Iuſtine locum tibi confero.

* Malè in vulgatis armati.

Et hæc omnia Regni & Imperij inſignia, vel ornamenta in Iuſtini inauguratione Corippus enumerat. At vbi ſceptrum? Nam hoc Imperij quoque inſigne fuiſſe non dubium; etiam ab ipſo Auguſto, cuius ſimulacrum cum ſceptro Suetonius [g] tradit, & extremo Neronis anno ſceptrum illud de ſimulacri manibus excuſſum ominoſum fuiſſe dicit Auguſti domui, quæ in Nerone extincta. Si ergo ſtatuæ in Auguſtali habitu ſceptrum geſtabant; non dubium quin ipſi etiam Imperatores. Cur ergo ſceptrum hic Corippus omiſit? Dicendum Iuſtino hîc ad inaugurationem procedenti, nondum ſceptrum, & diadema collatum: quod vtrumque deinde conſecratus accepit.

g In Galba cap. 1.

Octauo loco diadema ſignatur: de quo ſatis dictum. Obſeruandum autem *ſacrum* hic à Corippo vocari; tum ab origine: quia ſacrationis ſymbolum diadema temporibus adſtrictum oleo perunctis; tum quia erat illi ſignum crucis impreſſum vt adhuc in pleriſque numiſmatis videmus Imperatorum Græcorum.

Nono loco *calyptra* erat diademate fronti alligata; *pileus* [h] nempe totus gemmis margaritiſque diſtinctus, in ſummo inſtar pyramidis faſtigiatus. Ob id illum Corippus *apicem* appellat.

h Niceph. Gregor. lib. 6. de Irene. li. 7. de Michaele.

Decimo loco Imperatoris *eleuatio* deſcribitur; in altum nimirum humeris ſuſtentantium ſublati, vt ab omnibus non ſolum conſpiceretur; ſed vt omnibus eſſet ipſe loco ſublimior; vt erat dignitate præſtantior. Obſeruandum ergo circa ritum qui hic deſcribitur,

Primò, inſitum cunctis gentibus natura fuiſſe, vt ſuos Principes, ſiue dum crearent, ſiue cum iam creatis adſiſterent, in ſublimi ſede locarēt. Et id quod eiuſdem naturæ ductu omnes intelligāt: nobilioribus nobiliorem quoque locum deberi locum autem *ſurſum* [i] nobiliorem eſſe, & ob id proprium cæleſtium; deorſum verò ignobiliorem ob id propriũ terræ. Cùm ergo Reges & omnes, qui ſunt in honore aliquo & dignitate, nobilio-

i Ariſtot. 1. cœli.

res

res aliis ſtot illâ dignitate carentibus ; iis quoque locum ſublimiorem deberi : & quia Reges omnium nobiliſſimi locum illis attribui oportere reliquis ſublimiorem. Et inde eſt quod cum de dignitatibus loquimur, omnes appellationes ab altitudine deriuamus. Hinc enim honores ipſi, gradus, & faſtigia dicuntur ; & illos qui obtinent, aſcendere, extolli, exaltari, euehi, efferri; illis potiri titulis appellantur altitudinis, ſublimitatis, eminentiæ. Hinc denique illud oritur quod omnes diuitem in ſella ſublimi locant, pauperem in humili ſcamno. Et id, quia putant omnes errore decepti eo ipſo quem eſſe nobiliorem
a Cap. 2. epiſt. ſua. quod ditior eſt, vt alicubi D. Iacobus [a] conqueritur, vbi non condemnat ſi nobiliori locus nobilior adſignetur : hoc enim præcipit ipſa natura gerendum ; quæ ſicut cælum & cæleſtia *ſurſum* locauit, terram, & terrena deorſum; ſic etiam tacite docuit ſuperiorem locum præſtantiori deberi, inferiorem ignobiliori. Sed ibi dolet Apoſtolus male iudicium de nobilitate formari; ſi ex veſtibus & diuitiis, non ex virtutibus ponderetur. Ex hac ergo præcepta opinione quam omnes habent de nobilioribus in ſublimiori ſede locandis, factum eſt, vt Reges ſiue cum creantur, ſiue cum iam creati Regio munere funguntur, in ſublimi ſede conſpicui ponantur. Hic à Corippo de creatione Iuſtini agitur ; ſiue de Inauguratione, quæ appendix quædam eſt creationis; ob id ab illo ritus exprimitur antiquitus ſeruari ſolitus in Regis creatione, qui erat illum ſublimi in loco ſtatuere, non quomodocunque ; ſed humeris brachiiſque ſubleuantium ſuſtentatum ; & clypeis, aut veſtibus ſibi detractis & in cumulum exaggeratis impoſitum ; prorſus vt Regis creatio vere eſſet in omnium conſpectu illius eleuatio & exaltatio. Hanc ergo *eleuationem*, ſolemnem fuiſſe prius indicabo ; deinde, quid per illam veteres ſymbolicè ſignare voluerint, explicabo.

Morem ergo ipſum pleniſſimè hic Corippus expreſſit, & alij etiam notarunt. Cyrophalates, *Poſtea vero Imperator nouus ſcuto inſidens in altum extollitur, & ſpectandus exhibetur omnibus ſtantibus in inferiori loco.* Ritum autem antiquum fuiſſe; Nicephorus Gregoras oſtendit. *Theodorus*, inquit, *poſt obitum patris, totius populi ſuffragiis creatus eſt Imperator, more à maioribus accepto, clypeo inſidens.* Et iterum; *Michaelem Paleologum clypeo inſidentem, circa Magneſiam Optimates Imperatorem appellant.* Ad idem Ammianus Marcellinus de Iuliano Apoſtata Cæſare creato. *Impoſitus ſcuto pedeſtri, & ſublimius eminens, nec populo ſilente, Auguſtus renunciatus, iubetur diadema proferre.* Nec id Romanis tantum circa hæc tempora vſitatum ſed longe prius. Vnde de Gordiano ſeniore Capitolinus. *Properè ventum ad oppidum Tyſdrum, inuentuſque Senex venerabilis poſt iuriſdictionem, iacens in lectulo ; qui circumfuſus purpura humi ſe abiecit ; ac detrectans eleuatus Imperatorem ſe appellari paſſus eſt.* Et iterum Capitolinus idem de Gordiano iuniore. *Inter hæc Gordianus Cæſar ſublatus à militibus, Imperator eſt appellatus.* Nec id tantùm Romanis, ſed aliis gentibus vſurpatum; ante nos alij docuerunt. Tacitus de Caninephatibus. *Impoſitus ſcuto more gentis, & ſuſtinentium humeris vibratus, dux eligitur.* Ex quibus facilè eſt colligere ritus hic quorum fuerit, quando in Romana Republica cœperit, quis in eo ſeruatum. Proprius enim Gallorum fuit, vt Tacitus indicat, cui alij atteſtantur. Vnde Sigebertus *contra Chilpericum*, inquit, *fratrem more gentis clypeo impoſitum, Rex conſtituitur.* Quando autem mos in Romana repub. receptus; incertum. Primus, qui ſic eleuatus habetur, eſt Gordianus : deinceps autem poſt illum in omnibus aliis ſeruatum, conſtat ex verbis Nicephori, qui *Theodorum* dicit *impoſitum clypeo more à maioribus recepto.* At quid in eo ritu ſeruatum? Aliquando qui eligebatur, erectus & in pedes innixus, clypeo inſiſtebat ; aliquando inſidebat; aliquando prius clypeo impoſitus attollebatur; aliquando cum prius milites teſtudinem ſcutis conſertis feciſſent, ſuper illam Princeps aliorum manibus ſublatus, imponebatur. Et hanc formam in Iuſtini eleuatione ſeruatam Corippus deſcribit

Quatuor ingentem clypeis ſublimibus orbem
Attollunt iuuenes. ——

Orbem enim appellauit teſtudinem ex illis clypeis conſertam. In hanc verò ſic ſublatam, dicit aſcendiſſe Iuſtinum miniſtrorum manibus adiutum.

—— *Manibuſque leuatus*
Ipſe miniſtrorum ſupra ſtetit ——

ſtetit dixit, proprie loquutus. Quia Iuſtinus erectus & pedibus inſiſtens ex hoc ſuggeſtu populo ſe præbuit. Vnde ſubdit ;

—— *Vt ſua rectus*
Littera, quæ ſigno ſtabili non flectitur vnquam.

Littera enim Iuſtini, eſt I, prima in Iuſtini nomine, quæ ſpeciem columnæ præfert. Erectum ergo ſtetiſſe ſignificans, & nuſquam inclinantem columnæ in morem, dicit ipſum ſtetiſſe *ſicut litteram ſuam.* Vnde ergo ritus hic, & cur aſſumptus, & ad quid ſignandum?

Primo ex inſita mortalibus opinione, quam dixi : non poſſe melius exprimi dignitatem cuipiam conferri quam ipſum extollendo, & in ſublimi ſede locando. Sic illi Principes, qui Iehu, Regem crearunt; cum nihil ad manus haberent, quo illum in altum eleuarent ; eo ipſo autem quod Regem vellent, intelligerent eſſe eleuandum [b], *feſtinauerunt, & vnuſquiſque tollens pallium ſuum poſuerunt ſub pedibus eius in ſimilitudinem Tribunalis ; & cecinerunt tuba atque dixerunt ; Regnauit Iehu.* Secundò quia frequentius electio Regum & Imperatorum, à militibus erat, apud Gallos præſertim & veteres Germanos in clypeis ab illis impoſiti ſunt ; & ſublati dum creabantur. Tertio vt eo ſymbolo ſignificaretur officium ſubditorum in Regem & huius in ſubditos. *Illorum* ; quia parati eſſe debent illum ita tueri & tegere, vt ſuæ ſalutis obliti illius indigi-ſent : ob id clypei qui ſunt ſymbolum tutelæ & & curæ, quam quiſque gerit de ſalute ſua, Regibus in eorum creatione ſuppoſiti, militum latere nudato. Præterea, humeris ſuſtentati, ſuper capita leuabantur, vt ſcirent omnes paratos eſſe debere illius cauſa omnia ſubire in omnibus obtemperare, & capitia, id eſt vitæ necisque in ſe ius habere. *Illius verò in ſubditos*; vt ſciant Principes iis quibus imperant pro clypeo eſſe debere. Vnde, vt alibi [c] quoque docuimus, Reges & Principes *clypei & ſcuti* nomine deſignantur; ob quod ab antiquis temporibus ſeruatum, vt iis clypei donarentur, in ſymbolum quod populis ſibi ſubiectis, inſtar clypei ſint, aut eſſe debeant. Quomodo id? ſui capitis obiectu, ſi opus fuerit illorum pericula propulſando [d]. *Bonus enim Paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis* : Vt clypeus hoſtibus

b lib. 4. Reg. cap. 13.

c 2. Reg cap. 22. 3.

d Ioann 11. 14.

hoſtibus & hoſtilibus ictibus obiicitur pro geſtantis corpore tegendo; ſic Princeps paratus eſſe debet omne ſubditi periculum ſubire ſuo.

Hæc igitur omnia Imperatoris inſignia erant, dum creabatur; aut etiam iam creati. Nunc aliquid de habitu Imperatorum quaſi priuato & quotidiano. Quem enim hactenus deſcripſimus, publicus & ſolemnis erat. Puto ergo quotidianum habitum Auguſtorum fuiſſe ante Diocletianum in ſola purpura & chlamyde: *poſt illum* etiam in veſte gemmata. Hieronymus; *Primus*

a In Chron. ex Euſeb. *Diocletianus*,* inquit [a], *adorari ſe vt Deum iuſſit, & gemmas veſtibus calceamentiſque inſeri; cum ante eum Imperatores in modum Iudicum ſalutarentur, & chlamydem tantum purpuream à priuato habitu plus haberent.*

* Anno Christi 284.

Ad quæ verba plura notanda. Primò ante Diocletianum Imperatores à priuatis aliter in habitu non diſtinctos; quam chlamyde purpurea. Quod intelligendum omnino de habitu quotidiano & quaſi priuato, ratio ipſa conuincit, & Eutropius indicat in ſimilibus verbis, quæ de Diocletiano, vt ſupra retulimus vſurpat.

b lib 10. *Ornamenta gemmarum*, inquit [b], *veſtibus, calceamentiſque indidit. Nam prius Imperij inſigne in chlamyde purpurea tantum erat.* Quid enim? An imperatoris, & Auguſti tantum chlamys *inſigne*? Et vbi trabea, vbi ſella curulis, vbi toga palmata, tunica picta, vbi ſceptrum ipſum, quod ab Auguſto geſtatum ſupra docuimus? Inſigne ergo tantum *purpurea chlamys* Imperij, non in publico, & ſolemni habitu; ſed priuato, & quotidiano. Propterea D. Hieronymus conſultò dixit *ante Diocletianum Imperatores in modum Iudicum ſalutatos, à priuato habitu purpuream tantum chlamydem plus habuiſſe.* Cùm enim ad ſalutationes alios admittebant in quotidiano tantùm habitu Auguſti erant non ſolemni, & publicæ celebritatis. Secundo obſeruandum chlamydem in quotidiano cultu ab Imperatoribus aſſumptam; quod à principio eſſent fere ſemper in expeditione aliqua aduerſus hoſtes; quam vel ipſi per ſe, vel ſuis auſpiciis per alios adminiſtrabant. Tertio. Ante Diocletianum Imperatores alios gemmis in quotidiano cultu veſtium abſtinuiſſe. Propterea qui iis vſi, monſtra ferme Imperij fuere, non veri Principes; vt Caligula & Heliogabalus, quorum alter fax Imperij Romani, alter

c In Heliogab. prodigium. De hoc enim Lampridius [c] *habuiſſe* refert *in calceamentis gemmas, & quidem ſculptas, quod riſum omnibus mouit; quaſi poſſent ſculptura nobilium artificum videri in gemmis quæ pedibus*

d lib 2 c 35. *adhærebant.* Caligulam verò Plinius [d] notat *quod ſoccos muliebriter ornatus induerit*; auro nimirum, gemmiſque diſtinctos. Præter hos duos, de Gallieno quoque legimus *caligas gemmatas annexuiſſe, cùm campagos reticulos appellaret.* Poſt Diocletianum vero, qui deinceps ab illo regnarunt, eius exemplum ſequuti, non aliter in quotidiana vita quam gemmato cultu prodibant.

Venio nunc ad habitum Imperatorum noſtri temporis, ſiue dum creantur, ſiue dum inaugurantur, ſiue dum publicè & ſolemni pompa ſubditorum aſpectibus offeruntur. Res eſt notior, quam vt operoſa diſſertatione debeat explicari, cum plerique eam oculis vſurpent; & obuium cuique ſit ex Pontificalibus libris in medio poſitis ſingula cognoſcere. Strictim ergo tantum cultum Caroli V. habitumque proponam, dum ritè eſt à Clemente VII. coronatus. Rem Iouius fuiſſe narrat, à quo peti poterunt, quæ hic à nobis breuiter indicantur. Is ergo victorioſiſſimus Imperator in ſolemni ſuæ inaugurationis pompa ſic proceſſit his veſtibus & inſignibus vſus. Ex palatio cum ornatiſſimo procerum comitatu progreſſus, exceptus eſt ſub vmbella, & ad templum deductus, interim dum Pontifex ſacra facturus in eo ſanctis veſtibus induebatur. Ad fores cum perueniſſet, Vaticani Canonici ſuſceperunt, ad aramque deductum, lintea tunica ſuperiecta in collegium ſuum cooptarunt. Inde ad limen iterum templi duobus à Cardinalibus Diaconis deductus, cum tantiſper oraſſet, in ſacellum poſtea à Cardinale Preſbytero deductus eſt, vbi lintea tunica depoſita (quæ vulgo *Cotta*, Græca voce ex Hebræa corrupta nuncupatur) ſandaliis eſt indutus margaritis, gemmiſque diſtinctis, & in morem Diaconi Dalmatica veſte aſſumpta, paludamento demum (ſic trabeam ſiue *regale mantum* Iouius appellat) conueſtitur: & eo interim in lectiſternio ſupplicante Cardinalium vnus Litanias præibat, alterniſque precibus Deus O. M. & omnes cœlites propitiati. Tum ad alterum ſacellum à vetuſtiſſimo Cardinalium deducto, Dalmatica diffibulata, brachium & humerus aperta ſunt, & vtrumque ſacro oleo ritè precibus adiunctis inunctum. Interim in ſacra veſte dum ſummo Pontifici miniſtrat ſacris operanti, de manu illius inſignia Imperij accepit; aureum ſceptrum florenti cacumine conſpicuum, quo pie gentibus imperaret; nudatum enſem, quo Chriſtiani nominis hoſtes perſequeretur; ac pomum aureum ſymbolum orbis, quem regeret; & poſtremò tiaram potiùs, quàm coronam bicipiti faſtigio multiſque adamantibus inſignem. Hinc in triumphali trabea gemmis vndique & vnionibus exornata, ſellam auro protectam non procul ad Pontificis leuam locatam conſcendit, & Romanus Imperator eſt appellatus. Et hic Auguſtalis cultus huius Imperatoris fuit; vnde propriæ veſtes & inſignia nunc Imperantium cognoſci poſſunt.

Variæ pro vario tempore veſtes, & pro diuerſitate locorum.

Capvt V.

Ex hoc duplici capite plures veſtium differentiæ ſumuntur, antiquis & noſtris moribus vſurpatæ. Ex *loco* enim veſtes aliæ ſunt vrbanæ; aliæ, militares; aliæ, rurales; aliæ, domeſticæ; aliæ, forenſes; aliæ, iteragentium. Ex *tempore*, aliæ, lugubres; aliæ feſtæ, & nuptiales; aliæ, pluuiales. Ex *vtroque* nempe tempore ſimul, & loco; aliæ, cubiculares; aliæ, diſcubitoriæ; aliæ, alia ratione diuiſæ. De quibus omnibus non eſt vt hic aliud adiungamus, abundè quæ ad omnes ſpectant in iis, quæ iam præmiſimus, exequuti. Si quid autem de ſingulis harum diuiſionum capitibus eſt accuratius explicandum; ſuo loco commodius reddetur. Veſtis enim lugubris, vbi de luctu; tricliniaris, vbi de conuiuiis; & nuptialis, vbi de nuptiis, enarrabitur. Hic ergo quædam tantum exponemus quæ ad propoſitam diuiſionem pertinent, ex quibus nonnulla, quæ in ſacris literis difficultatem faciunt, illuſtrentur.

***

Digitized by Google

a Mar. c. 6. Ad illa verba. [a] Præcepit eis ne quid tollerent in via, niſi virgam tantùm; non peram, non panem, neque in zona æs; ſed calceatos ſandaliis & ne induerentur duabus tunicis.

Veſtis viatoria & inſtrumentum iteragentium.

§. I.

His verbis Euangeliſta quæ veſtes eſſent iteragentium, & quod inſtrumentum viatorium, non obſcure ſignificat. Dum enim Chriſtus Dominus hæc Apoſtolis prohibet ſecum ferre, ſubindicat recepti moris fuiſſe, vt illis inſtruerentur, qui iteragebant. Quæ ergo iſta? Tunica, zona, baculus pera, ſitarchia, petaſus, penula, lacerna, ſandalia, birrus.

Primò ergo tunica cum zona erat; & hæc ad illam cingendam. Cinctus enim proprius adeo viatorum, præſertim pedeſtrium, vt in ſacris literis, *accingi, præcingi, ſuccingi*, idem ſit quod ad iter parari. Petro Angelus iter indicit, & aliis
b Actor. 12. 8. verbis non vtitur, quam [b] *præcingere, & calcea te caligas tuas.* Et Tobias [c] filius *Angelum præcin-*
c Iob. 5. 6. *ctum* dicitur reperiſſe, cum ſignificare ſcriptura vellet illum diu itineri paratum Tobiæ præſtolari. Et Eliſæus dum Giezi puerum ſuum properè
d 4. Reg. 4. 29. ad viduam mitteret [d]; *Accinge*, inquit, *lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua & vade.* Semper ergo id proprium viatorum. Nec iſta deſtruunt, quod ſupra docuimus, *accinctum & præcinctum*, ſymbolum ſeruientium fuiſſe, vel ſeruitutis. Nam hoc ex illo deſcendit. Quia enim *accingi & præcingi*, eſt ad iter expediri, & ſeruorum proprium eſt adſtare Domino, & quocunque ille iuſſerit conuolare, proprium eſt vtriuſque ſymbolum; ſed prius itineris, & ex eo ſeruitutis. Prima ergo veſtis in itinere, tunica erat.

Secunda zona, tam vtraque neceſſaria, vt cum Chriſtus Apoſtolis alia prohibuerit; hanc
e Matt. 10. vtramque permiſerit [e]. *Nolite*, inquit, *poſſidere pecuniam in zonis veſtris; neque duas tunicas.* Dum enim in zonis aurum monetale prohibet, & duas tunicas habere vetat; & zonam, & vnam tunicam permittit.

Tertio loco, baculus erat; proprius & ipſe viatorum; vnde Iudæi qui iubentur agnum pa-
f Exodi 12. ſchalem comedere in habitu viatorum [f], *cum baculis* eſſe iubentur. Et quia ſoliti paſſim in itinere geſtari, vetat illos Chriſtus Apoſtolis alioquin id non facturos niſi conſuetos [g]. *Nolite*, in-
g Matt. c. 10. quit, *poſſidere neque peram, neque virgam.*

At turbat hîc quod apud Marcum dicitur virga permitti, quam dicit Matthæus exertè ne-
h Mar. c. 6. gatam [h]. *Et præcepit*, inquit, *ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum.* Multi multa tam veteres quam recentiores commiſcuntur; vt idoneum cuneum nodo difficili reperiant. Sunt qui bis hæc Apoſtolis mandata volunt, & primo vt Matthæus & Lucas ſcribunt, virgam vetitam; poſtmodum, vt Marcus, permiſſam. Alij non eodem ſenſu apud Matthæum & Lucam virgam accipi, vt apud Marcum. Apud illos metaphoricè ſumi; ſiue pro *re minima*, vt D. Thomas; ſiue pro *poteſtate puniendi*, vt Caietanus, & Ianſenius; ſiue pro *ſigno honoris*, vt Lyranus. Apud

Supran. in Dauid.

Marcum propriè pro *baculo*. D. Auguſtinus etiam in diuerſo ſenſu vult virgæ nomen acceptum; ſed vtrobique tranſlatè. Apud Matthæum & Lucam *pro minima re*, cuius etiam Chriſtus Apoſtolis omnem ſolicitudinem vetat; apud Marcum pro poteſtate veſcendi ex Euangelio; quæ omnia ſua probabilitate non carent, licet excogitata videantur, ad nodum complanandum, aut ſcindendum. Probabiliſſimum tamen mihi eſt vtrobique propriè virgæ nomen acceptum; ſed apud Matthæum & Lucam prohiberi eam in vrbe parari; apud Marcum in itinere permitti. Adeo enim cogitationem omnem de craſtino vult illis amputare; vt nec etiam cogitare de baculo in vrbe permittat. Propterea Matthæus & Lucas referunt Chriſtum dixiſſe, *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque virgam.* Marcus verò. *Præcepit*, inquit, *ne quid tollerent in via, niſi virgam.* Clarum eſt ergo loqui Matthæum & Lucam de viatorio apparatu, quem vetat Chriſtus in vrbe, etiam de *virga* fieri. Marcum verò de ſubſidio, quod iam iter ingreſſus, eſt illis permiſſum. Vno verbo, vetuit baculos viatorios in vrbe ſibi Apoſtolos parare; permiſit in via, ex obuia materia deſumi.

Sequuntur calceamenta, quæ viatorum propria, res ipſa dubitate non ſinit: vnde iidem Iudæi præter baculum, iubentur etiam calceamenta geſtare, vt ex omni parte viatoris habitum referrent, dum agnum typicum manducarent. At hæc etiam litem non exiguam; ſed adeo non operoſam mouent in verbis Chriſti. Similiter enim vt virga dicitur à Matthæo & Luca vetita, à Marco permiſſa; ſic ab iſto calceamenta permiſſa, ab illis prohibita dicuntur. *Nolite*, inquit apud illos [i] Chriſtus, *poſſidere aurum neque* i Matt. 10.
argentum, neque pecuniam in zonis veſtris..... *ne-* Luc. 9.
que calceamenta. At Marcus, *præcepit*, inquit, *ne quid tollerent in via; non peram, non panem; ſed calceatos tantum ſandaliis*, &c. Sed hæc facile conciliantur. Apud Marcum enim & Lucam ſermo non eſt de calceamentis, quæ iam Apoſtoli geſtabant; ſed de aliis præter illa, quæ prohibat in futurum prouidere, ſicut aliam tunicam. At apud Marcum de calceamentis loquitur, quibus iam Apoſtoli calceati. Senſus ergo eſt Nolite poſſidere duas tunicas, vt præter hanc qua induti, aliam ſollicitè ſeruetis ſuo tempore mutandam: neque calceamenta, vt præter hæc quæ geſtatis, alia parata, conſumptis his, habeatis; ſed vna tunica, & ſandaliis, quibus nunc induti, contenti, alacresiter arripita ad Euangelium promulgandum.

Sequitur *pera*, & ipſa propria viatorum, quam Chriſtus apud omnes Euangeliſtas omni verborum ambiguitate remota, Apoſtolis interdixit. Hæc alio, & proprio nomine *ſitarcia* vocatur: quæ vox in editione vulgata ſemel vſurpatur à Saule ſeruum ſuum alloquente, cum ambo in itinere eſſent, quærentes aſinas amiſſas [k]. *Dixit*, k lib. 1. Reg.
inquit, *Saul ad puerum ſuum; Ecce ibimus; quid* 9. 7.
feremus ad virum Dei. Panis defecit in ſitarciis noſtris. Mirum autem quantopere in huius vocis ſcriptura, & interpretatione ſit variatum. Regia editio *Siſtarcis* habet; Louanienſis *Ciſtarcis*; Pariſienſis *Sitarchis*. Vera lectio vocis eſt, quam habet Romana editio nouiſſimè correcta, *Sitarcis*. Significat autem ſacculum, ſiue peram eſcariam, à σῖτος *ſitos*, & ἀρκέω *arceo*, quod eſt *annonam ſufficere.* Vtitur ea voce S. Hieronymus

in vita Malchi. ſed continente pro contento poſito ſumpſit; non pro *eſcario repoſitorio*; ſed pro eſcis repoſitis. *Camelis*, inquit, *aſcenſis, & noua ſitarcia refocillati*. Et in eundem ſignificatum ſumitur ab Apuleio, & D. Auguſtino; propriè autem pro mantica eſcaria Petrus Chryſologus vſurpauit. Iſidorus nautarum proprias eſſe ſignificat, & ſitarcias dicit appellatas ab eo *quod ſita ſunt*. vera tamen deductio Græca eſt, quam dedimus. Hebræa hoc loco Regum habent *in vaſis noſtris*. LXX. habent *ἀγγεῖα* quam vocem noſter interpres alibi *Eſcas* expoſuit. (a 1. Mach. 6. 53.) *Eſcæ* [a], inquit, *non erant in ciuitate*. Sed hic maluit *ſitarciam*. LXX. autē ſine dubio hoc loco Regū eſcas poſuerunt pro eſcaria pera, contentum pro continente; in quem ſenſum D. Hieronymus, non ſolùm loco citato; ſed etiam alibi ſitarciæ nomen vſurpauit. *Non eos*, inquit, *faciat ſitarcis indigere; ſed habere ea, quæ ad viaticum neceſſaria ſunt*. Male ergo Rodiginus abſolutè docet *ſitarcia* annonam ſignificari. Verùm enim id eſt cum tranſlatè ſumitur, poſito continente pro contento; propriè tamen *ſitarcia*, non annonam ſignificat, ſed illius receptaculum viatorium, quo cibarius commeatus ferri ſolet; & idem eſt cum pera, quam Chriſtus Apoſtolis prohibuit.

b 2. ad Tim. 4. 13. — Ad illa verba Pauli.

[b] Penulam quam reliqui Troade apud Carpum affer tecum.

Veſtes pluuiales, & aliæ viatoriæ.

§. II.

VEſtibus viatoriis pluuiales accenſentur, inter quas, ſine dubio *Penula* erat, de qua hic Apoſtolus; cuius tamen verba aliò nonnulli detorquent, indignum putantes, eſſe illum tam ſollicitum de penula, qui non ſolum iubetur duas tunicas non habere; ſed omnino de veſtitu non cogitare. Quid ergo *penula?* Varij varia, ſunt
c Baron tom. 1. an Dom... qui [c] thecam librariam interpretentur, Syrum ſequuti qui vertit hoc loco pro penula *Betketabe*, quod propriè eſt *theca librorum*. Alij cùm negare non poſſent eſſe genus veſtis, ſacram dixerunt; ei ſimilem ſi non eandem, quam nos *caſulam* dicimus, vel *planetam*. Quibus fauere vide-
d lib. de orat. c. 16. tur Tertullianus [d]. Et hoc vt omnem notam ab Apoſtolo remoueant nimiæ ſollicitudinis de veſtimento. Commentarius Ambroſio adſcriptus veſtem ſenatoriam fuiſſe dicit; quam Paulus cum ciuis Romanus eſſet, & Romæ tunc ageret, vt Chriſtianorum cauſam meliorem redderet, volebat induere; quaſi ſcilicet omnis Romanus ciuis eo ipſo Senator eſſet, aut veſte ſenatoria poſſet vti; vel Paulo tunc in vinculis, & paulò poſt morituro, vacaret in ſenatoria veſte prodire.

Dicendum ergo veſtem viatoriam & pluuialem hîc ab Apoſtolo requiri. talis enim erat pe-
e In vita Hadriani. nula, de qua Spartianus [e] auſpicium primum narrans, quod ad Imperium habuit Hadrianus. *Tribunus*, inquit, *plebis factus eſt, in quo Magiſtratu ad perpetuam Tribunitiam poteſtatem omen ſibi factum aſſerit, quod penulas amiſerit, quibus vti Tribuni plebis pluuiæ tempore ſolebant; Imperatores autem nunquam. Vnde hodie quoque Imperatores ſine penulis à togatis videntur*. Eandem quoque frigori arcendo fuiſ-

ſe; (quod non omnia veſtis viatoria, nec pluuia-
lis habet, vt conſtat de *noſtro feltro*) Lampridius [f] f In vita Alex.
teſtatur; dum refert ab Alexandro Senatoribus permiſſum vt penulis intra vrbem *frigoris cauſa* vterentur; cùm id veſtimenti genus ad iter ſemper, aut pluuiam fuiſſet. Hinc iocus ille Galbæ
apud Quintilianum [g]. Roganti enim penulam g lib. 7.
amico reſpondit; *Non pluit, opus non habes; ſi pluit, ipſe vtar*. Igitur ante Alexandrum Seuerum Penulæ tantùm in vrbe contra pluuiam permiſſæ. Ob id Iuuenalis.

[h] *Scilicet hoc fuerat, propter quod ſæpe relicta* h Sat. 5. ver. 78.
Coniuge, per montem aduerſum gelidaſque cucurri
Eſquilias; fremeret ſæua cum grandine vernus
Iuppiter, & multo ſtillaret penula nimbo.

Qua ergo forma penula? Quam cernimus in eo genere veſtium ſacrarum, quæ vulgo *Piuiali* dicuntur. Paulus Iouius habitum Clementis VII.
deſcribens [i] Auguſtum ſolemni ritu ſacrantis, i lib. 17. hiſt.
pluuiale pallium vocat, quod vulgo *piuiale*. Non abſurdè igitur poſſumus ſuſpicari penulam prorſus adſimilem huic *Pluuiali* fuiſſe, quod totum corpus ambiens, & reliquis veſtibus iniectum, ab omni iniuria pluuiæ & frigoris, omnia membra defendit. Eiuſmodi enim veſtis genere Apoſtoli, & veteres Chriſtiani maximè opus habebant. Quia primis naſcentis Eccleſiæ temporibus in cryptis latitantes, aut hac illac incertis itineribus vagantes, & cœli inclementiæ ſemper expoſiti, difficilè potuiſſent aliter ſe ab iniuria frigoris, & pluuiæ tutari. Nec dubito quin aliquando neceſſe illis eſſet in ea ſacra facere, cùm vel ſubitò deprehenſi, vel in cauernis perfrigidis, aliud veſtis genus ad manus non eſſet: vnde factum, vt inter ſacras veſtes etiam *pluuialia* hæc *pallia*, nempe *penulæ* computarentur. Et in hoc ſenſu admitti fortaſſe poſſunt, qui *penulam* Pauli ſacram aliquam veſtem interpretantur. Si enim id volunt quia penulam per ſe ſpectatam talem putant; apertè falluntur, cum ea ſit in genere veſtium pluuialium, non ſacrarum. Si verò de Pauli tantùm penula hoc intelligunt; improbari planè non poſſunt: omnino tamen magis illi probandi, qui viatoriam tantùm veſtem & pluuialem à Timotheo Paulum poſtulaſſe volunt. In quo timendum non eſt ne vllum Apoſtolo crimen inferatur, nimiæ ſollicitudinis de veſtimento; ſed admiranda potius Apoſtolicæ vitæ frugalitas, & ſtudium Euangelicæ paupertatis; cum Paulus penula indigens ad quotidianos pluuiæ & frigoris incurſus, aliter illam ſibi parare noluerit; quàm à diſcipulo, tam longè poſito poſtulando.

Affinis penulæ *lacerna* erat in eoſdem vſus, & à noſtris Antiſtitibus itidem vt illa vſurpata. In *eoſdem vſus*; quia reliquis veſtimentis etiam togæ & pallio ſuperinducta, pluuiam, & frigus arcebat. Ideo eius vſus in itinere; vel vbi diu deſidendum eſſet, vt in theatro, præſertim tempe-
ſtate perfrigida. Quare apud Martialem [k] ſic la- k lib. 14. epig. 24.
cernæ loquuntur.

Amphitheatrales nos commendamur ad vſus
Cum tegit algentes noſtra lacerna togas.

Rectè *tegit*: nam, vt dicebam, togæ ſuperinduebantur. Vnde à Iuuenale [l] lacernæ *togæ munimen-* l Sat. 9. ver. 19.
ta dicta, vbi vetus illius ſcholiaſtes obſeruat, *lacernas*, non ornamenti cauſa quæſitas; ſed vt à pluuia munirent, etiam togæ ſuperinductæ, *pluuiales* inde appellatæ. De quo earum vſu Plinius.

nius. *Nubilo* [a] *occaſu pluuioſam hyemen denunciant, ſtatimque augent lacernarum pretia.* Hinc in caſtris, in itinere; ſed propriè, vt dicebam, in ludis & theatris vſus lacernarum frequens. In his enim omnibus locis munimento opus eſt ad frigus & pluuiam; in theatris præſertim, in quibus antiquitus dies integros noctibus iungebant; vt ſpectacula operirentur. In eodem ergo vſu lacerna, & penula, vt non immerito viri docti nihil eas differre putauerint. Quod enim inter illas diſcrimen, ſi pariter vtraque veſtis externa, vtraque togæ munimen, vtrque viatoria, caſtrenſis, theatralis, vtraque pluuiæ & frigori parata. Certè Tertullianus, quod ipſe & alij de lacerna affirmat, alibi penulæ tribuit; ad ſpectacula nempe illam excogitatam, vt in diuturna ſeſſione corpus à frigore tutaretur. *Video*, inquit [b], *theatra nec ſingula ſatis eſſe, nec nuda: nam ne vel hyeme voluptas impudica frigeret, primi Lacedæmonij penulam ludis excogitarunt.* Quare quod in D. Cypriani vita ab Anonymo veteri auctore deſcripta legimus indutum illum *lacerna* ad ſupplicium pertexiſſe, de penula debemus accipere. *Cyprianus*, inquit, *in agro ſexti perductus eſt, & ipſe lacerna birro ſe expoliauit, & genu in terram flexit, & in oratione ſe Domino proſtrauit, & cum ſe dalmatica expoliaſſet, & Diaconibus tradidiſſet, ad lineam* * *ſtetit, & cœpit ſpiculatorem ſuſtinere.* Hic enim veſtes Epiſcopales illius temporis deſcribuntur; inter quas penula, ſiue lacerna, qua vtebantur Antiſtites iter agentes, aut cum diu longa ſacra in cryptis protraherentur, ne frigore obrigerent. Suſpicantur autem quidam lacernam, & penulam, idem cum birro fuiſſe, cùm de Cypriano dicat Pontius [c] Diaconus ipſum ſpoliaſſe ſe birro, quem *penula & lacerna* alij dicunt. *Expoliauit*, inquit, *ſe birro, & tradidit carnificibus.* Aſt in vita D. Martini Seuerus elegantiſſimus ſcriptor vtrumque ſecernit, cum dicit cuipiam à Martino mandatum vt birrum rigentem texeret; alteri vt *plumalem lacernam.*

a lib. 19. c. 25

b Apolog. c. 6.

* Al. in licina.

c In eius Vita.

Ad illa verba. [d] Da ei talentum argenti, & veſtes mutatorias.

d 4. Reg. 5. 22.

Veſtis domeſtica & forenſis.

§. III.

Mutatoriorum nomine plerique intelligunt duplex genus veſtium, quas ad manus veteres haberent. In alio enim habitu foris, in alio domi fuiſſe, quod veriſſimum eſt: vnde notiſſima veſtium diuiſio in domeſticas & forenſes. Cicero [e]. *Quod ſi vultum tibi, ſi inceſſum fingeres, vt grauior viderere, non eſſes tui ſimilis; verba tu fingas, & ea dicas quæ non ſentias, aut etiam vt veſtitum. ſic ſententiam quoque habeas aliam domeſticam, aliam forenſem; vt in fronte oſtentatio ſit, intus veritas occultetur.* Quæ ergo veſtis domeſtica, quæ forenſis? Puto nomine *domeſtica*, tunicam intellexiſſe; *forenſis* togam, aut pallium [f], quibus hoc pro toga. Cum hac enim in publicum prodibant, & illam mox domum reuerſi primum omnium deponebant, vt nunc fit de *mantello.* Hinc egreſſuri domum togam poſtolantes, ſimpliciter veſtem forenſem poſcebant. Auſonius [g]

Habitum forenſem da puer
Dicendum amicis eſt Aue,
Valeque quod fit mutuum.

At domeſtica *tunica* erat; de qua illud accipiendum, quod de Auguſto Suetonius [h] refert; in verbis tamen, quæ corruptè leguntur. *Veſte*, inquit, *non temerè alia, quam domeſtica vſus eſt ab vxore, ſorore, filiaque confecta.* Quid enim? Auguſtus ergo, vel nunquam in trabea, nunquam in toga picta, & palmata tunica; vel hæ veſtes domeſticæ aut domi ſemper ab vxore confectæ? legendum ergo *Veſte non alia domeſtica vſus eſt, quam ab vxore, ſorore filiaque confecta.* De quotidiana enim tunica loquitur, quæ propriè veſtis domeſtica Romanis; & hac non alia dicit vſum Auguſtum, quam domi confecta. Propterea Marcellinus Hunnorum habitum deſcribens, quibus præter morem Romanorum ſuetum in eadem veſte domi, qua foris agere, dicit illos in eadem tunica vtrobique fuiſſe. *Nec alia illis*, inquit [i], *domeſtica veſtis, alia forenſis; ſed ſemel obſoleti coloris tunica collo inſerta, non ante deponitur, aut mutatur, quam diuturna carie in pannulos defluxit defruſtata.*

Supereſſent aliæ veſtium diuiſiones, vt puerilium, & adultorum; vrbanorum, & agreſtium; militarium, & togatorum: ſed quia poſſunt omnia facilè ex illis intelligi, quæ dicta ſunt, aliud hic adiungere de ſingulis omittentes, inſtituta alia populi Iudaici proſequemur.

e 2. de finib.

f Tertul. de pal. c. 7. Columel. lib. 12. cap. 4. Sueton. in Vitel. c. 8. Seneca de Tranquil. c. 1.

g In Ephem. ad fil.

h Cap. 73. in Auguſto.

i lib. 40.

DIGRESSIO SECVNDA DE RITIBVS IN PRISCO HEBRÆORVM FVNERE SERVATIS.

Operis ingreſſus, diſtributio, & Elenchus Authorum, quorum in his ſcribendis induſtria adiuti ſumus.

FACEM præferet hic liber itineri cæca planè formidine caliganti: ſpecus enim ferales, & obſeſſa non minùs tenebris, quàm putreſcentium cadauerum cineribus ſepulchralia buſta laſtrabit; priſcoſque Hebræorum Patres, mortes ſuorum lugentes, & ſua nocte edactos iterum ſpectandos proponet. vno verbo veteres Hebræorum ritus in re funebri ſeruari ſolitos proſequetur. Quod ſi verus vates Lucretius fuit dum illud protulit;

Suaue mari magno turbantibus æquora ventis,
Alterius magnum è terra ſpectare periclum

Spes bona eſt, futurum omnibus gratiſſimum, & iucundiſſimum aliena non ſolùm pericula; ſed mortes, & funera quaſi ex littore contemplari. At turbat quod idem ſubiicit;

Non quia vexari quemquam ſit magna voluptas,
Sed quibus ipſe malis careas; quia cernere dulce eſt:

Turbat inquam hoc; quia ſi tum demum aliena mala iucundum ſui ſpectaculum præbent, eàm nos ab illis immunes intelligimus, & in poſterum fore ſperamus; valde vereor vt hæc ſiccis oculis ſpectentur; quibus ita alios volutari vidimus; vt certiſſimum nobis ſit iiſdem nos omnes breui iactandos, & conficiendos, vtrunque tamen, morituris nobis, neſcio quo pacto, iucundum terrorem, & horrorem inſpirant mortuorum cadauera; vnde eſt quod ad illa tanti concurſus fiant; præſertim vbi ruinâ aliquâ colliſa, aut alia violentia deformata alicubi iacere nunciantur; non erit ergo, quin hinc quoque fructus aliquis voluptatis capiatur; vbi cadauera aliarum gentium, non in ſuo ſanguine, aut ſordibus ſquallida, ſed ornata, & odoribus reſperſa ad publicum ſpectaculum exponentur; vt omittam fructum illum ampliſſimum, nec æſtimari facilem, qui ex mortis, & eorum quæ ad mortem ſpectant attenta meditatione percipitur; de quo hîc etiam ſuo loco aliquid reddemus.

Interim hoc quod acturi ſumus quadripartitò diuidimus; in cadaueris curationem, eiuſdem elationem, funerationem ipſam, & ſepulturam, & ſolemnia luctus poſt illam.

Prima pars, quæ ad morientem, & mox mortuum pertinent explicabit. In moriente; quibus ille ſupremis officiis; tam longè abiturus dimitteretur à ſuis; vbi amplexus, oſcula, collectio ſpiritus & animæ, & demum oculorum occluſio: quæ, à quibus, & qua ratione, & ad quid inſtituta, & apud quos vſurpata, etiam oſtenditur. In mortuo verò prima conclamatio: deinde ablutio, vnctio, aromata ad illam diuerſa; tum veſtitus, ornatus, & ſolemnis collocatio, certo loco, ratione, & tempore. Ad cadauer collocatum; Comploratio, & lamentatio, cuius duces. Præfica: Deinde funebris laudatio; de quibus ea, à quo, & vbi habita.

Secunda pars de pompa funeris deductionem cadaueris continebit, & ſex ad illam. Locum; vnde, per quem, & ad quem inſtituta. Tempus; nocturno ne, an diurno; & qua hora proceſſerit. Perſonas comitantes & deducentes, earum habitus, conditionem, frequentiam. Feretrum; eius formam, ornatum, geſtatores; in eo defuncti Situm. Apparatum; inſpectatorum accurſu, multitudine comitantium, celebritate cantorum; in facibus, ſuffitibus, inſignibus, imaginibus; Agminis ordinem; qui ante, qui poſt feretrum, qui circa illud affuſi.

Tertia pars erit de loco ſepulturæ, & ſepulchro ipſo. In loco; qualis ille, & vbi, explicatum; an religioſus, an profanus; priuati, an publici iuris; an extrà, an intra vrbes; extra, cur, & vbi, in viis, agrorum finibus, amœnis nemoribus, montibus, littoribus, & ſuburbanis hortis. Intra vrbes; qui & vbi ſepulti. At de ſepulchro præmittitur prius quomodo in illud

illud illati Hebræi, an integri, an prius cremati; deinde cuiuſmodi ſepulchra apud illos eſſent, natura, & manufacta, eorum magnificentia, inſtructura, ornatu, & ſepimento perpenſa.

Quarta parte continebuntur, quæ ſepulturam conſequebantur: ea ad duo ſumma capita reducunturad officia amicorum in propinquos defuncti, & ad ea quæ propinqui ipſi erga defunctum. Illi ſolatium afferebant alloquendo, aſſidendo, conueſcendo, vbi de pane luctus, & poculis lugentium. Iſti mœrorem ſuum teſtabantur, & affectum in defunctum; primò in domo funeſta *cuius indicia proponimus; deinde in* ſolemni luctu *quibus hic contineretur curſim indicatum explicandum alibi, & demum* in frequentatione Sepulchri *quæ in dapibus feralibus, floribus & vnguentis aſperſis conſiſtebat. Feralium dapium quatuor ſpecies propoſitæ, prima* panis luctus; *ſecunda,* cœna mortui; *Tertia* ſepulchrales epulæ; *quarta* conuiuium funebre *de quibus omnibus quantum hoc loco ſatis exponitur.*

In his verò omnibus explicandis plurium opera adiuti ſumus, quorum nomina reticere non eſſet ingenuæ frontis, cuius inprimis eſt per quos profeceris libere profiteri; hi autem in duplici ſunt differentia; alij in hoc toto argumento ex profeſſo verſati ſunt, alij ex occaſione multa ad antiquorum funera ſpectantia ſunt proſequuti, cum aliud tamen ex inſtituto agerent vtroſque ſeorſim ſignabo: & ex illis quæ nos ruditer, & incompoſitè (vt noſtra eſt tenuitas) expoſuimus qui volet vberius dilucidiuſque tractata petere poterit; Ergo qui de toto hoc argumento & de priſcorum funeribus ex inſtituto egerunt iſti ſunt:

Lilius, Gregorius Giraldus *de priſco ſepeliendi ritu,*
Ioannes Kirchmannus *de priſco Romanorum funere.*
Onuphrius Panuinus *de ſepultura Chriſtianorum.*
Vvolfangus Lazius *de Romana Republica.*
Guido Paocirolus *variarum obſeruationum.*
Ioaooes Roſſious, & in illum Thomas Dempſterus auctores damnati *lib. 5. antiquit. Roman. cap.* 30.
Iulius Iacobonus ad Fonteium *de gente Ceſia.*
Alexander ab Alexand. *lib. 3. Genialium cap. 2. & 7. ibi Tiraquel.*
Cælius Rhodiginus *lib. 17. antiquar. lection. cap. 19. 20. 21.*
Iacobus Gutherius *tribus libris de ritu, more, & legib. priſci funeris.*
Franciſcus Bencius Societatis IESV *orat. 18. quæ eſt de funerib. antiquorum.*
Iuſtus Lipſius *ad 4. Taciti.*
Petrus Bellonius *de medicato funere*; & apud iſtos alij plures qui paſſim ab illis adducuntur.

CAPVT I.

Ad locum Geneſis 50.

Quod cernens Ioſeph ruit ſuper faciem Patris (morientis) flens, & deoſculans eum.

Amplexus, & oſcula morientibus data, à quibus, & ad quid: per ea ſpiritus colligi, tradi, excipi ſuperſtitioſè exiſtimatus: mori in Domino, & in oſculo Domini quid: illuſtratus Deuteron. & liber Actorum.

CVM ſalus ægri eo iam eſſet adducta; vt frigidus artus mors vicina concuteret, & æger ipſe extremum iam ſpiritum inciperet exhalare; accurrebant cum amicis propinqui omnes, & cognati qui aderant; ex quibus ſanguine magis iuncti, morientem amplexi oſculabantur; & quidem ora
a Gen. c. 50. v. 1. ori admoto de Ioſeph Moſes [a]. Quod cernens ioquit (Iacobum ſcilicet extremum ſpiritum agentem) *ruit ſuper faciem patris flens & deoſculans eum* & Philo in vita Ioſeph. ſic Iacobum lamentantem inducit audita morte filij. Non tam mortem tuam fili mi doleo; quàm ſepulchri iacturam; nam ſi tibi Sepulchrum contigiſſet in terra propria; nec mihi deeſſet ſolatium, officiosè

Sopran. in Dauid.

aſſediſſem ægrotanti, ante mortem impreſſiſſem morienti extrema oſcula; clauſiſſem oculos *mortuum lachrimis perfudiſſem*; Ea conſuetudo vnde ortum habuerit, ſuperfluum eſt quærere cùm ſatis conſtet à natura ipſa ductam, & ab affectu quo quiſque ſuos proſequitur abeuntes. Quid enim naturalius, quàm vt quem charum à te abire vides; in eum irruas; amplexus, oſcula, lachrymas, fletuſque confundas? inde enim etiam eſt quod diſcedentes amici, & propinqui inter ſe oſculantur, & amplectuntur; mirum ergo non eſt, ſi conſuetudo à natura ipſa ſuſcepta; non ſolùm apud Hebræos valuerit, ſed etiam apud alias gentes omnes, quibus maximopere ſemper curæ fuit; vt hoc ſupremum officium morientibus religiosè perſolueretur; Itaque nihil apud ethnicos Auctores, tam Græcos, quàm Latinos frequentius, quàm hæc oſcula cum de morientibus agunt apud Euripidem [b] Antigone morientem patrem b *In Phan.*
alloquens.

O amantiſſime, inquit, *quin os tuum applicabo ori.*

Apud Latinos autem id multò frequentius; quibus recepta loquendi formula per *illa oſcula* dicebantur morientes, *Animam tradere, transferre, effundere*; ſuperſtites verò; *Extremum morientium ſpiritum legere, colligere, excipere.* Cicero [c] c *Verrina.*
Matres miſeræ pernoctabant ad oſtium carceris, ab extremo complexu liberorum excluſæ, quæ nihil aliud orabant; niſi vt filiorum extremum ſpiritum

 excipere

excipere ſibi liceret. Seneca huc reſpexit; *Non iudicabam me cum illos ſuperſtites relinquerem mori; non effundere ſpiritum mihi videbar, ſed tradere.* Quintilianus iunior: *Non morienti Pater adſedi non agri caput molliori ſede compoſui; non fatigatum latus mutaui; non ſpiritum excepi & Liuia apud Albi nouanum.*

Soſpite te ſaltem morior Nero; tu mea condis,
Lumina, & excipias hanc animam ore pio.

His autem, & ſimilibus loquendi formulis ſuperſtitioſam opinionem exprimebant; qua hoc ſupremum officium naturæ fœdabant, putabant enim morientium animam per os, quaſi per ianuam egredi; in ore autem veluti in veſtibulo diutiùs hærere quod ægrè à corpore diuelleretur; in qua mora luctantis animæ pugnam conſiſtere exiſtimabant, & cruciatus diuturniores morientis, propterea vt facilius, & citius ab illis expediretur; animam ad os iam reductam, & in primoribus labris hærentem excipere propinquos, & elicere quodammodo debere oſculando, & os ori admouendo, & huc illud Statij reſpexit.

Siccaſque amplectitur artus
Herentemque animam non triſtis in ora mariti
Tranſtulit ———

Vnde, & prouerbio vſurpatum; vt morti proximi animam in ore tenere dicantur apud Senecam Antigone ſic ad Herculem.

Hanc animam leuem
Feſſamque ſenio nec minus quaſſam malis
In ore primo teneo.

Et Seneca Philoſophus *non dubitare autem ſe, quin ſenilis anima in primis labris eſſet; nec magna vi abſtraheretur à corpore.* quo eodem modo loquendi vſi etiam auctores ſacri Cyprianus [a]; *ſed in eodem articulo temporis; cùm iam anima feſtinat ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerſeris pœnitentiam Clementiſſimi Dei benignitas non aſpernatur.* huc quoque alluſit Virgilius.

a Serm. de cœna.

Vulnera lymphis
Abluam & extremus ſi quis ſuper halitus errat.
Ore legam.

Vbi Donatus. *Hoc dixit quia hunc chariſſimi colligere ſe poſſe arbitrantur.* Et Ouidius ſiue Albinouanus de morte Druſi.

At miſeranda parens ſuprema nec oſcula fixit
Frigida, nec mouit membra tremente ſinu:
Non animam appoſito fugientem excepit hiatu.

Apud Senecam Alcmena ad Herculem.

Membra complecti vltimum
O nate liceat ſpiritus fugiens meo
Legatur ore: Brachia in amplexus cape.

Apud Iuſtinum vxor Agathoclis ait, *ſe nec inuitam periculo ſpiritus ſui empturam vt extremos viri ſui ſpiritus exciperet.* Ex quibus & ſimilibus exemplis quæ alij ante nos adducunt; ſatis conſtare poteſt quod Hebræi natura duce ad conteſtandum mentis affectum, in his amplexibus, & oſculis obſeruabant; id ſuperſtitioſè à Gentilibus & Ethnicis vſurpatum, vt animam morientis exciperent. Inde autem ortum eſt, vt quos feliciter & beate mori ſignificare volebant; eos in amicorum, & charorum amplexibus & oſculis dicerent expirare. Suetonius [b] *omnibus deinde dimiſſis, dum aduenientes ab vrbe de Druſi filia ægra interrogabat, repente in oſculis Liuiæ (vxoris) & in hac voce defecit:* Quod in maximam fœlicitatis partem interpretatum eſt, & ad cumulum anteactæ vitæ illi acceſſiſſe; At vero in ſacris litteris Iuſtorum mors inde beata cenſetur non quod in amicorum amplexibus deficiant, ſed quod in Sanctorum gremio; imò in ipſius Dei amplexibus, & oſculis animam reddant; Proponit enim nobis ſcriptura, Deum, & Chriſtum ipſum ſuis morientibus accurrere, adſtare, firmare, & bacillis officia perſoluere, quæ propinqui ſuis decedentibus ſolerent, amplexando, oſculando, ſpiritum denique ipſum excipiendo; & inde phraſis illa eſt ſæpius in Eccleſia repetita, cum Iuſti *mori in Domino* dicuntur. B. Ioannes [c], *Beati mortui qui in Domino moriuntur*, & Lucas de Beato Stephano. *Et cum hoc dixiſſet obdormiuit in Domino.* Quod quid ſit Auguſtinus exponit alicubi. *Abſorptus eſt*, inquit, *in charitatis abyſſum, & inter Dei ſui brachia requieſcens, dormiuit ſecurus & quietus in æterna pace; quia ſpiritum ſuum Domino commendauit.* quibus vltimis verbis alluſit Auguſtinus ad ritum illum: nam gentiles beatè ſe mori exiſtimabant, cum ſpiritum, amicorum chariſſimo tradebant: Stephanus autem, & Iuſti quique beati; quare? *quia in Domino moriuntur*; quia in illis amplexibus, quia in illius ſinu, quia illi denique ſpiritum & non alteri tradunt; Clariſſimè autem huc reſpicitur in [d] Deuteronomio, vbi hæc de Moſis morte: *mortuus eſt ibi Moſes ſeruus Domini in terra Moab iubente, Domino* pro quo alij legunt *in oſculo Domini* ſeu in ore & complexu Domini, vt intelligeremus Moſis & cuiuſlibet ſancti viri animam, non in alterius ſinum aut pectus mortalis efflari, ſed in os quaſi ipſius Dei illam excipientis & colligentis.

b De Aug. cap. 99.

c Apoc. c. 14. 13. Actor. c. 7. 6.

d Cap. 34. 5.

Capvt II.

Ad locum Tobiæ 14.

Reuerſus eſt ad ſoceros ſuos inuenitque eos incolumes in ſenectute bona, & curam eorum geſſit, & ipſe clauſit oculos eorum.

Morientibus oculi à quibus clauderentur, & cur propinquiores quique eo munere functi apud omnes gentes; Chriſtiani Patres quid in ea conſuetudine ſpectauerint; explicata lex 12. Tabularum; Chriſti verbum apud Marcum ex eo ritu illuſtratur.

POſt hæc oſcula ſequebatur ſtatim *oculorum occluſio* quæ à chariſſimis fiebat. In Geneſi [e], ſic Deus Iacobum alloquitur. *Ego deſcendam tecum illuc, & ego inde adducam te reuertentem; Ioſeph quoque ponet manus ſuas ſuper oculos tuos:* id eſt tibi aderit morienti quod eſt maximum ſolatium morituris, quia enim hoc officium ex iis qui aderant præſtabat chariſſimus, & coniunctiſſimus, propterea cum vellet Deus ſignificare moriturum Iacob in complexu Ioſeph quem vnicè diligebat, ea circumlocutione vſus dixit; *Ponet manus ſuas ſuper oculos tuos.*

a Cap. 46. 4.

Qui mos adeo antiquus apud Hebræos ad alias deinde gentes tranſlatus eſt, & à priſcis temporibus ad noſtra vſque tempora ſeruatus. Itaque Græcis id olim, & Barbaris ſolemne fuiſſe rectè alij ante nos obſeruarunt.

At

At de Latinis innumera teſtimonia afferri poſſunt. paucis contentus ero ex quibus lux aliqua ſacris ritibus, & literis accedet. Maxime autem, vt dicebam, id ſeruabatur, vt chariſſimus qui morienti aderat, hoc officium perſolueret. Ergo vxor marito, filius parentibus parentes filiis, fratres fratribus hoc præſtabant. Parens filio apud Virgilium.

nec te tua funera mater
Produxi preſſive oculos.

Vxor marito apud Senecam.

Cùm Coniux oculis impoſuit manum
Supremuſque dies ſolibus obſtitit
Et triſtes cineres vrna coercuit.

Frater fratri apud Ouidium.

Lumina coerulea iam iamque natantia morte,
Lumina fraternas iam ſubitura manus.

Filius Patri apud Lucanum vbi de Argo.

Ille caput labens & iam languentia colla
Viſo patre leuat, vox fauces nulla ſolutas
Proſequitur tacito tantum petit oſcula vultu,
Inuitatque patris claudenda ad lumina dextram

Denique filius parentibus apud Ouid. cum Penelope ad Vlyſſem de Telemacho cõmuni filio.

Dij precor hoc iubeant vt euntibus ordine fatis
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

Et Valerius de muliere Aſiana. *Cùm iam ex viſceribus rigorem. Cordi imminere eſſet locuta, filiarum, manus ad ſupremum opprimendorum oculorum officium aduocauit*, & in ſacris literis Tobias ſoceris ſuis qui ſunt loco parentum, vt eſt in eius hiſtoria [a]; *Reuerſus eſt ad ſoceros ſuos, inuenitque eos incolumes in ſenectute bona, & curam eorum geſſit, & ipſe clauſit oculos eorum.* Atque ex his & aliis ſimilibus exemplis, quæ plura congerit noſter Delrio ſyntagmate ſuo ad Senecam [b] cõſtare poteſt quibus nominibus Latini hoc officium explicarent: dicebant enim *lumina condere, claudere, premere, opprimere, comprimere, oculos formare, operire, ſigillare, ſignare* denique eadem phraſi qua noſter interpres vſus eſt in loco ex Geneſi adducto dixit etiam Seneca *oculis manus imponere*

Cum coniux oculis impoſuit manus.

De quibus & ſimilibus formulis præter citatos fusè agunt Briſſonius & alij, ſed omnium accuratiſſimè Kirchmannus.

a Cap. 4.
b In Troad.

Non omiſeram autem hoc loco, videri mihi ad hunc ritum alluſionem factam à Chriſto Domino, cum ad tactum ſeruorum ſuorum, pollicetur, ægros melius habituros, ea phraſi vſus. *ſuper ægros manus imponent & bene habebunt* ſignificat enim non qualeſcunque, ſed etiam planè deploratos, illorum ex attactu ſaluti priſtinæ reſtituendos. Quo enim tempore imponi ſolent ægrotis manus; vt oculi illis claudantur in mortem, impoſituros Apoſtolos; vt illos aperiant ad vitam.

Sed nunc tria adhuc quæri poſſe videntur vt meliùs ritus hic, & quæ ad illum omnia ſpectant intelligantur. Primum, quorſum id, & cur iam religioſè ſeruaretur, & vnde ortum. Secundum an etiam Chriſtianis fuerit & ſit in vſu. Tertium denique, quomodo lege duodecim tabularum prohiberentur filij id præſtare parentibus.

De primo certa res eſt, inductum etiam morem iſtum ſuadente natura; eadem enim occulta lex ſingulorum mentibus indita vt mortuorum corpora rite à viuentibus curentur, docet etiam ita illa curanda vt quantum fieri poteſt honeſtè componantur, & gratiam potius aliquam ſpirent; quam terrorem, & horrorem viuentibus incutiant. Iam verò nihil eſt ad aſpectum truculentius cadauere apertis oculis hiante inde ergo inſtitutum vt clauderentur.

At cur morientibus? quia ſi longo poſt interuallo efflato ſpiritu id tentaretur; fruſtra genis & palpebris rigentibus tentaretur. Plinius [c] hac tota de re *morientibus oculos operire, rurſuſque in rogo patefacere Quiritiũ magno ritu ſacrum eſt, ita more conditu; vt neque ab homine ſupremum ſpectari fas ſit, & Cælo non oſtendi nefas:* quibus extremis verbis ſignificat conſultum etiam per hunc ritum adſtantium terrori ſupremùm enim ab oculis morientium aſpici ominoſum putabant. At cur receptum vt id chariſſimi quique præſtarent? fortaſſe ne ignoti aſperior, & durior manus accederet; fortaſſe vt ægrè minus diſcederent, nec adſtantibus inuiderent in manibus illorum deficientes quos ſibi ſupereſſe maximè ſemper optarant, non enim tot ſibi mori videbantur qui poſt ſe relinquebant in quibus quodammodo victuri cenſebantur.

c lib. 11 c. 37.

De ſecundo ſeruari nunc etiam id apud Chriſtianos nobis oſtendendum non eſt, cum quiſque id per ſe ſatis quotidiana experiẽtia diſcere poſſit at ſemper retro per elapſa ſęcula religioſé ſeruatum breuiter oſtendo. Dionyſ. Alexand. antiquiſſimos ritus exponens qui à primis naſcentis Eccleſiæ temporibus in mortuis condendis vſurpabantur, hæc habet apud Euſebium [d]. *Sanctorum corpora manibus erectis ſupiniſque excipere gremio ſuo reponere, ora oculoſque obturare, geſtare humeris, cadauera decenter ornare, illis adhæreſcere, amicè complecti; lauare accuratè, & linteo funebri inuoluere non grauati ſunt.* in quo teſtimonio ſæpius deinceps repetendo obſeruo quod paulò ante dicebam morientes amplexibus & oſculis exceptos, & in gremium ſinumquẽ receptos à ſuperſtitibus; cum interim eodem modo exiſtimarent ſpiritum manibus Angelorum & ipſius Chriſti ore collectum in gremium Abrahæ, & aliorum ſanctorum commendari.

d lib. 7 c. 19.

Quod verò etiam apud Chriſtianos propinquiſſimus quiſque & chariſſimus eo munere claudendorũ luminum fungeretur, conſtat ex his D. Ambroſij in oratione de morte Satyri fratris; *Denique proximè cum graui quodam atque vltimam ſupremo vrgeret occaſu, hoc ſolum dolebam, quod non ipſe adſideres lectulo, ac votiuum mihi cum ſancta ſorore paritèr officium morientis oculos digitis tuis clauderes, quod optaueram? quid rependo? quæ vota deficiunt? quæ miniſteria ſuccedunt? ô dura; oculorum lumina quæ potuiſtis fratrem videre morientem, ô immites & aſpera manus quæ clauſiſtis oculos in quibus plus videbam; ô durior ceruix quæ tam lugubre onus conſolabili licet obſequio geſtare potuiſti;* & hoc ipſum confirmari etiam poteſt ex D. Hieronymo cuius hæc ſunt ad Principiam de morte Marcellæ. *Sano, integro, vegetoque corpuſculo obdormiuit in Domino, & te paupertatulæ ſuæ, imò per te pauperes reliquit heredes claudens oculos in manibus tuis, reddens ſpiritum in tuis oſculis.* Cæterum quid myſticè pij & ſancti viri ſignificare voluerint per hanc oculorum occluſionem, obſcurum non eſt; miſerrimum enim, & infeliciſſimum genus mortis exiſtimabant oculis adhuc patentibus ex hac vita decedere; quod habitus ille eorum ſit, qui ſint etiam huic ſæculo cogitationibus, & votis affixi: qua re quid infelicius [e]; *Væ enim prægnantibus, & nutrientibus*

e Matth. 24. 19. Mar. 13. 17.

nntrientibus in illa die, Væ qui tnnc huc illuc oculos circunferunt; cum deberent illos habere omnibus aliis clauſos, & ad Deum tantum erectos: væ denique his qui tunc adhuc cogunt in corde ſuo terrena conſilia, cum iam iam ſunt ipſi terræ reddendi, ſed de his aliàs.

De tertio lex erat antiqnitus apud Romanos in hæc verba concepta. *Ne filij patribus luci claro ſngillent oculos.* habetnr autem apud Varronem in fragmentis, & de illius intellectu, mirum quantum inter criticos noſtri temporis eſt diſceptatum; nam certa res eſt contrarium omnino, & Romanis ipſis & aliis, ſemper in vſu fuiſſe cum omnium parentum huc tandem reſpiciat ſumma votorum, vt filiis ſuperſtitibus decedentes in illorum amplexibus expirent, & oculos claudant illorum manibus hærentes. Penelope vt ſupra vidimus de Telemacho filio.

Dy precor hoc iubeant, vt euntibus ordine fatis
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

Et apud Albinouanum, ſiue is Ouidius eſt, Linia eò læta moritur quod hoc officinm à filio ſit habitura.

Saltem te incolumi moriar Nero: tu mea condas
Lnmina, & excipias hanc animam ore pio.

Denique Ioſephus loco adducto dicitur *patris oculos clauſnrus*; quod in ſummum mortis ſolatium Deus ipſe Iacobo pollicetur, quid ergo illa ſibi lex volebat? multa à diuerſis afferuntur de
a lib. 1. c. 11. quibus vide Guichiardum [a] ſunt, qui per eam interdictum voluerint; ne filij Patres morientes inſpicerent; ſed interpoſito velario illorum oculos clauderent, non enim dici in lege *ne ſngillent*, ſed *ne luci ſngillent*, & ob id aſſerunt alij feneſtras claudi ſolitas. Antonius Auguſtinus, quem ſequitur Kirchmannus putat eſſe allegoricè dictum, & ſignificari, *ne filij parentnm mortem maturent*, id eſt ne illis occaſionem vllam præbeant dicto vel facto vllo, vnde triſtentur, & doleant, ex quibus nimirùm mors plerumque ſenibus ſolet accelerari; ſed hæc ſatis de lege, cuius intellectus non admodum noſtra refert quomodo ſit accipiendus.

Capvt III.

Ad locum Ieremiæ 22. Hæc dicit Dominus ad Ioachim Regem Iuda: non plangent eum: væ frater, & væ ſoror: non concrepabunt ei væ Domine, & væ inclyte.

Prima conclamatio à præſentibus, & abſentibus vſurpata; mox vt ægrum expiraſſe viderant aut audiuerant ea ad quid & quibus verbis fieret: conclamati qui dicerentur prouerbiali formula.

Poſt oculorum occluſionem, ſequebatur *prima conclamatio* prima inquam. nam altera longè poſt ſequebatur, cùm corpus, vel Cineres ſepulturæ mandabantur; aut eum defunctus rite *collocatus* ſolemni more lamentabatur. prima autem hæc fiebat ſtatim ab exceſſu decumbentis, & ægri, & dupliciter vſurpabatur. Primò ab iis qui præſentes ægrotanti aderant; vbi primum ipſum exceſſiſſe cognouerant. Secundò ab abſentibus, cum primum nuncium de ægri exceſſu accepiſſent. in vtraque autem commune id erat, quod voces ſubito flebiliter attollebantur, & mortui nomen iterabatur, ſubinde cum eiulatu, & lachrymis. Sic Dauid cum diu ſollicitus egiſſet de ſalute Abſalonis, vbi ipſum mortuum cognouit, ſtatim ad primum nuncium conclamationem iſtam, & complorationem edidit [b]. *Contriſtatus*, inquit, *Rex aſcendit ſuper cœnaculum portæ, & fleuit, & ſic loquebatur vadens: fili mi Abſalon, Abſalon fili mi; quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te fili mi Abſalon, Abſalon fili mi*, at de conclamatione à præſentibus facta puto illud intelligendum quod apud Hieremiam habetur [c]. Vbi Deus inter cætera quæ comminatur Ioachim Regi Iuda mortem etiam denunciat, quæ caritura ſit omni ſolatio nimirum inter extraneos & hoſtes; qui nec ipſum conclamabunt, nec ſuprema vlla officia præſtabunt morienti. *Hæc*, inquit, *dicit Dominus ad Ioachim filium Ioſiæ Regem Iuda. non plangent eum væ frater, & væ ſoror: non concrepabunt ei, væ pater, & væ inclyte*; Significat enim nec defletum, nec conclamatum deceſſurum; nullumque vel ex cognatis, vel ex amicis illi adfuturum morienti: nam cognati nomina conſanguinitatis vſurpabant, vt alius diceret. *Heu Ioachim fili mi*, Alius. *Heu Ioachim frater mi*, vt vidimus in Dauide identidem repetente, *fili mi Abſalon, Abſalon fili mi.* At verò extranei nomina dignitatis adhibebant, vt dicerent, Heu Ioachim Rex inclyte. propterea Propheta vt ſignificaret nullum, nec extraneum, nec conſanguineum adfuturum, qui Ioachim morientem deploraret; dicit, nullum fore, qui illi ſit dicturus, *væ frater aut væ inclyte*. Clarè autem colligitur ſermonem hic eſſe de conclamatione à præſentibus ipſi morienti facienda. nam alia quæ ad ſepulturam, vel ab abſentibus adhibebatur, non erat in ſolatium morientis, ſed in honorem iam mortui, nec ob id ſequebatur quempiam infeliciſſimè obiturum, & nullo cum ſuorum ſolatio, quod conclamandus ad ſepulchrum non eſſet. Sed miſerum valde eſt ita mori; nullum vt ſuorum circa ſe videat qui decedit, quod genus mortis per hæc verba Regi Ioachim denunciabatur. Contra vero Sedeciæ apud eundem Hieremiam alibi [d] promittitur pacata mors inter ſuorum manus. *non morieris*, inquit, *in gladio*, id eſt non violenta morte; ſed in pace fato tuo defunctus morieris, *& væ Domine plangent te.*

b 2. Reg. 18. 33.

c Cap. 22. 18.

d Cap. 34. 5.

Sed pleniùs ritus hic illuſtrabitur ex collatione eorum quæ apud alias gentes ſeruabantur; apud quas eodem pacto ſummæ infelicitatis erat ſine hoc ſupremo officio decedere: vt contra omnibus optatiſſimum conclamatum à ſuis vita defungi. Ouidium [e].

e lib. 3. de pon. El. 2.

Tam procul ignotis igitur moriemur in oris?
Exul vt occiderem nunc mihi visa data eſt

Et poſt.

Nec mandata dabo: nec cum clamore ſupremo
Languentes oculos claudet amica manus

Hoc enim pauebat Ouidius, quod Deus Regi Ioachin denunciauerat, pauebat ſcilicet, ne iis in regionibus moreretur, vbi nullus adeſſet, qui conclamaret, qui diceret, *væ frater, & væ inclyte.* Porro duplici de cauſa adhibitam hanc conclamationem à Gentilibus habemus. Prima & notiſſima, erat ad dolorem leuandum, & affectum in mortuum conteſtandum. Altera; vt ea ratione certiores omnino fierent de obitu ægri, & decumbentis; non rarò enim contingit, vt ægri

videantur

videantur exceſſiſſe, cum tamen adhuc viuant: vita ipſa intra remotos quoſdam ſinus, quodammodo reducta, & latitante. vt ergo ſi quid tale ſit, iterum excitentur, & ſibi reddantur, clamore ſublato ſæpiùs proprio nomine compellantur; quod nihil ſit ad quod magis homines expergefiant; quam ad proprij nominis inclamationem: vt bene aduertit Lambertus[a] Ortenſius, & experientia ipſa docet. cauſam autem hanc latius explicat Seruius ad illud Virgilij[b]. *Pars calidos latices.* Sic enim habet. *Plinius in naturali hiſtoria dicit hanc eſſe cauſam, vt mortui, & calida abluantur; & per interualla conclamentur; quod ſolet plerumque vitalis ſpiritus excluſus putari, & homines fallere, denique refert quemdam impoſitum pyræ, adhibitis ignibus erectum eſſe, nec potuiſſe liberari;* Cùm ergo ſæpius inclamatos nihil excitari videbant aliis accedentibus ſignis; tum omnino exceſſiſſe iudicabant; vnde factum, vt qui pro mortuo habebatur *conclamatus* diceretur. Apuleius[c]. *Domi tua iam diu defletus & conclamatus es.* ex quo loco obiter illud etiam confirmatur, quod initio huius capitis poſuimus, primam conclamationem fuiſſe ab abſentibus, & à præſentibus vſurpatam, & ab illis vbi primum de propinqua aut amici morte nuncium accepiſſent; id enim hic elate ſignificat Apuleius, *Domi*, inquit, *tua defletus & conclamatus es* qui nimirum iam pridem mortuus es renunciatus. & ex hoc; prouerbiali formula apud optimos latinitatis auctores, *conclamata dicuntur*, quæ iam perdita eſſe, & planè deſperata ſignificantur: vnde Terentius[d] *deſine: iam conclamatum eſt.* vbi Donatus. conclamatum eſt, tranſactum, ac finitum; vt *conclamata corpora; quæ nihil reliqui, iam habent ad vna officia* ſic etiam Apuleius[e]. *Conclamata* corpora ægrotorum dixit, quorum iam ſalus deſperata eſt, *Vt optimi medici, inquit, conclamatis diſperatiſque corporibus non adhibent medentes manus, &c.*

a Comment. in 2. lib. Luciani.
b lib. 6.
c lib. 1. Metamor.
d In Eun. ac. 5.
e lib. 1. de Philoſophia.

Dixi apud bonos auctores: nam deteriotis æui ſcriptores conclamatum etiam in bonam partem accipiunt pro celebri, & decantato in quam ſignificationem Sidonius Apollinaris dixit *conclamatiſſimam feminam* id eſt celeberrimam, & alibi. Lupum Epiſcopum vocat *conclamatiſſimam primipilarem*, & iterum. *Conclamatiſſimas declamationes.* vtuntur etiam in eadem ſignificatione Claudius Mamercus Apollinaris æqualis, & Saliſbonienſis. At alias *conclamare*, & *clamare* ob hoc ritu ponitur pro *deplorare*, & *conqueri.* D. Ambroſius in oratione funebri in Theodoſium Imperatorem. *Huius Principis & proximè conclamauimus obitum, & nunc quadrageſimum celebramus ſicut S. Ioſeph patri ſuo Iacob quadraginta diebus humationis officia detulit*, hic enim *conclamare* poſitum eſt pro deplorare vt ſæpiſſimè in ſacris literis *clamor* idem eſt quod lamentum, & *clamare* idem quod conqueri, & lamentari. Vnde ad Ezechielem[f] *clama, & vlula fili hominis* 8; & rurſus, *Eiulabant ſuper te voce magna & clamabunt amarè*, & hæc ſatis de hac prima conclamatione.

f Cap. 21. 12
g Cap. 27. 30

CAPVT IV.

Ad locum Actor. 9. 17.

Factum eſt autem vt infirmata moreretur, quam cùm lauiſſent poſuerunt in cœnaculo.

Defuncti corporis ſolemnis ablutio: à quibus & ad quid, & apud quas gentes vſurpata, Chriſtiani qui ſemper eam religiosè ſeruauerint. Apud alios pleroſque ſolis fæminis munus illud iniunctum, quod Iudæis olim, & Chriſtianis deinceps, inter viros fæminaſque partitum eſt.

POſt conclamationem ſequebatur defuncti corporis curatio quod ſolemni ritu lauabant, vngebant certis etiam veſtibus induebant & demum collocabant de quibus ſingulis dicam quæ pluribus ſacræ Hiſtoriæ locis illuſtrandis magis facere exiſtimauero. Mortui ergo corpus primum omnium *abluebant*, quod adeò Hebræis ſolemne erat; vt Hieronymus[h] ab Oleaſtro putet genus pœnæ & ſupplicij fuiſſe illorum poſt mortem relinqui, quod ipſe, & Durantius[i] qui eum ſequitur colligunt ex illis verbis. *Vir ſiue mulier in quibus pythonicus, vel diuinatorius fuerit ſpiritus morte moriatur; lapidibus obruent eos; ſanguis eorum ſit ſuper illos.* quæ vltima verba ita videntur interpretari; vt iubeat Deus illos & in proprio ſanguine fœdatos deſtitui debere, quod quam ſolidum ſit alij viderint; nemo enim neſcit conſuetam phraſi ſcripturæ; *Sanguinem alicuius eſſe ſuper caput eius* ſignificare illum eſſe reum mortis; vel ſuæ, vel alienæ. Nobis autem ſatis ſit cadauera ab illis ſolemni more abluta; quod licet ſignate in veteri ſcriptura non habeatur certiſſimè, tamen colligitur, ex alio ritu illo vngendi, & ornandi de quo paulò pòſt, & clariſſimè traditur in hiſtoria Apoſtolica[k], vbi de Tabitha; *factum eſt autem, vt infirmata moreretur, quam cum lauiſſent poſuerunt in cœnaculo.* Nec dubium genus hoc officij in mortui memoriam non fuiſſe prætermiſſum ab iis qui in aliis curandis quæ ad hoc pietatis opus pertinebant tam ſe religioſos præbebant. Spectare porro hanc ad curam; quam pro mortuis ſuperſtites gerere debent, teſtatur perpetuus vſus Eccleſiæ Catholicæ in qua ſemper eſt religiosè ſeruatum; vt defunctorum corpora, quæ rite ſepelirentur, prius eſſent abluta cuius ritus meminit alicubi Tertullianus[l] *Sed etſi cæremonias tuas non frequento; attamen, & illa die homo ſum: non lauor diluculo Saturnalibus, ne, & noctem; & diem perdam, attamen lauor honeſta hora, & ſalubri, quæ mihi, & calorem & ſanguinem ſeruet, rigere & pallere poſt lauacrum, & mortuus poſſum;* quæ vltima verba apertiſſimè alludunt ad hunc ritum lauandi mortuos etiam Chriſtianis ſeruatum: teſtantur autem clarius id ipſum plures Hiſtoriæ ſacræ apud vtrumque Gregorium Magnum[m], Turonenſem[n], Bedam, Euſebium & alios quos refert Lorinus[o] noſter & ex quibus hanc conſuetudinem vt traditione acceptam, & in Eccleſia ritè ſeruatam defendunt aduerſus Hereticos noſtri temporis Lipomanus in ſuis obſeruationibus ad vitas Sanctorum, Pamelius & B. Renanus ad locum Tertulliani ex Apologet. denique id ipſum aperto traditur à Dionyſio Alexandrino, cuius verba in capite præcedenti retulimus. *Sanctorum corpora inquit manibus ſupinis excipere; lauare accuratè, funebri linteo inuoluere &c.*

h In 2. Leuit. v. 27.
i lib. 1. c. 23.
k Actor 9 c. 37.
l Cap. 42. Apolog.
m Hom. 34. in Euang. lib. 3. Dial. c. 17. lib. 4. c. 39. & 27.
n de glor. confeſſ. cap 7. 42.
o in acta c. 9 37.

At quorſum, & apud quas alias gentes; & à quibus aut quibus lauacrum illud exhibebatur quorſum adhibitum, facile per ſe quiſque intelligit; lauabantur enim mortui, & ipſorum cauſa,

&

Digitized by Google

& eorum qui ſuperſtites remanebant ipſorum quidem; vt hoc etiam honore augerentur; vt honeſtiùs à viuis, & minore cum horrore cóſpicerentur mirum enim eſt quanta nonnullis cura ſit; vt etiam poſt mortem non indecori appareant: nec fœdum quidquam oculis ſpectantium

a lib. 11. c. 37 obiiciant de Auguſto narrat Suetonius [a]; *Supreme die cum identidem exquiſiſſet; an iam de ſe tumultus foris eſſet petito ſpeculo capillum ſibi comi, ac malas labentes corrigi præcepiſſe*, nimirum, vt mortuus etiam dignitatem illam oris ſeruaret quam viuus habuerat. quis autem neſcit defunctorum corpora, præſertim qui ex longo morbo contabuere, ſordes plures contrahere, quæ planè ipſos dehoneſtent niſi abſtergantur? eſt etiam alia cauſa à phyſica ratione deſumpta, ex parte quoque illorum qui lauantur: vt ſcilicet per eam occaſionem contrectati, abluti aqua calida fori, excitentur iterum, & ſibi reddantur: ſi forte conſopiti tantum;& examinati ſunt, & non verè

b Cap. 99. exanimes. Quam cauſam Seruius ex Plinio [b] memorat, vt vidimus in verbis proximo capite adductis. *Solet*, inquit, *plerumque vitalis ſpiritus excluſus putari, & homines fallere: propterea mortui calida abluuntur, &c.* Sane hoc atteſtantur exempla multorum qui ex ipſo funere rediuiui ſteterunt. quorum argumento vſus eſt Euſebius contra Hieroclem ad diſſoluenda falſa miracula Tyanæi nimirum non fuiſſe verè mortuos, quos ille excitaſſe credebatur; ſed pro mortuis habitos, ad quod firmandum puellæ cuiuſdam Hiſtoriam narrat, quæ dum pro mortua efferretur excitata repente eſt ad lapſum pluuiæ cadentis & hæc cauſa ex parte defuncti, cur lauaretur.

Ex parte ſuperſtitum illa antiſſima, vt qui neceſſe habebant ad corpus accedere, illud tangere, oſculari, amplecti, & demum ſuprema alia officia illi impendere, ſordibus;& illuuie cadaueris non offenderentur.

At apud quas alias gentes ea feralis ablutio vſurpata? breuiter dico; apud omnes, quibus aliqua mortuorum, & ſepulcri cura quia nimirum ratio propter quam ea adhibita, æquè apud omnes gentes valere debuit itaque ab antiquiſſimis temporibus apud Homerum Achilles calida de-

c Iliad. 18. functus abluitur, & in funere Patrocli [c].

Poſtquam incaluit aqua in lebete inſonante

De latinis etiam conſtat ex Ennio, cuius illud eſt.

Tarquinij corpus bona fœmina lauit, & vnxit

At Dardanorum conſuetudo digna eſt, hoc loco

d De var. Hiſt. li. 4. c. 1. non prætermitti, de quibus Ælianus [d], *Dardanenſes*, inquit, *qui in Illyrico ſunt ter tantum per vniuerſam vitam lauari audio: poſt partum, & cum nuptias ineunt, & poſt mortem*

Qui autem lauabant? vt plurimum apud alios fœminæ & quidem quæ defuncto erant coniun-

e lib 4. ctiores Seruius in illud Virgilij [e].

date vulnera lymphis

Abluam

Lauare, inquit, *cadauera dabatur proximis* vnde

f lib. 9. Æn. mater Euriali [f];

nec vulnera laui

Veſte tegens.

Sic apud Homerum, quæ hoc ferali officio funguntur fœminæ ſunt vt conſtat Iliad vltimo vbi de Achillis funere, & apud Euripidem in Phœniſſis Creon Iocaſtam inuitat ad mortuum filium abluendum

Ipſe ad ſororem eo Iocaſtam; vt abluat

Cadauer illa filij atque colloces

Et in eadem Tragœdia circa finem Antigone à Creonte petit vt ſibi fratrem lauare liceat

At tu abluam ſaltem concede mortuum

Similiter Ennius

Tarquinij corpus bona fœmina lauit & vnxit.

Hæc apud Ethnicos;at apud Iudæos & deinceps apud Chriſtianos aliter obſeruatum puto refert Baronius [g] ex Rabbi Iacob, & Rabbi Moſe viros g Tomo 1 an. 34.

virorum, & fœminas fœminarum cadauera curare conſueuiſſe; curaſſe autem *oculos & ora claudendo; faſcia ſtringendo; capillos tondendo; corpus lauando; quod lotum, & poſtmodum vnguentis vnctum linteis inuoluebant, Et ſic curatum ſepulturæ mandabant*; Ea qua cóſuetudine apud Marcum [h] h Cap. 15.

legimus de Chriſto mortuo *Maria Magdalene, & Maria Ioſeph. aſpiciebant vbi poneretur.* quia ſcilicet ipſæ corpus Domini non curabant; nec ſepeliebant: ſed vbi à viris, quorum ea cura propria poneretur obſeruabant, quod ipſum indicat i Cap. 23.

Lucas [i]. *Subſecutæ mulieres viderunt monumentum, & quemadmodum poſitum erat corpus eius.* quibus conſonant quæ de Beata Virgine refert Metaphraſtes apud Surium [k] quam acceptum cor- k Auguſti 15

pus filij Ioſepho tradidiſſe dicat, & ſic locutam. *Tibi cura erit vt ſepultura hoc, cum honeſtè componas, myrrha condias, &c.*

Et ex his facile eſt intelligere, qui lauarentur nullus enim eo ſupremo officio deſtituebatur, qui rite ſepulcro mandaretur. quotus enim quiſque eſt, cui ad lauacrum aqua non ſuppetat? ideo nec extremè inopes eo ſolatio ſi ſic appellari poteſt, fraudabantur.

CAPVT V.

Ad locum Geneſis 50. Præcepitque Ioſeph ſeruis ſuis medicis, vt aromatibus condirent patrem.

Et ad locum Ioan. 19. 40 Acceperunt ergo corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus ſicut mos eſt Iudæis ſepelire.

Vnctura feralis quibus exhibita, & ex quo genere aromatum; apud quos ea maximè in vſu, & quid in ea propriè ſpectatum: qui inungerent; fœminæ apud alios: apud Iudæos, & Chriſtianos partito munere fœminæ à fœminis inunctæ, viri à viris: ſerui Ioſeph qui Iacobum condiunt an veri Medici.

POſt funebre lauacrum ſequebatur cadaueris inunctio quam apud Hebræos maximè vſurpari ſolitam ex pluribus ſacræ Scripturæ [l] locis l Gen c. 50. 2 & 26. Matth. c. 16, 12. Mar. 16. 1. Luc 23. 56. & c. 24. 1. Ioan. c. 19. 40.

apertè conſtat de quo ritu breuiter hæc expediemus qui inungerentur, à quibus, quo genere aromatum; quorſum id, & à quibus gentibus ſeruatum & demum qualis illa eſſet inunctio.

Qui inungerentur; dubium non eſt honeſtiores quoſque fuiſſe; aut qui diuitibus, & honeſtis, quos ſuperſtites relinquerent, chari eſſent. Cùm enim non leuis in id impenſa eſſet facienda, alterum ex duobus opus erat; vel vt qui vngebantur diuites ipſi eſſent; vel amici diuitum. & tales ſunt qui in ſacris litteris inuncti dicuntur. Nam

Iacob

Digitized by Google

[a] Gen. 50. [b] 2. Paral. 16.

Iacob [a] iuſſu filij inungitur qui toti Ægypto enim ſuprema præerat poteſtate. & Aſa [b] Rex exquiſitiſſimis odoramentorum generibus delibutus componitur: in nouo vero Teſtamento Chriſto Domino hoc officium perſolutum eſt, non quod ipſe diues eſſet; ſed quod charus diuitibus Ioſepho ſcilicet ab Arimathia, & aliis quos propterea Euangeliſta diuites fuiſſe non reticet; vt ſumptuoſam vnctionem non admitterent. puto tamen ita ſolis honeſtioribus exquiſitam inunctionem tributam; vt etiam reliquis omnibus ſua aliqua non defuerit itaque nullus ferme defunctus hoc officio carebat. Clemens Alexandrinus hoc indicat vbi agens de vſu vnguentorum vniuersè pronunciat, non viuentium illa propria eſſe, ſed mortuorum; & apud Marcum. Chriſtus Dominus iam ſepultus, à piis nec ditiſſimis fœminis vngendus quæritur, nefas putantibus carere eum ſupremo illo vncturæ honore cuius nullus omnino expers abibat; niſi qui inſepultus abiiceretur. Propterea in iure ciuili cum de ſumptu funeris agitur exemplum ponitur in impenſa vnguenti, quod id nunquam omitteretur. Marcus Iuriſconſultus ſic ibi loquitur. *funeris ſumptus ille accipitur; quidquid corporis cauſa, veluti vnguentorum erogatum eſt.*

De ſecundo qui inungerent: apud Hebræos certi homines ad id propriè attributi hoc officio fungebantur; vt colligitur ex adducto loco Geneſis [c]. *Præcepit*, inquit Ioſeph ſeruis ſuis medicis vt patrem condirent. quod tamen ita intelligendum exiſtimo quemadmodum de lotione dixi; vt à fœminis curatæ fœminæ fuerint à viris viri.

[c] Cap. 50.

Qua tamen ex re ne quid diſſimulem, tres exiſtunt non leues difficultates in Hiſtoria Iudaica. Prima eſt qui eſſent illi medici, quibus iniungendum Corpus patris tradidit. Secunda cur pollutum, & immundum eſſe iubebat Deus, quo mortuum tetigiſſet; ſi pium, & conſuetum erat defunctos lauare, & vngere. Tertia denique quid mulieres illæ in Euangelio ad ſepulchrum, vt IESVM vngerent accurrerunt; cum viros curare non mulierum proprium eſſet, ſed virorum: dicamus aliquid de ſingulis.

Primo loco difficultatem facit quod *medicos*, & quod *ſeruos* appellet; medicorum enim non eſt mortua corpora curare, ſed adhuc ſpirantia; quorum ſalutem ſi valent tuentur, & ſeruant, ſi morbo laborant, præſidio artis reſtituunt. propter hoc ergo ſunt qui hic *medicorum* nomen à noſtro Interprete non propriè vſurpatum putent: ſed pro *pollinctoribus* poſitum, ſicuti LXX. qui habent *funeratores*; ſiue vt alij vertunt *ſepultores*. Arbitror tamen propriè hic medicos appellatos, & eorum hoc munus, apud Ægyptios, præſertim peculiare fuiſſe, quod colligo primo quia Hebræa vox רופאים *Rophim*. quæ hic vſurpatur medicos ſignificat. Secundo quia licet medicorum non eſſet corpora defunctorum *ſepelire*, id eſt terræ mandare: erat tamen ſepelire, id eſt ad ſepulchrum parare; cadauera condiendo, ſiccando, alligando, inuoluendo in quo ſenſu LXX. vt notat Auguſtinus de locutionibus in Gen. *ſepultoris*, ſiue funeratoris voce ſunt vſi, non ad ſignificandum veſpillonem, & eum qui terræ mandat; ſed qui curat corpus, & aptat vt rite inhumetur. Tertio quia medicorum erat præſertim apud Ægyptios medicamenta componere & præparare; ea maximè quæ in maiori pretio eſſent, tale autem erat medicatum funus, quod mumia etiam nunc dicitur; Eſt autem mumia, humanum cadauer certis aromatibus conditum, & aſſeruatum. cum ergo id muneris obibant medici, non tantum mortuos curabant. Sed viuorum quoque ſaluti proſpiciebant, quod eſt illorum proprium. Quarto denique ſi circa corpus defuncti ea faciebant Ægyptij, quæ ad ipſum ſeruandum, ne tabo diflueret, maximè valerent: cuius alterius id ope præſtari poterat, quam medici? cuius munus eſt ea internoſcere quæ tabem arceant, & incolumitatem quibuſcunque corporibus impertiant. quod adhuc clarius fiet; ſi medici nomen etiam ad ſectores, & Chirurgos olim pertinuiſſe non ignoremus, vt tradit Celſus [d] in proœmio libri primi: Chirurgorum autem maximè propria erant, quæ Ægyptij cadaueribus præſtabant. Herodotus [e]. *Ante omnia*, inquit, *incuruo ferro cerebrum per nares educunt; vt quamque partem educentes; ita locum eius medicamentis explentes. deinde acutiſſimo lapide Æthiopico circa ilia. conſcindunt: atque illac omnem aluum extrahunt: quam vbi repurgarunt ac vino phœniceo expleuerunt, rurſus odoribus contuſis reficiunt; tum omenta complentes contuſa myrrha & caſia, & cæteris odoribus iterum conſuunt, &c.* Denique ad hos etiam pertinuiſſe *medici* nomen clarè tradit ibidem Herodotus *medicina*, inquit, *apud Ægyptios ita diſtributa eſt vt ſingularium morborum ſinguli ſint medici non vnius plurium: itaque omnia referta ſunt medicis*, & deinde eos ſubdens, qui mortuos curant. *ſunt certi*, inquit, *ad hoc ipſum conſtituti; quis cum ad ipſos cadauer portatum eſt, diligentiſſime condiunt, &c.* Et hos *ſalutores* appellatos dicit Diodorus [f]. Siculus. De his medicis fortaſſe illud Dauidis intelligi poteſt Pſal. 87. nunquid medici ſuſcitabunt, aut confitebuntur tibi, oſtendit enim fruſtra operam impendi ab his medicis defuncto corpori; quod quantumuis vertant, & curent non poſſunt ſuſcitare.

[d] De re medic. [e] lib. 2. [f] lib. 2. Bibl. c. 5.

At hi ſerui dicuntur; quod nomen in veros medicos non cadit: imo vero nam antiquitus medici tam apud Latinos; quam Græcos & Ægyptios inter veros ſeruos, vt pluribus oſtendit Tiraquellus de nobilitate [g]. extat apud Suetonium [h] Epiſtola Auguſti Imperatoris in hæc verba: *Muſo præterea cum eo ex ſeruis meis medicum, quem ſcripſi Germanico, ſi vellet, vt retinet.* Cicero [i] ſimiliter Philippi cuiuſdam medici meminit ſerui ipſius Deiotari, & de alio Seneca [k] *tenebatur*, inquit, *incluſus Domitius imperauit medico eidem ſeruo ſuo, vt ſibi venenum daret, &c.* quam Hiſtoriam refert, etiam Plutarchus in Cæſare illud adiungens quod cum Domitium hauſto poculo facti pœniteret, ſeruus adfuerit, eumque ſolatus bono animo eſſe iuſſerit quod non venenum, ſed medicatam & ſoporiferam potionem temperaſſet.

[g] Cap. 31. n. 410. [h] In vita Calig. c. 3. [i] Orat. pro Rege Deiot. [k] lib. 3. de benef.

De ſecundo quemadmodum nunc etiam in Chriſtiana Religione *irregularitatis* nota contrahitur; ex iis quæ non ſolum nullum crimen continent, ſed cum laude etiam à quibuſdam adminiſtrantur? Sic etiam apud Hebræos certa legalis impunitas contrahebatur ex iis operibus quæ alioquin ſancta, & iuſta erant qua de re alibi.

De tertio dubium non eſt; Quin cum ritè, & ex ordine omnia fierent fœminæ à fœminis, Viri autem à viris in ſuo funere curarentur cum tamen aliquid turbatum erat, tectus ordo, vt in

alijs

aliis , ita , nec in hoc perpetuò ſeruabatur non mitnm ergo ; ſi in tanta perturbatione , quanta in Chriſti morte rerum omnium vita eſt:Sanctæ iſte mulieres dubiæ forte , an Chriſto hoc officium ab aliis eſſet perſolutum;vel id oblitæ religioſa ſedulitate vellent ipſæ preſtare , quod alij neglexiſſent ita nodum hunc alij ſolqnni : at aliter mihi expediendus videtur , duplicem nimirum fuiſſe corporis inunctionem : alteram , quæ ſtatim quod lotionem ſequebatur calente adhuc, & nudo cadauere , & hæc apud Hebræos , & Chriſtianos in fœminis à fœminis,à viris autem in viris curabatur. Alteram verò quæ ſubinde repetebatur , cum cadaueri iam veſtibus feralibus amicto,& collocato aut etiam ſepulto varia odoramenta officij cauſa inſpergebantur puto ergo de hac ſecunda inunctione , accipiendum , quod ſanctæ iſtæ mulieres , Chriſto , vt impenderent, tam diluculo ad ſepulchrum perrexerunt.

a Tom.2. Annal. in vita SS. Probi & Andronici.

At turbat quod apud Baronium ex priſcis Actis alicubi refertur in vita enim [a] ſanctorum Probi, & Andronici, Maximus Præſes ſic martyrem alloquitur. *Putas , quæ mulierculæ aliqua habent corpus tuum aromatibus, vel vnguentis condire iniquiſſime? nec de hoc eſt cogitatio, vt reliquias tuas perdam*,& paulò pòſt.*Nonne ſic te perdam,& reliquias tuas ne mulierculæ in linteamine corpus tuum inuoluans,& odoribus adornent ?* Similiter,in vita Sancti Andreæ habetur de Maximilla. *Corpus illum Apoſtoli tuliſſe, & optimo loco cum aromatibus ſepeliſſe* adde his vnguenta conficere maximè proprium eſſe fœminarum, & ſemper fuit imprimis apud Hebræos , quorum filiæ dicuntur [b] futuræ *vnguentariæ* in aula Regis. erat ergo Chriſtianis , & Iudæis nullum in hoc diſcrimen : ſed paſſim à fœminis , quotquot inungendi erant; ſiue viri;ſiue fœminæ eſſent,inungebantur.

a lib.1.Reg. c.8.

Reſpondeo primò , vt iam dixi diſcrimen illud ſeruatum eum omnia ritè, & ex ordine peragebantur in tumultu verò , & furtiua funeratione, qualis erat martyrum , turbabatur. Secundo quod dicit Præſes ille ; fortè ex ſenſu Gentilium dicit ; apud quos fœminæ hoc officio in quoſcunque promiſcuè fungebantur. Tertio vnguentariæ erant fœminæ apud Hebræos ; non tam quod alios vngerent ; quam quod vnguenta conficerent. At in gradum iterum,& quæ genera odoramentorum in id aſſumpta fuerint inquiramus.

Capvt VII.

Ad locum Ioan. 19.

Venit Nicodemus ferens mixturam Myrrhæ , & Aloës quaſi libras centum.

Odoramenta , vngendo cadaueri quæ maximè adhibita apud Iudæos, & alios, Myrrha , Opobalſamum, Aloë, Cinnamomum primi in ea re pretij : De Sale,Gypſo, calce aliquid adiunctum.

B. Xauerij corpus quomodo miraculo ſeruatum,ſi calcis vſus incolumitatem impertit : Chriſti Domini unctura quanti æſtimanda.

EA quæ cadaueri condiendo adhibebantur, Scriptura aliquádo generali voce complectitur:alias etiam per certas ſpecies diſtinguit,& ſignat Generali voce vtitur in deſcribenda ſepultura Iacob Patriarchæ , & Aſa Regis Iuda ; & in nouo teſtamēto Marcus, & Lucas cum de funere Chriſti Domini loquuntur, Iacob enim dicitur aromatibus conditus;quod immerito Arias Montanus ad ſolum balſamum reſtringit : Aſa verò aromatibus , & vnguentis Meretriciis delibutus. De Chriſto Domino autem Marcus,& Lucas dicunt mulieres vt illum ſepelirent, aromata emiſſe , & præparaſſe at certa adoramenta diſtinguit D. Ioannes [c] *venit*, inquit,*Nicodemus ferens mixturam myrrhæ & aloës quaſi libras centum.*

c Cap.19.

Quod attinet ergo ad aromata ipſa in vniuerſum in duplici illa differentia fuere alia enim erant ad incorruptionem cadaueri impartiendam,& arcendam putredinem,alia etiam ad odorem.& gratiam conciliandam , & fœtorem inhibendum.nam vtrumque nunc etiam propoſitum eſt mortuorum corpora curantibus & condientibus.Primi generis erant ſal, Gypſum,Bitumen, mel , Cera : ſecundi vero Balſamum myrrha, Aloës,Cinnamomum de quibus,& pluribus aliis fusè .& diſtinctè agit Petrus Bellonius toto libro ſecundo de medicato funere ; nos hic nonnulla attingemus;quæ ad illuſtrandum hunc funebrem ritum prout apud Iudæos vſurpabatur magis facere videbuntur.

De *ſale* igitur non habetur diſtinctè in ſacris literis, quod cadaueribus fuerit aſperſum:alluditur tamen ad id non obſcurè apud Matthæum [d] cum diſcipuli à Chriſto Domino notiſſimo illo elogio appellantur *Sal terræ.* Vbi hoc Hilarius [e] obſeruat his verbis ; *Sal in omnem vſum humani generis effectus incorruptionem corporibus quibus fuerit aſperſus impertit.* ea eſt enim ſalis natura, cuius vices explicans Plinius [f]. *Salis*, inquit , *natura eſt per ſe ignea omnia erodens , corpora vero adſtringens, ſiccans, alligans : defuncta etiam à putreſcendo vindicans, vt durent ita per ſæcula*,apud Chriſtianos autem vſum ſalis etiam obtinuiſſe in hac conditura cadaueris;inde colligitur, quod Eunapius Sardianus Salitas martyrum reliquias irridendo traducit de vitis Philoſophorum.

d Cap 5.
e Can. 4. in Matth.
f lib.31.c.9.

De Gypſo nihil etiam ſignatè traditur in ſcriptura : adhibitum tamen non leui coniectura colligimus quod Æthiopes , & alij orientales in cadaueribus ſeruandis illo ſint vſi , teſte Herod. lib.3. aliud tamen ſpectatum eſt à Nerone , cum faciem Britannici fratris, quem veneno interemerat Gypſo liniuit,fecit id enim,ne liuor ſcelus argueret & venenum proderet. licet id aſſecutus non fuerit , quod pluuia repente coorta Gypſum abluerit, omniumque oculis ſcelus ſubiecerit, quod ille fruſtra tegere conabatur vt pluribus refert Dio in vita Neronis.

De myrrha verò nullus eſt , qui ambigat , ea enim præcipuè inter omnis aromata in hoc munus ſemper adſumpta. Ioannes [g], de quo modo diximus clarè refert Nicodemum *mixturam myrrhæ tuliſſe.* Patres omnes explicantes , quid maximè ſancti magi voluerint in myſtica illa munerum oblatione vno conſenſu tradunt, myrrha ſignificatam fuiſſe ab illis *Dominicam ſepulturam* ; quod ea condiendis ſeruandiſque corporibus apud Iudæos imprimis adhibetur,ita Chryſologus cum pluribus aliis pulchè autem Sedulius.

g Cap 19.

Aurea naſcenti fuderunt munera Regi
Thura dedere Deo myrrham tribuere ſepulto.

Et

a Orat. 38.

Et Nazianzenus [a]. *Cum magis dona affer, aurum Thus, & myrrham, vt Regi, vt Deo, vt ſalutis tuæ cauſa mortuo* Iren. loco citato *myrrha*, inquit, *oſtendebatur, quod ipſe erat, qui pro mortali humano genere moreretur, & ſepeliretur. Fulgentius* [b]. *thus ad ſacrificium, aurum ad tributum, myrrha ad ſepulturam pertinet mortuorum. Ambroſius* [c]. *theſaurus enim Regni, ſacrificium Dei, myrrha eſt ſepultura. Prudentius in hymno de epiphania.*

b Homil. 5. de Epiphan.
c lib. 1. de fide c. 2.

Regem, Deumque annunciant
Theſaurus, & fragrans odor.
Thuris ſabæi: at myrrheus
Puluis ſepulchrum prædocet.

d in cap. 2. Matth.

Theophylactus [d]. verò myrrham, inquit, *obtulerunt magi, vt mortem guſtaturo; nam Iudæi cum myrrha mortuos ſepeliunt. myrrha enim cum ſicca ſit arefacit, & exſiccat humiditatem, & non ſinit innaſci vermes, &c.* Propterea apud Chriſtianos etiam deinde receptum, vt martyrum, & Principum cadauera myrrha condirentur. Prudentius in Hymno de defunctis.

Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos eſt
Aſperſaque myrrha ſabæo
Corpus medicamine ſeruat.

Quid autem myrrha, & quale eſſet vnguentum in hunc vſum ex ipſa confectum pluribus explicat Petrus Bellonius loco citato.

At Balſamum eo etiam nomine magis expetebatur quod præter incorruptionem gratiam quoque, & odorem corporibus inhalabat. quod etiam nunc adeò in vſu eſt; vt Balſamo curata corpora eo ipſo defuncta intelligantur: porro in hoc ipſum adhibitum quoque fuiſſe apud Chriſtianos diſcimus ex ſanctorum Hiſtoriis. alludit ad hoc D. Hieronymus in vita Paulinæ ad Pammachium. *Pammachius noſter ſanctam fauillam, oſſaque veneranda eleemoſina Balſamis rigat; his pigmentis atque odoribus fouet cineres quieſcentes.* & de eodem Corippus de funere Iuſtini agens totum hunc apparatum vnguentorum cadaueri curando commemorat.

Thura ſabæa cremant flagrantia mella locatis
Infundunt pateris, & odoro Balſama ſucco
Centum aliæ ſpecies vnguentaque mira feruntur
Tempus in æternum ſacrum ſeruantia corpus.

Extat vetus inſcriptio Hiſpanica vſum Balſami in hac conditura maximè commendans.

MATER ad luctum & gemitum relicta, cum lachrymis, & opobalſamo vdum, hoc in ſepulchro condidit.

At de calce aliquid mihi dicendum eſt; non quod de ea quidquam in Scriptura habeamus: ſed quod in hunc vſum aliquando adhibitam legamus in martyrum Hiſtoriis viua enim calce, & candidiſſimo cæmento obductum ſanctæ Aphræ Martyris corpus repertum eſt à ſancto Embrieone Epiſcopo. vnde colligit vir nobiliſſimus, & eruditus Marcus Velſerus calcis olim vſum in curatione cadaueris, ſed in quem finem potiſſimum? ad exedendum ne, & abſumendum; an etiam ad ſeruandum? ſi ad illud: non facit ad hunc locum, vbi aromata, & alia ſeruando cadaueri adhibita recenſemus. Si ad hoc: nihil ergo mirum ſi quorumdam corpora viua in calce ſepulta poſtea integra fuerint reperta, & tamen ſanctæ Aphræ reliquiæ quod calce incluſæ: nihil læſæ fuerint miraculo eſt habitum: & Patrum noſtrorũ memoria B. Franciſci Xauerij Indorum Apoſtoli corpus, diu viua calce obrutum miraculo fuit; quod poſtmodum effoſſum planè illæſum apparuerit. Arbitror ergo inconſultè à quibuſdam inter alia calcem connumerari, quæ olim ſeruando cadaueri adhibita ſi id faciunt ſine vlla reſtrictione. prorſus enim ſeruando cadaueri viua calx idonea; non tamen integram carnem ſeruando; ſed potius exſiccando, & exedendo qua ratione à putredine vindicat, tetrum odorem arcet, vermes impedit; ne adnaſcantur. itaque non legimus illam vſpiam vſurpatam; niſi in ſubito, & tumultuario funere, & vbi properandum eſſet & aliò reliquiæ aſportandæ, meritò ergo pro miraculo eſt habitum ſanctæ Aphræ, corpus tanto poſt tempore incolume in viua calce repertum: Miraculum etiam & longè clariſſimum, quod B. Xauerius viuæ itidem calci intra ſuum loculum penè defoſſus; tam integer nihilominus quartum poſt menſem apparuerit; quaſi eodem die deceſſiſſet: Carne recenti, & humida; illæſa veſte, colore viuido ſanguine florenti, qui ſciſſa cute fluxit, vt inſpirantı; quo in ſtatu cum perſeueraſſet ad 16. menſem; meritò diuinam omnes virtutem ſunt in eo admirati, & venerati quæ viuæ calcis vim in contrarium flexiſſet: vt quæ tabefacere, exedere, conficere, & exſiccare debuerat ſuccum ſanguinem colorem, gratiam denique extinctis artubus contuliſſet, qua de re pluribus Turſelinus [e] noſter in vita Xauerij.

Sopran. in Dauid.

e In vita Xauer. lib. 5. c. 20.

Sequitur *Mel.* cuius virtutem Plinius [f] in primis commendat: Mellis inquiens, *ipſius natura talis eſt, vt putreſcere corpora non ſinat: vnde mortuos Democritus melle illini, & aſſeruari præcipiebat* in ſpem ſcilicet reuiuiſcendi vt alibi illum idem Plinius [g] irridet *ſimilis*, inquit, *de aſſeruandis corporibus, & reuiuiſcendi promiſſa à Democrito vanitas, qui non reuixit ipſe, &* Varro de re ruſtica. *Quare Heraclides Ponticus plus ſapit, qui præcepit, vt comburerent, quam Democritus qui vt melle ſeruarent: quem ſi vulgus ſequutus eſſet peream ſi centum Denariis calicem mulſi emere poſſemus.* Melle autem cadauera à Babyloniis illini ſolita teſtis eſt Herodotus: vt mirum non ſit ſi Alexander Babylone defunctus eo conditus fuerit, de quo Statius [h].

f lib. 13. c. 23
g lib. 7. c. 55.
h lib. 3 Silu. in prop. Calens.

Duc, & ad Hemathios manes vbi belliger vrbis
Conditor Hyblæo perfuſus nectare durat

At de Ageſilao Lacedæmoniorum Rege, quæ ad hunc ritum [i] faciunt, hæc refert Æmilius [k] Probus. *Ibi eum amici quo Spartam facilius perferre poſſent; quod mel non habebant, cera circumfuderunt atque ita domũ retulerunt.* Porro ad hunc mellis vſum oblinendi corpora puto Scripturam alludere; cum illud ſæpius ſimul cum illis enumerat quæ maximè in id vſurpata: vt ſunt Balſamum, oleum, Reſina, apud Ezechielem [l]. Iuda, & terra Iſrael ipſi inſtitores tui in frumento primo Balſamum, & mel, & oleum, & Reſinam propoſuerunt in nundinis tuis & Patriarcha Iacob [m]. Sic filios alloquitur de muneribus in Ægyptum deferendis. *ſumite* de optimis terræ fructibus in vaſis veſtris, & deferte viro munera modicum reſinæ, & mellis, & ſtoracis, ſtactes, & terebinthi. Perduraſſe autem in hoc mellis vſum vſque ad poſteriora tempora teſtis eſt Corippus qui in verſibus paulò ante adductis *mel* inter illa recenſet, quæ Iuſtini cadaueri curando parabantur.

i V. Dalecam. in Plin. l. 22. & 23 Caſau. in Athen. lib. 11. Lamb. in Prob.
k In vita Ageſil.
l Cap. 27. 14.
m Gen. 43. 11.

Dixi præterea *Cinnamomum* ad hoc aſſumptum. Quod inde colligo, quia Aſa Rex Iſraël meretriens vnguentis poſt mortem delibutus dicitur [a] at conſtabat meretricium vnguantum tum aliis adoramentis, tum maximè *Myrrha, Cinnamomo, & Aloe*. Vnde ſic illa loquitur apud Salomonem [b] *aſperſi cubile meum Myrrha, & Aloe, & Cinnamomo.*

a lib 2. Paral. 16 14.

b Prouerb. 7. 17.

De Aloë varò ipſo habetur ſignate apud D. Ioannem [c]. *Venit*, inquit, *Nicodemus ferens mixturam Myrrha, & Aloës quaſi libras Centum* quæ duo aromata coniunguntur etiam in Canticis [d] à ſponſa *Nardus, & Crocus, fiſtula, & Cinnamomum cum vniuerſis lignis Libani: Myrrha, & Aloë cum vniuerſis primis vnguentis:* quo in loco pro *Aloe* Hebraicè eſt אֲהָלוֹת *abaloth* quod ſono vocis ab Aloë parum abit, vt propterea putent aliqui ſola ea coniectura, quod ſono conueniant, *abaloth* pro Aloë interpretatum quod autem, & quale eſſet hoc genus vnguenti ex Aloë Myrrhaque confectum, non eſt nobia hoc loco ſubtiliùs inueſtigandum illud tantum in vniuerſum dicere poſſumus fuiſſe commendatiſſimum & primi pretij, vt facilè quiſque poteſt intelligere ex tribus locis adductis. Miranda ergo in hoc fuit Nicodemi pietas & munificentia qui centum ipſas libras tam pretioſi liquoris attulerit ad Chriſti corpus vngendum, quanti enim hæc illi liberalitas ſteterit; facile eſt, & ex non leui coniectura colligere; nam ſi Magdalenæ vnguentum trecentis denariis fuit æſtimatum, & eo pluris: certum autem eſt, nobilem fœminam non potuiſſe vas manibus geſtare, quod octo, vel ſummum decem librarum pondus excederet: poſſumus non improbabiliter affirmare Nicodemi vnguentum tribus denariorum millibus emptum aiſe, qui ad pecuniam noſtram redacti trecentorum aureorum ſummam conficiunt tanti nimirum erat Chriſtus Dominus Nicodemo, vt quamcumque impenſam leuiſſimam exiſtimaret.

c Cap 19. 39

d Cap 4. 14.

Capvt VII.

Ad locum Geneſis 50.

Cumque adiuraſſet, (Ioſeph fratres) aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto; mortuus, & conditus aromatibus repoſitus eſt in loculo in Ægypto.

Ritum cadaueris inungendi à priſcis Hebræorum Patribus videri profectum: ex illo apud alias gentes propagatio, quæ deinde variæ ſuperſtitiones exortæ. Idololatriæ initia illi deberi: mortuorum corpora ab Ægyptiis oppignerari ſolita & menſis in conuiuiis adhiberi.

ADeò autam hæc conditura cadaueris probata omnibus à principio fuit; nulla, vt gens extiterit, apud quam ea non in pretio fuerit. quod ex his obſeruare licet, quæ hactenus diſſeruimus. poſſet tamen non immeritò in controuerſiam vocari, apud quos primùm is ritus inceperit: ſunt qui Ægyptios primos omnium id inſtituiſſe putent; quos priſci Iudæorum patres ſequuti, id deinde ſecum in terram Iudæam traxerint, & poſteris ſeruandum religioſè tradiderint. colligit id noſter Pererius ex facto Ioſeph [e]; qui patris corpus condiendum mandauit *ſeruis* ſuis medicis ex more nimirum Ægyptio mortuum curari præcipiens. quod ſanè externi etiam Hiſtorici firmare videntur. nam Tacitus [f] vbi de Iudæis; *funebres quos ſeruant ritus*, ab Ægyptiis acceptos ſeruare ſignificat, aliis verò probabile potius eſt, priſcos Iudæorum patres in Ægypto peregrinantes, & terram ſibi poſteriſqua ſuis à Deo promiſſam cogitantes, id primum inſtituiſſe. Cum enim in ſolo non ſuo morarentur, maximè ſemper fuere ſolliciti, na inter profanos, & verè religionis extorres, eorum reliquiæ deſererentur; itaque ſummopere illud curabant, vt aſportarentur. quod vt facilius fieret; & ex diutius poſſent aſſeruari, & minori cum moleſtia à viuentibus, & ſuperſtitibus tractari, pretioſis illas vnguentis condiebant. Iacob ſic moriens filios alloquitur, *ſepelite me cum patribus meis in ſpelunca duplici, quæ eſt in agro Ephron Ethæi, quam emit Abraham; ibi ſepelierunt eum, & Saram vxorem eius: ibi ſepultus eſt & Iſaac cum coniuge ſua.* At hoc ſepulchrum longiſſimè aberat à loco, in quo hæc Iacob filiis ſuis præcipiebat. erat enim ſepulchrum in terra Chanaam Iacob verò eum illa præciperet, erat in terra Ægypti. ſimiliter Ioſeph moriturus hæc verba ad fratres habuit [g]. Cumque adiuraſſet eos, atque dixiſſet, cum Deus viſitabit vos, aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto; *mortuus eſt*. ſi ergo tantopere Patres cupiebant poſt mortem ex terra Ægypti afferri; illud etiam proſpicere debebant, quod ad id maximè neceſſarium, nimirum vt cadauer; quantum fieri poterat, non tabefactum; non corruptum, non tetro odore horridum, ſed integrum ſeruaretur quod totum, vt aſſequerentur, inſtituerunt variis illud odoramentis & aromatibus condire.

e Geneſ. 50.

f Lib. 5. Hiſt.

g Gen. 5 24.

Ad quod ipſum confirmandum facit quod aromata, & alia ad id magis idonea, & frequentiùs vſurpata; non in Ægypto, ſed in terra Chanaam proueniebant: vt opobalſamum, myrrha mel, aloës, & ſimilia nam de Balſamo auctor eſt Plinius [h] lib. 12. in ſula Iudæa prouenire. quod ſolum, etiam ſi cætera abſint; quam ſit ſeruandis mortuorum corporibus efficax, omnes norunt.

h li. 12. c. 25.

Ægyptij ergo hoc ſanctorum Patrum inſtitutum vt pleraque alia ſecuti; quod illi ad pietatem fouendam, ad ſpem tranſmigrationis in promiſſam terram in poſteris ſuſtentandam, & per id ad reſurrectionis fidem alendam faciebant; in varios ipſi, & ſuperſtitioſos vſus deriuarunt, quos aliæ deinde gentes ſunt amplexæ.

Primom enim omnium, genus illis quoddam immortalitatis eſt viſum, poſt mortem etiam videre ſuos contra temporis iniurias perdurare: itaque ob hoc ſolom; vt illos diutius ante oculos haberent, & quaſi à morte ſeruarent, mortuos condire cœperunt. nimirum communis humani generis hoſtis hinc etiam contra verum Deum hominis armauit ingenium: dixerat [i] olim Deus illi: *puluis es, & in puluerem ibis.* Excogitauit Diabolus qua ratione id eluderet, & fidem diuinis comminationibus abrogaret: & ne in puluerem homo diffiueret, inuenit aromaticos pulueres, qui mortuos artus integros, illæſoſqua ſeruarent. Contra iniuriam pulueris, alterius pulueris acceſſiuit auxilium, & viſus ſibi eſt fallaciis auctor, mendacem facere veritatis auctorem. Sed

i Geneſ. 3.

fruſtra:

fruſtra : differri enim poterat non aboleri, quod iuſſerat Deus. *puluis* eſt homo, & quocunque ſe vetterit, in puluerem randem redigitur homo. ſic qoia dictum fuerat [a]. *Nemo poteſt adiicere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum* : vt mendacem faceret Chriſtum *excogitauit Diabolus cothurnos*, vt inquit Tertullianus [b]. Et fœminæ noſtræ id inuenerunt; vnde, & cubito maiores appareant, & longiores. Similiter quia dictum fuerat [c]. *Non potes vnum capillum album, aut nigrum facere*; vt mendacij Chriſtum inſimularet, ſuaſit Diabolus capillos inficere. Tertullianus de cultu fœminarum [d]. *Dominus ait; quis veſtrum poteſt capillum atrum ex albo facere, aut album ex atro? hæ quæ reuincunt Deum. ecce, inquiunt, pro albo, vel atro flauum facimus gratia faciliorem : quamuis, & atrum ex albo conantur facere, quas pœnituit ad ſenectam vſque vixiſſe*. Sic ergo quia dictum fuerat *in puluerem ibis* excogitatum eſt ne cadauer decineteſceret, vt pigmentario puluere oblineretur. Verum, vt inconcuſſum eſt, & firmum, non poſſe, nos ad menſuram noſtram quidquam adiicere : nec verè capillum atrum ex albo facere: ſic ſtat hominem in puluerem redigendum & tantillum id moræ, quod impetrat, ne redigatur; ab alio puluere, quaſi pactis induciis, mutuare. Fruſtra ergo Ægyptij, fruſtra Perſæ, fruſtra alij orientales ſua illa condituta funeris, vmbram hanc immortalitatis ſequebātur. Et tamen ſequebantur. Vnde Cicero. *Condiunt Ægyptij mortuos & eos domi ſeruant.* quomodo, & vbi ſeruant, & ad quid Domi ſeruant? vt cum voluerint expoſitos ſemper ante oculos habere poſſint. Herodotus *curatum*, inquit, *corpus propinqui excipiunt: inde ligneam hominis effigiem faciunt in quam mox illud inferunt incluſumque theſaurizant* id eſt (vt ego interpretor) *inter pretioſiora reponunt*, vt indicat etiam Mela mortuos, inquit, *Ægyptij, nec cremare, nec fodere fas putant : verum arte medicatos intra penetralia collocant*; & *Sextus Empiricus Ægyptij inteſtina extrahentes condiunt defunctos, & ſecum ſuper terram habent*. at de Perſis Cicero. *Perſæ iam cera circumlitos condiunt; vt quam maximè permaneant diuturna corpora.*

a Math.6.

b de Spectac. c. 23.

c Matt.5.36.

d Cap.6.

Ex hac porrò aſſeruatione alia, vt dicebam, plura ſuperſtitionis genera ſunt deriuata. Primo vt menſis etiam nonnunquam adhiberent, quaſi adhuc viuentes indicat Silius [e].

e lib.11.

Ægyptia tellus
Claudit odorato poſt funus ſtantia ſaxo
Corpora, & à menſis exanguem haud ſeparat
vmbram

Lucianus de luctu in fine. *Atque hic quidem* (Ægyptius ſcilicet) *deſiccatum cadauer conuiuam, & compotorem adhibet.*

Secundò nonnunquam parentum, aut amicorum cadauera ſic condita apud creditores loco pignoris deponebant. Lucianus poſt verba proximè citata. *Fit autem frequenter, vt Ægyptium aliquem indigentem pecunia leuet egeſtate pignus pater, aut frater in tempore factus.* quia enim hæc interea numerabant quæ charisſima illis erant, & pretioſiſſima; conſequens erat, vt illis traditis arctiſſimo vinculo fidem ſuam apud alios oppignorarent. Vnde Diodorus Siculus infames maximè, & ſepultura mulctatos fuiſſe dicit, qui pignora huiuſmodi non redimebant, à quo ritu ad ſua vſque tempora fortaſsè adhuc durante Saladinus Ægypti Dominus, cum Ludouicum Sanctum Gallorum Regem in bello captiuum feciſſet, dimiſit liberum; accepto ab illo pignoris loco, Ieſu Chriſti corpore in Euchariſtia qua de re Poëta [f] non ignobilis carmen illud compoſuit, apud Iouium in elogio Saladini

Sep ran. in Dauid.

f Ianus vitalis.

Suſcepit pignus victor Saladinus Ieſu
Redderet vt Regnus te Ludouice tuus.
Tu pignus redimis multo pretioſius auro;
Vera fides maior; iſta vel illa fuit

Quod enim inter ſuos conſuetum eſſet, parentum & propinquorum mortua corpora loco pignorum religioſiſſimè dari; & accipi; dubitandum non putauit; quin Sanctus Rex liberaturus eſſet fidem quam tanto pignore abſtrinxiſſet.

Tertiò denique ex hac aſſeruatione cadauerum immaniſſimum vitium ortum eſt Idololatriæ, quam ſemper Patres omnes ortum duxiſſe queruntur ex nimio viuorum ſtudio in defunctos, & nil aliud eſſe definiunt; niſi mortuorum venerationem, quid enim procliuius quam vt filij parentes mortuos, aut alij quicunque cognatos charoſque defunctos, ritè ſeruatos, & ante oculos ſibi ſemper obuerſantes venerarentur? & ſuperſtitiosè etiam coli præciperent, ab iis, in quos ius aliquod, & Imperium obtinebant? quod vt clarius fiat : obſeruandum eſt Idololatriæ vocabulum tripliciter vſurpari. Primo vt vniuerſè ſignificat quemcunque impium falſi numinis cultum. Secundo vt eam tantum partem falſæ religionis amplectitur qua diuini honores hominibus deferuntur. Tertio, vt certam impietatis ſpeciem ſignat, qua iuxta vocabuli notionem ſimulacra, & Imagines pro Diis habentur, & coluntur: primo & ſecundo modo Idololatria etiam eſt; cum nulla imago venerationi eſt, verè enim Idololatræ ſunt, qui ſolem, lunam, & denique quidquid Deus non eſt, licet Imago non ſit, diuinis honoribus proſequuntur. At tertio modo Idololatria verè tunc eſt : quando Idolum, & Imago pro Deo eſt.

Idololatriam ergo cum dico ab hac cadauerum aſſeruatione ortum habuiſſe; ſecundo maximè modo acceptam intelligo; licet, & ab eadem deinde, idololatria, vt eſt Simulacrorum cultus ſit propagata. Quod clarè indicatur à Salomone [g]. *Acerbè enim dolens pater citò ſibi rapti filij facit imaginem; & illum; qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſeruos ſuos ſacra, & ſacrificia.* Quæ autem iſta imago? forte illa lignea in quam incluſum cadauer medicatum; de qua paulò ante ex Herodoto retuli, illud enim loculamentum, & vicem ſimul arcæ præſtabat, & imaginis : ita nimirum fabrefactum; vt intus corpus ipſum reciperet & exteriori ſpecie idem repreſentaret; vnde factum vt qui Imaginem colebant ſimul, & mortuum colerent. Neque enim defuncti ipſum corpus ſic vt diximus aſſeruatum ſemper patebat; tum ne omnium oculis expoſitum tandem vileſceret, tum ne cæli iniuriis ſemper obnoxium labem contraheret : famuli ergo & alij honorem quem defuncto habebant; ipſius imagini deferebant, in qua, & ipſius corpus recondi non ignorabant. Vnde merito Tertullianus, *parentatio idololatria eſt: quoniam & idololatria* [h] *parentationis eſt ſpecies: tam hæc, quam illa mortuis miniſtrat.* intelligit autem per *parentationem* ea quæ in honorem defunctorum fiebant à Gentilibus, de quibus Sapientiæ loco citato dicitur. *Conſtituiſſe patrem inter ſeruos ſacra, & ſacrificia:* idem Tertullianus alibi [i], *cadauer ipſum ſic cura-*

g Sap 14.15.

h de Spectacul. c.12.

i de cor. mil. litis.

tam, medicatum, etiam contra iniurias temporis duratum, *idolum appellat*, non manu ex ligno aut marmore: ſed natura & arte ſimul elaboratum. *Mortuorum eſt*, inquit, cremari, vel quoniam ipſi (mortui) *idola ſtatim, & habitu, & cultu conſecrationis, qua apud nos ſecunda idololatria eſt*. Sed de hac re ſuo loco fuſiùs, vbi de Idololatria Hebræorum.

Hunc quod ad hunc ritum inungendi cadauera etiam ſpectare videtur; quouſque ille perdurauerit, & apud quos pauca expediamus. Dixi iam ſæpius vncturam iſtam fuiſſe duplicem, ſimplicem vnam ad fœtorem potiſſimum arcendum: alteram magis exquiſitam, quæ ad id præcipuè vſurpata; vt quam diutiſſimè corpora ſeruarentur illa frequentiùs, & paſſim apud omnes adhibita: nam quibus pretioſa deerant vnguenta, obuia quæque ſatis erant quæ poterant odorem aliquem cadaueribus inſpergere: at hæc altera vulgata minus; quod non niſi magno cum impendio poſſet exerceri. veteres tamen Chriſtianos reperio ea plurimum vſos; quod lucri loco reponendum putarent quicquid in mortuorum funere curando expenderetur; adeo hoc illis pietatis opus ab exemplo Chriſti Domini in pretio, & cordi fuit cuius exequiæ, & vnctura feralis tanti

a Apolog. c. 42. Nicodemo ſteterunt. Tertullianus [a] *thura planè non emimus: ſi Arabia queruntur, ſciant Sabæi pluris, & cariùs ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligari, quam Deis fumigandis.* idem de Idololatria; *loquens de aromatibus*. etiam hominibus, inquit, *ad pigmenta medicinalia, nobis quoque inſuper ad ſolatia ſepulturæ vſui ſunt*. Minutius [b]

b In octau. felix hoc inter alia etiam à Gentilibus nobis obiectum refert *non floribus caput nectitis non corpus odoribus honeſtatis; reſeruatis vnguenta funeribus* & planè ita erat; vnguenta non niſi mortui priſci Chriſtiani noſcebant quæ tamen ſequenti tempore, ſi pretioſa erant viris tantum Principibus, aut in dignitate aliqua poſitis impendebantur, vt & nunc vſque ſeruatur; ſummi enim Pontifices & maiores Epiſcopi extractis prius viſceribus pretioſiſſimis vnguentis ex veteri ritu condiuntur vt pluribus Onuphrius [c] ex aliis [d].

c lib. de funer.

d Amalarit. lib. 2. c. 41. Gregor. Turon. l. 2. hiſt. c. 5. lib. 4. de glor. confr. c. 5.

CAPVT VIII.

Ad locum Pſalmi 48.

Quoniam cum interierit non ſumet omnia: neque deſcendet cum eo gloria eius.

Veſtitus & cultus cadaueris ad illud ritè collocandum: qualis is: in toga Romani expoſiti: & apud ipſos, & alios omnes ſplendidè amicti, albati, & cum corona: à Chriſtianis etiam in habitu lætitiæ efferri ſoliti. Dalmatica, & Colobium quid.

ABlutum & vnctum corpus ritè *collocabant* & publicè exponebant. id vt decentius fieret veſtibus cooperiebant: quæ, cuiuſmodi, & quales eſſent nunc expediam; poſtea de feralibus, & ſepulchralibus amiculis dicturus. In Actibus

e Cap. 9. 37. Apoſtolorum [e] de Tabitha vidua hæc habentur, *factum eſt in diebus illis vt infirmata moreretur; quam cum lauiſſent poſuerunt eam in cœnaculo*. Hanc mortuæ Tabithæ *collocationem* ſine dubio eiuſdem veſtitus, & ornatus præceſſit quorſum enim tanta cura frigidos artus lauare & vngere; ſi propinquorum, & aliorum oculis exponendi decenti deinde amictu caruiſſent? decenti, inquam, qui ſpectantes cum gratia detineret non terrorem incuteret, & animo mœſtitudinem maiorem obiiceret ergo præter lintea, ſindones, & inſtitas, & alia operimenta ſepulchralia; alius erat amictus proprius mortuorum; ad ornatum potius paratus, quam ad ſepulchrum. inde tam crebra mentio apud antiquos auctores veſtitus poſt *lauacrum* defunctorum. Ennius in Creſiphonte.

Neque terram inicere, neque cruenta
Conueſtire mihi corpora licuit
Neque miſera lauare lachrymis ſalſum ſanguinem.

Similis conqueſtio matris Euriali apud Virgilium [f]. f lib. 9.

nec vulnera laui
Veſte tegens, tibi quam noctes feſtina dieſque
Vrgebam, & tela curas ſolabar aniles.

Ex quo facile intelligere poſſumus ſolitos exponi mortuos in veſtibus pretioſiſſimis, quibus vnquam vſi eſſent; aut vti potuiſſent: vt idem eſſet amictus hominis feſtum agentis, & mortui in pheretro iacentis.

Primò itaque in vniuerſum veſtimenta quæ quia optima in vita habuiſſet, mortuo iniiciebantur. vnde quia Romanorum Ciuium veſtitus proprius toga erat; in ea omnes elati: etiam ij qui nunquam antea togam induerant viuentes; vel quia ſemper in bello, vel quia peregrinati. vnde Iuuenalis [g]. g Sat. 3.

Pars magna Italiæ ſi verum admittimus in qua
Nemo togam ſumit niſi mortuus.

Omiſſam enim alio tempore alia occaſione; tunc in morte reperebant, vt argumentum Romani ſanguinis.

Secundò quia pretioſior veſtis, & in feſtis celebritatibus adhibita alba erat etiam in hoc colore elati mortui. Artemidorus Daldianus vbi agit de interpretatione ſomniorum [h] ſi viro h lib. 1. c. 3. ægrotanti obiiciatur per viſum indui veſtibus albis mortem portendi vaniſſima coniectura denunciat. *quia*, inquit, *in albis mortui efferuntur*.

Tertiò mater, & ſorores veſtes quas filiis, aut fratribus paraſſent ad lætitiam; eaſdem morte præreptis nihilominus induebant. indicant matris Euriali paulò ante adductæ querelæ.

Quartò qui exequias curabant eidem pretioſiores ad hoc munus veſtes conquirebant: vel ex defuncti ſupellectile eas eligentes: vel per ſe ipſi parantes. Virgilius [i] de Ænea in Pallantis i lib. 11. funere.

Tum geminas veſtes auroque oſtroque rigentes
Extulit Æneas.

Ad quid duas? quia veteres veſte vna corpus induebant quæ erat interior; altera qua amiciebantur: ex exteriori aliquando etiam caput inuoluebant propterea ad vtrumque duas veſtes Pallanti protulit Æneas. vnde ſubditur.

Harum vnam Iuuenis ſupremum mœſtus honorem
Iniicit, arſuraſque comas obnubit amictu.

Quintò denique cum iis veſtibus, & ornatu exponebantur qui contineret inſignia honorum, quibus viui perfuncti Liuius. *Purpura viri vtemur; prætextati in magiſtratibus, in ſacerdotiis;*

neque

neque id vt viui ſolum habeamus inſigne; ſed etiam vt cum ea crememur. Præterea qui coronam aliquam viuens ſibi virtute peperiſſet, eandem mortuus geſtabat vt clatè Cicero [a] [a De legib. 2.], *Illa iam ſignificatio eſt, laudis ornamenta ad mortuos pertinere; quod coronam virtute partam, & ei qui peperiſſet, & eius parenti ſine fraude eſſe lex impoſitam iubet.* quæ illa lex? duodecim tabulatum, de qua apud Plinium [b] [b lib. 21. c. 3.], & qua apud Romanos cautum, ne cui mortuo corona immerito imponeretur; poſtea tamen mutatum video & paſſim quoſcunque mortuos paulò ſplendidiores coronatos. vnde Clemens [c] [c li. 2. ſtrom. c. 8.] Aleaandrinus *à turba, & negotio remota ſecuritatis ſignum eſt corona: quare ea, & mortuos coronant*; Et Tertulliaous [d] [d De cor. mil. c. 10.]. *Nam, & mortuorum eſt ita coronari.* In vniuerſum autem inſignia honorum, quos quiſque in vita conſequutus eſſet, mortuis quoque coocessa tradit Seruius ad illud Virgilij [e] [e lib. 11.].

Addit equos, & tela quibus ſpoliauerat hoſtem.

In antiquis diſciplinia, inquit, relatum eſt quæ quiſque ornamenta conſequutus eſſet; vt ea mortuum eum condecorarent Quod noſtro quoque tempore ſeruari videmus: nam fortis viri cadauer, qui bellica laude fluruit armatum exponitur, & in militari cultu, at qui litteris clatuit varij codices dum rite collocatur, apponuntur.

Et hæc prophani in mortuorum amictu: quid Chriſtiani ipſi? etiam apud illos hic veſtitus ſolemnis, & eum Cura. Sidooius [f] [f lib. 4. ep. 3.]. *Nec oſſa tumultuarij ceſpitis mole tumulabant: quibus, nec elutis veſtimenta, nec veſtitis ſepulchra tribuebant.* Notat hoc illis defuiſſe, quod omnibus exhibebatur. *nec elutis*, inquit, *veſtimenta*. Gregor. Turonenſis de vita Patrum [g] [g cap. 3.]. *Exinde veſtitus atque ablutus ad Eccleſiam defertur, & iterum* [h] [h cap. 7. ibid.] *adfuit quædam matrona quæ ablutum dignis veſtiuit veſtimentis*, & rurſus [i] [i cap. 12.] ablutus, ac veſtimentis dignis indutus. Similia repetit alibi [k] [k lib. 4. hiſt. c. vlt. lib. 6. cap. 9. & vlt. lib. 7. cap. 1.]: diſtinctè *lotionem*, & poſt illam veſtium adiungens [l] [l De glor. Confeſſ. c. 81.]. At quæ iſte dignæ veſtes? pretioſæ etiam ipſæ & ſplendidæ in primis, Corippus [m] [m lib. 1. de laud. Iuſt.].

Purpureaque in veſte iacens requieſcere ſomno, &c.

Euſebius in vita magni Conſtantini [n] [n lib. 4.] *Cadauer*, inquit, *ipſius purpureo tegmine amictum Conſtantinopolim deportatum eſt, & in Baſilica ſub altiſſimis gradibus collocatum; luminibus ſuper candelabris aureis circumcirca accenſis; inde deductum in aliud templum, vbi cõditum eſt.* Extat apud Damaſum Eutychiani Papæ decretum, *vt quicunque fidelium martyrem ſepeliret; ſiue Dalmatica, aut Colobio purpurato non ſepeliret.* Eſt autem Dalmatica vt tradit Iſidorus [o] [o lib. 19 Origin. c. 22.], *Tunica Sacerdotalis candida cum clauis & purpura*: quæ quod manicata ſit Crucis ſpeciem explicata refert. at Colobium ſine manicis erat, & idem fuiſſe quod latum clauum, & ſenatorum purpuram, exiſtimauit Acron, vetus Horatij interpres, vt notat Cuiacius [p] [p lib. 12. obſeruat. c. 39.]. Ergo & apud Chriſtianos elati mortui in habitu maximè ſplendido, qui totus ſpiraret indicia exultantis animi. Cur id? vt intelligerent ſuperſtites ſuam potius, qui remanſiſſent vicem dolendam; quam illorum, qui deceſſiſſent. Cum illis enim præclarè actum, qui portum iam tenerent; qui laboribus huius vitæ periculiſque defuncti quietem iam tranquillitatemque cupitam adepti eſſent; cuius rei ſymbola omnia illa ornamenta erant, quæ in mortuum conferebantur vt mox dicemus.

Sopran. in Dauid.

Capvt IX.

[Ad locum 4 Regum 4.] Poſuit eum mater ſuper genua ſua, & mortuus eſt; aſcendit autem, & collocauit eum ſuper lectulum hominis Dei.

Cadaueris ſolemnis collocatio ad quid, & à quibus; ea duplex; priuata, & publica: priuata in cœnaculis apud Iudæos & cur in veſtibulis ædium apud Romanos & alios. Publica in Baſilicis celebrioribus. Ad Cadauer collocatum quæ ſtata ceremonia.

Ablutum ergo, odoribus aſperſum, veſtitum, & ornatum cadauer *exponebatur*. ea expoſitio proprio vocabulo apud Romanos *collocatio* eſt appellata, de qua fusè & eruditè Lipſius [q] [q lib. 1. elect. cap. 6.]. Clarum habemus huius moris exemplum apud Hebræos in Tabithæ funere, de qua in Actibus Apoſtolorum [r] [r cap. 9. 37.], *factum eſt autem in diebus illis vt infirmata moreretur, quam cum lauiſſent poſuerunt eam in cœnaculo.* Et ad eandem collocationem alluditur, etiam in hiſtoria Regum.

De ea ergo primò dicam ad quid inſtituta. Secundò quo loco celebrata. Tertiò à quibus tunc, & qua alia ceremonia ſeruatum & expoſitum cadauer. Quartò quamdiu ſic expoſitum relinqueretur. Quintò denique apud quos is ritus ſolemnis.

De primò Iulius Pollux [f] [f lib. 8. Onomaſt. cap. 1.] hanc indicat cauſam apud Gentiles. *& vero collocationes idcirco fiebant; vt conſeretur mortuus, ecqua ei vis allata.* Eandem tradit Higinius in fabulis *vt conſtaret*, inquit, *neque veneno neque ferro periiſſe defunctum.* Quod idem valere etiam debuit apud Chriſtianos; quibus tamen, præſertim veteribus maior cura fuit, vt ea ratione viuentium pietas ad preces pro defunctis fundendas excitaretur. Gregorius Turonenſis vbi de S. Pelagia refert illam moribundam à filio poſtulaſſe, ne ſe ante diem quartam ſepelirent. *vt viderent famuli famulæque expoſitam pro ipſa orarent.*

At quo in loco collocabatur? Clarè de Tabitha habetur in cœnaculo expoſitam quod perpetuo ſeruatum apud Hebræos colligere fortaſſe poſſumus ex hiſtoria Regum, vbi de puero Sunamitidis ab Eliſæo ſuſcitato. *Poſuit*, inquit, *eum mater ſuper genua ſua, & mortuus eſt: aſcendit autem, & collocauit eum ſuper lectulum hominis Dei*, &c. At vbi hic lectulus? in cœnaculo: dixerat enim Sunamitis ad virum ſuum in eodem capite *faciamus ergo ei cœnaculum paruum, & ponamus ei in eo lectulum, & menſam, & ſellam.*

Rectè autem apud Hebræos in cœnaculo collocatum cadauer. licet enim eſſet hoc in ſuperiori parte ædium: erat tamen locus, non ſolum domeſticis; ſed externis etiam magis expoſitus ex priſca Hebræorum conſuetudine agendi, verſandi, & negotia pleraque conficiendi ſuper tecta, vt alibi diximus; fuiſſe autem cœnaculum, vel tectum ipſum, vel prope tectum; non hoc ſolum paratum ad tegendam Domum; ſed ad alia etiam negotia tranſigenda, certa res eſt, & tradit D. Hieronymus disertè *fuiſſe altiorem Domus partem* vnde, & Sunamitis, vt ibi

puetum collocatet, dicitur eò aſcendiſſe; fuiſſe verò locum iſtum parentem, & omnibus expoſitum indicat quod habetur in Actibus [a] corpori Tabithæ, ibidem locato circumfuſam illico turbam innumeram viduarum & aliorum pauperum, qui ab illa dum viuerer ſuſtentabantur. quia tamen duplex erat bæc collocatio præſertim ſequenti æuo apud Chriſtiaoos, priuata vna; publica magis altera; illa in priuato loco, hæc in publico: dubium non eſt, quin quæ in priuato loco fiebat in parte illa ædium fieret, quæ magis eſſet expoſita, & pateret omoibus: vnde etiam nunc cadauera Principum virorum, vt Romæ Cardinalium; vbi primum curata fuerint, in aula Domus maxima collocantur at antiquitus ad veſtibulum ædium apud Græcos & Romanos, vel pro ipſis foribus locabantur. ad quod alludit Virgilius [b] vbi de Ænea in Pallantis funere.

a Cap. 9.
b lib. 9.

recipitque ad limina greſſum
Corpus vbi exanimi poſitum Pallantis Aceſtes
Seruabit ſenior.

Corpus enim, *in limine poſitum dicit, & aſſeruatum*, & Suetonius [c] de Auguſti cadauere à Bouillis, inquit, *equeſter ordo ſuſcepit, vrbique intulit, atque in veſtibulo domus collocauit.* Et videmus nunc etiam à tenuioribus pleriſque id paſſim ſeruari. omnes enim mortuos ſuos ad ianuam, vel domus, vel tabernæ, & officinæ collocant; vt prætereuntibus etiam ſint expoſiti.

c in Auguſt. c. 100.

Quod ergo recta apud Hebtæos (motum gentis ignaris mirum id videri poſſit) veſtibus ædiũ apud Romanos reſponderent; quantum ſpectas ad loci frequentiam, & celebritatem: idcirco illi mortuos in cœnaculo, cum priuatim collocabant, exponebant: vt iſti io veſtibulo. *priuatim* dixi: nam cùm publicè; in Baſilicis, & aliis celebrioribus locis id fiebat ſic Auguſti corpus à Nola delatum cum noctu deportaretur; interdiu tamen in Baſilica cuiuſque oppidi; vel in ædium ſacrarum maxima exponebatur, vt ibi in eius vita tradit [d]. Suetonius. At Chriſtiani Eccleſias, illiſque adiunctas Baſilicas, & porticus ad id habebant, vt colligere eſt ex D. Hieronymo [e] in vita Paulæ. *Ja media*, inquit, *Eccleſia ſpelunca Saluatoris eſt poſita.* Similiter Conſtantinus Imperator, vt ſuprà ex Euſebio vidimus in templo, vt omnes ad ſpectaculum confluerent, eſt collocatus.

d Cap. 100.
e Epiſt. 23.

A quibus antem ea collocatio fiebat? ab iis, qui ſanguine magis proximi, & coniuncti. Sic mater filium, ſoror fratrem, maritum vxor, & quo quiſque denique defunctum propius attingebat, illum etiam collocabat; quod de priuata *poſitione*, eſt intelligendum. vnde mater filium collocat in hiſtoria Regum loco [f] citato, & apud Dionem [g] Tiberius reprehenditur, quod Liuiam matrem; neque ægrotantem inuiſerat, neque mortuam ritè collocauerat, & expoſuerat, & Lyſias de cæde Eratoſthenis, vt inſolens notat, quod triginta tyranni conduxere lectulum, in eoque illum compoſuerunt. erat enim proprium boc cognatorum, & amicorum; non extraneorum, aut Iudicum. Similiter apud Chriſtianos chariſſimus quiſque defuncto, & ſanguine magis iunctus illum exponebat, & ad aliorum aſpectum locabat.

f lib. 4. Reg. c. 4.
g lib. 58.

At quæ aliæ ceremoniæ io hoc ſeruatæ? plures omnino quo ad ſitum; quo ad locum proximum, quoad adſtantes; quoad ſitum: nám cadauer ita locabatur vt pedibus eſſet in Ianuam obuerſis, & quaſi foras ſpectaret; quod etiam nunc ſeruari videmus. Perſius [h].

h Sat. 3.

tandemque beatulus alto
Compoſitus lecto craſſiſque lutatus amomis
In portam rigidos calces extendit.

Et Homerus [i] in funere Patrocli

i Iliad. 7.

Qui mihi in tabernacalo confeſſus acuto are
iacet ad veſtibalum conuerſus.

Plinius [k] huc alludit, *rita natura capite hominem gigni mos eſt, pedibus efferri.* At cur ea corporis poſitio? *fortaſſe*, inquit, Lipſius [l], *abitionem illam poſtremam ſignificabant*, ſed clara res ſitum illum eſſe magis ad cadaueris iuſpectionem, & agnitionem. prætereuntes enim, & accedentes, qui commodè inſpicere, & obſeruare potuiſſent capite io Ianuam obuerſo?

k lib. 7. c. 8.
l lib. 1. Elect.

Quod ad locum proximum, lectulus hic feralis erat feretrum propriè nuncupatum; de quo non aliud hîc adiungo, fuſiùs de illo ſuo loco dicturus.

Quod ad adſtantes, ex iis alij corpus ipſum ſeruabant, vt Areſtes corpus Pallantis: de qua aſſeruatione plura apud Apuleium & eius interpretes; alij etiam cadauer ventilabant, muſcas abigentes de quibus in iure ciuili. *Sed & qui in lectulo ſtantes cadauer ventilare videntur; ſi hoc ex voluntate fiat, vel teſtatoris, vel hæredis: fiant illico Ciues Romani.* Hunc motem integrum ad noſtra tempora tranſmiſſum; & in funere virotum Principum ſeruatum, non eſt quod moneam. Xiphilinus in Pertinace. *In eo lecto poſita erat ſtatua Pertinacis cerea ornata triumphali, à qua puer egregia forma pennis Pauonis muſcas abigebat*, alij vero ex iiſdem adſtantibus mortuum iterum ſecunda, & ſolemni conclamatione deplorabat; & denique alij laudabant, qood vtrumque paulò poſt fuſiùs explicabo.

Quartò quamdio ſic expoſitum cadauer? quouſque efferretur ad locum celebriorem vt in Eccleſiam à Chriſtianis, & in Baſilicas alias ab Ethnicis, vbi deinde tamdiu ſeruabatur, donec humi, vel aliter conderetur vtraque autem expoſitio nunc diuturnior, nunc breuior erat pro cuiuſqoe ingenio ſcilicet Paulæ corpus triduo ſic expoſitum manſiſſe refert D. Hieronymus io illius Epitaphio. at Seruius [m] *ſeruabantur*, inquit, cadauera octo diebus, & calida abluebantur, & poſt vltimam conclamationem comburebantur.

m lib. 6. Æn.

Ex bis quod quinto loco propoſuimus etiam ſatis explicatum videri poteſt. Apud Hebræos enim non ſolum ſed etiam Romanos, Græcos & Barbaros, & denique apud Chriſtianos ea ſolemnis collocatio rite eſt vſurpata. Sic Caroli Magni corpus de more lotum, & curatum in Eccleſia Aquiſgranenſi deinde expoſitum & tandem ſepultum eſt vt narrat Eginardus, Abbas Vſpergenſis. Sic Paulæ viduæ corpus in media Eccleſia Saluatoris triduo iacuit; vt refert Hieronymus in eius vita; ſic Conſtantinus Magnus vt narrat Euſebius, ſic denique etiam omnia defunctorum corpora per aliquantulum temporis interuallum; Domi in patenti parte locata deinde etiam in Eccleſiis publice exponuntur.

* * *

Capvt

CAPVT X.

Ad locum 2.Paralip.16

Poſuerunt Aſa ſuper lectulum ſuum, plenum aromatibus & vnguentis meretriciis, & combuſſerunt ſuper eum ambitione nimia.

Ad cadauer collocatum frequentia adſtantium, qui illi, & quo habitu: faces præterea, cerei, lampades etiam claro die: odores incenſi, ſparſa aromata: acerra quid, & ad quid? Viſio B. Ioannis in Apocalyp. quæ ad hos ritus videtur alludere.

QVæ alia, cadauere expoſito exhiberentur præter proximè dicta, preſſiùs, & diſtinctiùs hoc capite proſequemur.

Primò ergo turba adſtantium circumdabatur; quibus omnia lugubria veſtitus, ſtatus, vultus, ſonus ipſe vocis, aut ſine voce mors mœſtitia; ſic Tabithæ corpus ritè vt diximus collocatum, circumſtabat mœſtiſſima turba pauperum, & viduarum Apuleius ſolemnem ritum his verbis diſtinctè deſcribit [a] Aſclepiades (inſignis medicus) *cum forte in Ciuitatem ſeſe reciperet, & rure ſuo ſuburbano rediret; aſpexit in pomerio Ciuitatis funus ingens locatum.* id eſt ritè collocatum cadauer cum ingenti, & ſumptuoſo apparatu (id enim latini etiam locatum funus proprio vocabulo appellabant; ſumpto funere pro cadauere. Licet etiam aliquando locare funus ſit ſub certo pretio curandum addicere) *plurimos homines ingenti multitudine, qui exequias venerant circumſtare: omnes triſtiſſimos, & obſoletiſſimo veſtitu. propius acceſſit; vt etiam cognoſceret more ingenij humani, quiſnam eſſet. percunctanti nemo reſpondit, &c.* Nota turbam hanc cadaueri affuſam in omnem mœroris ſpeciem fuiſſe compoſitam: habitu, vultu, ſitu, ſono vocis. *habitu*; quia in veſtitu obſoletiſſimo: *vultu*; nam in terram deiecto: *Situ*; quia ſtabant: *ſono* vocis; quia aut nullo, aut flebili; ad alia enim muti erant, ad ſola lamenta loquaces: Ad idem accipi debet quod habetur apud Matthæum [b], vbi de filia Archiſynagogi, & turba tumultuante. Hæc enim turba multitudo eſt illa ingens quæ ad exequias venerat ad funus cohoneſtandum.

a lib 4. florid.

b Cap.9.54.

Secundò faces, Cerei, Lampades & alij ignes circum collucebant: etiam ſi dies eſſet: ſic apud Hebræos ſeruatum ex Ioſepho dicimus vbi [c] de Herodis funere. ſic apud Gentiles docet nos Apuleius, verbis, quæ proximè poſt adducta ſequuntur. *pertractans*, inquit, *corpus hominis, & inuenit in illo vitam latentem confeſtim* exclamauit viuere *hominem*; *procul ergo faces abigerent, procul ignes amolirentur, rogum demolirentur.* Et id ipſum apud Chriſtianos vſurpatum habemus in *collocatione* Conſtantini Imperatoris, & Paulæ viduæ ex Hieronymo, & Euſebio, quos ſupra retuli, & in *collocatione* Satyri exoratione; quam D. Ambroſius eius frater habuit in illius funere.

c lib. 1 de bel. Iud. in fine.

Tertiò Aromata incendebantur vt ſuaui odore omnia latè loca fragrarent. In lib. Paralipomenon [d] de Aſa mortuo. *Poſuerunt eum ſuper lectulum ſuum plenum aromatibus, & vnguentis meretriciis, & combuſſerunt ſuper eum ambitione nimia.* Comburere enim *ſuper mortuum odores*, eſt ipſo coram poſito illos incendere, vt infra dicam.

d lib.2.c.16. 34.

Ad quod ipſum alluditur in Apocalypſi [e] vbi Chriſti Domini exequiæ noua quadam ratione celebrantur; ſed imagine Agni ſtantis, & occiſi; nam quia Chriſtus Dominus miro modo viuebat extinctus, vt hoc Spiritus ſanctus indicaret B. Ioanni per arcanas viſiones obiecit ipſius funus miro etiam modo celebratum. Vidit enim in medio poſitum *Agnum*; quaſi in lectulo ferali locatum cadauer: ſed quia ita Chriſtus Dominus mortuus erat vt viueret: Apparebat Agnus idem qui occiſus; nihilominus ſtans, & ſuis viribus nitens. Lectulus autem tam miri cadaueris non erat ferale ferculum; ſed regale ſolium quod enim aliud debebatur viuenti mortuo? Similiter circumſtans turba ſeniorum non mœſta; nec triſti deiectione defixa: ſed planè lætabunda, & in habitum gaudentis effuſa; veſte ſplendenti, capite coronato odores late ſpargebat: non vt fœtorem arceret; ſed vt lætitiam cumularet, quæ omnia vt clarè apparet, ritus alludũt ſeruari ſolitos in collocatione cadaueris: ita tamẽ vt quod ad luctum fiebat, in gaudium hic potius flecteretur. *Et vidi* (inquit B. Ioannes [f]) *& ecce in medio Throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum Agnum ſtantem tanquam occiſum*: admirandum cadauer ſcilicet in admirabili ſolio, inter admirabilem etiam turbam adſtantium collocatum. antea autem dixerat, de facibus, Cereis, & ignibus cap. 4. *de Throno*, inquit, *procedebant fulgura, & voces, & tonitrua .... & ſeptem lampades ardentes ante thronum*, hæ erant ſepulchrales faces ſubdit etiam de odoribus *ceciderant*, inquit, *viginti quatuor ſeniores habentes phialas plenas odoramentorum.* Denique lugubre carmen hoc viuente mortuo planè dignum non mœſti canebant; ſed lætiſſimi perſonabant. *cantabant*, inquit, *canticum nouum* quare nouum? quia nouum hic genus funeris; noua mortis imago, nouum cadauer. *Dignus es*, inquit, *Domine accipere librum quoniam occiſus es*, & quæ ſequuntur quæ quid habeant in arcana ſignificatione myſterij noſtrum non eſt hoc loco fuſius explicare? quos autem in ipſa externa ſpecie priſcos Ritus attingant ſatis eſt leuiter ex his indicaſſe. Cæterum ad odores iſtos incendendos præſente mortuo, & collocato ſuum quoddam genus vaſis habebant Antiqui quam *acerram* appellabãt, de qua Cicero alicubi [g], & Feſtus [h] diſertè tradit *acerram ante mortuũ poni ſolitam* in qua odores incenderentur.

e Cap.5.

f Ibidem.

g De legib. 2.

h lib. 1. ver. Acerra.

Quarto denique ab hac adſtantium turbà ſolemnis comploratio edebatur; de qua in capite ſequenti diſtinctius exponemus.

CAPVT XI.

Ad locum 3 Reg 13.

Tulit cadauer viri Dei, & intulit in Ciuitatem vt plangerent eum, & poſuit cadauer eius in ſepulchro; & planxit eum, heu, heu mi frater.

Ad defuncti corpus expoſitum ſolemnis lamentatio: ſuper mortuum flere quid propriè in ſacris literis: luctus in morte carorum duplex, alter ab affectu, alter ex vſu: hic quibus conſtaret planctus quid propriè. Ezechiel, Amos, Iſaias, pluribus in locis explicati.

MOrtuos ſuos Hebræi ſicut plerique alij populi duplici luctu proſequebantur pri-

uato, & publico. ille erat qoalem verus affectus, & animi vulnerafi dolor pro cuiuſque in defunctum voluntate exprimebat: hic certa ratione temperatus, & ad certam normam exactus; vt pote non affectui; ſed tempori, & conſuetudini ſeruiens: imitamentum doloris potius quam dolor. illo luctu nullus carebat, qui carum aliquem poſt ſe in humanis relinqueret: at hic ſecundus non omnibus concedebatur; etiam qui caſis ſuperſtitibus deceſſiſſent; ſed tis dumtaxat quorum funus ambitioſius celebratur quibus autem maximè rebus hic factirius luctus contineretur infra pluribus explicabo. nunc de lucto ad collocatum cadauer exponendum eſt; qui erat illius publici pars non exigua.

Portò *cadauer* cùm dico; vel ipſummet accipio vel aliquid loco ipſius, & inane cadaocris ſimulachrum, vtrumque enim ſeruatum; vt aliquando cadauer ipſum, & defuncti corpus præſentes præſens haberent, & ritè collocatum: aliquando verò cum cadauer vel corruptum ignibus, vel aliter amiſſum hsberi non poterat pro illo veſtigium hominis ſtatuebant: quod etiam ſeruabatur; cum olim defunctis annua iuſta te-

a 1.Reg.c.1. petebantur, ſic [a] Dauid fleuit *ſuper Saul, & Ionatham*. & ibidem prouocat ipſe Solymæ fœminas ad coſdem lugendos, dicens *filiæ Hieruſalem ſuper Saul flete*. Et tamen vtriuſque cadauera ab hoſtibus per omnem iniuriam vexsra, & poſt modum à vitis Iabes ſepulta procul admodum à Dauide tunc aberant.

b Cap.8. Sic etiam mulieres illæ apnd Ezechielem [b] Adonidem lamentabantur: non qui præſens eſſet; ſed qui pro præſente in ſui veſtigio lugeretur.

Hoc poſito dicam priùs de luctu hoc in vniuerſum: ſecundò quibus conſtaret: tertiò de comploratione, & carmine lugubri in illa aſſumpto, quartò quid eo carmine contineretur, quintò à quibus cantatum.

Certa ergo res eſt ſolemnem hunc luctum maximo ſemper in vſu apud Hebræos fuiſſe proprio autem vocsbulo in ſacris literis comploratio *ſuper mortuum* nuncupatur. quia enim adhuc præſente, & expoſito defoncti corpore fiebat; maximè propriè luctus, & lamentatio *ſuper mortuum* dicebstur. ſuper aliquem enim flere in Scriptura eſt; non quomodocunque cauſa alie-

c Luc.23.28. riùs lugere: ſed propter ipſum præſentem in luctu eſſe ſic Chriſtus Dominus [c] ad ſanctas illas

d Luc.19. mulieres, *nolite*, inquit, *flere ſuper me ſed ſuper vos ipſas flete*, & alibi [d] *videns Ciuitatē fleuit ſuper*

e Gen.45.15. *illam* ſimiliter de Ioſeph Patriarcha *Plorauit*, in-

f Cap.50.1. quit [e], *ſuper ſingulos fratres*. quos ſcilicet præſentes amplectebatur, & rurſus de eodem [f]. *Ruit in amplexus patris flens ſuper illum*. Simili ergo ratione flere ſuper mortuom, eſt illum præſentem lugere; vel quaſi præſentem? erat autem cadauer, aut eius veſtigiū dupliciter præſens: vel eum funus ritè collocatum, & expoſitum certo in loco iacebat; vel cum exequiæ ducebātur, & vtrobique luctus, qui fiebat ſuper mortuum fieri dicebatur. Magis tamen prima illa ratione. quia mortuo ſtaturo, & collocato verè ſuper ipſum edebantur, quæcunque ipſius cauſa ſigna doloris aſſumebantur: de quo luctu, pleraque in ſacris litteris accipienda ſunt, eum vel quidam inde fleti deceſſuri aut deceſſiſſe dicūtur; aut alij ſuos flere prohibētur. priuatus enim ille & verus luctus à nullo non aſſumi poterat, & facilè in quemcunque poterat impendi. Hieremias [g]. *Mortibus ægrotationum morientur; non plangentur, non ſepelientur, in ſterquilinium ſuper faciem terræ erunt*. & paulò pōſt *morientur grandes, & parui in Domo iſta, & non plangentur, & non ſepelientur*. non plangentos ſcilicet hoc ſolemni luctu, nam priuatim quiſque eò magis lugebitur, quo infelicius occumbet; fame; peſte, ferro enectus extra omne ſolatium ſuorum. Similiter hic idem luctus Nazaræis interdictus intelligendus eſt vbi de eo dicitur [h], *omni tempore conſecrationis ſuæ ſuper mortuum non ingredietur; nec ſuper patris quidem, & matris, & fratris ſororiſque funere contaminabitur, quia conſecratio Dei ſui ſuper caput eius eſt*. Nec enim Nazaræis interdictum priuatim lugere ſuos: ſed tantum prohibitum illis eſt ad cadsues expoſitum, & ritè collocatum accedere cum reliquis defunctum lamentaturis. g Cap.16.4. h Num.6.6.

Quibus ergo doloris argumentis hic luctus continebatur? pluribus omnino adeò vt ad illum arte quadam & diſciplina opus eſſet. propterea Amos [i]; *Vocabunt*; inquit, *ad planctum eos qui ſciunt plangere* nimirum planctu hoc fucato & mimico. Nam verus luctus magiſtro non indiget quæ ergo argumenta doloris complecteretur clarè deſcribit Ezechiel [k] in lamentatione Syri *nautæ* & vniuerſi gubernatores maris in terra ſtabant; *& eiulabunt ſuper te voce magna, clamabunt amare, & ſuper iacient puluerem capitibus ſuis, & cinere conſpergentur, & radent ſuper te caluitium, & accingentur ciliciis & plorabunt te in amaritudine animæ planctu amariſſimo, & aſſument ſuper te carmen lugubre, & plangent te*. Hoc enim loco Prophetæ proponit excidium Tyri, & luctum ſuper illam exciſam: quaſi ſuper iacentis hominis collocatum cadauer dicitque ad illam euerſam, & proſtratam accurſuros omnes finitimos populos quaſi illi parentaturos, & hoc ſolemni eam luctu lamentaturos. Stantes ergo illos inducit deinde *veſtitu cilicino* copertos; eiulantes & miſerè flentes, capite *puluere cinereque* conſperſo; capillo, aut nullo aut lacero, aut detonſo: pectora caputque percutientes, & ad planctum illum quaſi ad ſtrepitum feralis Cytharæ carmine lugubri perſonantes. Ex quibus facile eſt certo ſignare, & diſtinguere quæ in hoc ſolemni luctu continebantur: hæc enim erant ſonus vocis inconditus cum fletu & eiulatu, capillorum euulſio; genarum laceratio; manuum comploſio; cineris & pulueris ſuper caput iniectio, cilicinus amictus; *planctus* id eſt palmarum ad pectus & alias partes corporis alliſio: denique ſolemnis lamentatio, & comploratio. quæ omnia & ſingula nonnunquam etiam in vero luctu cernuntur: ſimul autem vniuerſæ in hoc aſſumebantur: quia ſimulata omnia maiori ſe mole inferunt; quam quæ prodeunt ex veris affectibus. i Cap 5.16. k Cap 27.29

De flebili eiulatu, & lachrymis clara res eſt. nullus enim luctus ſine his: de comæ, & aliorum capillorū euulſione, & laceratione cutis habetur Hierem. 16.6. *morientur grandes, & parui in terra iſta; non ſepelientur neque plangentur: non ſe incident neque caluitium fiet pro eis*. vetuerat quidem Dominus Iudæos omnes in terra Iſraël mortuum hoc pacto lugere ipſi tamen contra præceptum Domini, id paſſim vſurpabant, præſente cadauere comam, barbamque vellebant, vulſos capillos ſuper ipſum ſpargebant. & hoc eſt quod tacitè Nazaræos facere prohibebat loco citato. *ne in Patris*

quidem

quidem funere, inquit, *contaminabitur.* & ſubdit rationem, *quia conſecratio Dei ſui ſuper caput eius eſt.* id eſt quia habet cæſariem Domino conſecratam; non vellet illam neque lacerabit ſuper vllum mortuum: etiam ſi pater is, aut mater ſit.

D. Hieronymus in locum Hieremiæ adductum. *Mos, inquit, fuit apud veteres, & vſque hodie in quibuſdam permanet Iudæorum; vt incidant lacertos, & caluitium faciant.* Fruſtra ſcilicet id
a Cap. 14. 1. Deuter. prohibente Domino [a]. Non vos incideritis, inquit, nec facietis caluitium ſuper mortuum: quia
b Leuit. 19. 28. populus es Sanctus Domino Deo tuo, & alibi [b] ſuper mortuos non incidetis carnem veſtram: neque figuras aliquas, aut ſtigmata facietis. quæ omnia ſcilicet nationes aliæ ſuperſtitioſè ſeruabant: licet ab horum, etiam ſapientibus non
c In 3. Tuſc. probarentur: de iis in vniuerſum Cicero [c]. *Ex hac opinione ſunt illa varia, & deteſtabilia genera; pedores mulieribus lacerationes genarum, pectoris, & capitis percuſſiones: hinc ille Agamemnon homericus.*

Scindens dolore identidem intonſam comam.

In quo facetum illud Bionis: Periade ſtultiſſimum Regem in luctu capillum ſibi euellere: quaſi caluitio mœror leuaretur.

Sed nec hoc ſolùm contentus erat impotens dolor: nam & auulſos crines mortuo offerebant; ſuper illius cadauer *collocatum*, impoſitos, aut aliter ſparſos. & hi propinqui erant, & qui defuncto amore ac cognatione maximè coniuncti. Ouidius de Narciſſi ſororibus.

Planxerere ſorores
Naiades, & ſectos fratri impoſuere capillos.

Petronius de matrona Epheſina. *At illa ignota conſolatione percuſſa, lacerauit vehementius pectus, raptoſque crines ſuper pectus iacentis impoſuit.* Statius.

tergoque & pectore fuſam
Cæſariem ferro minuit, ſectiſque iacentis
Obnubit tenuia ora comis.

Et hoc illud eſt, quod ſæpiùs prohibet Deus; *caluitium ſuper mortuum facere.* id eſt laceros capillos ſuper cadauer imponere.

De planctu verò qui fit manuum inter ſe & ad alias partes corporis alliſione: nihil eo in Scriptura frequentius: propterea enim planctum diſtinguit ab eiulatu, & fletu; vt intelligamus, *plangere mortuum* nō eſſe propter illum ſimpliciter lachrimas fundere; ſed eam complorationem ſuper ipſum aſſumere, quam pectoris, & capitis percuſſionem appellat Cicero. de qua
d Cap. 32. 11. Eſaias disertè [d]. *Exuite vos, & confundimini, accingite lumbos veſtros, ſuper vbera plangite* id eſt
e Cap. 18. 9. pectora palmis percutite & in Apocalypſi [e]. *& flebunt, & plangent ſe ſuper ipſam Reges, qui cum illa fornicati ſunt.* his enim duobus locis, & aliis ſimilibus plangendi vocabulum propriè eſt vſurpatum alias tamen etiam ſignificat quidquid cauſa mortui ſuper illum, & ante illum flebiliter
f 1. Reg. c. 25. 1. aſſumitur. ſic in Regum hiſtoria [f] *planxerunt omnis Iſrael Samuelem.* id eſt vniuerſa illi præſtiterūt, quæ in ſolemni lamentatione mortui ſole-
g Cap. 8. bant adhiberi. ſic in Actibus [g], *ſepelierunt Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum.* Verum de his, & aliis ſimilibus luctus indiciis infra pluribus; vbi de luctu, non tantum ſuper mortuum; ſed in vniuerſum cauſa mortui & cuiuſcunque infortunij adſumpto diſceptabimus. Nunc ſatis ſit iſta attigiſſe; vt de comploratione ageremus, quæ cadauere expoſito, & collocato edebatur. erat igitur hæc lamentatio inter præcipua, quæ mortuo impendebantur: adeò vt antonomaſticè, ipſa ſola, & planctus, & luctus appellaretur, vt in hiſtoria Regum indicatur [h]. h 2. Reg. 1. 17.
Planxit, inquit, *Dauid planctum huiuſmodi ſuper Saul, & ſuper Ionatham filium eius.* id eſt hanc lamentationem ſuper eum edidit; ad ſonitum illum, & mœſtam palmarum comploſionem, quaſi ad ſtrepitum muſicum de ea ergo; quia ad hunc locum maximè ſpectat, vt diſtinctius exponamus ſeorſim in ſequenti capite diſſeremus.

Capvt XII.

Ad locum 2. Par. 35 v. 25. Mortuuſque eſt (Ioſias) & vniuerſus Iſraël, & vniuerſus Iuda, & Hieruſalem luxerunt eum, Hieremias maximè, cuius omnes cantores, & cantatrices lamentationem ſuper Ioſiam replicant.

Threni & lamentationes ſuper mortuum à quibus edita apud Hebræos: iis apud Romanos & alios Næniæ reſpondebant: vtræque cum cantu ad tibiam & ſuis adſtrictæ numeris: flebiles orationes, & Nænia cur pro nugis poſita. Ezechiel 2. Regum: Hieremias, & alij pluribus in locis explicati.

LAmentatio ſiue lamentum in ſacris litteris oratio flebilis erat ſuis adſtricta numeris, qua iacentis hominis & expoſiti mors à certis hominibus non ſine cantu deplorabatur à quo munere ad alios deinde caſus, & fortunas tranſlata adhibita quoque eſt ad vrbium excidia, & vaſtitates, & ad eorum hominum obitus, qui aut olim iam, aut peregrè defuncti eſſent deplorandos. quæ omnia, ſic ab vno veluti faſce comprehenſa breuiter, & ſigillatim explicabuntur; vt quid tandem hæc *ſuper mortuum lamentatio* eſſet conſtare poſſit.

Et primò quidem quod ad ipſam vocem ſpectat *lamentatio*, *& lamentatam*, propriè huc facit neque enim in ſacris litteris quæcunque querela, aut mœſta conqueſtio, lamentatio: ſed illa tantum, aut certe præcipuè, quæ ſuper *expoſitum*, *& collocatam cadauer* edebatur: aut propter quodcunque aliud præſens infortunium, & calamitatem aſſumebatur. Regius Propheta [i]. *Virgines* i Pſal. 77 63
eorum non ſunt lamentatæ, & viduæ eorum non plorabantur. non quia virginibus decedentibus, matres, & alij ſuperſtites non ingemuerint: ſed quia hac ſolemni conqueſtione caruerint: cadauere earum vel abiecto; vel raptim, & ſine cura ſepulto ſic de Ioſia dicitur [k]. *Mortuus eſt* k 2. Par 35. 25.
& ſepultus, & vniuerſus Iuda, & Hieruſalem luxerunt eum: Hieremias maximè cuius omnes cantores, & cantatrices lamentationem ſuper Ioſiam replicant. Propriè hoc vltimum: intelligit enim quæ Hieremias ex hoc ſolemni more ad cadauer Ioſiæ Regis expoſitum flebiliter effuderat, iſtæ enim propriè lamentationes, quæ Hebraicè קִינוֹת *Kinoth* Græcè *Threni* dicuntur. vnde titulus factus lamentationibus Hieremiæ, quæ ſic propriè appellatæ: quaſi ad cadauer Ioſiæ præſens, & *collocatum* editæ fuerint, vt volunt Rabanus, D. Thomas, Bonauent. vel quaſi ante cadauer

a In fragm. ſuper lamēt. b Nazianz.or. 4. de pace. Chryſoſt. 3. de prouid. Theodoret Olymp. Procop. alij cum Caſtro Iſag. in Hierem. c. 4.

euerſæ Hieroſolymæ, vt volunt Origenes [a], & alij [b]. Propterea LXX. Interpretes hanc illi Hieremiæ operi inſcriptionem fecerunt. *Et factum poſtquam in captiuitatem redactus eſt Iſrael, & Hieruſalem deſerta eſt; ſedit Hieremias Propheta flens, & lamentatus eſt lamentationem hanc ſuper Hieruſalem & dixit. Quomodo ſedet ſola ciuitas, &c.* Eſt enim vrbs Hieroſolyma euerſa quaſi ipſius cadauer expoſitum; ad quod videndum & contemplandum Hieremias admiſſus, hoc lamētum aſſumit; perinde vt ſolebat in mortuos, & iam expoſitos homines vſurpari. quod non ſolum à Hieremia ipſo ſed ab aliis quoque Prophetis eſt factitatum: & nimirum vrbium, & regionum excidium & vaſtitatem, non aliter, ac illarum interitum ſunt lamentati: earum vero ruinas iacentes, & ob oculos, obſeruantes; perinde deplorauerint, ac expoſitum cadauer, & collocatum. Sic Ezechiel [c] *Lamentum* ponit, ſuper euerſam Tyrum & iterum [d] ſuper vaſtatam Ægyptum. Amos [e] ſimiliter ſuper terram Iſrael; Micheas [f] ſuper Iudaicam regionem. Apocalypſi [g] verò ſuper exciſam Babylonem. Vnde liber ille Ezechieli oſtenſus [h] qui totus plenus erat comminationibus eorum malorum, quæ iam iam superuentura erant populo Iudaico, dicitur conſcriptus fuiſſe *lamentationibus, carmine, & væ.* quia nimirum hæc mala quæ denunciabantur proxima iam, & quaſi præſentia erant: præſentes autem mortes, & excidia lamentationibus proſequebantur. Puto autem hæc tria, *lamentationes, carmen, & væ.* Synonima eſſe nam ſolemnis illa conqueſtio *lamentatio*, & *lamentum* dicebatur ab argumento: carmen appellabatur propter metrum. *væ* autem; quia ab iſta particula incipiebat; per illam etiam ſubinde decurrens. Hebræis autem ſolemne eſt orationes ſuas à prima voce, qua incipiunt, inſcribere, & nuncupare; vt obſeruauit Hieronymus in prologo galeato. præter quæ tria nomina nonnunquam etiam *planctus* vocabulo ſignabatur à geſtu ſcilicet & comploratione lamentantium qui ſubinde ora pectuſque plangebant. Vnde de Dauid; *Planxit*, inquit, [i] *planctum huiuſmodi ſuper Saul*, id eſt lamentationem iſtam cum planctu dixit.

c Cap. 26. 17
d Cap. 32. 2
e Cap. 5. 7.
f Cap. 2. 4.
g Cap. 18. 9.
h Cap. 2.
i 2. Reg. 1. 17

Talis autem *lamentatio* apud alias etiam gentes in ſuorum funere eſt vſurpata & Romanos maximè quibus carmen hoc lugubre *Nænia* dicebatur Horatij vetus interpres, *nænia propriè carmen eſt quod mortuis cantabatur.* Nota: *quòd mortuis cantabatur.* nam non de mortuo tantum, aut eius laudibus: ſed ipſi mortuo præſenti cantabatur: quod propriè grammaticus iſte dicit næniam appellatum. Nam minus propriè, nænia eſt quicunque cantus funebris; aut flebilis eiulatus mortui cauſa ſuſceptus. Vnde Cicero [k]. *Honoratorum virorum laudes in concione memorentur, eaſque etiam cantus ad tibicinem proſequatur: cui nomen nænia quo vocabulo, etiam Græce cantus lugubres nominantur*, ſic legit hunc locum Adrianus Turnebus. Diomedes nobilis, & ipſe grammaticus. *Apud Romanos id carmen quod cum lamentatione extremum atque vltimum mortuo adcanitur, nænia dicitur*, nota hic etiam vocem *lamentandi* propriè hac in re vſurpatam; etiam apud Latinos, & eodem modo, vt ab Acrone dici quoque à Diomede, *Carmen hoc mortuo adcantari* præſenti ſcilicet adhuc, & collocato. quare Quintilianus [l]. *Cùm carmen funebre*, propriè ſumitur rectè dixit *næniam* illud appellari:

k De legib. 2.
l lib. 8. c. 12.

propriè autem ſumitur cum de hac lamentatione ſuper defuncti corpus intelligitur; manaſſe autem ad Romanos, Græcos, & alias gentes hunc lamentandi ritum ab Hebræis ſunt qui colligunt ex voce *Nænia*, quam licet alij Phrygiam eſſe velint, vt Pollux quem ſequitur Petrus [m] Faber ſunt tamen, qui Hebræam eſſe contendant, & propriè hoc ſignificare; at ſatis de voce ipſa lamentationis.

m lib 3. ſem. c. 2.

Dixi ergo illam, *flebilem eſſe orationem*; quia non ſolùm tota de argumento flebili; ſed flentes, & à flentibus emiſſa; & tota etiam ad fletum excitandum comparata.

Addidi ſuis adſtrictam numeris quod certum eſt, & tradunt Hieronymus, & Cyrillus & clarè conſtat; quia (vt dixi) hæc lamentatio propriè carmen lugubre dicebatur. Ezechiel [n] in lamentatione exciſæ Tyri, *Et aſſument ſuper te carmen lugubre*, & rurſus apud eundem [o], *fili hominis cane carmen lugubre ſuper multitudine Ægypti.* Erant autem iſti *numeri*; quaſi innumeri, & lege ſoluti, qualis ſcilicet oratio ſolet, vt plurimum à gemētibus, & plorātibus in æſtu illo doloris effundi; quæ numeroſè quidem fluit, ſed non certa lege. verſus ergo erant, nunc pluribus nunc paucioribus pedibus currentes, qui certo rythmo ſimiliter aliquando deſinebant; & rurſus planè diſſimilibus ſillabis diſcrepabant, vt etiam clarè colligitur ex 2. Regum c. 1. vbi lamentatio Dauidis refertur, quam ſuper Saulem, & Ionatham adſumpſit. habet enim illa numeros ſuos: & ſimiliter quæ ſuper Abſalon ab eodem Dauide lib. 2. cap. 18. quod idem aliæ gentes ſeruabant; apud quas adſtricta oratione hæ lamentationes conſtabant vt proxime oſtendimus. *Nænia* enim illis carmen erat, quod, nunc per elegos nunc per hendecaſyllabos, nunc per alios numeros ferebatur vt eſt apud Sidonium Apollinarem.

n Cap. 27. 35
o Cap. 32. 18

Dixi, *præſentis hominis cadauer illud defletum*, quod ſatis ex dictis conſtat, & inde etiam firmatur; quia in tota Scriptura nuſquam, & nunquam huius lamentationis mentio; niſi cum de cadauere, vel hominis, vel vrbis præſente, & expoſito ſermo eſt. vnde omnes iſtiuſmodi lamentationes ipſum, quem deflent alloquuntur, & ad illum verba orationemque conuertunt; ſic Dauid [p] ad Abner quem lamentatur ſermonem dirigit & Ezechiel [q]. *Fili hominis, adſume lamentum ſuper Pharaonem Regem Ægypti & dices ad eum. Leoni gentium aſſimilatus, & Draconi qui eſt in mari.* & conſtat denique ex appellatione ipſa nam licet lamentatio latius pateat ſi ſimpliciter ſumatur, *lamentatio tamen ſuper mortuum*, hoc propriè erat quæ antonomaſticè lamentatio dicebatur ſicut & nomen *Nænia* quod licet plura genera lugubrium orationū complecteretur: hoc vnum tamen præcipuè ſignificabat, quod in mortuum præſentem adhibebatur vt tradit Quintilianus [r].

p li. 2. Reg 3.
q Cap. 32. 2.
r lib 8. c. 2.

Argumentum verò huius lamentationis dixi fuiſſe mortem iacentis, & vt Scriptura loquitur *lamentari.* mortem cum dico præcipuum intelligo quod deflebatur. nam alij deinde caſus & miſeræ fortunæ hominum ſimiliter deplorabantur. in vrbibus autem id intelligo, quod morti, & interitui proportione reſpondet; excidium nimirum & euerſionem: quod in exercitu eſt ſtrages, & profligatio. duæ ergo erant lamentationis partes: prima laudibus defuncti conſtabat: altera conteſtatione doloris ex eius exceſſu in iis qui remanebant propterea appellata

pellata eſt hæc lamentatio laudatio, & in vetere gloſſario hæc pro eodem ponuntur: *epitaphiam, nenia, & laudatio* quia vero, qua parte doloris teſtificatio erat, mulra ſimul inepta & nugacia complectebatur apud Latinos factum; vt *nenia*, rem etiam nihili, & nugas ipſas ſignificarent, qui enim dolent & dolorem ſuum effundunt, multa nugantur queruli, & ineptiunt, à quibus
a lib.7.epiſt. 18. alioquin abſtinerent. Sidonius Apollinaris [a] lib. 7. epiſt. 18. *Interea tu ſi quid à lectionis ſacra continuatione reſpiras, iis licebit naniis auocare.* Nænias enim id eſt nogas appellat modeſtiæ cauſa, ſeria ſua, quæ ad ipſum ſcripſeras. & ſanè negari nō poteſt, quin lugentes ipſi aliquando maximè ridiculi ſint in ſuo luctu: inconditè, & indiſtinctè loqountur, ſemeſa verba effutiunt, idem ſæpius reperunt; factaque ſont, infecta volunt; non incuſanda iocuſant; & denique non ſurdo; ſed planè mortuo cantilenam canunt quæ omnia nugarum pleniſſima ſolo dolore excuſantur: vt non immeritò *mortuaria* & mortualia; ea ſcilicet quæ lugendo mortuo exhibentur; pro nugis poſita ſint à bonis auctoribus. Vnde Plaut in Aſio.

b lib.18.c.7. Hæc non ſunt ongæ: non enim mortalia. & Agellius [b]. *Vos philoſophi mera eſtis vt Cato ait, mortuaria gloſſaria: namque colligitis lexidia, res tetras, & inanes, & friuolas; tanquam mulierum voces præficarum.* Sic enim appellat ventoſam Philoſophorum loquacitatem qui verba grandia, aut incognita cuncrepantes, de re plerumque nihili litigabant.

Dixi etiam has lamentationes fuiſſe *cum cantu:* qood eſt certiſſimum. Ad Ezechielem dici-
c Cap.32.18 tur [c]. *Fili hominis cane carmen lugubre ſuper mul-*
d Cap.2.14. *titudinem Ægypti. Et apud Michæam* [d]. *In illa die ſumetur ſuper eos parabola, & cantabitur canticum cum ſuauitate dicentium*, adeo enim cum cantu hæc lamentatio; vt ipſa canticum ſit appellata, & canere aliquem poſitum ſit, pro *illum lamentari* vnde in Hebr. propriè ibi eſt, *lamentabitur lamentationem cum ſolamine.* quod noſter vertit, *cantabitur canticum cum ſuauitate.* Sic can-
e lib.2.Reg. c.1. tando Dauid defleuit prius Ionatham [e] & Sau-
f Ibid.3. lem poſtea [f] defleuit Abner, & Ieremias Ioſiam [g]
g 2.Paralip. loco cit. alibi in ſacris literis.

h Eccli.2.6. At habetur [h] quod *muſica in luctu importuna narratio*, & Salomon [i] inter ea quæ præpoſterè
i Prouer.25. 20. & abſurdè fiunt recenſet; *Si quis cantat carmina cordi peſſimo* id eſt dolenti; & vt eſt in Hebræo mœrore cootrito, & confracto, eſt enim Hebræis. *Cor malum, & peſſimum*, idem quod Italis *di mala voglia.* noo ergo lamentum iſtud cum cantu eſſe potuit niſi præpoſterè.

Reſpondeo primò, quæ in luctu fiebant, omnia peruersè fiebant, & contra quam communiter ſuetum eſſet, vt infra dicam. Secundò non omnē cantum dedecere lachrymas & mœtorem, ſed illum, qui ad lætitiam totus eſt, & hilaritatem, eſt enim cantus aliquis flebilis, & luctuoſus; adeò cognatus lachrymis vt ipſas prouocet; ita tamen vt ſenſim etiam ſiſtat, & planè detergat. talis erat cantus, qoi in hac lamentatione adhibebatur: qui etiam oec ſimplex erat, ſed ad organum muſicum temperatus de quo accipiendum exiſtimo, qood ſæpius adduximus ex hiſto-
k lib.2.c.1. 17. ria [k]. Regum *Planxit autem Dauid planctum huiuſmodi ſuper Saul, & præcepit, vt docerent filios Iuda arcum.* hic enim *arcum* intelligo inſtrumentum aliqnod muſicum, ad quod lamentatio illa erat modulanda: quorſum enim nunc mentio *arcus bellici*; vt volunt Rabbini, & cum illis Hebraizantes quos pluribus in commentario eius loci confutauimus. Tibiam autem vt plurimum ad id adhibitam, inde puto, quod Tibicines apud Matthæum [l] inter eos qui mortuam Archi- l Cap.9.23.
ſynagogi filiam lamentaturi erant receuſentur: & quod omnia etiam Græcorum, & Romanorum ad Tibiam decantabatur. Feſtus, *nenia eſt carmen quod in funere laudandi gratia cantatur ad Tibiam* Cicero [m] paulò ante adductus. *honeratorum* m de legib.2.
virorum laudes in concione memorentur; eaſque etiam cantus ad Tibicinem proſequatur; cui nomen nenia.

Dixi denique *à certis hominibus eas lamentationes decantatas.* qui autem iſti, & alia, quæ ad ipſorum munus diſtinctius cugnoſcendum faciunt proximo capite proſequemur.

Capvt XIII.

Ad locum 2.Par 35.25. Vniuerſus Iuda, & Hieruſalem luxerunt Ioſiam: Ieremias, maximè, cuius omnes cantores, & cantatrices lamentationes ſuper Ioſiam replicant.

Qui certa ratione lamentarentur in funere pretio conducti: viri, & fæminæ: iſtæ præſertim tam apud Hebræos, quàm apud Romanos, & alios: in his quæ chorum ducebant principes luctus, & præficæ à Romanis appellatæ; ab Hebræis ſapientes; & quare? Ieremiæ, Iſaiæ, & aliis allata lux.

MOrtuos ſuos proximi quique, & cognati deflebant: ſed quia oihil citius areſcit quam vera lachryma, idcirco alij etiam aduocabantur, qoi docti flere, & lugere lachrymis aſcititiis, verum aliorum dolorem vicaria opera ſuſtentabant. ad quod munus certum quoddam genus hominom, viri, & fœminæ promiſcuè deſtinati erant, non minùs, quàm ad alias artes, quæ publicæ rei vtiles & neceſſariæ ſunt. itaque ſicut erant antiquitùs collegia, & corpora aromatariorum, Sutorum, & ſimiliom: ſic etiam erant *lamentatorum, & lamentatricum*, qui lachrymas alieno in funere locabant & fletus venales habebant. Amos 5.16 *in omnibus plateis planctus, & in cunctis quæ foris ſunt dicetur væ væ. & vocabunt agricolam ad luctum, & ad planctum eos, qui ſciunt plangere.* quo in loco Hieronymus notat, *morem illius prouinciæ fuiſſe lamentatores, & lamentatrices habere, quas pretio conducerent ad lugendum*, & ſanè de fœminis adeò mirum non eſt; de viris qui potuerint ad hoc fœmineum officium ſponte deſcendere dubitari poterat: niſi diſertè traditum nobis eſſet: eos, inquit, Amos. *qui ſciunt plangere*, & alibi [n] habemus *cantores, & cantatri-* n 2.Paralip. c.35.
ces lamentationes ſuper Ioſiam ſolitos replicare. Cantores, inquam, qui & viri erant & mudulata voce ad numeros muſicos flebiles cantus ciebant vt ſupra dixi.

Non ſolùm autem viri iſti nundinatores luctus apud Iudæos; ſed etiam apud Romanos, & Græcos de Romanis Horatius de arte Poët.

Vs

Digitized by Google

Vt qui conducti plorant in funere, dicunt
Et faciunt prope plura dolentibus.

De Græcis conſtat; apud quos vt tradit Iulius Pollux viri iſti θρηνῳδοὶ *Threnodi* dicebantur voce ea lamentatione cantuque compoſita: quaſi cantores flebiles; & quia id ad Tibiam inde etiam Tibicines propriè vocati. Ioſephus li. 3. de bello Iudaico c. 5. *Alij alios flebant; Ioſephum verò omnes pariter, adeò vt per dies triginta, nunquam lamenta ceſſarent, plurimique Tibicines conducerentur, qui illis in lamentationibus præcinerent.*

Et iſti illi ſunt qui apud Matthæum accurriſſe dicuntur ad Archiſynagogum, ipſius filiam de cuius morte iam rumor increbuerat lamentaturi; licet autem Tibicines etiam alij eſſent qui operam ſuam fuocri non locarent, & aliter quam lugubre canerent: illud tamen nomen nulli magis proprium, quam ferali lamentatori Apuleius [a] de Attigenide inſigni Tibicine. *Is, inquit, cum eſſet in tibicinio apprime nobilis; nihil æquè ſe laborare, & animo angi & mente dicebat; quam quod monumentarij choraulæ Tibicines dicerentur.* non dubium ergo quin inter mercenarios ploratores etiam viri.

a lib. 2. florider.

Verùm quia eiulare, flere, plorare, conqueri, & totus denique ille apparatus ineptiarum, quibus verus dolor depaſcitur, & fictus inſtruitur, longè melius à fœminis, quam viris exhibetur: dubium quoque eſſe non debet; quin præcipuè in hoc munere fœminæ ſemper fuerint. habent enim illæ ſemper paratas in oculis lachrymas, quæ ſigno dato, veluti ex carceribus emiſſæ placidiſſimè fluunt: hoc illæ milite, quem in ſtatione tenent, vt quocunque iuſſerint illico citiſſime emicet pugnant, & expugnant aliorum, etiam fortiſſima pectora, quæ ad hunc tactum ſtatim molleſcunt. itaque verè, vt dixi, hoc illæ in munere primas ſemper habuere; idque apud Hebræos non ſolum, ſed etiam apud Romanos, Græcos & alias gentes ob eam rem de illis mihi hoc loco aliquid eſt latius explicandum.

Primò ergo eas ad hæc lamenta maiori ſemper in numero, vel etiam ſolas ſine viris conſtat aduocatas. Dauid lamentationem ſuper Saul, & Ionatham mulieribus, & non viris tradidit [b] decantandam; eaſque ad lamentationem hortatur. *Filiæ Iſrael ſuper Saul flete, qui veſtiebat vos coccino in delicijs.* & apud Ieremiam [c], *Contemplamini, & vocate lamentatrices, & veniant: aſſumant ſuper vos cantum …… docete filias veſtras lamentum, & vnaquæque proximam ſuam planctum.* Quod ipſum alio loco repetitur [d] apud eundem.

b lib. 2. Reg. c. 1. 24.
c Cap 9. 17.
d Ierem. c. 22

Inter has autem, quæ cantu præibat reliquis, & chorum ducebat, proprio vocabulo ab Hebræis *ſapiens*, dicebatur à Latinis præfica de qua in hiſtoria Regum [e]. *Miſit Ioab Thecuam, & tulit inde mulierem ſapientem, dixitque ad eam lugere te ſimula, & induere veſte lugubri; quaſi mulier iam plurimo tempore lugens mortuum.* Hebraicè, ad verbum eſt, *quaſi mulier lamentans ſuper mortuum*, quæ autem hæc *mulier ſapiens?* docta ſcilicet lugere, & flere; ſciens falſas lachrymas exprimere, & veras ex aliorum oculis ciere. hæc enim tunc vſui erat Ioabo, & non tantum vulgariter docta, ſed in primis. propterea *ſapientem* aduocauit, id eſt quæ chorum ducere ſolebat, & reliquarum cantum temperare. Ieremias [f] paulo ante adductus cum dixiſſet *contemplamini, & vocate lamentatrices.* ſubdit; *& ad eas quæ ſapientes ſunt mittite.* non enim contentus eſt turba quarumque lamentatricium; ſed maximè inſignes aduocati mandat quæ ſingulæ turbæ plorantium præeſſe poſſint de quibus in libro Iudicum [g], *vna ſapientior cæteris vxoribus eius hæc ſocrui verba reſpondit.* qui locus à LXX. tranſlatus ita ſe habet, *ſapientes principes eius reſponderunt ad ea*, & ad illum hæc notat Procopius Gazæus, *lamentatrices appellat Scriptura ſapientes: ſicut in Ieremia tales enim exiſtimantur ab ijs qui in luctu ſunt conſtituti:* & ſubdit inter lamentatrices fuiſſe quaſdam duces cæterarum, quas Septuaginta, *Principes lamentationis*, appellant non diſſimili nomine ab eo quo Romani vtebantur, de quibus hæc Seruius [h]. *Turba tamdiu ſtabat reſpondens plangentibus Præfica, id eſt Princeps planctus; quamdiu conſumpto cadauere diceretur nouiſſimum verbum: ilicet, quod ire licet ſignificat.*

e li. 2. c. 14. 2
f Cap 9.
g Cap. 5.
h In 6. Æn.

At cur hæ mulieres ſapientes appellatæ? primò quia alios lugere ad certos modulos docebant. Secundo quia omnium fermè mores, ingenium, factaque ſciebant, vt ſcilicet poſſent deinde illos melius in funere lamentari, nec omittam nomen, quo huiuſmodi fœminæ in nonnullis regionibus adhuc appellantur valde cum hac *ſapientis* nuncupatione congruere. In Sicilia, enim quæ olim *præfica*, proprio vocabulo reputatrices dicuntur, quòd ſecum reputent, recogitent, & alios etiam in cogitationem adducant, & conſiderationem eorum, quæ defunctus geſſerit. & ſanè negari non poteſt ad hanc, *reputationem*, & perpenſionem vitæ mortui, & iacturæ propter ipſius amiſſionem factæ ſæpius in ſcripturis alludi ſic Dauid [i] imitans mulieres ad lamentandum Saulem ſimul etiam hortatur ad *conſiderandum*, quis & qualis interierit *Conſidera*, inquit, *Iſrael pro his qui mortui ſunt.* Similiter Ieremias [k] lamentationem ad quam exhortatur vult incipere, *a reputatione, & conſideratione. Contemplamini*, inquit, *& vocate lamentatrices.* Denique Iſaias [l] recogitare, poſuit pro lamentare. *Iuſtus perit & non eſt qui recogitet in corde ſuo.* ergo lamentatrices, ſiue potius lamentationis moderatrices *ſapientes* dictæ, quod reputarent, recogitarent, & in aliorum conſiderationem cogitationemque inducerent; quæ poſſent fletus & lachrymas excutere. Ob quam eandem rationem Iliad. vlt. Homerus mulieres lamentantes Hectorem dicit prius inter ſe conſideraſſe, & perpendiſſe facta, & virtutes Hectoris & ea omnia quæ poterant ex ipſius amiſſione in aliis dolorem, & lachrymas prouocare.

i 2. Reg. c. 1.
k Cap 9.
l Cap. 57. 1.

Tertiò. *Sapientes*; quia fictè, & ſimulatè tantum mœrentes, & triſtes ex vno aliorum luctu catæ ipſæ, & ſagaces compendium faciebant. Quartò denique, quia luctum mœroremque aliis abſtergebat. hoc enim illarum maximè proprium: antonomaſticè autem ob id *ſapientes* dictæ; quia maximo animi morbo, qui triſtitia eſt, medebantur. ex hoc numero erat etiam illa *ſapiens* mulier quæ patriam ſeruauit; & iuſtam Ioabi iram, vaſtitatem excidiumque vrbi inferentis auertit vt in loci illius explanatione docuimus.

At vero apud Romanos, quæ in ſacris litteris mulier *ſapiens*, vt iam ſignificauimus, *præfica* dicebatur; nec enim præfica erat quæcunq; lamentatrix; ſed quæ chorum ducebat: ſic dicta quod reliquis eſſet præfecta. Feſtus. *Præficæ dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conducta: quæ dant cæteris plangendi modum.* quam etiam Iuuenalis intelligit.

Digitized by Google

inter
Iliadum lacrymas; vt primos edere planctus
Caſſandra inciperet ſciſſaque Polixena palla.

De iiſdem Lucilius [a]

a In fragm. ſatyr. 22.

Mercede, quæ conducta flent alieno in funere
Præficæ, multo, & capillos ſcindunt & clamant
magis

Obſeruandum verò *Præficas* iſtas dici propriè *conductas* licet aliæ quoque conducerentur: quia ipſe erant, quæ operam ſuam aliarumque locabant; quas ſecum, vel ſemper habebant, vel conuocabant: plures, vel pauciores prout inter illas, & funeris curatores de certa mercede conuenerat. ſicut nunc etiam videmus fieri in ſolemnibus ſymphoniis cum ſolis enim chori moderationibus de pretio tranſigitur. quemadmodum autem apud Hebræos ſapientes hæ dicebantur: vel vt Vatablus, & alij vertunt *vafræ, aſtutæ, & prudentes*, hac prudentia ſcilicet, quæ calliditas eſt: ita etiam Latini argutas illas appellabant. Plautus in friuolaria.

Superbeque omnes argutando Præficas.

Idem in Truculento, ſcena: *ne expectetis*
Facile ſibi facunditatem virtus arguta inuenit
Sine virtute argutum ciuem mihi habeam pro
præfica
Quæ alios collaudare abſentes; ſeſe verò non
poteſt.

Sanè enim argutas admodum has oportet fuiſſe; quæ ex rebus plerumque futiliſſimis, & maximè dignis neceſſe habebant iliadem ingentem texere, illos laudando qui nil habebant vnde laudari poſſent. Cæterùm conſuetudo iſta non adeò obſoleuit quin etiam apud aliquos hucuſque perduret: tradit Petrus [b] Bellonius in pleriſque Græciæ regionibus id nunc etiam religiosè ſeruari, vt ſimul atque quis defunctus eſt, curato corpore fœminæ omnis ætatis frequentiſſimæ conueniant; capillo diffuſo, pectore brachiiſque nudatis; mammillis ante oculos omnium proſtitutis; quæ per multos dies genas faciemque lacerantes, maximis cum eiulatibus mortuum deflent: interim autem viros ingenti multitudine certatim ad ſpectaculum confluere; & alios Zelotypiæ tactos vxorum ſuarum; alios mala cupidine; alios alia de cauſa fruſtra autem rogatum dicit à Veneta Republica, vt ritus ille aboleretur. In Sicilia etiam nonnullis in oppidis fœminæ ſunt quæ mortuos hoc pacto deplorant, & *ſapientiores* inter illas eæ exiſtimantur, quæ nouerint re nihili maiores tragœdias excitare, lamenta producere, futiles laudes excogitare; & tandem ita ruſticum, & opilionem lamentari, & extollere, ac ſi Hectori funus duceretur vide Bellonium loco citato.

b lib. 2. de medicato funere.

Capvt XIV.

Ad locum 2. Reg. c. 1.

Saul, & Ionathas amabiles & decori in vita ſua, velociores Aquilis, Leonibus fortiores.

Laudes mortui à quibus celebrari ſolitæ: ſolemnis laudatio primùm vt inſtituta: qui laudati, à quibus, & in quo loco: in Christiana Eccleſia funebrium laudationum vſus maximè ſemper receptus: laudari non omnes paſſim in Romana Republica potuiſſe, cur ea in re tanta cautio.

Sopran. in Dauid.

MAximam partem huius *ſuper mortuum lamentationis*, laudes ſibi defuncti vendicabant; quæ antiquitus apud Hebræos, & alios inter ipſos eiulatus, & fletus miſcebantur: deinde verò ſeorſim propria ad id dicata oratione celebrari cœperunt. Illud conſtat: quia vbicunque mentio præficarum, & lamentatricium; etiam de laudibus defuncti, ab iiſdem celebratis adiungitur: vt ex dictis patet & clarum eſt ex lamentatione Dauidis ſuper Saul [c], & Ionatham & iterum ſuper Abner [d].

c 2 Reg. c. 1.
d ibid. c. 3.

Similiter apud Romanos Neulus in Frero. *Hæc quidem hercle opinor Præfica eſt: nam mortuos collaudat.* Verum cum vt ſæpiùs dixi laudes iſtæ Præficarum nugæ plerumque eſſent nugaciſſimæ; inſtitutum eſt, vt ſeorſim propria oratione defunctus præſente & *collocato* cadauere laudaretur: & inde ortus funebrium laudationum. Quæ appellatio adeo huic muneri congruere viſa eſt; vt ipſum *laudandi* vocabulum ſimpliciter vſurpatum, de hac funebri commendatione potiſſimum intelligeretur. quia nimirum, tunc tantum rectè quiſque laudari poteſt; cum vita & fato functus iam metas tenet; in curſu enim ipſo adhuc anhelans, & incertus ſui, vnde laudetur? meritò ergo hos tantum laudandos eſſe nos monet Sapiens [e]. *Ante mortem*, inquiens, *ne laudes quemquam.*

e Eccl. c. 11, 30.

Hæ verò laudationes an apud Hebræos tam ſtatæ, & ſolemnes fuerint, non ita certum. certiſſimum tamen eſt illas in Chriſtiana Eccleſia ſemper; & à Romanis, & Græcis ab ipſis vſque antiquiſſimis temporibus vſurpatas. Dixi non ita certum, an apud Hebræos: quod intelligo non de *laudatione ipſa*; ſed de iis, quæ cum illa deinceps apud Chriſtianos adiuncta: vt certo in loco, certo tempore, à certis perſonis haberetur. nam laudatos quoque mortuos ſolemni aliquo, & recepto more apud illos; tam certum eſt, quàm quod certiſſimum: quod tamen vt dixi ſimul cum ipſa lamentatione, & eiulatu muliebri confundebatur. Chriſtiani verò religioſa ceremonia diſtinxerunt.

Apud quos primò ritus iſte contrario penè modo ſeruari eſt cœptus; quàm apud Romanos: iſti enim viros tantum à principio laudare inſtituerunt; nec tamen omnes; ſed claros dumtaxat & qui togati aut armati Reipublicæ profuiſſent: at apud noſtros prima omnium quæ laudata in funere ſuo legitur Beatiſſima Virgo eſt; vt quæ nimirum omnium maximè laude digna erat; prima quoque omnium laudaretur. Sic refert Beatus Damaſcenus in oratione de Dormitione B. Virginis ex verbis Dionyſij Areopagitæ de Diuinis [f] nominibus, Apoſtolos omnes pro ſe quemque illa defuncta religiosè certaſſe; vt alius alium in ipſius laudibus & diuino numine extollendo ſuperaret. At Romani aliter: de quibus Plutarchus in Camillo refert; cum magna auri inopia (bello oppreſſa Ciuitate) laborarent, ſponte mulieres ex condicto mundum omnem muliebrem contuliſſe: vt ex illo conflato publica res iuuaretur. Ob id Senatum ſanxiſſe, vt quicquid tunc liberaliter obtulerant meliore Reipublicæ tempore; illis perſolueretur: præterea autem in gratiam accepti muneris; vt defunctæ perinde publice laudarentur, vt viri ſolebant. *Ante enim*, inquit, Plutarchus *mulierem publicè laudari mortuam, receptum non fuit.* Pulchrè hoc, & ſapienter viſum illis eſt tunc maximè laude

f Cap. 3.

dignam eſſe mulierem; cùm id Reipublicæ cauſa negligit, propter quod appetit ipſa magis laudari; quod eſt formæ bonum, & pulchritudo; quam tunc maximè ſibi negligere videtur; cum cultum, & ornamenta abiicit, quibus forma iuuatur. Vnde & B. Virgo hoc quoque nomine debuit eſſe prima laudata; quod aurum omne ſuum conflauerit, contulerit, addixerit ad ſalutem mundi laborantis, aurum illud optimum quod Chriſtus erat; & in quo omnia ipſius ornamenta continebantur; ſi enim quilibet filius *ſapiens corona eſt & ornamentum matris ſuæ*. Quantò magis Chriſtus B. Virginis? Porro meminerat quoque ante Plutarchum Liuius [a] huius honoris mulieribus à Romanis habiti: ſed alia illius cauſa allata *matronis*, inquit, *pro auro ad liberandam à Gallis Romam collato gratiæ actæ ſunt; honoſque additus; vt earum ſicut virorum poſt mortem ſolemnis eſſet laudatio.* Plutarchus enim dicit id accidiſſe oppreſſa Ciuitate Veientano bello; cum deeſſet pecunia ad milites ſuſtentandos & alia bello opportuna paranda: at Liuius cum pactam mercedem, vnde ſoluerent non haberent; qua Romani libertatem à Gallis fœda pactione redemerant vtcunque ſit; verecundiam certè in hoc Romanarum fœminarum licet admirari; quæ totos trecentos annos hoc honore ſpōtè caruerint, quem illis ſenatus, Populuſque conceſſerat. nam prima quæ laudata eſt Popilia fuit trecentis annis poſt decretum illud ſenatus, fato defuncta. Cicero de oratore [b]. *In eo quidem genere ſcio, & me, & omnes qui affuerunt delectatos eſſe vehementer; cum abs te (Catulum alloquitur) eſt Popilia mater veſtra laudata; cui primum mulieri hunc honorem in noſtra Ciuitate tributum puto*, Vltrò ergo ceſſerunt poſteriores fœminæ gloriæ; ne illarum ipſæ meritis inferiores eſſent. illæ enim honoré hunc pepererunt, iſtæ verò ab aliis partum non vſurparunt. Nec minus fortaſſe ſit in fœmina honorem benè merendo parere; quam modeſtè recuſando negligere. Certatum eſt ergo inter ſenatum illum domitorem Orbis, & cœtum mulierum Romanarum: ille ornamenta virorum propria mulieribus virili virtute, & animo rem Romanam iuuantibus communicabat: iſtæ ne vlla fœmina Romano viro æquaretur eadem repudiabant. Recte autem prima quæ id admiſit fuit mater à filio: quia ſi cedendum erat, par erat, vt animi magnitudo pietati cederet: & ſi quis expugnare debebat obſtinatam animi demiſſionem filius hic eſſe debebat. æquum enim erat filium omnia perrumpere vt laudaret matrem, & iuſtum quoque matrem aliquid de profeſſa moderatione remittere, vt laudaretur à filio. Prima ergo mulier apud Romanos laudata fuit mater à filio & prima in Eccleſia laudata fuit mater à filiis B. Virgo ſcilicet ab Apoſtolis.

a Lib 5.

b De orat. lib. 2.

Aduertendum porrò rectè Liuium Matronis hoc tributum dixiſſe; nam cum iunioribus id à principio non erat communicatum. Plutarchus in Cæſare. *Enim verò prouectiores mulieres in funere laudari moris antiqui apud Romanos fuit: primus Cæſar vxorem ſuam, cum iuniores laudari non eſſet receptum, mortuam oratione funebri eſt proſecutus.* Contra verò in Chriſtiana Republica omnibus hic honor habitus quæcunque enim clara virtute, & meritis excellebant laudabantur. ſic Diuus Hieronymus prouectæ ætatis Paulam, & Marcellam laudauit: & primis adhuc in annis extinctas Aſellam, Bleſillam & Lætam. Sic etiam B. Ambroſius Agnetem in ipſo ætatis flore martyrio glorioſe defunctam. Nec quicquam intereſt quod laudationes iſtas illis ſcripſerint, non dixerint, perinde enim ſcripſerunt; quaſi ad ſepulchrum dicerent; vnde, & quotannis in inſtauratione exequiarum repetebantur. tunc enim omnia non aliter fiunt; ac ſi recens defuncta eſſet efferenda; cadauere ritè expoſito, & *collocato.*

At poſſit aliquis non immeritò ſpudſe quærere; vnde antiquis & Romanis maximè tantum otium, vt hæc tam minuta curarent, nec niſi ex ſenatus conſulto quémquam laudari publicè permitterent. Verùm id vt alia ſapientiſſimè: neque enim vnquam illa minuta putarunt ex quibus magnarum rerum momenta pendebant. Etenim ſi cuique quemcunque publicè laudare pro arbitrio licuiſſet; periculum planè erat; ne infinita mendaciorum ſeges vndique proueniret; quibus hiſtoria, & monumenta publica confunderentur. quod tamen periculum; nec etiam hac cautione potuit auerti. queritur id Cicero in Bruto. *Quamquam his laudationibus hiſtoria rerum noſtrarum eſt facta mendoſior: multa enim in eis ſcripta ſunt, quæ facta non ſunt; falſi triumphi; plures conſulatus, &c.* Et Liuius [c] *vitiatam memoriam funebribus, laudationibus reor falſiſque imaginum titulis.* Vt ergo huic incommodo obuiam iretur rectiſſimè ſancitum eſt; ne etiam laudationes iſtæ ſine publico ſuffragio fierent: quin etiam cautum nec laudes in cuiuſquam ſepulchro inciderentur, niſi quas electus ad id magiſtratus ſuo calculo comprobaſſet, vt tradit Cicero 2. de leg. Simile quid etiam in Hebræa Republica ſeruatum puto, mulieres enim in portis laudari ſolitas vbi publici conuentus & magiſtratus agebant conicere poſſumus ex capite vltimo Prouerbiorum vbi fortem fœminam cum laudandam, & prædicandam dixiſſet à viro & filiis, tandem concludit. *Date ei de fructu manuum ſuarum & laudent eam in portis opera eius.* In portis enim conuentus omnes fiebant, & iudicum tribunalia ſtatuebantur: propterea autem dicit *opera eius*, vt ſignificet veram laudationem futuram, & non ex aliorum mendaciis concinnatam, & rectè apud Ægyptios Hebræis finitimos non ſolum alios, ſed nec ipſos Reges defunctos ſine publico calculo laudare fas erat. Diodorus [d] Siculus. *Hoc tempore quæ ad pompam funeris ſpectant præparatis; poſtrema die corpus in arca conditum ante ſepulchri aditum ponunt: ibi breuiarium in vita à Rege geſtorum de more recitant, volentique facultas datur defunctum accuſandi. adſtant ſacerdotes mortui rectè facta laudantes, populus is permagnus eſt qui exequias circumſtat: applaudit veris laudibus; in reliquis magno reclamat tumultu: quo accidit, vt plures Reges, repugnante multitudine, ſolito caruerint ſepulturæ honore qui timor coëgit Ægypti Reges iuſte viuere; & hoc illud eſt* quod comminatur impio B. Iob. [e] *Memoria*, inquit, *illius pereat de terra, & non celebretur nomen eius in plateis.* id eſt vt ibi Philippus preſbiter interpretatur. *defunctus impius publica laudatione careat, quæ in plateis & portis Regibus, & aliis tribunalibus præſidentibus iuſtis ſolebat conferri.* Et hæc de iis qui laudati: at vbi laudabantur.

c lib. 2.

d lib. 2. Bibliot. c. 3.

e Cap. 18. 17.

Secundò ergo in eodem loco laudationes iſtæ habitæ; vbi, & cadauer ritè locatum colligo, quia præſente adhuc, & ex more expoſito cadauere, defuncti laudabantur. Metaphraſtes ad hunc morem alludens in oratione de Sanctiſſimæ Virginis obitu narrat ad illius exceſſum Angelos adfuiſſe,

fuiſſe; qui puriſſimo corpore prius de more abluto, & deinde collocato Angelorum Dominam Angelicis plane laudibus celebrarunt. Poſt quos Apoſtolos omnes antequam corpus ex Sion afferretur ordine quemque ſuo laudationem ſuam peregiſſe. huc etiam alluſiſſe non dubito B. Hieronymum verbis iſtis in vita Fabiolæ. *Nec dum ſpiritum exhalauerat, nec debitam Chriſto reddiderat animam etiam fama volans tanti prænuntia luctus, totius vrbis populum ad exequias congregabat. Sonabant pſalmi, & aurata tecta templorum reboans in ſublime quatiebat alleluia: hic iuuenum Chorus, ille ſenum qui carmine laudes fœmineas, & facta ferat.* Clarè autem D. Ambro-
a Oration. 1. in 5. Satyr. ſios[a] in prima oratione de fratris obitu ſignificat ipſius corpus fuiſſe præſens; dum ad circumfuſam omnium ordinum multitudinem illum ex more laudaret. *In hoc,* inquit, *corpore, quod nunc exanime iacet præſtantior vita mea functio eſt: quia in hoc quoque quod gero corpore vberior tui portio:* Et paulò poſt. *Non libet enim abire à fratre longius, & occupatione ſubduci: cum velut comitandi eius gratia hic ſermo ſuſceptus ſit: vt diutius ſenſu proſequar proficiſcentem; & quem oculis teneo mente complectar; in illo enim totam oculorum aciem figere libet*, &c.

At de Romanis præſertim in vetere Republica, teſtatiſſimum omnino eſt præſente adhuc corpore has laudationes habitas. Polybius lib. 6. indicare videtur eos qui laudandi erant pro roſtris ſtatutos, & erectos in conſpectum totius concionis datos. Et Marcus Antonius Cæſarem laudaturus; cum corpus ipſius non haberet, illius ſimulacrum produxit; quod in ferali lectulo locatum, & obiectum populo. Ea etiam arte compactum vt in omnem partem verſatile, inflicta Cæſari vulnera repræſentaret; Mirum eſt quan-
b lib. 5. Rom. antiquit. tas deinde Tragœdias excitauerit. Dionyſius[b] autem hæc de Valerio Poplicola qui primus mortuum Brutum libertatis auctorem laudauit pro roſtris. *Poſtera die atratus* (Poplicola) *Bruti corpus in foro propoſuit ſplendidè in lecto ornatum, populumque ad concionem conuocauit; & ſuggeſtu conſcenſo in eius laudem habuit funebrem orationem.*

Ex his porrò colligimus locum harum laudationum fuiſſe quidem apud noſtros ſacras baſilicas, & ipſas Eccleſias celebriores; apud Romanos vero iam fori partem, quæ *Roſtra* dicebatur; at apud Hebræos ſi quæ huiuſmodi laudationes erant, *portas* ipſas Vrbium noſtri enim clarorum virorum; & mulierum corpora illis in locis ritè exponebant, & collocabant, vt conſtat ex D. Ambroſio[c] Gregorio[d], Nazianzeno & Euſebio[e]
c Orat. 1. in S. Satyr. Cæſarienſi. At Romani quos laudaturi erant in
d Orat. in D. Baſil. & in vita S. Cæſar fratr. foro collocabant. Dionyſius[f] Halicarnaſſeus de Appio Decemviro qui in ius vocatus ſibi manus intulerat. *Allato,* inquit, *in forum cadauere*
e In laudat. Conſtant. Imperat. *filius eius adiit Tribunos, & Conſules petiitque vt ſibi populum ad concionem legitimam conuocare liceret; ſibique in ea more maiorum, & ex populi*
f lib. 9. *Romani conſuetudine patrem funebri oratione ornare permitterent, qua in viros bonos haberi ſoleret.* Quo autem meliùs exaudiretur *Roſtra* aſcendebant; locum editum, & ad concionem alloquendam accommodatum; ſic dictum, quod ea hoſtium naualium manubiis extructus, & ornatus eſſet. quem contra è regione qua cadauera col-
g lib. 1. bell. ciuil. locabantur: idcirco pro roſtris poni dicebantur, & pro roſtris laudari. Appianus[g] de Syllæ fune-

Sepran. in Dauid.

re. *Pro roſtris deinde in ſuggeſtu poſito cadauere funebrem orationem habuit vir eius ætatis eloquentiſſimus,*

Vlteriùs autem ex his conſtare poteſt qui maximè laudationes iſtas haberent: erant enim viri & ipſi clariſſimi; ſi minus geſtorum gloria, at certè genere, aut eloquentia, & defuncto ipſi ſanguine magis, aut beneuolentia coniuncti: ſic Nazianzenus ex noſtris fratrem Cæſarium laudauit, & Baſilium quem, vt alterum fratrem diligebat: ſic Ambroſius fratrem Satyrum. Et apud Romanos laudabant patres filios, filij patres. Polybius[h] de ritibus in funere ſeruari ſolitis agens h lib. 6.
Circumfuſa autem populi corona in roſtra aſcendit filius; ſi quem puberem reliquerit; ſin minus propinquus de emortui virtutibus dixerit, rebuſque præclare geſtis. Plutarch. in Fabio maximo. *Fabius cum hunc filium amiſiſſet, dolorem, vt vir prudens, & pius pater tulit moderatiſſimè: orationem quam habent in clarorum funere propinqui, ipſe in foro dixit, quam poſtea edidit.* At de Tiberio narrat Suetonius, *nouem annos natum* (ſcilicet adhuc impuberem) *defunctum patrem pro roſtris laudaſſe;* ſi autem propinqui deerant; qui rectè poſſent id muneris obire: tunc alij in eorum locum ſubrogabantur, qui eloquentia, & dignitate magis excellerent. Sic Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus magnum Conſtantinum laudauit; Ambroſius Valentinianum Imperatorem: Gregorius Meletium Antiochenum vt Socrates[i] narrat ſic Syl- i lib. 5. hiſtor. Eccleſ. cap. 9.
la ab eloquentiſſimo illius ætatis laudatus eſt; cum filius propter ætatem nondum illi muneri aptus eſſet. Et hæc de laudationibus & iis qui laudati; à quibus, vbi, & quibus de rebus.

Capvt XV.

Ad locum Marci 15. v. 46.

Ioſeph autem mercatus ſindonem, & deponens eum inuoluit ſindone & poſuit eum in monumento.

Cadaueris amictus ſepulchralis quibus apud Hebræos conſtaret: ſindones inſtitæ, ſudarium, ad quid ſingula? huius an apud Gentiles & Romanos aliquis vſus: vincula mortis & funes Inferni Dauidi quid? Lazari ſuſcitatio, & Tabitha, collata & explicata.

FEralis amictus, vt ſupra dixi, duplex erat; alter ad collocandum, & exponendum cadauer; alter ad ſepeliendum de illo iam dictum; de ſecundo hoc capite dicturi ſumus. Fuiſſe ergo inter vtrumque diſcrimen aliquod conſtat primo; quia ille erat maximè ad defuncti corpus ornandum; hic verò etiam ad ſeruandum: ille vt oculos aſpectantium detineret; vel certè vt deforme minus illis cadauer obiceret; hic etiam vt corpus ipſum diutius tutaretur. Secundò ille non totos plerumque cum cadauere condebatur; hic ſimul cum illo, vel cremabatur, vel ſepulturæ dabatur: propterea Dauid de illo loquens[k] dice- k Pſal. 48.
bat, *Cùm* (dixit) *interierit non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius* nam *gloriam* præter alia etiam appellauit cultum vndique refulgentem in quo exponi diuites ſolent ad publicum ſpectaculum. Clarè autem vtriuſque diſcrimen

diſpicitur io Lazari & Tabithæ funere. nam Tabitha amicta tantum erat primo veſtitu ferali; ſimiliter, & viduæ Naimitæ filius: at Lazarus veſtibus indutus erat planè ſepulchralibus; ſindone incluſus, inſtitis obligatus, facia ſudario protectus; quorum nulla mentio in Tabitha, & filio viduæ. Cur id? quia nimirum hi ambo veſtiri tantum erant ad ſolemnem *collocationem*: non Lazarus iam ſepulturæ datus ad humationem: propterea cùm eſt hic Chriſti imperio vitæ redditus; plura miracula interuenere; in illorum autem ſuſcitatione non item. Sic
a Act 9.40. enim de Tabitha habetur [a]. *Eiectis omnibus foras Petrus ponens genua orauit; & conuerſus ad corpus dixit Tabitha ſurge: at illa aperuit oculos ſuos, & viſo Petro reſedit; dans autem illi manum erexit, eam.*

Aperuit, inquit, oculos & vidit Petrum; non ergo ſudario facies eius obuoluta; tum reſedit: non ergo linteis, & ſindone erat incluſa. denique apprehenſa manu Petrus illam erexit. non ergo ligatas manus & pedes habebat. vnum ergo hic tantum miraculum quod vitæ reſtituta fuit: at in Lazaro præter hoc; illa etiam, vidiſſe eum circumſtantes, & quo greſſus dirigeret oculis obuelatis; erexiſſe ſe, linteo circumuolutum; ambulaſſe denique pedibus reuinctis.

Primò ergo inter has ſepulcbrales veſtes,
b Cap.27.59 *lintea & ſindones* fuere; de quibus Mattheus [b].
Accepto corpore Chriſti, *Ioſeph inuoluit illud in*
c Cap.15 46. *ſindone munda*, & Marcus [c] *Ioſeph autem mercatus ſindonem, & deponens eum inuoluit ſindone &*
d Cap.23.53 *poſuit eum in monumento.* Quod idem Lucas [d] refert. Qualis autem, & ad quid eſſet ſindon iſta, non difficile eſt diuinare. Puto enim fuiſſe velum lineum, quo totum defuncti corpus obuoluebatur: tanta ſubtilitate; vt corpori intimè hærens membra, & artus aſtringeret non tamen omnino oculis abſconderet. Illius autem vſus, maximè ad vnguenta retinenda quæ corpori illinebantur; vt indicat in Chriſti Domini ſepul-
e Cap. 19.42 tura B. Ioannes [e]. Acceperunt, inquit corpus Ieſu, & ligauerunt, *illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire.* Ex quo loco ſuſpicor duplicem ſindonem ad hoc funebre officium in vſu fuiſſe; alteram quæ intimè, & proximè nudum corpus obuolueret: alteram qua cadauer ipſum aliis iam veſtibus ornatum exciperetur. Illa maximè erat ad vnguenta corpori applicanda; & ad artus collabentes ſtringendos & firmandos: hæc verò ad totum corpus ornatum iam & feraliter amictum circumtegendum: prima ſindone non prohibebatur cadauer, quin reliquis quoque veſtibus indueretur, ſicuti viuentes ſolent. à ſecunda ita totum corpus cum ſuis veſtibus circumplicabatur; vt rudis tantum ſarcina, & veſtigium corporis appareret potius quam corpus. primæ illius ſyndonis meminit Herodo-
f lib.2. tus [f] vbi de Ægyptiorum ſepultura. *Cadauer vbi abluerunt ſindone byſſina totum inuoluunt gummi illinentes; quo, & ipſi glutinis loco plerunque vtun-*
g Iliad.13. *tur.* Et Homerus [g] de Patrocli funere.

In lectum autem imponentes linteo ſubtili texerunt
Ad pedes à capite deſuper autem alba veſte.

Clarè enim hîc vterque ſignificat ſindonem iſtam non prohibuiſſe veſtitum reliquum. Metaphraſtes de obitu B. Virginis. *Mundis ſindonibus mundum corpus inuolutum rurſus in lecto ponitur cum lucernis, & vnguentis; intelligentibus quidem deſuper laudantibus virtutibus; Apoſtolis autem & diuinis Patribus Deo digna cantica canentibus, &c.* Prima ergo iſta ſindon non erat propria ſepulchralis: quia non tantùm ad ſepeliendum, ſed etiam ad collocandum cadauer in vſu erat: ſecunda verò magis propriè ſepulchralis. Spectatum enim iam ſatis, & expoſitum corpus illa totum circumtegebatur; vt aliorum oculis ereptum ſepulturæ daretur. in quo habitu proceſſiſſe ex monumento Lazarum non obſcurè indicat B. Ioannes loco citato; & in eodem multa martyrum corpora ſepulta ex eorum actis habemus; inter Cyriaci, & ſociorum; de quibus hæc in geſtis Marcelli Papæ. *Eorum corpora Lucina nobilis fœmina lineis velis inuoluta, & pretioſis vnguentis condita tranſtulit, &c.* Quod eſſent autem hæ ſindones corpori vniuerſo ſuperiectæ, vocat ea, *lintea prætenſa* Prudentius in Hymno de exequiis mortuorum ſæpiùs laudato.

Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos eſt,
Aſperſaque myrrha ſabæo
Corpus medicamine ſeruat

Quæ verba licèt Cardinalis Baronius [h] intelligat de velis feretro inſterni ſolitis. mihi tamen — h To 1. ſub annum 34.
probabilius eſt de hac ſindone ſepulchrali accipi debere. Velum enim illud, quo hinc, & inde dependulo, & fluenti feretrum ſternebatur; non lineum, ſed ſericum, vel ex alia ſimili materia confectum erat: præſertim in exequiis celebrioribus de quibus ſermo nunc eſt Prudentio; vt conſtat ex D. Hieronymo in vita Bleſillæ: præterea non ad vnguenta cadaueri applicanda deſtinabatur quod vtrumque Prudentius his linteis attribuit. Simul enim *lintea* prætenſa dicit, & ſubdit quaſi rationem *myrrham* cadaueri ſeruando aſperſam.

Secundo loco erant *inſtita* quæ quid eſſent ex qua materia, & ad quid facilè nobis inſinuabunt quæ de ſindone proximè diximus; erant enim faſciæ & longæ tæniæ ex lino confectæ, & ad mortua membra colliganda ne tabe tam citò diffluerent. propterea D. Ambroſius. in oratione [i] — i Quæſt.1. in S. Satyr.
de fide reſurrectionis eas *vincula* ſimpliciter appellat & D. Auguſtinus de conſenſu [k] Euangeliſtarum eas cum linteis confundit quibus B. Ioannes refert Chriſti corpus adſtrictum, & obuolutum. — k lib. 4.
Duplicem porro illarū vſum fuiſſe conicio. Primò quidem ad totum corpus obuoluendum, & circumplicandum: vt ſcilicet membra labentia, & vitæ retinaculo abrupto penè inter ſe ſoluta conſtringerentur, nimirum quo ſimilior eſſet ex omni parte morti natiuitas, & ortus reſponderet occaſui; vix natus homo faſciis obſtringitur, & mox mortuus inſtitis illigatur. hic porro communiſſimus vſus in diuitibus, etiam peculiarem alium habebat; vt aromata aſperſa corpori, & ſindone ad illud applicata, his vinculis diutius retinerentur. Propterea Prudentius in Apotheoſi contra Ebionitas vbi diſſerit de Lazari ſuſcitatione has inſtitas *redolentes* appellat.

Stat dominus; nomenque ciet frigentis amici
Nec mora funereus reuolutis rupibus horror
Emiſit exequias gradiente cadauere viuas
Soluere iam lata redolentia vincla ſorores.

Secundò verò, hæ inſtitæ propriè erant ad pedes, & manus alligandas quia enim vt diximus totum corpus mox condendum ſindone obuoluebatur: ne quis motus indecorus fieret ex fortuito pedum, & brachiorum agitatione; dum huc illuc

traſferebatur

tranſferebatur, vincula[a] hæc illi nectebantur.

Et ex his ſedari poteſt diſſenſio aliqua quæ prima ſpecie apparet inter B. Ioannem, & alios Euangeliſtas. illi enim Chriſti corpus Sanctiſſimum ſindone vnica obuolutum narrant: at B. Ioannes oon vna ſed pluribus exceptum, & illigatum dicit. Etenim illi cum linteum dixerunt ſindonem intellexerunt, de qua propriè loquebantur; at B. Ioannes *lintea* cum dixit, etiam *inſtitas* complexus eſt, quibus ſindon ipſa aromatibus infarta toti corpori alligabatur. vt clarè ex his illius verbis colligi poteſt. *Venit*, inquit, *& Nicodemus ferens mixturam myrrhæ & aloes quaſi libras centum.* & deinde de Ioſepho adiungens ſubdit. *Acceperunt ergo corpus Ieſu, & ligauerunt eum linteis cum aromatibus ſicut mos eſt Iudæis ſepelire*, ad quem locum hæc notat Auguſtinus[a]. *Non quod alij Euangeliſtæ vna ſindone à Ioſeph inuolutum dixerunt, prohibuerunt intelligi, & alia lintea potuiſſe afferri à Nicodemo, & ſuperaddi; vt verum narraret Ioannes; quod non vno linteo; ſed linteis inuolutum ſit, quamuis & propter ſudarium, quod capiti adhibebatur; & inſtitas, quibus totum corpus alligatum eſt; quia omnia de lino erant; etiam ſi vna ſindon ibi fuit, veriſſimè dici potuit, ligauerunt eum linteis.* hæc B. Auguſtinus ex cuius reſponſione clarè conſtat primò, apud Iudæos plures fuiſſe ſindones ſepulchrales, vt paulò ante diſſerui ſecundò inſtitas adhibitas non ſolùm ad manus, & pedes ſed ad totum corpus quod indicat etiam Iuuencus in Hiſtoria[b] Euangelica vbi de Lazaro.

a lib. 3 de conſ. Euang. c. 24.

b lib. 4.

Nec mora: connexis manibus, pedibuſque repente
Procedit tumulo vultum cui linea texta
Et totum gracilis connectit faſcia corpus.

Noo enim ſolùm dicit proceſſiſſe Lazarum manibus pedibuſque reuinctis; ſed addit gracili faſcia totum corpus circumligatum. *gracilem* autem appellat quia ex lino, & tenuiſſimo. Ad fluentia autem membra in mortuo corpore firmanda adhibitas; indicat etiam Herodotus[c] loco citato; vbi de Ægyptiis, quibus in hoc perſimiles valde Iudæi; curato eorum, ſecto, & aromatibus perſperſo, infarto, & delibuto cadauere dicit totum *ſindone byſſina & ſciſſis loris* inuolutum. quod poſtremum valde dubito; ne ſit à Laurentio Valla immutatum; *& lora* poſuerit pro *lineis vinculis*.

c lib. 2.

Porrò ad has inſtitas manifeſtam alluſionem fieri exiſtimo in prouerbiali illa dicendi formula ab Hebræis paſſim vſurpata; cum dicunt. *A vinculis, funibus, & laqueis mortis quempiam liberatum*: qua ſignificare volunt extremo periculo defunctum, & ex ipſis mortis faucibus ereptum: aut cum in ſupremo diſcrimine verſantem *mortis vinculis, & funibus apprehenſum* dicunt. nam & toſtitæ iſtæ à D. Ambroſio, Auguſtioo, & aliis *mortis vincula* nuncupantur, & antiqua gloſſaria appellant *vincula ſepulchralia*: Præterea apud alias gentes ſimilis quoque habetur tranſlata locutio ad extremum periculum, quod quis euaſerit deſignandum: nam & apud Italos, ſi quis ex periculoſo, & deplorato morbo conualuerit dicitur ex ipſo feretro fuiſſe ſublatus; & apud eoſdem, & Hebræos ab *inferis* id eſt ſepulchro, quo penè iam quis conditus fuerat, liberatus? qua de re pluribus à nobis alibi[d] ad illa verba *præoccupauerunt me laquei mortis.*

d lib. 2. Reg. 22.

Tertium ſepulchrale operimentum *ſudarium* erat; cuius vſus maximè viuentibus opportunus, mortuos etiam eſt proſecutus; illis enim ad ſudorem tergendum aſſumebatur; vnde & appellationem ſortitum eſt, iſtis verò adhibebatur ad faciem, & totum caput obnubendum vt indicat B. Ioannes[e] de Lazaro *& facies illius ſudario erat ligata* & rurſus de Chriſto[f] *venit ergo Simon Petrus ſequens eum* (Ioannem) *& introiuit in monumentum, & vidit linteamina poſita, & ſudarium quod fuerat ſuper caput eius; non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim inuolutum in vnum locum.* Quorſum autem hoc etiam in tegumentum cadaueri iniiceretur non immerito quæri poteſt. Nam videbatur ſatis ſuperque duplici ſindone ex omni ſui parte coopertum: cum præſertim ſecunda ſindon totum corpus exciperet, & à capite ad plantas vſque protenſa vndique obuolueret. Quid ergo ſudario opus erat, quo facies & totum caput ſeorſim obtegeretur; iterum larga ſindone circumuelandum. Quid hic autem aliud dici poſſit non video: niſi quod ſuccurrit admirari priſcorum exquiſitum ſtudium in mortuis curandis; quo iam ſollieiti erant ne in aliquo deeſſent; vt vellent prorſus in ſuperuacuis abundare. niſi etiam illud malimus; compoſuiſſe illos mortuos; perinde quaſi ſomnum capturi lectulum concederent. qui autem cubitum ſe conferunt; præter lintea & ſindones quæ totum corpus excipiunt; alia etiam capitis tegumenta induunt; quod in infantibus maximè cernitur, quibus facies ipſa cooperitur tenuiſſimo velo; vnde culices, & alia infeſta animalia arceantur. quo igitur mortui corpus ſpeciem planè dormientis; & recens nati referret, nec hoc faciei, & capitis operimento carere voluerunt, propriè autem ad id ſudarium aſſumptum exiſtimo, & non aliud velamenti genus; vt ſignificarent tempus illud eſſe, ſudorem planè tergendi; quam ad illam horam antequam ventum ſit, vix aut nunquam licet penitus abſtergere, ſemper enim dum viuitur ſupereſt laboris aliquid & defatigationis exantlandum; & propterea ſudor eſt ſemper aliquis detergendus: vnde fruſtra ſiccatur, iterum, & vberiùs etiam erupturus; at in morte tacta meta, finito curſu[g], *Amodo cùm dicit ſpiritus vt requieſcant à laboribus ſuis*; tutò iam, & ſecurè poteſt ſudor omnis abſtergi; cum iam nullus timeatur labor à quo poſſit ille amplius excitari.

e Cap. 11.

f Cap. 20. 6.

g Apoc. 14. 13.

Porrò vſum etiam aliquem ſudarij in mortuis apud Gentiles fuiſſe ſuſpicor ex eo, quod narrat Suetonius[h] de Nerone, fugientem illum ab vrbe penulam obſoleti coloris ſuperinduiſſe: adopertoque capite; & ante faciem obtenſo ſudario equum inſcendiſſe; quatuor ſolis comitantibus ſubdit verò hoc in tali fuga *ominoſum habitum*; Cur id? quia habitus ille mortuorum proprius, nec obſtat mortuos ſuos cremaſſe Romanos: nam ſi quos non cremabant, hoc habitu condebant, & quos cremabant, potuerunt prius fortaſſe iis faciem ſudario obuelare.

h Cap. 48. in Nerone.

Atque ex his quis linteorum, & ſindonum vſus apud Iudæos in hoc ferali miniſterio eſſet clarè conſtare poteſt, mortuos enim ablutos, & aromatibus perſperſos ſindone primum tenuiſſima obuoluebant; qua aromata ipſa excepta corpori penitus applicabantur: ſindon verò ne deflueret ſubtiliſſimis etiam faſciis corpori alligabatur: Inde ſuis veſtibus & pretioſiſſimis mortuus indutus ornatus, & ritè collocatus, diu ſpectandus

Sopran. in Dauid.

ctandus exponebatur: ſubinde ſudario facie protectus: vt ne ab importunis animalculis læderetur, inde cum ſupremùm coodendus eſſet ligatis manibus, & pedibus ouis inſtitis; & veſtibus detractis quibus ornatus fuerat; ſi quæ detrahendæ erant: faciem caputque Sudario obnuptus, iogenti ſindone circumplicabatur, quia totus vndique cinctus; nollum iam amplius cum mortalibus mortuus ipſe commercium habiturus ſepulchro, vel alio conditorio occludebatur.

SECVNDA PARS

DE RITIBVS FVNEBRIBVS, QVÆ EST DE funere ipſo & pompa exequiarum.

CAPVT PRIMVM.

Ad locum 2. Par. 32. 33.

Dormiuitque Ezechias cum patribus ſuis & ſepelierunt eum ſuper ſepulchra filiorum Dauid, & celebrauit eius exequias vniuerſus Iuda.

Funeris vocabulum quot modis in ſcriptura & apud alios vſurpatum: ex eo Geneſis & Numeri illuſtrati: propriè elationem cadaueris per illud ſignificari: minus propriè à noſtris, & aliis pro ipſo cadauere poni ſolere: funeris etymon vnde deriuatum.

AGturi nunc iam ſumus de funere ipſo in ſua maximè propria ſignificatione ſumpto. Large enim acceptum hoc vocabulum ea omnia complectitur quæ ad corpus defuncti curandum pertinent, donec ſepulturæ mandetur: at in ſua maximè propria notione *ſolemnem deductionem cadaueris ad ſepultura locum*: quæ funus latinè dicta à funalibus, quibus celebrata. In priori ſignificatione accipitur funeris vocabulum
a Cap. 6. 24. in Numeris [a] vbi de Nazaræis. *Nec ſuper patris quidem, & matris & fratris, ſororiſque funere contaminabitur.* Nec enim hic ſolam cadaueris elationem & exequiarum pompam intelligit: ſed alia omnia, etiam quæ curando cadaueri, & mortuo deflendo adhiberi ſolita; quibus Nazaræum Deus intereſſe vetabat; & hæc omnia etiam noſter Interpres funeris appellatione complectitur
b Cap. 23. 3. in Geneſi [b] vbi de Saræ obitu, *Venit*, inquit, *Abraham, vt plangeret & fleret eam, & cum ſurrexiſſet ab officio funeris*. id eſt cum ea omnia præſtitiſſet circa defunctæ cadauer, illud abluendo, vngendo lamentando, quæ præſtanda erant. Vnde in Hebræo ad verbum eſt, vt notat Oleaſter, *cum ſurrexiſſet à ſuper facie mortui ſui.* Similem quoque ſignificationem habet ſæpius in iure ciuili vbi de *ſumptibus funerum*. nec enim per id tantum intelligitur quod in efferendo cadauere
c l. Si quis ſepulchrum ff. de relig. & ſumpt. funer. fuerit impenſum. Sed id etiam quod quoquo modo in illo curando vnde Vlpianus [c], *funeris*, inquit, *impenſam accipimus quicquid corporis cauſa erogatum eſt; veluti vnguentorum, & pretium loci in quo defunctus humatus eſt; & ſi qua veſtiaria ſunt, vel Sarcophagi, & vectura, & quicquid corporis cauſa conſumptum eſt.*

At propriè funus eſt cadaueris elatio, & deductio. Donatus in Andria *funus eſt pompa exequiarum dictum à funalibus*. Et Seruius [d]. *Funera alij à funeralibus candelis ſeuo, vel cera circundatis dicta cenſent; quod his prælucentibus noctu efferrentur mortui* Iſidorus [e] ad idem *funus*, inquit, *dictum à funibus accenſis quos ante feretrum papyris cera circumdatis ferebant.* Inde autem factum, vt cadauer etiam ipſum hac pompa elatum, aut efferendum, funus ſimpliciter ſit appellatum præſertim apud ſcriptores Eccleſiaſticos, & poſterioris æui Sidonius [f]. *Et quia ſibi maximas humandi funeris partes ipſe præripuit; totum apparatum ſuper currentis impendij, quod ſouenda ſacerdoti competeret impartiens. Idem carmine 16.*
d Æneid. 11.
e lib 20. Origin. cap. 10. lib. 11. c. 2.
f lib. 7. epiſt. 17.

Seu mage funeribus mentē diſtractus humandis.

Iſidorus in g'oſſa. *Funus cadauer defuncti*, quod tamen ab illo laxè nimis eſt pronunciatum: non enim cadauer, quod hac pompa exequiarum cariturum eſſet, funus appellatum. hinc autem intelligimus rationem quarumdam locutioonum, quæ à priſcis, & etiam Eccleſiaſticis auctoribus hac in re vſurpantur: vt cum dicunt *funus procedere, duci, deduci, produci.* tunc enim funus non eſt ipſa cadaueris elatio, & deductio; ſed corpus cui pompa paratur. Hactenus ergo cum egerimus de iis quæ ante ſolemnem elationem cadaueris circa illud procurabantur; quæ funeris appellatione largè accepti etiam continentur: nunc de funere ipſo preſſius agemus, quod cadaueris ſolemni elatione, & deductione continetur in qua hæc nobis conſideranda, & explicanda proponimus, locum, tempus, perſonas apparatum, & feretrum, agminis ordinem; quæ ſingula deinceps diſtinctis capitibus proſequamur.

CAPVT II.

Ad locum Luc. 7.

Cùm appropinquaret Ieſus portæ Ciuitatis: ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ.

Pompa funeris vnde & per quæ maximè loca deducta: celebriores ciuitatis viæ ad id electa: porta in primis, & fora apud Iudæos, & alios: efferri ſimpliciter de quibus acceptum.

PRimo ergo locus in elatione cadaueris conſiderandus; qui triplex; à quo, per quem, & ad quem deductio ipſa fiebat: ordiamur à primo. Ex loco ergo in quo rite cadauer tandiu ad ſolemnem collocatiquem iacuerat; donec ea omnia eſſent peracta, quæ ad eius interim curationem pertinebant: efferebatur deinde magna cum celebritate, & frequentia ad locum vbi vel cremandum, vel ſepulturæ mandandum erat.

Dixi *efferebatur*: quod verbum hac in re maximè proprium: & à noſtro interprete propterea non omiſſum. *Cum* [g] *appropinquaret*, inquis, *portæ Ciuitatis ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ*: retinuit enim hic maximè proprietatem ſermonis: non quod vellet ſignificare cadauer illud extra vrbem aſportatum: ſed quod mortuum ad ſepulturam geſtare, g Luc. 7. 12.

propriè

propriè loquendo eſſet illum *efferre.* Donatus io
And. *Efferri propriè cadauera mortuorum dicun-
tur*, paſſim autem infinita ſuppetunt exempla ex
claſſicis authoribus, quibus efferandi verbum
ſimplicitet poſitum; funebrem hanc deductio-
nem ſignificat. hioc illa. *Virum efferre, natum
efferre.* & ſimilia pro eo quod eſt illos mortuos
ante præmittere,& funerare. Petronius Arbiter
in Satytico. *Matrona quædam Epheſi tam nota
erat pudicitia, vt vicinarum quoque gentium fœmi-
nas ad ſui ſpectaculum auocaret. hæc ergo cum vi-*
a lib. 1. *rum extuliſſet,&c.* & Cicero de oratore [a]. *Cum*
b Act.c.5.6. *caſu in eadem cauſa funere efferretur anus Iunia.*
& idem noſter Interpres [b]. Alibi *ſurgentes autem
iuuenes amouerunt eum, & efferentes ſepelierunt.*
Et paulò pòſt. *Ecce pedes eorum qui ſepelierunt
virum tuum ad oſtium, & efferent te.* id eſt te quo-
que hinc ad ſepeliendum exportabunt.

Fuiſſe autem ſolitos efferri per celebriores
Ciuitatis vias colligere poſſumus ex eodem filio
viduæ Naimitæ apud Lucam. *Cum appropinqua-
ret*, inquit, *porta Ciuitatis ecce defunctus efferreba-
tur.* Apud Iudæos enim celebriores viæ, vt & fo-
ra, & compita io portis erant, & propè portas.
Non tamen omnibus hoc conceſſum puto: ſed
nobilioribus dumtaxat; qualem ex hoc coniicere
poſſumus fuiſſe huius viduæ filium, & ex eorum
ſimul qui comitabantur multitudine, & frequen-
tia nam, & id etiam apud externos ſeruatum.
c lib.2. Met. Apuleios [c], *ecce iam ad vltimum defletus, atque
conclamatus proceſſerat mortuus ritúque patrio; vt
pote vnus de optimatibus pompa funeris publici du-
ctabatur per forum.* per *forum* dicit quæ ſcilicet
io omni ciuitate celebrior pars. per has etiam
nobiliores vias Fabiolæ exequias deductas ſigni-
ficat D. Hieronymus in eius vita. *Audio*, inquit,
*præcedentium turmas, & cateruatim in exequias
eius multitudinem confluentem: non platea, non
porticus, non imminentia deſuper tecta capere po-
terant proſpectantes.* Et Nazianzenus de D. Baſi-
lio cum efferretur. *plena erant fora porticus, du-
plicia, & tripliciatabulata.* At locus in quem ela-
tio hæc, & deductio deſinebat is erat; vbi vel con-
dendum, vel cremandum corpus; nonnunquam
etiam vbi publicè collocandum. nam vt ſupra
monui duplex *collocatio* fuit; vtraque ex more, &
ſolemnis; priuata altera, altera publica: non quod
in vtraque liberum non eſſet omnibus ad mor-
tuum inſpiciendum accedere: ſed quod illa pri-
uata, in priuatis ædibus; hæc publica in publicis
baſilicis celebraretur. fiebat ergo nonnunquam
(præſertim apud Romanos) vt deductio, & elatio
funeris eſſet ad *collocationem* illam publicam;
qua corpus defuncti in forum deportatum ibi-
dem diutius expoſitum iacebat; vt deinde ritè
cremaretur. at apud Iudæos celebrior pompa
funeris erat ex loco publicæ *collocationis* & poſt
illam: vnde corpus eò deinde vbi ſepeliendum
erat aſportabatur: qua ratione Aboeris exequias
d lib.2.c.3. proceſſiſſe colligimus in hiſtoria Regum [d] vbi
pompa ipſa producta vſque fuiſſe ad locum vbi
ille tumulandus erat non obſcurè ſignifica-
tur. an autem locus iſte quò efferre-
bantur ſepeliendi; eſſet intra,
vel extra vrbem infra plu-
ribus agemus vbi de
loco ſepul-
turæ.

Capvt III.

Ad locum Tobiæ 2.

Tollenſque portauit ad domum ſuam occultè: vt cum ſol occubuiſſet, cautè ſepeliret eum.

Funera noctu ne an interdiu producta: apud Hebræos diurna fuiſſe: apud alios variatum: adoleſcentes ante lucem elati apud Græcos; & cur? Romanos cadente in veſperam die ſuos olim produxiſſe. Veſpillones vnde appellati.

De tempore quo efferebantur defuncti ſo-
lum nobis quærendum, an nocturnum il-
lud, an diurnum fuerit; & qua noctis, vel diei
parte. Apud Iudæos ergo certa mihi res eſt diur-
no tempore mortuos efferri conſueuiſſe: colli-
gitur non obſcurè ex filio viduæ claro die ad ſe-
pulturam producto, & ex Actibus [e] Apoſtolo- e Cap.5 6.
rum vbi de Anania, & Saphira. *Surgentes*, inquit,
*iuuenes amouerunt eum. & efferentes ſepelierunt. &
paulò poſt: Ecce pedes eorum qui ſepelierunt virum
tuum ad oſtium, & efferent te. Confeſtim cecidit
ante pedes eius & expirauit. Intrantes autem iuue-
nes inuenerunt illam mortuam, & extulerunt, &
ſepelierunt ad virum ſuum.* Hæc enim omnia non
niſi claro die contigerunt. Similiter Aboeris exe-
quiæ diurnæ [f] ſunt & Iacob ſumma cum totius f lib.2. Reg.
Ægypti celebritate [g] claro die deducitur ad ſe- cap.3.
pulturam. Idem tempus ſeruatum quoque in g Gen.50.
celebrioribus Chriſtianorum funeribus reperio.
nam Fabiolæ exequiæ apud D. Hieronymum
claro die celebrantur. Similiter etiam D. Paulæ
apud eundem; Baſilij & Cæſarij apud Nazianze-
num; Conſtantini apud Euſebium; Satyri apud
D. Ambroſium. Video quid hæc contra afferatur.
Tobiam quos mortuos ſepeliebat, noctu
ſepeliiſſe non ergo perpetuum hoc Iudæis vt
diurna funera haberent. at facilè quiſque videt
quid ſit hic dicendum, funera enim quæ curabat
Tobias raptim, furtimque curabat: nos autem
id cum tradidimus; de iuſto & legitimo funere
locuti ſumus quod ritè in omnium oculis cura-
batur.

At apud alias gentes variatum in eo ſæpe eſt,
Orientales omnes diurna funera celebraſſe ſuſ-
picor ex iis, quæ in toto ſuo opere Apuleius ſub-
inde narrat & Homerus ipſe: diurna inquam, vel
prope diurna; antelucana ſcilicet. Alios enim
omnes claro die elatos: at adoleſcentulos, &
acerbo fato defunctos extrema nocte tenebris
cedentibus Muratus, id ex Euſtratio tradit, cu-
jus hæc verba Latinè reddit. *Apud maiores qui
iuuenes immaturam, vt videbatur mortem obierant,
albeſcente cœlo ante ſolis exortum à propinquis ef-
ferri ſolebant. quod nefas opinarentur tanti mali
tantaque calamitatis ſpectatorem ac teſtem eſſe ſo-
lem: atque ob eam cauſam dies ipſa eos auferre
dicebatur, quod vbi primum dies illuceſcebat effe-
rebantur.*

Romani verò ſæpe mutarunt, & primò qui-
dem nocturno tempore defunctos extulerunt:
deinde hoc tenuioribus tantum relicto, nobilio-
rum funera, non niſi claro die apud illos deducta
Seruius primo Æneidos ad illa verba

De more vetuſta

Quia, inquit, *antea per noctem cadauera proferebantur*

bantur cum facula. Donatus in Andr. *funus eſt pompa exequiarum dictum à funalibus : etenim noctu efferebantur.* Nota; vtetque eodem modo loquitur : nec dicit *efferuntur*; ſed *efferebantur*: quia ſcilicet antea ſolitum, ſuo tempore non ita frequens, & fortaſſe deſitum, at qua parte noctis: prima ſcilicet: vnde qui funeri præerant *veſperones* à veſpera appellati, & inde mutato nomine veſpillones dicti; vt ibidem Seruius obſeruat at ſequenti tempore; qua tenuiores tantum noctu elati; factum vt veſpillones dicti ſint ignobilium tantum funerum curatores. Feſtus non ad originem tantum vocabuli ſpectans; ſed ad vſum qui ſuo æuo; *Veſpillones*, inquit, *quia veſpertino tempore eos efferunt, qui funebri pompa duci propter inopiam nequeunt.* Verum quia creſcente Ciuitatis luxu ex ea occaſione quod nobilium funera per diem ducerentur, infiniti ſumptus, & impenſæ fiebant : inſtitutum eſt vt denuo noctu inciperent efferri; vt conſtat ea Codice[a] Theodoſiano vbi conſtitutio Iuliani habetur nocturnam cadauerum elationem reducens. *Quoniam*, inquit, *dolor in exequiis ſecretum amat, & diem functis nihil intereſt; vtrum per noctem aut diem efferantur, liberari conuenit populi totius aſpectus; vt dolor eſſe in funeribus, non pompa exequiarum; nec oſtentatio videatur.* Licet enim in hoc edicto aliam cauſam præferre videatur Imperator, quam moderationem impenſarum hanc tamen etiam inſinuat.

a l.5. de ſepulch. violat. tit.17.

Capvt IV.

Ad locum Geneſ. 50.

Ierunt cum eo omnes ſenes domus Pharaonis cunctique maiores natu terræ Ægypti, domus Ioſeph cum fratribus, Currus & equites, & facta eſt turba magna celebrantes exequias.

In pompa funeris multitudo procedentium ex quibus conſtaret : in ea magis conſpicui propinqui, & cognati defuncti, & parentes ipſi in filiorum funere: nonnullorum exequias à Regibus quoque frequentatas: habitus comitantium planè lugubris: præfica cum larua & tibiis: orarium quid.

De perſonis in elatione cadaueris interuenientibus; tria conſideranda ſunt; conditio, habitus, numerus. Conditio; vt quæ & quales eſſent, & defuncto ipſi quomodo ſanguine; aut alia ratione iunctæ, habitus vt quibus veſtibus, & quo colore: numerus, vt quanta frequentia.

Primò ergo funus ipſum ſequebantur cognati & propinqui, & quidem coniunctiſſimi; itaut ſi filius efferretur, parentes ipſi comitarentur: his verò defunctis, filij. quod ſimiliter de aliis arctioribus cognationibus eſt intelligendum. Sic in ſæpius commemorata hiſtoria adoleſcentis Naim; mater vidua filium vnicum comitatur[b], & ab eodem more in ſacris literis filij parentes ſuos ſcepeliſſe dicuntur; quod eſt illos ad ſepulturam rite deduxiſſe; vnde de Abraham[c]. Et ſepelierunt eum cum Iſaach & Iſmaël filij ſui in ſpelunca duplici. Et antea de Sara[d] ſepeliuit Abraham Saram vxorem ſuam in ſpelunca agri duplici. ſi enim hæc ita intelliguntur; vt filij patrem, & vir vxorem ſuis manibus compoſuerint

b Luc. 7.

c Gen. 25. 9.

d Gen. 23. 19

multo magis intelligi debent de deductione ad ipſum ſepulturæ locum quod apud externos quoque ſeruatum video: vnde Ariſtoteles[e]. In funera quoque cognatos potiſſimum prodire oportere arbitrantur. Et Dionyſius[f] refert, Virginium cum vi ab Antonio detineretur in Caſtris; diſceſſum tandem impetraſſe, quod ſibi ea lege defuncti cognati funus eſſet proſequendum. Portò hoc ipſum etiam inter Chriſtianos ſeruatum : licet non perpetuò, colligimus ex Eccleſiaſticis hiſtoriis. Nam D. Hieronymus non obſcurè ſignificat Paulam Bleſillæ filiæ exequias adiuiſſe, & frequentaſſe; dum illam immoderati luctus his verbis incuſat[g] : *Non poſſum ſine gemitu eloqui quod dicturus ſum : cum de media pompa funeris te examinem referrent. hoc inter ſe populus muſſitabat : nonne illud eſt quod ſæpius dicebamus; dolet filiam ieiuniis interfectam, &c.*

e lib 9. ethic. c. 11.

f lib. 12.

g Epiſt. 25.

Secundò amici quoque aderant, & quicunque beneuolentia defuncto ipſi, vel propinquis illius magis iuncti : quod ambiguitatem non habet. Qui enim hoc officio fungerentur; niſi qui amico animo in defunctum eſſent aut in ipſius propinquos? ideo inſtitutum apud exteras gentes, vt notis tantùm, & amicis licitum eſſet aliena funera proſequi; prorſus autem ignoti arcerentur: ne ſcilicet per eam occaſionem inimici quoque confluerent, & inter amicos immixti defuncti manibus inſultarent. Quod an in vſu eſſet apud Hebræos, haud certè ſcio: ſimile tamen quid velle videtur Dauid dum Saulis, & Ionathæ mortem lamentatur[h] *nolite*, inquit, *annunciare in Geth, ne lætentur filiæ incircumciſorum.* Cælari vult alienigenas de funere Saulis: ne fortè veniant, & amicorum luctum hoſtili lætitia exacerbent.

h lib 2. Reg. cap. 1.

Tertio loco erant ſerui, & tota fermè familia: quod etiam extra omnem controuerſiam eſt. ſi enim capita ipſa familiarum conueniebant; quanto magis reliqui. Geneſ. 50. Tota familia Iacob, & filiorum eius, & Ioſephi ipſius Iacobi funus ſequuntur, & ducunt quod de externis quoque certum eſt. Plinius[i], ſemper defuncto aliquo totus aderat familiæ eius qui vnquam fuerat populus. Quod dicit; quia apud Romanos; non ſolum præſentes ſerui; ſed etiam iam manumiſſi defunctum dominum comitabantur : licèt hoc etiam Plinij dictum referri debeat ad maiorum imagines quæ in funere prælatæ vt infra dicam. D. Chryſoſtomus hanc conſuetudinem ſuo quoque tempore obtinuiſſe tradit[k] & illud inſuper; vt cum ſeruis, & ancillis equi quoque in hac pompa deducerentur. *Diuite aliquo mortuo non ſeruos ſolum, & ancillas; ſed & equos neceſſarij ſacco amicientes, & agaſonibus tradentes, ad ſepulturam ſequi iubent : calamitatis magnitudinem oſtentantes, & omnes ad miſericordiam allicientes.*

i lib 35. 12.

k Homil. 3. ad pop. Antioch

Aderant præterea qui beneficio aliquo defuncto eſſent obſtricti, beneficium ipſum commemorantes, & ob id defunctum laudibus extollentes. ſic in funere Tabithæ quod iam inſtruebatur legimus[l] adfuiſſe omnes, *viduas flentes, & oſtendentes D. Petro veſtes, & tunicas quas faciebat illis Dorcas.* Et eadem ratione pauperes Paulæ ſumptibus ſuſtentati ipſius exequias comitantur, apud D. Hieronymum in vita illius. *Vidua*, inquit, *& pauperes in exemplum Dorcadis veſtes ab ea præbitas oſtendebant, omnis inopum multitudo matrem, ſe & nutritiam perdidiſſe clamabant.*

l Act. 9. 40.

Nec expers eius moris Romana Ciuitas Liuius[m] refert Q. Terentium Culeonem, quod

m lib. 38.

olim

olim fuiſſet à Scipione à captiuitate vindicatus: non ſolum ipſum vt dignum erat omni vita coluiſſe vt libertatis auctorem: ſed etiam defunctum, & ad ſepulturam elatum. pileatus enim ſicut in triumpho ierat in funere quoque ante lectum Scipionis iuit. Narrat Plutarchus in Paulo Æmilio ipſo defuncto quotquot Romæ erant, Ligures, Hiſpanos, Macedones, maiores natu, ipſius funus proſequutos, ſeruatorem, & patriæ patrem appellantes. nonnulli autem quo plures haberent, qui ſuum funus proſequerentur laudantes, & beneficia accepta extollentes, ſeruos, ad id ante mortem manumittebant. at alij qui benefici videri quàm eſſe malebant; ſeruos omnes pileatos producebant; vt libertati donati viderentur ad quam fraudem tollendam edictum

a C. de Lat. libert. extat [a]. *Vt qui domini funus pileati antecedunt; ſi hoc ex voluntate fiat, vel teſtatoris, vel hæredis, fiant illico ciues Romani.*

Quintò Principes ipſi & qui rerum potiebantur nonnullorum inſigniora funera deducebant: ſic Principes Ægyptij Iacobi exequias frequen-

b Geneſ.50. c li.2.Reg.3. d Cap 32. in Tiber. tant [b]. Et Dauid Abneris funus proſequitur [c] ſciſſa veſte; ſic etiam apud Romanos Tiberius, vt Suetonius refert [d] illuſtrium virorum, & qui ſibi magis cari; exequias vſque ad rogum proſequebatur, & Marcus Imperator apud Capitolinum Lucium Verum comitatus eſt Capuam vſque apud Chriſtianos verò etiam ipſos Eccleſiaſticos Principes hoc factitaſſe reperio. D. Hieronymus id diſerte affirmat de funere B. Paulæ cui plurimi Epiſcopi interfuerunt. Denique aderant præficæ, tibicines, & alij qui cantu lugubri exequias celebrant: de quibus ſupra dixi & paulò poſt iterum.

Sequitur nunc vt de habitu; qui planè lugubris erat; & materia, & colore: *materia*, nam obſoletus, & plerunque ex facco: colore; qui pullus

e lib.2. Reg. c.3.31. & ater. De funere Abner in hiſtoria [e] Regum. *Dixit autem Dauid ad Ioab, & ad omnem populum qui erat cum eo: ſcindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite ante exequias Abner.* Quid eſt ante exequias Abner? ipſum proſequentes & ad ſepulturam comitantes Idem apud Romanos ſeruatum Plutarchus docet in Problemat. cauſam quærens, cur filiæ aperto capite, ſolutis crinibus, cultu neglecto in funus

f lib.3. prodeant. Varro [f] de vita populi Romani apud Nonium in Antracinis. *Propinquæ adoleſcentulæ etiam Antracinis* (id eſt pullis togis) *proxime amiculo nigello, capillo demiſſo ſequerentur lectum*, & apud eundem Varronem ibidem habetur receptum Romanis fuiſſe; *vt dum ſupra terram eſſet defunctus* (cadauere ſcilicet ritè collocato) *ricinis lugerent in funere ipſo vt pullis pallis.* erant autem ricinia ex Sexto Pompeio, veſtimenta quadrata ad modum virilis togæ; quæ mulieres in funere aſſumebant. In luctu enim omnia præpoſtera erant: ideo, & mulieres virili aliquo habi-

g lib.1. tu, tunc indutæ. Varro [g] de vita populi Romani. *Ex quo mulieres in aduerſis rebus, & luctibus; cum omnem veſtitum delicatiorem poſtea inſtitutum ponunt; ricinia ſumunt*; ad quem ritum alludens

h lib.5. epiſt. 7. Ouid. [h] illud de Niobe.

Stabant cum veſtibus atris
Ante toros fratrum demiſſo crine ſorores.

Morem etiam ſuo tempore ſeruatum inter Chriſtianos teſtatur Sidonius, dum quoſdam carpit in omnibus præpoſterè ſe gerentes. *Nam libenter*, inquit, *incedunt armati ad epulas, pullati ad exequias, albati ad nuptias.* Verum de his pluribus infra vbi de luctu in vniuerſum: nunc illud etiam adiungam de habitu *præficæ*; cum tibijs illam, & orario proceſſiſſe. *Orarium* appello perſonam, quam ori admouebant; tum vt ne cognoſcerentur, & liberius vberiuſque eiularent; tum, vt voce grauius reſonarent de iis orariis intelligendus Virg.

Oraque corticibus ſumunt horrenda cauatis

Indicans etiam originem nominis. ſunt enim *oraria* dicta ab ore contegendo; & quod os, & faciem hominis repræſentant apud alios auctores præſertim poſterioris æui; oraria etiam ſunt ſudariola, ad os, & faciem tergendam. Extant adhuc Romæ ſepulchralia monumenta plura; vnum præter reliqua maximè inſigne in hortis Cœliis Matthæiorum; in quibus ſculpta hæc turba funus comitantium ibi tibiæ, fiſtulæ, & viris mixtæ mulieres manibus laruas, & perſonas geſtantes oraria hæc ſcilicet, quæ etiam vſu Romanis in theatro fuere ad plauſus edendos, vt in electis obſeruat eruditiſſimus Lipſius, & in notis ad Tacitum.

Sequitur iam vt de numero perſonarum: planè is ingens erat, & pro cuiuſque cõditione maximus. cum enim honos qui tunc defuncto habebatur, ſupremus eſſet; vnde, & *ſupremi* appellata funeralia hæc officia; merito quiſque pro ſe agebat; vt ne huic muneri deeſſet. Et ſanè ſi qui deducebant erant defuncto ipſi aut ſanguine, aut beneuolentia, aut meritis beneficiiſque coniuncti; nulli dubium, quin quò plures erant qui ſequerentur; magis etiam defunctus honeſtaretur. ergo ſecundo Regum [i] in exequias Abneris i Cap.3. omnis planè populus effunditur; tota Dauidis Regia exhauſta; & ipſo Rege funus proſequente. Similiter Ægyptiorum multitudo maxima omnis generis, & ſexus exequias Iacobi cõcelebrat [k]. k Geneſ.50. Quod apud Chriſtianos etiam ſeruatum: vnde legimus quorumdam funera maiori fermè cum celebritate deducta; quam veteres triumphos D. Hieronymus in funere Fabiolæ; *Non ſic Furius de Gallis; non Papirius de Samnitibus; non Scipio de Numantia; non Pompeius de Ponti gentibus triumphauit: illi corpora vicerunt; hæc ſpiritales nequitias ſubiugauerat; audio præcedentium turmas, & cateruatim in exequias eius multitudinem confluentem*, &c. Nazianzenus de D. Baſilio. *Plena erant fora, porticus duplicia & triplicia tabulata, hominum illum deducentium, præeuntium, proſequentium, aſſectantium, in ſe inuicem inſultantium: multa millia hominum omnis generis, & ætatis ante eam diem incognita* ..... *ciuibus noſtris cum ethnicis Iudæis aduenis, iiſque viciſſim nobis cum* ..... *denique ea celebritas in periculum deſiit multæ enim animæ ex vi protruſionis & compreſſionis, vnà cum eo exceſſerunt; quæ hoc nomine felices viſæ ſunt: vt diſceſſus ipſius ſocia atque vt feruentior quiſpiam dixerit; vt illius quædam victimæ funerales:* denique ſane frequentiam, & multitudinem ad exequias conuenientium ſignificari putat D. Hieronymus quoties in ſcripturis *planctum magnum*, ſuper aliquo factum eſſe commemoratur fecerunt, inquit, *fratres ſuper Stephanum planctum magnum, & vtique planctus magnus non in plangentium exanimatione, ſed in pompa funeris, & exequiarum frequentia intelligendus eſt.* ita ille epiſtola vigeſimaquinta.

Capvt V.

Ad locum 2. Paralip. 19. Mortuuſque eſt Rex Ioram, & non facit ei populus exequias ſecundum morem ſicut fecerat Maioribus eius.

Pompa apparatus in funere quibus maximè conſtaret: funalia, cerei, lampades, & alia in eo lumina: ſigna quoque & varia inſignia & ornamenta geſtata: Plauſus & concurſus ſpectantium: cantus funebres noſtris ad hilaritatem: aliis ad luctum: Alleluia in Eccleſia cantatum: Chryſoſtomus, Ambroſius, Hieronymus & alij illuſtrati.

CElebritatem, & apparatum funeris in lumina, cantum, publicum concurſum, & plauſum; varia ſigna & otnamenta diuido quæ geſtari ſolita.

De luminibus nihil habeo quod certi pronunciem ex ſacris litteris: valdè tamen perſuaſum mihi eſt apud Hebræos in hac pompa funebri non defuiſſe, primò à coniectura non leui: ſepeliebant enim ſuos in antris, & ſpeluncis, vt mox videbimus. quomodo ergo illuc ſine lumine penetrarent, cadauera inferrent, reliqua expedirent, quæ illi componendo opus erant? Secundo, ab exemplo aliarum nationum omnium, quibus etiam ſi claro, & albente cœlo funera elata; cum luminibus tamen elata: ſimile autem vero non eſt, nationem alienorum rituum appetentiſſimam, in hoc à cæteris deſciuiſſe cum lumine autem efferri defuncti ſoliti apud omnes; tum qui Hebræis ipſis finitimi; tum qui ab illis longè diſcluſi.

De Romana Republica, & priſcis Italis teſtata res eſt; adeo, vt à funalibus in hac deductione prælatis funus ipſum ſit appellatum, vt ſupra vidimus ex Donato in Andr. & aliis Seruius [a]. *Per noctem*, inquit, *vrebantur; vnde permanſit, vt mortuos faces antecedant.* hinc Virgilius [b] in funere Pallantis.

a in 6. Æn.
b lib. 11.

lucet via longo
Ordine flammarum, & latè deſcriminat agros.

Clariſſimè autem Iſidorus. *Funus dictum à funibus accenſis quos ante feretrum papyris cera circundatis ferebant.* receptus autem hic mos in Eccleſia; & iam inde à principio in ea cœptus huc vſque perdurat. D. Hieronymus in funere Paulæ. *Tranſlataque Epiſcoporum manibus & ceruicem feretro ſubiicientibus, cum alij Pontifices lampades, cereoſque perferrent*, notat hoc; non quod inſolitum lampades in funere: ſed quod nouum, & honorificum à Pontificibus geſtatas Chryſoſtomus [c]. *Dic mihi quid volunt illæ ſplendidæ lampades, quid hymni? & paulo poſt: cogita quid pſallas in illo tempore reuertere inquis anima in requiem tuam; quia Deus benefecit tibi.* Certè ſi lampades illæ noctu tantum præferebantur; non erat cur ſanctus hic quæreret ad quid eſſent; clarum enim quod ad pellendas tenebras. at quia etiam diurno funeri adhibebantur, ideò quærit. quid autem eſſent hæ lampades alibi vbi de nuptiis fuſiùs agemus. *Cereos* autem etiam adhibitos ex iiſdem conſtat, & ex Gregorio Turonenſi qui refert [d]. *Clotildis Francorum Regina cadauer cum cereis, & multitudine pſallentium ad ſepulturam deductum.* idem tradit [e] de Clodoueo, cum Clero cum cereis, & populo ſepulchro mandatum.

c Hom. 4. in c. 2. ad Hebr.
d lib. 4. hiſt. c. 1.
e lib. 2. c. 10.

Sequitur cantus qui duplex erat ex vocibus modularis, & ex muſico ſono inſtrumentorum, præſertim tibiarum. de vtroque nonnulla dicta ſupra vbi de lamentatione funebri; quibus hæc adtexenda quæ mox addam: fuiſſe nimirum adeò Hebræis vſitatum in funere cantum aliquem: vt propterea nonnulli dicti ſint cum gaudio ad ſepulturam deducti; quia cum cantu. Sic de Tobia dicitur [f], *Completis annis nonaginta nouem cum gaudio ſepelierunt eum.* & Dauid feretrum Abneris comitatur [g] & ex eius iuſſu, *populus omnis leuat vocem ſuam plangendo ante exequias Abner.* quæ vocis eleuatio vt pluribus in commentario de cantu funebri eſt accipienda.

f Cap. vlt.
g lib. 2. Reg. c. 3.

Fuit autem hæc conſuetudo etiam apud alias gentes. Macrobius [h] inde argumentum trahens ad muſicam commendandam *mortuos*, inquit, *ad ſepulturam proſequi oportere cum cantu, plurimarum gentium vel regionum inſtituta ſanxerunt.* cur id? ſubdit ex Platonicorum dogmate. *Perſuaſione hac quæ poſt corpus anima ad originem dulcedinis muſicæ, id eſt ad cælum redire creduntur.* Romanis certè adeò id vſitatum, vt itam Deorum Cic. interpretatus fuerit & iuſtum ſupplicium quod Clodius ſine cantu fuerit elatus. *hanc*, inquit, *amentiam Dij eius ſatellitibus iniecerunt; vt ſine cantu, ſine exequiis, ſine lamentis, ſine laudationibus, ſine funere: oblitus cruore & luto ambureretur.* at video quid hic in mentem nonnullis venire poſſit. Si enim apud omnes funera cum cantu elata: cur quaſi proprium quibuſdam tribuitur quod natales hominũ cum luctu exciperent, mortem verò cum lætitia, & gaudio? ſi enim omnes cum cantu efferri ſoliti: omnes ergo gẽtes mortes hominum gaudiis ſunt proſecutæ, & tamen D. Ambroſius [i] in obitu fratris Satyri id tantum vt quorumdam proprium notat. *Fuiſſe*, inquit, *etiam quidam feruntur populi, qui ortus hominum lugerent obituſque celebrarent, nec imprudenter. eos enim qui in hoc vita ſalum veniſſent mærendos putabant: eos vero qui ex iſtius mundi procellis, & fluctibus emerſiſſent, non iniuſto gaudio proſequendos arbitrantur.* Sed ex iam dictis nodus facilè ſoluitur. omnes enim ferè funebrem hanc pompam cantibus celebrarunt. Sed non omnes cum lætitia neque enim omnis cantus cum gaudio; ſed quidam etiam eſt mœſtus, & flebilis, lachrymas ſequens, & nouas eliciens qualis hic erat paſſim apud Hebræos, Græcos, & Romanos in exequiis vſurpatus. ob quam cauſam triſtem illum appellat Lucanus [k] vbi hîc Pompeum ſuperos alloquentem inducit, & ſaltem modicum, & ciuile funus poſtulantem.

h lib. 2. in ſomn. Scipio. c. 3.
i Orat. 2.
k lib 8.

Non pretioſa petit cumulato thure ſepulchra
Pompeius fortuna tuus: non pinguis ad aſtra
Vt ferat è membris Eoos fumus odores
Vt Romana ſuum geſtent pia colla parentem
Vt reſonent triſti *cantu fora.*

At aliter apud Chriſtianos: quibus iam inde ab initio naſcentis Eccleſiæ cantus hic non ſolùm non triſtis, & flebilis; ſed planè lætus, & hilaris. Hieronymus [l] vbi de S. Paula. *Exin non vlulatus, non planctus; vt inter ſæculi homines fieri ſolet; ſed pſalmorum linguis diuerſis examina concrepabant*, & paulò poſt, *Hebræo, Græco, Latino Syroque ſermone Pſalmi in ordine perſonabant* [m]. Nazianz.

l Epiſt. 27.
m Orat. 1. in Iulian.

vbi

vbi de Conſtantij funere: *Conſtantius*, inquit, *communibus omnium elatus eſt laudibus ac pompis, iiſque venerandis; ac noſtris, & aliorum cantibus iiſque tota nocte reſonantibus, ac luminibus accenſis, quibus Chriſtiani noſtrorum tranſitum honorare pium cenſemus.* quin etiam adeò feſtiui cantus illi erant, & celebres; vt lætiſſima illa vox, & geſtientis animi index *Alleluia*, ſubinde in illis repeteretur. Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ: *Sonabant pſalmi, & aurata templorum tecta reboans in ſublime quatiebat Alleluia.*

Hic Iuuenum chorus, ille ſenũ qui carmine laudes
Fœmineas & facta ferant.

Et de cantu ex vocibus modulatis: de tibiis verò, & tibicinibus ſatis eſſe poſſunt quæ ſupra diximus cum de collocatione cadaueris ageremus: adfuiſſe enim hoc dum cadauer efferretur, non eſt ambigendum ex Matth. c. 9. Ad cantum autem huius tibiæ; planctum, & percuſſionem pectoris temperari ſolitam à Luciano diſcimus in lib. de Luctu hæc irridente. Præter tibiam autem nec tubam in hoc munere omiſſam affirmare auſim. video enim illam paſſim apud Romanos, & alios vſurpatam: & probabile eſt à Iudæis quoque adhibitam aliorum ritus maximè æmulantibus:

a Sat. 3. cum quid ambitioſum præferrent ad illa Perſij [a].

Hinc tuba candelæ tandemque beatulus alto
Compoſitus lecto, &c.

Notat Cornutus antiquus interpres, ſepulturam tubis apud antiquos celebratam. & ideo Perſium illa dixiſſe quod idem obſeruat Seruius ad illud

b lib. 11. Virgilij [b].

In cælo clamorque virum clangorque tubarum.

c De Coron. milit. *Ante enim*, inquit Seruius *mortui ad tubam deducebantur* & huc alludit Tertullianus [c] de Corona milit. mortuus, inquit, *etiam tuba inquietatur æneatoris, qui excitari à tuba Angeli expectat?* & de hac fortaſsè tuba poteſt accipi verbum

d Matth. 5. Chriſti [d] *cum facis eleemoſinam noli tuba canere ante te.* Suſpicio enim mihi eſt in eleuatione cadauerum, & nobilium funere non defuiſſe qui nummos ſubinde ſpargerent, & diſtribuerent: ad quod tenuiorum populus tubæ ſonitu conuocabatur quo maiori frequentia exequiæ celebrarentur, quam coniecturam firmat etiam eleemoſinæ vocabulum, quam Euangeliſtæ Iuſtitiam ſæpè nuncupant; quod inter iuſta mortuis celebrari ſolita præberetur: alioquin de qua alia tuba accipi poſſit ad cuius ſonitum eleemoſina fieret, non inuenio.

Porro apud Chriſtianos tubarum loco poſteriori tempore campani æris tinnitus ſucceſſere: quod non ſolum pompa funeris durante; ſed ante ipſam quoque & poſt abſolutam longè lateque perſonabat: cuius conſuetudinis meminit

e lib. 4. c. 23. Beda de rebus Anglorum [e].

Tertio loco in celebritate funeris obſeruo populi frequentiam, concurſum, & plauſum defuncto datum. de concurſu; dubium non eſt quin is ſemper modis omnibus expetitus ab iis qui funus curabant: ideo multitudini conuocandæ omnia parabant, fruſtra enim exequiæ ipſæ maximo cum apparatu, & pompa proceſſiſſent, ſi nullos habituræ erant ſpectatores, concurſum ergo vndique populi excitabant; quod eo ſe & manes ſuorum maximè honeſtari arbitrarentur: & id adeò, vt in nonnullorum ſepulchris notaretur aliquando quanta frequentia mortuus fuiſſet elatus; & qui ad illius exequias populi concurſus, & conuentus excitati. Quod minus mirum eſt quando Sancti Patres maximi quoque id fecerint in clarorum virorum funeribus: inde etiam argumentum non vulgare trahentes ad defuncti memoriam commendandam Nazianzenus de Baſilio. Efferebatur vir *Sanctus Sanctorum virorum manibus; vnuſquiſque autem operam dabant; alius vt fimbriam, alius vt ſanctum lectulum arriperet, ac vel ſolum attingeret. alius vt proximus ad eos qui corpus ferebant, accederet; alius vt aſpectu ſolo frueretur: plena erant fora porticus.* Similiter

f Epiſt 3. D. Hieronymus de Fabiola [f]. *Non platea, non porticus, non imminentia deſuper tecta capere poterant proſpectantes; tunc ſuos in vnum populos Roma conſpexit.* & addit deinde de laudibus in mortuam à turba confluenti iactatis, *fauebant ſibi omnes in gloria pœnitentis.* Et in Epitaphio Paulæ viduæ *tota ad funus eius Paleſtinarum Vrbium turba conuenit.....viduæ, & pauperes in exemplum Dorcadis veſtes ab ea præbitas oſtendebant omnis inopum multitudo matrem ſe perdidiſſe clamabat.* & ad hunc plauſum ſpectabant *flores*, qui ſuper corpus dum pompæ procederet ſpargebantur; de quibus idem Hieron. in Epiſtola ad Pam-

g lib 21. c. 3. machium ſuper obitum Paulinæ vxoris, Plinius [g] loquens de Scipionis funere quaqua præferebatur floreſè proſpectu omnium ſparſos affirmat &

h lib. 11. Dionyſius [h] vbi de Virginiæ exequiis, *exibebant, mulieres, & virgines, atque alia flores & coronas in lectum iaciebant; alia faſcias aut Zonas, alię vittas*

i lib. 14. Annal. *virginalis comæ.* Vide Lipſium ad Tacitum [i].

Ad celebritatem quoque ſpectabant varia ſigna & ornamenta in funere ipſo prælata; quorum alia erant in argumentum nobilitatis, alia dignitatis, alia rerum geſtarum, alia ſimpliciter ad funeris pompam. De hoc poſtremo habemus

k Cap 50. exemplum in Geneſi [k]. Vbi celebrantur Patriarchæ Iacobi exequiæ à Ioſepho. Aſcendit, inquit, *Ioſeph ſepelire patrem ſuum; & aſcenderunt cum eo omnes pueri Pharaonis & ſeniores Domus eius, & ſeniores omnis terræ Ægypti, & omnis Domus eius, & Patris eius. Et poſt paululum, & aſcenderunt cum eo quadrigæ & equites & facta ſunt Caſtra grandia nimis*, & deinde. *Et planxerunt eum planctu magno, & forti nimis.* Ad quid hæc omnia? ad ornamentum maiorem, & funeris celebritatem.

l Epiſt 25. D. Hieronymus in Epitaphio Bleſillæ [l]. *Planctus iſte ſolemnis, non longas Ægyptiis imperat lacrymas, ſed funeris monſtrat ornatum.* Loquitur autem de vniuerſo hoc apparatu, quem ad Patris exequias Ioſephus inſtruxerat.

Apud alios verò; & Romanos maximè, varia ſigna geſtari ſolita ad plura ſignificanda.

Et primò ad generis nobilitatem conteſtandam maiorum imagines in funere præferebant: De quo toto ritu fusè ſatis, & eruditè Iulius Iacobinus in appendice ad Fonteium de

m lib. 8. c. 15. gente Cæſia. Valerius [m] Maximus, *Africanus imaginem in Cella Iouis poſitam habet, quæ quotieſcunque funus aliquod Corneliæ gentis celebrandum eſt inde petitur:* Tacitus [n] tradit. *Lectum Iu-*

n lib. 3. Annal. *niæ viginti clariſſimarum familiarum imagines ante latas fuiſſe.* Et ad hunc ritum alludens Lucius [o].

o In Epiſt. lib. 48. Lepidum dixiſſe refert *Imaginum ſpecie, non ſumptibus, maximorum virorum funera nobilitari ſolere.* Plinius [p] ſimiliter *expreſſi cera vultus*

p lib. 35. c. 2. *ſinguli diſponebantur armariis, vt eſſent Imagines quæ comitarentur Gentilia funera: Semperque defuncto aliquo totus aderat familiæ eius, qui vnquam fuerat populus.* Quomodo hoc? quia, & qui ea familia iam defuncti, aderant imaginibus expreſſi:

Et

Digitized by Google

Et qui adhuc viuebant, & in familia vnquam cenſi fuerant, ſiue ſerui, ſiue libertate donati præſentes aderant, & hoc apud externos; nam Iudæis in vſu id minus fuiſſe certò ſcio, & mecum fatebitur qui nullum fuiſſe imaginem vſum apud Hebræos recordabitur. Simile tamen neſcio quid vſurpaſſe exiſtimo. Nam pro maiorum imaginibus illorum nomina ſubinde repetebant; quos ſi non oculis, auribus certe ſuous frequentantium repræſentabant. Qui enim efferebatur ſubinde exempli gratia dicebatur filius Iuda, filij Iacob, filij Iſaach, filij Abraham ad quem tandem omnis proſapiæ nobilitas deſinebat.

Secundò aderant inſignia rerum geſtarum: ſic qui bellica laude inclytus fortiter pro Republica feciſſet in eius rei argumentum militaria; ſigna, & cultus, aut abiiciebantur, aut inintiosè geſtabantur. Propterea ad Abneris exequias iu- (a 2.Reg. 3.) bet [a] Dauid Ioabum, & alios milites bellico cultu depoſito, ſaccos induere; quo eodem ritu ſuos honeſtabant ducea Romani milites, vt vidimus paulò ante in Pompeij querela apud Lucanum, non poſtulare enim ſe dicit (quod tamen conſuetum Ducibus omnibus impendi.)

Totus vt ignem
Proiectis mœrens exercitus ambiat armis.

Arma ergo, & alia ornamenta militaria depoſita in funere Ducum: Quod ſi quæ geſtabantur; præpoſterè geſtabantur, vexillis ſolum verrentibus; Lanceis, & haſtis inuerſis, gladiis abſurde ſuccinctis, tympanis abſonè temperatis.

Quod tamen reſtringo, & in iis tantùm ſeruatum exiſtimo qui infeliciter occubuiſſent: ſic quia Abner per ſcelus extinctus: in illius exequiis milites arma deponunt: Et Pompeius quia fugatus occumbebat, milites abiectis armis funus ſuum proſequi debuiſſe ſignificatur loco paulò ante ex Lucano adducto. Simili ratione in funere Germanici Cæſaris inſidiis Piſonis interempti (b lib. 3. Ann.) refert Tacitus [b] præceſſiſſe incompta ſigna, & verſos faſces. At qui glorioſi occumbebant in eorum exequiis milites aderant prorſus vt ad (c li. 1. de bel. Iud. c. vlt.) bellum parari. Ioſephus [c] exequias Herodis magni celebratas fuiſſe dicit præter alios à prætorianis & aliis militibus, *qui omnes*, inquit, *veluti ad bellum instructi lectum antecedebant. Cætera autem militum manus armata Ducesque ſuos, ordinumque Principes decenter ſequebatur.*

Tertiò aderant quoque ſigna, & inſignia dignitatum, ſiue magiſtratus, & honorum quibus quis perfunctus eſſet; quos ſatis ſit indicaſſe tan- (d lib. 6.) tùm ex hoc loco Polybij [d]. *Faſces*, inquit, *& ſecures & reliqua principalibus conſueta ſecundum dignitatem cuiaſque præcedunt in funere Romanorum qui dum in viuis eſſent in Republica eminebant.*

CAPVT VI.

Ad locum 2. Regum 30 — Dauid autem ſequebatur feretrum.

Et ad locum Luc 7. — Acceſſit IESVS & tetigit loculum: hi autem qui portabant ſteterunt.

Feretrum, Capulum, loculus, libitina etiam appellatum: eius forma, & ornatus: veſtes ad illud insternendum: geſtatores qui, & quot? quatuor ex communi vſu. Veſpillones in obſcuro, & damnato funere: alios à propinquis geſtatos: nonnullos ab ipſis Regibus & aliis Principibus viris.

IAm ſequitur vt de feretro dicamus quod Principem maximè locum obtinebat, & obtinet in funeris pompa. In eo conſideranda, & explicanda quæ ad hæc tria ſpectant, formam, ornatum, geſtationem.

Erat ergo feretrum nihil aliud quam feralis lectulus à ferendo appellatum. Quòd enim non ad quietem capiendam, vt alij lectuli; ſed ad efferendum cadauer inſtitutum; *feretrum* eſt nuncupatum. Et ex hoc qua forma eſſet facilè poteſt intelligi. Duo enim in eo ſpectabantur: vt corpus defuncti ritè locatum caperet: Et vt aptè eum illo geſtaretur. Qua ad capiendum inſtitutum; nihil à reliquis lectulis diſſidebat; qua ad ferendum, paulo illis erat anguſtius. Vnde, & *Capulum* quoque appellatum eſt, vt quod aptè caperet defunctum; & quod expeditè etiam ipſum à geſtantibus caperetur. Feſtus. *Capulum*, inquit, *& manubrium gladij vocatur, & id quo mortui efferuntur: vtrumque à capiendo dictum.* Nota à *capiendo* paſſiuè non tantum actiuè; neque enim manubrium quicquam capit, ſed ipſum capitur. Sic etiam feretrum quia ita aptatum; vt commodè à geſtantibus caperetur, *Capulum dictum*. Vnde & Iſidorus [e]. Appellatum Capulum (e lib. 20. c. 11) dicit. *Quod ſupra capita hominum feratur.* Licet vt iam dixi à capiendo quoque cadauer nuncupatum fuiſſe non abnuam vt diſertè tradit Seruius in Virgilium [f] nec *Capulum* tantum, ſed (f Æneid. 10.) *loculum* etiam alij feretrum appellarunt vt noſter Interpres: à cadauere nimirum in ipſo locato Ambroſius [g]. De filio viduæ, *qui quidem mortuus* (g In cap. 7. Lucæ.) *in loculo materialibus quatuor ferebatur elementis.*

At quod dicebam, formam lectuli ipſum habuiſſe confirmat, quod promiſcuè *lectuli*, *& feretri*, vocabulo, boni auctores vtuntur; cum de mortuorum elatione loquuntur. Seneca [h]. Patet (h li. 5. contr. 8) verſæ ſunt in exequias nuptiæ genialiſque lectus mutatus in funebrem. Tacitus [i] de Germanici (i lib. 2. Ann.) funere: *Vbi illa veterum inſtituta: propoſitam Thoro effigiem meditata ad memoriam virtutis carmina*, & laudationes, & lacrymas. Similiter in ſacris litteris lectulus etiam pro feretro ponitur. De Aſa Rege dicitur: *Sepelierunt eum in ſepulchro ſuo quod foderat ſibi in Ciuitate Dauid: poſueruntque eum ſuper lectulum ſuum plenum aromatibus.* At alibi [k] *feretrum* diſertè ponitur: vbi Da- (k 2.Reg. 3.) uid ſecutus dicitur, *poſt Abneris feretrum*: quo tamen in loco Hebraicè idem verbum eſt quod noſter Interpres ſolet ſemper vertere *lectum* & lectulum. Non omittam autem noſtris auctoribus *feretrum* ipſum, *libitinam* quoque appellatum. Sidonius [l]: *Sed cum libitinam ipſam flentes* (l lib. 2. ep. 8.) *omnes, externi quoque prehenſitarent remorarentur, exoſcularentur, &c.* De qua appellatione alij. Mirum autem ſit quod in vnius mortui elatione plura aliquando feretra ſint geſtata, & à gentilibus, & Chriſtianis. Tacitus [m]. De Thraſea, *largi-* (m lib. 16.) *tur in ſeruos quantum aderat pecuniæ: ſi qua aſportari poterant ſibi quemque deducere: tres modo lectulos ad ſuprema retinere iubet.* Sic etiam de Chriſtianis refert Epiphanius [n] Georgium Ale- (n Hæreſi 71.) xandrinum Epiſcopum ſtatuiſſe quot lectuli, & feretra in cuiuſque funere præferrentur: & quidem cui vſui eſſent plura illa feretra apud Gentiles, facilè eſt intelligere; geſtabantur enim in

cuiuſque

Digitized by Google

cuiuſque exequiis maiorum imagines, quæ ritè, quaſi recens mortuum cadauer, in ſuis lectulis componebantur: à Chriſtianis quorſum illa multitudo lectorum: non ita facilè eſt diuinare, alias ergo fortaſſe id diſcutietur.

Interim moneo lectulos iſtos ferales in duplici differentia fuiſſe: alios nimirum nobilium proprios; alios plebeiorum: illos lectulos *feretra* & thoros ſimpliciter appellatos: hos propriè *ſandapilas*, & illorum geſtatores *ſandapilarios*. Vtroſque diſtinguit Sidonius carmine euchariſtico ad Fauſtum.

Qui viſum cæcis, greſſum quoque reddere claudis
Auditum ſurdis, mutis laxare loquelam
Sueius: ad hoc etiam veniſti vt mortua membra
Lecto, ſandapila, tumulo conſurgere poſſint.

Quid autem propriè eſſent ſandapilæ explicat Fulgentius de priſco ſermone. *Sandapilam antiqui dici voluerunt feretrum mortuorum, id eſt loculum; non in quo nobilium corpora; ſed in quo plebeiorum, atque damnatorum cadauera portabantur.*

a Cap. 17. Hinc Suetonius [a] de Domitiano ſine vlla pompa funeris elato, *Cadauer*, inquit, eius populari ſandapila per Veſpillones exportatum. Et hæc quantum ſpectat ad formam.

Nunc de ornatu ipſius eſt exponendum; qui duplex erat coniunctus & adiunctus: coniunctum appello in materia, & opere ſitum quo erat ipſe lectulus elaboratus: adiunctum vero qui ex ſtragulis, & aliis veſtibus adueniebat. Nec dubium eſt eò aliquando etiam proceſſiſſe luxum, & mortalium ambitioſam inſaniam: vt in lectulis quoque feralibus cum materia certaret opus & artificis ingenium: itaque ex ebore etiam

b lib. 2. fuiſſe reperio. Propertius [b].

Nec mihi tunc fulcro ſternatur lectus eburno
Nec ſit in Attalico mors mea nixa thoro.

Tangit enim hic vtrumque ornatum: primum dum eburneum feretrum non ſe dicit ambire: & ſecundum dum veſtes Attalicas nihil ſe dicit morari, quibus illud inſternatur. de illo nihil eſt quod diſtinctiùs exponatur; de hoc ſecundo ornatu aliquid breuiter eſt attingendum.

Primò ergo erat ſtragula veſtis, quæ hinc, & inde dependula, totum vndique feretrum tegebatur: qualis autem cuiuſmodi aut quo colore eſſet; nihil certi habeo definite. Variatum enim in his fuiſſe ſuſpicor pro cuiuſque opibus, & voluntate. vt plurimum autem crediderim è pretioſa materia confectam, & colore commendatiſſimo fuiſſe. Si enim vſu receptum; vt mortui ipſi honeſtiſſimo in habitu efferrentur: conſentaneum quoque erat vt feretrum non diſſimili velamine obtegeretur. Itaque in antiquis quibuſdam inſcriptionibus *ſtragula nigra*, ſignatè in alicuius funus ſumpta leguntur; quod non eſſet, ſi paſſim is color in hac pompa vſurpatus. Romæ ante Portam Latinam marmor hoc legitur.

MORTVVM. MA. QVOQVE.
FVNARARI. IVSSI. REAVS
LVGVBRIAVS. QVAS VIVVS.
COMPARAVI LECTO STRAGVLIS.
FORANSI PENVLA NIGRIS OMNIAVS.

Et Dionyſius lib. 4. Lucretiæ Romanæ lectulum nigro velamine inſtratum memorat: notat autem id nobilis Hiſtoricos; quia non ex communi more; ſed ex eorum qui infeliciter occubuiſſent, & ita in funere componebantur; vt ad miſericordiam ſui alios commouerent. At in aliis omnibus ſtragula hæc planè candido nitore micabant. Euſebius in vita Conſtantini magni; *purpureum tegmen feretro tradit iniectum*. Hieronymus in vita Bleſillæ. *ex more parantur exequiæ & nobilium ordine præeunte, aureum feretro velamen obtendıtur*. Et ſunt qui de hoc ipſo accipi volunt quod Prudentius habet in Hymno de exequiis mortuorum.

Candore micantia claro
Prætendere lintea mos eſt

Quod non eſt improbabile: licet vt ſupra vidimus probabilius de ferali ſudone accipiatur; propter id quod ſequitur.

Aſperſaque myrrha ſabæo
Corpus medicamine ſeruat.

Colligitur autem ex D. Gregorio lib. 11. Regiſtri, Conſuetum vſque ad ſua tempora fuiſſe; vt clarorum virorum funera pretioſiſſimè inſternerentur: Romanorum autem Pontificum feretra Dalmaticis conſueuiſſe velari. Quem morem ipſe abrogandum curauit, inſtituens vt nudo feretro deinceps Pontifices efferrentur; propterea quod à populo Dalmaticæ illæ certatim conſciſſæ rapiebantur, & reuerentiæ cauſa ſeruabantur. Indignum autem viro ſanctiſſimo videbatur: cum multa adeſſent ab Apoſtolorum, & martyrum corporibus velamina, à peccatorum (vt ipſe loquitur) corporibus ſumi quod ſeruaretur.

At verò quid in hoc vtroque ornatu feretri Hebræis in vſu fuerit colligere poſſumus ex Ioſepho [c]; vbi de Herodis Aſcalonitæ obitu; cuius c li. 1. de bel. Iud. c. vlt. funus magnificentiſſimè, & in Regium planè morem curatum refert ab Archelao. *Lectus quippe*, inquit, *totus erat gemmis auroque diſtinctus; thorus autem purpura variatus, corpuſque ſuper eum velatum itidem purpura: capiti autem Diadema erat impoſitum, Corona verò deſuper aurea ſceptrumque in dextera, & circa lectum filij eum propinqui.* Ex quo loco poſſet, nonnullis quæſtio ſuboriri: detectum ne corpus in feretro geſtaretur; an velatum. Dicit enim hîc Ioſephus, *corpus Herodis purpura contectum.* Sed plane dubitandum non eſt aperta ſemper funera efferri conſueuiſſe; præſertim nobilium, niſi quis caſus aliter ſeruari iuberet. Nec quod Ioſephus hic habet quicquam pugnat, fauet potius; quomodo enim non detectus Herodes, qui ad ſpectaculum planè compoſitus; cum Diademate, Corona, ſceptro, at velatum purpura dixit, quod planè coopertum ſignificat; dixit non ſua culpa ſed vertentis vitio; ſi tamen hoc *velatum* ſignificat, & non aliquando ſimpliciter indutum, & amictum. Simili quoque modo Chriſtianos elatos veteres hiſtoriæ loquuntur. Hieronymus in vita Paulæ cum dixiſſet ad ipſius funus omnes circum Palæſtinæ populos confluxiſſe; addit ab omnibus hoc obſeruatum, quod nihil pallor faciem mutauerat: *Sed ita*, inquit, *dignitas quædam, & grauitas ora compleuerat; vt eam putares non mortuam ſed dormientem.*

Dixi verò hoc ſeruatum, niſi quis caſus interueniret; nam cum deformitas in mortuo, vel à morbo, vel à vulnere, aut aliunde; ſpectantium oculis ſubtrahebatur. Sic Scipionem Africanum quod mane in ſuo lectulo repertus extinctus cum ſignis eliſarum faucium tecto funere elatum legimus. Velleius [d]: *De tanti viri morte nulla ha-* d lib. 2. *bita eſt quæſtio, eiuſque corpus velato capite elatum eſt.* Sic qui caſu aliquo, & ruina eliſi, aut aliter luxati occumbebant, tecti ſemper elati: qua oc-

caſione vſus eſt Sextus Condianus apud Dionem ad iudicium fallendum: cum enim damnandum ſe intellexiſſet, ex equo quem conſcenderat, ſponte prolapſus, & inde afflictus, mortem poſtmodum ex illo caſu ſimulauit: & ariete pro ſe ſuppoſito, quaſi recta funere ad ſepulturam deductus eſt. Quod potuit: quia cum ſciretur ex prolapſu colliſus; nemo miratus eſt velatum efferri. Præter illam autem veſtem ad feretrum velandum; alia etiam erat ad ſtatum cadaueri præbendum: nam vt hoc ſpeciem planè referret in lectulo cubantis, & quieſcentis; feretrum iis inſternebant quæ viuis etiam ſupponuntur ad dormiendum: qualia ſunt puluilli, culcitræ & ſtragula tomento infarta, quibus inſtratum feretrum turgebat, & aſſurgebat planè ad eam formam qua lectuli cubitorij cum ad ſomnum capiendum proximè apti, & verſati ſunt. propterea lectulus hic feralis ſæpius *altus* dicitur eo quod aſſurgeret, & à Virgilio [a] *ſublimis*, & à Silio [b] *Celſus*.

a Lib. 11.
b lib. 10.

Nunc de feretri geſtatoribus qui in duplici differentia erant. Alij ſponte, & ex beneuolentia erga defunctum munus illud obibant alij ad id propriè deſtinati, & pretio aut miniſterio addicti. Secundi generis Sandapilarij & Veſpillones à Latinis dicti (de quibus ſupra nonnihil attigimus) inter viliſſima operarum miniſteria cenſebantur; ſi tamen pretio id tantum agerent, & mercede conducti. *Foſſarij* etiam, *& ſepultoris* appellari, & ea Græco nomine morti geruli & baiuli defunctorum: honeſtiore autem vocabulo lecticarios Conſtantinus Magnus eos dixit qui in Eccleſia ad hoc munus ex publico ſtipendio exercendum, ſunt inſtituti de quibus in nouella Iuſtiniani [c] & Leonis [d] qui iidem Græco vocabulo à laborando *copiatæ* dicti vt Ioannes Sauarus obſeruat ad Sidonium [e]. At veſpillones reliquos inter viliſſima, & propè infamia vrbium miniſteria ſemper habitos indicat Tertullianus [f], Illos cum laniſtis Lenonibuſque coniungens *veſpillo*, inquit, *leno, laniſta* tecum veſtiuntur. Inceſſiſſe enim iſtos omnes ſtratos, & habitu prorſus ſqualido, & obſoleto hic ſignificat Tertullianus, & Sidonius confirmat lib. 1. Epiſt. 9. per *Cathedrarios*, inquit, *ſeruos veſpillonibus teteriores Domum raptus & reportatus eſt*.

c Nouel. 43. & 59.
d Nouel. 12.
e lib. 2. ep. 8.
f li. 2. de Pal.

Rari igitur per iſtos elati apud antiquos; quod illorum triſtiſſimum miniſterium, & ominoſum cenſeretur. Vnde damnati tantum; vel populo inuiſi, aut ex extrema plebe per iſtos geſtari: reliqui amicorum, & propinquorum humeris portabantur. Et in Eccleſia vt dixi certi erant qui publicis redditibus ſuſtentati id omnibus exhibebant: quos iam inde à principio naſcentis Eccleſiæ inſtitutos agnoſcit Onofrius [g]. Quem ſequuntur Baronius [h] & Durantius de ritibus [i] Eccleſiæ colliguntque ex Actibus [k] Apoſtolorum. Vbi ſignificantur certi iuuenes fuiſſe qui Sapphiram, & Ananiam ad ſepulturam abſtulerunt; quod quam verum ſit, & ſolidè ex eo loco firmetur, diſcutere nunc non eſt opus. At quot iſti geſtatores erant? ordinarium numerum quatuor fuiſſe puto Martialis [l].

g Cap. 5.
h Tomo 3. Annal. an. 310.
i lib. 1. c. 23.
k Cap. 5.
l lib. 7. epig. 75.

Quatuor inſcripti portabant vile cadauer
Accipit infelix qualia mille rogus

Et totidem etiam agnoſcit. D. Ambroſius [m] myſticè exponens ſuſcitationem filij viduæ Naimitæ *qui quidem mortuus*, inquit, *in loculo materialibus quatuor ferebatur elementis*. Dixi ordinarium numerum quatuor fuiſſe. Nam qui carorum humeris geſtabantur, longè plures habebant qui certatim feretrum ſubire contenderent vt mox ſubiiciam.

m In c. 7. Lucæ.

Honeſtiores ergo omnes à voluntariis portitoribus geſtabantur. Et primò quidem propinqui erant, & cognati; tum apud Hebræos; tum apud alias gentes, & præſertim Romanos. De Hebræis colligi non leui coniectura poteſt ex modo illo loquendi toties vſurpato; cum filios Patrem, vir vxorem, frater fratrem, &c. *ſepeliſſe* dicuntur. Licet enim alios ſenſus recipiat, hunc tamen ita non reſpuit, vt facilius etiam quam quemlibet alium admittat intelligendo *ſepeliſſe* id eſt ad ſepulturam geſtaſſe. Quod inde etiam firmatur; quia nunquam (ſi rectè memini) aut raro admodum fœminæ in ſcriptura dicantur quemquam ſepeliiſſe: quæ tamen ſui manibus nonnunquam alios componebant, & ad ſepulchrum etiam comitabantur. Signum ergo id eſt *ſepeliſſe* aliquem maximè propriè ſignificare ipſum ad ſepulchrum geſtaſſe; quod nunquam à fœminis factitatum. Omitto hic Tobiæ pietatem qui cadauera ſuis humeris efferebat, extraordinarium enim illud erat nec inde argumentum duci poteſt ad id quod vſu paſſim receptum eſſet oſtendendum.

At in Chriſtiana Eccleſia id maximè conſuetum fuiſſe colligitur ex Sidonio [n] vbi de obitu Filimatiæ inſignis matronæ *Hanc tamen*, inquit, *ſi quis haud incaſſum honor cadaueribus impenditur; non veſpillorum Sandapilarumque miniſteria ominoſa tumulauere; ſed cum libitinam ipſam flentes omnes externi quoque prenſitarent remorarentur exoſcularentur, ſacerdotum propinquorumque manibus excepta perpetuis ædibus dormienti ſimilior illata eſt*. Nota *propinquorum manibus excepta tumulata eſt*. Quod licet ſignificet ſepultam tantum, & non geſtatam: tamen hoc ipſum indicat id quod præceſſit. *Libitinam* id eſt feretrum omnes, & etiam externos prenſitaſſe. Cum enim *etiam externos* acceſſiſſe dicit ad portandum alios qui geſtabant propinquos fuiſſe ſignificat.

n lib. 2. ep. 8.

At apud Romanos res teſtatior eſt. Soliti enim illi humeris efferri hæredum ſuorum: qui vt plurimum non ſolum propinqui; ſed inter hos magis iuncti. Horatius [o].

o lib. 2. ſat. 5.

Ex teſtamento ſic eſt elata cadauer
Vnitum oleo largo nudis humeris tulit heres

& diſertè Seruius in Virgilium [p]. *Deferendi feretrum propinquioribus dabatur munus*. quare Plinius [q]. Non vt nouum, & inſolitum obſeruat Quintum Metellum Macedonicum à filiis geſtatum; ſed à filiis prætoriis & conſularibus; quod in partem felicitatis ponit. Vnus enim ex illis Prætor erat; tres Conſulares & omnes quatuor (qui conſuetus vt dixi numerus geſtatorum erat) Patris feretrum ſubiere. Valerius [r] ſic de eo. *Quintum Metellum vltimæ ſenectutis ſpatio defunctum, lenique genere mortis inter oſcula complexuſque chariſſimorum extinctum filij & generi humeris ſuis per vrbem latum rogo*, impoſuerunt & ab eodem more Iuuenalis Satyra 10. Priamum felicem futurum dicit ſi nunquam Helena Trojana littora tetigiſſet; quia ſua die defunctum geſtaſſent ſuis humeris Hector, & fratres ad ſepulturam.

p lib. 6.
q lib. 7. c. 44.
r li. 7. c. 1. §. 1

Incolumi Troia Priamus veniſſet ad vmbras
Aſſaraci magni ſolemnibus; Hectore funus
Portante, ac reliquis fratrum ceruicibus; inter
Iliadum lacrymas.

Secundò

Secundò in nonnullorum funeribus propinquorum loco magiſtratus ipſi,& perſonam pubiteam gerentes ſuccedebant;nec humeros feretro ſupponere dedignabantur. quando nimirum non quicunque ſed qui clariſſimi ſuis aut maiorum
a Cap.84. meritis efferebantur. Suetonius [a]. De Iulio Cæſa-
b lib.3.Annal. re. *Lectum eius*, inquit, *in forum Magiſtratus & honoribus functi detulerunt*. Tacitus [b], De Germanico. *Igitur Tribunorum Centurionumque humeris cineres portabantur*. apud Chriſtianos verò qui fama ſanctitatis celebres occubuiſſent Epiſcoporum,& Regum ipſorum humeris geſtabantur. D.Hieronymus de Paula. *Tranſlataque eſt Epiſcoporum manibus, & ceruicem feretro ſubucientibus.*
c Qua eſt orat.20. Nazianzenus de S.Baſilio [c]: *Elatus autem Sanctus ipſe Sanctorum manibus efferebatur*. id eſt Epiſcoporum. Metaphraſtes in oratione de obitu B. Virginia *Diuina Arca* id eſt B. Virgo, *ex Sion vecta Apoſtolicis humeris,& manibus.*

Quin nec ipſi Reges hoc pium miniſterium abnuerunt. Rex enim Theodoricus S.Theodorici Preſbyteri corpus propriis humeris ad Sepul-
d Kalen.Iul. chrum deportauit; vt author eſt Vſuardus [d] in Martyrologio & ex illo Surius.

Tertiò etiam hoc munere fungebantur qui inſigni aliquo beneficio à defuncto fuiſſent affecti Ideo pleroſque legimus humeris libertorum
e Sat.3. ad ſepulturam deductos. Perſius [e]

at Illum
Heſterni capite induto ſubiere Quirites.

Heſterni Quirites id eſt pridie libertate donati & ciues effecti,& id pileo teſtantes. Hoc eſt enim *capite induto* non vt Grammatici in ſignum triſtitiæ coopetto; ſed in argumentum libertatis acceptæ pileati. Similiter Pluiarcbus in vita Æmilij Pauli refert in ipſius obitu quotquot Romæ fuerunt Hiſpani, Ligures, Macedones in memoriam beneficiorum quæ ab illo acceperant, validiores quidem feretrum ſubiiſſe; reliquos vero proſecutos; ſeruatorem & Patrem Patriæ ſubinde repetentes. Abſoluo hoc ſi breuiter explicauero; quomodo induti qui geſtabant, & qua ratione geſtauerint. De illo dubitationem facit quod ex Horatio adduximus

Cadauer
Vnctum oleo large nudis humeris tulit heres.

An ne ergo nudi hoc officium exſequuti? forte apud Romanos: at non apud noſtros, quos certo ſcio probe indutos hoc peregiſſe. At quo amictu? Funeſto ne & lugubri, an alio? vix quicquam eſt certi, quod poſſis definiri; niſi quod Romanos, vel nudatos humeros ſuppoſuiſſe, vel quod ſciſſa veſte ſic appellatos conijcere poſſumus. De ratione geſtandi ſunt qui manibus geſtaſſe putent; ſed vere dicendum humeris ceruiceque geſtaſſe; adiunctis, vt fit ad capulum manibus: vnde eſt vt capitibus & manibus geſtaſſe à quibuſdam ſit dictum. Capitibus quatenus ceruix etiam oneri ſuppoſita: manibus quatenus illæ etiam admotæ.

Capvt VII.

Ad locum 2.Reg 3. Dixit autem Dauid ad Ioab, & ad omnem populum qui erat cum eo: Scindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite ante exequias Abner: Porrò Rex Dauid ſequebatur feretrum.

Sopran. in Dauid.

Agminis Ordo in funebri pompa, & deductione exequiarum: qui præcederent feretrum, qui ſtiparent, & ſequerentur: tubas, & tibias, faces & lampades præceſſiſſe: totum agmen aliquando luminibus cinctum: maiorum nomina Hebræis loco Imaginum quæ in Romano funere geſtari ſolitæ: Ioab cur iuſſus Abneris feretrum antecedere: parentes in funere filiorum cereos geſtaſſe.

At hæc omnia quæ in efferendo cadauere adhibebantur, ſuis quoque locis diſpoſita in publicum procedebant. qua de re nobis nunc eſt agendum, & tota funeris pompa quod ad ordinem ſpectat explicanda. Maximam ergo curam ordinis habitam eſſe in tota hac ferali celebritate, indicant voces ad id vſurpatæ; quæ omnes ordinem quendam ſignificant plurium inter ſe mutuò ſuccedentium, & antecedentium; quales ſunt, *ducere, deducere, exequi, procedere, producere funus*. Quin etiam proprio vocabulo tota pompa *exequiæ* eſt appellata; ab exſequendo ſcilicet & ſequendo; quod fit cum aliis præcedentibus ſequuntur alij. Id ipſum confirmat etiam quod inter eos qui funus curabant *deſignatores* erant, quorum proprium diſponere pompam exequiarum; & ſuum cuique locum modumque præſcribere procedendi. Denique in vno aliquo funere lectuli nonnunquam innumeri geſtabantur. Quæ ergo confuſio ſi non certo ordine inceſſiſſent? nam in funere Marcelli Auguſtus ſexcentos lectos præferri iuſſit: & Sylla ſex millia habuit ex quibus etiam, referente Pluiarcbo in eius vita, ducenti pleni pretioſis odoribus cum ipſo cremati ſunt. Cæterùm cum tot, & tam varia in hac ferali deductione interuenirent; difficile eſt quem ſingula locum inter ſe habuerint certo ſignare; tantum illud poſſumus definire quæ feretrum ſecuta ſint, & quæ anteceſſerint, & ex iis quæ proxima eſſent, & quæ prima in pompa.

Antecedebant ergo tubæ, faces, ſigna, inſignia, cantus, & chori, turba cohoneſtantium, famuli; tum qui ſeruiebant adhuc; tum qui manumiſſi; maiorum imagines: cingebant verò feretrum odores. Sequebantur proximè cognati,& propinqui,& poſt hos promiſcua turba.

Primo loco ergo certum eſt fuiſſe tubas, & quicquid rauco ſonitu perſtrepebat; ſi enim ad frequentiam conciendam, & pompam cohoneſtandam tuba adhibebatur; æquum erat primo loco præcedere; vt integræ pompæ ſpectatores adeſſent. Ex quo ritu nunc etiam quibuſdam in Regionibus & in Italia, etiam ſeruari audio; vt cum mortui efferuntur, præcedant qui tintinnabula pulſant: obtinuiſſe autem illud etiam apud Hebræos colligitur ex Matth. cap.2. vbi in apparatu funebri ad filiam Archiſynagogi deducendam tibicines primo loco recenſentur, ad portam tumultuantes. Ibi enim illi, quia primi in agmine reliquis præire debebant. Porrò tibicines, & non tubicines fuiſſe dicuntur ex priſco ritu Tuba enim in maiorum, tibia autem in minorum funeribus adhibebatur. Maiorum inquam non nobilitate & opibus, ſed ætate. Luctatius antiquus Interpres in Statium [f] *iubet religio vt maioribus mor-* f lib.6.

Digitized by Google

tuis tuba; minoribus tibia caneretur. Vnde Statius.

Tibia cui teneros ſuetum deducere manes.

quia ergo Archiſynagogi filia in primo adhuc flore deceſſerat, idcirco ad illam tibiæ & tibicines confluxerant; quos primos omnium fuiſſe in agmine & loco ipſorum tubicines Per-
a Sat. 3.
ſius quoque indicat [a] vbi de pompa funeris, & elatione cadaueris.

Hinc tuba candela, tandemque beatulus alto
Compoſitus lecto: craſſiſque lutatus amomis
In portam rigidos calces extendit.

quia enim in pedes mortui efferebantur; in portam extendere calces illum dixit cum ſublatus in humeros exportabatur.

Non omittam poſſe huic ritui aptari quod
b Pſal. 9.
apud Regium Pſaltem [b] habetur, de magnatibus huius ſeculi. *Periit memoria eorum cum ſonitu.* Supremum enim hoc officium mortuis impenſum, tantiſper eorum memoriam apud præſentes ſeruat; dum durat ille ſonitus, & ſtrepitus, ſiue tubæ ſiue tibiæ, ſiue Campani æris quo, ad ſepulchrum deducuntur. Vnde veriſſimum eſt *memoriam eorum ſimul cum ipſo ſonitu perire.*

Poſt tubas quid proximè ſequeretur non facile eſt definire: probabile mihi eſt faces, & lampades. Indicat Perſius loco citato

Hinc tuba, candela.

Siue autem proximè poſt tubas, ſiue ex interuallo, præceſſiſſe tamen feretrum certa res eſt. D. Hieronymus de funere [c] Paulæ; *Cum alij Pontifices lampadas cereoſque præferrent.* Quod cum dico ita intelligi volo, vt ſimul feretrum ipſum luminibus, cereiſque vndique cinctum intelligatur. propterea enim Virgilius Lumina hinc inde longa ſerie ad latera agminis diſpoſi-
c lib. 11.
ta ſignificat vbi de Pallante [c]

lucet via longo
Ordine flammarum, & latè diſcriminat agros:

Præcedebant quoque feretrum *canentes, choroſque* ducentes. Hieronymus poſt Pontifices lampades geſtantes, illos ſubiicit, qui choros pſallentium ducebant: ex qua conſuetudine huc vſque in Eccleſia ſeruatur, vt religioſi viri, qui Pſalmis defunctum deducunt, feretrum antece-
d lib. 2. hiſt. Vandal.
dant. Victor [d] Vticenſis *Gaudens autem quæ aderat multitudo corpora ſanctorum Martyrum diligenti tradidit ſepulturæ præeunte Clero venerabili, & præcinente Carthaginenſis Eccleſia.* Et Chorippus in funere Iuſtini Imperatoris loquens de iis qui feretrum antecedunt.

Hinc leuitarum venerabilis ordo canentum.
Virgineus tonat inde chorus, & æthera pulſat.

Proximè verò ante ipſum feretrum incedebant qui inſigni aliquo beneficio defuncto obſtricti: tales erant liberti, & manumiſſi. Vnde Quintus Terentius Culeo, de ſupra; Scipionis lectulum per quem à captiuitate exemptus fuerat pileatos anteceſſit; quaſi ſeruus libertate donatus, vt lo-
e li 30. extr.
co citato Liuius [e].

Ex quo ritu ſuſpicio mihi eſt illud fuiſſe quod Dauid iuſſit [f] in funere Abner. *Dixit autem Dauid ad Ioab & ad omnem populum qui erat cum eo, ſcindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite ante exequias Abner, porrò Rex Dauid ſequebatur feretrum.* Illud enim *ante exequias Abner* proximè ante ipſius lectulum eſt accipiendum: vnde in Hebræo eſt *ante Abner*, mortuum ſcilicet & lectulo geſtatum: idcirco autem Dauid hoc voluit; vt ea ratione Ioab qui Abnerem occiderat, vitam quam ex Indulgentia Dauidis retinebat; ab ipſo quaſi Abnere recognoſceret, & eo pacto offenſioni populi ſatisfieret; ſi quam ex morte Abneris in Ioabum non vendicata concepiſſet.

At feretrum ipſum circumamplectebantur & cingebant vndique maiorum imagines, qui Illuſtriores, & defuncto proximi. Nam reliqui etiam longo ordine antecedebant: loco quorum apud Hebræos ij erant qui cantu laudes, & facta celebrabant defuncti, & maiorum; eorum ſubinde nomina ingeminantes: de imaginibus; apud Romanos præſertim, clarè conſtat ex proximè dictis, & à Tacito habe-
f lib 4. Annal.
mus [f] de funere Druſi vbi dicit *lectulo circumfuſas Claudiorum imagines.* De Hebræis verò, & laudibus ab ipſis ſic decantatis indicat. D. Hieronymus in vita Fabiolæ, & confirmant quæ toties in Scriptura dicuntur de iuſti memoria, & nomine apud poſteros *cum benedictione repetito* de quo dicitur quod requiritur *in ſeculum ſeculi.* Quomodo requiritur? quia defuncto aliquo in ipſius laudem aſſumebatur, fuiſſe illum ex genere Dauidis, ex genere Ioſiæ, ex genere Tobiæ ad quod alluditur in
g Cap. 39 13
Eccleſiaſtico [g]. *Non recedat memoria eius, & nomen eius requiretur à generatione in generationem, ſi permanſerit nomen derelinquet pluſquam mille, & ſi requieuerit proderit illi.*

Circa feretrum erant lectuli alij in quibus foculi, & acerræ odoribus incendendis, qua de re, & apud Hebræos, & apud Romanos vſurpata iterum paulò pòſt: ſatis nunc ſit quod Ioſephus
h lib. 1. de bel. Iud. extr.
refert de Magni Herodis [h] funere. *Quingenti*, inquit, *ſerui, & liberi odores ferebant.* Quos maximè circa feretrum inceſſiſſe ſignificat.

Denique feretrum ipſum tria genera perſonarum ſequebantur, primò propinqui, & ſanguine vincti, ſecundò magiſtratus & viri Principes, tertiò turba promiſcua: de cognatis clara res eſt, & conſtat ex Vidua Naimita quæ feretrum filij ſequebatur, & ex querela Matris Euriali apud
i lib. 9.
Virgilium [i].

Nec te tua funera Mater
Produxi.

id eſt nec te elatum, & ad rogum deductum proſecuta ſum. Quod apud Chriſtianos antiquis temporibus etiàm ſeruatum puto cum hoc inſuper, vt parentes ipſi cereos accenſos manibus geſtarent. Indicat id non obſcurè Nazianzenus in oratione de obitu fratris Cæſarij cuius pompam funeris deſcribens inter alia hoc habet. Ad martyrum ſacraria cum pompa ductus, honoratus eſt ſanctis parentum manibus; materna cereorum geſtatione pietatem mœrori ſubrogante. Quo in loco vox Græca eſt λαμπροφορία lamprophoria à Niceta & Bilio ſic explicata vt diximus, licet aliter ab Elia Cretenſi.

TERTIA

TERTIA PARS

DE SEPVLTVRA, ET SEPVLCHRO.

Capvt Primvm.

Ad locum 1. Reg 31. verſ.12. Viri Iabes Galaad tulerunt cadauer Saul & filiorum eius & combuſſerunt ea igne, & tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt in nemore Iabes.

Ex variis condendorum corporum ritibus qui maximè apud Iudæos obtinuerit: combuſtio illis an in vſu, & quatenus.

SEpeliendorum corporum non vna fuit apud omnes gentes ratio: ſed vnaquæque vt certis quibuſdam notis ab aliis diſtincta eſt in ſermone, & cultu; ita ſuos quoque ritus ſecuta eſt in ſepulchro, & funere. Lucianus de luctu. *Omnibus*, inquit, *commune eſt mortuos lamentari, & condere: ſed non omnibus vna eſt ratio condendi, & ſepeliendi.* Omnibus cum id commune dicit, barbaros non intelligit; ſed eos quibus aliquis humanitatis ſenſus; & ſubdit. *Nam Græcus exurit, Perſa defodit; Indus adipe ſuillo oblinit; Scytha deuorat; condit Ægyptius.* Quam eamdem ſententiam verſibus non inelegantibus amplectitur Sillius [a] mortem nimirum omnibus vnam eſſe; non vnam tamen mortuos tumulandi rationem. Iberos enim ſuos vulturibus obiicere Hircanos canibus, Ægyptios condire odoribus; Bithinos myrrha durare, Garamanthas arenæ infodere; Naſamones mari immergere; Celthas nudata oſſa ſecum geſtare; Scythas denique ſuſpendere ex arboribus quos omnes ritus ſic ille exponit.

a lib.13.

namque iſta per omnes
Diſcrimen ſeruat populos variatque iacentum
Exequias: tumuli, & cinerum ſententia diſcors.
Tellure, vt perhibent is mos antiquus Ibera
Exanima obſcœnus conſumit corpora vultur.
Regia cum lumen poſuerunt membra probatum
eſt
Hircanis adhibere canes; Ægyptia tellus
Claudit adernata poſt funus ſtantia ſaxo
Corpora & à menſis exanguem haud ſeparat
vmbram
Exhauſto inſtituit Pontus vacuare cerebro.
Ora virum, & longum myrrata reponit in æuum.

Verùm omiſſa barbara, & immani eorum conſuetudine qui cadauera nulla ſepultura honeſtabant; aliorum omnium, quibus aliqua ſepulchri cura diuerſos in ea ſeruatos ritus, ad duo ſumma capita poſſumus reuocare *combuſtionem*, & ſimplicem *tumulationem*. Combuſtio quid hic ſit omnes norunt: ſimplex vero tumulatio mihi eſt quæcunque integri cadaueris occluſio. Porrò *tumulandi* verbo conſultò vſus ſum; & in re funebri, funebre quoque vocabulum vſurparem; quale non eſt occluſio aut aliud ſimile. tumulatio ergo hic accepta alia erat, cum corpora humo obruebantur, quæ antiquiſſima, & maximè communis ſepeliendi ratio, *inhumatio* eſt appel-

Sopran. in Dauid.

lata: alia cum in arca condebantur: alia cum ſepulchro, & certis ædibus inſerebantur; quæ ſpecies deinde inter ſe variè commixtæ diuerſas rurſus ſepeliendi formas inducebant. Nam, & corporum quæ comburebantur reliquiæ arca deinde, aut terra, aut ſepulchro condebantur; & quæ integra arca erant incluſa, terræ etiam aut ſepulchris ritè inſerebantur. Sed nos primas, & maximè ſimplices formas exequimur; ad quas, vt diximus, alia poſſunt ſepulturæ diſcrimina reuocari. Ex his ergò vt videamus quæ maximè ſepeliendi forma apud Hebræos obtinuerit primo loco diſcuriamus, an apud illos aliquando cadauerum crematio in vſu fuerit.

Sunt qui affirment; non quidem à principio, ſed medio tempore ſub Regum imperio, nec in omnes id obſeruatum; ſed in illuſtriores, & Reges ipſos in primis. Suaderi poteſt id; tum qui in Scriptura clarè nonnulli combuſti dicuntur vt ſepulturæ darentur, & id ad illos magis honeſtandos vſurpatum traditur. omnes enim, qui ſic ſepulti, Reges fuerunt aut Regum filij de quibus in Samuele [b] viri Iabes Galaad tulerunt cadauer Saul, & filiorum eius, & combuſſerunt igne & tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt in nemore Iabes. Quod enim iſti fecerunt; in honorem Saulis, & filiorum fecerunt: ritè autem, & ex more feciſſe conuincitur quia à Dauide deinde ob id laudati, & à Deo ipſo præmio affecti ſunt. præterea apud Ieremiam Deus Sedechiæ pollicetur pacatam mortem, & Regiam ſepulturam per *hanc corporis cremationem.* erat ergo id vſitatum non ſolum; ſed etiam eiuſmodi; vt eo officio carere pro ſupplicio eſſet; illo vero defungi pro præmio. *Audi*, inquit, *verbum Domini Sedechia Rex Iuda: non morieris in gladio; ſed in pace morieris, & ſecundum combuſtionem Patrum tuorum Regum priorum, qui fuerunt ante te, ſic comburent te & va Domine plangent.* Contra de Rege Ioram impiiſſimo dictum [c] eſt ſine iſto combuſtionis honore ſepulturæ mandatum in pœnam impietatis. *Mortuus eſt in infirmitate peſſima; nec fecit ei populus ſecundum morem combuſtionis exequias, ſicut fecerat maioribus eius.* Combuſtio ergo Iudæis vſitata; & quidem in honeſtiſſimo funere nempe Regio.

b lib.1.Reg. c.31.

c 2. Paral. 21.19.

At verò ex altera parte ſunt quæ alia omnia ſuadeant. primò enim nullus Patriarcharum, ſic tumulatus eſt: non Sara, non Abraham, non Iſaac, non vllus eorum deinque, qui in Geneſi defuncti traduntur. Deinde nec tempore Regum id in vſu fuit. Nam qui Saule regnante exceſſerunt, integri ſepulchro illati ſunt, vt patet de Samuele. Similiter regnante Dauid filij & nepotes Saulis eadem ſunt ratione compoſiti. Quin ipſe quoque Dauid, eius filius Salomon, & omnes alij aperta non cremati; ſed ſimpliciter tumulati dicuntur. Præterea conſtans eſt noſtrorum, & externorum traditio combuſtionem cadauerum; gentilium & aliorum fuiſſe: proprium autem Iudæorum integra corpora recondere. Quod non obſcurè indicauit B. Ioannes [d] *ligauerunt*, inquit, *illud linteis cum aromatibus ſicut mos eſt Iudæis ſepelire.* Verba enim illa, *ſicut mos eſt Iudæis ſepelire*, planè ſignificant, ritum apud Hebræos ſeruari ſolitum, non cum crematione fuiſſe. Et Tacitus vbi de Iudæis: *Corpora eos condere quam cremare ex more Ægyptio* dicit, de quibus, & Pomponius [e] Mela, *mortuos nec cremare, nec fodere fas putant.* Et Laërtius in Pyrrone, *Ægyptij*, inquit,

d Cap.19.

e lib.3.c.9. de ſitu orbis.

inquit, *condientes ſepeliunt ; Romani incendentes.* Deuique omnes conſentiunt cremationem Græcorum, & Romanorum propriam fuiſſe altis alios ritus ſeruatos & inde eſt quod à principio naſcentis Eccleſiæ mos iſte apud noſtros ſemper adeò ſit improbatus. quod enim Gentiles tantom, & ex his qui maximè ſuperſtitioſi eraut, & falſarum religionom propagatores morem illum vſurparent: Contra vero Iudæi ex quibus prima Eccleſia erat illum adeò eaecrabautur ; genus impietatis exiſtimarunt, corpora comburendo funerare.

a Cap. 1. Tertullianus [a] de reſurrectione caruis: *at ergo video vulgus tum quoque cum ipſos defunctos atrociſſimè exurit ; quos poſt modum guloſiſſimè nutrit ; iiſdem ignibus & promerens, & offundens. O pietatem de crudelitate ludentem?* Similia habet Minotius in Octauio: apud quem neſcio quis de Chriſtianis dicit *inde videlicet, & execrantur rogos,* & damnant ignium ſepulturam.

Hac tota de controuerſia ſic exiſtimat Abolenſis 1. Reg. 31. quæſt. 18. Comboſtionem non fuiſſe Hebræis paſſim in communi vſu: ſed tantùm in Regio funere: Reges autem non toros combuſtos, vt erat Gentilium nos: ſed eorum aliquos eatenus, tantum, vt carnes difflueret; ſeruatis oſſibus: alios autem ſolummodo ambuſtos, vt diutius odorem conceptom cadauera ſuffitibos afflata retinerent, & hoc tantum ſatis illa indicare videntur exempla quæ attulimus. Nam verè Saul, & filij combuſti reſeruatis tamen eorum oſſibus dicuntur: at Aſa, non combuſtus ipſe dicitur. *Sed ſuper ipſum odores.*

Mihi verò certa res eſt cremationem corporom nollo modo ex Hebræorum inſtituto fuiſſe. Ita ſentit Lyran. 1. Reg. 31. quem ſequuntur Hugo, Dionyſius, Vatablus, Iſidorus, & alij recentiores in Ieremiam [b] at Saul combuſtus dicitur.

b Cap. 34.
c part. 1. de Vrbe lib. 3. cap. 17.

Negat id Villalpandus [c]; clarius tamen Scriptura loquitur quam, vt id negari poſſit. Combuſtus ergo eſt, ſed præter morem, & in tumoltoario funere, Saulis enim, & filiorum cadauera à Palæſtinis ignominioſè ſuſpenſa fuerant: ea vt ſepulturæ mandarent viri Iabes clanculum furati ſunt: quod vt tutiùs, & faciliùs cederet, igne quod in iis tabidum erat abſumendum putarunt; quo arida deinde oſſa nollo onere impediri in patrios fines expeditius transferrent. Aſa verò clariſſimè non combuſtus dicitur; ſed ſuffitus tantom; & ignis aura perflatus; vt odores ad intima magis penetrareor. *Plenum*, inquit, *vnguentis meretriciis ſuper lectulum poſuerunt, quæ combuſſerunt ſuper eum ambitione nimia.* At Sedechias *comburendus* dicitur. Verum eſt; ſed cum reſtrictione; additur enim *ſecundum combuſtionem patrum tuorum qui fuerunt ante te.* Illi autem comburi dicebantur, non quod ipſi igne abſumerentur; ſed quod alia circa, & ſuper eos incenderentur. Propterea bene obſeruat Vatablus ad eum

d Cap. 34. locum Ieremiæ [d] vbi noſtra vulgata habent *comburent te* ad verbum in Hebræo eſſe *comburent tibi*, aromata ſcilicet, & varia odoramenta. Et ex hoc occurri facile poteſt tacitæ obiectioni. Quomodo enim cadauer ipſom non incenſum, ſi ſuper ipſum tot odoramenta combuſta? nam, & hæc flammas nutriunt tenaciſſimè & illud pinguedine ſua facilè concipit. Lyranus, & alij afflatum tantum concedunt, & leuiter ambuſtum: quod etiam difficultatem habet, primo quomodo non totum, & vndequaque præſertim cum tanta copia ſuper illud aromata aggerarentur: deinde iſtud ipſum, afflatum nimirum fuiſſe, perſtrictum, & ambuſtum non plane qoadrat. ad quid enim? vt deformius cadauer ſemiuſtulatum appareret: pretioſis veſtibus velatum, & ſemicoctis carnibus miſeram carnificiuam ſpirans? dicendum igitur aromata non ſuper ipſum cadauer ingeſta; ſed circa ipſum. At in libro Paralipomenon [e] ſuper Aſa perſpicuè diconrur Aromata combuſta. e lib. 2. c. 16. Reſpondeo ſicut *flere ſuper mortuum* non eſt vt dicebam ſuper ipſum cadere; in illius amplexus, & oſcula ruere, & ad os ore admoto ſtringendo lugere: ſed ipſo præſente tantum lamentari: ita comburere *ſuper mortuum aromata* erat ipſo præſente cadauere, illa cremare, & latè omnia circa ipſum ſuaui odore complere.

Capvt II.

Ad locum Pſ. 77. v. 62.

Et concluſit in gladio populum ſuum, & hæreditatem ſuam ſpreuit. Iuuenes eorum comedit ignis, & virgines eorum non ſunt lamentatæ.

Mos cremandorum cadauerum ex quibus maximè cauſis inductus, & apud quos? ingentes ſtrages ſiue quæ à morbo; ſiue quæ à bellica clade, cauſam præcipuam præbuiſſe: aliis ab hoſtium immanitate, ſiue à vana ſuperſtitione in id impulſis. In Chriſtiana Eccleſia ſemper id repudiatum nec aliter quàm pro ſupplicio habitum: apud alios quouſque obtinuerit, lib. 5. Tertull. & alij illuſtrati.

AB inſtituto noſtro non videbimur aberrare ſi quæ gentes corpora cremare conſueuerint inueſtigabimus, & breuiter proponemus. Lucem enim id non exiguam afferet, quam pluribus Scriptoræ & Sanctorum Patrum locis, qui ad ritum illum alludunt noo quod ab Hebræis; ſed quod ab aliis eſſet vſurpatus.

Sine controoerſia ergo eſt apud Græcos, & Romanos id maximè obtinuiſſe: Lucianus de luctu *Græcus exurit, Perſa defodit.* Et Sillius [f] loco ſupra citato hoc illis tribuit. f lib. 13.

Cecropidæ ob patriam Mauortis ſorte peremptos
Decreuere ſimul communibus vrere flammis.

Et inde eſt quod apud Homerum Heroes omnes non aliter, quam per cremationem ſepulturæ traduntur de funere [g] Elpenoris. g Odiſ. li. 13.

pia membra dolentes.
Condimus atque arſis funus ſplendentibus armis,
Inque rogos cineres collapſi, & flamma quieuit.

Et alibi [h] de Achillis funere. h Iliad. 24.

Solque dies poſtquam binos reparauit eous
Tum te conijcimus flammis atque ignibus atris.

Qua in re diutiùs oou immoror ue operam, & laborem perdam in eo aſtruendo de qoo nemo dubitat. Id tamen admoneo; ita comburere corpora Græcis cooſuetum, vt ſimol etiam liberum eſſet, nec eatra communem morem, ſimpliciter illa tumulare. Itaque alterutrum promiſcuè pro cuiuſque volũtate vſurpabatur. ex Platone id clarè colligo apud quem Socrates veneuom hauſturus ſic Phædonem alloqoitur. *Vt Crito faciliùs ferat, & videns corpus comburi aut humo mandari*

meam

inſam vicem minimè indignetur quaſi acerba quadam paſſus fuerim. & Cicero de Athenienſibus clarè teſtatur [a] humationem illis à principio in vſu fuiſſe. *Nam & Athenis* inquit iam illo more à Cecrope vt aiunt permanſit hoc ius terra humandi. permanſit dixit, vt ſignificaret non abolitum, ſuccedente alio cremandi ritu.

a lib. 2 de legib.

Poſt Græcos Romani maximè combuſtionem corporum ſequuti ſunt; adeo vt *more Romano* condi, eſſet ſepulturæ poſt rogum, & cremationem mandari. Tacitus de Popæa: *Corpus non igne abolitum, vt Romanus mos.* Laertius in Pyrrhone, *Ægyptij quoque condientes corpora ſepeliunt, Romani verò incendentes.* Receptum autem id Romanis ſtatim à principio naſcentis vrbis. Nam, & ſub Regum imperio id quoque obtinuit. Plutarchus in Numa de eius ſepultura. *Corpus crematum non eſt quod ipſe prohibuerit: duas autem lapideas arcas confecere, & ſub Ianiculo poſuerunt. In quarum altera eius corpus condebatur, in altera liber ſacrorum.* At Plinius aliter ſentire videtur, qui inſtitutum cremandi ad Syllam refert [b] ipſum cremare, inquit, *apud antiquos non fuit veteris inſtituti: terra condebantur: at poſtquam longinquis bellis obrutos erui cognouere, tunc inſtitutum. Et tamen multæ familiæ priſcos ſeruauere ritus: ſicut in Cornelia nemo ante Syllam Dictatorem traditur crematus; idque voluiſſe veritum talionem eruto C. Marij cadauere.* Verum hæc Plinij qui diligenter attendit comperit non originem eius ritus ſimpliciter ad Syllam reducere, ſed quatenus in Corneliorum familia ſeruabatur. prius autem cœptum clarè ſignificat: ita tamen vt liberum quoque eſſet nec extra morem aliter ſepelire: quod etiam ipſum clarè diſcimus ex Cicer. qui lib 2. de legibus Syllam crematum dicit non primum Romanorum, ſed gentis Corneliæ. *Caij Marij*, inquit, *ſitas reliquias apud Anienem diſſipari iuſſit Sylla victor* ..... *quod haud ſcio, an timens ne ſuo poſſet corpori accidere primus è patritiis Corneliis igne voluit cremari.* Licet enim crematio iam tunc Romanis in vſu non tamen in omni familia recepta.

b lib. 7. c. 54.

At vnde id ortum habuiſſe dicamus? mirum enim videri poſſit quomodo Romanis, & Græcis omnium gentium humaniſſimis, & doctiſſimis conuenire potuerit maximè inhumanum, & crudele facinus exercere in hoc humanitatis officio. rectè enim Tertullianus [c] de Reſurrectione carnis *pietatem* id appellauit *ex crudelitate ludentem.* Pietatem quia in mortuorum honorem id inſtitutum: *de crudelitate ludentem*; quia *acerbiſſimè exurit, quos ſtudet promereri.* Tria fuere meo Iudicio, quæ originem illi ritui dedere, crebræ mortes: hoſtium crudelitas: vana ſuperſtitio.

c Cap. 5.

Crebræ mortes; ſiue in peſtilentia, & morbo graſſante; ſiue in diuturno bello. Cùm enim ex vtroque magnæ clades exiſterent & ſtrages hominum; non ſufficiebant, qui ſupererant mortuis colligendis, & humandis: vnde alterum ex duobus conſequi neceſſe erat: vel vt illi inſepulti abiicerentur, vel vt ratio aliqua iniretur, qua facilè & expeditè multi ſimul ſepulturæ poſſent mandari. viſa ergo illis idonea eſt corporum crematio; qua conſumptis carnibus oſſa reliqua nuda remanerent & humo commodius aut alia ratione conderentur. At cur non inſepultos potiùs deſerebant? immanius id illis viſum; & præterea cum ſuperſtitum certo diſcrimine. Corrupto enim aëre ex tot cadauerum ſimul aggeſtorum teterrimo halitu non dubium quin certum viuentibus exitium expectandum eſſet ex mortuorum neglectu: vindicantibus quodammodo illis ſuorum incuriam in hoc ſupremo officio curando. Hanc ſuſcepti ritus originem non obſcurè Homerus ſignificat; dum cremata corpora ſæpius commemorat præmiſſa prius pugna ex qua cædes, & ſtrages extitiſſent quod idem fortaſsè indicatur à Regio Pſalte in deſcriptione ingentis cladis Hebræorum. *Et* [d] *concluſit in gladio populum ſuum, & hæreditatem ſuam ſpreuit, iuuenes eorum comedit ignis & virgines eorum non ſunt lamentatæ, ſacerdotes eorum in gladio ceciderunt.* Miſerrimum enim Iudæis erat ita defungi vt patria ſepultura carerent. Tales erant qui in eo bello extincti: ab hoſtibus enim ipſis, ne aërem peſtilenti halitu tabentes inficerent ſubiectis facibus cremati ſunt: non miſericordia in defunctos, ſed cura in ſuperſtites. Et ad hoc ipſum caput referri poteſt occaſio *aſportandi cadauera.* Qui enim ea ſecum aliò aſportare volebant, ſolliciti ne in alieno ſolo, aut inter hoſtes remanerent, vt id facilius expedirent prius igne cremabant, & oſſa nuda ſecum ferebant: quod vt vidimus factum eſt à viris Iabes furtim cadauera Saulis, & filiorum auferentibus. Quod idem etiam ab Hercule inter exteros factitatum: in quem ſunt, qui ritus huius primam originem referant, vt in auctorem. Hic enim vt tradit [e] Euſtratius Troiam profecturus vt illam inſigni Leomedontis iniuria prouocatus euerteret, à Lycimnio patre Argeum filium poſtulauit, vt illuc ſecum ire permitteret ſolatio ſimul, & auxilio futurum: quo abnuente, & pernegante, quod iam alterum filium in bello Lacedæmonio amiſiſſet tandem non aliter impetrauit; quam iureiurando obſtrictus illum ſe reducturum, & patri repræſentaturum. Profecti ergo Troiam ſunt, in cuius obſidione Argeus ſubita hoſtium irruptione interceptus in acie occumbit; quem Hercules vt fidem ſuam liberaret & ſimul ſe iuramenti religione ſolueret cremauit & abſumptis carnibus collecta oſſa ad patrem remiſit; ea ſibi ratione viſus promiſſum, aut implere, aut eludere. Quod ergo tanto auctore nempe Hercule primum eſt inſtitutum, hoc deinde aliis ſponte amplexi ritum comburendi cadaueris latius propagarunt. Sic nobilis ille ſcholiaſtes.

d Pſal. 67.

e In 1. Iliad.

Secunda cauſa vt dixi fuit, *hoſtium crudelitas*; vitanda ſcilicet, cum enim quidam adeò efferati eſſent, vt nec eorum, quos oderant morte placati vltra mortem etiam aliquid exquirerent, vbi ſæuirent; defunctos iam terra obrutos, aliquando effodiebant; vt *ferinam* immanitatem ſatiarent in laniatu cadaueris, quam explere non potuerant in cruciatu viuentis. Hoc ergo vt euitaretur, inſtitutum eſt cremare cadauera. Plinius id aſſerit [f] verbis adductis, *poſtquam*, inquit, *longinquis bellis obrutos erui cognouere, tunc inſtitutum, &c.* Et hoc fortaſſe viri Iabes Galaad propoſitum habuerunt in crematione Saulis, & filiorum; vt enim illorum corpora ab omni in poſterum Palæſtinorum iniuria vindicarent, prius combuſta, ſepulcro deinde intulerunt.

f lib. 7. c. 54.

Tertia cauſa fuit, *vana opinio, & ſuperſtitio*: perſuaſum enim nonnullis erat veterum Philoſophorum, animam noſtram igneæ naturæ eſſe, ſed cæleſtis: proinde ab igne noſtro hoc & inferiori aliquo modo purgari eiuſque maculas, &

ſordes omnes, quas in hac vita ex carnis corporiſque contubernio contraxiſſet. Sic illis ſomniantibus neſcio quid oboluit de purgatorio igne. Inſtituerunt ergo, & populis perſuaſerunt cremare cadauera; eo enim pacto animam perfectè ab omni corporeæ labis concretione purgari, & cunctis tunc carnis nexibus abſolui. Clarè hoc Quintilianus habet declamatione decima vbi plura huc ſpectantia, & hæc inter alia: quoties humani pectoris carcerem effugeris (anima) & exonerata membris mortalibus leui ſe igne luſtrauerit petere ſedes lo aſtra & ad idem Ouidius [a] reſpexit.

a De triſtib. lib. 1. Eleg. 4.

Spiritus hic vacuas priùs extenuandus in auras
Ibit, & intrepido deſeret oſſa rogo.

b lib. 10.

Silius [b] in funere Pauli.

Atque repens crepitantibus vndique flammis
Æthereas anima exultans euaſit in auras.

Et ob hoc Seruius ritum cremandorum cadauerum ab Heraclito cœpiſſe dicit [c]; *qui, inquit, cùm vellet omnia ex igne conſtare, inſtituit etiam corpora cremare; vt in ſuam originem illa ſic facilius citiuſque redirent; anima verò in ſuam generalitatem id eſt in ſuam rediret naturam*; vt idem Seruius [d] ante tradiderat inde ergo mos iſte cæptus.

c In 11. Æn.

d In 3. Æn.

At quouſque ſeruatus? Alexander ab Alexandro, quem ſequuti alij, deſitum putat ſub Antoninorum tempore; ducenteſimo circiter anno poſt Chriſtum. His verbis Capitolini adducti in vita Antonini Pij. *Tanta peſtilentia fuit, vt vehiculis cadauera ſint exportata ſacra vſque; tunc autem Antonini leges ſepeliendi, ſepulchrorumque acerrimas ſanxerunt; quando quidem cauerunt, vt ſi quis vellet ſuccedere fabricaret ſepulchrum.* Quod enim hic Imperator leges ſanxit ſepeliendi, putant vetaſſe combuſtionem, quaſi nimirum *comburi* vt more Romano fiebat non eſſet ſepeliri: hoc enim Dalecampius in Plinium [e] & Tiraquellus in Alexandrum volunt; opponi nimirum hæc duo; *ſepeliri*, & *comburi*: propterea referente Cicerone [f] legem duodecim tabularum fuiſſe in vrbe neque SEPELITO NEVE COMBVRITO. Sed falluntur perſpicuè; quicunque enim comburebantur, etiam ſepeliebantur; non tamen ipſum comburi, erat ſepelire; ſed quid prævium ſepulturæ: proinde ſepultura in duas ſpecies ſuprà à nobis diſtincta eſt *combuſtionem*, & *ſimplicem tumulationem*. Ergo vt ad legem illam reuertamur; Antoninus cum videret corpora, ob crebra, & multiplicata funera graſſante peſtilentia per agros publicè iacere ſine vlla cura ſepulchri iuſſit ea ſepeliri; quod vt fieret ſanxit ne quis cuiuſquam hæreditatem adiret, niſi illius ſepultura curata: fortaſſe enim Illuſtrium Ciuium nomina, ea ratione æterna obliuione obruebantur, cum ſimul cum aliis tumultuario aſportati, & in cumulum aggeſti ſubiectis ignibus cremarentur: nulla deinceps poſterorum cura in eorum reliquiis tollendis, & ſepulchro mandandis. Cæterùm ipſius Antonini tempore duraſſe adhuc, & longè poſt ipſum vſurpatam combuſtionem, teſtantur illuſtria funera Seueri & Pertinacis, qui ambitioſiſſimè combuſti ſunt; vt referunt Dion, & Herodianus; & Sidonius Apollinaris qui poſt tempora Theodoſij Iunioris vixit, indicat [g] non omnino ſuo tempore morem combuſtionis obſoleuiſſe, *ille ſordidior eſt atque deformior cadauere rogali, quod facibus admotis ſemi combuſtum moxque ſidente ſtrue torrium deuolutum reddere Pyra iam faſtidioſus Pollinctor exhorret.* Hanc enim ſimilitudinem tanquam ex re notiſſima Sanctus ille Epiſcopus vſurpat; & inde ducit quod ſuo quoque tempore omnibus ante oculos obuerſabatur. Puta tamen circa ipſius tempora ritum hunc deſiiſſe. Nam Macrobius, qui tunc viuit aut circiter, hæc habet in Saturnalibus [h]. *Licet vrendi corpora defunctorum vſus noſtro ſeculo nullus ſit; lectio tamen docet eo tempore quo ignis dari mortuos honor habebatur; ſi quando vſu veniſſet vt plura corpora ſimul incenderentur, ſolites fuiſſe funerum miniſtros denis virorum corporibus adiicere ſingula muliebria, vt vnius adiutu cætera flagrarent.* adeò nimirum vt hoc obiter tangam, ignis eſt viri, fœmina, vt nec mortuus benè comburi ſine illa poſſit. Et hæc de crematione. Nunc iterum ad ſimplicem ſepulturam Iudæis vſurpatam oratio conuertatur.

e li. 7. cap. 54.

f 2. de legib.

g li. 3. Ep. 13.

h li. 7. cap. 7.

CAPVT III.

Ad locum 2 Regum cap. 18. v. 17.

Tulerunt Abſalon, & proiecerunt eum in ſaltu in foueam grandem, & comportauerunt ſuper eum aceruum lapidum magnum nimis.

Loca ſepeliendis hominibus deſtinata ferè ſemper apud omnes gentes, & Iudæos maximè extra vrbes: quatuor eius conſuetudinis cauſæ oſtenſæ, & explicatæ: apud Iudæos, & alios num aliqui in vrbibus ſepulti; & qui iſti: in Domibus quoque tam Vrbanis quàm ruralibus ſepulchra olim inſtituta à Iudæis & aliis. Samuel, lib. Pſalm. Geneſ. B. Ioan. & alij illuſtrati.

QVod ergo ſpectat ad locum in quo ſepulchrum extructum; aut mortuus ipſe quoque modo conditus & tumulatus; certa res eſt, & teſtatiſſima fuiſſe illum extra vrbes, apud Iudæos non ſolùm, ſed apud alias fermè omnes nationes. De Iudæis dubitare non licet. Mos enim hic illis religioſiſſimè ſeruatus. A priſcis vſque patribus conſuetudine repetita, & poſteris tradita. Etenim antiquiſſimi Patriarchæ extra vrbes ſepulti ſunt Abraham, Sara, Iſaac, Rebecca, Iacob. *Sepeliuit* [i], inquit, *Abraham Saram vxorem ſuam in ſpelunca agri duplici, quæ reſpicit Mambre.* Et iterum [k], *Sepelite me cum patribus meis in ſpelunca duplici, quæ eſt in agro Ephron Ethæi .... ibi ſepelierunt eum* (Abraham) *& Saram vxorem eius; ibi ſepultus eſt Iſaac cum Rebecca coniuge ſua, ibi, & Lia condita iacet.* Deinde ipſimet Patres qui ex Ægypto ſunt egreſſi ſic etiam ſepulti ſunt [l]. *Mortuus eſt, inquit, Ioſue filius Nun ſeruus Domini centum decem annorum ſepelierúntque eum in finibus poſſeſſionis ſuæ, quæ eſt ſita in monte Ephraim.* Sequuta deinde ſunt tempora Iudicum à quibus id etiam vſurpatum, nam Samſon [m] *ſepultus dicitur inter Saraa & Eſtaol.* In via inter vtrumque oppidum poſita. De reliquis verò adhuc clarius id eſt. Saul, & filij ſepulti ſunt [n], *in nemore Iabes Galaad*: Abſalon titulum ſepulchri ſibi in publico itinere fabricauit [o] & Regum ſepulchra leguntur [p] in Valle Tophet ad quod etiam reſpicit id quod habetur

i Gen. 23. 19.

k Ibid. c. 49. 24.

l Ioſue 24. 30.

m Iudic. 16. 30.

n 1. Reg. 31. 13.

o 2 Reg. 15.

p Ierem. 17. 32. & c. 19. 11.

habetur in Iob [a] de ſolitudinibus ædificatis. Nec poſteriori tempore variatum; Lazari enim ſepulchrum erat extra Bethaniam [b] Ioſephi ab Arimathia extra Ieruſalem [c]. Viduæ Naimitæ extra Naim [d], & ſepulchra illa, in quibus domicilium fixerat ſibi dæmoniacus; qui Chriſto Domino occurrit extra vrbem Geraſænorum [e]. Et denique corpora illa ſanctorum qui patiente Domino ſurrexerunt, & ſe plurimis Ieroſolymæ videndos obtulerunt narrat Matthæus [f], ex ſepulchris extra Ciuitatem poſitis prodiiſſe.

a Cap. 3. b Ioan. 11. c Ioan. 19. d Lucæ 7. e Matth. 15. f Cap. 27.

Mirum autem eſt quàm in hoc omnes fermè gentes conſenſerint vt mortui extra conſortia viuorum ablegarentur. Primò enim Romanis ab ipſius vrbis primodiis eſt id religioſè ſeruatum. Numa enim Pompilius in Ianiculo ſepultus eſt, qui mos in Vrbem deinde receptus ſub Anco Martio. Plinius [g] ex Caſſio Hemina priſco annalium ſcriptore refert. *Cn. Terentium ſcribam, agrum ſuum in Ianiculo repaſtinantem offendiſſe in quo Numa qui Romæ regnauit ſitus fuiſſet.* Seruius Tullius extra vrbem ſepultus eſt teſte Dionyſio [h]. Denique non tantum id ex vſo; ſed ex lege ſanctum eſſe voluerunt. Cicero de legibus [i] caput duodecim tabularum in hæc verba refert. *Hominem mortuum in vrbe ne ſepelito neue vrito.* Quod præceptum, non quia antea paſſim in Ciuitate ſepelirentur, ſed quod mos ille pro arbitrio à quibuſdam ſeruatus ab aliis alia de cauſa repudiabatur. Id ne deinceps fieret lege cautum extra Ciuitatem funerari. Seruius in Virgilium [k], *ante etiam in Ciuitate homines ſepeliebantur; quod poſtea, à Duilio Conſule, Senatus prohibuit, & lege cauit, ne quis in vrbe ſepeliretur.* Vnde reſcriptum Diocler. & Maxim. adhuc extar in hæc verba [l]. *Mortuorum reliquias ne ſanctum municipiorum ius lædatur intra Ciuitatem condi iam pridem vetitum eſt.* Ex quo intelligimus; non tantum id in vrbe Roma; ſed in qualibet etiam Ciuitate, & oppido Romani iuris obtinuiſſe. Et hinc eſt quod verba fermè omnia in hoc ferali miniſterio vſurpata *abitionem, & egreſſum iſtum ſignificant* qualia ſunt *efferre, producere, exſequi, exportare*, & ſimilia, quibus omnibus latio, & tranſportatio cadaueris extra aliorum conſortium non obſcure ſignificatur. Secundò Græcis etiam omnibus idem mos. de Athenienſibus teſtatur Seruius Sulpitius ad Ciceronem ſcribens [m] *ab Athenienſibus*, inquit, *locum ſepulturæ vt darent intra vrbem impetrare non potui quod Religione ſe impediri dicerent.* Vnde, ſepulchra Athenienſium vndique extra vrbem ad illam circum extructa dicit Liuius [n] vbi Philippi expeditionem in Athenienſes exponens tradit illum ad vaſtandos agros profectum. *Populationem ſepulchris circa vrbem diruendis exercuiſſe.* Et Plutarchus de Sicyoniis in Arato *quia*, inquit, *vetus lex humari quemquam intra ſuos muros vetabat.*

g lib. 13 c. 13. h lib. 4. i lib. 2. k Æneid. 11. l C. de Relig. & ſumpt. funer. m li. 4 Epiſt. 12. famil. n lib. 30.

Denique id apud alias fermè omnes nationes valuiſſe argumento poſſunt eſſe monumenta, & ſepulchra ſemper in publicis viis extrui ſolita, & extra vrbes: quorum adhuc veſtigia pluribus in locis viſuntur. Ex quo nata eſt ſolemnis illa ſepulchralium inſcriptionum formula, vt omnes ad viatores dirigantur ipſoſque compellent. Quod ridiculè imitantes inepti quidam antiquitatis admiratores in ſepulchris etiam intra ſactas ædes in mediis Ciuitatibus extructis illud apponunt. *Adſta, ſiſte, pellege viator & abi.* Hæc optimè in antiquis ſepulchris quadrabant, quæ publicis per itinera ſparſa erant: at his quæ in templis quid cum viatoribus? produnt nimirum iſti ſe aut moris antiqui prorſus ignaros, aut vt dicebam, ridiculos imitatores.

Sed pergamus, & vt dicta clariùs conſtent duo vlterius diſcutiamus, quæ non leuem inquiſitionem continent. Primum cur id omnibus quaſi ex condicto conuenit vt mortuos extra vrbes efferrent. Secundum an perpetua & inuariata, & immobilis ea conſuetudo Iudæis.

De primo, prima & vniuerſalis cauſa æquè ad omnes pertinens fuit *ſuperſtitum commoditas* ea in re multiplici ex capite procuranda; vel enim mortui comburendi erant, vel ſimpliciter humandi. Si comburendi, periculum erat ne diffuſus ignis vicina ædificia corriperet, & ædificia inuaderet; quod vt caueret, Cic. ſancitum dicit legibus duodecim tabularum, ne quis cadauer intra vrbem vreret. id quia ſeruatum non eſt in morte Clodij à Milone occiſi eodem igne quo ipſe per tumultum à factioſis crematus eſt, Curia quoque flagrauit, & Portia baſilica, quæ erat ei adiuncta, ambuſta eſt, teſte Aſconio: cadauere enim rogo impoſito magnum omnino incendium excitabatur, quo citius illud abſumeretur; vnde, & cum alia deerant, ventos etiam in id optabant. Propertius [o]

Cur ventos non ipſe rogis ingrate petiſti?

Et de Sylla Plutar. memorat hoc quoque ad cumulum ipſius felicitatis acceſſiſſe, quod mortuo rogoque impoſito, repentè procelloſus ventus obortus in pyram incubuerit, ingentique flamma excitata quàm ociſſimè corpus abſumpſerit. Quantum ergo inde periculum vicinis ædibus, & aliis, quæ facile poſſint incendi, & ignibus alimenta præbere? præterea ſi quotidie ferales hic rogos in vrbe incenderent, vt opus erat in frequenti populo, & quidem ſæpiùs in eodem die; nonne omnia nidore vſtrinæ & tetro halitu combuſtorum corporum completa fuiſſent? merito ergo extra vrbem; vel ſi in illa per loca nullis ædificiis frequentia ea combuſtio vſurpata. At verò ſimplex tumulatio, & inhumatio etiam extra vrbem; ne cadauerum putreſcentium contagio aër ipſe inficeretur: nam ſiue Domi, ſiue in publico humata fuiſſent par erat ex vtroque periculum. Vnde Iſidorus [p], *prius autem in Domo ſua quiſque ſepeliebatur, poſtea vetitum eſt legibus; ne fœtore ipſo corpora viuentium contacta inficerentur.*

o lib. 4. p li. 14. Orig. cap. 11.

Secunda cauſa fuit ad horrorem vitandum quo viuentes omnes tacito quodam ſenſu naturæ corripiuntur ad aſpectum mortui, aut mortalium. Inde eſt quòd loca ſepulturæ deſtinata, & ſepulchris frequentia omnes horrent. Inſtitutum ergo natura duce; vt hæc non ante viuorum oculos ſemper expoſita; ſed procul haberentur. Ammianus Marcellinus [q] de Alanis, qui tectis nullis ædificiis vtebantur. *Hæc*, inquit, *veluti ab vſu communi diſcreta ſepulchra deſtinant.* Et inde eſt quod antiquis ſepulchrorum occurſus, aut aſpectus inauſpicatus eſt habitus, & ominoſus, vt Plutarchus tradit in vita Pompei. Cum ergo Sepulchra quodam naturæ impulſu terrori, & formidini ſint, non mirum ſi eadem duce inſtitutum, vt extra viuorum frequentiam haberentur.

q lib. 31.

Tertia cauſa minus latè patens erat quia ex aſpectu, vicinia, attactu mortuorum ſacra, & ſacris operantes pollui veteres exiſtimabant; præſertim Iudæi, & ex Gentilibus Romani in primis;

Digitized by Google

mis; non ergo poterant ſepulchra in templis locari; vt nunc vſu fit in Chriſtiana Eccleſia. Eo enim ipſo profana,& non ſacra fuiſſent, vt con-

a 4.Reg. 23.

ſtat ex facto Ioſiæ [a] qui vt templa Idolorum impiè à Iudæis extructa pollueret, inferri in illa iuſſit oſſa Prophetarum extumulata. Nec etiam in publicis intra vrbem viis, foris, aut compitis ea extrui poterant: eo enim ipſo interdictum fuiſſet ſacerdotibus, & omnibus aliis ſacra curaturis illac prætetire. Et hanc cauſam tacitè inſinuat Paulus Iuriſconſultus, vt bene obſeruat Adrianus Turnebus in ſecundum de legibus Ci-

b li. 1. recept. ſententiar. tit. 21.

ceronis. Sic enim ille ſcribit [b]. *Corpus in Ciuitatem inferri non licet, ne funeſtentur ſacra Ciuitatis, & qui contra ea fecerit, extra ordinem punitur.* Propter quod etiam feralia omnia extra Ciuitatem haberi ſolita: vt indicat Cyprianus, ſiue quis auctor de Idolorum vanitate.

Quarta cauſa adhuc reſtrictior: quia ſepulchra & aræ, menſæque circa ipſa, inter ſacra loca habebantur. Sacra, inquam, priuata, non publica. Idcirco ne tota fermè Ciuitas (vt neceſſe erat ſi omni ex parte ſepulchris obſita) ſacra eſſet; extra vrbem ſepulchra ſunt inſtituta. hanc cauſam latiùs explicat Cicero 2. de legib. & in oratione pro domo ſua. Quæ etiam in Iudæis valebat. Ius enim illis, & ſolum ſepulchri, vtrumque factum erat: ideo nefas aliò transferre, vt conſtat ex facto Nabuthi vineam denegantis Achabo. Ne ergo impedirentur commercia Ciuitatis in domibus, & areis vendendis, locandis, transferendis, &c. Sepulchra in agris ſunt inſtituta. Sed hac de re iterum paulò poſt.

Secundo loco quærebamus quatenus ea conſuetudo, & quam Religioſè ſeruata, & an penitùs inuiolabilis. Hac de re ſic cenſet Abulenſis, & vniuersè pronunciat; nunquam fuiſſe morem ſepelire corpora mortuorum intra Ciuitates niſi apud Chriſtianos [c].

c In illo Gen. 50. 23.

Sed audiendus non eſt aliter conſuetum à Iudæis, Romanis, & aliis gentibus. Primo ergo dico, ſepeliri extra Ciuitates communem, & vulgarum morem fuiſſe, & qui paſſim ab omnibus ſeruabatur; cui non officiebat; ſi vnus vel alter priuilegio accepto, aut alio iure, aliter vellet.

Secundò, dico apud Iudæos ex peculiari prerogatiua honoris plures Reges, & viros Princi-

d 3.Reg. 2. 10.

pes in Ciuitate ſepultos: ſic de Dauid dicitur [d]. *Dormiuit cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in*

e 3.Reg. 11. 43.

Ciuitate Dauid. Et ſimiliter de Salomone [e], *Dormiuit cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in Ciuitate*

f 3.Reg. 14. 32.

Dauid patris ſui. idem repetitur de Roboam [f] idem de *Abia.* idem de *Aſa*; idem denique de aliis Regibus Iuda; quod ſepulti ſint in *Ciuitate Dauid* in ſepulchro ſcilicet eiuſdem Dauid ſito in monte Sion de quo poſtea.

Similiter de Samuele, qui non Rex; ſed Regibus dignitate proximus, & meritis eſt habendus

g 1.Reg. 25. 1.

[g], *Mortuus eſt*, inquit, *Samuel, & congregatus vniuerſus Iſrael, & planxerunt eum, & ſepelierunt eum in Domo ſua in Ramatha.* Ne quis enim exiſtimaret ſepultum in domo, quæ fortaſſe in agro addidit, *in Ramatha*, Ciuitate, & Patria ipſius. *Vniuerſum autem Iſrael congregatum* præmiſit, vt id genus ſepulturæ illi omnium ſuffragio delatum, vt honorificentiſſimum intelligeremus. Quod ipſum à Romanis factitatum erga illos, qui rebus geſtis, & meritis in Rempublicam clariores. Cicero ſecundo de legib. Attico interroganti, ſi duodecim tabulæ ſepulturam in vrbe vetabant, *quî deinde in vrbe ſepulti ſint tot clari viri?* reſpondet Cicero. *Credo, Tite, fuiſſe aut eos, quibus hoc ante hanc legem virtutis cauſa tributum eſt; aut eos ſi qui hoc vt Fabritij eius virtutis cauſa ſolutis legibus conſequuti ſunt.* Ad quæ verba notat Turnebus, *virorum Triumphalium, Imperatorum, ſummorum Ducum, veſtalium cineres in foro condi licuiſſe.* Additque ex Plutarcho [h] *hominis triumphalis oſſa in vrbem inferre ius fuiſſe.* Ita Scæuolam, Valerium, ita Fabritium, eorumque poſteros idem tenuiſſe.

h Quaſt. Roman.

Quod ad *domum* in qua ſepultus Samuel; fuit id etiam ex priſco inſtituto: in ea enim nonnunquam Iudæi, & alij ſepulti. de Iudæis minus mirum qui condirent, vngerent, aſſeruarent more Ægyptio: de aliis Iſidorus aſſerit; & ſumpſit à Seruio [i] qui hoc ante tradiderat lib. 5. Æneid. *Moris fuiſſe apud maiores, vt qui mortuus eſſet domum ſuam referretur, & in illa ſepeliretur.* Iſidorus [k] verò, cuius hæc eadem verba etiam ſupra dedimus. *Prius*, inquit, *quiſque in domo ſua ſepeliebatur; poſtea vetitum eſt legibus*, &c. Obſeruat hoc ipſum Turnebus ad Cicero. lib. 2. de legib. & illud inſuper; *ab hac domeſtica ſepultura ortum habuiſſe larium cultum apud Gentiles*; & locum in quo Domeſtici Dij colerentur Lararium appellatum. Vt enim ſuprà dixi omnis fermè idolatria originem ſuam à mortuorum veneratione deſumpſit. In *Domo* ergo ſua non ſolum Samuel, ſed & alij plures apud Iudæos ſepulti ſunt. Ioab enim iuſſu Salomonis interſectus ſepultus dicitur [l] in domo ſua in deſerto. Sunt porrò qui ad hanc domeſticam ſepulturam alluſiſſe Regium Vatem putent illis verbis [m] & ſepulchra illorum domus in æternum; ſed perperam; ſenſus enim proprius illorum verborum eſt; *ditiſſimos* iſtos, & potentiſſimos, qui tantum *terrena ſapiunt*, omnia quibus nunc affluunt relicturos; ab aliis quos minimè aliquando vellet inuadenda; ipſos verò ex tot tantiſque opibus nihil aliud perpetuo habituros præter *ſepulchrum.* Hoc enim poſſeſſorem non mutat, non conducitur neque locatur, ſemperque eundem titulum eiuſdem Domini retinet; cum tamen ſuperba prætoria in aliena commigrent iura, & ſubinde veterum poſſeſſorum nomina nouis permutent. vel certè ſenſus eſt etiam ſepulchra, quæ ſunt illorum domus perpetuæ in alienam poteſtatem conceſſura. *relinquent*, inquit, *alienis diuitias ſuas etiam ſepulchra.* Quæ ſunt *domus æternæ illorum.* Nam qui magnifica ſibi ſepulchra conſtruunt, in ſcripto titulo nominis ſui, iruros ſe per id in ſæcula putant; ac proinde *domum ſuam æternam* monumentum computant: & alij ſuccedunt, qui ſepulchro diruto marmora alio transferunt ad monumentum ſibi faciendum. Itaque nec etiam ſepulchrum perpetuo poſſident. Aptior tamen eſt ſenſus quem primo dedimus: alia omnia ab aliis inuadenda; ſepulchra tantummodo ab illis poſſeſſum iri, hæc futura domus eorum æterna. At de loco ipſo ſepulturæ, paulò adhuc preſſius agamus.

i In 5. Æn.

k li. 14. Orig. c. 11.

l 3 Reg. 2. 34.

m Pſal. 43. 10.

Caput IV.

Ad locum 4. Reg. 21. 18.

Dormiuit Manaſſes cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in Horto Oza.

Qua

Digitized by Google

Quæ potiſſimum extra vrbes loca ſepulchris attributa? tria videri maximè, vias, Hortos, Agrorum fines: & cur hæc præcipuè. Monumenta, quæ propriè in viis & quæ ad vias: eorum etymon, elogia, inſcriptiones. Tituli apud Iudæos, & alios: apud illos Hortorum Religio ab Eſaia damnata: vnde cœpta: in agris pars, quæ ad amœnitatem non quæ ad fructum in id & cur quæſita? Libris Regum, & Paralip. Iſaiæ B. Ioanni, & aliis allata lux.

VErùm licet extra vrbes locus ſepulchris datus non ita id tamen vt procul omnino ab omni viuorum conſuetudine inter auia, & ſpelæa ferarum eligeretur; quin potius loca frequentata magis ad id aſſumpta, & ad quæ velamini cauſa, vel rerum ſuarum neceſſe ſubinde haberent viuentes accedere.

Itaque viæ publicæ, & militares præ aliis omnibus in id ſemper optatæ, non quidem vt in ipſis: ſed vt propè ipſas ſepulchra fierent, & id ab antiquiſſimis temporibus. Quare de vxore Iacob [a] *mortua eſt*, inquit, *Rachel ſepultaque eſt in via quæ ducit Ephratam*, qui locus ad id in ſacris ſanctioribus adducitur [b]. Idem ſignificatur de iis qui ad radices Ciuitatis alicuius aut oppidi ſepulti dicuntur. Viæ enim publicæ ibi ſunt: ſic de Debora Gen. [c]. *Eodem tempore mortua eſt Debora nutrix Rebeccæ & ſepulta eſt ad radices Bethel, ſubter quercum; vocatumque eſt nomen loci illius quercus fletus.* Bethel enim in monte: vnde ad radices ipſius eſt ad imum montis in quo ipſa ſita. Publicæ autem viæ quæ montoſis huiuſmodi oppidis inſeruiunt radices montis obambulant, in quo illa constructa: ſimiliter de Ioſue dicitur quod, *ſepelierunt eum in finibus poſſeſſionis ſuæ in Thamnazare quæ eſt ſita in monte Ephraim* [d]. Quare in finibus? quia iuxta viam in fundo quidem ſuo ſepultus; ſed quia parte viæ proximus, idcirco in finibus, & ad limites ipſius.

a Gen. 35. 19
b 13. q. 2. c. econtra.
c Gen. 35. 8.
d Cap. 24. 30

Idem Romanis quoque & aliis vſitatum Varro [e] de hoc more, *ſepulchra ideò ſecundum vias quo prætereuntes admoneant, & ſe fuiſſe, & illos eſſe mortales.* Tiberius Imperator apud Frontinum [f] nam monimentum plurimis eſt conſtitutum rationibus, eſt vnum quod ad itinera publica propter teſtimonium perennitatis eſt conſtitutum. Inde eſt quod nulla ea his quæ Romæ olim nobiles, & adhuc priſcæ nobilitatis veſtigia retinent ſepulchris non frequentata legatur. Tales fuere in primis Appia, Aurelia, Flaminia Latina, Ceuicana, Oſtienſis Præneſtina, Salaria, & Tiburtina de quibus, & ſepulchris in illis Kirchimannus [g]. At quomodo in viis hæc ſepulchra? dupliciter. Primò hinc inde ad latera viarum, quæ propriè dicebantur in via: ita, vt itinere ſuo pergentes inſcriptiones, & Elogia in illis legere poſſent: alia in proximis hortis, aut prædiis: ita tamen extructa; vt per viam gradientibus longè etiam videri poſſent quæ dicebantur potius *ad vias*; quàm in viis ſita. *In via* fuit ſepulchrum Seueri Imperatoris, de quo Spartianus in Geta. Illatus eſt (Geta) *in maiorum Sepulchrum quod eſt in via Appia euntibus ad partem dexteram.* Iuxta viam vero ſepultus eſt Pomponius Atticus, teſte Cornelio Nepote in eius vita. Sepultus eſt, inquit, *iuxta viam Appiam ad quintum lapidem in monumento Quinti Cecilij auunculi.* Similiter Galba de quo Suetonius [h]. *Serò tandem diſpenſator Argia, & hoc, & cæterum truncum in priuatis eius hortis Aurelia via ſepultura dedit.*

e lib. 5. de ling. lat.
f lib. 1. de limit.
g lib. 2. c. 22.
h In Galb. & vit.

Hinc vt dicebam formula illa ſepulchrorum propria, & ſepulchralium inſcriptionum, viatores alloquendi. Martialis [i] in tumulo Paridis Pantomimi.

i lib. 2. ep. 14.

Quiſquis Flaminiam teris viator
Noli nobile præterire marmor.

Pulchrè autem hæc tota de re eruditiſſimus Lipſius in ſuis admirandis [k] vbi de ſepulchris ad vias & in viis. *præcipuum autem id fuit quod monumenta & ſepulchra paſſim ad viam adſita, & latus vtrumque prætexebant: quam pulcher ille affectus viantibus; quanta & ſeriorum, & iocorum materies? illic illuſtrium ingeniorum aut clarorum virorum memoria & inſcriptio; alibi libertorum, ſeruorum, mimorum ſuperba monumenta: mirari, dolere, illudere; etiam deteſtari occaſio erat & quid in tot titulis, & inſcriptionibus paſci? quædam à meliore ingenio, & ſcita quædam ab aliqua nota aut inuentiuncula ſpectabiles, & iſta quæ hodie extant dicent.* hæc Lipſius, & veriſſimè. Mira enim ibi & multiplicis oblectationis, occaſio, & pabulum animi non illiberale ad itineris moleſtiam leuandam, & alio auocandas curas.

k lib. 3. c. 10.

Præter vias publicas, erant quoque *Horti* in id attributi; aut ea pars in agris, quæ ad amœnitatem, & cultum tantum non ad fructum & ſegetem parata. Quare de Manaſſe [l]. *Dormiuit*, inquit, *Manaſſes cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in Horto domus ſuæ in horto Oza.* Et de Amon [m], *Sepelierunt eum in ſepulchro ſuo in Horto Oza.* Denique in horto Chriſtus Dominus ſepultus [n]. *Erat autem in loco vbi crucifixus eſt hortus & in horto monumentum nouum, in quo nondum quiſquam poſitus erat. Ibi ergo poſuerunt Ieſum.* Erat autem hortus is in loco vbi Crucifixus Chriſtus non quod in Caluario, ſed quod prope Caluarium, vt indicat clarè B. Ioannes. Quia verò per ſpeciem honoris mortuis deferendi, vndique in hortos concurrebant ad potandum, epulandum, & per omnem laſciuiam varios ludos exercendos, ex quo etiam mortuorum Idololatriæ ingens aditus reſeratus eſt; idcirco Prophetæ in ſacrificia, commeſſationes, delitiaſque hortorum ſæpius inuehuntur. Iſaias [o], *confundentur enim ab Idolis quibus ſacrificauerunt, & erubeſcetis ſuper hortos, quos elegeratis*, & rurſus [p] *populus, qui ad iracundiam prouocat me ante faciem meam ſemper, qui immolant in hortis, & ſacrificant ſuper lateres.* Et ſubdit ſtatim. *Qui habitant in ſepulchris, & delubris Idolorum dormiunt.* Coniungit enim Propheta *cultum Idolorum*, & *celebritatem hortorum*, & *ſepulchrorum frequentationem.* quia ſepulchra maiorum, & Regum in hortis; quibus impiè, & ſuperſtitioſè, contra Dei præcepta parentabant: & tamen in illis ſacrificiis ſe mundos putabant, quia ſpeciem pietatis in mortuos continebant. quos Deus ipſe larua detracta coarguit apud eundem Iſaiam [q]. *Multiplicabuntur interfecti à Domino qui ſanctificabantur, & mundos ſe putabant in hortis poſt ianuam intrinſecùs.*

l 4 Reg. 21. 18.
m Ibidem.
n Ioan. 19. 41
o Cap. 1. 29.
p Cap. 65. 3.
q Cap. 66. 17.

Idem quoque Romanis vſurpatum; nam & in hortis plerique eorum ſepulti. De Galba Suetonius dicit *truncum eius in hortis priuatis ipſius via Aurelia, ab Argia diſpenſatore tumulatum.* Et Caligula eodē Suetonio [r] teſte *in hortis Lamianis ambuſtus*

r Cap. 59 in Calig.

ambuſtus, & humatus eſt. De Adtiano verò Capitolinus in Aotonino Pio. *Adriano*, inquit, *apud Baias mortuo reliquias eius Romam peruexit ſanctè, ac reuerenter atque in Hortis Domitij collocauit.* Frequentius autem agrotum in bunc vſum mentio eſt; qui tamen non ea omni parte; ſed ea ea tantum, vt diai quæ ad amœnitatem ſepoſita; aut fines poſſeſſionis teſpiceret buic muneri attributi. vnde iocus Martialis.

Septima iam Phyleros tibi conditur vxor in agris
Plus nulli Phyleros, quàm tibi reddit ager.

Aliis eoim pars agri quæ ad ſepulchta ſtetilis eſt; tibi maximè fertilis, qoæ ſeptem mortuas vaotes conditas ſetuat. *Fertilem* diait quia fructus ingens vxotem amiſiſſe; vel quia ex earum dotibus ditatus Phyleros. At quætet aliquis; quorſum bæc loco maaime ad ſepulchra delecta? nam cur non in vtbibus iam dictum; ſed ſi extra illas, cur potius in viis, hortis, & agtis quætendum videtur. Duas ob cauſas eaiſtimo. Ptima memoriam defunctotum reſpiciebat. Secunda viuotum vtilitatem. Defuocti memoria ne penitus interitet quando eatra vrbes, & oppida ablegabaotur; locus quærendus etat maaimè frequens; tales ſuot viæ & horti; illæ enim oecéſſatiò tetuntur; iſti animi gratia ſubinde inuiſuntut, & ambo oon minus à peregrinis, & nouis hoſpitibus, quam indigenis frequentaotur, & ſine ſi ſepulchra, monumenta quoque appellata ſunt à *monendo*, fruſtra ibi fuiſſent qua nullus tranſiret, quem monere poſſent. Hanc cauſam, vt vidimus, ſupra tetigit Marcus Vatto, & Tiberius Imperatot. *Ad vias ſepulchra poſita; vt monerent, qui præterirent, & illos eſſe, & ſe fuiſſe mortales:* quod ſi memoria defuncti quætebatut vbi ea magis potetat ptopagari quam in publicis viis per quas qui prætetibant, ſecum deinde domum nomina eorum ferebant; quorum titulos, & inſcriptiones animis, & oculis otioſi hauſetant? videmus eoim id eſſe maximè, eotum proprium qui peregtè aduenetint, vt ea poſtmodum ad faſtidium vſque ingerant, quæ extra Patriam ootabilia viderint.

Altera cauſa etat viuentium vtilitas: nam ne mottui ſolùm illud occupatent, quod ferendis fructibus aptum eſſet, ſtetile ad id deſtinarunt: huiuſmodi ſunt publicæ viæ, & hotti, & in agris nemora, ſiluoſique ſeceſſus ad amœnitatem, aut fines ipſi agtotum. Nam de viis ineptas eſſe ad fruges ferendas nullus dubitat: hottos veto delitiatum, & voluptatis cauſa aut tantum, aut potiſſimum inſtitutos, norunt omnes nihil aut parum admodum fructus afferte: at fines agrotum præſertim qui ad publicas vias oulli quoque vſui eſſe experientia ipſa teſtatut. Nam ſi ſeruantur viatotum eacurſibus ptoculcatæ ſegetes ſpem omoem deſtituunt; ſi verò pomiferis atboribus conſiti ſint multo minus dominum iuuant; cum quicquid inde prouenit viatores vicini, & pueri ipſi quaſi ſibi iure vendicent, & decerpant. inde enim eſt quod arboribus etiam infrugiferis vel maligni fructus agtotum fines nunc etiam prætexuntur. In bis ergo optimæ ſepultoræ corpora mandata, & ſepulchra extructa. Caoſam hanc Plato tradidit [a]. Ne enim motiui viuorum vtilitates minuerent, iuſſit vt illotom ſepulturæ agri tantum ſteriles, & nulli alij vſui futuri deſtinatentur. Quam legem ea ipſo accipiens Cicero ſecundo de legibus ſic expteſſit. *Vetat ex agro culto eoque qui coli poſſit vllam partem ſumi, ſepulchro; cumque natura agri tantummodo efficere poſſit vt mortuorum corpora ſine detrimento viuorum recipiat ea potiſſimum vt compleatur; quæ autem terra fruges ferre, & vt mater cibos ſuppeditare poſſit eam ne quis nobis minuat neue viuus, neue mortuus.* quam eamdem cauſam tetigit Siculus Flaccus lib. de conditionibus agrorum. *Inſpiciendum erit, & illud ne quoniam ſepulchra in extremis finibus facere ſoliti ſunt, & cippos ponere, aliquando cippus pro termino errorem faciat: nam in locis ſaxuoſis, & in ſterilibus, etiam in mediis poſſeſſionibus faciunt.* Nota hic in agris ſepeliri ſolitos: ſed ad illotum fines quod ſi in media poſſeſſione; non niſi in parte ſaxuoſa, & ſterili id vſurpatom. Quid autem eſſent cippi iſti in ſepulchtis paulò pòſt iterum. Nuoc ea eodem inſtituto duas alias vtilitates viuentibus ptouenientes obſetuemus: primam, vt poſſeſſionum fines difficilius confunderentur. nam quia in extremis agtorum ſepolchra, noo facilè erat cuiuſque fines in aliorum poſſeſſiones eatendere. Secuoda vtilitas vt ſecurius poſſiderentur auiti agri à ptopriis domiois: nam quia illi pleni vndique maiorum ciueribus, & ſepulchris minus audacter à potentiorihus inuadebantur teneritis aliorum manes, & ſacra; quod ſi fortè fieret; tum vero querelæ illæ eaiſtebant tenuiorum miſerè lamentantium deturbari ſe à maiotum aris dum paternis agris à diuitum vicinorum potentia ſpoliabantur, vnde quoque prouenicbat, vt quantacumque oblata pecunia iniuria tamen ſe affici putarent, ſi de paterna poſſeſſione vendenda appellarentut. Id enim illis omnino iotolerandum; non quod fructibus agtorum priuarentur, quos aliunde pretio ſuſcepto vberiores poterant parare; ſed quia ſedibus illis expellebantur in quibus patrum, & maiorum ſepulchra. Inde Nabuth [b] tum grauiter tulit Achabi Regis poſtulatum dicentis. *Da mihi vineam tuam ..... dabeque tibi pro ea vineam meliorem aut ſi commodius tibi putas argenti pretium quanto digna eſt.* Ad quæ Nabuth. *Propitius ſit mihi Dominus ne dem hæreditatem patrum meorum.* Videri euim fortaſſe poteſt reſponſio Ciuis iſtius minus ciuilis, & plus babere contumaciæ, quam vrbanitatis. Contra verò Regit poſtulatum æquum ſatis, & æqua conditione propoſitum: & propterea dignus teprebenſione Nabuth dignus excuſatione Achab: cum tamen Patres & ſcriptura ipſa laudent Nabuth, damnent Achab: propterea quod præceps illius reſponſum, & præciſa negatio ad Regis poſtulatum iode orta ſit quod nulli ſedes mortuorum ſuotum æquo animo in aliena iura transferrent: nec ob id auſus Achab grauius aliquid poblica auctoritate tentare gnarus populo odioſiſſimum id futurum paterna ſepulchra tueri. Apuleius [c] ingentem alicubi rixam deſctibit, ex qua magnæ poſtmodum tragœdiæ excitatæ, ortam dumtaxat ea finium controuerſia inter præpotentem diuitem & oppidaoum. Hic enim omnia prius paſſus & diſſimulatione tranſmittens quæ grauia à Diuite ſuſtinebat, id agente vt pertæſus tandem pauper moleſtiæ aliò concederet; cum ad id ventum eſt vt fines confunderentur, nibil vltra eſt ſibi tolerandum ratus. *Finium*, inquit, *inani quæſtione commota, terram totam ſibi vendicabat diues: tunc agreſtis verecundus alioquin auaritia diuitis iam ſpoliatus vt ſuo ſepulchro paternum retineret ſolum amicos plurimos ad demonſtrandos fines conuocat, &c.* Plura adiungêns quæ

faciunt

a lib. a. de legib.

b 3.Reg.22.

c lib. 9. Mileſiorum.

faciuot ad huue vſum Sepulchrorum in agrorum finibus.

CAPVT V.

Ad locum 3. Reg 13. 31. Cùm mortuus fuero ſepelite me in ſepulchro in quo vir Dei ſepultus eſt; iuxta oſſa eius ponite oſſa mea.

Solum ſepulchrale, & ſepulchra ipſa cuius iuris eſſent, publici, an priuati; ſacri an Ciuilis? Sacra omnia fuiſſe, & apud omnes: actioneſque de ipſis ad ſacros homines pertinuiſſe: eorum religio quot, & quibus modis violaretur. Abraham ſepulchrum ab Ephron quomodo licitatus? locus. Gen. explicatus; legeſque plures ex iure ſacro, & ciuili quæ ad iſta faciunt.

NVnc alia quæ ad loca ſepolturæ eorumque poſſeſſionem ſpectant breuiter explicabimus: iis quæ ambigua ſunt interrogando propoſitis, quibus vt Iuriſconſulti loqountur certa reſponſa ſignabimus.

Primò ergo ambigi poteſt an in loco publico liberũ coique eſſet ſepulturã ſibi, vel aliis parare. Sunt qui vniuersè, & diffinitè reſpõdeant non licuiſſe; neque apud Hebræos, neque apud Gẽtiles. Apud Hebræos quia Abraham locũ ad ſepulturam ſuorum mercatur [a] ab Ephron: & Pontifices Iudæorum ex pretio qood Iudas refuderat, agrũ emerunt [b] peregrinis ſepeliendis, quorſom autem id; ſi cuique liberom fuiſſet vbi vellet tumulari, dum locus publicus eſſet? quud idem, & apud Gentiles ſeroatom à Cicerone babemus: à quo etiam eius rei ratio traditur [c], *ne id quod publicum eſt priuati iuris fiat*; alioquin quæ confuſio ſacrorum, & reliquiarum? Aſt aliis id non vſquequaque certum, & exploratum videtur. Si enim in publico ſolo mortuos cuique condere non licebat, quomodo ad poblicas vias, & aggeres ſepulchra? an ſemper opus erat magiſtratum conſulere? ab illo ius petere; & facultatem ad id pretio aut alla ratione imperrare? propter hoc ergo diſtinguendum reſponſum putant. Qui enim ſepeliebantur, alios ſimpliciter terra conditus; alios cum aliqua mole ſepulchri adiuncta. Primos vbique locorum ſepeliri fas dum tamen loca publica eſſent, nec vllius culturæ. At his nun licuiſſe niſi prius quud publicum erat ſuum, vel emptione, vel alia ratiooe feciſſent. Primo enim mudo ſepulti, nec publicè nec priuatim quidquam incommodabant. Quod enim incommudum in publica via, agro, vel aggere ſcrobem defudere, & eam moa iniectu cadauere iterum replere ad omnem viuorum vſum ſicut prius expeditam? nam & ſolum vbi cadauera ea ratione tumulata nihilominus omnibus patebat, & omnium veſtigiis terebatur; vt clarè colligitur ex Sidonio Apollinare [d] mihi tameu probabilius omnino eſt, *non omnem publicum locum*, ſepulturæ pro cuiuſque arbitrio patuiſſe: certum idea locis, quæ peculiariter ad id deſtinata: quod quorſum fieret ſi paſſim vbique locorom licuiſſet? aut quæ liberalitas, certum locum in id attribuere ad quod locus omnis patebat? nec id quod de publicis viis, & aggeribus obiiciebatur quidquam in contrarium mouere poteſt. nam, vel in viis ipſis vel ad vias, & iuata illas poſita ſepulchra: ſi in viis ius à Magiſtratu impetrare opus erat: ſi iuata illas; tunc vel qoiſque in ſuo ſolo cuius fines ad viam pertinebant, & non in publico ſepulturam parabat: vel certè in alieno fundo quantum ſibi ad ſepulchrum ſatis eſſet, aut pretio, aut alia ratione viudicabat. Inde toties in antiquis iuſcriptionibus repetita mentio, *area ad ſepulturam empta, donata, teſtamento legata*. At omnes locum ſepulturæ diſtingunt in *publicum, & priuatum*. Verum id: non qood quilibet locus publicus ad id expoſitus; ſed quod quidam eſſet qui omnibus pateret, vt ſunt nunc quædam Cœmeteria Chriſtianorum.

a Gen. 25.
b Matth. 27.
c lib. 2. de legib.
d lib. 3. ep. 12

Sed tunc quæri poſſe videtur quæ eſſent hæc publica loca, & quorum ſepulturæ aſſignata. Certa autem res eſt fuiſſe ſemper in omoi bene inſtitua Republica aliqua boiuſmodi, quæ vel tenuiorum, vel peregrinorum, vel omnium quorumcunque qui priuato ſolo carebant ſepulturæ parerent. Apud Matthæum [e] ſacerdotes ea pretio à Ioda relato agrum emunt in ſepulturam peregrinorum: ſiue ij Iudæi eſſent peregrè aliunde Ieroſolymam aduenientes; ſiue Gentiles, qui peregrinorum nomiue, id eſt alienigenarum, & externorum ſimpliciter apud Iudæos cenſentur; locus autem is, *Ager ſanguinis* eſt appellatus à pretio: at olim apud Hebræos ſimiles loci dicebaorur, *ſepulchra vulgi*. De quibus in ſacra hiſtoria [f] vbi de Ioſia, *redegit lucos in puluerem, & proiecit ſuper ſepulchra vulgi ignobilis*. Et Ieremias, [g] *percuſſit eum gladio, & proiecit cadauer eius in ſepulchris vulgi ignobilis*. Vbi, & qui ſepeliebantur *peregrina* dicebantur *ſepultura* funerati. qua caruiſſe Antiochus refertur [h]. Apud Rumanos verò locus, qui ad pauperes excipiendos aſſignatus *Puticuli*, ſiue *Puticula* dicebatur. Varro [i]. De lingua Latina. *Extra oppida à Puteis Puticula. Quod ibi in Puteis obruebantur homines: niſi potius vt Ælius ſcribit Puticula quod putreſcebant ibi cadauera proiecta; qui locus publicus vltra exquilias*. Quæ clarius etiam, & diſtinctius Feſtus; tradens. *Puticulos antiquiſſimum genus ſepultura appellatos, quod ibi in puteis ſepelirentur homines*. & ſubdit. *talem fuiſſe locum qualis erat ſuo tempore quo proiici ſolebant cadauera extra portam exquilinam*. Acron verò Horatij interpres antiquus. *A puteis & foſſis ad ſepelienda cadauera pauperum, locus dictus eſt Puticuli*: quæ eadem loca *culinas* appellata, niſi ſit mendum in Scriptura ducet Agennus Vrbicus [k] *ſunt*, inquit, *in ſuburbanis loca pia inopum deſtinata funeribus*, quæ loca culinas appellant. At quomodo in his ſepultora ab vnoqouque vſurpara? ita ne vt mox alter cadauer inferret, ſi vellet, vbi paulò ante alius tumulatus! aut ſi non; qoomodo publici iuris, quod ab omnibus æquè non poterat, occupari? exiſtimo certas etiam in hoc leges ſeruatas. Nam licet ſolum ipſum eſſet coique liberum ante ſepulturam; mox verò poſt illam, non erat: niſi cum tumuli omoes, & aggeſta tellus ſubſediſſet? itaque fas cuique erat, eò mortuum ſuum inferre, & quam partem vacuam reperiſſet occupare; poſt id verò cadauere infoſſo circa illud telluris quantum ſat erat leui ſæpè claudebat; vnde forte ſepeliendi verbum deductum; & ſuper cadauer ipſum tellurem etiam aggerebat: eo iodicio alij

e Cap. 27.
f 4. Reg. 23. 6.
g Cap. 16. 23
h 2. Mach. 5. 10.
i lib. 4.
k lib. 1. de conſtit. agror. apud Frontinum.

Digitized by Google

arcebantur;vt alibi ſcrobem effoderent admoniti,in quam mortuos ſuos inferrent. Quin etiam exiſtimo potuiſſe etiam ibi ſepulchrum excitari, & molem aliquam diuturniorem;quam cumulus eſſet ſimplicis areoæ ſuo pondere fatiſceotis.

Tertiò quæri poteſt an loca hæc ſepulturæ dicata inter res ſacras an profanas fuerint : & certum eſt inter ſacras ; quod mirum eſt quanto coosenſu receptum. Nulla enim ferme gens cui non ſacra ſepulchra, & ſolom ipſum ſepulchris attributum. Cicero de legibus [a]. Decretum Pontificium fuiſſe dicit ; *ne in loco publico ſepulchra fierent*. Quare id ? ſubdit paulò poſt. *ne locus publicus priuata religione obligaretur*. Inde antiqua lex Sepulchralis apud Plutarchum in Numa. *Vbi corpus hominis mortui condas ſacer eſto*: & Plinius [b], *Terra nouiſſimè complexa gremio iam à reliqua natura abdicatos, tum maximè vt mater operiens, nullo magis ſacramento quàm quo nos quoque ſacros facit*, ſacer ergo ſanctus,& religioſus hic locus : propterea ea omnia illis data quæ reliquis ſacris.

a lib. 2.

b lib.2.c. 65.

Et primò, vt omnis actio ad ipſum ſpectana ad religionis antiſtites deferretur. De Gentilibus nota res ex Photio [c],& iure ciuili [d]. De noſtris etiam clara res eſt ſacerdotibus,& Epiſcopis actionem omnem ſepulchri violati competere, vt ex pluribus ſanctionibus conſtat [e]. Idem do Hebræis dicendum. Propterea enim ſacerdotes, & Pontifices agrum figuli io ſepulturam parauot peregrinorum : & qui cuſtodiæ Chriſti ſepulti fuerant deſtinati ad ſacerdotes detuleruot de ipſius violatione.

c lib.1.ep 72.
d l.2.ff.de ſepulch.violat. l. 50.& l. vlt. C.de mor. & infer.
e c.51.Conc. mogunt. Bur. lib.3.c.232. Balſam. in Phot. Nomocan tit. 9. c. 27.

Secundò,ſepulchri,& ſepulchralis ſoli violatores ſacrilegi habebantur : quod ſcilicet in rem ſacram,ſanctam,& religioſam crimen, & piaculum commiſiſſent;& id non ſolùm apud noſtros, ſed etiam apud Gentiles. Vnde illud extat quod Senecæ tribuitur.

Res eſt ſacra miſer noli mea tangere fata
Sacrilega buſtis abſtinuere manus.

Et conſtare poteſt ex iure ciuili [f]:de noſtris verò teſtatum eſt ex Photio in Nomocanone [g] vbi quicunque manes ſollicitant illiſque dicata loca ſacrilegi dicuntur.

f ff de ſepulc. violat. c. & dict.loco Cod.
g Tit.9 c.27.

Et his autem quarto loco quæſtio ſuboritur, quibus & quot modis religio ſepulchri violaretur,& læſi ipſius actio daretur. Reſpondeo. duobus potiſſimam,quotum alter ad monumentum, alter ad ſepultum ipſum ſpectabat. In vtrumque autem multipliciter peccabatur : in monumentum quidem demolitione,vſurpatione,& alienatione. In ſepultum verò aſportatione,ſpoliatione, mutilatione,& denique mala contrectatione.

Demolitione ſepulchri, ipſius violati actio maximè continebatur ; qua enim ratione quid iniurioſius violatur quam com deſtruitur ? porro *demolitionem* iotelligo ſiue,quæ ex parte, ſiue quæ in totum fieret:de qua Cicero [h] de legibus, *de ſepulchris autem nihil eſt apud Solonem amplius quam ne quis ea deleat, neue alienum inferat*. Deleri autem tunc ſepulchrum intelligit com quis illud in totum demolitur. Sed & nihilominus cum id ex parte fiebat, ipſius violati actio dabatur : vnde & ſubdit ibidem Cicero *pænaque eſt ſi quis buſtum, aut monimentum, aut columnam violarit, deiecerit, fregerit*. Quod idem ſancitur io iure Ciuili [i] vbi,& quot modis hæc ooo abſoluta demolitio fieret explicatur. Demolitionem enim ecoſeti definit. *Si quis de ſepulchro abſtulerit ; vel ſaxa, vel marmora, vel columnam, vel quancunque aliam materiam fabricandi gratia*. Et additur [k] in eodem Codice Theodoſiano; l. ſi quis lapidem mouerit,terram euerteret, ceſpitem euelleret. Propterea Sidonius Apollinaris ſacrilegos illos appellat [l],qui in ſolo vbi proauus ipſius ſepultus fuerat ceſpites antiquos euellere, glebas recentes iniicere,ſolum ipſum raſtris vertere fuerant auſi.

h lib.2.

i l.4.C de ſepulc. viol.

k lib.5. Ibid.

l lib.3.ep.12.

Sed vſurpatione ſepulchri religio violabatur; cum vel io illud, vel in ſolum, & aream ipſius, alienus mortuos inferebatur. Cicero vbi ſuprà cautum dicit à Solone quod & à Romanis receptum ; ne quis alienum inferret. Qua de re plura Cuiacius [m] & ante illum Cælius Rodiginus. [n] Apud Iudæos ; num violatæ religionis reus teneretur, qui mortuum in alienum ſepulchrum inferret,dubitari poteſt. Sepolchrum autem hîc appello non conditorium tantùm;ſed & locum, & aream vbi quis ſepultus iuriſconſultorum more : dubitandi autem occaſio eſt, quia ſæpius in ſcripturis legimus in aliena ſepulchra plures illatos. Sed meo iudicio extra omnem controuerſiam eſt apud illos quoque hanc *vſurpationem* ſepulchri interdictam fuiſſe. Quod ſi aliquando in ſepulchro non ſuo quis conditus;vſurpatio ea non fuit ; ſed iuſtus vſus eius, quod vel lex,vel neceſſitas, vel domini arbitrium permittebat. Sic illi quod hominem ſepeliebant latronibus ingruentibus ſubito occupati cadauer quod alio inferebant io ſepulchrum Eliſæi proiecernnt [o]. Quod non iniuriæ fuit ſed neceſſitatis. Sic Isboſeth in ſepulchro, in quo iam Abner ; ſed iubente Dauid poſitus eſt [p]. Denique notum tam id eſt quam quod notiſſimum. quod etiam nunc inter Chriſtianos ſeruatum ; vnde,& illæ frequentes inſcriptiones mortuorum manibus. *ſoli ſunt, & ſoli volunt eſſe*. Quod non eſſet ſi alienis fas eſſet accedere.

m lib.21. obſeruat c.13.
n li.9. antiq. lect.c.4.& ex vtroque Kirchman.lib 3 c.23.

o 4.Reg. 13. 21.

p 2.Reg.4. 12.

Denique *alienatione* violabatur,vt nooc etiam ſit ſepolchri religio, & id quia ſacrum quid eſt, & erat : nulla enim res ſacra vendi aut diſtrahi poteſt ſine piacolo. Gordianus in reſcripto [q] quod refert Kirchmannus loco citato. *Res religioni deſtinatas quinimo iam religionis effectas ſcientes qui contigerint, & emere, & diſtrahere non dubitauerint : tamen, etſi iure venditio non ſubſiſtat, læſæ tamen religionis inciderunt in crimen*. hinc io venditionibus exceptiones illæ addi ſolitæ. *Si quid ſacri, vel religioſi ; vel publici eſt eius nihil venit*.

q l.22 & 73 ff.de contr.

Propriè autem de ſepulchris cautum erat vt ait Vlpianus [r], *ne vſus ſepulchrorum præmutationibus pollueretur*. Hoc eſt vt ipſe interpretatur, *ne monumentum veniret neque obligaretur diſtraheretur ve à quoquam*. At hoc qood Romanis tam ſanctom ; an apud Hebræos obtineret non ita certum primò ex facto Abrabam, ſecundò ex moribus, & inſtitutis Ægyptiorum, quibus vt plurimom Hebræorum mores ſi non leges conſentiebant. Abraham Gen. 27. Ius ſepolturæ ſibi pretio parauit ab Ephron, & quidem ne quis dicat non ipſum Abrabam huius emptionis auctorem;ſed Ephron fuiſſe : ita parauit ; vt vi coegerit Ephron, & quaſi inuitum ad hoc pertraxerit. Dono enim vltro, & liberaliter concedebat illi Ephron ſolum ad ſepulchrum quodcunque vellet ; ſiue inter ſepulchra ſuorum ; ſiue extra illa. At inſtitit contra Abraham per ſe, & per alios vt pretium acciperet,& ritè venderet, quod donare

r l.12. de relig.& ſumpt. fun.

malebat

Digitized by Google

malebat. Ergo de ſepulturæ loco fas & Ius erat pretio tranſigere: niſi ſanctiſſimum Patriarcham velimus in crimen violatæ religionis adducere: hac de re mirum eſt quantæ olim turbæ & lites excitatæ à quibuſdam Canonici iuris Conſultis. Ex vna parte videbatur illis locus ab Abraham emptus ſacer iam & religioſus eſſe: ex altera pro illo ſolutum pretium videbant. Inde ergo ſolliciti, & anxij quærere quomodo non Simoniacus vterque tam Ephron, quàm Abraham hoc vt euaderent; mirum quot, & quanta miſcuerint de quibus vide fusè Pererium [a] ſuper Geneſim.

a Tom. 3. in c.27. diſput.

Breuiter dicendum; aliud eſſe, *locum ſepulchri, & ſepulchrum ipſum*; aliud *ſolum*, quod quis ſimpliciter deſtinat ad ſepulchrum. Illud ſacrum & religioſum eſt; hoc nequaquam: propterea licitè poteſt hoc *vendi, emi, alienari, diſtrahi*; non verò illud. Abraham autem aream emit ſibi ad conſtruendum ſepulchrum; non ſepulchrum ipſum propterea nihil in religionem commiſit; nec ipſe qui emit; nec ille qui vendidit. At video quid turbet adhuc: dictum ſcilicet Diui Gregorij cuius verba refert Gratianus [b]. Et habetur in eiuſdem Regiſtro [c] D. Gregorij: ibi enim reprehendit ſummus Pontifex Ianuarium Sardiniæ Epiſcopum, exemplo illum obiurgat Ephronis qui nolebat pretium vllum à S. Patriarcha ſuſcipere. Vel ergo terra Ephronis ad ſepulturam, erat, ſicut & illa, quam vendebat Ianuarius, vel non: ſi non: non facit ad id de quo S. Pontifex agebat: ſi erat; ſacra ergo erat, ſepulchralis erat, religioſa erat. Quomodo ergo S. Patriarcha rem ſacram vt ſibi alius venderet pretio precibuſque coëgit? Reſpondeo S. Gregorium vſum eſſe argumento à minori ad maius comparando perſonam perſonæ, & locum loco; Ephronem Gentilem Ianuario Chriſtiano Epiſcopo: terram profanam, ſolo iam ſacro: ille gentilis nolebat ſuſcipere pretium pro terra profana; ob id tantum quod deſtinarat illam Patriarcha ſanctus ad ſepulchrum; tu Chriſtianus & Epiſcopus ſolum iam conſecratum, & non tantum cogitatione; ſed certis ceremoniis ſepulturæ paratum, pretio vendis? quantum hoc piaculum eſt? nihil ergo inde colligitur quod oſtendat Hebræis ius ſepulchri iam factum vendere licuiſſe; *iam ſacrum* dico quale fiebat, & corporis illatione, & certis præterea ceremoniis. Cæterum locum ſepulchri, & ſepulchrum ipſum nondum ſacratum quis dubitet potuiſſe emi, vendi, & pretio diſtrahi: Sic ager figuli emitur à ſacerdotibus in ſepulturam peregrinorum Matth. 27. & ſepulchra ipſa certo pretio extruenda conducebantur, niſi ſi quis exiſtimet, gratis ea parari vbique potuiſſe & debuiſſe.

b c. queſta q. 2.
c lib. 7 epiſt. 55.

At Ægyptij aliter ſolebant. Suſpicari licet ex eo quod ſupra diximus; mortuos ſuos pignoris loco aliis tradere ipſos conſueuiſſe; multò magis ſepulchra ipſa vendere potuiſſe, & alienare: Saltem hac religione non detentos; vt obligare ipſa non poſſent; & tamen qui alienata res ſacras prohibet; ſimul etiam vetat vendere, obligare, locare. Sed quicquid ſit de Ægyptiis: certum eſt, vſum illum cadauera ſuorum oppignerandi apud Hebræos non obtinuiſſe: Ægyptios autem ipſos non id propterea vſurpaſſe, quod ſacra illis ſuorum ſepulchra non eſſent: ſed potius è contra: quia illis hæc in magna veneratione quaſi ſacramentum putabant pignore ſe illo ſacro obligare. Sed hæc alibi.

Sopran. in Dauid.

Quæri autem adhuc poteſt antequam hinc longiùs abeamus; quando ſepulchrum ipſum, & area ſepulchri iam ſacra, & religioſa effecta cenſeretur. Nam vt dixi non illico vt ſepulchrũ conſtructum, aut ipſum aut area, ſancta habita ſunt. Abulenſ. cap. 50. Geneſ. per ſolam corporis illationem conſecrata putat: alij præter hoc alias ceremonias adiunctas volunt. Mihi diſtinguendum videtur; de loco ſacro ritu Gentilium, Hebræorum, & Chriſtianorum. Chriſtianis locus ſacer fit, non ſola illatione cadaueris; ſed conſecratione, & ea quam vocant *ſolemni benedictione*; Iudæis vt plurimum ſola legitima illatione cadaueris religioſus locus reddebatur: at Gentilibus præter illationem, alia etiam requirebantur. de quibus Cicero de legibus & Adrianus Turnebus ibi [d].

d lib. 2.

Diceram porrò regionem ſepulchri violari, & per læſionem monumenti, & areæ, quæ quot modis contingeret explicaui: & præterea læſione cadaueris; hoc autem quadruplici ratione violabatur; mala contrectatione, mutilatione, aſportatione, ſpoliatione: de quibus omnibus nihil eſt quod adiungam quod per ſe ſatis clarum habeant intellectum.

CAPVT VI.

Ad locum Geneſ. 49. 30

Sepelite me cum patribus meis in ſpelunca duplici quæ eſt in agro Ephron Ethæi.

Sepulchrorum forma multiplex apud Hebraos & alios antiquiſſima, & ſimpliciſſima, quæ? Spelunca olim in id, & antra; quod diu apud Iudæos ad Chriſti vſque tempora ſeruatum: longè tamen antiquius terra condere; vnde ſolemnes loquendi, precandi, & imprecandi formula in defunctos. Chriſti & Lazari ſepulchrum cuiuſmodi. Abrahami ſpelunca duplex vt accipienda Gen. 1 Reg. B. Ioan. pluribus in locis explicati.

SEpulchrorũ apud Antiquos alia manu, & arte facta, alia à natura parata: hæc fuere ſpecus, & antra: ex illis alia excauata, alia extructa, & horum quædam ſub terram, quædam extantia, & pro varietate materiæ, alia marmorea, alia lapidea, alia teſtacea: de quibus omnibus quatenus in vſu fuerint Hebræis breuiter eſt agẽdum. Certa autem res eſt antiquiſſimam & maximè ſimplicem ſepulchrorum formam præbuiſſe mortalibus ſpecus & antra, vt inter ea, quæ arte parabantur, vetuſtiſſimæ fuere ſcrobes, & foueæ.

De ſpeluncis habemus in Geneſi [e]; Vbi Abraham de funeranda Sara ſollicitus ſic Hethæos alloquitur. *Si placet animæ veſtræ vt ſepeliam mortuum meum, intercedite pro me apud Ephron filium Seor, vt det mihi ſpeluncam duplicem.* Et infra verſ. 19. *atque ita ſepeliuit Abraham Saram vxorem ſuam in ſpelunca agri duplici.* In qua eadem deinde ſepulti ſunt Abraham ipſe, Iſaac, Iacob, Lia, Ioſeph, & alij; ſeruatum autem morem etiam ad poſteriora tempora indicant quæ Diuus Ioannes tradit [f] de ſepultura Lazari, *erat autem ſpelunca, & lapis ſuperpoſitus erat ei, & ait Ieſus tollite lapidem.* Ex quibus non immerito quæri poſſe videtur qua tandem forma eſſent iſtæ ſpeluncæ,

e Cap. 23.
f Cap. 11. 38.

luncæ, vbi ſitæ, & cur ad id aſſumptæ. *De forma*; ambiguos nos reddit quod toties ſpelunca illa Abrahæ appellatur *duplex* ſiue vt in Hebræo eſt *ſpelunca duplicitatis*, quod quid ſignificet, variant interpretes. Sunt enim qui *duplicem* interpretantur alteram ſuperiorem, alteram inferiorem: in illa viros, in hac fœminas condi ſolitas. Ita Magiſter Hiſtoriæ; ex Rabinis ſcilicet qui adeo ſtolidi ſunt; vt ſuarum rerum rudes etiam à nobis doceri debeant Gentiles ritus. Eſto enim quod duplex ſpelunca ſic accipienda ſit; diſtinctio illa locorum vt à viris fœminæ ſeorſim deponerentur, fictitia eſt: clare enim viris ſuis adſepultas fœminas conſtat apud Hebræos, & habemus Tobiæ cap. vltimo: alij ergo *duplicem* accipiunt vt vna alteram circumplexu ſuo ambiret vndique & eſſet ſpelunca in ſinu ſpeluncæ. Sic Procopius, Gazæus, & Haimerus in Geneſim[a]. Quod probabile eſt. Reliqui enim qui duplicem dictam à duplice cadauere volunt vel Adami & Euæ qui eſſent ibi conditi; vel quoruncunque qui illuc ſimul inferri poſſent, prorſus audiendi non ſunt vt aliena loquentes. Probabiliſſimum tamen eſt ſi duas ſpeluncas ſimpliciter accipiamus vno aditu peruias: ſiue quod ſtatim ab ingreſſu duæ ſe aperirent; ſiue quod vna poſt aliam. Quæ enim huiuſmodi erant maximè probabantur; vt conſtat etiam de ſpelunca in qua Chriſtus Dominus ſepultus eſt. niſi enim duplicem hac ratione fuiſſe intelligamus, difficile admodum erit conciliare inter ſe Euangeliſtarum dicta; quorſum vnus indicat ſuſcitato Domino Angelum mulieribus adſtitiſſe extra *monumentum*, alius verò in monumentum ingreſſis: quod nullum diſſidium continet; ſi ſpelunca Domini duplicata fuiſſe intelligatur: in interiori autem manu intra lapidem excauata, ſepultum Dominum; in exteriori vero paratum ad ſepulchrum: in illam non ingreſſas mulieres, ſed in iſtam exteriorem. Qui autem Euangeliſta narrat extra *monumentum* Angelum apparuiſſe, *monumenti* vocabulo ſpeluncam interiorem accipit in qua propriè conditus Dominus: qui verò in monumento; ſpeluncam exteriorem intelligit, quæ quaſi veſtibulum erat alterius. Qua de re fuſiùs apud Maldonatum[b].

a Cap. 23.

b In Matth. 27.

At qualis aditus eſſet ad has ſpeluncas ambigi poteſt ex eo, quod habet Diuus Ioannes cap. 11. de ſepulchro Lazari. *Erat autem ſpelunca & lapis ſuperpoſitus.* Ex quo loco colligit Caietanus[c], *Os ſpeluncæ* non ad latus; ſed ſuperne patuiſſe. Alij hoc eludere conantur; quod *ſuper* non ſit referendum ad ſpeluncam; ſed ad parietem, & latus illius. Alij quod particula, ſuper, Hebræis ſignificet ſimpliciter *ad poſitionem* quamcunque ſic enim dici alicubi[d]. Super columnas fuiſſe malogranata, quæ tamen erant circumcirca dependula. At quid de verbo *imponendi*, quo vſus eſt noſter interpres exprimens etiam maximè vocem Græcam idem ſignificantem? *impoſitus* enim dicitur lapis cum quid infernè ſub ſe claudit, & premit. Non puto autem in hoc valde laborandum eſſe. Oſtia enim ſpeluncæ non vna omnia ratione fuere. Alia enim ad latus aperta; alia ſupernè; & quæ talia erant formam habebant Putei; vnde ſæpius in ſcripturis *putei* mentio in re mœſta, & perdita. Pſalm. 54. *tu verò deduces eos in puteum interitus.* Id eſt ad ſepulchrum; cum id minimè formidabunt. Ad hanc eandem formam videmus noſtro tempore vulgaria ſepulchra inſtructa; quæ vnico oſtiolo clauſa aditum habent non per ingreſſum, ſed per deſcenſum. Chriſti ergo Domini ſepulchrum duplici oſtio claudebatur vtroque ad latus. At Lazari ſupernè patebat. Propterea lapis in huius ſepulchro *ſuperpoſitus* dicitur: in Chriſti verò aduolutus ad oſtium. At quando in hac ſpelunca cadauera collocata: an vt in *area* prius clauſa? non puto; vt clare colligitur ex Lazari, & Chriſti Domini ſuſcitatione. Id tamen exiſtimo: ad interiora latera ſpeluncæ excauata loculos, qui ritè cadauera exciperent; quales plures nunc etiam cernimus in cryptis Sanctorum Romæ. Ab Hebræis enim & illorum conſuetudine in ſpeluncis condendi cadauera, morem fluxiſſe puto, qui in prima Eccleſia ſeruatus, ſepeliendi corpora in cauernis, & arenariis, & ſpecubus quibuſcunque ſubterraneis. Et hæc de forma. At vbi hæ ſpeluncæ ſitæ? dixi iam in parte agri minime ad fructus ferendos idonea. Propterea autem ad hunc vſum aſſumptæ, quod viderentur, latibula quædam eſſe à natura parata; vt iis mortui recondantur: vnde, & qui viuentes ab aliorum ſe violentia in ſpecuum latebris tutantur *inter mortuos computari dicuntur*, nimirum, quod cauernæ non viuorum, ſed mortuorum debeant eſſe receptacula. Inde Dauid cum ſemper in cauernis latitaret profugus à furore Saulis, queritur, quod ſit adhuc *viuus inter mortuos computatus*. Quod verò Lucanus alicubi *antrum* appellat vbi Alexander Magnus compoſitus; non puto id accipiendum quaſi vera ſpelunca fuerit; ſed Metaphoricè loquutum, cæcum ædificium à Ptolomæo Ægypti Rege excitatum ſic appellaſſe vbi de Cæſare[e] illud viſente.

c Ibi.

d Ierem. 52. 22.

Effoſſum tumulis cupide deſcendit in antrum
Illic Pellæi proles veſana Philippi
Fœlix prædo iacet terrarum.

e Lucan. lib. 10.

De quo eodem Alexandri ſepulchro ſic fortunam alloquitur idem Lucanus[f].

Cum tibi ſacrato Macedo ſeruetur in antro
Et Regum cineres extructo monte quieſcant.

f lib. 8.

Poſt ſpeluncas ſequuntur *ſcrobes & foueæ*; in vſum ſepeliendorum corporum iam inde ab initio generis humani natura ipſa monſtrante repertæ, nam & iis animalia nonnulla ſui generis cadauera recondunt. Cicero de legibus[g], *Mihi quidem antiquiſſimum ſepulturæ genus illud fuiſſe videtur quo apud Xenophontē Cyrus vtitur.* At Cyrus ſic apud Xenophontem ſepeliri præcipit lib. vltimo. *Meum autem corpus filij cum è vita migrauero, neque in auro neque in argento, neque quopiam loculo condatis; verum terræ quamprimum reddatis. Quid enim præſtabilius, ac beatius, quam in humo miſceri, quæ omnia pulchra, omnia bona parit?* Cur autem ſibi hoc ſepulturæ genus antiquiſſimum videatur rationem affert Cicero *reddit*, inquit, *terræ corpus, & ita locatum, & ſitum quaſi operimento matris obducitur.* Quod enim obuium id, & facile maximè ſit omnibuſque terra pateat quæ effodi poſſit, & ſinu ſuo mortuos recipere id quoque ab antiquiſſimis temporibus vſurpatum fuiſſe conſentaneum eſt. Operoſa enim, & quæcunque arte parantur longè iis poſteriora ſunt quæ natura ipſa mortalibus ſuggerit. Et ſanè dubium non eſt quin primus omnium, qui vnquam tumulati fuerint hac ratione ſit ſepulturæ mandatus. Abel enim à fratre occiſus non aliter funeratus eſt, quod indicant Dei verba increpantis, & ſententiam in fratricidam

g lib. 2.

dam ferentis [a], *maledictus eris ſuper terram quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua; cum operatus fueris eam non dabit tibi fructus ſuos.* Supplicium iuſtiſſimum, vt qui terram verterat ad occulendum fratris corpus, quem ſceleſtiſſimè interemerat, idem ab ea non niſi ſpinas & tribulos referret, dignas ſegeres tam diro ſemine. Quid enim aliud ſperare debebat fratricida à fratris ſanguine; quem impiè effuderat, niſi meſſem dolorum, & miſeræ vexationis? Antiquiſſimum ergo ſepulturæ genus *terra condere*: vnde, & Iob [b]. *Nudus egreſſus ſum ex vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc* ſiue vt legunt Hieronymus & alij. *Nudus exiui de vtero matris meæ, & nudus reuertar in terram.* Quod Gregorius Paraphraſticos explicat. *Nudum me naſcentem & in hanc lucem venientem terra protulit, nudum me exeuntem, & diſcedentem terra recipiet.* Quare in Eccleſiaſtico [c], *iugum graue ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium*: hoc enim illud eſt quod Deus in Adam protulit [d], *terra es & in terram ibis.*

a Gen. 4. — b Cap. 1. — c Cap. 40. — d Geneſ. 3.

Ab hac porrò ſepeliendi ratione plurimæ loquendi formulæ, ortum habuere, quæ tum in ſacris tum in profanis litteris in re funebri vſurpantur. Inde eſt enim quod in *inferiora terræ, & in foueas lacuſque* deſcendere ſit pro ſepeliri poſitum. Pſal. 62. *Introibunt in inferiora terræ tradentur in manus gladij partes vulpium erunt.* Quo, & illud non diſſimiliter ſpectat [e]; *donec fodiatur peccatorum fouea.* Cuius ſimpliciſſimus ſenſus eſt, *donec mortuus ſepulturæ mandetur.* At apud Latinos modi illi dicendi hinc ſunt vſurpati. *tumulare, terram aggerere, glebam puluere mque inijcere*, & plures alij perſimiles de quibus apud Britonium pro [f] eo quod eſt *ſepelire*. Nam qui foſſa humo conduntur terra eadem cooperiuntur, quæ eruta fuerat; vnde quod terram aggerere ſit *ſepelire*. At quia *aggeſta tellus* in tumulum aſſurgit; tum ſponte ſua quia inuerſa eſt; tum ob infoſſum cadauer. Inde *Tumulus* pro ſepulchro, & tumulari tumuloque inferri pro ſepeliri. Et inde quoque eſt quod terram *leuem, & grauem* iis quibus bene vel malè vellent precabantur, notiſſima formula quæ non ſolum in ſepulchris terra obrutis adhuc cernitur, ſed in iis etiam, quæ marmorea ſunt, & ſuper terram extant his notis S. T. T. L. *Sit tibi terra leuis.* Ex quo licet obſeruare antiquiſſimum omnino, & vſitatiſſimum fuiſſe mortuos humare: quando voces illius modi propriæ ad alios quoque ſepeliendi ritus transferuntur.

e Pſal. 93. — f lib. 8. de formul. antiq.

Verum non diſſimulabo hoc loco ſuperſtitioſam veterum opinionem ex qua precationes iſtæ prouehiebant. Putabant enim mortuorum animas, & manes, in ipſiſmet conditoriis includi quibus corpora claudebantur: ita tamen vt poſſent aliquando inde vagari vel ſponte, vel carminibus euocatæ, quam opinionem in Palæſtina quoque viguiſſe, & apud Iudæos maximè argumento ſunt Saulis leges, & deinde ipſius cum Pytoniſſa colloquium, à qua poſtulauit [g] Samuelis animam ſibi magico murmure ſiſti, & tepræſentari. Eos porrò, quæ euocatæ non adeſſent ponderè premi putabant telluris aggeſtæ; contrà vero placidè cubare, & molliſſimè tegi quæ facilè reſponderent. Hinc aliis terram *leuem*, grauem verò aliis precabantur. Quintilianus [h], in declamatione de ſepulchro violato, & ritum, & cauſam illius ſimul amplectitur. *Nunc barbaro carmine grauem terram totis noctibus pulſat; & impoſitum ſibi ſepulchrum quod non poſſit euoluere, quæ ſolebat ipſos diſcernere inferos vmbra miratur.* Conqueritur enim in illa declamatione neſcio quis, quod vmbra defuncti ad ſe ſæpius venire per noctes ſolita magicis incantationibus apparere deſiiſſet, quæ terram illi grauem reddiderant. Subdit ergo. *queritur ſolito terram grauiorem vtique cum ſentit veniſſe noctem; quando vmbræ feliciores dimittuntur ad manes.* Porro adeò in omnium ore etiam rudium, & puerorum, & imperitorum hæc erat precandi, aut imprecandi forma, vt ex ea Tertullianus [i] argumentum ducat ad oſtendendum ex omnium conſenſu animæ immortalitatem. *Quid*, inquit, *quod mortuo vt ſentienti maledicis.... terram grauem imprecaris, & cineri penes inferos tormentum.* Et ſubdit, *ſi nihil paſſionis eſt tibi poſt mortem.... ſi nihil es cur mentiris in te quaſi aliquid pati poſſis?* At feſtiuiſſimum Martialis ingenium duplicis inde traxit ioci materiam; vtriuſque argutiſſimi primus eſt in Epitaphio [k] Philenis cui ob id terram leuem precatur; vt facilius eius à canibus oſſa effodi poſſent.

g lib. 1 Reg. 28. — h Declamat. 10. — Sopran. in Dani d. — i lib. de teſtim. animæ cap 4. — k lib 9. Epigram.

Sit tibi terra leuis, molliqu e tegaris arena
Ne tua non poſſent eruere oſſa canes.

Alter iocus eſt in Epitaphio deſidis coloni, & qualem prorſus Cato à Villa & agro ſuo ablegabat.

Heredes nolite breuem ſepelire colonum.
Nam terra eſt illi quantulacunque grauis

Non omittam etiam apud Chriſtianos nonnunquam hanc precationem vſurpatam: non tamen quod de incluſione, aut vagatione animarum peruersè cum Ethnicis ſentirent: ſed quod per eam formam loquendi quietem quam defunctis optabant teſtabantur. Itaque inter Chriſtianorum vota, & precationes erant vt *defuncti quieſcerent in pace, placidè quieſcerent: vt eorum cineres, & oſſa molliter cubarent; vt terram denique leuem haberent.* Cæterum quia ſcrobibus, & leui tantum tumulo incluſa corpora periculum erat ne à feris agreſtibus eruerentur, aut à ſubterraneis exederentur; vtrique malo occurrendum putarunt; & quidem vt feræ agreſtes arcerentur, locus totus ceſpitibus circundabatur. Obſeruauit id Lilius Geraldus in ſuo libro de ſepeliendi ritu: his verbis. *Conſueuiſſe veteres aggerare teſtas glebaſque, interdum arbores ſerere; quod & Platoni placuit, & nunc aliquando Turcis; ne videlicet feræ animalia, & bruta ſepultorum oſſa effoderent.* At ſubterraneis incurſibus obuiam ibant, foſſas ipſas lapidibus inſternendo. Suetonius in Nerone [l], *Vt quam primum ſe impendentibus contumeliis eriperet, Scrobem coram ſibi fieri imperauit dimenſus ad corporis ſui modulum, componique ſimul ſi qua inuenirentur fruſta marmoris, & aquam ſimul lignaque conferri curando mox cadaueri.* Hieronymus de Chriſtianis [m]. *Clerici quibus id officij eſt cruentum linteo cadauer obuoluunt, & foſſam humum lapidibus conſternentes ex more tumulum parant. Et hæc de ſepulchris tranſlatitiis, & non operoſis.*

l Cap. 49. — m Epiſt. 74.

Capvt VII.

Ad locum 2. Paral. 28. 27.

Dormiuitque Achaz cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in Ciuitate Ieruſalem: neque enim receperunt eum in ſepulchra Regum Iſrael.

Regum, & Principum virorum ſepulchra magnificentiſſimè apud Iudæos extructa: in iis inſana profuſiones apud alios legibus temperata: ſepulchra patentia, dealbata, incruſtata, quæ? Chriſti Domini ſimilitudo in Phariſæos vnde deducta? Dauid ſemel & iterum explicatus.

ET hæc rudi adhuc ſæculo, & luxus ignaro: poſtmodum verò tanta magnificentia extrui ſepulchra cœpere; vt nullibi magis viſi ſint homines affectaſſe nominis immortalitatem, quàm vnde maximè probantur eſſe mortales. Itaque à ſpeluncis, & ſcrobibus quæ Abrahamo, & reliquis Patriarchis placuere, breui tranſitus factus eſt ad moles ſumptuoſiſſimas, & admirandas adeo, vt inter inſignia artis opera etiam apud Hebræos ſepulchra ipſa fuerint connumerata. Inde enim eſt quod Dauid olim, & poſtmodum Chriſtus Dominus ad eas res ſignificandas, quæ pulcherrimum ſui ſpectaculum oculis exhibent, ſepulchrorum ſimilitudine vti voluerint. Loquens enim Dauid de iis qui mellita oratione, & verbis fallacibus alios circumueniunt; aliud ore promentes, aliud corde prementes, ſimiles illos dicit, *ſepulchris patentibus*, id eſt in publico
a Paral.7. extructis, & omnibus expoſitis [a], *Sepulchrum patens eſt guttur eorum linguis doloſè agebant*. Hæc enim ſepulchra magnificentiſſima erant, & pulcherrima ſpecie; vnde ad ſe oculos ſpectantium alliciebant, & iucundiſſima voluptate detinebant: nec quiſquam putaſſet rerum neſcius in mole ornatiſſima tam fœda recondi. Cum his igitur illos comparans dicit, *guttur eorum*, eſſe quaſi ſepulchrum *patens*. Guttur enim hic eorum ſermo eſt blandiſſimus, & ſuauiſſimus; in omnem obſequij ſpeciem compoſitus; prorſus vt auribus ita iucundus accidat, vt oculis ſe præbet, *ſepulchrum patens*, & in loco edito ornatiſſimè extructum, & omnibus expoſitum. At vero quid claudatur vide tam pulchro tectorio; vt enim ſepulchrum illud pulcherrimum nihil aliud continer quam putres carnes, & ſqualida oſſa, & cineres mortuorum; ita ſub illa mellita oratione, & adeò in ſpeciem iucunda, nil niſi venena clauduntur, & mille malæ peſtes, quas coquunt in eum quem blande demulcent. Similiter Chriſtus Dominus ſcribas & Phariſæos ſepul-
b Matth.23. 27. chris comparat [b], *ſimiles eſtis tectis*, inquit, *ſepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa*. Ita ne verò, vt externam illam & magnificam ſpeciem Phariſæorum qualis & quanta eſſet oſtenderet, nihil habuit aptius quam pulchritudinem ſepulchrorum? nihil omnino; quia verè hæc inſigni prorſus ornatu extructa erant; & eiuſmodi vt inter publica opera, & paſſim obuia nihil eſſet magnificentius. Quod ſi apud Hebræos, multò magis apud Romanos, Græcos, & alias gentes. Aduertendum autem puto antequam longius procedamus, non omnibus probatam hanc ſepulchrorum effuſam magnificentiam. Ideo Athenienſibus olim viſum modum ei rei imponere; cæteris autem gentibus quod ſciam liberum cuique fuit qua vellent impenſa
c lib.2. ſepulchra conſtruere. Cicero de legibus [c] de Athenienſibus loquens. *Propter has amplitudines ſepulchrorum quas in Ceramico videmus, lege ſanctum eſt ne quis ſepulchrum faceret operoſius, quam quod decem homines efficerent triduo: neque id opere tectorio exornari, nec Hermas hos quos vocant licebat imponi.* Et paulo poſt de Demetrio agens orationem funerum perſcribente. *Sepulchris autem nouus modum finiuit; nam ſuper terra tumulum noluit quid ſtatui, ni Columellam tribus cubitis non altiorem, aut menſam aut labellum, & huic procurationi certum magiſtratum præfecerat.* Et paulò poſt de eadem re agens ex præſcripto Platonis extrui, inquit, *vetat ſepulchrum altius, quam quod quinque diebus; homines quinque abſoluerint; nec ex lapide excitari plus, nec imponi: quam quod capiat laudem mortui inciſam ne plus quatuor heroicis verſibus quos longos appellat Ennius.* Sic ergo Athenienſes, at non ita Romani, nec alij Græci, & Hebræi ipſi quibus liberum erat pro cuiuſque arbitrio, & facultate hic opes effundere; & verè effuderunt, vt conſtare poterit, ex his quæ ſubiiciemus de Regum ſepulchris, & virorum Principum: in his enim ſe luxus tota velificatione profudit. Ad quæ priuſquam accedamus ex proximis Ciceronis verbis intelligere poſſumus, quid ſint. *Sepulchra dealbata.* Et quæ in illis tanta pulchritudo, & ornatus vt cum Phariſæorum ſpecioſa oſtentatione conferri potuerit à Chriſto Domino. Eſt enim *ſepulchrum dealbatum*, quod fortaſſe quis ſuſpicetur leui tantum calce, aut gypſo illitum. Sed marmoreis cruſtis planè circumdatum: quale leges Athenienſes prohibebant vetantes ſepulchrum *opere tectorio* exornari. Eſt enim *tectorium* hoc loco non qualiſcunque inductio ad poliendum; vt nudum opus albarium, ſed tegumentum ex marmorum cruſtis: antiquis vſitatiſſimum in ædificiis ſumptuoſis propterea apud Matthæum Græce eſt, *κεκονιαμένοις Kekoniamenis*, quod eſt propriè *incruſtatis*: de quibus aliquid etiam preſſius deinceps dicemus.

Capvt VIII.

Ad locum 1. Machab. 13. 27. Et ædificauit Simon ſuper ſepulchrum patris ſui, & fratrum ſuorum ædificium altum viſu, lapide polito, retro, & ante.

Sepulchralium molium apud Iudæos immenſa prorſus altitudo, & magnitudo: Ionathæ Machabæi ſepulchrum, nulli veterum ſecundum: eius, Dauidis, & aliorum ſimilium concamerata ſtructura plures in partes tributa, & quæ illæ: veſtibulum, conditorium Hypogæum, longitudo, & latitudo quæ in ſepulchris, & vnde deſumpta: illuſtrati non vno loco lib. Paral. Machab. B. Marcus, & alij.

VT ergo aliquid diſtinctius de ſepulchrali hac magnificentia diſſeramus, tria in illis ſeorſim conſideranda proponimus, *ſtructuram, ornatum, & monumentum*. quorum trium materiam nobis ſuppeditat ſepulchrum Ionathæ, à fratre Simone extructum [d] quod nobis præbit; d 1. Mach. 13.
ad hæc tria quæſumus explicanda.

Per ſtructuram intelligo totum ædificium, quod ad ſui partes ſolidas: de quo prius quærendum; an ſemper ſub terram conditum: affirmant enim aliqui, & in vniuerſum volunt ſepulchra omnia ſubterranea fuiſſe. Colligunt ex non

leui

leui coniectura, primo quod ſemper dicantur ad illa deſcendere qui ea, aut alia de cauſa adeunt aut vt mortuos inferant: & ſanè in Scriptura quoties ſepulchri mentio etiam deſcenſus adiungitur. quin etiam, & in externis ſcriptoribus. Lucanus de Cæſare ſepulchrum magni Alexandri inuiſente [a]. a lib.10.

Defoſſum tumulis cuſpide deſcendit in antrum
Illic Pellæ proles veſana parentis.


Secundo ſepulchra omnia in Scriptura appellantur, *infernus, loca inferiora terræ: viſcera, & centrum terræ:* indicium ergo eſt, fuiſſe omnia communiter ſubterranea. At vero ex altera parte pugnat, quod tam multa quaſi ad publicum ſpectaculum extructa ſint, & ad viatores, & peregrinantes à longè etiam aduocandos, quod ſtultum fuiſſet, niſi ſuper terram, & quidem altiſſimè educta, & erecta eſſent. Et hoc non de vno, vel altero quod illi concedunt, ſed de omnibus paulò magnificentius extructis conuincit. Dicendum ergo; duo oportere diſtingui in ſepulchro quolibet, quod ad rem præſentem ſpectat. *Conditorium* ipſum, ſiue locum vbi corpus compoſitum; & molem ſuperextructam: illud fortaſſe ſemper ſub terram, hæc vero ſemper edita, & educta. Propterea vtrumque; & quod in ſepulchra *deſcenderetur*, & quod nihilominus extarent, & ſui ſpectaculum longe præberent, quod hoc loco licet aduertere in ſepulchro Ionathæ magnificentiſſimo nec vlli ſecundo eorum quæ miratur antiquitas. *Ædificauit*, inquit, *ſuper ſepulchrum patris ſui ædificium altum viſu.*

Ex quo ſecundo loco quod ad ſtructuram ſpectat *altitudo* ſepulchrorum conſideranda ſe offert. Quæ ſanè fuit mira. Hoc enim Ionathæ ſepulchrum tam altè eductum; vt longè etiam à nauigantibus cerneretur quod omnino fidem excederet; niſi ab auctore ſummæ fidei traderetur. Cæterum in hoc ædificiorum genere altitudinem antiquis maximè ſemper probatam non ignoramus. Hinc enim Mauſoleum inter ſeptem orbis miracula connumeratum ad centum & quadraginta pedes eductum erat in auras; vt tradit Plinius [b]. Quæ tamen altitudo tanta non videtur eſſe, quanta ſignificatur in ſepulchro Ionathæ, nec eiuſmodi vt propterea Martialis dicere debuerit. b lib.36.c.15

Aere nec vacuo pendentia Mauſolea.

Præſertim cum ſepulchrum Porſenæ Regis quinquies tanto altius fuiſſe colligatur ex eodem Plinio [c]. Itaut totius ædificij altitudo, ſi rectè ſumma ad calculum redigatur ad ſexcentos pedes aſſurgeret; ſed dicendum hic exiſtimo aliam fuiſſe altitudinem totius molis, aliam ſolidæ ſtructuræ. Illam enim implebant columnæ, & pyramides aliæ ſuper alias impoſitæ: hæc verò tantum ex concameratis lateribus attollebatur. Quomodo ergo Mauſolei altitudo ad centum quadraginta pedes pertinuiſſe dicitur, de ſtructura ipſa eſt intelligendum: at cum dicitur ſepulchrum Ionathæ ita eductum, vt à nauigantibus procul etiam videri poſſet, intelligendum eſt id ratione columnarum, quæ aliæ ſuper alias impoſitæ erigebantur. Quanquam ne quid diſſimulem id quod à nauigantibus videri poterat in ſepulchro Ionathæ, non dicitur ſolum ipſius faſtigium; ſed naues in ipſo exculptæ ita enim habet. *Iuxta arma naues ſculptæ quæ viderentur à nauigantibus.* Quomodo enim id verum ſit in ſummo faſtigio totius molis tanta magnitudine potuiſſe naues exculpi, vt procul à nauigantibus cernerentur? Sed dicendum in hac oratione, *Arma, & naues, quæ viderentur* particulam *quæ* non illa duo tantum referre; ſed omnia quæ præceſſerunt; quòd eſt totius operis cacumen: etiamſi enim in extremo littore ad ipſam maris oram fuiſſet ædificium; vix tamen potuiſſent à nauigantibus diſcerni, quæ in ſummitate cælata fuiſſent. Quanto ergo minus cum ſepulchrum hoc eſſet in monte Modin qui procul à mari aberat millibus paſſuum fere duodecim; vt colligitur ex Chriſtiano Adricomio in deſcriptione Terræ ſanctæ; quæ tamen à mari diſtantia ſummæ omnino magnitudinis, & altitudinis fuiſſe conuincit molem illam quæ à *nauigantibus omnibus* diſcerneretur ità enim ſignanter Scriptura loquitur; ne fortè ab vno, vel altero cui lincei oculi conſpectam putaremus. c Eod.lib cap. 13.

Tertio loco in ſtructura, concameratio ipſa eſt perpendenda; an multiplex ea, non ſimplex tantùm fuerit? Certa autem res, multiplicem planè fuiſſe totúmque ædificium non vna tantùm, aut altera cellula abſolutum; ſed pluribus omninò non ſolùm quia moles ipſa latitudine laxabatur, ſed etiam quia in altum ſurgebat. Itaque non tantùm erant aliæ poſt alias, ſed aliæ ſuper alias concamerationes, & quaſi conclauia. Extat delineatio ſepulchri Dauidis apud Sebaſtianum Serlium, quem perpendunt ex noſtris [d] Pineda & [e] Villalpandus, in eo autem cernuntur ſub marmoreo monte tres cellæ excauatæ ſuis quæque teſtudinibus diſtinctæ, prima & tertia paulò anguſtiores; media autem planè ampliſſima; cuius teſtudo maxima quatuor pilis, ſeu paraſtatis incumbit, quæ inſtar columnarum ſunt; ex eodem natiuo marmore, & circum circa acciſo formatæ; ſunt autem ad latera harum cellularum in ipſo marmore loculi; plures ad capacitatem hominis excauati ad eam formam, qua nunc plures viſuntur Romæ in cryptis ſanctorum. præſertim S. Sebaſtiani: in prima cellula quatuor ſunt: bini ex vtraque parte: in tertia duo tantum; in media ampliſſima octodecim, noueni ex vtraque parte. Et hoc integrum Dauidis ſepulchrum nonnulli eſſe volunt. Alij, vt Villalpandus veſtibulum tantum ſepulchri; interius enim illud abſceſſiſſe multo ſpatio laxatum; quod probabilius eſt, & colligitur ex Ioſepho [f]. d l.8. de Salomone c 3 e in Ezechielem. f lib 1. de bel.c.1.



Nobis ex hnc lnco ſit ſatis colligere plures
cellulas hæc magnifica ſepulchra cootinuiſſe
alias poſt alias,ſed & alias etiam ſupet alias;quod
a lib.2.c.32. colligo ex libro Paralipomenon [a]. Vbi Ezechias
ſepultus dicitor, *ſuper ſepulchra filiorum Dauid*,
qund, quid ſit Interpreies quætunt. LXX. ves-
tunt. *In aſceuſione ſepulchrorum Dauid.* Pagninus,
iu excelſo ſepulchro. Tigutina. *Iu inſignibus ſe-
pulchris* Regia. *Iu ſublimitate ſepulchrorum.*
Quorum omnium ſimpliciſſimus ſenſus mibi
videtur eſſe;vt io ſuperiori aliqua ſepulchti cel-
lula cnoditum iotelligamus. Hoc enim pacto
omnia clara ſuns. Verom vt tota horum ſepul-
chrnrum ſtructura diſtioctius adhuc perſpiciatur,
præſtat plures eius partes conſiderare,quæ ſubin-
de ab aotiquis ſcriptorihus cum de ſepulchris
aguot commemorantut. Hæc autem ſunt, *veſti-
bulum,Conditorium, Hypogæum,Loculi: Longitu-
do, Latitudo ſepulchri, Domuncula ad illud, vel
ſuper illud.*

Veſtibolum ſepulchri erat meo iudicio pars
illa, quæ ſemper patebat; omnibus peruia; ſiue
vna, ſiue pluribus cellulis diſtincta; aut io mar-
mhre excifis, aut concameratis: vbi habitaſſe ij
cenſendi ſunt quos io Euaogelio,& alibi legimns
in ſepulchris ſolitos diuerſari: quorum mentio
b Pſal.67. io Pſalmis [b] & apud Matthæum [c] vbi dno di-
c Cap.8.28. euntur Chriſto Domino occurſiſſe, *exeuntes de
monumentis*, in quibus ſolitos illos habitare re-
d Cap.5.3. fert Marcus [d] & Lucas [e] in quibus etiam com-
e Cap.8.27. morates martyres ſcimus ea vita S. Vrbani, &
f Hom.40. stadit Chryſoſtumus [f] ad populum, *hi quidem*,
inquiens,*in monumentis,& ſepulchris, hi vero in
deſertis habitabant.* Denique & olim io iiſdem
merettices magis infames proſtituiſſe auctor eſt
g lib.1. epig. 35. Martialis [g].

Abſcondunt ſpurcas,& monumenta lupas.

Nimirum ibi illæ habitahant,qun miſeros homi-
nes perducehant,& nuoc perducunt;ad ſepulchra
ſcilicer.

Præter veſtibulum eſt etiam meotio Coodi-
torij,quod oon eſt rotum ſepulchrum; ſed io il-
lo ea pars tantum, in qua propriè corpus collo-
catum. De eo apud Petronium cum de matrona
Epheſina, quæ virum extulerat, etiam ſepultum
oon deſerebat. *Non contenta*,inquit, *vulgari, fu-
nus paſſis proſequi crinibus, aut nudatum pectus in
conſpectu frequentia plangere,in Conditorium etiam
proſequuta eſt defunctum.* Et ſubdit. *Cœpiſſe de-
inde corpus ritè locatum cuſtodire, ac totis diebus,
& noctibus deflere.* Erar autem hæc potiſſima
pars ſepulchri; vt pote quæ propriè ad id cui ſe-
pulchra deſtioata nempe recipiendo cadaueri:
vode *Conditorium* ſimpliciter nonnunquam po- h lib.6.ep.10.
ſitum pro ſepulchto. Plinius minor [h]. *Tam rara
in amicitia fides,tam parata obliuio mortuorum; vt
ipſi nobis debeamus etiam Conditoria extruere;om-
nium heredum officia preuenire.* Claudehatur por-
rò Cooditorium oſtio ſuo ne in illod omnibus
aditus pateret vt io veſtihulum de quo oſtio ac-
cipiendum,quod tradit Matthæus [i]. *Et aduoluit* i Cap.27.60
ſaxum magnum ad oſtium monumenti, & abiit.
Hoc enim non erat oſtium totius ſepulchri, ſed
interioris, relicto libero ingreſſu ad *Veſtibulum*:
quod colligitur; quia *mulieres ingreſſæ in monu-* k Cap. 16.6.
mentum,vt narrat Marcus [k]. *Viderunt reuolutum
lapidem,& Angelum ſedentem ſuper eum*;quomo-
do enim ingreſſæ ſi non intelligimus lapidem
tantum ad Conditorium ipſum aduolutum, pri-
mo veſtibulo patente;rariſſimè verò hoc oſtium
aperiri ſolitum indicat Marcellinus [l]. *Bibliothe-* l lib.14.
cis,inquit,*ſepulchrorum ritu in perpetuum clauſis*,
meminit etiam Petronius loc. cit. *præcluſis Con-
ditorij foribus*: (quæ recenti adhuc fuoere patue-
rant; matrona etiam ibidem virum lugente) *vt
quiſque notus ignotuſque veniſſet, putaſſet expiraſ-
ſe ſuper corpus viri pudiciſſimam vxorem.* Vopiſ-
cus in Tacito. *Mortis omnia hac fuere: patris
ſepulchrum diſruptis ianuis ſe aperuit.* Sed & ia-
oitorum ſepulchralium mentio, apud Firmicum
[m] *Mercurius cum Saturno in tertio loco pariliter* m lib.3 c.13.
*conſtitutus pollinctores facit, & funerarios mortuo-
rum cadauerum cuſtodes, & ſepulchrorum ia-
nitores.*

Sequuntur

Sequuntur *Loculi* quos in ſepulchri ſtructura memorant recentiores, eoſque definiunt fuiſſe modica receptacula; ſiue ſinus exciſos ad latera Conditorij in quibus corpora defunctorum re-
a li.4.Topogr. c.29. ponebantur. Ita volunt Marlianus[a] Kirchman-
b lib.3. c.15. de Rom. fun. nus[b] Serlius[c] & alij; moti quod veteres ſcripto-
c lib.3. de Archit. res in Loculis tradant defunctorũ corpora locari conſueuiſſe: ſed meo iudicio *Loculi* in re funebri aliud nõ erant; quam *arca, aut lectus funeralis*, quibus cadauera includebãtur vel reclinabantur; receptacula autem illa ad parietes Conditorij, ſiue *cellula*, aut *ſinus*; quos alios ſequutus paulò ante etiam *Loculos* nominaui *Loculamenta* potius dicebantur, pro feretro autem Loculum dixit vul-
d Luc 7.15. garus Interpres[d], *Acceſſit*, inquit, Ieſus, & tetigit *Loculum, & ſteterunt qui portabant*. Similiter D. Ambroſius in Commentario illius loci. *Qui quidem mortuus in Loculo materialibus quatuor ad ſepulchrum ferebatur elementis.* Et paulò poſt feretrum appellat, quem loculum dixerat. *Quid enim aliud niſi quaſi in quodam feretro hoc eſt ſupremi funeris inſtrumento iacemus exanimes cum vel ignis, &c.* At alij Loculum pro arca appella-
e lib.7.c.2. uere vt Plinius[e] vbi de Pyrrhi pollice in dextro pede loquitur, *quem cremari cum reliquo corpore non potuiſſe tradunt conditumque Loculo in Templo.*

Tertio loco Hypogæum inter partes ſepulchri recenſetur; quæ vox generaliter ſignificat ſubterraneam quamcunque cellulam. Meminit autem illius Petronius in ſæpius memorata narratione de matrona Epheſina. *In Conditorium*, inquit, *eſt proſequuta defunctum poſitumque in Hypogæo græco more corpus cuſtodire cœpit*, &c. quibus verbis videtur diſtinguere, *Hypogæum* à *Conditorio*; vt verè diſtinguebatur: Nam Conditorium quæcunque cellula cadaueri condendo deſtinata, *Hypogæum* verò tantum ſubterranea. At inde ſatis colligimus habuiſſe ſepulchra ſuperiores, & inferiores concamerationes. Si enim Hypogæum inter partes & membra ſepulchri oportuit omnino fuiſſe alias ſuperiores, & eductas ſupra terram: quorſum ſubterraneas in illis cellulas diſtinctè ſignare; ſi omnes ſubterraneæ fuiſſent.

Quarto loco in ſtructura erat longitudo, & latitudo ædificij maior pro cuiuſque modo: erat autem *Latitudo* ſepulchri, quæ etiam frons illius dicebatur: *longitudo* verò, quæ prorſus in agrum. Cuius vtriuſque tanta religio antiquis, vt ne violarentur, definitam vtriuſque menſuram inſcribendam in toto ædificio putauerint nimirum vt monerentur alij quatenus abſtinere deberent à terra, vel lapidibus ſubruendis. Sic ſæpiſſime in antiquis monumentis legitur. *In fronte pedes tot: in agrum pedes tot.*

Denique domunculæ etiam aliquando ſepulchris iſtis maioribus circumſtruebantur quarum frequens mentio in antiquis inſcriptionibus; de quibus poſſunt Conſuli Kirchmannus, & Iacobonus in locis citatis in auctorum indiculo quem in operis ingreſſu poſuimus.

Caput IX.

Ad loc. Pſal. 48. Sepulchra eorum domus illorum in æternum: tabernacula eorum à progenie in progenie: vocauerunt nomina ſua in terris ſuis.

Sepulchralium ornamentorum ſplendor, & varietas quanta apud Hebræos: ea in adiuncta diſtincta, & coniuncta: hæc in peregrini marmoris cruſtis, & expolitis, aut cælatis, opereque tectorio totius ædificij maximè ſita: in iis elogia, Inſcriptiones, Tituli, quorum quis apud Hebræos vſus, & à quo tempore accuratè oſtenſum: Moſes, Dauid & alij non ſemel explicati.

IAm verò de ornamentis ſepulchrorum agendum, quæ varia omnia, & ſplendidiſſima fuere. Ea autem diſtinguo *in coniuncta, & adiuncta.*

Inter coniuncta primo loco erant pretioſa tectoria; aliquando ex ſolo gypſo opere albario; frequentius vero, ex marmorum cruſtis pario candore nitentibus; à quo hæc magnifica ſepulchra noſter Interpres *dealbata* appellauit; non quod ſimpliciter, vt iam monui, calcis aut gypſi flore illita; ſed quia candentibus cruſtis induta. Quod ornamenti genus in Ionathæ ſepulchro ſignantes commandatur illis verbis. *Ædificauit*, inquit, *ædificium altum viſu lapide polito retro, & ante.* quod eſt. Non in fronte ſolum; ſed vndique ex omni parte ſecto marmore conuertiſſe: quanti autem apud Antiquos ia ornatus fieret, non eſt quod moneam; cum ex noſtro æuo id æſtimare liceat; in quo cum luxus in immenſum excreuerit, non eò tamen adhuc peruenit vt totas vndique domus, & ædificia poſſet incruſtare. Seneca etiam id ſuo tempore inter illa recenſet, quæ ſtupebat vulgus[f], *miramur*, inquit, *parietes tenui* f Epiſt 96. *marmore inductos cum ſciamus quale ſit quod abſconditur; oculis noſtris imponimus.*

Secundo *cruſta iſta* marmoreæ terſæ aliquando cælatæ: quod de ſarcophago ipſo, & arca ſepulchrali adeò notum eſt, vt nullo monitore ſit opus. Superſunt enim adhuc Romæ, & alibi huiuſmodi plures Loculi marmorei; quæ ſimpliciter ſepulchra appellantur; cælata artificioſiſſimè vel in fronte tantum; vel ex omni parte. Non ergo de hac ſolum parte ſepulchrali, ſed de vniuerſo eius ædificio id etiam affirmo; vt colligere poſſumus ex eo quod vulgatus interpres ſepulchra hæc Regum magnifica, & ſumptuoſa Mauſolea ſolet appellare de Ioſia[g], *mortuuſque eſt, &* g 2.Paral 35 24. *ſepultus in Mauſoleo patrum ſuorum.* In Hebræo enim non habetur in Mauſoleo, ſed ſignificatur in pulcherrimo & ſumptuoſiſſimo ſepulchro conditus; quod vt quale eſſet, noſter interpres exprimeret, *Mauſoleum* appellauit. Erat autem Mauſoleum ſepulchrum Mauſoli Cari Reguli; de quo inter alia ornamenta conſtat fuiſſe à præſtantiſſimis ſculptoribus vndique artificioſiſſimè cælatum, vt narrat Plinius[h] tanto ſucceſſu vt in- h lib.35.c.5. ter ſeptem orbis miracula fuerit connumeratum ab eo ergo reliqua ſepulchra pari, vel conſimili artificio extructa *Mauſolea* etiam nuncupata; cuiuſmodi Hieroſolymis fuere complura monumenta Regum.

Tertio loco inter ornamenta coniuncta cenſeri debent *ſepulchrales inſcriptiones*; quæ ſine dubio molem totam mirè exornabant, & oculos & animũ iucundiſſimo ſpectaculo paſcebant. Illorum vſum apud Latinos, & Græcos, qui non norunt, nihil norunt: an vero Hebræis etiam receptæ fuerint nonnihil ambigitur; nec certum ea de re audeur

aliqui

eliqui ſignare reſponſum;immerito ſanè.Certiſſimum enim eſt hae illis ſepulchrorum inſcri-
a Cap 35 20 ptiones vſitatas. Quare in Geneſi [a]. *Mortua eſt ergo Rachel;& ſepulta eſt in via quæ ducit Ephratam erexitque Iacob titulum ſuper ſepulchrum eius. Hic eſt titulus monumenti, Rachel vſque in præſentem diem.* Hoc enim loco. *Titulus* nihil aliud eſt quam *ſepulchralis inſcriptio*, quam Græco vocabulo etiam *Elogium*,& *Epitaphium* Latini dicunt. Græci autem ipſi *Epigraphim*. Licet enim Hebræa voa quam noſter *titulus* reddidit
b Comment. in 2. Reg. c. 50. plura ſignificet; vt alibi diximus [b]. Hoc tamen loco noſter Interpres pro *carmine ſepulchrali* accipit: & meritiſſimo; vt ex conſequentibus patet, & antecedentibus. *Tituli* enim vocabulum cum de re funebri ſermo eſt, hoc ſignificare, res eſt notiſſima. Capitolinus in vita Gordiani. *Sepulchrum illi milites apud Circum Caſtrum fecerunt: in finibus Perſidis: titulum huiuſmodi addentes,& Græcis, & Latinis, & Perſicis & Iudaicis,& Ægyptiacis litteris vt ab omnibus legeretur DIVO GORDIANO VICTORI, &c.* Ouidius in Epiſtola Hypermeſtræ ad Linum

Sculptaque ſint titulo noſtra ſepulchra breui

Martialis lib. 1. Epigrammate 71.

Quiſquis læta tuis,& ſera parentibus optas
Fata, breuem titulum marmoris huius ama

Trebellius Pollio in Valeriano. *Mittendum in litteras cenſui hunc Valerianũ circa Mediolanum ſepultũ addito titulo Claudij iuſſu VALERIANVS IMP.* Qui ergo negant in ſepulchro vxoris à Patriarcha Iacob inſcriptionem inſculptam;& titulum,columnam, aut Pyramidem interpretantur vt Brocardus, perſpicue falluntur. Mouentur enim quod ſacra Hiſtoria dicat à Iacob *titulum* erectum: quod de columna tantum, Pyramide, aut alia perſimili mole intelligendum putant; de inſcriptione non item. Inſcriptio enim marmori inſculpitur,non erigitur. Sed miror nõ id ſcire iſtos,quod pueri ſciunt. Lapidem inſcriptum & litteratum appellari quoque figura vſitatiſſima *inſcriptionem,& elogium* & cõtra elogium ipſum appellari marmor, & lapidem: proinde quæ vni conueniunt;alteri attribui:dicique ſic legi lapidem vt erigi inſcriptionem. Titulus ergo ceu inſcriptio erigitur; quia marmor illa notatum erigitur. Sic Cato apud Ciceronem de ſenectute ſepulchrum ſe legere dixit. *Nec ſepulchra legens*, inquit, vereor quod aiunt ne memoriam perdam, his enim ipſis legendis redeo in memoriam mortuorum. Repeto ergo, & claudo, quod dixeram. Tituli nomen ſignificare ſemper inſcriptionem, marmori, lapidi, columnæ,pyramidi inditam;aut aliam etiam quamcunque: cum verò de mortuis agitur reſtringi ad *ſepulchralem*.

At quid ea continebat? longum nimis id eſſet diſſerere breuiter tamen ſufficiat indicaſſe, continuiſſe nomen, laudes, ætatem defuncti, & vota ſuperſtitum. *Nomen* defuncti dixi; quod adeo certum, vt ob id aliquando ſepulchra nomina ſint appellata, & terra quæ ſepulchra ſuſtinet mortuorum nomina gerere dicatur, & apud po-
e lib. 2. ſteros propagare. Plinius [e]; *Hæc*, inquit, *monumenta,& titulos geris nomenque propagans noſtrum, & memoriam extendens contra breuitatem vitæ, &c.* Et hæc illa nomina ſunt, quæ Regius Vates dicit conſcripta à diuitibus huius ſæculi *in terris ſuis* Pſal. 48. *ſepulchra*, inquit *eorum Domus illorum in æternum; tabernacula eorum à progenie in progeniem, vocauerunt nomina ſua in terris ſuis*: merito enim ſignificat inſcribere diuites *nomina ſua* ſepulchris,cur id?quia hæc verè *Domus illorum* in perpetuas æternitates futuræ ſunt. Domus enim iſtas,quas viuentes incolunt;non domus eſſe, ſed quaſi tentoria, quæ ſubinde poſſeſſorem mutant. Propterea ſola ſepulchra eſſe verè poſſeſſionem illorum; alia non item;nam quæcumque diuites poſſident *tranſeunt à progenie in progeniem*;certatimque contendunt omnes alius alium ab eorum poſſeſſione depellere; quod ſi in iis prioris poſſeſſoris nomen reperiunt, refigunt illico, & affigunt ſuum. At non id in ſepulchris. Nullus enim inſanit adeo; vt vbi ſculptum repererit. *Hic ſitus eſt Phaeton* nomen illud inducat, & inſculpat ſuum. Meritò ergo, *nomina in ſepulchris inſcripta*, quia ſola ſepulchra perpetua ſunt poſſeſſio mortuorum? Conſueta autem formula *nomina hæc* inſcribendi erat; vel vt ſimpliciter nomen nudum defuncti inſculperetur; vt in ſepulchro Valeriani, de quo, vt paulò ante retuli, Trebellius refert; *ſepultum addito titulo Claudij iuſſu: Valerianus Imperator.* Vel etiam his verbis adiunctis. *Hic ſitus eſt*, vel *hic iacet*, quæ antiqui per has notas ſignificabant H. S. E. &
H. I. Cornelius [d] Nepos de Annibale *poſitus eſt* d Cap. 42. de vir. illus.
ad Lybiſſam in arca lapidea, in qua hodieque inſcriptum eſt HIC SITVS EST ANNIBAL. Quod notiſſimum, & vulgariſſimum, non ſolum priſco ſed noſtro æuo, non tamen omittere volui vt hic obiter notarem diſcrimen inter Chriſti Domini,& aliorum omnium ſepulchrum. Aliorum enim cum ſepulturæ mandati fuerint, hæc eſt propria inſcriptio. *Hic ſitus eſt*, vel *hic eſt Titius,&c.* At in ſepulchro Chriſti Domini alia omnia; Angelus enim mulieribus apparens, hanc quaſi inſcriptionem poſuit monumento Chriſti HIC NON EST. de aliis, *hic eſt*. de Chriſto *hic non eſt* cur id? quia aliorum omnium dum mortui ſunt nulla eſt alia ſecura poſſeſſio præter ſepulchrum: hæc certa domus quam perpetuò incolunt niſi excitabantur: & contra Chriſtus *inter mortuos liber*, id eſt ſolutus ab omnibus legibus mortuorum, ſepulchrum ita ingreſſus eſt; vt liberè inde diſceſſerit quando voluerit.

Præter nomen, laudes etiam continebat inſcriptio; propterea enim *Elogia* ſunt appellata:
Cicero de finibus [e]; *Non elogia monumentorum* e lib. 2.
id ſignificant; idem alibi [f] quid ipſa ſepulchro- f Tuſcul. 1.
rum monumenta quid Elogia ſignificant niſi nos futura etiam cogitare: Virgilius in Culice;

Hic tumulus ſuper inſeritur; tum fronte locatur
Elogium,

Quibus in laudibus ne excederet affectus viuorum merita, definitum erat apud Athenienſes primo vt niſi teſtatæ inſcriberentur; deinde ne pluribus, quam quatuor heroicis verſibus incluſæ vt eſt apud Platonem 12. de legibus: apud Hebræos nihil ea de re ſtatutum erat. Poſt hæc,ætas adiungebatur defuncti. Ita acurate vt non ſolum annos & menſes,ſed etiam aliquando dies,& horas quot quiſque vixiſſet adnotaretur. Denique *votum viuentium* apponebatur Romanis. & Gentilibus; his notis, vt plurimum expreſſum S. T. T. L. *Sit tibi terra Leuis* vel iſtis O. T. B. Q. *Oſſa tibi bene quieſcant.* Chriſtianis vero iſtis R. I. P. *requieſcant in pace* vel iſtis P. S. pax ſepultis. At in Hebræorum ſepulchris,quod etiam in noſtro æuo ab illis ſeruatur, verba hæc in-

ſculpta

ſculpta erant, quæ Abigail ad Regem Dauid loquuta [a] eſt. Sit anima tua ligata in faſciculo viuentium apud Dominum Deum tuum. Quod refert Haymetus in Geneſim [b], & hæc de ornamentis coniunctis.

a 1. Reg. 25.
b Cap. 35.

Capvt X.

Ad loc. 1. Machab. 13. 28.

Et ſtatuit ſeptem Pyramides, vnam contra vnam; patri, & matri, & quatuor fratribus, & his circumpoſuit columnas magnas & ſuper columnas arma.

Pyramidum vſus in ſepulchris antiquiſſimus, vnde deductus, itidem & columnarum: Montes olim ſepulturæ clarorum virorum delectos, & cur: eorum loco inſtar Montium Mauſolæa extructa, etiam apud Iudæos: artificum in iis opera inſignia affixa, aut ſculpta, quæ; & cur naues in ſepulchro Ionathæ. Gen. 2. Reg. 1. Paral. explicati.

AT inter *ornamenta adiuncta* erant primo loco *pyramides*; de quibus clarè in memorato Ionathæ ſepulchro. *Et ſtatuit ſeptem pyramides vnam contra vnam patri, & matri, & quatuor fratribus.* Non eſt autem noſtrum hoc loco de Pyramidibus exponere; quid eſſent, ad quid primum & à quibus, & vbi extructæ, eſſet enim id nimis, ab eo longè diuertere quod inſtituimus. Conſulat verò ſi quis ea doceri vult Ariſtotelem [c] & alios [d] antiquos. Et ex recentioribus eos, qui in Martialem ſcripſerunt præſertim Matth. Roderum, & Marcellum. Nobis enim ſatis hoc loco erit de iis nonnihil attingere; quatenus illarum vſus aliquis in ſepulchris. Certa autem res eſt pyramides illas maximè nobilitatas, quæ primæ omnium extructæ reliquis aliis nomen aliquod celebritatemque dedere; Ægyptias dico; ad ſepulchrum omnino pertinuiſſe vel enim ipſa ſepulchra Regum erant; vel ad nobilitanda ſepulchra; vt mirum non ſit ſi deinceps in aliorum ſepulchris pyramides aliæ appoſitæ; cum prima illarum origo inde prouenerit. Quales autem, & quomodo locatæ iſtæ in ſepulchro Ionathæ merito dubitari poteſt: an ſcilicet in infima area fundatæ, an ſuper reliquam ſtructuram eductæ. Præterea an ſolido omnes ex marmore; an lateritiæ, & ad quid ſingulæ. Narratio ipſa indicat ſuper reliquam ſtructuram erectas. *Ædificauit*, inquit, *ædificium altum viſu*, poſt quod ſubdit *& ſtatuit ſeptem pyramides* licet enim poſſit hoc eſſe explicatio antecedentis; *vt ædificium conſtruere altum viſu.* fuerit *ſeptem pyramides* ſtatuiſſe. Multa tamen aliud ſuadent. Si enim in ſolo ipſo erectæ pyramides; non in magnam admodum altitudinem totum ædificium aſſurgere potuiſſet. Neque enim ſuper ipſas pyramides aliud extrui poterat. At ſi eas intelligamus ſuper faſtigium ſtructuræ reliquiæ ſolidatum, & pilis ingentibus firmatum, erectas; nullo negotio ædificij immenſam altitudinem poſſumus æſtimare. Nec id ſanè abhorrebat à priſcorum inſtituto, quibus proprium has ſepulchrales moles ſic conſtruere; vt in ſummis faſtigiis columnas, & pyramides collocarent. In ſummitate Mauſolei à Regina Artemiſia fabricati pyramidem ſtatutam dicit Plinius [e] ingentis altitudinis at de ſepulchro Porſenæ Regis mirum eſt quod Varro narrat apud eundem Plinium [f], *ſupra ipſius altiſſimum faſtigium pyramides ſtatuiſſe quinque, quatuor in angulis, & in medio vnam; latas pedum ſeptuagenum quinum; altas centum quinquagenum. Quæ*, inquit, *ſunt ita faſtigiatæ; vt in ſummo orbis æneus, & petaſus vnus ſit impoſitus, ex quo pendeant excepta catenis tintinnabula quæ vento agitata longè ſonitum referunt.* Et adhuc pergit id quod magis fidem excedit, adiungere *ſupra quem orbem quatuor pyramides inſuper extare, ſingulas pedum centenum; ſupra quas vno ſolo quinque pyramides; quarum altitudinem*, inquit, Plinius *Varronem puduit adijcere*, & mihi quoque pudor hæc eſſet referre; niſi inde duo ad id illuſtrandum quod agimus haberemus: alterum ſolitas pyramides in ſepulchris magnificis locari; alterum non eas in ſolo primo. Sed ſuper reliquam ſtructuram ſtatui conſueuiſſe. Sed pergamus ad reliqua. *Septem* ſcriptura refert has pyramides in ſepulchro Ionathæ; quas tamen dum diſtribuit; ſex tantum memorat; *ſeptem*, inquit, *pyramides ſtatuit; vnam contra vnam; patri, & matri & quatuor fratribus.* Hic enim tantùm ſex recenſentur. Sed clarum eſt ſeptimam quæ ſubiicetur ipſi Simoni qui viuens adhuc monumentum extruebat attributam. Sex ergo ita diſpoſuit, vt ternæ hinc eſſent, & inde, inter ſe oppoſitæ; ſeptima autem ſeorſim vel in medio, vel alibi collocata Simoni ipſi ſeruaretur. At hoc quid erat. *Vnam patri, alteram matri, alias aliis ſtatutas?* vel cineres, & oſſa eorum, in baſi ſingularum condita, vel illorum nomine inſcriptas, quibus erigebantur; vel vtrumque ſimul.

c lib. 1. Politic.
d Diodor. Sicul. lib. 1. Biblioth. Solin. c. 5. Herodot. lib. 2. Strab. lib. 17. Ammian. Marcel. lib. 22. Zonar. to 1. Annal. Plin. lib. 36. c. 12. Ioſeph. lib. 2. antiq.
e lib. 36. c. 5.
f Ibid. c. 13.

Præter pyramides totum ædificium Ionathæ ornabant etiam vndique *Columnæ*; quarum vſus in ſepulchris tam frequens; vt fuerint etiam aliquando ſingulæ pro ſepulchris. Videamus adhuc Romæ Traiani columnam cochlydem intrinſecus gradibus peruiam; quæ ſola pro ſepulchro illi fuit. Eutropius vbi de Traiano. *Solus*, inquit, *omnium Imperatorum intra vrbem ſepultus eſt.* (Quam verè hoc dictum viderint alij) *oſſa eius collocata in aurea vrna in foro quod ædificauit ſibi; columna ibi poſita cuius altitudo centum quadraginta pedes habet.* Quantopere autem tam pyramides, quàm columnæ ad id expetitæ, & vſurpatæ explicat Seruius in Virgilium [g]. *Apud maiores*, inquit, *nobiles, aut ſub montibus altis; aut in ipſis montibus ſepeliebantur: vnde natum eſt vt ſuper cadauera aut pyramides fierent aut ingentes columnæ.* At cur olim viri Principes in montibus? ſine dubio vt procul illorum ſepulchra videri poſſent, & prætereuntes etiam admonere; quod propoſitum fuiſſe Simoni in hoc paterno ſepulchro ſcriptura non reticet. *Ædificauit*, inquit, *ædificium altum viſu*, & ſubdit, *vt poſſit etiam à nauigantibus videri*, & ea cauſa eſt, cur tumultuario ſepulchro conditum Abſalonem; ſimili etiam aggeſtu lapidum milites [h] tumulauerint, qui in pyramidis formam exurgeret, & montem referret. Ex montibus enim pyramidum eſt forma deſumpta; quod ſint omnes montes ima parte latiſſimi; ita tamen vt paulatim decreſcentes in acutum tandem deſinant, & terminentur. Vnde non mirum ſi cum ſolerent in montibus

g Æneid. 11.
h 2. Reg. 16.

clarorum

clarorum virorum functa collocari; poſtmodum pyramides ad id excogitatæ fuerint, & ingentes columnæ; quæ hoc à montibus diſtant quod ſint illæ ab arte, iſtæ à natura. Conſueuiſſe porrò antiquos ad clarorum ſepulchra montes eligere; certa res eſt. De aliis teſtatur Seruius loco proxime adducto & indicat Virgilius [a]

a lib. 11.

Fuit ingens monte ſub alto
Regis Derceni terreno ex aggere buſtum.
Antiqui Laurentis, opacaque ilice tectum.

De Hebræis ſi alia deeſſent ſufficeret hoc exemplum Simonis, qui Ionatæ, & reliquis fratribus ſepulchrum extruxit ſuper *montem Modin* montem ſcilicet ſupra montem, montem inquam, quia ſepulchrum ex pyramidibus, & columnis extruxit, quæ, & ipſæ montes, ſed artificioſi: Vnde vt dicebat Seruius, in locum montium ſucceſſere, quod etiam Lucanus ſignificauit alloquens [b] fortunam, quæ aliis Regibus tam magnificè ſepultis Pompeium abiectum pateretur & inſepultum

b lib. 8.

Cum tibi ſacrato Macedo ſeruetur in antro
Et Regum cineres extructo monte quieſcant.

Quia iſte mons ſuper cineres extructus. Subdit.

Cum Ptolomæorum manes ſeriemque pudendam
Pyramides claudant, indignaque Manſolea

Montes ergo *pyramides*: At vſum ſepulchrorum in montibus frequentiſſimum apud Hebræos nihil magis conuincit, quam multitudo, & infamia Excelſorum; erant enim excelſa; non ſolum altaria, ſed etiam ſepulchra in montibus, ad quæ per ſpeciem parentationis confluentes Hebræi, per omnia deinde luxuriæ, & libidinis inquinamenta debacchabantur vt latius ſuo loco reddam, & explicabo. Nunc quod de *columnis* dicebam claudo admonens fuiſſe illas, & pyramides in duplici differentia; alias ad ædificij molem augendam, & amplificandam; alias ad ornatum tantum, de illis iam dictum ſatis eſt; de iſtis cum Cicerone [c], Plinius [d] conſulendus; etiam nos iterum aliquid in ſequentibus.

c De legib. 2.
d lib. 36. c. 5. & 13.

Nunc de *ſtatuis* aliquid; quæ etiam ipſæ ad ornatum ſepulchri habitæ: quarum loco Hebræis erant variarum rerum ſymbola, aut rerum geſtarum inſignia. Aliis verò ſtatuæ frequentiſſimæ, per quas non intelligo tantum cælatas in marmorea tabula effigies hominum, aut Deorum; ſed ex integro lapide vndique extantia ſimulacra; quæ vt plurimum erant amicorum, & propinquorum. Apud Valerium [e] Flaccum Prixi ſoror ex marmore ducta ſepulchrum fratris ornabat.

e lib. 5. Argonaut.

Quem Comes infælix pario de marmore iuxta
Stat ſoror.

Athenæus [f] in cœnis Sophiſtarum, *Adrianus Alcibiadis imaginem ſuper ſepulchrum erexit, ex pario lapide*, Nec deſunt qui illud Virgilij, de ſtatuis Troianarum mulierum tumultuario opere confectis interpretentur.

f lib. 13. Dipnoſoph.

Et circum Iliades crinem de more ſoluta.

Polidori enim funua curans Æneas illius ſepulchro Iliadum mulierum ſtatuas appoſuiſſe volunt ex vetere & antiquo more: quæ tamen ſimulachra erant ex opere ſubitario temere compacta, vt & ipſum ſepulchrum. Cæterum fuiſſe ſtatuarum vſum, & antiquiſſimum, & frequentiſſimum in ſepulchris argumento eſt quod Cicero apud Athenienſes vetitas illas refert poſteriori tempore quo ſumptus Sepulchrales minuerentur. At de cælaturis ſiue ſtatuis in tabulis exculpi notior res eſt quàm monitore egeat. Vt enim ſupra dicebam multa nunc etiam extant priſca monumenta Romæ quæ hoc pacto exculpta ſunt, qua de re præter Kirchmannum Marlianus & Iacobinus Statius, in ſuis ſiluis cum de ſepulchro Priſcillæ; variè hac ratione effigiatum deſcribit.

Circumſtant famuli conſuetaque turba
Obſequiis: tum rite thori menſaque parantur
Aſſiduæ. domus iſta domus; quis triſte ſepulchrum
Dixerit.

Conuiuialem enim celebritatem indicat; frequens in ſepulchris exculptam, quæ adhuc Romæ viſuntur.

Pro ſtatuis, vt dicebam, erant apud Iudæos inſignia & ſymbola virtutis, honorum, rerum geſtarum, &c. vnde de ſepulchro Ionathæ ſubditur. *Et ſuper columnas arma ad memoriam æternam, & iuxta arma naues ſculpta.* Arma cum dicit non ficta intelligo; ſed vera. Propterea enim de nauibus ſeorſim adiunxit fuiſſe *ſculptas*; vt de veris armis intelligeremus. Hæc autem conſueuiſſe in ſepulchris fortium virorum appendi non ignoramus. Virgilius [g] in funere Miſeni.

g lib. 6.

At pius Æneas ingenti mole ſepulchrum
Imponit; ſuaque arma viro, remumque tubamq;

Qui ritus etiam colligitur ex argumento declamationis quæ extat apud Quintilianum patrem. *Quidam arma de ſepulchro viri fortis ſuis conſumptis ſuſtulit; victor reportauit: reus eſt violati ſepulchri.* Simile argumentum Declamationis apud Senecam habetur [h]. *Bellum cum eſſet in Ciuitate vir fortis in acie amiſſis armis de ſepulchro viri fortis arma ſuſtulit fortiter pugnauit, & repoſuit: præmio accepto accuſatur ſepulchri violati.* Obſcurum autem non eſt, quorſum id vſurpatum vt enim eſſent arma indicia eorum quæ fortiter defunctus in vita geſſiſſet, in illius ſepulchro ſuſpendebantur. Ex quo eodem inſtituto receptum eſt, alia quoque inſignia adhibere earum rerum in quibus quiſque dum viueret excelluiſſet. Sic in ſepulchro Archimedis ſphæram, & cylindrum legimus. Cicero [i]. *Ego autem cum omnia colluſtrarem oculis, animaduerti columellam non multum è dumis eminentem; in qua inerat ſphæræ figura, & cylindri de* Archimedis autem ſepulchro loquitur. Sic Elpenor apud Homerum Vlyſſem rogat; vt ſepulchro ſuo *remum* pro inſigni adhibeat. Quod imitatus Virgil. Miſeni ſepulchro *tubam*, & *remum* ab Ænea adiuncta commemorat in verbis adductis.

h lib. 4. controuerſ. 4.
i Tuſcul. 2.

Ex quibus ſatis liquet cur in Machabæorum ſepulchris vera arma appenſa. Sepulchra enim fortium non alia debebant ornamenta præferre. At illud de *nauibus* difficultatem habet. Quorſum enim adhibitæ, & quomodo ſculptæ ſi cælatura vetita Hebræis erat? & ſi tantum cælatæ; quomodo tam longè videri poterant, vt à nauigantibus obſeruarentur? ſed de cælatura facilis exitus eſt. Ea enim tantum fortaſsè vetita (vt alibi fuſius) quæ hominum formaret effigies nō quæ inanima repræſentaret. Quod autem adiungitur. Videri potuiſſe à nauigantibus. Alij non ad ſingula commemorata referunt; ſed ad opus totum, vel operis faſtigium. Clarè tamen Scriptura viſas naues inſinuat; quod ſi admittitur; dicendum naues non inſculptas tantum in marmore cælato; ſed planè integrè efformatas & quidem ingenti magnitudine extitiſſe: quod ſi cum

ſi cum reliqua ædificij magnitudine conferatur; nihil incredibile continebit. Maiorem difficultatem habet cauſam inueſtigare propter quam illæ adhibitæ, & ad quid ſignificandum. Arma enim per ſe ſatis loquuntur; ad prælia ſcilicet fortiter pro Patria decertata in omnem poſteritatem tranſmittenda. At naues quorſum? fortaſsè ad iter maritimum inſinuandum, quod longum nimis, vt illis videbatur ſuſceperant ad amicitiam cum Romanis, & Lacedæmoniis confirmandam. De quo itinere dicitur primo Machabæorum [a]. *Et abierunt Romam viam multam valde.* & iterum [b]. *Et vidit Ionathas, quia tempus eum iuuat elegit viros, & miſit eos Romam ſtatuere, & renouare cum eis amicitiam.* Hoc ergo forte voluerunt: licèt autem id mihi non vndecunque probetur; interim tamen dum aliud probabilius non afferatur eo mecùm alij contenti erunt.

a Cap. 8. 19.
b Cap. 12. 1.

Nunc ad alia ornamenta in ſepulchris; inter quæ etiam opacæ & frondoſæ arbores; quin luci quoque ipſi & integra nemora cenſenda ſunt. Quod Hebræis adeò vſitatum; vt non ſolùm Regia & nobilium ſepulchra; ſed vulgaria etiam apud illos ſuis eſſent arboribus conſita ad amœnitatem. qua de re pluribus cum de Excelſis agemus eſt differendum: nunc ſatis ſit breuiter indicare, & ſimul oſtendere antiquos Patriarchas ſepulchra ſua arboribus adumbrare ſolitos, vel ſub arboribus collocare, quod ſupra vidimus in nutrice Rebeccæ de qua in Geneſi [c]. *Eodem tempore mortua eſt Debora nutrix Rebeccæ; & ſepulta eſt ad radices Bethel ſubter quercum; vocatumque eſt nomen loci illius quercus fletus.* ſubter *quercum* Hebraicè eſt ſubter [illegible] *Allon.* Quod vocabulum arborem ſignificat, quam autem ambiguum? & primo Paralipomenon [d] Saulis Ionathæque reliquiæ ſubter quercum ſepeliuntur, quod alij vertunt ſubter arborem frondoſam. Et ea cauſa fuit cur tam frequentes Hebræi eſſent in lucis & nemoribus ad bibendum, & commeſſandum. Verbo enim, quaſi mortuis ſacra facturi; reuera autem, & veneris negotium curaturi, per omnes impuritatis ſpecies in illis nemoribus ſoluebantur. Nec minus ea conſuetudo Gentilibus vſurpata. Apud quos integra nemora, & luci mortuis ſacri erant. Martialis [e]

c Cap. 35. 8.
d Cap. 10.
e lib. 1. Epig. 94.

Hoc nemus æterno cinerum ſacrauit honore
Fannius, & culti iugera pauca ſoli.

Hoc tegitur cito rapta ſuis Antulla ſepulchro, &c. Seruius [f] ad illud, *& lucos latè. Lucus ſacer erat, vel numini, vel homini ſepulto.* Tacitus verò de moribus Germanorum auctor eſt apud illos antiquitus nulla templa fuiſſe. Locaque alia ſacra *præter nemora, & lucos*; vt intelligamus ſcilicet omnem idololatriam & quoſcunque illius ritus ex cultu mortuorum propagatos.

f Æneid. 5.

Ad hæc ſepulchris omnibus paulo celebrioribus apponebatur *menſa*, & labellum de quibus Cicero paulò ante adductus; & Plato de legibus [g]. Quæ duo adeò ſolemnia erant; vt Demetrius Phalereus cum cætera ornamenta ſuſtuliſſet hæc tamen reliquerit: quod nimirum eſſent ad parentationes mortuis faciendas; aut etiam ad luſtrationes viuorum. Menſæ enim epulas excipiebant, quæ ad ſepulchra inferri ſolitæ *labella* verò aquam; tum ad conuiuium, & parentationem; tum ad vinorum captationes. Certa autem mihi res eſt, nec in Hebræorum ſepulchris hæc duo defuiſſe; quia & illis ſepulchrales epulæ maxime frequentabantur, & luſtrationes ea mor-

g lib 12.

Sspran. in Dauid.

ſuis ſolemnes in primis; de quibus ſuò loco pluribus paulo poſt.

Denique ſepulchris erant etiam ſua ſepimenta circumdata; quod intelligo; non vt totam molem, & fabricam ſepulchri, ſed vt Sarcophagum tantum, & arcam in qua corpus aut cineres circumplecteretur. Propriè autem ea monumenta appellata de quibus Marcus Iuriſconſultus [h]. *Munimentum ſepulchri id eſſe Diuus Adrianus reſcripſit quod muniminis, id eſt cauſa muniendi eius loci, in quo corpus impoſitum ſit.* Nota *in quo corpus poſitum ſit.* Quia vt dicebam non vndique tota moles ſepulchri ſic munita; ſed ea pars tantum, in qua corpus propriè. Erant porro ea *ſepimenta* aliquando ex leui humilique materia; aliquando ex ſola maceria; nonnunquam etiam ex lapide, & marmore, & denique ex ferro & clathratis cancellis. Ferrea enim ſæpe Auguſti Mauſoleum circumdedit Strabo [i].

h l. 37. ff. de Relig. & ſumpt. fun.
i lib 5.

Capvt XI.

Ad locum Iob. 3. 22.

Qui expectant mortem, & non venit, quaſi effodientes theſaurum, gaudentque vehementer cum inuenerint ſepulchrum.

Cadauera in ſepulchris quàm variè collocata apud Hebræos, & alios: ſimul cum illis immenſas nonnunquam opes reconditas: id vnde ortum, & quandiu poſtea obtinuerit, & apud quos: duraſſe id vſque ad Imperatorum edicta. Ferales arcæ, Sarcophagi, Capuli quid. Hiſtoriæ euangelica de Lazari, & Chriſti Domini ſepultura prælata lux.

Licèt id ſatis ex iis quæ hactenus diſſeruimus perſpici poſſit, vt tamen res clarior ſit, nonnihil huc ea de re diſtinctè libet attingere. Hebræis ergo vt opinor ſolemne erat mortuos ſuos ea ratione obuolutos; quam ſupra in prima parte deſcripſi in ſepulchro deponere; nulla alia arca aut loculis incluſos. Ab aliis verò in eo video variatũ. Et quidem Romani ſuorũ cineres, & oſſa quos cremaſſent, vrnis incluſa ſepulchro poſtmodum condebant. De quibus pluribus Iacobonus de gente Cæſia, & Kirchmannus [k]. Erant autem eæ vrnæ pro voluntate aut facultate cuiuſque & opere, & materia diuerſæ: legimus enim *aureas, argenteas, marmoreas, & etiã fictiles.* In aurea Traiani cineres excepti teſte Eutropio; *Argentea* meminit Marcellinus [l]. *Marmoreas, & fictiles* non eſt quod diſtinctè ſignem cum paſſim ſuppetant.

k lib. 3. c. 8.
l lib. 19.

At illi qui integri condebantur, ſolebant vt plurimum arca, loculis, capulo, Sarcophago includi; & ſic in conditorio ſepulchri collocari. De *arca* Cornelius Nepos de viris illuſtribus, vbi de Annibale. *Poſitus eſt apud Lybiſſam in arca lapidea.* Petronius [m], vbi de ſæpius memorata Matrona Epheſina. *Secundum hanc orationem iubet ex arca corpus mariti ſui tolli*; Et ſæpiùs de ea mẽtio in iure Cæſareo Caius [n]. *Aduerſus eum,* inquit, *qui in arcam lapideam in qua adhuc mortuus non erat conditus mortuum intulit, vtilem actionem in factum Proconſul dat; quia non propriè, vel in ſepulchrum, vel in locum alterius intuliſſe dici poteſt.* Perſpicuè enim hic Iuriſconſultus à ſepulchro ipſo diſtinguit. *De loculis* apud Diuum Ambroſium

m In Satyr.
n l. 8i quis ff. de Relig. & ſumpt. fun.

Xx brosium

Digitized by Google

a Orat. 1. de S. Satyro & cap. 7. Luc.

broſium [a] antea adductum & Paulum Diaconum in Narſete. *Cuius corpus poſitum in loculo plumbeo cum omnibus eius diuitiis Conſtantinopolim perlatum eſt.* Capuli verò meminit Apuleius [b] *Ecce pater ſuus ipſe manibus coperculo capuli remoto, commodum diſcuſſo mortifero ſopore ſurgentem poſtliminio mortis deprehendit filium.* Clarè enim hic *Capulus* pro mortuali arca.

b lib. 10.

Denique *Sarcophagi* crebra etiam mentio in Pandectis habetur. Erat autem is propriè arca ex Sarcophago lapide; ſic appellato, quod eo citiſſimè corpora conſumerentur; à qua deinde tranſlatè, quæcunque ferails arca, Sarcophagus eſt dicta; licet non ex eo lapide. Vetus libellus ſupplex Seuero Imperatori oblatus cuius extat exemplum in Codice. *Cum ante hos dies coniugem ac filium amiſerim, & preſſus neceſſitate corpora eorum fictili Sarcophago commēdauerim, Donicum, is locus, quem emeram via Flaminia ædificaretur...... rogo Domine permittas mihi in eodem loco in marmoreo Sarcophago quem mihi modo comparaui ea corpora colligere; vt quando ego eſſe deſiero, pariter cum his ponar.* Ad quæ reſcriptum extat eiuſdem Seueri in hæc verba. *Sepulchrum fieri placet: Iubentius Celſus promagiſter ſubſcripſi.*

Horum autem vt dixi nullus mihi videtur fuiſſe vſus apud Hebræos. Colligo tum ex ſuſcitatione Lazari, & Domini ſepultura. Vtrobique enim quæ narrantur, nullam adfuiſſe arcam dant intelligi; tum clarius ex ſepultura Eliſæi, temere enim in illius ſepulchrum proiectus alius defunctus, reliquias Eliſæi tetigit, & excitatus eſt, non ergo erat Eliſæus arcâ, vel loculo vllo incluſus. At quo ſitu in Conditorio ſternerentur proni ne, an ſupini, otioſum eſt quærere. Quis enim dubitet ſupinos poſitos & iacentes? quod etiam feſtiua reſponſio Diogenis Cynici confirmat, qui interrogatus à Xeniade *quomodo vellet ſepeliri reſpondit in faciem verſus.* Et cauſam ſciſcitanti addidit. *Quia paulo poſt omnia ſunt inuertenda, & ſic futurum vt inferiora; ſuperiora fiant.* Eraſmus, & Lincoſtenes hoc Diogenis dictum dum ex Laertio referunt, adiungunt audiſſe ſe moris apud Iudæos eſſe mortuos rectos, & ſtantes ſepelire, quod an verum ſit, & nunc à Iudæis vſurpetur nec otium fuit inquirere; nec voluntas: in Scriptura autem ea de re verbum nullum.

Sequitur vt de ornamentis, quibus cum condebantur, aliquid attingamus. Ea in re dubium non eſt, quin luxus quoque aut inſanus in mortuos affectus egregiè ſuas partes peregerit: itaque tam apud Hebræos, quam apud alios cum immenſis diuitiis aliquando mortui ſunt ſepulti.

c cap. 3. 21.

Antiquiſſimum id fuiſſe indicat B. Iob. [c] *qui expectant mortem, & non venit:* quaſi *effodientes theſaurum gaudentque vehementer cum inuenerint ſepulchrum.* Qui enim theſauros inueſtigabant; ſi fortè effodientes ſepulchrum offenderent, lætabantur; quia ſepulchrum ipſum theſaurus; ob ea quæ in illud cum mortuo inſerebant. Inde eſt quod omni retro tempore tanta copia fuerit ſepulchrorum furum. quorſum autem ij; ſi non habuiſſent quid ex illis educerent, & vt Plautus loquitur *cleperent, & harpagerent.*

Quid ergo iſta erant quæ ſepulchris condita, & tam ſolerter inquirebantur? vno verbo dicam. Quidquid mortalium animos rapit, & cupiditates accendit; aurum gemmæ, pecuniæ, etſi quid his pretioſius. Ea autem duplici de cauſa ſepulchris immiſſa. Altera ad *cultum*; altera ad *ſecuritatem* opum. ad cultum mortui pertinebant, quæcunque pretioſa in veſtibus, & reliquo ornatu cum illo ſepeliebantur, ſiue ex illius voluntate, qui deceſſerat, ſiue ex eorum affectu, qui remanſerant. Ad *ſecuritatem opum* quia nullibi putabant tutius illas recondi quam qun viui non auderent accedere, & qui ibi eſſent eas non poſſent attrectare vtrumque curſim explicemus. Dixi ex voluntate deſcendentium immiſſas opes, & ſimul cum cadauere defoſſas: in Iure Ciuili [d] mulier decedens ita ſcripſerat in teſtamento *funerari me arbitrio viri mei volo; & inferri mihi quæcunque ſepulturæ mea cauſa feram, ex ornamentis, lineas duas, ex margaritis, & viriolas ex ſmaragdis.* Propterea huic inſanæ voluntati obuiam itum per plures leges. Vlpianus [e], non autem oportet ornamenta cum corporibus condi; nec quid aliud huiuſmodi quod homines ſimplices faciunt. De quibus voluntatibus alia lege [f] habetur in qua *ineptas voluntates defunctorum circa ſepulturam veluti ſi veſtes, aut ſi qua alia ſupervacua, vt in funibus impendantur non valere. Papinianus libro tertio reſponſionum ſcribit.* Nec mirum hoc in iis qui condendi integri erant; quando & qui cremabantur etiam id volebant; vt quæ cariſſima in vita habuerant ſecum comburerentur. Lucianus in Negrino. *Alij veſtes alij aliud quidpiam carū, rerum quas olim in deliciis habuerant eodem rogo ſecum cremari mandant.* Quod tamen ſi qui deceſſerant non mandarant, qui ſuperſtites remanebant ad teſtandum in mortuos affectum nonnunquam etiam exequebantur; & pretioſa quæque defuncto cariora cum illo perdebant. Cæſar de Bello [g] Gallico Funera ſunt pro cultu *Gallorum magnifica, & ſumptuoſa omniaque quæ viuis cordi fuiſſe arbitrantur in ignem inferunt etiam animalia,* &c. Nec Romani in hoc à Gallis diſſimiles ad illud Virgilij [h]. *Decerantque ſuper fulgentibus armis.* Hoc notat Donatus. Fortium virorum cum ipſis funeribus arma apud veteres conſumebantur; nec ſolum hæc, ſed & cætera quæ habuiſſent cariſſima. Quod tamen mirari non debemus: quando eo vſque proceſſit, vel verus, vel oſtentatus quorumdam affectus in defunctos; vt quos illi cariſſimos putaſſent, ſuper illos etiam confoderent. Cæſar de Gallis hæc, poſt verba paulò ante adducta. *Serui, & clientes quos ab iis dilectos eſſe conſtabat, iuſtis confectis funeribus vna cremabantur.* Seruius ad illud [i], *Famulive parentis: Fuit hæc maiorum conſuetudo ſicut hodieque apud Indos eſt; vti quoties Reges moriebantur, cum his dilecti equi vel ſerui, & vna de vxoribus carior circa rogum occiſi incenderentur. Inter quas de hoc erat magna contentio.* Quem Indorum morē Cicero explicat in Tuſculanis [k] *Mulieres verò in India cum eſt cuiuſque earum vir mortuus in certamen iudiciumque veniunt, quam plurimum ille dilexerit; plures enim ſingulis ſolent eſſe nuptæ. quæ eſſet victrix, ea læta proſequentibus ſuis vna cum viro in rogum imponitur: illa victa mæſta diſcedit.* Nil ergo mirum, ſi cum ſepulto pretioſa ornamenta viui reconderent quando, & arſuro etiam addebant, & non ſolum alia; ſed & ſe ipſos ſuper impendebant.

d l. vlt. ff. de au. & argen.

e lib. 14. de Relig. & ſumpt. fun.

f l. 113. ſerm ff. de legat. 2.

g lib. 6.

h lib. 6.

i 5. Æneid.

k lib. 5.

Secunda cauſa erat non affectus, ſed cupiditas viuorum, qui vt tutiùs opes defoderent, ſepulchris condebant; ideò non ſolum erant hæc corporum ornamenta; ſed auri, argentique facti, aut infecti ingentes maſſæ, gemmæ, pecunia, &c.

Digitized by Google

&c. idonea autem ad hæc ſeruanda, ſepulchra putabant. Primò quia ex legum præſcripto nulli ad aliena ſepulchra patebat aditus; nullusque poterat ignotus accedere qui ſcrutaretur, tractaret, aut aliud circa illa moliretur. Secundò quia horror omnibus eſt delubra mortuorum, præſertim alienorum accedere. Tertiò quia in ſepulchris iſtis varia conditoria, & repoſitæ cellæ. Ea quo adeò frequens vſus increbuit antiquis in ſepulchra theſauros inferre; vt ſepulchra, & locus theſauri pro eodem haberentur. Vnde iocus Plautinus in Pſeudolo.

Ex hoc ſepulchro veteri viginti minas
Effodiam hodie, quas dem Herili filio.

Sic loquitur ſeruus qui à ſene viginti minas fallaciis abſtulerat. Hanc porrò cauſam tangit Iuriſconſultus [a]. *Non fit locus Religioſus vbi theſaurus inuenitur: nam etiamſi in monumento inuentus fuerit non quaſi Religioſus tollitur: Quod enim ſepelire quis prohibetur, id Religioſum facere non poteſt. At pecunia ſepeliri non poteſt; vt & mandatis Principum cauetur.* Abdebant enim ſepulchris auari ſenes aurum, confiſi Religione loci, vnde Religioſum locum quo ad hoc non eſſe definit Imperator, vt hanc illis fidentiam tolleret. Similiter ad idem Theodoricus Rex nullum in mortuos piaculum committi decernit, ſi inde theſauri fide publica effodiantur; & hæc illius verba ſunt apud Caſſiodorum [b]. *Ædificia tegant cineres; columna, vel marmora ornent ſepulchra: talenta non teneant, qui viuendi commercia reliquerunt: aurum enim ſepulchris iuſtè detrahitur vbi Dominus non habetur: imò culpa genus eſt inutiliter abditos mortuis relinquere; vnde ſe vita poteſt ſuſtentare viuentium.* At quid hac in re Iudæi? certum eſt illis etiam vſitatum, opes, & theſauros ad vtramque cauſam in ſepulchris recondere; vt ornarent inquam mortuos, & vt opes ſuas in tuto reponerent. Prima cauſa tangitur in iure Pontificio, vbi cauetur ne ſepulchra Iudæorum quis inuadat; aut obtentu opum eruendarum corrumpat, & humata corpora effodiat. Alteram cauſam tangit Ioſephus [c] in deſcriptione Sepulchri Dauidis; in quod intuliſſe immenſam opum & pecuniæ vim filium Salomonem affirmat, & ex eodem repetit Hegeſippus [d].

Cæterùm in illa priori cauſa quæ erat propter *ornatum mortuorum* modum quoque aliquem adhibitum exiſtimo, ex verbis Regij vatis [e]. *Non timueris cum diues factus fuerit homo; & cum multiplicata gloria domus eius; quia cum interierit non ſumet omnia, nec deſcendet cum eo gloria eius.* Licet enim ſignificet diuitias mortuis apud inferos non opitulaturas; ad hoc tamen etiam alludit; non cum illo omni ornatu quo ſuperbi dum viuunt incedunt deceſſuros. Simul enim atque oculos clauſerint poſtquam tantiſper ad ſpectaculum expoſiti fuerint, detrahenda illis ornamenta omnia, & diripienda quod etiam ſignificat Beatus Iob dum nudum ſe in terram iterum reuerſurum affirmat. Si enim duodecim tabulæ vetarunt *aurum vllum cum mortuo ſepeliri*; puto quoque cupiditatis & auaritiæ Iudæorum fuiſſe eandem conſuetudinem retinere.

***

a lib. 4. ff. ad l. Iuliam.
b lib. 4. var. epiſt. 34.
c li. 13. c. 15.
d lib. 1. excid. Ieroſol. cap. 1.
e Pſal.

Sopran. in Dauid.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

QVARTA PARS
DE FERALIBVS OFFICIIS ERGA SEPVLTOS: SEV DE FVNEBRIBVS ritibus poſt ſepulturam.

EA quæ ſuperſtites erga defunctos, etiam ſepultos, aut illorum cauſa faciebant; tot, & huiuſmodi erant, adeoque exquiſitè inſtituta, & excogitata vt ab illis quæcunque deinde ſollicitè nimis, & anxiè geruntur ſuperſtitiosè fieri ab omnibus dicantur. Ea ergo nos hoc loco explicaturi, rem totam bipartito diuidimus: in ea quæ fiebant à cognatis erga ſepultos; & ea quæ ab aliis erga propinquos ſepulti ab iſtis exordiemur; quorum propria in primis erant ſolemnis conſolatio, & allocutio mœrentium. De illis deinde ſubiiciemus; quorum in ſepultos officia conſiderabimus. Primo in habitu, & cultu quem aſſumebant; ſiue in ſe ipſis, ſiue in domibus ſuis deinde in frequentatione, & cultu ſepulchri; tum denique in largitionibus in honorem ſepulti.

CAPVT PRIMVM.

Ad loc. 1. Paralip. 7. 22.

Luxit igitur Ephraim pater eorum multis diebus & venerunt fratres eius vt conſolarentur eum.

Solemnis alloquutio ad cognatos defuncti poſt ſepulturam apud omnes gentes vſurpata; qui eo potiſſimum munere fungerentur, & quibus id conſtaret. Locus, Tempus & alia ad id opportunè captata, magnorum virorum ſemper fuiſſe mœrentes erigere. B. Iob. & Chriſti Domini ſolatores qui? Hiſtoria Euangelica, & Eccleſiaſtica non vno loco explicata.

CÆca horror ſepulchri, & ſqualentes illæ tenebræ buſtorum quæ defunctorum cineribus incubare incipiunt dum ſepulturæ mandantur: non ita illorum propriæ ſunt; vt viuentes etiam non attingant; illos maximè qui caros amiſerunt & præmiſerunt in ſqualore enim, & luctu deſtituti, & nimbo inſuper mœroris oppreſſi, luctantur cum tenebris, & nocte ſua non minus cæca, quam ea ſit quæ ſepulchrales vmbras obſidet, & feralia latibula mortuorum. Vnde meritò apud omnes gentes ſemper receptum quæ ſenſu aliquo humanitatis tanguntur, vt conſolatio aliqua, & alloquium iſtis, ab aliis adhiberetur, qui eodem luctu non adeo implicitì eſſent: id autem apud Iudæos valuit imprimis; apud quos officium hoc mœrentes erigendi, & conſolandi ſumma ſemper cum cura, & religione obiri ſolitum eſt, adeo vt inter ſolemnia luctus poſtremo loco non recenſeretur primo Paralipomenon [f]. *Luxit igitur Ephraim pater eorum multis diebus, & venerunt fratres eius vt conſolarentur eum*, & Dauid viſus ſibi fuiſſet minus officio ſuo fungi, ſi hoc omiſiſſet cum filio Regis Ammonitarum. Vnde ſecundò Paralipomenon [g]. *Miſit nuncium ad conſolandum eum ſuper mortem patris*

f Cap. 7. 22.
g Cap. 19. 2.

a Cap. 16. *ſui.* Denique Deus Ieremiæ [a] præcipit, *ne cuiuſque domum funeſtam ingrediatur ad conſolandum eos ſuper mortuo.* vt ſignificet non ſolum ingentem luctum futurum; ſed eiuſmodi etiam qui cariturus ſit omni ſolatio allocutionis, quæ ſoleret omnibus ob deceſſum ſuorum mœrentibus adhiberi: quomodo autem; nunc exponemus, diſtinctè hæc omnia ſignantes à quibus & quibus exhiberetur; quo loco, & tempore, & quibus tandem conſtaret.

Quibus; iam dixi, ſuos lugentibus, & qui amiſſos proximè cognatione aut amore contingerent: ab iis autem qui nec omnino expertes erant luctus, nec in illo pariter; cum iis qui conſolandi erant. Vt plurimum autem viri qui & dignitate, & auctoritate clari, id obibant: quod tamen intelligendum pro varia ratione ſtatus, & conditionis eorum qui in ſquallore, & lachrymis verſabantur. Itaque ab antiquiſſimis temporibus Iob hoc officium indignum maieſtate Regia
b Cap. 29. 25. non putauit [b], inquit, *Cum ſederem Rex circumſtante exercitu; eram tamen mœrentium conſolator.* Quo loco mœrentes propriè ſunt lugentes, & triſtes ex morte alicuius. Vult autem B. Iob alterum ex duobus iis verbis ſignificare; vel ſe coniunxiſſe ſimul duo illa maximè in imperatore commendata. Clementiam, & ſeueritatem; hanc vt timeretur, illam vt amaretur: hanc dum dicit *mœſtorum* ſe fuiſſe *ſolatorem* illam dum adiungit, ſedere ſe ſolitum *circumſtante exercitu*: quod vtrumque primum omnium requirit in Rege Regius Vates dum canit. *Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.* Vel hoc, inquam ibi vult B. Iob. vel certè quod longè probabilius ſignificat non arbitratum ſe inferius Regia Maieſtate, ſi in illo culmine dignitatis conſtitutus demitteret ſe ad eos qui in luctu verſarentur
c Cap. 29. conſolandos. Vnde & de ſeipſo alibi [c] teſtatur benedictio perituri ſuper me veniebat, & cor viduæ conſolatus. Viduam ſignanter dixit; vt de conſolatione mortes ſuorum lugentium intelligeremus. Similiter Ieremiam virum in tota Iudæa genere clariſſimum, hoc maximè officio fungi ſolitum indicat, quod Deus ad calamita-
d Ierem. c. 16 tem Iudæorum exaggerandam prohibet [d] illum domus vllas funeſtas adire ad quemquam conſolandum: denique in nouo teſtamento ad Mariam, & Martham Lazarum fratrem lugentes ex Hieroſolymis Iudæorum Principes adueniunt, vt eas conſolentur Io. 11. Nec omittam in Chriſtiana Eccleſia ſemper in vſu fuiſſe; vt quo quiſque dignitate, moribus, & eloquentia inter alios excelleret, & aliis omnibus in hoc humanitatis officio etiam præiret: quod cum coram non poterat, per litteras, & libellos abſens exequebatur. Vnde tot extant eloquentiſſimorum virorum luculenta ſcripta in morte plurimorum, D. Hieronymi ad Paulam in morte Bleſillæ; ad Euſtochium in morte Paulæ; ad Oceanum in morte Lucinij Bætici; ad Eliodorum in morte nepotis. Ambroſij ad Gratianum Imp. in morte Valentiniani: ad Fauſtinum in morte Siricij: Paulini ad Pammachium in morte vxoris: quod minus mirum eſt eos factitaſſe, cum longè ante Gentiles quoque id religiosè ſeruauerint. Nam, & Plutarchi extat adhuc libellus conſolationis ad Appollonium, & Senecæ tres conſolationes ad Polybium, Eluiam, Martiam. Erant ergo vt dicebam conſolatores iſti; nec planè eodem luctu implicati, ne & ipſi ſolatio potius indigerent: nec omnino à cauſis luctus immunes; ne mirum non eſſet, eos ſiccis oculis alios conſolari, quos nullus doloris ſenſus vellicaret erant etiam auctoritate maximè conſpicui; vt quæ dicebant altiùs deſcenderent. Semper enim qui ſolatur maior eſt eo qui erigitur: vnde ne quis inde maiorem occaſionem mœrendi habeat; opus eſt vt eximius planè ſit qui conſolatur. Quare Cicero [e]. *Sed neque monere te audeo, præſtanti prudentia virum. neque confirmare, maximi animi hominem; conſolari verò nullo modo.* a lib. 4. ep. 8.

At quo *loco & tempore* ad hoc officium accedebant? locus ſine dubio *Domus funeſta* erat. Id eſt quæ ob mortem alicuius in luctu verſabatur, & inſignia luctus habebat, de quibus poſt. Colligitur hoc ex illis qui ad Mariam, & Martham ea cauſa venerunt. At tempus; non prius fuiſſe puto quam defunctus eſſet elatus. Antea enim licet adeſſent frequentes amici, & alij cognati; defunctos potius & ipſi lugebant; quam propinquos conſolarentur. Licet id quoque in partem illis ſolatij cederet: quia magnum eſt leuamentum doloris tum ſocios habere mœroris; tum à pluribus amari quem quis amat, & luget. At hic loquimur de conſolatione ſolemni propriè ad ſuperſtites ſpectante illorumque dolorem leuandum; quæ non niſi ſepulto defuncto ritè incipiebat. Vnde clarè habetur apud Ioannem Iudæos ſepulto Lazaro ad ſorores conſolandas aduentaſſe. Et ratio ad id etiam congruit; crudo enim adhuc vulnere ſolatia quæ adhibentur dolorem magis exaſperant, quam mitigant. D. Ambroſius [f]. *Si Medicus*, inquit, *medendi tempus expectat* ···· *quanto magis explorare nos conuenit, vt opimè à nobis medicinalis ſermo procedat; qui non accendere luctum, ſed lenire videatur; vis vrget doloris: premitur cor mulieris afflicta quæ immaturo obitu maritum amiſit, aut filium, quid properas cùm te illa non audiat niſi deferueſcat dolor? Sæpè lites de conſolationibus vidimus excitatas; veniſti vt doleas, non vt litiges.* Ergo vt id ſeruaretur aliquis prius exitus dolori dabatur quo tantiſper deferueſceret; ac propterea non ſtatim aderant poſt mortem carorum, qui ſolatium erant allaturi; ſed nec admodum longè poſt; vtrinque enim æquè peccari poterat, ſiue nimia feſtinatione, ſiue longinqua mora. Præpropera enim ſolatia dolorem potiùs exaſperant; vt ſera refricant. Vnde ille dixit. f In Pſal. 37.

An cum longa dies ſedauit vulnera mentis
Intempeſtiuè qui monet ille monet.

Quo etiam pertinet lepidum Tiberij Cæſaris reſponſum ad Soetonium. *Qui Ilienſium legatis paulò ſeriùs conſolantibus, quaſi obliterata iam doloris memoria irridens; ſe quoque reſpondit vicem eorum dolere quod egregium ciuem Hectorem amiſiſſent.* Sed ſatis hæc per ſe clara; illud magis explicandum, quibus hæc conſolatio apud Hebræos conſtaret. Conſtabat ergo primò communicatione doloris & luctus, & conſociatione lachrymarum: inde eſt quod qui ad alium conſolandum in Scriptura accedit dicatur etiam ad lugendum accedere, *& cum alio triſtari*, ſic illum conſolari Dauid [g]. *Expectaui qui mecum contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur, & non inueni.* Et Iob [h], *flebam quondam ſuper eum qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Sed & hoc longa explicatione non indiget: natura enim comparatum eſt; vt non poſſit alienas lacrymas abſtergere, qui priùs ſuas non adiuuaeſit. g Pſal. 68. h Cap. 30. 35.

Digitized by Google

iit. Propterea amici B. Iob ipſum conſolaturi mœrorem,& animi deiectionem parem cum illo
a Cap. 2. 12.
præſetulerunt. *Exclamantes*[a] *ploraneruut ſciſſiſque veſtibus ſparſerunt puluerem ſuper caput ſuum in cœlum,& ſederunt cum eo in terra.*

Quare ad conſulationem quoque ſpectabat multa quædam mœſtitia, & ſola commotatio cum dolentibus: ſic illi qui ad ſolandum venerant duas ſorores, nihil aut fleuiſſe, aut dixiſſe dicuntur; ſed tantùm mœrentibus adfuiſſe apud
b Cap. 11.
Ioannem[b]. Sic etiam Chriſtus Dominus cum
c Matth. 26. 40.
Petro expoſtulat[c], quod in tanto ſuo mœrore ſaltem ſecum in partem ſolatij non vigilaret. *Non potuiſti*, inquit, *vna hora vigilare mecum.* Quod genus conſolationis adhibitum ab Angelo Chriſto Domino apud Lucam non dubito neque enim præter hoc, quod aliud ſolatium aut quæ verba potuerit ſuggerere reperio Angelus Chriſto, infantiſſimus diſertiſſimo, imbecilliſſimus fortiſſimo: nam quod in aliis dici poſſit; hic non capit vt doctiſſimus, fortiſſimus, Sapientiſſimus mœroris nube, & mole oppreſſus tantiſper hæſitauerit, & opus habuerit monitore, quem enim vnquam ſol ille lucidiſſimus, lucis eſt defectum paſſus? itaque apparuit Angelus *confortans eum, & conſolans* non quicquam dicendo, ſed tantùm adſtando. Qua etiam ratione amici Iob, *ſeptem diebus & noctibus cum illo ſederunt, & non dixerunt ei verbum*; Ex quo diſcimus conſolationem iſtam etiam in ſilentio, & taciturnitate conſtitutam. Silent enim primum
d Cap. 2.
omnium amici[d] Iob, ſilent Iudæi conſolaturi
e In Pſal. 37. 25.
Sorores; vnde & D. Ambroſius[e]. *Fouentur primè vulnera, mox ſecantur; ne offendat ipſa duritiei, & inciſio vulnus exaſperet: quanto ergo magis cauere nos conuenit, vt cum venerimus ad conſolandum, non facilè, non perfunctoriè loquamur. Septem diebus tacuit Iob, tacuerunt amici; nec locuti eſſent; niſi Iob dolore prorupiſſet in vocem. Quærendum eſt autem vnde incipias ne ipſo ſermone offendat conſolatio tua; etiam taciturnitas ipſa medicina eſt, & velox ſermonibus magis, &c.*

Tertio loco poſt lachrymas, & ſilentium blando alloquio conſolatio iſta conſtabat; quod vt clariſſimum omitto. Nec enim vlli dubium quin hoc illi non deeſſet; quod ſolum conſolatio & eſt, & appellatur. Hæc porrò blanda, & lenis oratio conſueta ſcripturæ phraſi, appellatur *loquutio* ſiue *verbum ad cor.* In ea enim ad alicuius cor loqui eſt illum conſolari id inquam, vt notiſſimum iam omitto, & venio ad illud quod in hac conſolatione Iudæorum maximè proprium, & quo fortaſſe ab aliis aliarum gentium diſtinguebatur quod erat cœna feralis.

Capvt II.

Ad locum Ier. c. 16. 16.

Non fraogent inter eos lugenti panem ad coofolandum ſuper mortuum, & noo dabuot eis potum calicis ad conſolandum ſuper Patre ſuo.

Lugentium ſolatium apud Iudæos cœna ferali maximè conſtitiſſe, quam ſolatores ipſi parabant, aut inferebant: ea qualis eſſet, & ex quibus conſtaret: à parentalibus quatenus diſtincta: quid iſta propriè, vnde dicta: panis doloris, & luctus Hebrais cur ex lente. Hieronymus explicatus & ex illo Ieremiæ, Dauidi & aliis allata lux.

Sopran. in Dauid.

Qvarto ergo loco conſtabat hæc conſolatio *cœna ferali*, quam conſolatores inferebant, parabant, lugentibus ipſis apponebant; vt veſcerentur hortantes, compellentes, & exemplo ſuo præeuntes. De quo toto ritu apud Ieremiam[f]. *Et non frangent inter eos lugenti panem ad conſolandum ſuper mortuo; & non dabunt eis potum calicis ad conſolandum; ſuper patre ſuo, & matre; & domum conuiuij non ingrediaris, vt ſedeas cum eis, & comedas, & bibas.* Prohibet enim hoc loco Deus Ieremiam ad quemquam accedere vt illum conſoletur ob amiſſionem ſuorum; & circumſcribit *conſolationem* ipſam præcipuas eius partes enumerando; quæ erant eſculentorum, & poculentorum illatio ad lugentes; ad veſcendum inuitatio, cibos porrigendo, potumque offerendo. Hoc autem Prophetæ prohibetur ad ſignificandum breui omnia Hieroſolymis perturbanda plenaque cuncta futura horroris, & mœſtitiæ; nam alios vario genere mortis miſerè perituros; eo ipſo ſatis infelices; alios qui cladi ſuperefunt, perpetuo luctu conficiendos ſine vllo ſolatio; nullo futuro cui ad alios conſolandos otium ſit, aut voluntas; cibos inferendo, & ad veſcendum hortando, & compellendo. De hac ergo conſuetudine aliquid nunc preſſius dicamus. Certum eſt vt paulò poſt dicam mœrentium & lugentium eſſe primum omnium ſe à cibis abſtinere, quod à mœrore profectum, mirum quoque eſt quantum ipſum augeat. Ferè enim ſemper lætitia comes eſſe ſolet lauti conuiuij, vt ieiunium mœror ſequitur, & triſtis ſeueritas. Inde ergo alios conſolatori in primis curabant ipſos ad veſcendum inducere; quod benè potis, & paſtis mœſtitia ſæpiſſime ſoluatur. Vnd Salomon[g]. *Date ſiceram mœrentibus, & vinum his qui amaro ſunt animo, bibant, & obliuiſcantur doloris ſui.* Sic etiam Elcana ſolaturus Annam *cur fles*, inquit[h], *& quare non comedis?* Similiter ad Dauidem, qui venerunt vt ipſi ſolarentur *ſurge* dixerunt[i] *& comede* cum acerbe idem Dauid lugeret Abneris interitum ſuggerentibus aliis cibum ad ſolatium *iurauit*[k] *ſe nihil comeſturum vſque ad veſperam.* Apud Homerum autem nihil frequentius in omni alloquutione, quam vt ad cibum capiendum hortentur, qui alios conſolantur, vt conſtat ex odyſſea[l]. Et alibi ſæpiùs hoc argo omnibus commune, in Iudæis proprium id habebat; vt conſolatores non ſolum ad cibum hortarentur, ſed cibum ipſum inferrent, & præpararent; quod haud ſcio an in vlla alia gente ex ſolemni more receptum eſſet.

f Cap. 16. 16.
g Prouer. 31. 6.
h 1. Reg. 1.
i Lib. 2. Reg. c. 12.
k lib. 2 Reg. c. 13.
l lib. 24.

Obſeruandum enim hic eſt plures ferales epulas antiquis in vſu fuiſſe, *ferales*, inquam, quæ ad mortuos ſpectarent, & ipſorum cauſa pararentur: inter quas erant parentalia *ſilicernia*, *conuiuia funebria*, & alia ſimilia, de quibus non nihil etiam paulo poſt. Ad nullum autem eorum genus ſpectabat cibatus hic Iudæorum de quo nunc loquimur, quem ſolatores lugentibus inferebant. Vnde qui locum illum Ieremiæ & ſimiles alios ad *parentationes*, & alia funebria conuiuia trahunt etiã inter gentes celebrari ſolita minus rectè trahunt, & ea, quæ longe diſtinguenda ſunt, valde confundunt: *parentalia* enim, & aliæ funebres

Digitized by Google

epulæ ab ipſis cognatis mortui parabantur, & ad eas reliquos propinquos, & amicos defuncti conuocabant: at hoc de quo loquimur epulum, ſi ſic appellari licet, in ipſam lugentium domum ab aliis aut inferebatur, aut inſtruebatur. Propriè autem conuiuium; ſiue vt ſcriptura loquitur *panis luctus ac lugentium* eſt appellatus. Vnde eſt quod Ieremiæ Dominus præcipiens, ne vllum conſolationis genus lugentibus illis adhibeat, prohibet omnino, cum illis eſcam vllam ſumere; vtrumque coniungens, & vt ne ipſe cibos inferat, & ad conuiuia ne accedat ab illis parata; illud, cum dicit, *non frangent inter eos lugenti panem ad conſolandum ſuper mortuo, & non dabunt eis potum calicis ad conſolandum. Hoc ſecundum dum ſubdit. & domum conuiuij non ingredieris, vt ſedeas cum eis & comedas, & bibas.*

Quid ergo illud erat, quod conſolatores iſti inferebant? cibus ſine dubio parabilis, & paſſim obuius; non qui gulam irritaret; ſed tantum qui vires reficeret. Alioquin enim & ipſi paſcendi ad maiorem triſtitiam potuiſſent excitari ſi crudo adhuc ſuorum funere vidiſſent ſe ad delicias gulæ vocari, & irritamenta palati. Erant ergo præter panem legumina & inter hæc in primis. *Lens*, ex qua etiam panis confectus. D. Hieron. in vita Bleſillæ. *Flenteſque hodie Iudæi, & nudatis pedibus in cinere volutati ſacco incubant; ac ne quid deſit ſuperſtitioni ex ritu vaniſſimo Phariſæorum primum cibum lentis accipiunt; videlicet oſtendentes, quali edulio primogenita perdiderint*, ad eundem ritum alludit Nazianz. oratione in ſanctos Machabæos, vbi inducit matrem non dolentem ex morte illorum, ſed gaudio geſtientem, & in hanc lætitiæ vocem effuſam. *Non ſocias doloris conuocabo, non lugubrem panem apponam.* Quibus ſignificabat ſe nihil omnino facturam ob mortem illorum, quæ in aliorum funere; quod potius gaudio eſſent proſequendi, quam lachrymis. Illud quoque de hoc cibo accipien-
a Pſal. 136. dum exiſtimo, quod eſt apud Regium Vatem [a], *ſurgite poſtquam ſederitis qui manducatis panem doloris.* Licet enim panis doloris intelligi poſſit ipſe dolor, quo mœrentes pro pane paſcuntur, dum dolori ſuo indulgentes cibos omnes reſpuunt: probabile tamen eſt ſermonem eſſe de hoc *pane luctus*, qui mœrentibus frangebatur; & eſt exhortatio S. Vatis ad illos qui in luctu ſunt, vt lachrymas diſcutiant, & luctum finiant: vt non iam amplius panem doloris, & luctus ab aliis expectent ſed ipſimet ſurgant, ſe erigant, & alios epulis excipiant.

Porrò contra hæc quæ diximus duo afferri poſſunt, hic prius diſcutienda, quam ad alia gradum faciamus. Primo enim ambiguitatem habet, quod diximus. hoc genus conuiuij non fuiſſe inter *parentalia*; quod tamen D. Hieron. indicare
b In Cap. 16. Ierem. videtur [b]. Secundo vſurpatum illud diximus defuncto iam ſepulto; at ſuper *mortuum fieri* dicebatur, quod ſignificat adhuc ipſo præſente. De
c Ibidem. primo D. Hieronymus [c] non dicit, *panem luctus* inferre, & illum *lugentibus frangere* eſſe parentalia: ſed tantum quod conuiuia, quæ Græci *περίδειπνα Peridipna* appellant à Latinis dicuntur *parentalia.* Et ſubdit, *parentalia appellari* eo quod parentibus iuſta celebrantur. Quo dicto ſignificat *panem luctus* apud Hebræos, ſiue *conuiuium luctus.* quod fuiſſet longè diuerſum à Parentalibus: ad quod obſeruandum; Parentalia, & Parentare aliud ſignificare ex origine vocabuli, aliud ex vſu ad quem deinde aptata ſunt: ex origine ſignificant tantum *iuſta, quæ à filiis parentibus fierent.* Vt ibi ſignificat D. Hieron. Ex vſu deinde; extenſa ſunt ad ea omnia, quæ à quocunque celebrantur in mortuorum honorem; & in primis ad conuiuia quæ propter ipſos agitantur: vnde quia *conuiuium hoc luctus* non inter officia, & iuſta defunctis exhibita cenſetur *Parentalium* nomine non continetur. Quæ ergo hoc nomine continebantur? Reſpondeo: in Scriptura hæc quatuor funebria conuiuia repetiuntur: *panis luctus & doloris ſiue conuiuium luctus; cœna mortui; Dapes ſepulchrales; & epulum funebre.* De quibus omnibus quomodo, & quatenus inter ſe diſtinguerentur ſuo loco fuſiùs: breuiter autem nunc ſatis ſit, tria poſteriora inter *Parentalia* tantum comprehenſa; primum nequaquam; nam vt dixi, *panis luctus* non erat cauſa mortui, aut in honorem ipſius; ſed tantum ob ſuperſtites, & illorum cauſa. Notandus eſt autem in hoc Scripturæ phraſis cum dicit, *non frangent inter eos lugenti panem*; in qua duplex hebraiſmus. Primus in voce *panis.* Secundus in voce frangendi. Nam panis hic eſt, quodcunque edulium; & *frangere* eſt ſimul cum alio comedere, cui parte cibi communices quo tu veſcaris; illúmque inuitare ad manducandum, comedendo. Quod cum lugentibus neceſſarium omnino eſt; Cogendi enim ſunt, & hoc non aliter, quam illis præeundo. De ſecundo Ieremias non dicit. Panem luctus frangi ſuper mortuum: ſed tantum mentionem facit conſolationis ſuper mortuo; quæ verè incipiebat præſente adhuc cadauere vt ſupra indicaui.

Quod verò paulò ante dixi genus hoc ſolatij in tali *fractione panis*, mihi videri peculiare fuiſſe populo Iudaico: non intelligo vt ibi ſignificaui de abſtinentia à cibo quaſi ea in ſolemni tantum Hebræorum luctu vſurpata: neque etiam de adhortatione aliorum ad veſcendum: vtrunque enim etiam apud alios: ſed quod ſolemni more ſolatores *panem* & certa edulia lugentibus apponerent in eorum domo; id mihi in Iudæis peculiare videor obſeruare. Nam quod apud Petronium habetur de matrona Epheſina ad quam alius cibos infert, vt eam conſoletur; non eſt accipiendum quaſi ex more, & ritu factum ſed caſu potiùs, & oblata occaſione. Hæc ergo alij in cognatos defuncti, nunc de iis quæ cognati ipſi in honorem, & memoriam mortuorum, & ad affectum erga illos conteſtandum; & primò de Domo funeſta.

CAPVT III.

Ad loc. Eccleſ 7. **Melius eſt ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij.**

Defuncti cognatos dolorem ſuum maximè teſtatos lugubri habitu, & domo funeſta. Hæc domus luctus Iudæis propriè appellata, certis indiciis dignoſci ſolita; quæ illa, & ad quid? in ſacris & prophanis literis cur pro eodem habitum in tenebris, & mœrore verſari.

DOmus in qua quis recens mortuus, & ex qua fuerat elatus in Scriptura appellatus domus luctus. A Latinis, & bonis auctoribus

domus

a Cap.7.

domus de qua in Eccleſiaſtico [a]. *Melius eſt ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij*, & ſubdit rationem, quæ ſignificat *domum luctus* eſſe domum *funeſtam*. *Quia*, inquit, in illa finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quod futurum ſit. Funeſtæ autem domus indicia plura erant.

b Quæſt. 22.

Primò feneſtræ clauſæ & omnes aditus locis. Nazianzenus [b] in oratione de Machabæis inducens illorum matrem ea omnia reſpuentem, quæ ſolent aliæ in morte filiorum; ſic loquentem facit. *Non comam lamabo; non veſtes ſcindam; non carnes vnguibus lacerabo; non luctus excitabo; non luctus ſocias accerſam, non tenebras concludam; vt ipſe quoque aer mecum lugeat; non conſolatores expectabo, non panem lugubrem apponam.* Hic enim cuncta recenſet quæ in luctu ab aliis vſurpata; in his feneſtrarum occluſionem. Non tenebras, inquit, concludam. Quod nunc paſſim & olim etiam apud alios obſeruatum. Amat enim tenebras dolor; vt lucem lætitia: nec quiſquam eſt qui non aliorum aſpectum fugiat, dum mœrore deprimitur. Propterea in ſacris, & profanis literis. *in tenebris ſqualore, & ſordibus iacere.* idem eſt quod in luctu, & mœſtitia verſari.

c lib.2. Metamo.2.

Secundò in domo funeſta nihil coquebatur; ac proinde focus, & culina frigebant; nullus fumus; aut nidor exhalabat, & hoc non ſolum apud Iudæos, ſed apud alios etiam. Apud Apuleium [c] fœmina neſcio quæ ad illum, qui mortuum cuſtodierat, & cœnam expectabat, *Abi*, inquit, *fatue qui in domo funeſta cœnas expectas in qua tot iugis iam diebus, ne fumus quidem vllus eſt viſus. Fatuum enim appellat*, quod ignoraret, aut non cogitaret in *domo luctus* cœnas non parari ad quod alludit Iuuenalis [d].

d Sat.3.

Tunc geminus caſus vrbis, tunc odimus ignem.

Vbi vetus interpres: *nec focum noſtra domo fieri patimur quod, & lugentes obſeruare ſolent.*

e In 4. Æn.

Tertiò erant ad fores, & ante oſtia certa alia indicia, ex quibus funeſta domus cognoſcebatur: & id ne temere in illam ingrederentur, qui ex tactu, & aſpectu mortuorum contaminabantur: quod apud Hebræos, & alios ſeruabatur. Romani cupreſſi ramos figebant Seruius [e] Æneid. *Romani moris fuit propter ceremonias ſacrorum, quibus populus Romanus obſtrictus erat; vt potiſſimum cupreſſus, qua exciſa renaſci non ſolet in veſtibulo poneretur; ne quis imprudens funeſtam domum rem diuinam facturus introëat; & quaſi attaminatus ſuſcepta peragere non poſſit.* Vnde de eadem arbore Plinius Diti ſacra; & ideo funebri ſigno ad domus poſita præter cupreſſum, & picea ad id erat. Idem Plinius [f] picea montes amat, ac frigora funebris arbor, & funebri indicio ad fores poſita ac rogis virens. Græci verò apparebant quoque ad ianuam luſtralem aquam in vaſis propriè ad hoc munus dicatis, de quibus apud Pollucem [g]. In principio; qua aqua ex domo non funeſta allata, qui egrediebantur ex luctuoſa domo aſpergebantur; vt ſi quid polluti eſſent ex officio illo funebri expiarentur. Præter aquam erat quoque flocculus capillorum in foribus appenſus; qui ex mortuo ipſo deſecti fuiſſent. Vtriuſque tam aquæ quam capillorum meminit Euripides in Alceſtidem vbi Chorus ſic loquitur.

f li 16. c.10.

g lib 8 init.

Non video ante portam vt lex eſt fontana lauacra,
Pro mortuis in porta; nulla coma deciſa eſt in veſtibulo
Quæ accidunt in luctu mortuorum.

CAPVT IV.

Ad locum 2. Reg 11 26

Audiuit vxor Vriæ quòd mortuus eſſet vir ſuus, & planxit eum tranſactóque luctu, *&c.*

Solemnis argumenta luctus apud Iudæos curſim hic expoſita, latius alibi explicanda: de tempore quo ille legitimè abſolueretur accuratiùs actum: varium illud à variis aſsignari: ſeptem dies Iudæos in id tribuiſſe, aliter Romanos, quibus ſolemnis luctus anni ſpatio claudebatur, nubere quàm coniugi liceret à morte coniugis: leges ad id quæ faciunt adducta & explicata.

NOn ſolùm autem mœrorem ſuum domeſtico cultu teſtabantur: ſed in ſe ipſis certis & ſolemnibus indiciis luctus aſſumptis, quæ hic tantùm curſim libabimus, vbi de luctu in vniuerſum agemus fuſiùs exequuturi.

Erant ergo hæc omnia argumenta luctus, primò *veſtis mutatio* ex ſplendidiore ſcilicet in obſoletam; quæ plerumque materia ex ſacco; colore nigro, & pullo; forma lacera, & profeſſa. Secundò Capillus erat impexus demiſſus ſqualens in viris, raſus in fœminis. Tertio caput puluere ſordidatum. Quarto rarus proceſſus in publicum; & quando erat cum habitu luctuoſo. Quinto abſentia ab omni celebritate præſertim à Conuiuiis, nuptiis, ludis. Quæ omnia vt diximus explicabimus fuſiùs, & illuſtrabimus cum de communibus luctus indiciis agemus. Hic tantum propriè quærendum de tempore huius ſolemnis luctus; quamdiu ſcilicet is protrahi ſolitus.

De Hebræis ſunt qui exiſtiment illis menſem vnum ad legitimũ luctum definitum. Colligũt ex Deuteronomio [h]. Vbi Moſes ſic de captiua loquitur. *Deponet veſtem, in qua capta eſt ſedenſque in domo ſua flebit patrem, & matrem ſuam vno menſe, & poſtea intrabis ad eam dormieſque cum illa, & erit vxor tua.* Quæ verba Ioſephus quaſi enarrans ſic ait. *Non ante ius eſto cubile eius tangere quam raſo capite ſumptoque lugubri habitu cognatos, & amicos in bello amiſſos deplorauerit.* Et paulò poſt, *elapſis autem luctus triginta diebus, tot enim ſapienti ad deplorandos caros ſufficiunt; tunc nuptiis dare operam liceat.* Verum ex hoc loco nihil colligitur in vniuerſum; ſed tantum de tempore luctus, quod captiuæ mulieri concedebatur antequam legitimis nuptiis copularetur. Exiſtimo ergo legitimum lugendi tempus quod non liceret ſine nota contrahere; liceret tamen producere, fuiſſe ſeptem dierum. quod indicaui in Commentariis ad libros Regum. Vbi de Luctu [i] Bethſabeæ. Certum enim quoddam, & legitimum tempus fuiſſe lugendi clarè in eo capite his verbis ſignificatur. *Tranſacto tempore luctus miſit Dauid, & tulit eam.* Nec mirum id apud Iudæos; quando omnes aliæ gentes legitimum aliquod tempus in hoc habuerunt. *Legitimum*,

h Cap.21. 13.

i lib 2. Reg cap.11.

inquam id eſt lege finitum, quæ aut conſuetudine, aut edicto valeret. Vnde toties mentio legitimi temporis in his lachrymis. Apuleius. *Adhuc formoſus Lepolomus* (prior maritus) *in meo viuit pectore: bene ergo, & optimi conſules ſi luctui legitimo miſerrima fœmina neceſſarium concesseris tempus.*

At verò tempus hoc apud Iudæos ſeptem ſaltem dierum ſpatio definitum, colligo cum Ianſenio ex
a Cap. 22. Eccleſiaſtico [a], *vbi ſeptem dies luctus* aſſignantur, quos ſcilicet non explere nulli licebat, prætexere autem omnibus. At captiuæ luctus menſe definitur. Primo peculiaris illa lex erat, & alienigenis poſita, non Iudæis de quibus agimus. Secundo fortaſſe ſtatuitur; ne vltra menſem producatur luctus; non vt illum expleat. alioa autem potuiſſe pro cuiuſque arbitrio, ſeptem diebus tranſactis, luctum finire, aut producere; colligo quod in Scripturis vbi diuerſorum luctus recenſentur ſemper ferè variatur in modo, & tempore, quo perdurauit; quod argumentum
b 2. Reg. 22. eſt, vt benè obſeruat Lyranus [b] nihil certi apud illos quod ad hoc conſtitutum.

Apud alias verò gentes ſecus erat. De Romanis hanc legem refert ex Paulo iuriſconſulto
c lib. 21. obſeru. c. 12. Cuiacius [c]. *Parentes, & filij maiores ſex annis, anno lugeri poſſunt; minores menſe; maritus decem menſibus, & cognati proximioris gradus octo, qui contra fecerit infamium numero habeatur.* Et hoc in vetere Republica & ſtante adhuc Romani Imperij maieſtate. Tunc enim tempus legitimum vxori lugendi virum annus erat, qui quia decem menſibus conſtabat, totidem luctus abſol-
d lib. 1. faſt. uebatur. Ouidius [d].

Quod ſatis, & vtero dum matris prodeat infans,
Hoc anno ſtatuit temporis eſſe ſatis.
Per totidem menſes à funere coniugis vxor
Suſtinet in vidua triſtia ſigna domo.

Triſtia ſigna dixit, quæ ſunt inſignia luctus, & cultus lugubris; de quibus ſuo loco fuſius. De eadem autem re Plutarch. in Numa: *longiſſimum autem luctus tempus decem menſibus terminauit: quod ſpatium à morte viri viduis præfinitum quoque eſt abſtinendi à ſecundis nuptiis.*

Obſeruandum autem contrariam aut diuerſam ab Hebræis. Illis enim vt diximus *ſeptem dies luctus* aſſignati; non quos non liceret excedere; ſed quos fas non eſſet omittere. Contra verò annuum ſpatium Romanis; non quod totum explerent; ſed vltra quod luctum non ex-
e Epiſt. 63. tenderent Seneca [e]. *Annum fœminis ad lugendum conſtituêre maiores; non vt tamdiu lugerent, ſed ne diutius.* annum dixit; quia vt monui antiquis decem hic menſibus abſoluebatur. At viris
f Ibidem. nullum tempus finitum. Idem Seneca [f]. *Viris nullum legitimum tempus eſt quia nullum honeſtum,*
g l. 9. ff. de his qui not. inf. & in Iure Ciuili [g] *vxores viri lugere non compelluntur.* Miror autem quod vniuersè à Seneca pronuntiatum: vxores diutius lugere non potuiſſe; minus definito illo ſpatio potuiſſe. Adeo enim illæ ad id compulſæ, vt infamia notarentur, quæ non expleſſent, & ante illud tempus nupſiſ-
h l. 11. de ſec. nupt. ſent; vt extat in Codice Theodoſiano [h] & nos in-
i Cap. 11. loc. cit. dicauimus ſecundo Regum [i]. Sed fortaſſè dici poteſt poſteriori iſtud æuo valuiſſe; loquutum autem Senecam de maiorum inſtitutis, quibus liberum fortaſsè fuit luctum illum contrahere; quod non licuit æuo poſteriori: niſi dicamus in cæteris libertatem fuiſſe, non in nubendo. Prius enim nubere non licuiſſe defuncto viro; quam anno tranſacto. Cæterum quicquid de hoc ſit; poſteriori tempore omnia iſta abrogata ſunt, & in arbitrio poſitum quantum, & quos vellet lugere ſine vlla nota. Refert hoc Cuiacius adductus & ſimul legem ex Triboniano. *Parentes, & liberi vtriuſque ſexus; nec non cæteri agnati, vel cognati; ſecundum pietatis rationem, & animi ſui patientiam prout quiſque voluerit lugendi ſunt; qui autem eos non eluxerit non notatur infamia,* quod tamen intelligendum tantum de infamia lege non opinione hominum contracta. Quis enim infamem illum non habeat, qui calente adhuc lecto ex prioris vxoris veſtigiis aliam inducit? aut qui nuptias celebrat funere adhuc patris in oculis conſtituto? Et hæc de tempore luctus: reliqua, quæ ad hoc infra.

CAPVT V.

Ad loc Eccl. 30. 18. Bona abſcondita in ore clauſo quaſi appoſitiones epularum circumpoſitæ ſepulchro.

Sepulchrales epulæ in triplici differentia: de ſingulis diſtinctum, & explicatum. Cœna mortui quid: vbi, à quibus, & quibus parata. A cœna ferali quomodo diſtincta: panem cibumque lugentium perperam cum cœna mortui & Parentalibus à nonnullis confundi. Ieremias, Baruch, Auguſtinus, & alij ab hoc ritu illuſtrati.

PArentalia, vt ſupra indicaui, primò dicta ſunt officia, quæ filij parentibus defunctis perſoluebant: & *parentare* erat iuſta illis celebrare. Iuſta autem hæc antonomaſticè appellata, quod nihil æquius ſit his officiis erga mortuorum manés. Deinde vero laxato vſu vocabuli quæ non ſolum filij parentibus; ſed parentes filiis, & cognati quicunque neceſſariis funebria munera deferebant; *parentalia, & iuſta* ſunt appellata; intelligendo per hæc quicquid ad funerationem ipſam pertinebat. Præcipue autem quæ poſt illam in defunctum, & ſepultum honoris ipſius cauſa exhibebantur qualia in primis erant: *Epulæ Ludi. & frequentatio ſepulchri.* De quibus nunc agemus & primo de epulis.

Epulæ ergo funebres in triplici differentia erant apud Hebræos, & etiam apud alios: primo enim erat *cœna mortui,* ſecundò ſepulchrales dapes, tertio *conuiuium illud funebre, περίδειπνον Peridipnon,* Græcis eſt appellatum.

Cœna mortui erant edulia, quæ ad ſepulchrum deferebantur, & ibi relinquebantur; quaſi illis mortuorum manes, & vmbræ veſcerentur. Quam ſuperſtitionem ſine dubio ethnicorum propriam, incredibile fortaſsè cuipiam fuerit apud Iudæos etiam valuiſſe; valuit tamen vt colligitur ex multis Scripturæ locis qui ad hunc ritum alludunt. Aperte in Eccleſiaſtico [k], *bona abſcondita in ore* k Cap 30.18 *clauſo quaſi appoſitiones epularum circumpoſitæ ſepulchro,* Loquitur hoc loco ſapiens de ægrotante cui pretioſa fercula apponuntur, quæ guſtare non poteſt. Vnde alij vertunt, *ferculum ſplendidum palato ægroto propoſitum perinde eſt vt cibi poſiti ad buſtum ſepulchri.* Hoc eſt enim *abſconditum bonum*: electum, ſegregatum, ſepoſitum & proinde pretioſum. *Clauſum* autem *os*

appellat

appellat ob cibi faſtidium. Sic ergo ſe habere dicit cibum pretioſum appoſitum ægroto non comedenti: vt epulæ quæ apponuntur ad ſepulchrum. Vt enim iſtæ ad eos inferuntur, qui iia veſci nequeunt;ita, & illa: qua re clarè ſignificat,ſolitum dapes aliquas ſepulchris inferta cum aliqua perſuaſione, vt eos manes guſtarent defunctorum. D. Auguſtinus, quomodo id ſe habuerit tangit,& carpit [a]. *Miror quod apud quoſdam infideles hodie tam pernicioſus error increuerit; vt ſuper tumulos defunctorum cibos, & vina conferant; quaſi egreſſa de corporibus anima corporales cibos requirant, &c.* has autem epulas *cœna mortui* nomine appellatas exiſtimo apud Baruch, [b] *Rugiunt autem clamantes contra Deos ſuos quaſi in cœna mortui.* Loquitur enim de clamoribus prophanorum Antiſtitum,ad falſos Deos; quos comparat rugitibus qui edi ſolent *in cœna mortui* quam cum intulerant ſuperſtites, & ſuper ſepulchrum ſtatuerant lamentationibus, & eiulatibus cuncta complebant; vacuo deinde ventre diſcedentes. Signanter autem *cœna mortui* Quam cum intulerant ſuperſtites, & ſuper ſepulchrum ſtatuerant lamentationibus, & eiulatibus cuncta complebant vacuo deinde ventre diſcedentes. Signanter autem *cœna mortui* appellata; quod ex ea fas non putarent quicquam guſtare viuentes: vt tota;& integra mortuis cederet,quibus fuerat parata.

a Serm. 15. de Sanct.

b Cap. 6. 31.

Hanc autem cœnam alij aliter inſtruebant. Qui enim ſuos cremabant, illam cadauere iam fermè conſumpto,& flammis languentibus, rogo ſuperiniiciebant. ed quod illud accipiendum eſt eſt Tertulliani [c]. At ego magis ridebo vulgus tunc quoque cum ipſos defunctos atrociſſimè combutit. quos poſtmodum guloſiſſimè nutrit; iiſdem ignibus & promerens, & offendens. Quæ verba lucem accipiunt ex hoc Virgilij [d]

c De Reſur. cap. 1.

d lib. 6.

Congeſta cremantur

Thurea dona, dapes fuſo crateres oliuo

Dapes enim rogo ingeſtæ dum cadauer cremaretur, & oſſibus ritè collectis, lapideque conditis vinum ſuperfuſum: ne ſcilicet tam longum, & ignotum iter aggreſſus mortuos ſine viatico dimitterent, & commeatu. At alij qui ſine combuſtione ſepeliebant ſuper ſepulchrum ipſum *cœnam* hanc *mortui* collocabant quales erant Iudæi Babylonij, & ex Romanis, qui ſuos non combuſſiſſent; & ex iis,qui combuſſerant,etiam nonnulli,qui non contenti dapibus rogo ingeſtis nouis inſuper cœna ſepultos proſequebantur. Hanc autem vt ſupra dicebam nefas fuiſſe aliis attingere, colligitur, quia tota mortuis dicata erat, quæ autem iis iam dicata piaculo habebatur in vſum viuentium aſſumere: & propterea; quia;quæ de menſa cadebant, mortuis conſecrata arbitrabantur,religio erat illa tollere, vt docet Athenæus, ex illis autem reliquiis, vt iam quaſi inter mortuos computatus optabat, Lazarus ille Euangelicus ſaturari. Et inde quod male & peſſimè audirent omnes, qui ex illis cibis guſtare auſi, aut quicquam rapere, extat adhuc Catulli, Epigramma, quod lucem iis,quæ diximus maiorem dabit.

Vxor ne Meni ſæpe quam in ſepulchretis
Vidiſtis ipſo rapere de rogo cœnam,
Cum deuolutum ex igne proſequens panem
A ſemiraſo tunderetur vſtore.

Ex his autem facilè conſtare poteſt minus rectè ſentire, qui *cibum panemque lugentium*, de quo ſæpius in ſcriptura, *cœnam mortui* interpretantur, vt illud eſt Ezechielis [e] vbi Deus Prophetæ, *nec cibos*, inquit, *lugentium comedes.* Et Oſeæ [f] *ſacrificia eius quaſi panis lugentium*, & ſæpiùs commemoratus locus Ieremiæ [g]. *Non frangent inter eos lugenti panem ad conſolandum.* Nam panis lugentium viuorum erat, & domi inter mœrores, & lachrymas parabatur, & aſſumebatur. At *cœna mortui* tantum ad manes defuncti pertinebat, quibus tota cedebat. Conſtat præterea cur Baruch loco citato huic *cœnæ mortui* tribuat *rugitus,& vociferationes*: ea enim illatas & ſepulchro impoſita maxima contentione defuncti manes proprio nomine compellabant, quos ſic ad veſcendum inuitatos & excitatos tradit Epiphanius in Ancurato: *poſt illationem*, inquit,*ciborum ad ſepulchrum inſolentibus clamoribus nomina defunctorum alta voce proferunt dicentes ſurge iu comede,& bibe.*

e Cap 27. 17

f Cap. 6. 4.

g Cap 16.

Capvt VI.

Ad locum Tob 4. 18.

Panem tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue,& noli ex eo manducare cum peccatoribus.

Sepulchrale Epulum vt à cœna mortui diſtinctum, à quibus,ad quid, & vbi paratum: ab honeſto prius officio deductum: in quos deinde prauos degenerauerit: coniunctas illi aliquando publicas ciborum diſtributiones: viſceratio quid. Chryſoſt. & plures alij explicuti.

POſt cœnam mortui ſequebatur epulum ſepulchrale quod cum ea conueniebat; quatenus vtrumque ad ſepulchrum parabatur;hoc tamen diſcrimine: quod illa defunctis in totum, & laruis cedebat: in iſto vero dapes tantum illis libatæ à viuis poſtmodum abſumebantur. Qua de re frequens ſermo apud ſacros, & prophanos auctores. Erat autem ad iſtud epulum menſa illa potiſſimum deſtinata, de qua nos ſupra ex Cicerone: cum docuimus ex præſcripto Demetrij omnia alia ornamenta ſepulchris adempta; præter menſam,& *columellam.* Clarè autem ad hoc epulum alluditur in Tobia [h]. Panem tuum, & vinum tuum: ſuper ſepulturam iuſti conſtitue, & noli ex eo manducare cum peccatoribus. Suſceptus autem is ritus eſt in Chriſtiana Eccleſia, & diu deinde in illa ſeruatus: ſed cum per eam occaſionem ſuperſtitioſa multa & fœda in mores irrumperent à SS. PP. & etiam à nonnullis Conciliis repudiatus eſt,& ſeuerè reiectus. Id autem cum agunt, & acrius obiurgant: ſimul etiam indicant vnde ortum habuerit, quare ſuſceptus, quæ in illo ſeruete, & quomodo poſtea in prauum deflexerit.

h Cap. 4. 18

Origo enim illi duplex primo vt ea ſpecie liberalitatis mortui nomen, & memoria vulgò celebraretur, & carior eſſet. Confluebat enim ita epulis allecta ad ſepulchrum copioſa multitudo, quæ deinde defuncti nomen grata celebritate vulgabat,& præterea pro illo preces,& vota Deo offerebat. Secūda illi ratio originis à cōſecratione epularum, quæ iis exiſtimabatur accedere ex appoſitione ſuper ſepulchra Iuſtorū; præſertim martyrum. Propterea Tobias monet filium. *Panem tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue.* Primam

cauſam

cauſam liberalitatis, & miſericordiæ exercendæ tradunt Patres dum indicant Religioni ſibi duxiſſe Chriſtianos veteres; ſi in ſuorum morte pauperes non conuocaſſent, & quidem ad ſepulchrum Chryſoſtomus [a] in ſecundam ad Corinthios. *Si filij, vel fratris defuncti facis commemorationem terrore concuteris conſcientiæ; niſi conſuetudinem impleas & pauperes conuoces, cur Presbyteros, ut pro eis velint orare obſecras? non ignoro te reſponſurum vt defunctus requiem adipiſcatur; vt propitium iudicem inueniat.* Quò & ad quid pauperes conuocabant ad ſepulchra & vt iis largè veſcerentur quæ poſita ſuper ſepulchrum.

a Hom. 27.

Ab hoc autem pio ſtudio, in quas Sacrilegas obſcœnitates degenerauerit audi Gaudentium [b]. *Nam gula ſua cauſa primum cœperunt homines prandia mortuis præparare, quæ ipſi comederent: poſt hoc ſacrificia auſi ſunt eis ſacrilega celebrare, quamuis nec ipſa mortuis ſuis minus ſacrificent parentalia; dum ſuper ſepulchrorum menſas tremulis ebrietate manibus viui fundentes ſpiritum balbutiunt.*

b Serm. 4.

Affine autem his dapibus ſepulchralibus erat publicum epulum ſiue publica ciborum diſtributio in honorem defuncti; quæ non paſſim à quouis vſurpabatur; ſed ab opulentioribus, & ditioribus: cum ſepulchralis inuitatio omnibus fermè eſſet vſitata. Qui enim aliud non habebant, ſuper menſam ad ſepulchrum vinum, & panem apponebant. At hoc publicum epulum ingentes planè opes poſtulabant; quas & nonnunquam exhauriebat; cum per eam occaſionem multi fuerint apud Hebræos ad extremam inopiam redacti. Ioſephus [c], de Archelao Herodi patri exequias celebrante *Diebus ſeptem*, inquit, *in lugendo patre conſumptis, epuliſque feralibus prolixè populo exhibitis, hic autem mos apud Iudæos neceſſario multos ad inopiam redigit: nam qui eum neglexerat impius exiſtimabatur, candida veſte indutus proceſſit ad templum*, &c. Differebat autem hoc publicum epulum à ſepulchralibus dapibus. Primò quod eæ ad ſepulchrum ipſum parabantur; vt ea occaſione manes defuncti & monumentum frequentaretur: hoc vero epulum alibi exhibebatur. Secundò illæ non admodum pro magna multitudine inuitatorum erant, iſtud verò, vt plurimum omnes promiſcuè admittebat quicunque accederent. Vtriuſque clarè meminit Euſtratius ad illud Homeri [d] vbi de funere Patrocli.

c lib. 2. de bel. cap. 1.

d lib. 8. Iliad.

At ille (Achilles) hic epulum ſepulchrale præbebat.

Diſtinguit eo in loco Euſtratius duplex genus feralis conuiuij, alterum quod ad ipſum ſepulchrum agitabatur propriè τάφος *taphos*, id eſt, *ſepulchrale* dictum. Alterum verò quod longè à ſepultura in memoriam tamen ſepulti, & περίδειπνον *perideipnon* dicebatur, quod Latinis teſte Hieronymo [e] *parentatio* nuncupatur. Huius aliæ duæ ſpecies erant; *publica & priuata*: publica epulum de quo nunc agimus: priuata id quod propriè conuiuium funebre; de quo paulò poſt. Porrò publica illa inuitatio ratione celebritatis bifariam exercebatur. Aliquando enim publicè menſis, & triclinijs diſpoſitis populus, qui promiſcuè accedebat excipiebatur: Aliquando ſibi ipſi, & edulia diſtribuebantur, quæ quiſque ſecum domum ſuam ferret; & ea propriè *viſceratio* appellata à carnibus in ea diſtributis. De publico autem accipiendum quod clarè docet Ioſephus loco cit. *apud Iudæos illud adeò frequens, vt multos ad inopiam redigeret.* Vſitatum autem illud alijs omnibus, in primis vero Græcis, & Romanis iam indicauimus. De Græcis clarè ex Homero [f] habemus in funere Patrocli.

e in Ierem. cap. 16.

f lib. 18. cit.

Diſcubuerant apud naues veloci pede Achiui
Infiniti; at hic illis epulum funebre lautum inſtruxit
Multi boues candidi mugiebant circa ferrum
Dum iugularentur.

De Romanis vero res multò teſtatior. Liuius [g] P. Licinij funeris cauſa ludi funebres per triduum facti; poſt ludos Epulum, in quo cum toto foro ſtrata triclinia eſſent, tempeſtas repente orta coëgit pleroſque tabernacula ſtatuere in foro & Cicero [h]: *Tubero*, inquit, *cum Epulum Quintus Maximus Africani patris ſui nomine populo Romano daret, rogatus eſt à Maximo, vt triclinium ſterneret, cum eſſet Tubero eiuſdem Africani ſororis filius: atque ille homo eruditiſſimus, ac ſtoicus ſtrauit pelliculis hœdinis lectulos punicanos, & expoſuit vaſa Samia, quaſi verò eſſet Diogenes Cynicus mortuus, & non diuini hominis Africani mors honeſtaretur.* Notandum autem hîc cur hoc Epulum *publicum* dictum: nimirum, & quia in publico nonnunquam apparatum: Et quia ſi non in publico; ſemper omni populo qui confluerat exhibitum. Propterea Homerus *turbam infinitam* promiſcuè acceſſiſſe ſcribit. Liuius autem triclinia in foro diſpoſita. Cicero *populo* diſertè exhibitum: id eſt omnibus quotquot vellent accedere; quod valdè mirum, & ingens argumentum priſcorum, vel liberalitatis vel profuſionis; & eo magis quod nonnunquam altera illa ſpecies coniuncta vt ſimul cum epulo viſceratio præberetur. Liuius loco proximè adducto de P. Licinij funere. *Viſceratio*, inquit, *ea cauſa data, & gladiatores ſeptuaginta pugnarunt, & ludi funebres per triduum poſt ludos epulum.* idem Liuius [i] de Tito Flaminio munus gladiatorum mortis cauſa patris ſui cum viſceratione, & ludis ſcenicis dedit quatriduum, Cornelius Nepos de Quinto Fabio Rutiliano. *Mortuo huic tantum æris populi liberalitate congeſtum eſt; vt inde filius viſcerationem & epulas publicè daret.* Viſcerationem autem largitionem fuiſſe, qua Populo caro multorum animalium diſtribuebatur ex Seruio habemus lib. 7. Æneid *Viſcera*, inquit, dicimus non tantùm inteſtina ſed quidquid ſub Corio eſt.

g lib. 39.

h tom. 3. orat. pro Murena.

i lib. 41.

Capvt VII.

Ad locum 2. Reg 3. 35.

Cùm veniſſet vniuerſa multitudo cibum capere cum Dauid clara adhuc die, iurauit Dauid dicens, ſi ante occaſum ſolis guſtauero panem.

Conuiuium funebre maximè celebre inter alias ferales epulas; à pane luctus à cœna mortui, à ſepulchrali epulo vt diſtinctum: vbi id, à quibus, & inter quos agitatum apud Iudæos, & alios: eius quoque veſtigium in Christiana Eccleſia ſeruatum.

SEquitur denique maximè celebre conuiuium inter omnia feralia quod propriè

funebre

Digitized by Google

funbre epulum dicebatur, ſiue conuiuium diſtinctum *à pane luctus*; *à cœna mortui*, à publico epulo: domi enim agitabatur poſt aliquanto quam defunctus eſſet ſepulturæ mandatus, ab ipſis cognatis, propinquis, & amicis mortui, & nonnunquam ſingulis annis, vel menſibus ſtata, & ſolemni celebritate repetebatur in eiuſdem defuncti memoriam. De hoc clare habetur in Regum
a 2. Reg. 3. 31. hiſtoria [a]: *Cumque veniſſet vniuerſa multitudo cibum capere cum Dauid claro adhuc die, iurauit Dauid dicens, hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi ante occaſum ſolis guſtauero panem, aut aliud quicquam.* Paratum enim à Regiis miniſtris fuerat recepto more funebre conuiuium; ad quod cum vniuerſa multitudo, quæ adeſſe debebat; iam conueniſſet, iurauit Rex Dauid ſe quicquam comeſturum, niſi poſt *occaſum diei* ex quo loco ſimul diſcimus conuiuia huiuſmodi certum tempus non habuiſſe, quo poſt ſepulturam defuncti celebrarentur: niſi quod arbitrari poſſumus, quo defunctus magis coniunctus erat eò diutius dilata. Hic enim quia Abner nulla propinquitate Dauidem attingebat, ſtatim ab exequiis ſedentibus conuiuium funebre fuerat apparatum; at apud Græcos ſolemne erat triduum tranſmittere ſine cibo, ſaltem qui aliis conſciis ſumeretur. propterea illis funebre conuiuium, quod propriè, vt teſte Euſtratio vidimus *περίδειπνον peridipnon* dicebatur nõ niſi tranſacto triduo parabatur à propinqui morte. De qua re Lucianus lib. de luctu extremo, *iamque adſunt neceſſarij vt defuncti parentes conſolentur; ſuadentque vt cibum capiant: quamquam iſti per Iouem non inuiti ad id compelluntur; cum perpetuum iam triduum enecti ſunt fame. At capiunt quidem illi, ſed tamen pudibundi, verenteſque ne poſt cariſſimorum obitum videantur adhuc affectibus humanis commoueri.* Clarè autem ex Homero colligimus diſtinctionem huius Epuli à publico. Sic enim ille Iliadis vltimo in funere Hectoris.

Aggeſto à tumulo redibant atque deinde
Bene conuiuabantur ſplendidum conuiuium
Ædibus in Priami.

Qui autem iſti? non omnes promiſcuè; ſed acciti
b lib. 2. de legibus. & delecti, de quibus Cicero [b] Græcorum conſuetudinem referens, *ſequebantur epulæ, quas inirent propinqui coronati; apud quos de mortui laude cum quid veri erat prædicatum: nam mentiri nefas habebatur.* Vbi mirum ſit quod dicit *coronatos accubuiſſe.* Sed non mirabitur qui ſciet in habitum lætitiæ compoſitos conuiuia illa agitaſſe,
c In Vatin. & quidem *albatos.* Idem Cicero [c]: *Quis vnquam in luctu domeſtico, quis in funere familiari cœnauit cum toga pulla? cum tot hominum millia accumberent, cum ipſe epuli dominus ablatus eſſet tuto cum C. Figulo atrato, cæteriſque tuis furiis funeſtum intuliſti.* Et hæc ſatis.

Capvt VIII.

Ad loc. Eſai. 65. 3. Qui immolant in Hortis & ſacrificant ſuper lateres qui habitant in Sepulchris.

Ludi & ſacrificia ad ſepulchra non ſolùm ab aliis ſed & à Iudæis ipſis vſurpata: qui illi eſſent apud externos? Gladiatorum, Circenſium, & Gymnicorum certamina. Nazianz. & alij explicati.

PRæter dapes erant quoque ſolemnes ludi ad ſepulturam vt ea quoque honoris ſpecie defuncti nomen & memoria honeſtaretur: de quorum vſu apud alias gentes ſatis conſtat ex proximè dictis. Et fusè tradit Tertullianus lib. de Idololatria, & alio de ſpectaculis in quibus originem ludorum omnium, & apparatum proſequutus, omnes inſtitutos docet ad memoriam mortuorum celebrandam: apud Iudæos verò eoſdem etiam fuiſſe vſurpatos non dubito; quando conuiuia, quæ in *excelſis*, & ad ſepulchra celebrabant in Hortis, & amœnis nemoribus ſita, ludis & tripudiis concludebant; vnde tam crebra ludorum mentio, & ludentium, cum de conuiuiis agitur. Apud Ieremiam [d], *non ſedi in Conſilio ludentium.* Et iterum [e]. *Egredietur de eis laus voxque ludentium.* Et rurſus [f]. *Adhuc ornaberis tympanis tuis virgo Iſrael, & egredieris in choro ludentium.* In quibus locis omnibus ſermo eſt de publica lætitia, conuiuiis & ludis frequentata. d Cap. 15. 17 e Cap. 30. 19 f Cap. 31. 4.

Cæterùm qui eſſent hi funebres ludi, vt preſſiùs diſtinguamus præter tripudia, & ſaltationes trium generum fuiſſe reperio; Gymnicos, Gladiatores, & Circenſes; Gymnicos in quibus, lucta, curſu, diſco, Ceſtibus, propoſito etiam præmio decertabant. de quibus Nazianzen. in oratione ſuper obitu Cæſarij fratris; *Valeant*, inquit, *exterorum certamina, & figmenta, per quæ miſeri iuuenes ornati ſunt exigua exiguorum certaminum præmia proponentes: meum munus eſt oratio.* ad quæ verba hæc notat Elias Cretenſis. *Certamina, ea quæ prophani in mortuorum honore celebrabant, irridet, ac ſugillat: veteres quippe eos qui hinc exceſſiſſent, variis funebribus certaminibus honorabant; in quibus, qui vincerent parua ob magna certamina præmia referebant; alius olea ramum, vt in Olympia; alius poma, vt apud Delphos; alius pini ramum vt in Iſthmo; alius denique apium, vt in Nemea qui autem certabant iuuenes erant.*

De *Gladiatoribus* præſertim apud Romanos notiſſima res eſt propterea enim ea illis certum genus erat, qui Buſtuarij appellabantur; quod ad defunctorum buſta decertarent; de quibus Tertullian. de ſpectaculis, & Seruius 10. Æneid. moris erat inquit, *in ſepulchris virorum fortium captiuos necari, quod pluſquam crudele viſum, placuit Gladiatores ante ſepulchrum dimicare, qui à buſtis cineribus Buſtuarij dicti.*

De Circenſibus id eſt, ferarum venatione, & cæde habemus apud Dionem vbi Cæſarem tradit in filiæ ſuæ funere cædes, & gladiatorum pugnas exhibuiſſe. Cæterum illud admonendum hoc loco puto, fuiſſe hæc non quotumcunque ſed illuſtrium tantum virorum propria: nec enim cuicunque defuncto qui ſupererant cognati tales erant; vt ludos illi poſſent exhibere: ex quo feſtiuiſſimus iocus intelligitur ſerui illius in Amphitrione.

Viuo fit, quod nunquam quiſquam mortuo faciet mihi. Id eſt videns, & viuens ludor, & illudor, & de me ludi fient, & circa me quod nunquam mortuo mihi eueniet.

Capvt IX.

Ad loc. Marci 16. 1. Emerunt aromata vt venientes vngerent Iesvm.

Sepulchra ſolemni more frequentari, adiri, ornari ſolita: flores ſuper illa ſparſi cum

rti

Digitized by Google

rei ſymbolum: odoramentis quoque perfuſa apud Chriſtianos ex Hieronymo & Prudentio obſeruatum.

AT ſepulchrum ipſum oon proximè poſt defunctum conditum;ſed ſtatis,& repetitis ſubinde temporibus floribus, & corollis otnabant,ex vatiis odoramentorum generibns aſpergebant. Et id nnn ſnlum Gentiles & exteri alijs verum etiam Chriſtiani ipſi:de Gentilibus fusè tradit, & erudite Lipſios in Tacitnm [a]. Quod antem ad flores attinet; ad id erant in primis lilia, & toſæ: nimitūm vt ex illis æoi btenitatis omnes admonerentnr, & ſimnl intelligerent, *qua citatiſſimè florerent,celerrimè macreſcere.* vt ait Plinius [b]. Vttumque flotem coniunxit Virgilius [c].

a lib.14.
b lib.32.c.1.
c lib.6.

Tu Marcellus eris: manibus date lilia plenis
Purpureos ſpargam flores animamque nepotis
His ſaltem accumulem donis.

De Roſa antem illud Anacreontis huc allndit

Medicatur hac & agris,
Defendit hac ſepultos.

Qoa in te adeò inſanierunt nonnulli vt teſtamento cauerint quotannis ſepnlchro ſuo roſas inſpergi: vetus inſcriptio Rauennæ apud Gnterom ſic claudirnr.

Vt quotannis roſais ad monumentum deferant.

Quod vt dicebam Chriſtianis etiam vſitatum, teſtatur clare Prudentins;ritum etiam collaudans in Hymno de exequiis mortuorum

Nos tecta fouebimus oſſa
Violis, & fronde frequenti

Et D.Hieronymus in Epitaphio Paulinæ. *cæteri mariti ſuper tumulos coniugum ſpargunt violas; roſas,lilia, purpureoſque flores,& dolorem pectoris his officiis conſolantur.* nec mirum id videri debet: quando roſas ipſas, & alios flores non tantum contenti erant veros, & halantes ſepulchris inſpergere; ſed fictos etiam inſculpi curabant: vt nimirnm ſymbolum eſſent imbecillitatis humanæ; de qua B.Iob [d]. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore repletur multis miſeriis, qui quaſi flos egreditur,& conteritur.* Aliquando autem florea iſti temerè congerebantur; aliquando etiam ſertis inneai; quibus ſepulchra ipſa coronabant; vnde & ad hoc tam frequens mentio *corolla ſepulchralis*;apud Gentiles tamen, non apud Chriſtianos, quibus Religioni fuiſſe certns flntes ſepulchris imponete,ex his Minutij colligimus in Octanio. apud quem Gentiles inter alia, Chriſtianis hoc obiicinnt: *coronas etiam ſepulchris denegatis pallidi, trepidi, miſericordia digni, ſed noſtrorum Deorum.* At floribus nno contenti varia odoramenta, & pretioſos liquores adiungebant;quales erant ex opobalſamo,& aliis ſimilibus. Prudent. lnen cit.

d Cap. 8.

Titulumque & frigida ſaxa
Liquido ſpargemus odore.

Qualis verò hic eſſet liquidus odor D. Hieronymus indicat verbis quæ proximè adducta ſequuntur. *Pammachius noſter ſanctam fauillam oſſáque veneranda eleemoſina balſamis rigat.*

DIGRESSIO

DIGRESSIO TERTIA DE PVBLICO ET PRIVATO LVCTV, ET RITIBVS IN VTROQVE SERVATIS.

Argumenti per ſumma capita diſtributio.

LIBER hic erit quadam lacinia præcedentis, & eius quaſi coronidem continebit. Quid enim aliud & mortes, & funera, & mæſtæ domus ex amiſſione charorum requirere videntur; quam vt ſolemnia luctus proſequentes, ea omnia diſtinctiùs exponamus; quibus apud veteres totus hic ſuggeſtus oſtentatiui doloris conſtabat? Id igitur hic exequemur diſſertationem totam hac ratione partiti.

Luctus, alius naturalis, alius aſcitus; ille eſt quem promit affectus; iſte, qui moribus inducitur; ille ad dolorem paſcendum, hic ad officium etiam perſoluendum; ille, vt omnia quæ à natura ſunt præcedit iſte ſubſequitur; ille typum præbet, hic ad illius imitationem conatur exurgere. De illo non hic nobis ſermo, ſed de altero; niſi quatenus ſolemnis luctus & indictus, æmulator naturalis & veri, quæ illius ſunt propria continet, illum dum tentat exprimere. Hic ergo luctus alius erat publicus alius priuatus; & vterque alius ſacer, alius ciuilis; ille ad Deum placandum cauſa religionis aſſumptus; hic ad officium humanitatis erga eos quibus aliqua neceſſitudine iuncti ſumus implendum. De omni ergo luctu, & ritibus in vnoquoque ſeruatis, hic accuratè dicturi, primò in vniuerſum explicabimus quare ſolemnis & legitimus luctus inductus ſit. Secundò. Qui lugerent. Tertiò quæ lugerentur, ſiue cauſa & occaſio luctus quotuplex eſſet Quartò quid in vnoquoque luctu ſeruaretur; in veſtitu, in cibo, domi, foris, & in reliqua actione vitæ.

CAPVT I.

a Eccle. c. 3. 4. Ad illa verba Salomonis. [a] Tempus flendi, & tempus ridendi: tempus plangendi, & tempus ſaltandi.

Quare luctus legitimus & ſolemnis, & à quibus inductus.

INTER ea, quibus alternis vicibus humana vita iactatur, præcipuum locum obtinent mœror, & gaudium; ad iſta naſcimur, & vix ab vtero matris effuſi, iſtis excipimur; longè tamen prius & diutius à mœrore vexati, gaudio longo poſt tempore tranſmittimur; quod lachrymæ, riſuſque teſtantur. Ad illas enim mox natus infans abiicitur, riſu non niſi quadrageſimo [b] poſt die ſubſequente; magno [c] argumento longè illi vberiorem lachrymarum meſſem futuram quam gaudiorum. *Hominem*, inquit Plinius de natura conquerens, *tantum inter omnia animalia nudum, & in nuda humo natali die abiicit ad vagitus ſtatim, & ploratum; nullumque tot animalium aliud ad lachrymas, & has protinus vitæ principio. At Hercules riſus præcox ille & celerrimus ante quadrageſimum diem nulli datur.* Ad riſum ergo, & fletum cùm naturaliter homo naſcatur, neceſſe eſt mœrorem & lætitiam, quæ ſunt vtriuſque principium, inter ea computari, quæ ſuo genere

Sopran. in David.

b Plin. lib. 7. proœm. Aug. lib. 21. ciuit. c. 14. Ariſt. 7. de hiſtor. animal. c. 10.
c Auguſt. hom. 10. ex 50. c. 10.

bona ſunt, aut certe media, & à Philoſophis adiaphora nuncupantur; in quibus exceſſus, aut defectus tantum, non opus ipſum damnatur, ſi nimirum quod poteſt abſolutè fieri, & eſt faciendum, minus, aut nimis fiat, quam pro ratione exigatur. *Quæ naturalia ſunt*, inquit Clemens,[d] *auferri non debent; ſed eis duntaxat modus, & conueniens tempus eſt adhibendum.* Mœror ergo & gaudium, luctus & riſus cùm naturalia ſint, omnino tolli ex hominum vita non debuerunt; ſed in illis cauendum, ne quid in exceſſu, aut defectu peccaretur. Et id ex variis circunſtantiis loci, temporis, cauſæ, perſonarum; *loci*, quia nec vbique nec nuſquam; *temporis*, quia nec ſemper, nec nunquam, ſed aliquando, & alicubi; *cauſa*, quia non ad ſingula quæ triſtia ſe nobis offerunt, nec ad nulla; *perſonarum*, quia non omnes, nec nulli, nec in publico paſſim ante omnium oculos, nec procul ſemper à cuiuſque conſpectu, ſed aliqui, & ante aliquos lugere poſſunt.

d Clem. Alex. lib. 2. c. 5 pædag.

Quemadmodum ergo certa gaudij tempora ſtatuta ſunt, in quibus riſui, luſibus, & ſpectaculis indulgetur; qui fructus, gaudij ſunt, & animi lætitia ſoluti: ſic luctus etiam tempora quædam ſunt publicè definita, quibus ex more recepto, qui tacita lex eſt, aut etiam lege lata, qui, quid, & qualiter lugere debeant, aliter apud alias nationes eſt inſtitutum. Ob id hoc loco ſapiens, *Tempus*, inquit, *flendi, & tempus ridendi: tempus plangendi, & tempus ſaltandi.* Quaſi clarius diceret, aliquando ridendum eſt, aliquando flen-

dom; nec ſemper & vbique, nec ooſquam, aut nunquam. Ob id præſtare cetrum tempus vtrique ſtatoere, ad eum modum, quo etiam apod omoes gentes certa ſuut tempora, quibus homines veſcuntur; & id ſiue publicè epulentur, ſiue priuarim paſcantur. Paſtus, & potus exemplum conſultò poſuimus: ſine iſtis oon viuitur; nec ſioe viſu & lachrymis vira traducitur; vt tamen non nb id ſemper, & vbique cibos aſſumiror, & potatur; ſic nec ſemper, & quacuuque de cauſa tidendum eſt, aut lugendum.

Opere ergo pretium fuir certa tempora moribus inducere, quibus lugeretur; ſicut certa gaudendi tempora iam diximus defioita, quibus ſpectaculis indictis, luſibus, & lætitiæ vacaretur. Sed tunc ſobit ioquirere cur moribus inductum, vt non ſolum certo tempore, ſed ſimul, & in vnum quaſi collatis lachrymis lugeretur. Legitimus enim luctus ſiue is publicus, ſiue priuatus ſit, non ſeorſim, aut ſingulatiiet aſſumitur; ſed à pluribus cùm priuatim, aut ab omoibus cùm publicè lugetur.

Eius rei quatuor cauſæ ſunt. Prima reſpicit ipſos lugentes. Secunda eos qui lugentur. Tertia cauſam luctos. Quarta luctum ipſum. Primò ergo in gratiam lugentium, & eorum vtilitatem, & commodum id factum eſt. Nam qoi lugent, & ob aliquam calamitatem in mœrore ſuut, ij pondus Ætnâ grauius, aur ſopra ſe ſuſtinent, aut verſare coguntur. Cui autem dubium leuius ouus omoe reddi, quo plures ad illud ſuſtinendum conueniunt, aut geſtandum? D. Leo de mœrore loquens Apoſtolorum ex Magiſtri morte

a Serm. 1. de Aſcenſ. conceptio, *Mors*, inquit [a], *Chriſti multum diſcipulorum corda turbauerat, & de ſupplicio crucis, de emiſſione Spiritus, de corporis ſepultura grauatis mœſtitudine mentibus, quidam triſtitia torpor obrepſerat.* Rectè *Grauatis.* Cur id? quia mœror animi, ponderis incredibilis inſtar habet. Ingens ergo leuameo omnibus lugentibus accedit, quo plures ſe eſſe conſpiciunt eodem doloris æſtu iactatos. Et iode eſt quod in dolore & lachrymis amicos omnes quærunt, qui fletus aſſocient. Vnde is, qui eos non inueniebat, vicem

b Pſal. 68. 22. ſuam querebatur dicens. [b] *Quæſiui qui ſimul contriſtaretur & non inueni.* Quaſi eoim plures ſunt ad idem onus tollendum, quoties plores conueniunt ad eandem calamitatem deflendam.

Secundò, propter eos qui lugentur, etiam luctus legitimus eſt inſtitutus, & qui per plures, & certo tempore, & ratione ſpargatur. Nam vel viui lugentur, vel mortui: *viui*, vt Rei, & qoi in aliquo periculo ſuut, ad illod auertendum. *Mortui*, vt clari quique viri, & aliqua neceſſitudine coniuncti. Dubium autem non eſt quo quis à pluribus ritè lugetur, eo clarius habere teſtimonium virtutis ſuæ, & amoris quo plures illum

c Orat. poſt red. in Senat. pro meritis proſequontur. Vnde Cicero [c] tantopere alicubi gloriatur, quod Senatus, & Italia tota luxerit exilium ſuum, quod id eſſet argumentum certiſſimum gratiæ, qua apud Romaoum populum pollebat. Quare meritò legitimus luctus, qui veri & naturalis doloris imitamenta continet, cùm mortuis, viuiſque tribuitur, *honor* ab omnibus appellator: vt perinde ſit aliquem hoc luctu lugere, ac *honeſtare.*

Tertiò. Ex cauſa lugendi, quæ maximè cernitur in luctu ſacto. Hic enim ad Deum placandum ſuſcipitur in publicis malis, cùm hoſtes ingruunt cùm ſterilitas vrget, cùm peſtilentia ſæuit. Æqoiſſimum autem eſt vt qui pariter affliguntur, accorraot omnes alacritate pari ad maloiom remedia procuranda. Ob id in publica calamitate publicè luctus indicitur.

Denique propter ipſum luctum hoc inſtitutum. Vt enim lætitia mire ſe ipſam ſpargit & fundit; nec vno taotum gaudet, quem inſidet; ſed plures poſcit. Vnde ille neſcio quia, neſcio quo gaudio præter expectationem potitus dicebat.

d Terent. in Eunu.

> [d] *Iamne erumpere hoc licet mihi gaudium?*
> *Sed neminem curioſum interuenire nunc mihi,*
> *Qui me ſequatur quoquo eam rogitando enicet*
> *Quid geſtiam, aut quid lætus ſim, quo pergam,*
> *vnde emergam, vbi ſiem.*

Et hoc ille, qui oolebat ſioe teſte lætari. Non diſſimiliter luctus & lachrymæ teſtes requirunt. Inareſcunt illico, niſi plurium in conſpectu ſpargantur: ob id inſtitutum vt quo diotius fleros & lachrymæ protraherentor, luctus hic ſolemnis aſſumeretur, in quo non veræ lachrymæ, aut dolor interuenit; ſed imitamenta doloris.

e Ep. 10. & 63. *Per lachrymas*, inquit Seneca [e], *argumentum deſiderij quærimus, & dolorem non ſequimur, ſed oſtendimus. Nemo enim ſibi triſtis eſt: clarius cum audiuntur gemunt; & taciti, quietique dum ſecretum eſt, cum aliquos viderint, in fletus nouos excitantur.* Et hoc Seneca de vero, & naturali luctu, qui ſimul cum lachrymis celerrimè fluitur, vt Quiotilianus aiebat. Vt ergo clari viri non vno tantum die defleantur, vt parentes à filiis, chari quique à ſuperſtitibus diutius lugeantur, luctus legitimus eſt inſtitutus, in quo, vt ſupra dixi, verus dolor non ſemper ineſt, ſed ſigna doloris; vultus demiſſus, obducta frons, obſoleta veſtis, incultus habitus.

CAPVT II.

Ad verba Salomonis.

f Sap. 7. 3.

[f] Et ego natus accepi communem aërem, & in ſimiliter factam decidi terram, & primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans.

An ad riſum natus homo potiùs, quàm lachrymas? & vnde Philoſophis inualuerit illius naturam magis à riſu definire, quàm luctu.

HIc mihi non tempero quin eorum occaſione quæ proximè diximus, ab inſtituta ſemita tantiſper aberrem; & hanc quæſtionem proponam, qoæ me diu, & alios torſit, in qua quot anfractus, & latebræ ſint diſcutiendo conſtabit.

Videtur ergo proprius magis hominis eſſe fletus quam riſus; ac proinde non *riſibilitas*, vt Philoſophi dicunt; ſed *flebilitas*, vt eadem forma loquendi cum illis vtamur, eſſe proprietas hominis ſtatuenda. Primo, quia affectus hic eſt omniom primus, validiſſimus, & maxime diuturnus. *Primus*, quia mox vt homo naſcitur, ad fletus abiicitur; ad quam rem teſte alio noo indigemus, cùm ſibi quiſque ſit locupletiſſimus, & oculatus; hominem tantum inter omnia animalia nudum, & in nuda humo natali die proiici ſtatim ad vagitus, & ploratum; nullumque aliorum ad lachrymas, & has vitæ principio, vt ex Plinio g lib. 7. in proœm. dicebamus [g]. Ob id eleganter Lucretius hominem

nem naſcentem naufrago comparat, qui fracto nauigio vi tempeſtatis in littus, omnium rerum indigus eiiciatur.

Tum porro puer vt ſæuis perfuſus ab vndis
Nauta, nudus humi iacet infans, indigus omni
Vitali auxilio, cùm primùm in luminis auras
Nixibus ex aluo matris natura profundit
Vagitúque locum lugubri complet, vt æquum eſt
Cui tantum in vita reſtat tranſire malorum.

Eſt igitur affectus hic antiquiſſimus; ſed & *validiſſimus*; vt conſtat ex cauſis quas plurimas & iuſtiſſimas habent homines plorandi, cum nullas fermè, aut leuiſſimas habeant ridendi: & id, ſiue primordia ipſa vitæ, ſiue progreſſum inſpiciamus. *Primordia* quidem, quia nihil in illis habet

a *In Problemat.*

infans, niſi dolendum. Quærit Alexander[a] Aphrodiſeus philoſophus peripateticus inſignis vnde ploratus hic homini tam præcox, vt vix natum tam effuſus excipiat. Cauſam phyſicam affert hoſpitij aſperitatem, in quod immigrat à materna aluo; in qua molliſſimè antea fotus, & grata caloris temperie rigatus, auræ poſtmodum frigidioris appulſu, & tractantium manibus durius longe verſatur; ob id fletus effuſus, & ſubitus, & pertinax. At aliam non phyſicam ſed ſymbolicam alij Philoſophi afferunt: plorare ſtatim ab ortu hominem, quaſi præſcium malorum, quæ ſibi ſunt in vita reliqua toleranda. Rectè Auguſtinus[b]: *Quis non exhorreat, & mori eligat, ſi ei proponatur aut mors perpetienda, aut rurſus infantia? Quæ quidem non à riſu, ſed à fletu orditur hanc lucem, quod quid malorum ingreſſa ſit, neſciens quodammodo vaticinatur.* Quod ipſum quem adduxi, Lucretius volebat.

b *St. de ciuit.* 14.

Vagituque locum lugubri complet, vt æquum eſt,
Cui tantum in vita reſtat tranſire malorum.

At in progreſſu vitæ, cauſæ plorandi longè plures, & iuſtiores ſunt. Si enim iuſta flendi cauſa eſt ſequentium tacita præſagitio malorum; quanto iuſtior ipſa mala cum veniunt? Quæ tot ſunt, tam multa, tam varia, tam luctuoſo catenata nexu, vt plane mirum ſit non hominem flere, ſed illum aliquando ſiccatis lachrymis à fletu ceſſare. *Quis*, inquit alicubi inſignis Orator[c], *interim miretur flere hominem? Hinc infantia incipit, in hanc nos neceſſitatem plerumque fortuna deducit. Quis eſt enim dies, qui non triſte aliquid & flebile nobis minetur? ſi nullam aliam cauſam lachrymarum haberemus conſpectus tamen hominum, & ratio mortalitatis poterant elicere fletus. Hæ amicitiæ, hæ propinquitates, hi congreſſus, hæc ſtudia, laudeſque intra breue temporis momentum occidunt, atque labuntur. Quotus quiſque tranſit dies, quo non funus accipiamus?* Ob id pleriſque viſum librum illum

c *Quintil. Declam.* 316.

d Cap. 2. 9.

qui oblatus Ezechieli[d] nihil aliud intus & foris continebat, *præter lamentationes, carmen & væ*, decurſum humanæ vitæ interpretari, quæ à fletu incipiens, per fletus decurrens, in fletus deſinit. Nam *carmen* ibi etiam eſt lamentatio & gemitus; ſed modulatus. Prima naſcentium vox, interiectio eſt dolentis: *vah* enim identidem infantes reſonant, à quo vagitus, & poſtea formata voce alia gementium *væ*; niſi velimus interpretis ſuo[e] tempore non obſcuri ſubtilitatem ſequi; qui curioſius obſeruauit, an verè, non diſputo, mares à *vah* ploratum ſuum auſpicari; femellas à *væ*, quaſi ſcilicet illi de Adam, iſtæ de Eua conquerantur, à quibus contracta nobis hæc ſeries malorum. Vtcunque tamen hoc ſit; certum ex his eſt, affectum plorandi, antiquiſſimum, & va-

e *Robert. Holc. in Sapient. c.* 7.

Sopran. in Dauid.

lidiſſimum omnium aliorum eſſe; & qui primus excipiat hominem iacentem, & vltimus omnium non deſerat morientem, aſſiduus, perpetuus, & nunquam interruptus.

Secundò, à ſanctis viris, & ab ipſo Christo Domino riſus in homine damnatur, & lachrymæ commendantur. Non ergo ridendi affectus proprietas eſt hominis dicenda, ſed plorandi. Quod enim proprium cuiuſque eſt, id ſi ſequitur, culpandus non eſt. Cani latratus adſcribitur, hinnitus Equo, volatus auibus: & ſi de rebus inanimis loquamur, ignis eſt proprium comburere, lapidis deorſum ferri: eſt autem dubium cum hæc ab illis vſurpantur, adeo ea deteriora non fieri, vt etiam perficiantur[f]? Id autem cur? Quia in eo ſequendo nihil aberratur, ad quod tanquam proprietatem eſt vnumquodque natura propenſum: ex axiomate enim philoſophiæ. f *Luca* 6.

Viuere naturæ ſi conuenienter oportet;

Quomodo conuenientius illi viuitur, quam id exequendo, quod quaſi propria dos ſit à natura tributum? Vt *propria*, inquam: quia non ignoro non omni propenſioni, quam natura nobis inſeuerit, indulgendum. Ac proinde naturæ conuenienter viuere, quod Philoſophi laudant, hoc non eſſe, quod illius propenſioni parere, ſi de quacunque re loquamur. At ſi de propria, prorſus aſſerendum naturæ conuenientiùs viui non poſſe, quam tali propenſioni, ſaltem aliquando obtemperando. Cum igitur culpetur riſus, ploratus & fletus commendetur, non poteſt ille peculiaris hominis proprietas cenſeri.

Quod tertiò confirmatur: quia non poteſt id proprium alicuius naturæ dici, quod ſi nunquam fiat, in laude ponatur. At qui nunquam in vita riſerunt, extolluntur; & ad illorum exemplum alij excitantur: vt de Christo Domino nominatim traditur; quem Chryſoſtomus[g] obſeruat in vita nunquam riſiſſe, fleuiſſe ſæpe. Non igitur ad riſum propenſio, quæ riſibilitas à Philoſophis appellatur, eſt hominis proprietas exiſtimanda. Quorſum enim illam natura nobis indidiſſet, cuius nullus vſus futurus erat? Quare ex his concludi poſſe videtur flendi potius facultatem, quam ridendi, propriam hominis eſſe: ac proinde ſi eius definitio ſit à proprietate tradenda, dicendum potius hominem animal eſſe *flebile*, quam *riſibile*. g *Cum aliis loco citato.*

Sed ſi hoc admiſerimus, vniuerſam philoſophorum nationé in nos armabimus: qui Porphyriũ ſequuti[h], cum definitionis exemplum ponũt à proprietate non à differentia eſſentiali tradendæ, non aliter hominem, quam à *riſibilitate* definiunt, animal ipſum *riſibile* pronunciando: non quia riſu dignum, vt videtur vox ipſa prima ſpecie ſonare; ſed quod ridendi facultate ſit præditum, tanquam propria dote illi à natura tributa. Quare de illorum ſententia maximè proprium erit hominis ridere, ac proinde gaudere & lætari, quorum fructus eſt riſus.

h *Boët. Auerrous, Albert. D. Thom. in Porphyr. c. de propr. Simplic. & Ammon. in Prædicam. cap. de ſubſtan.*

Vel igitur in acie nobis aduerſus omnes Philoſophos ſtandum eſt, hominem definiendo animal, non *riſibile*, ſed *plorabile*; qua forma nimirum dicunt illi riſibile: vel certè ſi eos veremur, negandum, eſſe homines ad lachrymas natos; ac proinde laudandos cenſebimus, qui rident; culpandos, qui lugent. Quid ergo dicendum? Certa prius ab incertis abiungemus; quod præſtabimus diſtinctione præmiſſa. Proprietas alicuius naturæ duplex eſt; alia, per modum facultatis:

alia per modum actus. Per modum *facultatis*, dicit principium actionis; per modum *actus*, ipſum dicit effectum. Vtraque autem ſiue per modum principij, ſiue per modum effectus, commune habet ita cuipiam conuenire, vt alteri naturæ non competat: ſed proprietas per modum principij, competit *omni, ſoli, & ſemper*. vt poſſe ridere quam Philoſophi riſibilitatem dicunt: per modum verò effectus, non ſemper, ſed *omni*, & *ſoli*, vt ipſe riſus. Proprietas primo modo cum reliquis naturalibus facultatibus conuenit; hoc tantum diſcrimine, quod hæ poſſunt in aliis, & aliis naturis reperiri; illa nequaquam; ſed in vna duntaxat. Quare cum poſſit vnum quodque ad id dici natura factum, ad quod habet ex natura propenſionem; neceſſe eſt vt quod alicuius proprietas ſtatuitur, ad id quoque dicatur natura ſua factum, cuius eſt illa proprietas principium. His præmiſſis, ad eas quæſtiones accedamus, quas excuſſa diſceptatio nobis obiecit.

Prima erat an proprium ſit hominis ridere; & dicendum prorſus eſſe: ſed per modum actus, qui conuenit ſoli, & omni, non per modum principij quod etiam ſemper. Nec enim ſemper, & vbique rident homines; ſed aliquando, & ſoli inter omnes animantes. Secunda quæſtio erat, an etiam ſit hominis proprium plorare. Affirmant [a] quidam. Soli enim homini putant lachrymas à natura conceſſas. Sed planè falluntur, cùm à pleriſque ſit obſeruatum alias quoque animantes plorare & flere; vt non immeritò ille cecinerit de inſigni equo domini funus proſequente.

a Barrad. t. 3. Conc. Euang. lib. 7. c. 7. in fine.

b Virg. lib. 11.

[b] *Poſt bellator equus poſitis inſignibus Æthon.*
It lachrymans; guttiſque humectat grandibus ora.

Tertiò quærebatur, quomodo laudabile ſit nunquam riſiſſe, ſi riſus vt proprietas eſt homini à natura tributus? Aut enim fatendum fruſtra quid illam molitam, aut certè nunquam riſiſſe, laudi dari non debet. Sed hæc quæſtio loci huius propria tantum non eſt. Latè enim ſpargi poteſt per omnes illas propenſiones, quibus homo natura ſua ſic in aliqua propendet, vt ſummæ laudis ſit ab illis abſtinuiſſe. Dicendum ergo fruſtra facultatem non eſſe, in qua frænanda, cum cupiditatibus ſuis homo luctatur; ſic fruſtra non eſt propenſio ſibi ſimiles generandi, licet non aliquando, ſed ab illa perpetuo abſtineatur: quia fruſtra non eſt quod homini proficit ad triumphum. Pari modo licet ad riſum factus homo natura ſit; nunquam tamen riſiſſe, non eſt voto ſuo Naturam fruſtrari; ſed quod illa maximè quærit in homine cumulatius implere, quod eſt ſuis cupiditatibus obluctari. Quærebatur quartò quomodo proprium ſit hominis eſſe riſibilem, cum totus ad lachrymas ſit, ab iſtis incipiat, per iſtas decurrat, in his vitæ tempus omne tranſmittat. Sed dicendum hominis duplicem ſtatum eſſe conſiderandum; alterum, in quo conditus; alterum in quem ſe ipſe coniecit. Homo per ſe ſpectatus, vt à Deo conditus, ad lætitiam & gaudium, ad riſum & exultationem factus eſt. [c] *Creauit enim ab initio Deus hominem rectum; & poſuit illum in paradiſo voluptatis*; gloria & honore coronauit eum, & conſtituit ſuper opera manuum ſuarum; vt ageret dies lætitiæ, & confiteretur illi in voce iubilationis. Vnde meritò D. Hilarius [d] exclamauit.

c Eccl. 7.

d Hilar. Arelat. Carm. in Geneſ.

O felix animal ſummi cui dextra tonantis,
Eſt pater: ô fœlix nimium, qui ducis Olympo
Et genus & formam: ſi te non noxia terra
Decipiant vitia, & non blandus ſubruat error,
Numen eris, cæloque redux mirabere regna,
Quæ promiſſa bonus fido pater exhibet ore.

At ſi de ſtatu loquamur, in quem ſe ille peccando coniecit; tunc dicendum & ad lachrymas, & ad riſum æquè factum eſſe; ſed ad iſtum præcipua deſtinatione; ad illas non niſi vt per eas ad verum ſibi riſum gradum faceret, in eo ſine fine cuncta deinceps per ſæcula futurus. De hoc ſtatu hominis egregiè Claudius [e] Marius.

e Carm. in Geneſ.

Primus enim meritis, poſtremus in ordine toto
Factus homo; vt rebus ſe ſe præſtare creatis
Noſſet, & hinc laudes Domino perſolueret æquas
Tali lege data, ratio docet optima, quod non.
Mortalem Deus in primæuo tempore fecit
Primum hominem; quin ille ſibi mortem attulit vltro.

Mortis ergo cum ſibi ipſe auctor fuerit; & eorum omnium quoque cauſa fuit, quæ mortem ſequuntur, antecedunt, comitantur. Quæ iſta? Morbi, mœrores, lachrymæ; quibus eſt prius defungendum, vt tandem per illa ad riſum iterum, cui à primordio factus fuerat, reducatur. Ad vtraque ergo in hoc ſtatu naſcitur homo; riſum, & lachrymas. Ad iſtas *prius*; ad illum *poſtius*; ad iſtas vt medium, ad illum vt finem; ad iſtas in hac vita, ad illum in æterna. Propterea lachrymæ, & quæ lachrymas comitantur & prouocant, *prima* in ſacris literis dicuntur; riſus & gaudia *poſteriora*. *Abſterget* [f], inquit, *Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & iam non erit amplius neque luctus, neque clamor, neque dolor, quia prima abierunt.* Et hinc Dauid hunc mundum *vallem* [g] *lachrymarum* dixit; & *fletum* [h] *veſperi matutino vero lætitiam comparauit*. quia in ſacris literis dies huius vitæ à veſpera vnde incipiunt numerantur. *Factus* [i], inquit, *eſt veſpere & mane dies vnus.* Atque ex his facilè conſtare poteſt quid ſit abſolutè quæſtioni propoſitæ reſpondendum: rectè nimirum Philoſophos hominem à facultate ridendi definiuiſſe; non ſolum quia præter illum nullum aliud animal eſt hac facultate dotatum; ſed quia ſi per ſe ſpectetur in ſtatu quo conditus, ad riſum & lætitiam factus eſt; ſi vero in ſtatu in quem prolapſus, ad lachrymas iccirco naſcitur, vt ad riſum per illas emergat.

f Apoc. 19.

g Pſal. 29.
h Pſal. 83. vbi Auguſt. & Caſſiod.
i Gen. 1.

CAPVT III.

Ad verba Leuitici.

[k] Pontifex, id eſt ſacerdos maximus, ad omnem mortuum non ingredietur omnino.

k Cap. 21.

Qui à legitimo & ſolemni luctu prohiberentur.

TRes hominum claſſes apud Hebræos ſuis, vel aliis luctum legitimum impendere prohibebantur; ſummi Pontifices, ſacerdotes inferiores, & Nazaræi. Non tamen æque omnes, & eodem modo. Dixi *legitimum luctum*: quia naturalis, ad quem quiſque natura cogitur, in morte charorum nulli interdictus erat, cùm priuatim vſurpabatur.

Primò ergo ſummus Pontifex in cuiuſcunque morte luctum legitimum ſumere vetabatur. De quo

Digitized by Google

a Leuit. 21. 10.

quo Moſes, *Sacerdos maximus*, inquit [a], *inter fratres ſuos .... caput ſuum non diſcooperiet, veſtimenta non ſcindet, & ad omnem mortuum non ingredietur omnino; ſuper patre quoque & matre non contaminabitur.* Breuiter ergo videndum quid illi prohibeatur, & cur. Quid? Omne id, quod luctu legitimo continebatur; quæ, quot, & quam varia eſſent; infra conſtabit. Falsò ergo Varablus [b] & alij per hoc tantùm intelligunt interdictam illi funeris proſequutionem, & exequiarum celebritatem.

b Leuit. 21.

Cur id ergo prohibitum? Multa poſſunt afferri; ſed præcipuas cauſas tres fuiſſe puto. Prima ad maiorem illi venerationem conciliandam. Secunda ad illius affectus temperandos. Tertia ad aliorum exemplum, & mores formandos. *Ad venerationem illi augendam*: quia nihil eſt, quod magis aliquem altius humano faſtigio ſuſtollat, quam ſi immotus inter ſuorum funera cernatur. Contra verò maieſtas plurimum ſemper lachrymis gemituque minuitur; ob quod maximi quique viri ſemper in publico ab omni ſpecie triſtitiæ, nedū à lachrymis, abſtinuere. Nec enim vllum validius argumentum eſt imbecillitatis humanæ, quam fletus & lachrymæ: vnde eo ipſo quod quis illas fundit, etiam teſtatur pati ſe cum reliquis eadem conditione cenſeri; ſuper quos tamen qui maieſtatem tuentur, volunt ſe longiùs euectos. Notat Cornelius [c] Tacitus, Tiberium, & Liuiam in Germanici funere publico abſtinuiſſe; quod inferius Maieſtate putarent, ſi palam lamentarentur. Et rectè id. In omni enim officio non eadem principibus viris, Imperatori, & populo decora ſunt; vt apud eundem Tyberius idem differit in edicto, quo populum eſt alloquutus. Quare D. Hieronymus [d] prudenter monet ab Ennio dictum.

c lib. 1. Annal. c. 8.

d ep. 3. in epitaph. Nepot.

Plebs in hoc Regi antiſtat loco; licet
Lachrymari plebi; Regi honeſtè non licet.
Lachrymari, inquam, in publico; nam priuatim licet.

Secunda cauſa eſt ad affectus ſummi Pontificis temperandos, & illum ſui muneris admonendum; vel ſaltem conſtet quàm debeant illius affectus eſſe moderati. Rectè Philo [e]; *Poſtulat*, inquit, *lex in eo viro præſtantiorem homine indolem: quippe qui Deo ſit familiaris præ cæteris, in quodam diuinæ humanæque naturæ confinio ſitus; vt hoc mediatore Deus propitietur hominibus.* In quo verò præſtantior hæc indoles ſita, quam Deus in Pontifice ſummo requirit? In amputando nimio affectu erga conſanguineos, etiam parentes ipſos, vt ſubiicit idem Philo. Sacerdotibus aliis, vt mox videbimus, in patris, & matris funere luctus permittebatur; ſummo Pontifici nec in eorum morte flere licebat. Ob id notant plerique, Melchiſedech Dei altiſſimi Sacerdotem ſine matre, ſine patre, ſine genealogia in ſcriptura produci, vt ſummi Sacerdotes intelligant omnes affectus perinde ſibi amputandos, quaſi ſine patre & matre producti forent. Nihilque rerum omnium eſſe, quod ſibi ſit Dei cultui præuertendum. Sed hac de re nos alibi, & alij.

e lib. 2. de Monarch.

Tertia cauſa eſt exemplum aliorum. Noluit enim Deus ſummum Pontificem quemquam flere; nec ob illius obitum lugubria ſumere; vt diſcerent alij quam moderatè gerere ſe deberent in morte charorum. Vt enim D. Hieronymus [f] obſeruat, *in ſummum Sacerdotem omnium oculi diriguntur, illius domus & conuerſatio, quaſi in ſpecula*

f epiſt. 3. ad Heliod.

Sopran. in Dauid.

conſtituta, magiſtra eſt publica diſciplinæ; quicquid feceris, id ſibi omnes faciendum putant. Et hoc D. Hieronymus ad Heliodorum illius lachrymas compeſcens in morte Nepotiani. Alibi [g] verò quid hæc prohibitio luctus in ſacerdote ſummo ſignaret, aptè moribus inſtituendis ediſſerens; *Quod*, inquit, *forſan crudele alicui videatur; ſed fidei neceſſarium eſt. In eodem Leuitico* [h] *ſcribitur, quomodo Sacerdos magnus ad patrem, matrem, fratreſque vel liberos mortuos prohibeatur accedere; ne videlicet anima Dei ſacrificiis vacans, & tota in illius myſteriis occupata, aliquo impediatur affectu.* Et ſubdit; *Nonne aliis verbis idipſum in Euangelio præcipitur vt renunciet domui diſcipulus, vt mortuo patri non exhibeat ſepulturam?*

g epiſt. 25. ad Paul. ſuper obit Bleſil.

h Cap. 21.

Propter has ergo cauſas ſummo Pontifici luctus funebris eſt interdictus; propter quas itidem puto, vel earum aliquam, aut certè non abſimiles, etiam gentiles, flamines ſuos, & ſummos Pontifices à luctu, & omni ferali officio abſtinuiſſe. *Apud Romanos*, inquit Agellius [i], *Flamini Diali* (Iouis nempe ſupremo ſacrificulo) *non licebat locum, in quo buſtum erat, ingredi; vel mortuum attingere; ſed nec tibias funebres audire, nec fabam tangere, aut nominare quidem.* Cuius rei cauſam Plutarchus [k] inquirens, *quod*, inquit, *eam putarent ad mortuos pertinere, & in flore eius luctus literæ viderentur.* At ſummus apud illos Pontifex adeo mortua omnia ex præſcripto vitabat; vt ne defunctos quidem, quamuis propinquos, liceret aſpicere. Ob id Tyberius oratione funebri filium laudaturus inter ſe & cadauer velum poſuit. Seneca [l]; *Tyberius Cæſar*, inquit, *& quem genuerat, & quem adoptauerat amiſit: ipſe tamen pro roſtris laudauit; ſtetitque in conſpectu præſentis corporis, interiecto tantum velamento, quod Pontificis oculos à funere arceret.* Erat enim Tyberius, ſicut & Auguſti reliqui ad vſque Gratiani tempora, Pontifex ſummus.

i lib. 10. c. 15.

k in Probl. q. 109.

l Conſolat. ad Mart. c. 15.

Secundo loco, à luctu ſacerdotes etiam minores prohibebantur; non tamen eodem modo, vt omnium ſummus. Hic enim vt proximè vidimus, ab omni luctu arcebatur; illi conſanguineos lugere permittebantur. *Dixit* [m], inquit, *Dominus ad Moyſen; loquere ad ſacerdotes filios Aaron; & dices ad eos; Ne contaminetur ſacerdos in mortibus ciuium ſuorum; niſi tantum in conſanguineis, ac propinquis, id eſt ſuper patre, & matre, & filio, & filia, fratreque & ſorore virgine, quæ non eſt nupta viro; ſed nec in principe populi ſui contaminabitur.*

m Leuit. 21. 1.

De his ergo videndum quos lugere prohibebantur; deinde, quos permittebantur, tum, cur vtrumque. Prohibebantur lugere omnes externos, etiam ciues, & in ciuibus etiam Regem ipſum, & populi Principem. Permittebantur verò lugere conſanguineos & propinquos; non tamen omnes; ſed primo gradu tam ex deſcendentibus; & aſcendentibus, quam ex latere iunctos. Itaque pater, mater, filij, & filiæ fratres, & ſorores lugeri à ſacerdotibus poterant, modo familiam iſtæ non exuiſſent, in aliam domum matrimonio tranſlatæ. Hoc ergo loco *propinqui*, & *conſanguinei* pro iiſdem accipiuntur, vt etiam frequenter in Iure tam ciuili, quam ſacro. Quia verò conſanguinei ſunt, quicunque ſanguine coniuncti; quos tamen omnes non vult Deus à ſacerdotibus poſſe lugeri; idcirco quod dixerat exponens, exprimit diſtinctè patrem, & matrem, & alios in primo gradu; tantùm ad hos conſangui-

epulæ ab ipſis cognatis mortui parabantur, & ad eas reliquos propinquos, & amicos defuncti conuocabant: at hoc de quo loquimur epulum, ſi ſic appellari licet, in ipſam lugentium domum ab aliis aut inferebatur, aut inſtruebatur. Propriè autem conuiuium; ſiue vt ſcriptura loquitur *panis luctus ac lugentium* eſt appellatus. Vnde eſt quod Ieremiæ Dominus præcipiens, ne vllum conſolationis genus lugentibus illis adhibeat, prohibet omnino, cum illis eſcam vllam ſumere; vtramque coniungens, & vt ne ipſe cibos inferat, & ad conuiuia ne accedat ab illis parata; illud, cum dicit, *non frangent inter eos lugenti panem ad conſolandum ſuper mortuo, & non dabunt eis potum calicis ad conſolandum. Hoc ſecundum dum ſubdit. & domum conuiuij non ingredieris, vt ſedeas cum eis & comedas, & bibas.*

Quid ergo illud erat, quod conſolatores iſti inferebant? cibus ſine dubio parabilis, & paſſim obuius; non qui gulam irritaret; ſed tantum qui vires reficeret. Alioquin enim & ipſi paſcendi ad maiorem triſtitiam potuiſſent excitari ſi crudo adhuc ſuorum funere vidiſſent ſe ad delicias gulæ vocari, & irritamenta palati. Erant ergo præter panem legumina & inter hæc in primis. *Lens*, ex qua etiam panis confectus. D. Hieron. in vita Bleſillæ. *Flomeſque hodie Iudæi, & nudatis pedibus in cinere volutati ſacco incubant; ac ne quid deſit ſuperſtitioni ex ritu vaniſſimo Phariſæorum primum cibum lentis accipiunt; videlicet oſtendentes, quali edulio primogenita perdiderint*, ad eundem ritum alludit Nazianz. oratione in ſanctos Machabæos, vbi inducit matrem non dolentem ex morte illorum, ſed gaudio geſtientem, & in hanc lætitiæ vocem effuſam. *Non ſocias doloris conuocabo, non lugubrem panem apponam.* Quibus ſignificabat ſe nihil omnino facturam ob mortem illorum, quæ in aliorum funere; quod potius gaudio eſſent proſequendi, quam lachrymis. Illud quoque de hoc cibo accipiendum exiſtimo, quod eſt apud Regium Vatem [a], *ſurgite poſtquam ſederitis qui manducatis panem doloris.* Licet enim panis doloris intelligi poſſit ipſe dolor, quo mœrentes pro pane paſcuntur, dum dolori ſuo indulgentes cibos omnes reſpuunt: probabile tamen eſt ſermonem eſſe de hoc *pane luctus*, qui mœrentibus frangebatur; & eſt exhortatio S. Vatis ad illos qui in luctu ſunt, vt lachrymas diſcutiant, & luctum finiant: vt non iam amplius panem doloris, & luctus ab aliis expectent ſed ipſimet ſurgant, ſe erigant, & alios epulis excipiant.

a Pſal. 136.

Porrò contra hæc quæ diximus duo afferri poſſunt, hic prius diſcutienda, quam ad alia gradum faciamus. Primo enim ambiguitatem habet, quod diximus. hoc genus conuiuij non fuiſſe inter *parentalia*; quod tamen D. Hieron. indicare videtur [b]. Secundo vſurpatum illud diximus defuncto iam ſepulto; at ſuper *mortuum fieri* dicebatur, quod ſignificat adhuc ipſo præſente. De primo D. Hieronymus [c] non dicit, *panem luctus* inferre, & illum *lugentibus frangere* eſſe parentalia: ſed tantum quod conuiuia, quæ Græci περίδειπνα *Peridipna* appellant à Latinis dicuntur *parentalia*. Et ſubdit, *parentalia appellari* eo quod parentibus iuſta celebrantur. Quo dicto ſignificat *panem luctus* apud Hebræos, ſiue *conuiuium luctus*. quod fuiſſet longè diuerſum à Parentalibus: ad quod obſeruandum; Parentalia, & Parentare aliud ſignificare ex origine vocabuli, aliud ex vſu ad quem deinde aptata ſunt: ex origine ſignificant tantum *iuſta, quæ à filiis parentibus fierent*. Vt ibi ſignificat D. Hieron. Ex vſu deinde; extenſa ſunt ad ea omnia, quæ à quocunque celebrantur in mortuorum honorem; & in primis ad conuiuia quæ propter ipſos agitantur: vnde quia *conuiuium hoc luctus* non inter officia, & iuſta defunctis exhibita cenſetur *Parentalium* nomine non continetur. Quæ ergo hoc nomine continebantur? Reſpondeo: in Scriptura hæc quatuor funebria conuiuia reperiuntur: *panis luctus & doloris ſiue conuiuium luctus; cœna mortui; Dapes ſepulchrales; & epulum funebre.* De quibus omnibus quomodo, & quatenus inter ſe diſtinguerentur ſuo loco fuſiùs; breuiter autem nunc ſatis ſit, tria poſteriora inter *Parentalia* tantum comprehenſa; primum nequaquam; nam vt dixi, *panis luctus* non erat cauſa mortui, aut in honorem ipſius; ſed tantum ob ſuperſtites, & illorum cauſa. Notanda eſt autem in hoc Scripturæ phraſis cum dicit, *non frangent inter eos lugenti panem*; in qua duplex hebraiſmus. Primus in voce *panis*. Secundus in voce frangendi. Nam panis hic eſt, quodcunque edulium; *& frangere* eſt ſimul cum alio comedere, cui partè cibi communices quo tu veſcaris; illúmque inuitare ad manducandum, comedendo. Quod cum lugentibus neceſſarium omnino eſt; Cogendi enim ſunt, & hoc non aliter, quam illis præeundo. De ſecundo Ieremias non dicit. Panem luctus frangi ſuper mortuum: ſed tantum mentionem facit conſolationis ſuper mortuo; quæ verè incipiebat præſente adhuc cadauere vt ſupra indicaui.

b In Cap. 16. Ierem.

c Ibidem.

Quod verò paulò ante dixi genus hoc ſolatij in tali *fractione panis*, mihi videri peculiare fuiſſe populo Iudaico: non intelligo vt ibi ſignificaui de abſtinentia à cibo quaſi ea in ſolemni tantum Hebræorum luctu vſurpata: neque etiam de adhortatione aliorum ad veſcendum: vtrunque enim etiam apud alios: ſed quod ſolemni more ſolatores *panem* & certa edulia lugentibus apponerent in eorum domo; id mihi in Iudæis peculiare videor obſeruare. Nam quod apud Petronium habetur de matrona Epheſina ad quam alius cibos infert, vt eam conſoletur; non eſt accipiendum quaſi ex more, & ritu factum ſed caſu potiùs, & oblata occaſione. Hæc ergo alij in cognatos defuncti, nunc de iis quæ cognati ipſi in honorem, & memoriam mortuorum, & ad affectum erga illos conteſtandum; & primò de Domo funeſta.

Capvt III.

Ad loc. Eccleſ. 7.

Melius eſt ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij.

Defuncti cognatos dolorem ſuum maximè teſtatos lugubri habitu, & domo funeſta. Hæc domus luctus Iudæis propriè appellata, certis indiciis dignoſci ſolita; quæ illa, & ad quid? in ſacris & prophanis literis cur pro eodem habitum in tenebris, & mœrore verſari.

Domus in qua quis recens mortuus, & ex qua fuerat elatus in Scriptura appellatus domus luctus. A Latinis, & bonis auctoribus domus

a Cap. 7. domus de qua in Eccleſiaſtico[a]. *Melius eſt ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij*, & ſubdit rationem, quæ ſignificat *domum luctus* eſſe domum *funeſtam*. *Quia*, inquit, in illa finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quod futurum ſit. Funeſtæ autem domus indicia plura erant.

Primò feneſtræ clauſæ & omnes aditus lucis. b Quæſt. 22. Nazianzenus[b] in oratione de Machabæis inducens illorum matrem ea omnia reſpuentem, quæ ſolent aliæ in morte filiorum; ſic loquentem facit. *Non comam laniabo; non veſtes ſcindam; non carnes vnguibus lacerabo; non luctus excitabo; non luctus ſocias accerſam, non tenebras concludam; vt ipſe quoque aër mecum lugeat; non conſolatores expectabo, non panem lugubrem apponam.* Hic enim cuncta recenſet ritè in luctu ab aliis vſurpata; in his feneſtrarum occluſionem. Non tenebras, inquit, concludam. Quod nunc paſſim & olim etiam apud alios obſeruatum. Amat enim tenebras dolor; vt lucem lætitia: nec quiſquam eſt qui non aliorum aſpectum fugiat; dum mœrore deprimitur. Propterea in ſacris, & profanis literis. *in tenebris ſqualore, & ſordibus iacere*. idem eſt quod in luctu, & mœſtitia verſari.

Secundò in domo funeſta nihil coquebatur; ac proinde focus, & culina frigebant; nullus fumus; aut nidor exhalabat, & hoc non ſolum apud Iudæos, ſed apud alios etiam. Apud Apuleium[c] c lib. 2. Metamor. fœmina neſcio quæ ad illum, qui mortuum cuſtodierat, & cœnam expectabat, *Abi*, inquit, *fatue qui in domo funeſta cœnas expectas in qua tot iugis iam diebus, ne fumus quidem vllus eſt viſus. Fatuum enim appellat*, quod ignoraret, aut non cogitaret in *domo luctus* cœnas non parari ad quod alludit Iuuenalis[d]. d Sat. 3.

Tunc gemimus caſus vrbis, tunc odimus ignem.

Vbi vetus interpres: *nec focum noſtra domo fieri patimur quod, & lugentes obſeruare ſolent.*

Tertiò erant ad fores, & ante oſtia certa alia indicia, ex quibus funeſta domus cognoſcebatur: & id ne temere in illam ingrederentur, qui ex tactu, & aſpectu mortuorum contaminabantur: quod apud Hebræos, & alios ſeruabatur. e In 4. Æn. Romani cupreſſi ramos figebant. Seruius[e] Æneid. *Romani moris fuit propter ceremonias ſacrorum, quibus populus Romanus obſtrictus erat; vt potiſſimum cupreſſus, qua exciſa renaſci non ſolet in veſtibulo poneretur; ne quis imprudens funeſtam domum rem diuinam facturus introëat; & quaſi attaminatus ſuſcepta peragere non poſſit.* Vnde de eadem arbore Plinius Diti ſacra; & ideo funebri ſigno ad domus poſita præter cupreſſum, & picea ad id erat. f li. 16. c. 10. Idem Plinius[f] picea montes amat, ac frigora funebris arbor, & funebri indicio ad fores poſita ac regis virens. Græci verò apparebant quoque ad ianuam luſtralem aquam in vaſis propriè ad hoc munus dicatis, de g lib. 8. init. quibus apud Pollucem[g]. In principio; qua aqua ex domo non funeſta allata, qui egrediebantur ex luctuoſa domo aſpergebantur; vt ſi quid polluti eſſent ex officio illo funebri expiarentur. Præter aquam erat quoque flocculus capillorum in foribus appenſus; qui ex mortuo ipſo deſecti fuiſſent. Vtrorumque tam aquæ quam capillorum meminit Euripides in Alceſtidem vbi Chorus ſic loquitur.

Non video ante portam vt lex eſt fontana lauacra,
Pro mortuis in porta; nulla coma deciſa eſt in veſtibulo
Quæ accidunt in luctu mortuorum.

Capvt IV.

Ad locum 2. Reg. 11. 26. Audiuit vxor Vriæ quòd mortuus eſſet vir ſuus, & planxit eum tranſactóque luctu, *&c.*

Solemnis argumenta luctus apud Iudæos curſim hic expoſita, latiùs alibi explicanda: de tempore quo ille legitimè abſolueretur accuratiùs actum: varium illud à variis aſſignari: ſeptem dies Iudæos in id tribuiſſe, aliter Romanos, quibus ſolemnis luctus anni ſpatio claudebatur, nubere quàm coniugi liceret à morte coniugis: leges ad id quæ faciunt adductæ & explicatæ.

NOn ſolùm autem mœrorem ſuum domeſtico cultu teſtabantur: ſed in ſe ipſis certis & ſolemnibus indiciis luctus aſſumptis, quæ hic tantùm curſim libabimus, vbi de luctu in vniuerſum agemus fuſiùs exequuturi.

Erant ergo hæc omnia argumenta luctus, primò *veſtis mutatio* ex ſplendidiore ſcilicet in obſoletam; quæ plerumque materia ex ſacco; colore nigro, & pullo; forma lacera, & præciſa. Secundò Capillus erat impexus demiſſus ſqualens in viris, raſus in fœminis. Tertiò caput puluere ſordidatum. Quartò rarus proceſſus in publicum; & quando erat cum habitu luctuoſo. Quintò abſentia ab omni celebritate præſertim à Conuiuiis, nuptiis, ludis. Quæ omnia vt diximus explicabimus fuſiùs, & illuſtrabimus cum de communibus luctus indiciis agemus. Hic tantum propriè quærendum de tempore huius ſolemnis luctus; quamdiu ſcilicet is protrahi ſolitus.

De Hebræis ſunt qui exiſtiment illis menſem vnum ad legitimũ luctum definitum. Colligũt ex Deuteronomio[h]. Vbi Moſes ſic de captiua loquitur. h Cap. 21. 13. *Deponet veſtem, in qua capta eſt ſedenſque in domo ſua flebit patrem, & matrem ſuam vno menſe, & poſtea intrabis ad eam dormieſque cum illa, & erit vxor tua.* Quæ verba Ioſephus quaſi enarrans ſic ait. *Non ante ius eſto cubile eius tangere quam raſo capite ſumptoque lugubri habitu cognatos, & amicos in bello amiſſos deplorauerit.* Et paulò poſt, *elapſis autem luctus triginta diebus, tot enim ſapienti ad deplorandos caros ſufficiunt; tunc nuptiis dare operam liceat.* Verum ex hoc loco nihil colligitur in vniuerſum; ſed tantum de tempore luctus, quod captiuæ mulieri concedebatur antequam legitimis nuptiis copularetur. Exiſtimo ergo legitimum lugendi tempus quod non liceret ſine nota contrahere; liceret tamen producere, fuiſſe ſeptem dierum. quod indicaui in Commentariis ad libros Regum. Vbi de Luctu[i] Bethſabeæ. i lib. 2. Reg. cap. 11. Certum enim quoddam, & legitimum tempus fuiſſe lugendi clarè in eo capite his verbis ſignificatur. *Tranſacto tempore luctus miſit David, & tulit eam.* Nec mirum id apud Iudæos; quando omnes aliæ gentes legitimum aliquod tempus in hoc habuerunt. *Legitimum*,

inqoam id eſt lege finitum, quæ aut conſuetudine, aut edicto valeret. Vnde toties mentio legitimi temporis in his lachrymis. Apuleius. *Adhuc formoſus Lepolomus* (prior maritus) *in meo viuit pectore : boni ergo, & optimi conſules ſi luctui legitimo miſerrimæ fœminæ neceſſarium conceſſeris tempus.*

At verò tempus hoc apud Iudæos ſeptem ſaltem dierum ſpatio definitum, colligo cum Ianſe-
a Cap. 22. nio ex Ecclesiaſtico [a], *vbi ſeptem dies luctus* aſſignantur, quos ſcilicet non explere nulli licebat, præterire autem omnibus. At captiuæ luctus menſe definitur. Primo peculiaris illa lex erat, & alienigenis poſita, non Iudæis de quibus agimus. Secundo fortaſſe ſtatuitur; ne vltra menſem producatur luctus; non vt illum expleat. alios autem potuiſſe pro cuiuſque arbitrio, ſeptem diebus tranſactis, luctum finire, aut producere; colligo quod in Scripturis vbi diuerſorum luctus recenſentur ſemper ferè variatur in modo, & tempore, quo perdurauit; quod argumentum
b 2. Reg. 11. eſt, vt benè obſeruat Lyranus [b] nihil certi apud illos quod ad hoc conſtitutum.

Apud alias verò gentes ſecus erat. De Romanis hanc legem refert ex Paulo iuriſconſulto
c lib. 21. obſeru. c. 22. Cuiacius [c]. *Parentes, & filij maiores ſex annis, anno lugeri poſſunt; minores menſe; maritus decem menſibus, & cognati proximioris gradus octo, qui contra fecerit infamium numero habeatur.* Et hoc in vetere Republica & ſtante adhuc Romani Imperij maieſtate. Tunc enim tempus legitimum vxori lugendi virum annus erat, qui quia decem menſibus conſtabat, totidem luctus abſol-
d lib. 1. faſt. uebatur. Ouidius [d].

Quod ſatis, & vtero dum matris prodeat infans,
Hoc anno ſtatuit temporis eſſe ſatis.
Per totidem menſes à funere coniugis vxor
Suſtinet in vidua triſtia ſigna domo.

Triſtia ſigna dixit, quæ ſunt inſignia luctus, & cultus lugubris; de quibus ſuo loco fuſius. De eadem autem re Plutarch. in Numa : *longiſſimum autem luctus tempus decem menſibus terminauit : quod ſpatium à morte viri viduis præfinitum quoque eſt abſtinendi à ſecundis nuptiis.*

Obſeruandum autem contrariam aut diuerſam ab Hebræis. Illis enim vt diximus *ſeptem dies luctus* aſſignati; non quos non liceret excedere; ſed quos fas non eſſet omittere. Contra verò annuum ſpatium Romanis; non quod totum explerent; ſed vltra quod luctum non ex-
e Epiſt. 63. tenderent Seneca [e]. *Annum fœminis ad lugendum conſtituêre maiores; non vt tamdiu lugerent, ſed ne diutius.* annum dixit; quia vt monui antiquis decem hic menſibus abſoluebatur. At viris
f Ibidem. nullum tempus finitum. Idem Seneca [f]. *Viris nullum legitimum tempus eſt quia nullum honeſtum,*
g l. 9 ff. de his qui not. inf. & in Iure Ciuili [g] *vxores viri lugere non compelluntur.* Miror autem quod vniuersè à Seneca pronontiatum : vxores diutius lugere non potuiſſe; minus definito illo ſpatio potuiſſe. Adeo enim illæ ad id compulſæ, vt infamia notarentur, quæ non expleſſent, & ante illud tempus, nupſiſ-
h l. 11. de ſec. nupt. ſent; vt extat in Codice Theodoſiano [h] & nos in-
i Cap. 11. loc. cit. dicauimus ſecundo Regum [i]. Sed fortaſsè dici poteſt poſteriori iſtud æuo valuiſſe; loquutum autem Senecam de maiorum inſtitutis, quibus liberum fortaſsè fuit luctum illum contrahere; quod non licuit æuo poſteriori : niſi dicamus in cæteris libertatem fuiſſe, non in nubendo. Prius enim nubere non licuiſſe defuncto viro; quam anno tranſacto. Cæterum quicquid de hoc ſit; poſteriori tempore omnia iſta abrogata ſunt, & in arbitrio poſitum quantum, & quis vellet lugere ſine vlla nota. Refert hoc Cuiacius adductus & ſimul legem ex Triboniano. *Parentes, & liberi vtriuſque ſexus; nec non cæteri agnati, vel cognati; ſecundum pietatis rationem, & animi ſui patientiam prout quiſque voluerit lugendi ſunt; qui autem eos non eluxerit non notatur infamia,* quod tamen intelligendum tantum de infamia lege non opinione hominum contracta. Quis enim infamem illum non habeat, qui calente adhuc lecto ex prioris vxoris veſtigiis aliam inducit? aut qui nuptias celebrat funere adhuc patris in oculis conſtituto? Et hæc de tempore luctus : reliqua, quæ ad hoc infra.

Capvt V.

Ad loc Eccl. 30. 18. Bona abſcondita in ore clauſo quaſi appoſitiones epularum circumpoſitæ ſepulchro.

Sepulchrales epulæ in triplici differentia: de ſingulis diſtinctum, & explicatum. Cœna mortui quid : vbi, à quibus, & quibus parata. A cœna ferali quomodo diſtincta: panem cibumque lugentium perperam cum cœna mortui & Parentalibus à nonnullis confundi. Ieremias, Baruch, Auguſtinus, & alij ab hoc ritu illuſtrati.

Parentalia, vt ſupra indicaui, primò dicta ſunt officia, quæ filij parentibus defunctis perſoluebant : & *parentare* erat iuſta illis celebrare. Iuſta autem hæc autonomaſticè appellata, quod nihil æquius ſit his officiis erga mortuorum manes. Deinde vero laxato vſu vocabuli quæ non ſolum filij parentibus; ſed parentes filiis, & cognati quicunque neceſſariis funebria munera deferebant; *parentalia, & iuſta* ſunt appellata; intelligendo per hæc quicquid ad funerationem ipſam pertinebat. Præcipue autem quæ poſt illam in defunctum, & ſepultum honoris ipſius cauſa exhibebantur qualia in primis erant : *Epulæ. Ludi. & frequentatio ſepulchri.* De quibus nunc agemus & primo de epulis.

Epulæ ergo funebres in triplici differentia erant apud Hebræos, & etiam apud alios : primo enim erat *cœna mortui*, ſecundò ſepulchrales dapes, tertio *conuiuium illud funebre*, περίδειπνον *Peridipnon*, Græcis eſt appellatum.

Cœna mortui erant edulia, quæ ad ſepulchrum deferebantur, & ibi relinquebantur; quaſi illis mortuorum manes, & vmbræ veſcerentur. Quam ſuperſtitionem ſine dubio ethnicorum propriam, incredibile fortaſsè cuipiam fuerit apud Iudæos etiam valuiſſe; valuit tamen vt colligitur ex multis Scripturæ locis qui ad hunc ritum alludunt. Aperte in Eccleſiaſtico [k], *bona abſcondita in ore* k Cap 30. 18
clauſo quaſi appoſitiones epularum circumpoſitæ ſepulchro. Loquitur hoc loco ſapiens de ægrotante cui pretioſa fercula apponuntur, quæ guſtare non poteſt. Vnde alij vertunt, *ferculum ſplendidum palato ægroto propoſitum perinde eſt vt cibi poſiti ad buſtum ſepulchri.* Hoc eſt enim *abſconditum bonum* : electum, ſegregatum, ſepoſitum & proinde pretioſum. *Clauſum* autem *os* appellat

Digitized by Google

appellat ob cibi faſtidium. Sic ergo ſe habere dicit cibum pretioſum appoſitum ægroto non comedenti: vt epulæ quæ apponuntur ad ſepulchrum. Vt enim iſtæ ad eos inferuntur, qui iis veſci nequeunt; ita, & illa: qua re clatè ſignificat, ſolitum dapes aliquas ſepulchris inferre cum aliqua perſuaſione, vt eos manes guſtarent defunctorum. D. Auguſtinus, quomodo id ſe habuerit
a Serm. 15. de Sanct. tangit, & carpit [a]. *Miror quod apud quoſdam infideles hodie tam pernicioſus error increuerit; vt ſuper tumulos defunctorum cibos, & vina conferant; quaſi egreſſa de corporibus anima corporales cibos requirant, &c.* has autem epulas *cœna mortui* nomine appellatas exiſtimo apud Baruch,
b Cap. 6. 31. [b] *Rugiunt autem clamantes contra Deos ſuos quaſi in cœna mortui.* Loquitur enim de clamoribus prophanorum Antiſtitum, ad falſos Deos; quos comparat rugitibus qui edi ſolent *in cœna mortui* quam enim intulerant ſuperſtites, & ſuper ſepulchrum ſtatuerant lamentationibus, & eiulatibus cuncta complebant; vacuo deinde ventre diſcedentes. Signanter autem *cœna mortui* Quam cum intulerant ſuperſtites, & ſuper ſepulchrum ſtatuerant lamentationibus, & eiulatibus cuncta complebant vacuo deinde ventre diſcedentes. Signanter autem *cœna mortui* appellata; quod ex ea fas non putarent quicquam guſtare viuentes: vt tota; & integra mortuis cederet, quibus fuerat parata.

Hanc autem cœnam alij aliter inſtruebant. Qui enim ſuos cremabant, illam cadauere iam fermè conſumpto, & flammis languentibus, rogo ſuperiniiciebant. ad quod illud accipiendum eſt
c De Reſur. cap. 1. eſt Tertulliani [c]. At ego magis ridebo vulgus tunc quoque cum ipſos defunctos atrociſſimè comburit. quos poſtmodum guloſiſſimè nutrit; iiſdem ignibus & promerens, & offendens. Quæ
d lib. 8. verba lucem accipiunt ex hoc Virgilij [d]

Congeſta cremantur
Thurea dona dapes fuſo crateres oliuo

Dapes enim rogo ingeſtæ dum cadauer crematetur, & oſſibus ritè collectis, lapideque conditis vinum ſuperfuſum: ne ſcilicet tam longum, & ignotum iter aggreſſos mortuos ſine viatico dimitterent, & commeatu. At alij qui ſine combuſtione ſepeliebant ſuper ſepulchrum ipſum *cœnam* hanc *mortui* collocabant quales erant Iudæi Babylonij, & ex Romanis, qui ſuos non combuſſiſſent; & ex iis, qui combuſſerant, etiam nonnulli, qui non contenti dapibus rogo ingeſtis noua inſuper cœna ſepultos proſequebantur. Hanc autem vt ſupra dicebam nefas fuiſſe aliis attingere, colligitur, quia tota mortuis dicata erat, quæ autem iis iam dicata piaculo habebatur in vſum viuentium aſſumere: & propterea; quia; quæ de menſa cadebant, mortuis conſecrata arbitrabantur, religio erat illa tollere, vt docet Athenæus, ex illis autem reliquiis, vt iam quaſi inter mortuos computatus optabat, Lazarus ille Euangelicus ſaturari. Et inde quod malè & peſſimè audirent omnes, qui ex illis cibis guſtare auſi, aut quicquam rapere, extat adhuc Catulli, Epigramma, quod lucem iis, quæ diximus maiorem dabit.

Vxor ne Meni ſæpe quam in ſepulchretis
Vidiſtis ipſo rapere de rogo cœnam;
Cum deuolutum ex igne proſequens panem
A ſemiraſo tunderetur vſtore.

Ex his autem facilè conſtare poteſt minus rectè ſentire, qui *cibum panemque lugentium*, de quo ſæpius in ſcriptura, *cœnam mortui* interpretantur, vt illud aſt Ezechielis [e] vbi Deus Prophetæ,
e Cap. 27. 17 f Cap. 6. 4. *nec cibos*, inquit, *lugentium comedes.* Et Oſeæ [f] *ſacrificia eius quaſi panis lugentium*, & ſæpiùs commemoratus locus Ieremiæ [g]. *Non frangent in-*
g Cap. 16. *ter eos lugenti panes ad conſolandum.* Nam panis lugentium viuorum erat, & domi inter mœrores, & lachrymas parabatur, & aſſumebatur. At *cœna mortui* tantum ad manes defuncti pertinebat, quibus tota cedebat. Conſtat præterea cur Baruch loco citato huic *cœnæ mortui* tribuat *rugitum, & vociferationem*: ea enim illata & ſepulchro impoſita maxima contentione defuncti manes proprio nomine compellabant, quos ſic ad veſcendum inuitatos & excitatos tradit Epiphanius in Ancorato: *poſt illationem, inquit, ciborum ad ſepulchrum inſolentibus clamoribus nomina defunctorum alta voce proferunt dicentes ſurge et comede, & bibe.*

Capvt VI.

Ad locum Tob. 4. 18. Panem tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue, & noli ex eo manducare cum peccatoribus.

Sepulchrale Epulum vt à cœna mortui diſtinctum, à quibus, ad quid, & vbi paratum: ab honeſto prius officio deductum: in quos deinde prauos degenerauerit: coniunctas illi aliquando publicas ciborum diſtributiones: viſceratio quid. Chryſoſt. & plures alij explicati.

POſt cœnam mortui ſequebatur epulum ſepulchrale quod cum ea conueniebat; quatenus vtrumque ad ſepulchrum parabatur; hoc tamen diſcrimine: quod illa defunctis in totum, & laruis cedebat: in iſto vero dapes tantum illis libatæ à viuis poſtmodum abſumebantur. Qua de re frequens ſermo apud ſacros, & prophanos auctores. Erat autem ad iſtud epulum menſa illa potiſſimum deſtinata, de qua nos ſupra ex Cicerone: cum docuimus ex præſcripto Demetrij omnia alia ornamenta ſepulchris ademptà; præter menſam, & *columellam*. Clarè autem ad hoc epulum alluditur in Tobia [h]. Panem
h Cap. 4. 18 tuum, & vinum tuum: ſuper ſepulturam iuſti conſtitue, & noli ex eo manducare cum peccatoribus. Suſceptus autem is ritus eſt in Chriſtiana Eccleſia, & diu deinde in illa ſeruatus: ſed cum per eam occaſionem ſuperſtitioſa multa & fœda in mores irrumperent à SS. PP. & etiam à nonnullis Conciliis repudiatus eſt, & ſeuerè reiectus. Id autem cum agunt, & acrius obiurgant: ſimul etiam indicant vnde ortum habuerit, quare ſuſceptus, quæ in illo ſeruata, & quomodo poſtea in prauum deflexerit.

Origo enim illi duplex primo vt ea ſpecie liberalitatis mortui nomen, & memoria vulgò celebratetur, & carior eſſet. Confluebat enim iis epulis allecta ad ſepulchrum copioſa multitudo, quæ deinde defuncti nomen grata celebritate vulgabat, & præterea pro illo preces, & vota Deo offerebat. Secũda illi ratio originis à cõſecratione epularum, quæ iis exiſtimabatur accedere ex appoſitione ſuper ſepulchra Iuſtorũ; præſertim martyrum. Propterea Tobias monet filium. *Panem tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue.* Primam cauſam

Digitized by Google

cauſam liberalitatis, & miſericordiæ exercendæ tradunt Patres dum indicant Religioni ſibi duxiſſe Chriſtianos veteres; ſi in ſuorum morte pauperes non conuocaſſent, & quidem ad ſepulchrum Chryſoſtomos[a] in ſecundam ad Corinthios. *Si filij, vel fratris defuncti facis commemorationem terrore concuteris conſcientiæ; niſi conſuetudinem impleas & pauperes conuoces, cur Presbyteros, vt pro eis velint orare obſecras? non ignoro te reſponſurum vt defunctus requiem adipiſcatur; vt propitium iudicem inueniat.* Quò & ad quid pauperes conuocabant ad ſepulchra & vt iis largè veſcerentur quæ poſita ſuper ſepulchrum.

a Hom. 27.

Ab hoc autem pio ſtudio, in quas Sacrilegas obſcœnitates degenerauerit audi Gaudentium[b]. *Nam gula ſua cauſa primum cœperunt homines prandia mortuis præparare, quæ ipſi comederent: poſt hoc ſacrificia auſi ſunt eis ſacrilega celebrare, quamuis nec ipſa mortuis ſuis minus ſacrificent parentalia; dum ſuper ſepulchrorum menſas tremulis ebrietate manibus vina fundentes ſpiritum balbutiunt.*

b Serm. 4.

Affine autem his dapibus ſepulchralibus erat publicum epulum ſiue publica ciborum distributio in honorem defuncti; quæ non paſſim à quouis vſurpabatur; ſed ab opulentioribus, & ditioribus: cum ſepulchralis inuitatio omnibus fermè eſſet vſitata. Qui enim aliud non habebant, ſuper menſam ad ſepulchrum vinum, & panem apponebant. At hoc publicum epulum ingentes planè opes poſtulabant; quas & nonnunquam exhauriebat; cum per eam occaſionem multi fuerint apud Hebræos ad extremam inopiam redacti. Ioſephus[c], de Archelao Herodi patri exequias celebrante *Diebus ſeptem*, inquit, *in lugendo patre conſumptis, epuliſque feralibus prolixè populo exhibitis, hic autem mos apud Iudæos neceſſario multos ad inopiam redigit: nam qui eum neglexerat impius exiſtimabatur, candida veſte indutus procedit ad templum*, &c. Differebat autem hoc publicum epulum à ſepulchralibus dapibus. Primò quod eæ ad ſepulchrum ipſum parabantur; vt ea occaſione manes defuncti & monumentum frequentaretur: hoc vero epulum alibi exhibebatur. Secundò illæ non admodum pro magna multitudine inuitatorum erant, iſtud verò, vt plurimum omnes promiſcuè admittebat quicunque accederent. Vtriuſque clarè meminit Euſtratius ad illud Homeri[d] vbi de funere Patrocli.

c lib. 2. de bel. cap. 1.

d lib. 8. Iliad.

At ille (Achilles) hic epulum ſepulchrale præbebat.

Diſtinguit eo in loco Euſtratius duplex genus feralis conuiuij, alterum quod ad ipſum ſepulchrum agitabatur propriè τάφος *taphos*, id eſt, *ſepulchrale* dictum. Alterum verò quod longè à ſepultura in memoriam tamen ſepulti, & περίδειπνον *peridipnon* dicebatur, quod Latinis teſte Hieronymo[e] *parentatio* nuncupatur. Huius aliæ duæ ſpecies erant; *publica & priuata*: publica epulum de quo nunc agimus: priuata id quod propriè conuiuium funebre; de quo paulò poſt. Porrò publica illa inuitatio ratione celebritatis bifariam exercebatur. Aliquando enim publicè menſis, & tricliniis diſpoſitis populus, qui promiſcuè accedebat excipiebatur: aliquando ſibi ipſi, & edulia diſtribuebantur, quæ quiſque ſecum domum ſuam ferret; & ea propriè *viſceratio* appellata à carnibus in ea diſtributis. De publico autem accipiendum quod clarè docet Ioſephus loco cit. *apud Iudæos illud adeò frequens, vt multos ad inopiam redigeret.* Vſitatum autem illud aliis omnibus, in primis vero Græcis, & Romanis iam indicauimus. De Græcis clarè ex Homero[f] habemus in funere Patrocli.

e in Ierem. cap. 16.

f lib. 18. cit.

Diſcubuerunt apud naues veloci pede Achiui
Infiniti; at hic illis epulum funebre lautum inſtruxit
Multi boues candidi mugiebant circa ferrum
Dum iugularentur.

De Romanis vero res multò teſtatior. Liuius[g] P. Licinij funeris cauſa ludi funebres per triduum facti; poſt ludos Epulum, in quo cum toto foro ſtrata triclinia eſſent, tempeſtas repente orta coëgit pleroſque tabernacula ſtatuere in foro & Cicero[h]: *Tubero*, inquit, *cum Epulum Quintus Maximus Africani patris ſui nomine populo Romano daret, rogatus eſt à Maximo, vt triclinium ſterneret, cum eſſet Tubero einſdem Africani ſororis filius: atque ille homo eruditiſſimus, ac ſtoicus ſtrauit pelliculis hœdinis lectulos punicanos, & expoſuit vaſa Samia, quaſi verò eſſet Diogenes Cynicus mortuus, & non diuini hominis Africani mors honeſtaretur.* Notandum autem hîc cur hoc Epulum *publicum* dictum: nimirum, & quia in publico nonnunquam apparatum: Et quia ſi non in publico; ſemper omni populo qui confluerat exhibitum. Propterea Homerus *turbam infinitam* promiſcuè acceſſiſſe ſcribit. Liuius autem triclinia in foro diſpoſita. Cicero *populo* diſertè exhibitum: id eſt omnibus quotquot vellent accedere; quod valdè mirum, & ingens argumentum priſcorum, vel liberalitatis vel profuſionis; & eo magis quod nonnunquam altera illa ſpecies coniuncta vt ſimul cum epulo viſceratio præberetur. Liuius loco proximè adducto de P. Licinij funere. *Viſceratio*, inquit, *ea cauſa data, & gladiatores ſeptuaginta pugnarunt, & ludi funebres per triduum poſt ludos epulum.* idem Liuius[i] de Tito Flaminino munus gladiatorum mortis cauſa patris ſui cum viſceratione, & ludis ſcenicis dedit quatriduum, Cornelius Nepos de Quinto Fabio Rutiliano. *Mortuo huic tantum æris populi liberalitate congeſtum eſt; vt inde filius viſcerationem & epulas publicè daret.* Viſcerationem autem largitionem fuiſſe, qua Populo caro multorum animalium diſtribuebatur ex Seruio habemus lib. 7. Æneid *Viſcera*, inquit, dicimus non tantùm inteſtina ſed quidquid ſub Corio eſt.

g lib. 39.

h tom. 3. orat. pro Murena.

i lib. 41.

CAPVT VII.

Ad locum 2. Reg 3. 31.

Cùm veniſſet vniuerſa multitudo cibum capere cum Dauid clara adhuc die, iurauit Dauid dicens, ſi ante occaſum ſolis guſtauero panem.

Conuiuium funebre maximè celebre inter alias ferales epulas; à pane luctus à cœna mortui, à ſepulchrali epulo vt diſtinctum: vbi id, à quibus, & inter quos agitatum apud Iudæos, & alios: eius quoque veſtigium in Chriſtiana Eccleſia ſeruatum.

SEquitur denique maximè celebre conuiuium inter omnia feralia quod propriè

funebre

Digitized by Google

funebre epulum dicebatur, ſiue conuiuium diſtin-ctum *à pane luctus*; *à conuu mortui*, à publico epulo: domi enim agitabatur poſt aliquanto quam defunctus eſſet ſepulturæ mandatus, ab ipſis cognatis, propinquis, & amicis mortui, & nonnunquam ſingulis annis, vel menſibus ſtata, & ſolemni celebritate repetebatur in eiuſdem defuncti memoriam. De hoc clare habetur in Regum

a 2. Reg. 3. 31. historia [a]: *Cumque veniſſet vniuerſa multitudo cibum cupere cum Dauid claro adhuc die, iurauit Dauid dicens, hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi ante occaſum ſolis guſtauero panem, aut aliud quicquam.* Paratum enim à Regiis miniſtris fuerat recepto more funebre conuiuium; ad quod cum vniuerſa multitudo, quæ adeſſe debebat; iam conueniſſet, iurauit Rex Dauid ſe quicquam comeſturum, niſi poſt *occaſum diei* ex quo loco ſimul diſcimus conuiuia huiuſmodi certum tempus non habuiſſe, quo poſt ſepulturam defuncti celebrarentur: niſi quod arbitrari poſſumus, quo defunctis magis coniunctus erat eò diutius dilata. Hic enim quia Abner nulla propinquitate Dauidem attingebat, ſtatim ab exequiis redeuntibus conuiuium funebre fuerat apparatum; at apud Græcos ſolemne erat triduum tranſmittere ſine cibo, ſaltem qui aliis conſciis ſumeretur. propterea illis funebre conuiuium, quod propriè, vt teſte Euſtratio vidimus *περίδειπνον peridipnon* dicebatur nō niſi tranſacto triduo parabatur à propinqui morte. De qua re Lucianus lib. de luctu extremo, *iamque adſunt neceſſarij vt defuncti parentes conſolentur; ſuadentque vt cibum capiant: quamquam iſti per Iouem non inuiti ad id compelluntur; cum perpetuum iam triduum enecti ſunt fame. At cupiunt quidem illi, ſed tamen pudibundi, verenteſque ne poſt cariſſimorum obitum videantur adhuc affectibus humanis commoueri.* Clarè autem ex Homero colligimus diſtinctionem huius Epuli à publico. Sic enim ille Iliadis vltimo in funere Hectoris.

Aggeſto à tumulo redibant atque deinde
Benè conuiuabantur ſplendidum conuiuium
Ædibus in Priami.

Qui autem iſti? non omnes promiſcuè; ſed acciti

b lib. 2. de legibus. & delecti, de quibus Cicero [b] Græcorum conſuetudinem referens, *ſequebantur epula, quas inirent propinqui coronati; apud quos de mortui laude cum quid veri erat prædicatum: nam mentiri nefas habebatur.* Vbi mirum ſit quod dicis *coronatos accubuiſſe.* Sed non mirabitur qui ſciet in habitum lætitiæ compoſitos conuiuia illa agitaſſe,

c In Vatin. & quidem *albatos.* Idem Cicero [c]: *Quis vnquam in luctu domeſtico, quis in funere familiari cœnauit cum toga pulla? cum tot hominum millia accumberent, cum ipſe epuli dominus ablatus eſſet tute cum C. Figulo atrato, cæteriſque tuis furiis funeſtum intuliſti.* Et hæc ſatis.

Capvt VIII.

Ad loc. Eſai. 65. 3. Qui immolant in Hortis & ſacrificant ſuper lateres qui habitant in Sepulchris.

Ludi & ſacrificia ad ſepulchra non ſolùm ab aliis ſed & à Iudæis ipſis vſurpata: qui illi eſſent apud externos? Gladiatorum, Circenſium, & Gymnicorum certamina. Nazianz. & alij explicati.

PRæter dapes erant quoque ſolemnes ludi ad ſepulturam vt ea quoque honoris ſpecie defuncti nomen & memoria honeſtaretur: de quorum vſu apud alias gentes ſatis conſtat ex proximè dictis. Et ſanè tradit Tertullianus lib. de Idololatria, & alio de ſpectaculis in quibus originem ludorum omnium, & apparatum proſequutus, omnes inſtitutos docet ad memoriam mortuorum celebrandam: apud Iudæos verò eoſdem etiam fuiſſe vſurpatos non dubito; quando conuiuia, quæ in *excelſis*, & ad ſepulchra celebrabant in Hortis, & amœnis nemoribus ſita, ludis & tripudiis concludebant; vnde tam crebra ludorum mentio, & ludentium, cum de conuiuiis agitur. Apud Ieremiam [d], *non ſedi in Conſilio ludentium.* Et iterum [e]. *Egredietur de eis laus voxque ludentium.* Et rurſus [f]. *Adhuc ornaberis tympanis tuis virgo Iſrael, & egredieris in choro ludentium.* In quibus locis omnibus ſermo eſt de publica lætitia, conuiuiis & ludis frequentata. d Cap. 15. 17 e Cap. 30. 19 f Cap. 31. 4.

Cæterùm qui eſſent hi funebres ludi, vt preſſiùs diſtinguamus præter tripudia, & ſaltationes trium generum fuiſſe reperio; Gymnicos, Gladiatores, & Circenſes; Gymnicos in quibus, lucta, curſu, diſco, Ceſtibus, propoſito etiam præmio decertabant. de quibus Nazianzen. in oratione ſuper obitu Cæſarij fratris; *Valeant*, inquit, *externorum certamina, & figmenta, per quæ miſeri viuentes ornari ſunt exigua exiguorum certaminum præmia proponentes: meum munus eſt oratio.* ad quæ verba hæc notat Elias Cretenſis. *Certamina, ea quæ prophani in mortuorum honore celebrabant, irrides, ac ſugillas: veteres quippe eos qui hinc exceſſiſſent, variis funebribus certaminibus honorabant; in quibus, qui vincerent parua ob magna certamina præmia referebant; alius oleæ ramum, vt in Olympiis; alius poma, vt apud Delphos; alius pini ramum vt in Iſthmo; alius denique apium, vt in Nemea qui autem certabant iuuenes erant.*

De *Gladiatoribus* præſertim apud Romanos notiſſima res eſt propterea enim ex illis certum genus erat, qui Buſtuarij appellabantur; quod ad defunctorum buſta decertarent; de quibus Tertullian. de ſpectaculis, & Seruius 10. Æneid. moris erat inquit, *in ſepulchris virorum fortium captiuos necari, quod pluſquam crudele viſum, placuit Gladiatores ante ſepulchrum dimicare, qui à buſti cineribus Buſtuarij dicti.*

De Circenſibus id eſt, ferarum venatione, & cæde habemus apud Dionem vbi Cæſarem tradit in filiæ ſuæ funere cædes, & gladiatorum pugnas exhibuiſſe. Cæterum illud admonendum hoc loco puto, fuiſſe hæc non quorumcunque ſed illuſtrium tantum virorum propria: nec enim cuicunque defuncto qui ſupererant cognati tales erant; vt ludos illi poſſent exhibere: ex quo feſtiuiſſimus iocus intelligitur ſerui illius in Amphitrione.

Viuo fit, quod nunquam quiſquam mortuo faciet mihi. Id eſt videns, & viuens ludor, & illudor, & de me ludi fient, & circa me quod nunquam mortuo mihi eueniet.

Capvt IX.

Ad loc. Marci 16. 1. Emerunt aromata vt venientes vngerent Iesvm.

Sepulchra ſolemni more frequentari. adiri, ornari ſolita: flores ſuper illa ſparſi cum

res

Digitized by Google

rei ſymbolum: odoramentis quoque perfuſa apud Christianos ex Hieronymo & Prudentio obſeruatum.

AT ſepulchrum ipſum non proximè poſt defunctum conditum; ſed ſtatis, & repetitis ſubinde temporibus floribus, & corollis ornabant, ea variis odoramentorum generibus aſpergebant. Et id non ſolum Gentiles & cæteri alij; verum etiam Chriſtiani ipſi: de Gentilibus fusè
a lib.14. tradit, & eruditè Lipſius in Tacitum [a]. Quod autem ad flores attinet; ad id erant in primis lilia, & roſæ: nimirum vt ex illis æui breuitatis omnes admonerentur, & ſimul intelligerent, *quæ citatiſſimè florerent, celerrimè macreſcere*. vt ait
b lib.21.c.1. Plinius [b]. Vtrumque florem coniunxit Vir-
c lib.6. gilius [c].

Tu Marcellus eris: manibus date lilia plenis
Purpureos ſpargam flores animamque nepotis
His ſaltem accumulem donis.

De Roſa autem illud Anacreontis huc alludit

Medicatur hæc & ægris,
Defendit hæc ſepultos.

Qua in re adeò inſanierunt nonnulli vt teſtamento cauerint quotannis ſepulchro ſuo roſas inſpergi: vetus inſcriptio Rauennæ apud Gruterum ſic clauditur.

Vt quotannis roſais ad monumentum deferant.

Quod vt dicebam Chriſtianis etiam vſitatum, teſtatur clare Prudentius; ritum etiam collaudans in Hymno de exequiis mortuorum

Nos tecta fouebimus oſſa
Violis, & fronde frequenti

Et D. Hieronymus in Epitaphio Paulinæ. *cæteri mariti ſuper tumulos coniugum ſpargunt violas, roſas, lilia, purpureoſque flores, & dolorem pectoris his officiis conſolantur.* nec mirum id videri debet: quando roſas ipſas, & alios flores non tantum contenti erant veros, & halantes ſepulchris inſpergere; ſed fictos etiam inſculpi curabant: vt nimirum ſymbolum eſſent imbecillitatis humanæ; de qua B. Iob [d]. *Homo natus de muliere, breui* d Cap. 1.
viuens tempore repletur multis miſeriis, qui quaſi flos egreditur, & conteritur. Aliquando autem flores iſti temerè congerebantur; aliquando etiam ſertis innexi; quibus ſepulchra ipſa coronabant; vnde & ad hoc tam frequens mentio *corollæ ſepulchralis*; apud Gentiles tamen, non apud Chriſtianos, quibus Religioni fuiſſe certos flores ſepulchris imponere, ex his Minutij colligimus in Octauio. apud quem Gentiles inter alia, Chriſtianis hoc obiiciunt: *coronas etiam ſepulchris denegatis pallidi, trepidi, miſericordia digni, ſed noſtrorum Deorum.* At floribus non contenti varia odoramenta, & pretioſos liquores adiungebant; quales erant ea opobalſamo, & aliis ſimilibus. Prudent. loco cit.

Titulumque & frigida ſaxa
Liquido ſpargemus odore.

Qualis verò hic eſſet liquidus odor D. Hieronymus indicat verbis quæ proximè adducta ſequuntur. *Pammachius noſter ſanctam fauillam, oſſáque veneranda eleemoſina balſamis rigat.*

DIGRESSIO TERTIA
DE PVBLICO ET PRIVATO LVCTV, ET RITIBVS IN VTROQVE SERVATIS.

Argumenti per ſumma capita diſtributio.

LIBER hic erit quadam latinia præcedentis, & eius quaſi coronidem continebit. Quid enim aliud & mortes, & funera, & mæſta domus ex amiſſione charorum requirere videntur; quam vt ſolemnia luctus proſequentes, ea omnia diſtinctiùs exponamus; quibus apud veteres totus hic ſuggeſtus oſtentatiſy doloris conſtabat? Id igitur hic exequemur diſſertationem totam hac ratione partiti.

Luctus, alius naturalis, alius aſcitus; ille eſt quem promit affectus; iſte, qui moribus inducitur; ille ad dolorem paſcendum, hic ad officium etiam perſoluendum; ille, vt omnia quæ à natura ſunt præcedit iſte ſubſequitur; ille typum præbet, hic ad illius imitationem conatur exurgere. De illo non hic nobis ſermo, ſed de altero; niſi quatenus ſolemnis luctus & indictus, æmulator naturalis & veri, quæ illius ſunt propria continet, illum dum tentat exprimere. Hic ergo luctus alius erat publicus alius priuatus; & vterque alius ſacer, alius ciuilis; ille ad Deum placandum cauſa religionis aſſumptus; hic ad officium humanitatis erga eos quibus aliqua neceſſitudine iuncti ſumus implendum. De omni ergo luctu, & ritibus in vnoquoque ſeruatis, hic accuratè dicturi, primò in vniuerſum explicabimus quare ſolemnis & legitimus luctus inductus ſit. Secundò. Qui lugerent. Tertiò quæ lugerentur, ſiue cauſa & occaſio luctus quotuplex eſſet Quartò quid in vnoquoque luctu ſeruaretur; in veſtitu, in cibo, domi, foris, & in reliqua actione vitæ.

CAPVT I.

a Eccle. 3. 4. Ad illa verb. Salomonis. [a] Tempus flendi, & tempus ridendi: tempus plangendi, & tempus ſaltandi.

Quare luctus legitimus & ſolemnis, & à quibus inductus.

INTER ea, quibus alternis vicibus humana vita iactatur, præcipuum locum obtinent mœror, & gaudium; ad iſta naſcimur, & vix ab vtero matris effuſi, iſtis excipimur; longè tamen prius & diutius à mœrore vexati, gaudio longo poſt tempore tranſmittimur; quod lachrymæ, riſuſque teſtantur. Ad illas enim mox natus infans abiicitur, riſu non niſi quadrageſimo [b] poſt die ſubſequente; magno [c] argumento longè illi vberiorem lachrymarum meſſem futuram quam gaudiorum. *Hominem*, inquit Plinius de natura conquerens, *tantum inter omnia animalia nudum, & in nuda humo natali die abiicit ad vagitus ſtatim, & ploratum; nullumque tot animalium aliud ad lachrymas, & has protinus vitæ principio. At Hercules riſus præcox ille & celerrimus ante quadrageſimum diem nulli datur.* Ad riſum ergo, & fletum cùm naturaliter homo naſcatur, neceſſe eſt mœrorem & lætitiam, quæ ſunt vtriuſque principium, inter ea computari, quæ ſuo genere

b Plin. lib. 7. proœm. Aug. lib. 21. ciuit. c. 14. Ariſt. 7. de hiſtor. animal. c. 10.
c Auguſt. hom. 10. ex 50. c. 10.

bona ſunt, aut certe media, & à Philoſophis adiaphora nuncupantur; in quibus exceſſus, aut defectus tantum, non opus ipſum damnatur, ſi nimirum quod poteſt abſolutè fieri, & eſt faciendum, minus, aut nimis fiat, quam pro ratione exigatur. *Quæ naturalia ſunt*, inquit Clemens, [d] *auferri non debent; ſed eis duntaxat modus, & conueniens tempus eſt adhibendum.* Mœror ergo & gaudium, luctus & riſus cùm naturalia ſint, omnino tolli ex hominum vita non debuerunt; ſed in illis cauendum, ne quid in exceſſu, aut defectu peccaretur. Et id ex variis circunſtantiis loci, temporis, cauſæ, perſonarum; *loci*, quia nec vbique nec nuſquam; *temporis*, quia nec ſemper, nec nunquam, ſed aliquando, & alicubi; *cauſa*, quia non ad ſingula quæ triſtia ſe nobis offerunt, nec ad nulla; *perſonarum*, quia non omnes, nec nulli, nec in publico paſſim ante omnium oculus, nec procul ſemper à cuiuſque conſpectu, ſed aliqui, & ante aliquos lugere poſſunt.

d Clem. Alex. lib. 2. c. 5 pædag.

Quemadmodum ergo certa gaudij tempora ſtatuta ſunt, in quibus riſui, luſibus, & ſpectaculis indulgetur; qui fructus, gaudij ſunt, & animi lætitia ſoluti: ſic luctus etiam tempora quædam ſunt publicè definita, quibus ex more recepto, qui tacita lex eſt, aut etiam lege lata, qui, quid, & qualiter lugere debeant, aliter apud alias nationes eſt inſtitutum. Ob id hoc loco ſapiens, *Tempus*, inquit, *flendi, & tempus ridendi: tempus plangendi, & tempus ſaltandi.* Quaſi clarius diceret, aliquando ridendum eſt, aliquando flen-

dum ; nec ſemper & vbique , nec nuſquam , aut nunquam. Ob id præſtare certum tempus vtrique ſtatuere , ad eum modum, quo etiam apud omnes gentes certa ſunt tempora,quibus homines veſcuntur ; & id ſiue publicè epulentur , ſiue priuatim paſcantur. Paſtus , & potus exemplum conſultò poſuimus:ſine iſtis non viuitur;nec ſine viſu & lachrymis vita traducitur ; vt tamen non ob id ſemper , & vbique cibus aſſumitur , & potatur;ſic nec ſemper , & quacunque de cauſa ridendum eſt,aut lugendum.

Opere ergo pretium fuit certa tempora moribus inducere, quibus lugeretur ; ſicut certa gaudendi tempora iam diximus definita,quibus ſpectaculis indictis , luſibus , & lætitiæ vacaretur. Sed tunc ſubit inquirere cur moribus inductum, vt non ſolum certo tempore , ſed ſimul , & in vnum quaſi collatis lachrymis lugeretur. Legitimus enim luctus ſiue is publicus, ſiue priuatus ſit,non ſeorſim , aut ſingulariter aſſumitur ; ſed à pluribus cùm priuatim , aut ab omnibus cùm publicè lugetur.

Eius rei quatuor cauſæ ſunt. Prima reſpicit ipſos lugentes. Secunda eos qui lugentur. Tertia cauſam luctus. Quarta luctum ipſum. Primò ergo in gratiam lugentium , & eorum vtilitatem, & commodum id factum eſt. Nam qui lugent, & ob aliquam calamitatem in mœrore ſunt , ij pondus Ætnâ grauius,aut ſupra ſe ſuſtinent , aut verſare coguntur. Cui autem dubium leuius onus omne reddi , quo plures ad illud ſuſtinendum conueniunt,aut geſtandum? D.Leo de mœrore loquens Apoſtolorum ex Magiſtri morte concepto , *Mors* , inquit [a],*Chriſti multam diſcipulorum corda turbauerat , & de ſupplicio crucis, de emiſſione Spiritus, de corporis ſepultura grauatis mæſtitudine mentibus , quidam triſtitia torpor obrepſerat.* Rectè *Grauatis.* Cur id ? quia mœror animi, ponderis incredibilis inſtar habet. Ingens ergo leuamen omnibus lugentibus accedit,quo plures ſe eſſe conſpiciunt eodem doloris æſtu iactatos. Et inde eſt quod in dolore & lachrymis amicos omnes quærunt, qui fletus aſſocient. Vnde is , qui eos non inueniebat , vicem ſuam querebatur dicens. [b] *Quæſiui qui ſimul contriſtaretur & non inueni.* Quaſi enim plures ſunt ad idem onus tollendum , quoties plures conueniunt ad eandem calamitatem deflendam.

a Serm. 1. de Aſcenſ.

b Pſal. 68. 21.

Secundò,propter eos qui lugentur , etiam luctus legitimus eſt inſtitutus , & qui per plures, & certo tempore,& ratione ſpargatur. Nam vel viui lugentur,vel mortui : *viui* , vt Rei,& qui in aliquo periculo ſunt,ad illud auertendum. *Mortui* , vt clari quique viri , & aliqua neceſſitudine coniuncti. Dubium autem non eſt quo quis à pluribus ritè lugetur, eo clarius habere teſtimonium virtutis ſuæ ,& amoris quo plures illum pro meritis proſequuntur. Vnde Cicero [c] tantopere alicubi gloriatur,quod Senatus, & Italia tota luxerit exilium ſuum , quod id eſſet argumentum certiſſimum gratiæ , qua apud Romanum populum pollebat. Quare meritò legitimus luctus , qui veri & naturalia doloris imitamenta continet,cùm mortuis , viuiſque tribuitur, *honor* ab omnibus appellatur : vt perinde ſit aliquem hoc luctu lugere,ac *honeſtare.*

c Orat. poſt red. in Senat.

Tertiò.Ex cauſa lugendi,quæ maximè cernitur in luctu ſacro. Hic enim ad Deum placandum ſuſcipitur in publicis malis,cùm hoſtes ingruunt cùm ſterilitas vrget , cùm peſtilentia ſæuit. Æquiſſimum autem eſt vt qui pariter affliguntur,accurrant omnes alacritate pari ad malorum remedia procuranda. Ob id in publica calamitate publicè luctus indicitur.

Denique propter ipſum luctum hoc inſtitutum. Vt enim lætitia mire ſe ipſam ſpargit & fundit ; nec vno tantum gaudet , quem inſidet; ſed plures poſcit. Vnde ille neſcio quis , neſcio quo gaudio præter expectationem potitus dicebat.

> [d] *Iamne erumpere hoc licet mihi gaudium ?*
> *Sed neminem curioſum interuenire nunc mihi,*
> *Qui me ſequatur quoquo eam rogitando enicet*
> *Quid geſtiam , aut quid lætus ſim,quo pergam,*
> *vnde emergam , vbi ſiem.*

d Terent. in Eunu.

Et hoc ille , qui nolebat ſine teſte lætari. Non diſſimiliter luctus & lachrymæ teſtes requirunt. Inareſcunt illico , niſi plurium in conſpectu ſpargantur : ob id inſtitutum vt quo diutius fletus & lachrymæ protraherentur , luctus hic ſolemnis aſſumeretur, in quo non veræ lachrymæ, aut dolor interuenit ; ſed imitamenta doloris. *Per lachrymas*,inquit Seneca [e], *argumentum deſiderij quærimus,& dolorem non ſequimur,ſed oſtendimus. Nemo enim ſibi triſtis eſt : clarius cum audiuntur gemunt ; & taciti, quietique dum ſecretum eſt,cum aliquos viderint , in fletus nouos excitantur.* Et hoc Seneca de vero , & naturali luctu, qui ſimul cum lachrymis celerrimè finitur , vt Quintilianus aiebat. Vt ergo clari viri non vno tantum die defleantur;vt parentes à filiis , chari quique à ſuperſtitibus diutius lugeantur , luctus legitimus eſt inſtitutus , in quo , vt ſupra dixi, verus dolor non ſemper ineſt, ſed ſigna doloris; vultus demiſſus, obducta frons , obſoleta veſtis, incultus habitus.

e Ep. 10. & 63.

Capvt II.

Ad verba Salomonis;

f Sap. 7. 3.

[f] Et ego natus accepi communem aërem, & in ſimiliter factam decidi terram, & primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans.

An ad riſum natus homo potiùs , quàm lachrymas? & vnde Philoſophis inualuerit illius naturam magis à riſu definire, quàm luctu.

HIc mihi non tempero quin eorum occaſione quæ proximè diximus,ab inſtituta ſemita tantiſper aberrem ; & hanc quæſtionem proponam , quæ me diu, & alios torſit , in qua quot anfractus , & latebræ ſint diſcutiendo conſtabit.

Videtur ergo proprius magis hominis eſſe fletus quam riſus ; ac proinde non *riſibilitas* , vt Philoſophi dicunt ; ſed *flebilitas* , vt eadem forma loquendi cum illis vtamur , eſſe proprietas hominis ſtatuenda. Primo, quia affectus hic eſt omnium primus,validiſſimus,& maxime diuturnus. *Primus*,quia mox vt homo naſcitur,ad fletus abiicitur ; ad quam rem teſte alio non indigemus,cùm ſibi quiſque ſit locupletiſſimus,& oculatus ; hominem tantum inter omnia animalia nudum,& in nuda humo natali die proiici ſtatim ad vagitus , & ploratum ; nullumque aliorum ad lachrymas , & has vitæ principio , vt ex Plinio dicebamus [g]. Ob id eleganter Lucretius hominem

g lib. 7. in proœm.

nem naſcentem naufrago comparat, qui fracto nauigio vi tempeſtatis in littus, omnium rerum indigus eiiciatur.

Tum porro puer vt ſæuis perfuſus ab vndis
Nauita, nudus humi iacet infans, indigus omni
Vitali auxilio, cùm primum in luminis auras
Nixibus ex aluo matris natura profudit
Vagitúque locum lugubri complet, vt æquum eſt
Cui tantum in vita reſtat tranſire malorum.

Eſt igitur affectus hic antiquiſſimus; ſed & *validiſſimus*; vt conſtat ex cauſis quas plurimas & iuſtiſſimas habent homines plorandi, cum nullas fermè, aut leuiſſimas habeant ridendi: & id, ſiue primordia ipſa vitæ, ſiue progreſſum inſpiciamus. *Primordia* quidem, quia nihil in illis habet infans, niſi dolendum. Quærit Alexander [a] Aphrodiſæus philoſophus peripateticus inſignis vnde ploratus hic homini tam præcox, vt vix natum tam effuſus excipiat. Cauſam phyſicam affert hoſpitij aſperitatem, in quod immigrat à materna aluo; in qua molliſſimè antea fotus, & grata caloris temperie rigatus, auræ poſtmodum frigidioris appulſu, & tractantium manibus durius longe verſatur; ob id fletus effuſus, & ſubitus, & pertinax. At aliam non phyſicam ſed ſymbolicam alij Philoſophi afferunt: plorare ſtatim ab ortu hominem, quaſi præſcium malorum, quæ ſibi ſunt in vita reliqua toleranda. Rectè Auguſtinus [b]: *Quis non exhorreat, & mori eligat, ſi ei proponatur aut mors perpetienda, aut rurſus infantia? Quæ quidem non à riſu, ſed à fletu orditur hanc lucem, quod quid malorum ingreſſa ſit, neſciens quodammodo vaticinatur.* Quod ipſum quem adduxi, Lucretius volebat.

Vagituque locum lugubri complet, vt æquum eſt,
Cui tantum in vita reſtat tranſire malorum.

a In Problemat.

b St. de ciuit. 14.

At in progreſſu vitæ, cauſæ plorandi longè plures, & iuſtiores ſunt. Si enim iuſta flendi cauſa eſt ſequentium tacita præſagitio malorum; quanto iuſtior ipſa mala cum veniunt? Quæ tot ſunt, tam multa, tam varia, tam luctuoſo catenata nexu, vt plane mirum ſit non hominem flere, ſed illum aliquando ſiccatis lachrymis à fletu ceſſare. *Quis*, inquit alicubi inſignis Orator [c], *interim miretur flere hominem? Hinc infantia incipit, in hanc nos neceſſitatem plerumque fortuna deducit. Quis eſt tam dies, qui non triſte aliquid & flebile nobis minetur? ſi nullam aliam cauſam lachrymarum haberemus conſpectus tamen hominum, & ratio mortalitatis poterant elicere fletus. Hæ amicitiæ, hæ propinquitates, hi congreſſus, hæc ſtudia, laudeſque intra breue temporis momentum occiduat, atque labuntur. Quotus quiſque tranſit dies, quo non ſaucij accipiamus?* Ob id pleriſque viſum librum illum qui oblatus Ezechieli [d] nihil aliud intus & foris continebat, *præter lamentationes, carmen & væ*, decurſum humanæ vitæ interpretari, quæ à fletu incipiens, per fletus decurrens, in fletus deſinit. Nam *carmen* ibi etiam eſt lamentatio & gemitus; ſed modulatus. Prima naſcentium vox, interiectio eſt dolentis: *vah* enim identidem infantes reſonant, à quo vagitus, & poſtea formata vox alia gementium *væ*; niſi velimus interpretis ſuo [e] tempore non obſcuri ſubtilitatem ſequi; qui curioſius obſeruauit, an verè, non diſputo, mares à *vah* ploratum ſuum auſpicari; femellas à *væ*; quaſi ſcilicet illi de Adam, iſtæ de Eua conquerantur, à quibus contracta nobis hæc ſeries malorum. Vtcunque tamen hoc ſit; certum ex his eſt, affectum plorandi, antiquiſſimum, & va-

c Quintil. Declam. 316.

d Cap. 2. 9.

e Robert. Holc. in Sapient. c. 7.

lidiſſimum omnium aliorum eſſe; & qui primus excipiat hominem iacentem, & vltimus omnium non deſerat morientem, aſſiduus, perpetuus, & nunquam interruptus.

Secundò, à ſanctis viris, & ab ipſo Chriſto Domino riſus in homine damnatur, & lachrymæ commendantur. Non ergo ridendi affectus proprietas eſt hominis dicenda, ſed plorandi. Quod enim proprium cuiuſque eſt, id ſi ſequitur, culpandus non eſt. Cani latratus adſcribitur, hinnitus Equo, volatus auibus: & ſi de rebus inanimis loquamur, ignis eſt proprium comburere, lapidis deorſum ferri: cui autem dubium cum hæc ab illis vſurpantur, adeo ea deteriora non fieri, vt etiam perficiantur [f]? Id autem cur? Quia in eo ſequendo nihil aberratur, ad quod tanquam proprietatem eſt vnumquodque natura propenſum: ex axiomate enim philoſophiæ.

f Lucæ 6.

Viuere naturæ ſi conuenienter oportet;

Quomodo conuenientius illi viuitur, quam id exequendo, quod quaſi propria dos ſit à natura tributum? Vt *propria*, inquam: quia non ignoro non omni propenſioni, quam natura nobis inſeuerit, indulgendum. Ac proinde naturæ conuenienter viuere, quod Philoſophi laudant, hoc non eſſe, quod illius propenſioni parere, ſi de quacunque re loquamur. At ſi de propria, prorſus aſſerendum naturæ conuenientiùs viui non poſſe, quam tali propenſioni, ſaltem aliquando obtemperando. Cum igitur culpetur riſus, ploratus & fletus commendetur, non poteſt ille peculiaris hominis proprietas cenſeri.

Quod tertiò confirmatur: quia non poteſt id proprium alicuius naturæ dici, quod ſi nunquam fiat, in laude ponatur. At qui nunquam in vita riſerunt, extolluntur; & ad illorum exemplum alij excitantur: vt de Chriſto Domino nominatim traditur; quem Chryſoſtomus [g] obſeruat in vita nunquam riſiſſe, fleuiſſe ſæpe. Non igitur ad riſum propenſio, quæ riſibilitas à Philoſophis appellatur, eſt hominis proprietas exiſtimanda. Quorſum enim illam natura nobis indidiſſet, cuius nullus vſus futurus erat? Quare ex his concludi poſſe videtur flendi potius facultatem, quam ridendi, propriam hominis eſſe: ac proinde ſi eius definitio ſit à proprietate tradenda, dicendum potius hominem animal eſſe *flebile*, quam *riſibile*.

g Cum aliis loco citato.

Sed ſi hoc admiſerimus, vniuerſam philoſophorum nationem in nos armabimus: qui Porphyrium ſequuti [h], cum definitionis exemplum ponunt à proprietate non à differentia eſſentiali tradendæ, non aliter hominem, quam à *riſibilitate* definiunt, animal ipſum *riſibile* pronunciando: non quia riſu dignum, vt videtur vox ipſa prima ſpecie ſonare; ſed quod ridendi facultate ſit præditum, tanquam propria dote illi à natura tributa. Quare de illorum ſententia maximè proprium erit hominis ridere, ac proinde gaudere & lætari, quorum fructus eſt riſus.

h Boët. Auerroes. Albert. D. Thom. in Porphyr. c. de propr. Simplic. & Ammon. in Prædicam. cap. de ſubſtan.

Vel igitur in acie nobis aduerſus omnes Philoſophos ſtandum eſt, hominem definiendo animal, non *riſibile*, ſed *plorabile*; qua forma nimirum dicunt illi riſibile: vel certè ſi eos veremur, negandum, eſſe homines ad lachrymas natos; ac proinde laudandos cenſebimus, qui rident; culpandos, qui lugent. Quid ergo dicendum? Certa prius ab incertis abiungemus; quod præſtabimus diſtinctione præmiſſa. Proprietas alicuius naturæ duplex eſt; alia, per modum facultatis:

alia per modum actus. Per modum *facultatis*, dicit principium actionis; per modum *actus*, ipſum dicit effectum. Vtraque autem ſiue per modum principij, ſiue per modum effectus, commune habet ita cuipiam conuenire, vt alteri naturæ non competat: ſed proprietas per modum principij, competit *omni*, *ſoli*, *& ſemper*. vt poſſe ridere quam Philoſophi riſibilitatem dicunt: per modum verò effectus, non ſemper, ſed *omni*, & *ſoli*, vt ipſe riſus. Proprietas primo modo cum reliquis naturalibus facultatibus conuenit; hoc tantum diſcrimine, quod hæ poſſunt in aliis, & aliis naturis reperiri; illa nequaquam; ſed in vna duntaxat. Quare cum poſſit vnum quodque ad id dici natura factum, ad quod habet ex natura propenſionem; neceſſe eſt vt quod alicuius proprietas ſtatuitur, ad id quoque dicatur natura ſua factum, cuius eſt illa proprietas principium. His præmiſſis, ad eas quæſtiones accedamus, quas excuſſa diſceptatio nobis obiecit.

Prima erat an proprium ſit hominis ridere; & dicendum prorſus eſſe: ſed per modum actus, qui conuenit ſoli, & omni, non per modum principij quod etiam ſemper. Nec enim ſemper, & vbique rident homines; ſed aliquando, & ſoli inter omnes animantes. Secunda quæſtio erat, an etiam ſit hominis proprium plorare. Affirmant [a] quidam. Soli enim homini putant lachrymas à natura conceſſas. Sed planè falluntur, cùm à pleriſque ſit obſeruatum alias quoque animantes plorare & flere; vt non immeritò ille cecinerit de inſigni equo domini funus proſequente.

a Barrad t. 2. Conc. Euang. lib. 7. c. 7. in fine.

[b] *Poſt bellator equus poſitis inſignibus Æthon*
It lachrymans; guttiſque humectat grandibus ora.

b Virg. lib. 11.

Tertiò quærebatur, quomodo laudabile ſit nunquam riſiſſe, ſi riſus vt proprietas eſt homini à natura tributus? Aut enim fatendum fruſtra quid illam molitam, aut certè nunquam riſiſſe, laudi dari non debet. Sed hæc quæſtio loci huius propria tantum non eſt. Latè enim ſpargi poteſt per omnes illas propenſiones, quibus homo natura ſua ſic in aliqua propendet, vt ſummæ laudis ſit ab illis abſtinuiſſe. Dicendum ergo fruſtra facultatem non eſſe, in qua frænanda, cum cupiditatibus ſuis homo luctatur; ſic fruſtra non eſt propenſio ſibi ſimiles generandi, licet non aliquando, ſed ab illa perpetuo abſtineatur: quia fruſtra non eſt quod homini proficit ad triumphum. Pari modo licet ad riſum factus homo natura ſit; nunquam tamen riſiſſe, non eſt voto ſuo Naturam fruſtrari; ſed quod illa maximè quærit in homine cumulatius implere, quod eſt ſuis cupiditatibus obluctari. Quærebatur quartò quomodo proprium ſit hominis eſſe riſibilem, cum totus ad lachrymas ſit, ab iſtis incipiat, per iſtas decurrat, in his vitæ tempus omne tranſmittat. Sed dicendum hominis duplicem ſtatum eſſe conſiderandum; alterum, in quo conditus; alterum in quem ſe ipſe coniecit. Homo per ſe ſpectatus, vt à Deo conditus, ad lætitiam & gaudium, ad riſum & exultationem factus eſt. [c] *Creauit enim ab initio Deus hominem rectum; & poſuit illum in paradiſo voluptatis*; gloria & honore coronauit eum, & conſtituit ſuper opera manuum ſuarum; vt ageret dies lætitiæ, & confiteretur illi in voce iubilationis. Vnde meritò D. Hilarius [d] exclamauit.

c Eccl. 7.

d Hilar. Arelat Carm. in Geneſ.

O felix animal ſummi cui dextra tonantis,
Eſt pater: ô fœlix nimium, qui ducis Olympo
Et genus & formam: ſi te non noxia terra
Decipiant vitia, & non blandus ſubruat error;
Numen eris, cœloque redux mirabere regna.
Quæ promiſſa bonus fido pater exhibet ore.

At ſi de ſtatu loquamur, in quem ſe ille peccando coniecit; tunc dicendum & ad lachrymas, & ad riſum æquè factum eſſe; ſed ad iſtum præcipua deſtinatione; ad illas non niſi vt per eas ad verum ſibi riſum gradum faceret, in eo ſine fine cuncta deinceps per ſæcula futurus. De hoc ſtatu hominis egregiè Claudius [e] Marius.

e Carm. in Geneſ.

Primus enim meritis, poſtremus in ordine toto
Factus homo; vt rebus ſe ſe præſtare creatis
Noſſet, & hinc laudes Domino perſolueret æquas
Tali lege data, ratio docet optima, quod non
Mortalem Deus in primæuo tempore fecit
Primum hominem; quin ille ſibi mortem attulit vltro.

Mortis ergo cum ſibi ipſe auctor fuerit; & eorum omnium quoque cauſa fuit, quæ mortem ſequuntur, antecedunt, comitantur. Quæ iſta? Morbi, mœrores, lachrymæ; quibus eſt prius defungendum, vt tandem per illa ad riſum iterum, cui à primordio factus fuerat, reducatur. Ad vtraque ergo in hoc ſtatu naſcitur homo; riſum, & lachrymas. Ad iſtas *prius*; ad illum *poſtea*; ad iſtas vt medium, ad illum vt finem; ad iſtas in hac vita, ad illum in æterna. Propterea lachrymæ, & quæ lachrymas comitantur & prouocant, *prima* in ſacris literis dicuntur; riſus & gaudia *poſteriora*. *Abſterget* [f], inquit, *Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & iam non erit amplius neque luctus, neque clamor, neque dolor, quia prima abierunt.* Et hinc Dauid hunc mundum *vallem* [g] *lachrymarum* dixit; & *fletum* [h] *veſperi matutinè vero lætitiam computauit*. quia in ſacris literis dies huius vitæ à veſpera vnde incipiunt numerantur. *Factus* [i], inquit, *eſt veſpere & mane dies vnus.* Atque ex his facilè conſtare poteſt quid ſit abſoluiè quæſtioni propoſitæ reſpondendum: rectè nimirum Philoſophos hominem à facultate ridendi definiuiſſe; non ſolum quia præter illum nullum aliud animal eſt hac facultate dotatum; ſed quia ſi per ſe ſpectetur in ſtatu quo conditus, ad riſum & lætitiam factus eſt; ſi vero in ſtatu in quem prolapſus, ad lachrymas icCirco naſcitur, vt ad riſum per illas emergat.

f Apoc. 19.

g Pſal. 29.
h Pſal. 83. vbi Auguſt. & Caſſiod.
i Gen. 1.

Capvt III.

Ad verba Leuitici.

[k] Pontifex, id eſt ſacerdos maximus, ad omnem mortuum non ingredietur omnino.

k Cap. 21.

Qui à legitimo & ſolemni luctu prohiberentur.

TRes hominum claſſes apud Hebræos ſuis, vel aliis luctum legitimum impendere prohibebantur; ſummi Pontifices, ſacerdotes inferiores, & Nazaræi. Non tamen æque omnes, & eodem modo. Dixi *legitimum luctum*: quia naturalis, ad quem quiſque natura cogitur, in morte charorum nulli interdictus erat, cùm priuatim vſurpabatur.

Primò ergo ſummus Pontifex in cuiuſcunque morte luctum legitimum ſumere vetabatur. De

quo

a Leuit. 21. 10.

quo Moſes, *Sacerdos maximus*, inquit [a], *inter fratres ſuos .... caput ſuum non diſcooperiet, veſtimenta non ſcindet, & ad omnem mortuum non ingredietur omnino; ſuper patre quoque & matre non contaminabitur.* Breuiter ergo videndum quid illi prohibeatur, & cur. Quid? Omne id, quod luctu legitimo continebatur; quæ, quot, & quam varia eſſent; infra conſtabit. Falsò ergo Vatablus [b] & alij per hoc tantùm intelligunt interdictam illi funeris proſequutionem, & exequiarum celebritatem.

b Leuit. 21.

Cur id ergo prohibitum? Multa poſſunt afferri; ſed præcipuas cauſas tres fuiſſe puto Prima ad maiorem illi venerationem conciliandam. Secunda ad illius affectus temperandos. Tertia ad aliorum exemplum, & mores formandos. *Ad venerationem illi augendam:* quia nihil eſt, quod magis aliquem altius humano faſtigio ſuſtollat, quam ſi immotus inter ſuorum funera cernatur. Contra verò maieſtas plurimum ſemper lachrymis gemituque minuitur; ob quod maximi quique viri ſemper in publico ab omni ſpecie triſtitiæ, nedū a lachrymis, abſtinuere. Nec enim vllum validius argumentum eſt imbecillitatis humanæ, quam fletus & lachrymæ: vnde eo ipſo quod quis illas fundit, etiam teſtatur pari ſe cum reliquis conditione cenſeri; ſuper quos tamen qui maieſtatem tuentur, volunt ſe longiùs euectos. Norat Cornelius [c] Tacitus, Tiberium, & Liuiam in Germanici funere publico abſtinuiſſe; quod inferius Maieſtate putarent, ſi palam lamentarentur. Et rectè id. In omni enim officio non eadem principibus viris, Imperatori, & populo decora ſunt; vt apud eundem Tyberius idem diſſerit in edicto, quo populum eſt alloquutur. Quare D. Hieronymus [d] prudenter monet ab Ennio dictum.

c lib. 1. Annal. c. 1.

d ep. 3. in epitaph. Nepot.

Plebs in hoc Regi antiſtat loco; licet
Lachrymari plebi; Regi honeſtè non licet.
Lachrymari, inquam, in publico; nam priuatim licet.

Secunda cauſa eſt ad affectus ſummi Pontificis temperandos, & illum ſui muneris admonendum; vel ſaltem conſtet quàm debeant illius affectus eſſe moderati. Rectè Philo [e]; *Poſtulat*, inquit, *lex in eo viro præſtantiorem homine indolem: quippe qui Deo ſit familiaris præ cæteris, in quodam diuinæ humanæque naturæ confinio ſitus; vt hoc mediatore Deus propitietur hominibus.* In quo verò præſtantior hæc indoles ſita, quam Deus in Pontifice ſummo requirit? In amputando nimio affectu erga conſanguineos, etiam parentes ipſos, vt ſubiicit idem Philo. Sacerdotibus aliis, vt mox videbimus, in patris, & matris funere luctus permittebatur; ſummo Pontifici nec in eorum morte flere licebat. Ob id notant plerique. Melchiſedech Dei altiſſimi Sacerdotem ſine matre, ſine patre, ſine genealogia in ſcriptura produci, vt ſummi Sacerdotes intelligant omnes affectus perinde ſibi amputandos, quaſi ſine patre & matre producti forent. Nihilque rerum omnium eſſe, quod ſibi ſit Dei cultui præuertendum. Sed hac de re nos alibi, & alij.

e lib. 2. de Monarch.

Tertia cauſa eſt exemplum aliorum. Noluit enim Deus ſummum Pontificem quemquam flere; nec ob illius obitum lugubria ſumere; vt diſcerent alij quam moderatè gerere ſe deberent in morte charorum. Vt enim D Hieronymus [f] obſeruat, *in ſummum Sacerdotem omnium oculi diriguntur, illius domus & conuerſatio, quaſi in ſpecula conſtituta, magiſtra eſt publica diſciplinæ; quicquid fecerit, id ſibi omnes faciendum putant.* Et hoc D. Hieronymus ad Heliodorum illius lachrymas compeſcens in morte Nepotiani. Alibi [g] verò quid hæc prohibitio luctus in ſacerdote ſummo ſignaret, aptè moribus inſtituendis edifferens; *Quod*, inquit, *forſan crudele alicui videatur; ſed fidei neceſſarium eſt. in eodem Leuitico* [h] *ſcribitur, quomodo Sacerdos magnus ad patrem, matrem, fratreſque vel liberos mortuos prohibeatur accedere; ne videlicet anima Dei ſacrificiis vacans, & tota in illius myſteriis occupata, aliquo impediatur affectu.* Et ſubdit; *Nonne aliis verbis idipſum in Euangelio præcipitur vt renunciet domui diſcipulus, vt mortuo patri non exhibeat ſepulturam?*

f epiſt. 3. ad Heliod.

g epiſt. 25 ad Paul. ſuper obit. Bleſil.

h Cap. 21.

Propter has ergo cauſas ſummo Pontifici luctus funebris eſt interdictus; propter quas itidem puto, vel earum aliquam, aut certè non abſimiles, etiam gentiles, flamines ſuos, & ſummos Pontifices à luctu, & omni ferali officio abſtinuiſſe. *Apud Romanos*, inquit Agellius [i], *Flamini Diali* (Iouis nempe ſupremo ſacrificulo) *non licebat locum, in quo buſtum erat, ingredi; vel mortuum attingere; ſed nec tibias funebres audire, nec fabam tangere, aut nominare quidem.* Cuius rei cauſam Plutarchus [k] inquirens, *quod*, inquit, *eam putarent ad mortuos pertinere, & in flore eius luctus literæ viderentur.* At ſummus apud illos Pontifex adeo mortua omnia ex præſcripto vitabat; vt ne defunctos quidem, quamuis propinquos, liceret aſpicere. Ob id Tyberius oratione funebri filium laudaturus inter ſe & cadauer velum poſuit. Seneca [l]; *Tyberius Cæſar*, inquit, *& quem genuerat, & quem adoptauerat amiſit: ipſe tamen pro roſtris laudauit; ſtetitque in conſpectu præſenti corpore, interiecto tantum velamento, quod Pontificis oculos à funere arceret.* Erat enim Tyberius, ſicut & Augusti reliqui ad vſque Gratiani tempora, Pontifex ſummus.

i lib. 10. c. 15.

k in Probl. q. 109.

l Conſolat. ad Mart. c. 15.

Secundo loco, à luctu ſacerdotes etiam minores prohibebantur; non tamen eodem modo, vt omnium ſummus. Hic enim vt proximè vidimus, ab omni luctu arcebatur; illi conſanguineos lugere permittebatur. *Dixit* [m], inquit, *Dominus ad Moyſen; loquere ad ſacerdotes filios Aaron; & dices ad eos; Ne contaminetur ſacerdos in mortibus ciuium ſuorum; niſi tantum in conſanguineis, ac propinquis, id eſt ſuper patre, & matre, & filio, & filia, fratreque & ſorore virgine, quæ non eſt nupta viro; ſed nec in principe populi ſui contaminabitur.*

m Leuit. 21. 1.

De his ergo videndum quos lugere prohibebantur; deinde, quos permittebantur, tum, cur vtrumque. Prohibebantur lugere omnes externos, etiam ciues, & in ciuibus etiam Regem ipſum, & populi Principem. Permittebantur verò lugere conſanguineos & propinquos; non tamen omnes; ſed primo gradu tam ex deſcendentibus; & aſcendentibus, quam ex latere iunctos. Itaque pater, mater, filij, & filiæ fratres, & ſorores lugeri à ſacerdotibus poterant, modo familiam iſtæ non exuiſſent, in aliam domum matrimonio tranſlatæ. Hoc ergo loco *propinqui*, & *conſanguinei* pro iiſdem accipiuntur, vt etiam frequenter in Iure tum ciuili, quam ſacro. Quia verò conſanguinei ſunt, quicunque ſanguine coniuncti; quos tamen omnes non vult Deus à ſacerdotibus poſſe lugeri; idcirco quod diserat exponens, exprimit diſtinctè patrem, & matrem, & alios in primo gradu; tantùm ad hos conſangui-

neorum & propinquorum appellatione reſtricta.

Cur ergo ſacerdotibus inferioribus iſtos lugere permiſſum,& alios prohibitum? Et cur hoc inter illos, & ſummum Pontificem diſcrimen in aliorum morte lugẽda? Varia à variis afferuntur, allegoricas cauſas Cyrillus[a] exequitur; morales, & tropologicas Iſichius,& Radulphus. Expeditiſſima & maximè litteralis videtur eſſe diſparitas excellentiæ ſummi Pontificis, & inferiorum. Quæ vt ab omnibus internoſceretur, iſtis permiſſum eſt ſuos lugere, quaſi non prorſus omne contagium mortalitatis exutis; illi nequaquam, quaſi ſuper omne conſortium euecto carnis & ſanguinis,& omni humano faſtigio maiori.

a lib. 12. de adorat.

Tertio loco, Nazaræi quoque pariter vt ſummus Pontifex ab omni luctu funebri prohibebantur; vt de illis ad Moſen Deus edicit[b]; *Omni tempore*, inquit, *conſecrationis ſuæ ſuper mortuum non ingredietur; nec ſuper patris quidem, & matris, & fratris, ſororiſque funere contaminabitur: quia conſecratio Dei ſuper caput eius.* Quorſum autem id,& quare Nazaræi cum Pontifice ſummo fuerint in hoc æquati, & ſuper inferiores ſacerdotes euecti, meritò quæri poteſt. A pleriſque multa probabiliter afferuntur; omnium probabiliſſimum puto voluiſſe Deum ſummum Pontificem,& Nazaræos in hoc æquati; quia per vtroſque Chriſtus Dominus deſignabatur; quod egregiè, ſed ſtrictim alicubi D. Bernardus[c] indicauit. Chriſtus enim ſuper patre & matre lugere non debebat: quia pater illi Deus, & mater virgo. Deus incapax mortalitatis, virgo expers omnis corruptionis: ideo neuter illi lugendus. Nazaræus autem Chriſtus, cuius à ſacris vatibus elogium, fore vt Nazaræus vocaretur. Cæterùm conſultò dixi tam ſummum ſacerdotem, quam minores,& Nazareos ipſos *à luctu funebri* prohibitos: quia ſacer, de quo mox pluribus, illis non ſolum permiſſus erat; ſed aliquando præceptus. De quo luctu, Ioëlis[d] illud eſt intelligendum. *Inter veſtibulum, & altare plorabunt ſacerdotes miniſtri Domini dicentes, Parce, Domine, parce populo tuo; & ne des hereditatem tuam in opprobrium.* Quod autem diſcrimen eſſet inter ſacrum, & funebrem luctum; & qui ritus in vtroque ſeruati, deinceps in loco reddetur.

b Num. c. 6. 6

c Serm. 4. in Aduen.

d Cap. 2. 17.

Capvt IV.

e Cap. 15. — Ad illa verba ſecundi Regum.

[e] Audiuit vxor Vriæ quod mortuus eſſet Vrias vir ſuus, & planxit eum.

Qui lugerentur in priuato luctu, & variæ differentiæ lugentium.

HOc eſt quærere quorum cauſa lugubria habitus antiquitus aſſumeretur; & loquimur, vt iam ſæpè dixi, de luctu legitimo, lege ſcilicet inducto; non quam vlla comitia, aut edicta ſancirent; ſed mores, conſuetudoque recepta. Poteſt igitur eſſe dubium primò, de conſanguineis, an omnes,& omnis ætatis,& ſexus lugerentur. Secundò an præter illos etiam extranei, & qui.

De vtriſque primo in vniuerſum dicendum tam conſanguineos, quam extraneos lugeri ſolitos; ſed cum diſcrimine. Conſanguineos enim ſic, vt illos indefletos omittere, probroſum eſſet; extraneos autem vt qui flerent commendarentur, ita tamen vt qui omitterent, non culparentur. Quod vtrique lugeri ſoliti, argumento eſt quod Deus de ſacerdotibus præcipit[f], *ne contaminentur in mortibus ciuium ſuorum, niſi tantum in conſanguineis & propinquis.* Quorſum autem id præcipere, ſi recepti quoque moris non erat vt tam propinqui, quam reliqui ciues, licet extranei, paſſim etiam lugerentur? Quod vero luctus in propinquorum morte omitti ſine nota non poſſet; infinita conuincunt. Ob id enim Hebræi cùm tempus, vel diem mortis alicuius deſignabant, *tempus luctus illius* appellabant, quod ſcilicet nullius mortem ſine luctu tranſire fas eſſet. Eſau loquens de morte Iſaac patris ſui; *venient*[g], inquit, *dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Apud Romanos verò fœminæ, quæ maritum legitimo tempore non plorarent, infamia notabantur; quia licet immunes eſſent viri, ſi non lugerent vxores; non tamen apud populares ſuos magno probro carebant. At Hebræis vxorum luctum in morte viri ſolemnem plane fuiſſe, modus hic indicat, quo Scriptura loquitur. *Tranſacto lucta*, inquit, *miſit David.* Non auſus nimirum tempus anteuertere legitimo luctui præfixum, quamuis Rex eſſet, in nuptiis Bethſabeæ celerandis.

f Leuit. cap. 21. 5.

g Gen. 27. 41

Poſſet tamen hîc eſſe dubium de vxore & filia, an à marito,& patre lugerentur. Nam quia ab vxore maritus lugendus eſſet, vt vidimus, dubium non eſt: an vero ab hoc vxor, non nihil ambigitur. Apud Romanos enim vt iam indicaui, iure ciuili lugere vxores mariti non compelluntur, ad quod vxores tenentur; alioquin infamia notatæ. An id ergo etiam Hebræis ſeruatum, poſſet dubitari. ſed dicendum æquo omnino iure in hoc apud Hebræos vtrumque fuiſſe; & pari modo alterum ab altero de more lugeri ſolitum. Sic Abrahã[h] Saram eluxit: & Iudas eius abnepos Sue. *Euolutis*[i], inquit, *multis annis, mortua eſt Sue vxor Iudæ, qui poſt luctum conſolatione ſuſcepta.* Modus enim hic loquendi manifeſtè ſignificat luctum illum fuiſſe recepti moris. In qua re leges eccleſiaſticæ, ciuili iure neglecto, priſcorum Patrum conſuetudinem ſequutæ ſunt, vtrumque coniugem hac in re pari iure cenſentes, vt quemadmodum maritus poteſt vxorem indefletam, ſine probro dimittere, ſtatim ad ſecundas nuptias tranſeundo; ſic poſſit vxor illo defuncto protinus de ſecundis nuptiis cogitare.

h Gen. 23.

i Gen. 38.

At verò de filia poſſet eſſe dubium, an pater illam defleret, ob exceptionẽ quam Moſes[k] poſuit in luctu ſummi ſacerdotis. Sed omnino dicendum ſolemne quoque fuiſſe filias defleri; modo intra infantiæ annos non decederent, & id non ſolum apud Hebræos; ſed apud alias gentes receptum. Vnde cum Demoſthenes filiam ſine luctu extuliſſet, ab Æſchine impietatis accuſatus[l] eſt, excuſante Demoſthene Reip. cauſa luctum omiſſum. Meritò ergo David vt argumentum ſummæ in Rep. perturbationis adducit filias extingui, & indefletas omitti. *Virgines*[m], inquit, *eorum non ſunt lamentatæ; & viduæ eorum non plorabantur*, Fortaſſe nimirum quia poſtremæ ſuorum interibant, omnibus ſuperſtites, quos clades hoſtilis abſumpſerat.

k Leuit. c. 21

l Plutar. in Demoſt.

m Pſal. 77. 63.

Quod verò extraneorum luctus ſine nota poſſet omitti; ſi de *legitima* loquimur, & recepti moris, dubium non eſt, nemo enim cogebatur

vel

Digitized by Google

vel amicos legibus ſumere; vel quos aſſumpſiſſet, publicè profiteri. Ob id nec etiam periculum erat, vt quos priuatim quis amauerat dum viuerent, infamis haberetur, ſi mortuos ſineret indefletos. At ſi de ciuili & vrbana nota loquamur, certum eſt illa non caruiſſe, qui quos amicos viuos habuerat, non lugebat extinctos. Ob id Dauid tam ſedulus fuit in morte Ionathæ, Abneriſque lugendo; quos non ſolum naturalibus lachrymis eſt proſequutus; ſed legitimo quoque luctu, mutato habitu, per dies plurimos honeſtauit.

Nec mirum receptum apud omnes gentes fuiſſe vt amici quoque legitimo luctu deflerentur. & aliquando maiori oſtentatione, quam propinqui, quicunque illi eſſent, vt quocunque nexu ſanguinis coniuncti. Quia propinquos habemus

a Stat. Sylu. lib. 2. in Epiced. Glauc. quales nobis Natura conceſſit; amicos arbitrio & voluntate seligimus. Vnde [a] ille ad hoc appoſitè.

Fas mihi ſunctorum venia dixiſſe parentum,
Tuque ora natura ſinas, cui prima per orbem,
Iura animus ſociare datum: non omnia ſanguis
Proximus, aut ſerie generis demiſſa propago
Alligat; interius noua ſæpe aſcitaque ſerpunt
Pignora connexis: natos genuiſſe neceſſe eſt:
At legiſſe iuuat.

Hoc ille de filiis adoptiuis, quos aliquando dicit impenſius amari, quam genitos. Quia, inquit, *iſtos genuiſſe neceſſe eſt, hos legiſſe iuuat.* Quæ ratio in omnibus illos locum habet, quibus nos animi beneuolentia, non ſanguis conciliat. Altius enim in viſcera labuntur, & hærent ineluctabilius; vt inſiti ſurculi, qui nonnunquam felicius, quam genuini proueniunt in arbore non ſua. Ad quod

b Stat. ibid. idem [b] eleganter:

Vidi ego transfertos aliena in robore ramos
Altius ire ſuis

Secundo hoc dicendum, ex propinquis non omnes ſolemni luctu defletos; ſed primo tantum gradu coniunctos; nimirum fratres à fratribus, à filiis parentes, à parentibus filios, & etiam filias non elocatas; eatenus tantum vt earum funus celebrarent, & exequias comitarentur; quod fiebat ad locum accedendo, vbi defuncta iacebat, & elatam proſequendo; de quo paulo poſt. Ex ipſis verò conſanguineis etiam primo gradu coniunctis, illi ſine omni luctu mittebantur; vel qui ob Rempubl. cecidiſſent; vel qui contra illam inſur-

c Plutarc. in conſol. ad Apollon. rexiſſent. Ob id Pericli laudi [c] datum quod cum duos filios audiſſet in prælio defunctos, ad populum proceſſit in veſte candida coronatus; non lugendos ratus, qui fortiter faciendo pro patria

d Liu. lib. 1. occubuiſſent. Contra vero ſororem [d], quæ mariti caſum deflebat patriæ hoſtis, Horatius frater, & victor ægrè adeo tulit, vt in veſtigio obtruncauerit, intempeſtiuas lachrymas cruore reſtinguens. Sub Imperatoribus verò, non ſolum con-

e Tacit. lib. 3. & 4. Annal. tra mores, ſed capitale [e] fuit illos lugere, in quos animaduerſum extremo ſupplicio fuiſſet, maximè maieſtatis damnatos.

Tertiò dicendum acerba morte defunctos, vt pueros & puellas, nulla habitus mutatione; ſed ſolo funeris & exequiarum officio defletos; & id apud Hebræos æque vt Romanos. Quare Dauid infantem filium, cuius ægritudine impensè doluerat, mox defunctum, non alio lugubri officio,

f lib. 2. Reg. 12. quam pompa funeria eſt proſequutus [f].

Ex his alterum quòd quærebatur, habetur de differentia lugentium. Duæ enim ſummæ ſtatui poſſunt, vna eorum, qui ſimpliciter & abſolutè lugebant; altera eorum, qui ad lugentes accedebant: illi mutatione vitæ & victus, & tota domus deformatione mœrorem animi teſtabantur; iſti illis aderant in primis diebus luctus exequias frequentando, ad cadauer accedendo, funus comitando; quod vtrumque diſcrimen ſignatè ſcriptura notat dum de lugubri hoc officio lo-

quens inter illos diſtinguit [g], *qui lugebant, & qui* g Leuit. 21. 10.

ad domum luctus accedebant. Ad domum enim Numer. 6. 7.

luctus accedere, eorum erat, qui exequias honeſta- Ecclеſ. 7. 3.

bant; *lugere* verò illorum ad quos præcipuè accepta calamitas pertinebat.

Capvt V.

Ad illa verba 2. Reg. [h] Miphiboſeth quoque deſcendit in occurſum Regis illotis pedibus, & intonſa barba: veſteſque ſuas non lauerat à die qua egreſſus fuerat Rex, vſque ad diem reuerſionis. h Cap. 19. 24

In quo alio ſuorum tempore, præterquam in morte lugubris habitus ab antiquis aſſumeretur.

EX hoc facto Miphiboſeth apertè conſtat lugubrem habitum non ſolùm in morte ſuorum, ſed etiam in aliis eorum infortuniis veteres aſſumpſiſſe. Nec enim Dauid hic lugetur extinctus, ſed viuus, & expulſus è Regno. Quæ ergo erant iſta propter quæ viui etiam cognati aut amici lugebantur? Quæcunque infortunia grauius illis incidiſſent; & id non ſolùm ab Hebræis, ſed etiam Græcis, & Romanis legimus eſſe ſeruatum. Ad quod explicandum generalis diuiſio cauſarum eſt præmittenda, propter quas lugubris habitus induebatur. Eorum, qui lugebant, alij ſui infortunij cauſa lugebant; alij aliorum. Illi ſeipſos, iſti lugere alios dicebantur: ſeipſos lugebant rei maiorum criminum; alios qui lugebant, in triplici differentia erant. Quidam defunctos lugebant; quidam adhuc viuos, quidam mortuos. Sed quia luctus & infauſta nunciabant, etiam lugentium habitum aſſumebant. Habitus defunctus lugentium, propriè funebris, aut funeſtus appellabatur; aliorum, generala nomen retinebat, & lugubris dicebatur. His præmiſſis.

Primò ex viuis lugebantur amici, & propinqui, ſi forte patrio ſolo excedere cogerentur; ſiue iudicio, ſiue ſubita vi, & conſpiratione inimicorum, ſiue hoſtili tumultu; vt hic luxiſſe Dauidem Miphiboſeth perhibetur. Eodem modo Ciceronem Romanus populus & Senatus luxit. Clodij artibus interceptum, & in exilium pulſum. De qua re Cicero ſæpè gloriatur vt de inſigni teſtimonio virtutis ſuæ, & gratiæ qua

apud populum pollebat [i]. *Pro me præſente*, in- i Orat. poſt redit. ad Quirit.

quit. *Senatus. hominumque præterea XX. millia veſtem mutarunt.* Et alibi [k] cum præmiſiſſet Sena- k Orat. pro Sext.

tum pro ſalute ſua veſtem mutandam decreuiſſe, ſubdit, *O diem illum iudices funeſtum ſenatui bonisque omnibus Reipubl. luctuoſum, mihi ad domeſticum mœrorem grauem, ad poſteritatis memoriam glorioſum. Quid enim quiſquam poteſt ex omni memoria ſumere illuſtrius, quàm pro vno ciue & bonos omnes priuato conſenſu, & vniuerſum ſenatum publico conſilio mutaſſe veſtem? Quæ quidem tum mutatio, non deprecationis cauſa eſt facta, ſed luctus.*

Secundò. Qui non alios, ſed ſeipſos lugebant,

& ob id in lugubri habitu incedebant, erant infortunio aliquo maiore preſſi, vt rei capitalis criminis ab accuſatore delati. Iſti enim habitum ab eo nihil abſimilem ſumebant quo mortui lugebantur; intonſo capillo, ſqualenti corpore, veſte lacera & obſoleta, ad omnem miſericordiam compoſiti. De quibus nos alibi [a].

a *lib. 4. Appar. de re veſtiar. diſſ. 3.*

Tertiò. Non ſolùm reus ipſe in lugubribus incedebat; ſed cum illo pariter aliqua maiori neceſſitudine coniuncti, amoris aut ſanguinis. Iuuenalis [b].

b *Sat. 15. v. 134.*

mollisſima corda
Humano generi dare ſe Natura fatetur.
Quæ lachrymas dedit; hæc noſtri pars optima
ſenſus.
Plorare ergo iubet caſum lugentis amici
Squaloremque rei. —

Plorare, inquit, non tantum lachrymis ora rigando; ſed habitum immutando. Sic Cicerone cauſam dicente, & habitum reorum induto, Senatus, hominumque præterea illa aa. millia pro præſente veſtem mutarunt in argumentum luctus.

Quarto. In graui & periculoſo morbo lugubris etiam veſtitus ab amicis & cognatis ægrotantis induebatur. Sic amici [c] Iob ad ipſum cum veniſſent in ſterquilinio iacentem, & vlcere peſſimo ad reliqua infortunia percuſſum, lugubrem ſtatim habitum induerunt. *Cum*, inquit, *eleuaſſent procul oculos ſuos, non cognouerunt eum, ſciſſiſque veſtibus ſparſerunt puluerem ſuper caput ſuum in cælum.* Similiter Dauid [d] ægrotante paruulo filio, lugubri veſte indutus, humi iacuit: & reliqua quæ moris erant in ſolemni luctu eſt exequutus. Nec minus id à Gentilibus factitatum. Valetudine enim Germanici audita, populus [e] Romanus lugubria ſumpſit: & Caligula in Campania ægrotante, ſimiliter etiam vrbe tota funeſtæ veſtes apparuerunt.

c *Iob c. 2. 11.*

d lib. 2. Reg. c. 12.

e *Sueton. in Calig. c. 4. Tacit. lib. 3. Annal.*

Capvt VI.

f 1. Reg 30. 4

Ad illa verba. [f] Leuauerunt Dauid & populus qui erat cum eo, vocem ſuam, & planxerunt donec deficerent in eis lachrymæ.

An honeſtum ſit in ſuorum morte, vel alia calamitate lugere.

HAnc quæſtionem libet hîc ſeparatim diſcutere; vt multa Patrum, & ſacræ Scripturæ loca conciliemus, aut exponamus. Primò ergo quæremus an lugendum. Secundo quomodo.

De primo; ſunt qui duos luctus diſtinguant; vnum, qui lachrymis fiat, ea morte, vel calamitate charorum; alium, qui ſit officium impendi ſolitum neceſſariis fato defunctis, aut alia calamitate vexatis. Primum luctum dicunt nec Chriſtiano, nec viro graui congruere. Secundum, permitti, & etiam honeſtum eſſe. Huius ſententiæ volunt eſſe Hieronymum, cuius [g] hæc ſunt Paulam ſuper obitu Bleſillæ ſolantis. Cum enim pluribus illius fletus, & lachrymas arguiſſet, *ſed dices*, inquit, *quomodo lugere me prohibes, cum & Iacob Ioſephum in ſacco fleuerit; congregatiſque ad ſe omnibus propinquis, noluerit conſolari?* Poſt quæ cum plura alia ſubieciſſet exempla; Dauidis Infantem, & Abſalonem deflentis; totius populi Moyſen, & Aaron lugentis; & poſt Chriſtum, totius Eccleſiæ Stephanum planctu magno plorantis, obiecta cuncta duplici reſponſione diſſoluit. Prima veteres, defunctos ſuos cum lachrymis merito luxiſſe; quia paradiſo nondum Chriſti morte diſcluſo, ſciebant illos ad inferos deſcendere. *Necdum*, inquit, *paradiſi ianuam Chriſtus effregerat; necdum flammeam illam romphaam præſidentium Cherubim ſanguis eius extinxerat; ob id meritò lugebat Iacob filium, quem putabat occiſum, ad quem & ipſe erat ad inferos deſcenſurus.* Altera reſponſio, dici luxiſſe quoſdam, fleuiſſe, & planctum magnum feciſſe, non quod largas lachrymas emiſerint; ſed quod pompam funeris inſtruxerint. *De Moſe*, inquit, *& Aaron, quod eis ex veteri more ſit planctus exhibitus, mirandum non eſt, cùm & in Actis* [h] *Apoſtolorum iam Euangelio coruſcante Ieroſolymæ fecerint fratres Stephano planctum magnum; & vtique planctus magnus non in plangentium examinatione, ſed in pompa funeris, & exequiarum intelligendus eſt.* Et paulo poſt exponens quod dicitur de Ægyptiis in morte Ioſeph, [i] *Et planxerunt eum planctu magno, & forti nimis.* Planctus, inquit, *ſolemnis iſte non longas Ægyptiis lachrymas imperat, ſed funeris monſtrat ornatum; iuxta quemmodum Aaron quoque & Moſen fletos eſſe, manifeſtum eſt.* Videtur ergo Hieronymus ibi concludere, licere Chriſtiano ſuos mortuos lugere, pompam funeris inſtruendo, & reliqua, quæ ad exequias pertinent apparando, expediendo, exhibendo; non licere lugere lachrymis, & gemitu proſequendo.

g *Epiſt. 25.*

h *Cap. 8.*

i *Gen. c. 50.*

Quam vtramque concluſionem videntur alij Patres & ratione multiplici, & exemplis à Scriptura probare. Primò, quia, ſi de Chriſtianis loquamur, eſſe illis debet exploratum lachrymas ad hoc eſſe tantùm homini datas, vt peccata defleat, quæ ſunt vera mala; non alia, quæ mala putantur, & non ſunt. Chryſoſtomus [k]. *Mortem lugere omittens luge peccata, vt ipſa diſſoluas. Propter hoc enim triſtitia facta eſt, non vt in morte, nec vt in alia re tali doleamus.* Quomodo hoc? Pluribus ibi Chryſoſtomus probat; omnium ſumma hac ratione concluditur. Antidota omnia, & pharmaca propter illos morbos intelliguntur effecta, quos tollere poſſunt, non quos adeo non iuuant vt potiùs grauent, ſed triſtitia & lachrymæ tantùm peccata tollunt; non mortem, non morbos, non aliud eorum quodcunque propter quæ inutiliter à mortalibus emittuntur. Ad peccata igitur deflenda facta ſunt, non ad alia mala, quod ibi Chryſoſtomus elegantiſſimè ſuo more variis exemplis, & multiplici ratione confirmat.

k *Hom. 5. ad pop. Antioch.*

Secundò, ad idem eſt Petrus [l] Abbas Cellenſis. *Sterilis*, inquit, *eſt omnis effuſio lachrymarum, quæ non effunditur propter regnum cælorum; inanes ſunt lachrymæ, quas extorquet incommodum, aut damnum temporale: flendum ſolummodo eſt, aut pro peccato commiſſo, aut pro paradiſo amiſſo.* Sic igitur argumentum deduci poteſt ad luctum & lachrymas improbandas. Stultum eſt medicamentum vni morbo paratum, aduerſus illum abſumere, contra quem ſciatur nihil profuturum. Quid enim abſurdius, quàm collyrium lippientibus oculis confectum, auribus applicare? Aut quod hepati tantùm vtile eſt, eo ſplenis intemperiem curare? Sed lachrymæ tantum vtiles ſunt ad peccata delenda; cætera prorſus omnia

l *Ante 500. annos floruit in lib. de panibus.*

fructus

fructus expertes. Stultum ergo eſt illas in aliud aſſumere, quam peccata.

Et hæc ratio non ſolùm Chriſtianos Patres; ſed etiam veteres Philoſophos conuicit, veræ licèt religionis extorres. Quamuis enim non cognouerint hanc lachrymarum virtutem, qua poſſunt peccata deleri; quia tamen cognouerunt nulla mala lachrymis leuari, ſtultum putarunt in vllo ſuo, vel ſuorum infortunio lachrymas effundere. Vnde illa ſunt quibus apud veterem Poëtam ſeruus elegantiſſimè Domini ſui lachrymas deterget,

a Theocr. ex verſione Moreti.

[a] *Here, ſi querelis, eiulatu, fletibus*
Medicina fieret miſeriis mortalium;
Auro paranda lachryma contra forent.
Nunc hæc ad minuenda mala, non magis valent,
Quam nænia præficæ ad excitandos mortuos.
Res turbidæ conſilium, non fletum, expetunt.

Luctus ergo & lachrymæ nec Chriſtianum, nec virum cordatum decent in morte, aut calamitate charorum; quod inutiles ſint.

Sed nominatim Chriſtianos dedecent, quod argumentum ſint animi contumacis, & infidelis. *Contumacis*, qui Deo non acquieſcit, ſuos cum liber, & videt illis expedire, vocanti. Contra quam enim quiſque precatur cùm quotidie dicit; *Fiat voluntas tua*; cum Dei voluntate cognita reluctatur, qui ſuos defunctos, aut in calamitate poſitos, flendo deplorat. Ob hanc rationem D. Cyprianus nec in ſua morte, aut calamitate vult Chriſtiano dolendum; quanto minus in aliena? *Quàm præpoſterum* [b], inquit, *eſt, quamque peruerſum, vt cum Dei voluntatem fieri poſtulemus, quando euocat nos, & accerſit de hoc mundo Deus, non ſtatim voluntatis eius imperio pareamus. Obnitimur & reluctamur, & peruicacium more ſeruorum ad conſpectum Domini cum triſtitia, & mœrore perducimur, exeuntes iſtinc neceſſitatis vinculo, non obſequio voluntatis; Et volumus ab eo præmiis cæleſtibus honorari, ad quem venimus inuiti.*

b Cypr. de mortal. c. 5.

Transferamus hæc à nobis ad alios: non licet obniti, reluctari, dolere cum morimur, & à Domino vocamur. Cur id? Ne qui quotidie voluntatem Dei fieri poſtulamus, vbi illa nobis innotuerit, repugnemus; ne vocati, inuiti ad illum videamur accedere; ne fruſtra præmium ab eo expectemus ad quem neceſſitate pertrahimur, non voluntate perducimur. Quanto minus ergo nobis eſt in aliorum morte dolendum, plorandum, lachrymandum? Annon hæc omnia de illis, & in illos quadrant? Cur Dei voluntatem fieri precamur; ſi quando nos euocat, eiulamus? Qua fronte præmia illis cæleſtia poſtulamus, quos inuiti ad illum patimur peruenire? Bene igitur increpando Cyprianus adiungit. *Quid ergo oramus, & petimus vt adueniat regnum cælorum, ſi captiuitas terrena delectat? Quid precibus frequenter iteratis rogamus & petimus, vt acceleret dies regni; ſi maiora deſideria, & vota potiora ſunt iſtic ſeruire Diabolo, quam regnare cum Chriſto.* Concludit ergo paucis interiectis *fratres non eſſe lugendos accerſitione Dominica de ſæculo liberatos.* Et iterum longè poſt [c]. *Oſtendamus hoc nos eſſe, quod credimus, vt neque charorum lugeamus exceſſum; & cum accerſitionis propria dies venerit, incunctanter, & libenter ad Dominum, ipſo vocante, veniamus.* Eſt ergo flere & triſtari, animi *contumacis* indicium.

c Ibid. c. 9.

Sed & *infidelis*; ob id à luctu deſiſtendum. Quomodo infidelis? Quia non credentis ea quæ de præſenti vita, de morte, de vita futura, fides Chriſtiana proponit. Non enim videtur credere mortuos ſurrecturos; mortem hanc dormitionem, & profectionem eſſe; præmiſſos, non amiſſos, qui præceſſerunt; ad Chriſtum peruenire, de vinculis ſæculi ſolui, gaudere cum Chriſto.

Primò ergo videntur qui lugent, nec ſperare, nec credere ſurrecturos, quos deflent. Tertullianus [d], *Cum conſtet*, inquit, *de reſurrectione mortuorum, vacat dolor mortis, vacat & impatientia doloris. Cur enim doleas, ſi periiſſe non credis? Cur impatienter feras ſubductum interim, quem credis reuerſurum.* Ad idem Cyprianus [e]; *Qui ſpe viuimus, & in Deum credimus, & Chriſtum paſſum eſſe pro nobis, & reſurrexiſſe confidimus in Chriſto manentes, & per ipſum, atque in ipſum reſurgentes, quid aut iſtinc recedere de ſæculo nolumus; aut noſtros recedentes, quaſi perditos plangimus, aut dolemus?* Vnde concludit Ambroſius [f]; *Illi fleant ſuos, quos in perpetuum exiſtimant interiiſſe: nobis quibus mors, non natura, ſed vitæ iſtius finis eſt, fletus omnes mortis caſus abſtergat.*

d De patien. cap. 9.

e De mortal. cap. 5.

f Orat. 1. de Satyr.

Secundò, Non videtur credere, præſentem vitam, mare plenum mille periculis eſſe; mortem vero portum: per mortem ad Chriſtum perueniri, diutius viuendo à Chriſto longiùs exulare: per mortem patriam peti, viuendo incolatum produci. Denique nihil eorum videntur credere, quæ de futuræ vitæ gaudiis, & præſentis incommodis ore fatentur; & id cum magna offenſione piorum, & irriſione gentilium, qui nos aliter cernunt viuere, quàm loquamur. Cyprianus [g]; *Spei noſtræ, ac fidei præuaricatores ſumus; ſimulata, ficta, fucata videntur eſſe quæ dicimus: nihil prodeſt verbis præferre virtutem, factis deſtruere veritatem.* Quando id fit? Cum mortuos lugemus. *Occaſionem enim*, inquit, *per id Gentilibus damus, vt nos meritò ac iure reprehendant; quòd quos viuere apud Deum dicimus; vt extinctos, & perditos lugeamus; & fidem quam ſermone & voce depromimus, cordis & pectoris teſtimonio non probemus.* Ad idem Tertullianus [h]. *Impatientia*, inquit, *in huiuſmodi*, (quam ſupra dixerat oſtendi cum fletur obitus charorum) *& ſpei noſtræ malè ominatur, & fidem præuaricatur, & Chriſtum lædimus, cùm euocatos quoſque ab illo, quaſi miſerandos non æquanimiter accipimus.* Rectè Tertullianus Chriſtum dicit his lachrymis lædi. Cur id? Audi Hieronymum Paulæ luctum in morte filiæ Chriſti verbis increpantem [i]. *Non vereris ne tibi Saluator dicat; Iraſceris, Paula, quia tua filia, mea facta eſt filia? Indignaris de iudicio meo, & rebellibus lachrymis facis iniuriam poſſidenti ..... & quaſi non in meas manus ventura ſit, crudelem iudicem fugis .... & mecum tuam filiam commorari, aut non credis, aut non vis.* Hæc ergo lachrymis iſtis iniuria Chriſto fit, dum illi non creditur, dum pluris fit hic in ſæculo commorari; quam hinc tranſeundo cum illo gaudere.

g Cap. 8. de Mortal.

h Cap. 9 de Patien.

i Cap. 25.

Quod ſi contra iſta dicatur, & veteres Patres ſuos mortuos fleſſe, & à Sapiente [k] *ſuum luctui & riſui tempus datum*, & Chriſtum ipſum in funere [l] Lazari lachrymatum, & eius Apoſtolum nobis præcipere *flere* [m] *cum flentibus.* Ad iſta reſpondent;

k Eccleſ. 3.

l Ioan. 11.

m Ad Ro. 12.

Primò, veteres, vt iam diximus, fleſſe, qui decedebant, quia in infernum præmitti ſciebant. Chryſoſtomus [n]; *Tempus*, inquit, *cogita, quo hæc facta ſunt, & ab omni culpa liberat Ioſeph patrem flentem:*

n Hom. 67. in Gen.

flentem: nondum enim fuerant inferi portæ confractæ; nondum mortis vincula diſſolata; nec adhuc mors, dormitio fuerat appellata: nunc autem cum mors per Chriſti gratiam ſomnus ſit; & finis vitæ, quies; inter tot reſurrectionis argumenta ſic exultandum nobis eſt, cùm hinc euocamur, quaſi de vita in vitam transferamur.

Secundò reſpondent, illorum pleroſque defleſſe, quos ſciebant in perpetuum damnatos; vt Dauid Abſalonem. Ambroſius [a]. *Ammonem & Abſalonem mortuos fleuit Dauid, & flendum mortuum infantem non putauit. Illos enim ſibi periſſe credebat, hunc reſurrecturum ſperabat.* Et alibi [b], *Inceſtum Amnon, inceſtum fleuit occiſum; parricidam Abſalon dolet interemptum; innocentem puerum non putauit eſſe lugendum: quia illos ſibi periſſe pro ſcelere, hanc pro innocentia credidit eſſe victurum.* Quare vniuersè concludit Iſidorus [c]; *Illi deplorandi ſunt in morte, quos miſeros infernus ex hac vita recipit; non quos cœleſtis Aula Chriſti lætificandos includit.* Et clarè Hieronymus.[d] *Lugeatur mortuus; ſed ille quem gehenna ſuſcepit, quem Tartarus deuorat, in cuius pœnam æternus ignis exæſtuat.*

a Orat. de fide reſur.
b Orat. in obitu Valentin.
c lib. 3. de ſumm. bono cap. vlt.
d Ep. 25.

Tertiò, quod ſua tempora riſui, & luctui fuerint a ſapiente diuiſa, nihil id contra dicta facere contendunt. Nec enim eo ipſo quod aliquando ſapiens dicit eſſe lugendum; in morte vel calamitate charorum; id debet intelligi; ſed tantum vbi ſpiritualium bonorum iactura vel interuenit, vel timetur.

Quartò Chriſtum fleuiſſe, non Lazarum mortuum; ſed iterum ad vitæ huius incommoda reuocandum. Iſidorus Peluſiota [e]; *Quoniam*, inquit, *ipſum à morte ad vitam erat excitaturus, collachrymabatur.* Et clarius poſt illum Petrus [f] Bleſenſis. *Chriſtus non pro morte Lazari; ſed pro ipſius reuocatione ad miſerias temporales planxiſſe dicitur, & lauiſſe.* Quod obſcurè ante ſignauerat Petrus [g] Chryſologus, *Chriſtus*, inquiens, *recipiens Lazarum fleuit, non omittens*, id eſt recipiens iterum ad vitam, quem antea mortuum, non ſolum non fleuerat; ſed gauiſus fuerat, diſcipulis dicens; [h] *Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos.*

e ep. 175. lib. 5.
f ep. 174.
g Ser. 64.
h Ioann. 11.

Quintò denique vult nos Apoſtolus flere cum flentibus, ſi iuſtè fleant, & quæ ſunt verè deflenda. Quæ iſta? Audi Bernardum [i]. *Nunquid*, inquit, *Apoſtolus præcipit flere rerum amiſſionem, intermiſſionem voluptatum, filiorum mortes, morborum inſtantiam, grauitatem inopiæ, potentiam fortiorum? Abſit. Plorandi enim ſunt, qui taliter plorant. Religioſa enim triſtitia aut alienum luget peccatum, aut proprium.*

i Ser in feſto B. Mar. Magd.

Ex his ergo videtur effici quod dicebatur: *in morte nec ſua, nec ſuorum*; nec alia corporali calamitate plorandum.

At verò ex altera parte Spiritus ſanctus manifeſtè nobis edicit, vt in aliorum morte ploremus, & lachrymas effundamus. *Fili*, inquit, [k] *in mortuum produc lachrymas.* Quid ergo dicendum? Omnia facile componi, ſi moderatum luctum, & lachrymas intelligamus, eſſe non tantùm permiſſas, ſed commendatas; iuges vero, & immodicas, interdictas, & prorſus damnatas. Iſtæ enim tantùm indicia ſunt infidelitatis, & animi rebellis & contumacis; non illæ. Qua diſtinctione præmiſſa, quæſtionem vniuerſam hoc triplici reſponſo ſedabo, quod ſubiicio.

k Eccli. 22. 10. & 11. Cap. 38. 16.

Primò, lachrymas moderatas in ſuorum morte, & alia calamitate laudari. D. Hieronymus acerrimus alioquin inſectator luctus in funere ſuorum [l]; *Ignoſcimus matris lachrymis*, inquit, *ſed modum quærimus in dolore.* Et Paulinus [m] ad Pammachium, *O diuina bonitatis Dei lachrymas in morte produci iubet: amaritudinem vero lugendi vno die claudit; illud porrigi ſinens, quo relaxatur dolor, & anima reſpirat; iſtud verò præcidens, quod immoderato, & irrationabili cruciatu mentem noſtram conficit.* Quare ſacri Canones [n] quod Apoſtolus prohibet de luctu in morte ſuorum, rectè de nimio & immoderato interpretantur. *Apoſtolus*, inquiunt, *non ſimpliciter ait, Nolumus* [o] *vos ignorare de dormientibus, vt non contriſtemini: ſed addidit ſicut cæteri qui ſpem non habent. Pietatis namque affectu, & humanitatis inſtinctu lugere mortuos non prohibemur; ſicut nonnullos ſanctorum aliorum exequiis pias lachrymas legimus impendiſſe.* Hæc textus exponens etiam quod Chryſoſtomus alicubi docet *lugere, deplorare, & lamentari eos, qui ab hac vita decedant, ex puſillanimitate contingit.* Hoc enim dicit ibi textus Canonicus intelligendum quando fit ex *deploratione* futuræ reſurrectionis, *negatiua*, vt in ſcholis loquuntur *non poſitiua*, id eſt ex nimia obliuione vitæ futuræ: nam ſi fieret ex *deſperatione poſitiua*, non eſſet id tantùm ex puſillanimitate, ſed ex infidelitate. In hunc ſenſum alia ſanctorum dicta declarantur, quæ in eadem cauſa contra lachrymas funebres in ſacris Canonibus adducuntur.

l ep. 25. ad Paul.
m ep. 37.
n c. qui & c. vbicunque 13. q. 2.
o 1 ad Theſ. 4.

Secundò, Iuges, aſſiduæ & pertinaces lachrymæ in morte ſuorum, illæ ſunt quæ mentem arguunt infidelem, & diuinis imperiis reluctantem. D. Hieronymus [p]. *Deteſtandæ ſane iſtæ lachrymæ plenæ ſacrilegio, incredulitate pleniſſimæ, quæ vſque ad viciniam mortis accedant.*

p ep. 25.

Tertiò, Iuges & aſſiduæ lachrymæ, & quæ non videntur habere modum, tantum peccatis debentur, quibus delendis factæ ſunt. S. Laurentius Epiſcopus [q] Nouatienſis de peccatis agens quæ per oculos in animo contrahuntur, egregiam doctrinam de lachrymis tradit, quæ facile poteſt ad omnia flagitia temperare. Dicit enim morbos animi eſſe peccata; quod non ambigitur. Iam verò vt corpore languenti ſanguis emittitur, quo leuantur morbi; ſic in curatione peccati venam aperiendam, vt illud ſanetur. Hanc autem venam, aliam non eſſe quàm cordis: hanc igitur aperiendam; vt inde liquor effluat, quo peccata tergantur. Quæ cordis hæc vena, & quis hic liquor ex illa? Reſpondet, cordis venam oculos eſſe; liquorem vero peccatis ſanandis efficaciſſimum, lachrymas eſſe quas oculi fundunt. *Punge*, inquit, *venam cordis tui pœnitentiæ ſtimulis; & de imo corde atque de intima mente educ aquam viuam in capite profluentem. De oculis ſtillet aqua, quæ totius corporis ſordes tergat & abluat fœditates.* Omitto reliqua, quæ paulo ante præmiſerat; & huc quoque maxime ſpectant, qualia ſunt. *Cecidiſti per oculum, contaminauit te aſpectu ſuo; abluat te aqua ſua .... dic oculo tuo; Ocule, ad te recurro, tibi imputo, exue quod implicaſti. Tu me vulneraſti; tu me ſerua. Tu me polluiſti; tu me purifica; ablue quod inquinaſti; erige, quod eliſiſti; corrige, quod euertiſti ..... Da modo liquorem tuum, & dele peccatum meum; irriga me imbribus tuis; irruant aquæ tuæ, & obruant crimina mea.*

q Homil. de pœnit. in Append. Biblioth. SS. PP.

Sed contra hæc quæ paulo ante diximus obiici poſſunt, quæ ſupra docuimus de lachrymis ad peccata tantum delenda paratis: ob id alia quacunque in calamitate non aſſumendis. Si enim

verum

Digitized by Google

verum hoc eſt, modicæ lachrymæ non ſolum commendandæ non ſunt, alibi quam in peccatis deflendis impenſæ; ſed etiam damnandæ. Quod ſic oſtenditur. Abſurdũ eſt illi morbo pretioſum remedium adhibere, cui nihil omnino profuturum non dubitetur. Quorſum enim oleum, & operam perdere? Sed lachrymæ medicamentum pretioſiſſimum contra peccata, pro nullo alio mali genere quidquam iuuant, vt ſupra vidimus ex Chryſoſtomo, & aliis. Non ergo rationabile videtur illas quantumuis breues, ſpargere ad mortuum vllum deflendum, aut aliam quamcunque calamitatem deplorandam.

Reſpondeo lachrymas moderatè fuſas in morte ſuorum ad plura vtiles eſſe. Primò. Ad teſtandum affectum erga defunctum, & illius deſiderium prodendum. Secundò, ad illum commendandum. Tertiò ad mœrorem leuandum: ob id cum ſic aſſumuntur, non inutiliter aſſumuntur. *Affectum* enim teſtantur: quia ſemper cum affectu retinetur, quod cum dolore amittitur: hinc autem qui plangitur, *commendatur*; quia nemo dolet amiſiſſe, niſi quo iuuabatur. Denique moderatis lachrymis *leuatur dolor*; quia per oculos, quaſi per ſpiramenta quædam, dum ploramus exæſtuat. Vnde D. Paulinus [a] dicebat;

a Ep. 35.

Iccirco vnum tantùm diem mortuo deflendo à Salomone concedi; quia ſi non diutius lachrymæ perdurent, per illas incluſus dolor minuitur, & anima reſpirat. Rectè enim ille canebat;

b Ouid. 3. de triſt.

[b] *Strangulat incluſus dolor, atque exæſtuat intus,*
Cogitur & vires multiplicare ſuas.

Propter quod Dauid de dolore loquens, quem tacitus abſorbebat [c]; *concaluit*, inquit, *cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis.* In meditatione enim ſua dicit, æſtuare, & creſcere dolorem, & velut ignem maiores vires ſumere, qui quo magis incluſus, vehementius exardeſcit. Vt autem hic exitum nactus euaporat; ſic dolor per oculos flendo minuitur. Vnde ille dicebat;

c Pſal. 38. 4.

d Ouid. 4. de triſt.

[d] *Flere meos caſus; eſt quædam flere voluptas;*
Expletur lachrymis, egeriturque dolor.

Et alius [e].

e Seneca in Troad.

arbitrio tuo
Implere lachrymis, fletus ærumnas leuat.

Leuant ergo lachrymæ, non mala, quæ deflentur, quaſi poſſint infecta reddere, quæ facta ſunt; ſed dolorem, qui ex malis concipitur: ob id non inutiliter adhibeatur ad hunc leuandum, & officium pietatis exoluendum: quorum neutrum præſtant cum immoderatæ ſunt. Nec enim tunc honeſtum affectum & deſiderium teſtantur, ſed inſaniam animi furentis; nec dolorem minuunt, ſed illi vires conduplicant, vt pluribus D. Hieronymus in epiſtola ſæpius citata.

CAPVT VII.

f 2. Reg. 14. 2.

Ad verba Ioab.

[f] Lugere te ſimula, & induere veſte lugubri, & ne vngaris oleo: vt ſis quaſi mulier iam plurimo tempore lugens mortuum.

De ritibus in veſtitu lugubri ſeruatis; qualis is, primùm de veſtium ſciſſione, & geſtatione ſciſſarum.

NVlla re clariùs homines hos duos affectus, mœroris, & triſtitiæ teſtantur, quam veſtis habitu & qualitate. Propterea inter omnia, quæ maximè propria ſunt feſtæ celebritatis, aut luctuoſi temporis, præcipuum ſemper locum veſtes obtinuere. Quarum illæ proprio vocabulo in ſacris literis *veſtes* [g] *ſalutis* [h], *gloriæ*, & *lætitiæ* [i] nuncupantur. iſtæ verò mœroris, & *luctus* [k], & vno verbo tam in ſacris quam in prophanis literis, *lugubres* dicuntur. Et quidem aliquando per nomen adiectiuum *lugubres veſtes* appellantur, vt hoc loco Regum: aliquando *lugubre*, & *lugubria* ſubſtantiuè etiam per ſe poſita, nil aliud ſignificant, quam indumenta propria lugentium: quomodo Ouidius de Cæyce mortuo.

g Iud. 12. 15. Eſa. 61. 10.
h Iſaiæ 52. 1.
i Iud. 16. 9.
k Baruch. cap. 5. 1.

[l] *Surge, age, da lachrymas, lugubriaque indue; nec me*
Indeploratum ſub inania Tartara mitte.

l Lib. 11. Met.

Quod verò maxima cauſa luctus ſint mortes charorum, quorum cauſa lugubria hæc induuntur, etiam Latinis *mortualia* nuncupantur; vt illa Næuius [m] appellauit. De his ergo accuratiùs hic aliquid vt exponamus, eorum formam, materiam, ornatum, colorem diſtinctiùs exequemur: ordiamur à *forma*. Hæc erat in veſte lugubri planè deformis, non quod tales primum conficerentur; ſed quod aptè prius concinnatæ, in luctu poſtea lacerabantur. Et inde tam frequens ſciſſarum veſtium mentio apud antiquos, vbi de illorum dolore, & luctu aliquid exponitur.

m Apud Non.

Ad quam ſciſſuram quod attinet, duo diſtinguenda ſunt, *ſciſſio* ipſa, & *ſciſſarum* veſtium geſtatio. Cum enim hoc vtrumque inter ſolemnia luctus eſſet, & indicia certiſſima doloris, *ſciſſio* ſubitum ſignificabat, & tunc primum erumpentem; *ſciſſa* verò veſtis geſtatio diuturnum, & perſeuerantem. Agamus ergo prius de ſciſſione ipſa; tum de ſciſſæ veſtis geſtatione.

Sciſſio fiebat ad ſubitam cauſam magni doloris, qui excitaretur ex occurſu alicuius calamitatis; aut ex iniuriis facta numini. Calamitas aut præſens erat, aut nunciata; præſens quodcunque infortunium, quod primum ingrueret, & experirentur. Sic Ruben [n] cum Ioſeph in puteo non repeririſſet, *veſtimenta ſua ſcidit*; & Iacob ad conſpectum tunicæ filij cruentatæ [o], *ſcidit etiam veſtes ſuas.* & vno verbo omnes Hebræi vbi primum eorum ægroti ſpiritum ipſis præſentibus exhalabant, aut cum ad eos iam mortuos primum accedebant, veſtes lacerabant. Quod ne ſummus Pontifex vllius cauſa faceret, ſupra vidimus à Deo interdictum. Ad calamitatem verò nunciatam ſcidit Iob veſtimenta ſua audita ſtrage rerum ſuarum, & morte filiorum; Scidit Dauid audita morte Saulis, & Iſraëlitarum; ſcidit Ionathas audita clade ſuorum. At verò ad ſubitum conſpectum iniuriæ factæ Deo, ſciderunt Paulus & Barnabas tunicas ſuas, cum viderent gentilium turbas honorem Deo vero debitum ſibi deferre: ſcindebant omnes Iudæi quoties audiebant aliquem blaſphemantem vt fecit Caiphas cum audiſſet Chriſtum filium ſe Dei profitentem. Id enim impius Pontifex inſignem Dei contumeliam putauit; propterea ſcindens veſtimenta ſua dixit [p], *Blaſphemauit*. Et Ezechias audiens blaſphemias Rabſacis, etiam veſtimenta diſcidit: Erat autem ad Hebræis adeo receptum, vt alicubi grauiter Ieremias conqueratur ad conſpectum iniuriæ Deo irrogatæ, qui præſentes aderant, veſtimenta ſua non conſcidiſſe. Cum enim volumen ſacrum quo Ieremiæ vaticinia continebantur, per contemptum ante Regis oculos combu-

n Gen. 37. 30.
o Ibid.
p Mat. 26. 23.

ſtum

ſtum eſſet, vt argumentum profligatæ impietaris adduceir, illos qui aderant, ad tale ſpectaculum veſtes oon ſcidiſſe; vt moris erat com Deo grauis iniutia fieri cernebarur. *Proiecit*, inquit, *Iudi volumen in atulam donec conſumeretur igne, qui erat in illa.* Et ſubdit; *Et non timuerunt, neque ſciderunt veſtimenta ſua Rex, & omnes ſerui eius, qui audierunt vniuerſos ſermones iſtos.*

Poſſet hîc quæri num ritus hîc etiam apud alias gentes obrineret: & dubium non eſt etiam obrinuiſſe tam apud Græcos, quam Romanos; à quibus in ſubita cauſa doloris, ad illum eonteſtandum, vel ad alienam miſericordiam prouocandam, vel ad aliquid depræcandom, veſtes paſſim diſcindebantur. De Iulio Cæſare Suetonius diſtinctè refert traiecto Rubicone flumioe, militom fidem imploraſſe cooteſtatum vt eam ſibi ſeruarent, à pectore veſte diſciſſa. De Auguſto natrat Dio veſtem diſcidiſſe audita elade Vari & legionom. At Nero defectione Hiſpaniaruo nunciata, *diu*, inquir Suetonius, *iacuit prope intermortuus; poſt ſibi redditus, veſte diſciſſa, capite conuerberato, actum de ſe pronuncians.* Similiter Maximinus, audito Africam deſciuiſſe, veſtem ſcidit, io parietes irruir, gladium arripuir præ indignatione. De Auguſto vero natrat idem Suetonius cum perpetuam Dictaturam à popolo ſibi delatam recuſaret; & ille perſiſtens, quaſi cogeret ad ſuſcipiendam, *genu nixum, deiecta ab humeris toga, nudo pectore eam deprecatum.* De Romanis ergo id dubium non eſt.

a *lib 6.*
b *rucian. de luctu Plut. in Anton.*
c *lib.48.*

De Græcis verò & Ægyptiis Herodotus [a], & alij [b] teſtantur; & fuiſſe morem hunc apud omnes paſſim in omni luctu Diocaſſius [c] declarar. Narrans enim quomodo Sextus Pompeius, & Triumuiri conuenisſent, adiungir vtriuſque exercitus milites, audita pace Ducum, inter ſe etiam ſalutaſſe; *ſtatimque multos vtrinque veſtes dilaceraſſe more lugentium*, quod quiſque audiſſet mortes cognatorum, vel propiuqoorom, qui ex vtraque parte interierant. Et hæc de ſciſſione ipſa, quæ fiebat ad primum appulſum doloris.

Iam verò veſtes ſic ſciſſæ deiode etiam retinebantur, & in iis apparebant luctu perdurante ad mœrorem animi teſtandum. Sic qui charos extulerant, qui grauios aliquod inforrunium paſſi erant, aut nonciabant, ſciſſas veſtes gerebant. vt is qui nuncium infauſtum captæ areæ ferebar.

d 1.Reg.4. 12.

Ad Heli enim venit [d], *veſte ſciſſa, & puluere conſperſus caput.* Sic illi qui ad Rabſacem miſſi fuerant, ad Ezechiam reuerterunt, cùm nihil impetraſſent.

e 4.Reg.18. 37.

Venerunt [e], inquit, *ad Ezechiam ſciſſis veſtibus, & nunciauerunt ei verba Rabſacis.* Sic denique vt ad ſui miſeratinnem Ioſephum commouerent, eius fratres ad illum reuerſi ſunt poſt

f Gen.44.13

ſcyphum in ipſorum ſarcinis inoentom. *Sciſſis*, [f] ioquit, *veſtibus oneratiſque rurſus aſinis, in oppidum reuerſi ſunt.*

Nec diſſimiliter ſeruatum, vt quas veſtes in ſubito dolore diſciderant, eaſdem ſciſſas aliquaodiu luctu durante geſtarent. Virgilius [g].

g *lib.12.*

—— it ſciſſa veſte Latinus
Coniugis attonitus fatis, vrbiſque ruina.

In ſciſſa verò veſte mulieres præcipue fuiſſe, quæ mortuos lugebant, habemus à Iouenali [h] funus deſcribente quod habuiſſet Priamos, ſi Troia ſtante occubuiſſet.

h *ſat.10. v.262.*

Incolumi Troia Priamus veniſſet ad vmbras
Aſſaraci magnis ſolemnibus; Hectore funus
Portante ac reliquis fratrum ceruicibus, inter
Iliadum lachrymas, vt primos edere planctus
Caſſandra inciperet, ſciſſaque Polixena palla.

Quod igitur dicir hîc Ioab mulieri ſapienti *induere veſte lugubri*, de conſciſſa & lacera poſſumus interpretari, Id enim inter alia lugubris veſtis babebat, vnde à communi diſtabar.

Secundò, etiam *materia* differebat Nam quotidianæ veſtes ex laua, aut lino, aut pretioſiore vellere pto cuiuſque fortuna conſtabant: At lugubres eraot omnes fermè rudes, ex vili materia, aſpera pannoſa. Ad qood obſeruandom, lugubres veſtes io duplici genere fuiſſe. Quædam eoim in id propriè conficiebantur; aliæ iam ferri ſolitæ luctus rempore retinebantur: illæ lugubres fiebanr ex aſperitate materiæ, & rudi genere rextutæ: iſtæ lugubres erant eo ipſo quod ſciſſæ, ſordidatæ, & obſoleræ geſtabantur. Harum ergo lugubrium veſtium materia erar eadem, quæ cæterarum; cum eædem veſtes eſſent, quæ communiter gerebantur, ſed proſciſſæ, & ab omni cura neglectæ. At aliarum quæ propriè ad luctum texebantur, longè alia materia à communibus veſtibus erat. Vt plurimum autem pili, & cannabis ex quibus, & ſimilibus confectæ veſtes generali *ſacci*, & *cilicij* nomine in ſacris literis appellantur. Quod vtromque in luctu aſſumi ſolitum exempla innumera declarant. Luget Dauid Saulem & Ionatham, & ſacco cum ſociis induitur: veniam poſtulaturi legati Benadab adeunt Regem Iſrael, & ſaccis accingunt lumbos ſuos, vt habitum lugentis aſſumant. Audit Iacob mortuum filium ſuum Ioſeph, & indutus cilicio ſe luctui tradit. Omitto reliqua ne in re non dubia inutili labore defungar. Ambigi iam poſſet an apud alias gentes etiam vſitatum vt lugubres veſtes à communibus non tantum forma, & genere cultus, ſed etiam materia differrent. Et dubium mihi non eſt in hac etiam diſcrepaſſe. Reperio enim Romanos, & Græcos in luctu non ſolùm veſtes conſcidiſſe, ſic conſciſſas geſtaſſe, & ſordidas retinuiſſe; ſed etiam veſtes mutaſſe. Non ſolum igitur luctus tempore priſtinæ veſtes in vſu erant, licet ſciſſæ, & neglectæ; ſed aliæ in id propriæ aſſumebantur; quæ ſine dubio non poterant ex alia materia conſtare, quam vili, pannoſa, & prorſus agreſti. Mutare autem ſolitos veſtes in luctu tam Græcos, quam Romaoos, Plutarchus, & alij teſtantor, & nos infrà pluribus. Nec omittam apud pleroſque adeo in veſtibus luctus tempore variatum vt viri fœmineis, fœminæ virilibus vterentur. Valerius de Lyciis; *Cum iis luctus incidit, muliebrem*, inquit, *veſtem induunt; vt deformitate cultus commoniti, maturius ſtultum proiicere mœrorem velint.* Sed de hoc iterum.

Nunc de ornatu lugubris indumenti. Qualis hic? Omni prorſus ornatu carere, ſiue cura, ſiue diuitiis quæſito. *Cura*, quia veſtis lugubris non ſolum neglecta; ſed etiam ſordida ſtudioſè quæſita. *Diuitiis*, quia in luctu aurum, gemmæ, & omnis exquiſitus cultus procul habebatur. De ſordibus conſtat ex duplici capite: primò, quia tempore luctus à lauacris abſtinebant, vt paulo poſt: ſecundò, quia puluerem capiti, & in toto corpore aſpergebant: inde neceſſe vt veſtimenta ſordcrent; quorum, vt libro de re veſtiaria diximus, aſſidua lotione nitorem in quotidiano cultu reparabant. Ob id cum à Zacharia propheta Ieſus ſacerdos in luctuoſo habitu deſcribitur, inter alia dicitur veſtimentis ſordidis indutus. Apud

alias

alias vero gentes, Romanos in primis, id ipſum ita vſurpatum, vt idem eſſet in ſordibus eſſe, ac in luctu verſari. Quintilianus de lugubri habitu reorum. *At ſordes, & ſqualores, & propinquorum quoque ſimilem habitum ſcio profuiſſe, & magnum ad ſalutem momentum preces attuliſſe.* Inde Ciceroni *ſordes lugubres* appellatæ quod ſint propriæ lugentium, & alibi clarè *iacere in ſordibus* poſuit pro *lugere*, ad vxorem ſcribens. *Te nunc, mea Terentia, ſic vexari, & iacere in lachrymis, & ſordibus.*

At de neglectu omnis ornatus in luctu extrinſecis munditiis quæſiti, res adhuc teſtatur. B. Iudith, quæ in viduitate poſita, habitum lugubrem gerebat, omni prorſus ornatu caruiſſe deſcribitur. Ornatum cum dico, omne illud intelligo quod veſti adiunctum pretium illi auget, & decorem. Nec dubium quin id, vt apud Hebræos, ita apud omnes alios valuerit: res enim ipſa loquitur, & natura monſtrante, quiuis intelligit non bene cum luctu aurum & purpuram conuenire.
a *lib. 34.* De Romanis fœminis apud Liuium [a]. Sic Caius Valerius diſſerit. *Munditiæ, & ornatus, & cultus, hæc fœminarum inſignia ſunt; his gaudent, & gloriantur, hunc mundum muliebrem appellauere maiores noſtri. Quid aliud in luctu, quam aurum & purpuram deponunt, quid cum eluxerunt ſumunt; quid in gratulationibus, ſupplicationibuſque niſi excellentiorem ornatum adiiciunt.* Nec id tantùm fœminæ; ſed viri, & quicunque etiam Magiſtratu fulgentes omnia in luctu ornamenta ponebant. Dauid, Rex Niniuæ, Eſther habitus regales abiiciunt, & inſignia dignitatis: apud Romanos ipſi Senatores in purpura & lato clauo ſoliti, plebeios amictus aſſumebant; Conſules, & Prætores ſine faſcibus incedebant; Equites
b *lib. 9.* aureos anulos exuebant. Liuius [b] de luctu propter acceptam cladem; *Extemplo, ſine vlla publica auctoritate concurſum in omnem formam luctus eſt;*
c *lib. 43.* *lati claui, aurei anuli poſiti.* Et rurſus [c]; *Equites in conſpectu populi aureis anulis poſitis, veſtem mutarunt.*
d *lib. 1.* Inde Lucanus [d] de Magiſtratibus ipſis, & qui in aliqua dignitate;

——Latuit plebeio tectus amictu
Omnis honos, nullos comitata eſt purpura faſces.

e *Lib. 3. Annal.* Et clarè Tacitus [e] in funere Germanici. *Illic miles cum armis, ſine inſignibus Magiſtratus.* Denique ſolemne id adeo Romanis, vt lege ſancitum
f *Paul. I.C. lib 1. cap 21. Recept. ſenten.* eſſet [f] iis, qui lugerent, inter alia ab ornamentis abſtinendum. His abſolutis, de lugubrium colore paulo diſtinctiùs agamus.

Indumenta lugubria quali colore?

§. II.

EX vna parte conſtans omnium opinio videtur, ab antiquiſſimis etiam temporibus apud omnes gentes nigri coloris lugubria fuiſſe, aut qui ad nigrum vergeret, vt pullus, & fuſcus. De Hebræis certa res eſt: illis enim vt vidimus, indumenta lugubria ex ſacco conſtabant. At hic niger erat. B. Ioannes de ſolis defectu, & tenebris
g *Apocal. c. 6.* illum obducentibus. *Sol* [g], inquit, *factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus.* Et apud Iſaiam [h],
h *Cap 50. 3.* Deus de eodem ſolis obſcuritate loquens. *Induam cælum tenebris, & ſaccum ponam operimentum eorum.* Quare Dauid indumentum deſcribens in quo tempore luctus incedebat; *Cùm mihi*
i *Pſ. 34. 14.* *moleſti eſſent* [i], inquit, *induebar cilicio ... & quaſi*

Sopran. in Dauid.

lugens & contriſtatus, ſic humiliabar. Contriſtatus enim hic ex Hebræo propriè eſt *denigratus*, nigris ſcilicet veſtibus indutus, & vt Latini dicunt, *atratus*; quod eſſet adeo propria lugentium, & eorum, qui in triſtitia poſiti nigredo; vt quæcunque *nigreſcunt*, lugere dicantur; & quæcunque *lugent*, eo ipſo nigreſcere. Ieremias [k]. *Luge-* k *Cap. 4. 28.*
bit, inquit, *terra, & mærebunt cæli deſuper, eo quod locutus ſum.* Dicit enim terram, & cælum obtenebranda; quod explicat per illius luctum, & huius mœrorem: quia nimirum qui lugent, in nigris veſtibus ſunt, quaſi tenebris cooperti. De Ægyptiis verò à quibus hanc legitimi luctus conſuetudinem fluxiſſe pleri que volunt; id ipſum Seruius affirmat. *Morem lugendi*, inquit, *quidam dicunt Ægyptios inueniſſe. Eos enim primos Liberum, quem Oſirim appellant, à fratre Typhone per inſidias interemptum atra veſte luxiſſe: inde cæteris gẽtibus traditum vt poſt interitum proximorum, ſuorum mortem nigra veſte lugerent.* Seruatum id igitur apud omnes alios, Græcos in primis, & Romanos. De illis conſtat ex Artemidoro Quærit alicubi quid nigræ veſtes in ſomnio geſtatæ portendant? Reſpondet ſalutem ſignificare; maxime ſi quis ægrotat. *Non enim*, inquit, *nigris veſtibus mortui, ſed qui ſuperſtites eos lugent, induuntur.* Ob id Pericles gloriabatur nulli ſe vnquam ciuium cauſam præbuiſſe; *vt atratus incederet.* Per id ſignificans nulli ſe mortem attuliſſe, aut aliam calamitatem: vnde propinqui ex more veſtes atras induerent. Quin etiam Troianis temporibus apud Homerum Thetis nigro velo tecta Iouem adit ad mortem filij deprecandam. Cur id; niſi quia proprius ille color etiam tum lugentium? Apuleius ritum exprimens in vniuerſa Græcia ſeruatum. *Inter hæc quædam mulier per medium theatrum lachrymoſa & flebilis, atra veſte contecta, paruulum quendam ſinu tolerans decurrit.* Et iterum; *Mater pueri mortem deflens, fletu & lachrymis, & fuſca veſte contecta.* Nec ob aliud ab Ouidio filiæ Niobes inducuntur atris veſtibus lugere fratres, niſi quod paſſim id apud omnes Græcos obtineret:

—— ſtabant in veſtibus atris
Ante thoros fratrum demiſſo crine ſorores

At de Romanis res adhuc eſt exploratior: inde enim conſueta forma loquendi, qui in luctu erant, *atrati* dicebantur; quia non niſi veſtibus atris induti. Vnde Iuuenalis eorum habitum deſcribens, qui ob longam ætatem plures ſuorum funeraſſent:

Hæc data pœna diu viuentibus, vt renouata
Semper clade domus, multis cum luctibus, inque
Perpetuo mærore, & nigrâ veſte ſeneſcat.

Et Propertius neſcio quem carpens qui in coniugis funere, luctus indicia non exhibuerat.

Denique quis noſtrum curuum te funere vidit,
Atram quis lachrymis incaluiſſe togam?

Hinc illa Macrobij querela in Craſſum, qui murænam in piſcina mortuam *atratus* vt filiam luxerat. Ne vero quis exiſtimet id tantum libera Rep. ſeruatum; etiam ſub Imperatoribus, & vſq; ad Cypriani, & Hieronymi tempora, non alius Romanis color in luctu, quam niger. Cyprianus alicubi contendens, fideles in peſtilentia, quæ tunc ſæuiebat, morientes, non eſſe lugendos. *Quam*, inquit, *frequenter atque manifeſtè de Dei dignatione præceptum eſt; vt conteſtarer aſſiduè, & publicè prædicarem fratres noſtros non eſſe lugendos, acceſſitione dominica de ſæculo liberatos* ...

Digitized by Google

nec accipiendæ hic atræ veſtes, quando illi indumenta alba iam ſumpſerint. Similiter Hieronym. [a] ad Iulianum. *Laudent*, inquit, *te alij, & contra Diabolum victorias panegyricis proſequantur, quod læto vultu mortes tuleris filiorum, quod in quadrageſimo die dormitionis eorum veſtem mutaueris, & dedicatio oſſium Martyris candida tibi veſtimenta reddiderit.*

a ep. 34.

Non obſcurè ergo ex his inconcuſſum eſſe videtur atrum colorem lugentium proprium fuiſſe. At turbat ex alia parte quod quidam *album* etiam volunt; aut certè rem dubiæ quæſtionis eſſe contendunt. Plutarchus enim in Romanis Quæſtionibus exertè docet *albam veſtem* in luctu, ſolemni more fœminas induiſſe; cuius rei cauſam quærit, & multiplicem reddit; adiungens id non ſolùm Romanis vſitatum, ſed Græcis nonnullis; vt Argiuis. Et Herodianus Seueri exequias deſcribens ad lecti funebris dextrum latus primarias ciuitatis fœminas lugentium habitu condidiſſe narrat *in albis veſtibus*, ſine vllis ornamentis; ad ſiniſtrum verò Senatores pullis lacernis adſtitiſſe. Non ergo videtur vſquequaque verum nigrum colorem ſemper, & ab omnibus in luctuoſis veſtibus aſſumptum. Sed fœminas album vſurpaſſe: quod indicans Statius in lachrymis Hetruſci dum Pietatem inuocat, vt illi adſit defunctum Patrem lugenti cum niueo amictu vult adeſſe.

Summa Deûm Pietas, cuius gratiſſima cœlo
Rara prophanatas inſpectant numina terras.
Huc vittata comam, niueoque inſignis amictu
Mitibus exequiis ades, & lugentis Hetruſci
Cerne pios fletus.

Quid ergo hac in ambiguitate dicendum? ſtrictum ſignificauimus vbi de veſtibus actum. Hic iterum eſt clariùs repetendum, cùm propriè locus exigit, vt res non indeciſa ſinatur. Dicendum ergo libera Rep. communem lugubrium veſtium colorem nigrum, aut qui ad nigrum vergeret fuiſſe; quod indicant exempla prolata, & Dionyſius [b] Halicarnaſſæus diſertè teſtatur. De Bruto agens, qui Reges exegit. *Romanæ matronæ*, inquit, *vt mos eſt illis in luctu domeſtico, & neceſſariorum funeribus, depoſito auro, & purpura, cæteroque ornatu, atratæ ipſum per annum integrum luxerunt.* At vero ſub Imperatoribus eſt aliquantulum variatum. Quod enim matronarum luxus eò proceſſiſſet, vt in quotidiano cultu non aliis, quam pretioſis, & auratis veſtibus vterentur, factum eſt vt albus & ſimplex habitus nullo peregrino colore fucatus, illis iam ſqualidus eſſet, & obſoletus; ob id in luctu vſurpatus. Cæterum, ſi de Hebræis loquamur, dubium non eſt apud illos viris non ſolum, ſed fœminis nigrum colorem; mœſti temporis proprium fuiſſe; album vero feſtæ celebritatis, vt à nobis alibi [c] fuſius eſt explicatum.

b lib. 8.

c lib. de veſtiar. diſp. 3.

CAPVT VIII.

d 2. Reg. 19. 24.

Ad illa verba. [d] Miphiboſeth illotis pedibus, & intonſa barba deſcendit in occurſum Regis.

Quali cultu corporis eſſent, qui lugebant?

Diximus de veſtitu lugentium; nunc de cultu in reliquo corpore. De quo, & vniuerſo luctuoſo habitu præmittendum eſt, quod ante nos aliis obſeruatum; vſurpaſſe in ſolemni luctu peruersè omnia, & præpoſterè, quam in quotidiana vita ſolerent. Itaque capillum ponebant, antea comati; barbam alebant, antea detonſi; cultum omnem negligebant, antea nitorem profeſſi. Nobiles amictu plebeio induebantur; milites arma inuerſa geſtabant; magiſtratus faſces aut demiſſos, aut nullos; ſigniferi vexillis ſolum verrebant; tibicines raucum cornibus perſtrepebant; vno verbo, totos habitus in luctu à priſtino, & ſolito ſtatu commutabatur. Vnde eſt quod apud Latinos veſtem mutare, poſitum ſit pro lugubrem & funeſtam aſſumere: vt idem videatur eſſe *lugubris* habitus, quod *mutatus*. Quam rationem omnium adhuc apud pleraſque. Italiæ vrbes video retentam, quæ lugubriter indutos, qui paſſim *di ſcorruccio* dicuntur, *immutatos* appellant, aut immutatis indutos. His præmiſſis, cultus corporis in lugentibus erat non ſolum omni cultu vacare; ſed vltro etiam ſordes acceſſere, & in illis incedere.

Primo ergo in ſqualore erant. Quid hic? Situs & ſcabrities in facie & toto corpore ex neglecta lotione proueniens; à ſquamis ſic appellatus [e], quorum quandam quaſi ſpeciem cutis refert illuuia fœdata. Proprius autem hic adeo lugentium erat, vt nil frequentius in ſacris & propheticis literis illis tribuatur. Ieremias [f] habitum funebrem Sichimitarum deſcribens ob mortem Godoliæ. *Venerunt*, inquit, *viri de Sichem, raſa barba, ſciſſis veſtibus, & ſqualentes.* Et alibi de luctu cunctorum ordinum, & omnis ætatis, & ſexus ob captam Ieroſolymam [g]; *Sacerdotes*, inquit, *eius gemunt, virgines eius ſqualida.* Per hoc ipſum in luctu ſignificans. Vnde apud Latinos pro eodem poſitos ſqualor & luctus; ſqualere, & lugere. Cicero alicubi: *Erat igitur in luctu Senatus, ſqualebat ciuitas, publico conſilio veſte mutata.* Et alibi; *Tota ciuitas confecta ſenio eſt, ſqualent municipia, afflictantur coloniæ.* Et inde totus habitus eorum qui plane lugubris erat, vno vocabolo *ſqualor* appellatos à Iuuenale loco citato.

e Macrob. lib. 6. Saturn. c. 7. Gellius lib. 2. cap. 6.

f Cap. 41. 5.

g Thren. 1. 4.

Quæ plorare iubet caſum lugentis amici
Squaloremque rei——— [h]

h Sat. 15.

Secundo loco, propria lugentium *illuuies* erat. Hæc duo ſignificat; *abſtinentiam* à conſueto lauacro, & *ſordes* inde contractas. Vt illud ſignificat, *illuuies* à ſqualore differt, vt ab effectu cauſa. Lauacro enim omiſſo, ſqualor inter alia corpore contrahitur: in hoc vero, differt *illuuies* à ſqualore, quod hic aſpetitas cutis eſt, illa ſordes. In vtroque autem ſcoſu erat illuuies propria lugentium primo, vt dicit abſtinentiā à cooſueta lotione, & id tam in corpore, quam in veſtibus. Quod hic de Miphiboſetho diſertè notatur. *Illotis enim pedibus acceſſiſſe* dicitur; quod, omiſſum ſignificat corporis & artuum lauacrum: & poſt ſignatè *veſtimenta ſua non lauaſſe* ſubiicitur. Similiter de Dauide luctum quem pro paruulo ſumpſerat, exuente refertur [i], quod *ſurrexit de terra, & lotus, vnctuſque eſt*; nempe quia lauacrum ſolitum omiſerat, ipſum lugens. Et pari modo Iuditha dicitur [k] corpus ſuum lauiſſe cum lugubria poſuit, quæ in viduitate gerebat. Lauit enim tunc primum corpus, quod illuc vſque maritum lugens omiſerat. At de illuuie pro pædore, & ſordibus ex illa contractis, res eſt notior; & conſtare poteſt ex iis quæ diximus de veſtibus ſordidatis. Nec enim facile fieri poteſt vt inquinata

i 1 lib. 2. Reg. 12. 20.

k Iud. c. 10. 4.

ſuquinata membra non ſint, ſi lauacris diutius
abſtineatur, & immunda veſtimenta geſtentur.
Tertio loco erat *pulueris aſperſio.* nec enim
contenti veſtes, & artus illuuie deturpare, &
omiſſione lauacri, inſuper etiam ſordes acceſſe-
bant, pulueris iniectione: quo ritu, nihil fre-
quentius apud Hebræos, Græcos & Romanos in
eorum luctu. Amici Iob vt cum ipſo luctum
a Iob c.2.3. conſociarent [a] *ſciſſis veſtibus ſparſerunt pulue-
rem ſuper caput ſuum in cœlum, & ſederunt cum*
b 1.Reg.4. *eo in terra.* Similiter nuncius [b] arcæ captæ. *Venit
ſciſſa veſte, & puluere conſperſus caput.* In quo
c lib.2.Reg. c.1 2. eodem habitu nuncius [c] apparuit de morte Io-
nathæ; quod ipſum ab antiquiſſimis temporibus
d *Iliad.*18. Græcis vſitatum, teſtatur Homerus [d] Achillis
luctum deſcribens in Patrocli morte.

Corripiens manibus cinerem, nigrámque fauillam
Inſperſit capiti, & faciem fœdauit honeſtam.

De Thebanis & aliis Græcis idipſum Statius ex-
preſſit, agens de Adraſti luctu Argiuorum Regis.

—ſedet ipſe exutus honore
Vittarum nexu genitor, ſqualentiaque ora
Sparſus, & incultam ferali puluere barbam.

Feralem puluerem dixit, quem Dauid *puluerem
e Pſal.21. mortis* appellauit, [e] proprium ſcilicet eorum, qui
ſuam, vel aliorum mortem lugebant; vt ſit idem
puluis mortis, quod ad mortem, & mortuos ſpe-
ctans, quod *ferale* à Latinis appellatur. De Troia-
nis verò, præter Homerum, etiam Seneca id at-
teſtatur.

Soluite crinem per colla fluant
Mæſta capilli, tepido Troia
Puluere, turpis paret exertos
Turba lacertos.

Tepidum enim puluerem, hic cinerem appellat,
quo pariter vt alio puluere ſpargebantur.
At de Romanis hoc ipſum illa Virgilij decla-
rant, eorum mores in aliis Italiæ populis expri-
mentis. De Mezentio enim agens filium lugente:

f *lib.*10.*Æn.* *Agnouit* [f] *longè gemitum præſaga mali mens*
Canitiem immundo deformat puluere, & ambas
Ad cælum tendit palmas, & corpore inhæret.

g *lib.*12. Et iterum [g] de Latino Amatam vxorem lugente

—it ſciſſa veſte Latinus,
Coniugis attonitus fatis vrbiſque ruina,
Canitiem immundo perfuſam puluere turpans.

Reliqua ad hunc ritum, quod ad Hebræos & alios
attinet, & nos alibi proſequimur, & alij ante nos.
Quarto loco barba & capilli à lugentibus *in-
uertebatur.* Conſultò vocabulo hoc vſus ſum:
nam malè in hoc, qui vniuersè pronunciant, aut
capillos & barbam in funere veteres raſitaſſe, aut
promiſiſſe. Malè inquam; quia neutrum abſolutè
verum: ſed, vt ante dixi, contrario ſe modo, quo
ad barbam & capillos, habebant in luctu, quam
in quotidiana vita ſolebant. Itaque prius attonſi,
capillos promittebant; antea vero comati, lugen-
tes abradebantur. Quid ergo in hoc ab Hebræis
obſeruatum? Variarunt ſæpius. Prout enim in vi-
ta communi varius illis erat modus barbæ, &
capilli; ita quoque variè in luctu tondebantur:
quod ab ipſis non ſolum, ſed ab aliis quoque
gentibus eſt factitatum. An igitur à lugentibus
barba, & capilli deponerentur, an promitteren-
tur; ex alia quæſtione pendet, an comati, vel at-
tonſi incederent in communi vita. Qua de re,
quid de Hebræis, & aliis dicendum, ex alibi di-
ctis conſtat, vbi de vrbano cultu. Quicquid au-
tem ſit de capilli, vel barbæ tonſione; certum ta-
men eſt, ſi de raſura capillorum loquamur, per

quam *caluitium* inducitur, eam ſemper indicium
luctus, & apud omnes gentes, præſertim in fœmi-
nis fuiſſe, cùm vltrò aſciſcebatur. Dico, *cum vltrò:*
nam ab aliis inductum *caluitium*, ſignum erat
captiuitatis, vt ibidem pluribus.
Hoc ergo, ſine dubio, apud omnes ſignum lu-
ctus erat, & primò, in fœminis. Hinc Prophetæ
paſſim caluitium pro luctu ponunt. Iſaias Moa- h *Cap.*15.2.
bitarum luctum deſcribens [h]; *Moab*, inquit, *vlu-
labit; in cunctis capitibus eius caluitium, & omnis
barba radetur; in triuiis eius accincti ſunt ſacco;
ſuper tecta eius, & in plateis eius omnis vlulatus
deſcendit in fletum.* Generalem enim hic totius
populi luctum deſcribit, ob gentis ſubuerſionem,
quam eodem modo exprimit Ieremias [i]. *Omne,* i Cap.48.37.
inquit, *caput caluitium, & omnis barba raſa erit:
in cunctis manibus colligatio, & ſuper omne dorſum
cilicium. Super omnia tecta Moab, & in plateis eius
planctus.* Similiter Ezechiel vt quidam volunt,
gentilium quorũdam luctum deſcribens ex clade
accepta [k]; *Accingent*, inquit, *ſe ciliciis, & operiet eos* k Ezech.7.18.
*formido, & in omni facie cõfuſio, & in vniuerſis ca-
pitibus eorũ caluitium.* Sed cum certum ſit hoc de
gentilibus, dubium poteſt id eſſe de populo Iu-
dæorum, an ab illis in luctu caluitium fieret. Ra-
tio dubitandi, quia Deus apertè illis interdicit [l]; l Deuter.14.1
ne lugentes illud inducant. *Filij*, inquit, *eſtote Do-
mini Dei veſtri; non vos incidetis; neque facietis
caluitium ſuper mortuo: quoniam populus ſanctus
es Domino Deo tuo* Quod ipſum iterum repetitur
in libro Deuteronomij.
Sed fortè non abſolutè in omni luctu, ſed in
funebri tantum, vetitum fuit Iudæis caluitium:
ob id cum clades aliæ lugebantur, & publica in-
fortunia, poterant etiam ipſi caluitium induce-
re. Quare Amos [m] ex publica calamitate genera- m Cap.8.10.
lem luctum illis indicens, inter alia eius argu-
menta caluitium ponit. *Conuertam*, inquit, *feſti-
uitates veſtras in luctum, & omnia cantica veſtra in
planctum, & inducam ſuper omne dorſum veſtrum
ſaccum, & ſuper omne caput caluitium.* Sed proba-
bilius eſt nullo diuini præcepti reſpectu ſolitos
etiam mortuos ſuos inter alia, inducto caluitio
lugere, vt D. Hieronymus [n] obſeruat. Quare Ie- n In Cap.16. Ierem.v.6.
remias alicubi [o] quod illi facere nolebant, vt Deo o Ibid.
obſequerentur, prædicit ab illis ob multitudinem
funerum obſeruandum: tantam enim mortuo-
rum copiam futuram, & tam multiplicem mate-
riam doloris, & luctus, vt omnibus in ſuis infor-
tuniis, & ſe ipſis lugendis occupatis, vlli vacatu-
rum non ſit alios lugere, & pro illis defunctis
caluitium inducere. Sic enim dicit. *Morientur
grandes, & parui in terra iſta; non ſepelientur, ne-
que plangentur; & non ſe incident, neque calui-
tium fiet pro eis.* Hæc, quæ contra Dei præceptum
Iudæi in funebri luctu ſeruabant, omittentur,
non obſequendi voluntate, ſed vinculo neceſſita-
tis. Id ergo, cur à Iudæis tam cupidè ſeruatum?
Quia duræ ceruicis populus omnia gentilium
propria cupidiſſimè æmulabatur; apud quos in
luctu radi, & inde caluitium inducere, maximè
ſolemne. Sic Iob capite raſo dicitur in terram
corruiſſe. Sic aliarum gentium luctum ſuper ex-
cidio Tyri deſcribens Ezechiel [p]; *Radent*, inquit, p Cap.27.31
ſuper te caluitium: quia nimirum ſubuerſam lu-
gebunt.
Sed ex his duo ſunt quæ poſſunt eorum, quæ
diximus, intelligentiam turbare. Primo ſi Iudæis
prohibitum erat caluitium in morte ſuorum;
quomodo Michæas ad hoc illos inducit, aut

Digitized by Google

a Cap. 1. 16. optando, aut præcipiendo [a]: *Vſque ad Odollam*, inquit, *veniet gloria Iſrael. Decaluare, & tondere ſuper filios deliciarum tuarum, dilata caluitium tuum ſicut aquila: quoniam captiui ducti ſunt ex te.* Sed ad hoc facilis reſponſio: primò enim non hic mortui lugentur, ſed captiui. Secundò, etiam ſi Propheta formam hanc luctus indiceret ſuper mortuo; non eſt intelligendus id facere præcipiendo, ſed prædicendo. Sic Ezechiel loco proximè citato non de gentilibus agens, ſed de ipſis Iudæis dicit; *In omni facie confuſio, & in vniuerſis capitibus eorum caluitium.* Per hoc non quod illi facere debeant exponens; ſed quod ſint ex peruerſa conſuetudine facturi.

Secundo loco poteſt dubitari an gentilibus omnibus in luctu caluitium vſurpatum? Affirmant plerique interpretes [b], maxime recentiores; Ob id à Deo caluitium prohibitum dicentes, quod eſſet gentilibus omnibus vſitatum, & ſane ſi vetera percurramus, ab antiquiſſimis temporibus in luctu raſuram capitis à gentibus omnibus vſurpatam reperiemus. Sic Troiani omnes apud Homerum, & Achilles ipſe in Patroeli funere factitaſſe leguntur [c].

b *Lyran Lipom. Caiet. Cornel.*

c *li. 18. Iliad.*

——*ſequitur fugentibus armis*
Turba nitens peduũ: poſt quos exangue cadauer
Patrocli impoſitum feretro: de more miniſtri
Elatum in medio cœtu ſpectante reponunt.
Mox tonſi inſectis totum texere capillis
Corpus inane viri —

Et paulò pòſt.

——*Tum mæſtus Achilles*
*Flauam cæſariem, quam lemſuo * ſperchio*
Nutrierat, primiſque virentem eduxerat annis
Ipſe ſuis manibus ſibi præſcidit, altaque longè
Æquora proſpiciens animo indignante profatur.

* *fluminis nomen.*

Et pòſt.

talia dicens;
In manibus poſuit iam non capientis amici
Cæſariem flauam, nec continuere videntes
Deiecti lachrymas.

Ex quibus habemus morem iſtum non à fœminis ſolum vt dicebam, ſed à viris, & illis fortiſſimis, apud alias gentes vſurpatum. Teſtis hic Achilles, & Troiani reliqui, teſtis Alexander, de quo Plutarchus habet in Epheſtionis morte raſiſſe illum capillos, non ſolum ſibi, & fortiſſimis quibuſque ſuorum; ſed etiam mulis omnibus, & equis. At de Ægyptiis, quorum mores affines maximè Iudæorum Plinius alicubi refert, ipſos bouem colere, quem Apim vocant. *Hunc*, inquit, *Fas non eſt certos vitæ annos excedere; merſumque in ſacerdotum fonte enecant, alium quæſituri, quem ſubſtituant; & donec inuenerint mœrent, deraſis etiam capitibus.*

Verùm, ſi de Romanis agatur, vſus illis in contrarium fuiſſe videtur. In luctu enim non caluitium illos induiſſe conſtat; ſed prolixius capillamentum; & id ſiue luctus eſſet mortuorum cauſa ſuſceptus, ſiue reorum. Venuleius Iuriſconſultus *veſtem ſordidam eius nomine in publicum habere, capillumve ſubmittere, nulli licet, niſi ita coniunctus eſt affinitate, vt inuitus in reum teſtimonium dicere cogi non poſſit.* Suetonius de Iulio Cæſare *audita clade Tigurina, barbam, capillumque ſummiſit; nec ante dimiſit, quam vindicauit.* Idem de Caligula in morte Druſillæ *mœroris impatiens, cùm repente, noctuque profugiſſet ab vrbe, tranſcurriſſetque Campaniam, Siracuſas petiit; rurſuſque inde properè rediit barba, capilloque promiſſo.* Nec id tantùm ſub Auguſtis; ſed libera Republ. ſeruatum. Gellius [d] de Africano; *Eumque cum eſſet reus, neque barbam deſiiſſe radere neque non candida veſte vti, neque fuiſſe ſolito cultu reorum.* Propter hæc ſunt qui vniuersè pronuncient Græcis, & aliis gentibus in luctu raſuram, & caluitium vſitatum, Romanis longiorem capillum. De illis probare quæ attulimus, & illud veteris Poëtæ [e].

d *lib.*

Extinctum luget Pyladen te Græcia tota
Ad vnam tonſis crinibus vſque cutem.

e *Alcæus in Anthol. Poeta.*

Alij dicunt apud alias gentes omnes promiſcuè caput in luctu raſiſſe; apud Romanos fœminas tantum, non viros. Sed dicendum iam Romanis, quam Gentilibus aliis inter vſitatiſſima luctus indicia, ſemper caluitium fuiſſe, cum vltro aſſumebatur: at non ſemper id à Romanis, nec ita frequenter vt ab aliis vſurpatum: ſed aliquando caluitio; ſæpius pro illo, prolixiore capillo luctum ſuum teſtatos de qua re ſuo loca plura, vbi de vrbano cultu. Quod tamen de viris tantùm, non de fœminis intelligendum ratio ipſa docet. Iſtis enim perpetuum luctus indicium ſemper caluitium fuit, non longior capillatura. Cùm enim vt ſupra monuimus, in luctu cuncta præposterè fierent, quam in quotidiano vſu ſolerent, non mirum, ſi aliquando prolixius capillamentum indicium luctus eſſet in viro, in fœmina verò nunquam cum hæc ſemper in vita communi comata degeret, vt plurimum verò viri detonſi.

Quinto denique quod ad hunc præpoſterum cultum lugentium ſpectat; incedebant illi, ſi quando in publicum prodibant, facie ſemitecta, pallio nimirum, aut toga ad aures circumuoluti, quod Hebræorum proprium fuiſſe plerique notant ad illud Michææ. *Et confundentur qui vident viſiones, & operient omnes vultus ſuos: quia non eſt reſponſum Dei.* Ionathan enim hæc ita paraphraſticos vertit. *Pudefient*, inquit, *ita vt non doceant, inuoluentque ſuperum labrum ſuum, velut lugentes.* Quare Montanus quod noſter, *operient vultus ſuos*, ex Hebræo reddit *ſuper myſtacem:* quia togæ, vel pallij ora mentum, & alia in facie vſque ad ipſum ſuperius labrum lugentes tegebant; qua de re paulo poſt iterum.

CAPVT IX.

Ad verba Dauidis; [f] Iurauit Dauid; Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi ante occaſum ſolis guſtauero panem.

f 2. Reg. 3. 35.

De varia corporis afflictatione, quæ in luctu à veteribus aſſumebatur.

NOn contenti veteres in ſuis cladibus habitum mutare dolori teſtando, variè etiam corpus affligebant, & id aliter in principio luctus, aliter in progreſſu.

In principio ergo, primò, tantiſper abſtinebant ab omni cibo, vt hîc Dauid, qui lugens Abner, ex animi deſtinatione iuramento firmata, diem integrum ſine cibo tranſmiſit. Idem quoque à Gentilibus factitatum, alibi nos obſeruauimus, & illud Ouidij teſtatur, quod ex priſco ritu de Orpheo refert vxoris mortem lugente.

——*ſeptem tamen ille diebus*
Squalidus in ripa, Cereris ſine munere ſedit:
Cura, dolorque animi, lachrymæque alimenta fuere.

Id nimirum quod iiſdem pene verbis de ſe ipſo
[a] Pſal. teſtatus eſt Dauid in luctu ſuo [a]. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* Quando verò tandem cibus ſumendus erat, alibi, & ab aliis, non domi parato veſcebantur, vt conſtat ex Ieremia, & nos pluribus in libro ſuperiore docuimus.

Secundò, Crines iniectis manibus, & vnguibus euellebant, apud alias gentes tam viri, quam fœminæ; apud Romanos hæ fermè ſolæ. De Hebræis conſtat exemplo Eſther, de qua lugenta perſecutionem Amanis in gentem ſuam;
[b] Eſth. 4. 2. *Cùm depoſuiſſet*, inquit [b], *veſtes regias, fletibus, & luctui apta indumenta ſuſcepit, & pro vnguentis variis cinere & ſtercore impleuit caput ſuum, & corpus ſuum humiliauit ieiuniis: omniaque loca, in quibus lætari conſueuerat, crinium laceratione compleuit.* Signanter hoc vltimum *cuncta loca* compleſſe dicitur, in quibus antea lætata. Nec enim temerè crines euellebant, aut proiiciebant euulſos; ſed vel ſuper cadauer, vel ſuper ea, quæ diligebant; aut aliàs ſibi præbuerant materiam aliquam lætandi. Sic Achilles in manibus Patrocli capillos depoſuit; alij iuxta pyram; ſuper tumulos alij. Et extra cauſam funeris in alio luctu, ſuper aras, aut ſuper ea, in quibus ſoliti voluptuosè verſari; vt hîc Eſther, & Dido, quæ ſuper lectum genialem comas abiecit. Cæterum in ipſo doloris æſtu cum primum luctus inciperet, laniatos crines infinita teſtantur. Virgilius de Lauinia in morte matris.

Quam cladem miſera poſtquam accepere Latinæ,
Filia prima manu flauos Lauinia crines
Et roſeas laniata genas; tum cætera circum
Turba furit

Et Ouidius de ſororibus Phaëtontis in ipſo luctu conuerſis in arbores:

Tertia cum crinem manibus lacerare pararet,
Auellit frondes

[c] Cap. 8. 72. In libro [c] tertio Eſdræ apocripho, cum audiſſet Eſdras quæ contra legem Iudæi paſſim peccauerant in matrimoniis obeundis, ipſe de ſe refert. *Et mox vt audiui iſta, conſcidi veſtimenta, & ſacram tunicam, & lacerans capillos capitis, & barbam, ſedi dolens, & mœſtus.* Hæc enim licet fidem non habeant diuinæ auctoritatis; oſtendunt tamen ritus in luctu ſeruatos.

Tertiò, caput, femora, pectus percutiebant, & inter ſe manus alteram ad alteram complodebant; quod erat propriè *plangere*. Vnde factum vt planctus poſitus ſit pro fletu, & luctu; cum tamen propriè *plangere*, ſit ſtrepitum percutiendo edere: quod cum fiat à plorantibus, & flentibus, in ſubita præſertim, & magna calamitate; inde etiam *plangere* appellatum eſt pro lugere, & plorare.
[d] Cap. 31. 19 Ad hoc alludit alicubi Ieremias [d]. *Poſtquam*, inquit, *oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum.* Audita nimirum clade ſuperuentura, femur percuſſi; quod etiam indicium impensè dolentis.
[e] Cap. 2. 37. Clariùs autem lugentis habitum deſcribens [e] quem Ieruſalem, & eius ciues erant aſſumpturi in ſubito luctu; *Manus*, inquit, *tuæ erunt ſuper caput tuum*, ad percutiendum ſcilicet. Et caput enim & faciem, & oculos, & pectus verberabant. Vnde de Auguſto clade Variana audita, refert Suetonius, inter alia ſigna animi dolentis, *caput verberaſſe, barbam & capillum promiſiſſe.* Proprius tamen erat hic *planctus* fœminarum: quia pronæ maximè ſunt omnes, iniurias, quas inuitæ ab aliis accipiunt, aliis vltrò ſibi illatis vlciſci, in caput & capillum inuolando, & alias corporis partes percutiendo. Virgilius de Didonis luctu:

Terque quaterque manu pectus percuſſa decorum
Flauenteſque abſciſſa comas ——

Et alibi.

Sylnia prima ſeror palmis percuſſa lacertos
Auxilium vocat

At verò clariùs vbi de morte Reginæ Amatæ, deſcribens planctum primum editum ab Aulicis fœminis:

—— [f] *tum cætera circum* [f] lib. 12.
Turba furit, reſonant latè plangoribus ædes.

Propriè hoc vltimum. Is enim ſtrepitus, qui membrorum percuſſione fiebat, propriè, vt dixi, *plangor*, & *planctus*: illum autem fœminarum magis, quàm virorum fuiſſe, præſertim apud Romanos; res ipſa loquitur, & his verbis Cicero declarat. *Ex hoc genere ſunt illa varia, & deteſtabilia genera lugendi, pædores, muliebres lacerationes genarum pectoris, feminum, capitis percuſſiones.*

Quartò, laniatus etiam cutis in facie, lacertis, & reliquo corpore poſt planctum ſequebatur, aut comitabatur. Aliquando ſolo vnguium iniectu, aliquando cultris aſſumptis; quæ lacerationes à Cicerone proximè dicuntur, & à Deo nominatim prohibentur in luctu [g]. *Et ſuper mortuo*, [g] Leu. 19. 27.
inquit, *non incidetis carnem veſtram; neque figuras aliquas, aut ſtigmata facietis vobis. Ego Dominus.*
Et iterum [h]: *Non radent caput, nec barbam; nec* [h] Cap. 21. 5.
in carnibus ſuis facient inciſuras Denique in Deuteronomio [i]: *Non vos incidetis, nec facietis caluitium ſuper mortuo.* [i] Cap. 14. 1.
Quod nempe gentes in ſuorum funere faciebant, & ipſi quoque Iudæi nihil in hoc, vt in pluribus aliis, Dei præcepta curantes, etiam vſurpabant. De aliis, præſertim Syris & Aſſyriis teſtatur Lucianus; de Scytis refert Herodotus *in funere ſuorum Regum aurem ſibi detruncare, brachia circuncidere, ſiniſtram manum ſagittis compungere.* Artemidorus Daldianus quærit quid in ſomnio protendat graciles habere genas, & laniatas. Reſpondet, *Graciles ſignificare triſtitiam; quod mœrentes tales ſint; laniatas verò, luctum; quod lugentes illas ſoleant homines paſſim laniare.* De Iudæis verò habemus id apud Ieremiam [k] vbi tantam ſtragem futuram denunciat, [k] Cap. 16. 6.
vt ſuperſtites non ſint mortuos vllos defleturi, vel ob copiam extinctorum; vel quod tantum ſit habiturus quiſque quod domi doleat, vt illi vacaturum non ſit alios plorare. *Non ſe incident*, inquit, *nec caluitium facient ſuper mortuum*, ſtrata nempe, & tacita ironia ſeruaturos neceſſitate denuncians, quod obſequendi voluntate noluerant, vt ibi Hieronymus obſeruat, & nos ſuprà.

Romani verò, ſaltem viri, minus hoc vſurpabant: ideo ſi quando lacerationis in luctu mentio fit, ea fœminis à Latinis Auctoribus aſſignatur: Hinc Virgilius in Annæ luctu de morte Didonis:

Vnguibus ora ſoror fœdans, & pectora pugnis.

Et Ouidius ad coniugem ſcribens.

Parce tamen lacerare genas, nec ſcinde capillos,
Non tibi nunc primum, lux mea, raptus ero.

Notat autem ex Varrone Seruius alicubi *ſolitas in luctu fœminas id facere, vt ſanguine viſo inferi placarentur.* Ob quod etiam Barbaros id factitaſſe, Plutarchus obſeruat; vt enim dij inferi vlterius ſæuire deſiſterent, vltro ſibi aures, & nares amputaſſe, ſuorum mortes, vel aliam calamitatem lugentes.

Quintò, humi puluere etiam, & ſordibus aſperſæ iacebant, aut etiam incubabant: & id adeo

a Sopran. in Dauid.

adeo recepto more in omni luctu; vt in ſacris literis *puluis, terra, pauimentum, limus, ſtercus, lutum*, & alia quæ terræ inquinatæ iunguntur, pro luctuoſo ſtatu ponantur. Hinc [a] *gloriam in puluerem deducere*, eſt lætitiam in luctum conuertere, cladem aliquam, & infortunium inferendo. *Puluer*i [b] *& pauimento hærere*, eſt in luctu verſari; ſimiliter vt [c] *in luto infigi*. *Humiliari* [d] *in puluere*, eſt habitum lugentis aſſumere. Contra verò *ſuſcitare* [e] *de puluere, de ſtercore, de terra*, ſit ex calamitate liberare, & materiam luctus adimere. Quare B. Iob ex hac antiquiſſima conſuetudine clades ſuas lamentaturus [f], *in ſterquilinio ſedit*, in nuda ſcilicet humo ſordibus coopertа: ſederunt quoque ipſius amici, cum illo luctum conſociaturi. Et hinc eſt quod Prophetæ dum populum conſolantur, & propinquam liberationem a calamitate promittunt, identidem hortando denunciant, vt ex puluere ſurgant. Iſaias [g]; *Expergiſcimini, & laudate qui habitatis in puluere; quia ros lucis ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam*. Quia vero lugentes, in pauimento proſternebantur, Dauid de ſe lugente clamabat; *Adhæſit* [h] *pauimento anima mea*. Rurſus Iſaias [i]; *Conſurge, conſurge; induere fortitudine tua Sion; induere veſtimentis gloriæ tuæ, Ieruſalem .... excutere de puluere; conſurge, ſolue vincula colli tui*. Quod eſt depone lugubria, & ſume cultum feſtæ celebritatis: Quare quia finitus eſt puluis tuus, id eſt luctus, vt idem Propheta loquitur [k]. *Finitus eſt enim puluis, conſummatus eſt miſer*. Omnis nimirum materia lugendi ablata eſt, & in puluere ſedendi. Nec dubium id omnibus vſitatum qui lugebant. Ouidius communem luctum deſcribens in morte Meleagri

a Pſal. 7.
b Pſal. 118.
c Pſal. 68.
d Pſal. 43.
e 1. Reg. 2.
f Iob c. 1.
g Cap 26. 9.
h Pſ. 118. 28.
i Cap. 52. 1.
k Cap. 16. 4.

——lugent iuueneſque ſeneſque
Vulguſque proceresque gemunt, ſciſſaque capillis
Plangunt ora ſimul matres Calidonides, Oeneus
Puluere canitiem genitor, vultuſque ſeniles
Fœdat ſuſus humi

Et reliqua, quibus Poëta ingenioſiſſimus omnes ferme ritus amplectitur, à lugentibus obſeruatos. Quod autem poſtremo loco adiungit de capite puluere fœdato quod humi Rex Oeneus proiiceretur, id notat, quod nunc agimus; & indicat præterea deturpationem vultus, & capitis non ſemper pulueris aſperſione factam, quem ſibi ſtantes iniicerent; ſed quem humi volutati contraherent; vnde facies & capilli ſordidarentur. Quod ipſum indicat alicubi Ieremias [l] in ſummo luctu ſolitum factitari. *Ponet in puluere os ſuum, ſi forte ſit ſpes*. Et alibi clarius extremum luctum Ieruſalem ſignat per hoc, quod illam dicit adæquatam pulueri, humi nimirum volutatam: *Confuſa* [m], inquit, *eſt mater noſtra nimis. Et adæquata pulueri, quæ genuit nos; ecce nouiſſima erit in gentibus, deſerta, inuia, & arens*. Licèt enim per hæc ſignificet euertendam Ieruſalem, & ſolo æquandam; id tamen indicat, ad habitum lugentium alluſione facta. Hæc ergo omnia, & his ſimilia luctu primum incipiente corpus affligendo ſeruabant.

l Thr. 3. 29.
m Cap. 50. 12.

At in progreſſu, & ipſo luctu durante, corpus affligebant, præcipuè domi ſe continendo, & feſtas omnes celebritates vitando; nec ſolum à publicis conuiuiis, ſed etiam à domeſticis, & ab omnibus denique lætis officiis abſtinendo. Symmachus [n]. *Neque enim fas ſinit læta officia obire lugentes: fortaſſe etiam hilaritatem veſtram mea triſtitudo contraheret*. Idem alibi [o]. *Nunc fortuna mea qualitas in tantum nos à feſtiuis excuſat officiis, vt ſolatia inſuper requirat aliena. Ergo quia in manu mea interim non eſt, frequentare lætos conuentus, tua opus eſt leuare mærentem*. Et iterum. *Ille* [p] *vt ſit placatus enitere, cui me triſtis de matre caſus excuſat: nam mihi turpe, atque imputabile eſt, attonito animo, & fronte mœſta lætos adire conuentus*. Denique id adeo receptum, vt eſſet quaſi publicis moribus ſancitum ab omni feſto conuentu, maximè conuiuiis abſtinere lugentes. Vnde Paulus I. C. *Qui lugent abſtinere debent à conuiuiis, ornamentis, & alba veſte*. Et hinc illa querela Auguſti de Aſinio Pollione. Hic, vt Seneca refert, intra quartum diem quam Aterium filium amiſerat, declamauit; Nec quicquam ex ordine vitæ ſolito remiſit. Itaque eum mortuo in Lycia Cæſare Auguſti filio queſtus eſſet Auguſtus quod in tam magno & recenti luctu ſuo homo ſibi chariſſimus pleno conuiuio cœnaſſet; reſpondit Pollio; *Eo cœnaui, quo Aterium filium amiſi*. Ex quo Pollionis facto, & reſponſo, & Auguſti querela duo colliguntur ad ritum quem nunc explicamus: primò, ſolitos in morte conſanguineorum à conuiuiis veteres abſtinere; & id qui non facerent, ab aliis obſeruatos, vt à receptis moribus abeuntes. Secundò, qui lugerent ipſi ſuos, non tantum à conuiuiali frequentia abſtinuiſſe; ſed id etiam amicos in amicorum funeribus obſeruaſſe: nec enim aliter Auguſtus iure de Pollione conqueſtus eſſet, quod in frequenti conuiuio cœnaſſet, ſi non amici quoque in amicorum funere à conuiuiis abſtinuiſſent.

n lib. 3. ep. 21
o lib. 5. cap. ult.
p lib. 9. ep. 103.

Caput X.

Ad illa verba; [q] Audiuit Bethſabea vxor Vriæ quod mortuus eſſet vir eius; & planxit eum. Tranſacto autem luctu, miſit Dauid, & introduxit eam in domum ſuam, & facta eſt ei vxor.

q 2. Reg. 11. 25.

Quandiu luctus duraret, & quibus de cauſis ante conſuetum tempus finiretur.

LVctus, vt ſæpius dictum, alius publicus, alius priuatus; hic, alius cauſa mortis aſſumptus, alius ob alias calamitates & domeſtica mala. Publicus, & qui non ex morte, certi temporis non erat, quo recepto more duraret: ob mortes aſſumptus, qui *funebris* propriè dictus, definitus erat, & ſuos terminos habebat, vltra quos communiter non protractus. *Communiter* dico, quia nonnonquam reperti, qui toto ſuæ vitæ tempore quos impensè dilexerant, in habitu funebri lugerent; vt de quibuſdam Seneca refert, qui lugubria pro filiis ſemel aſſumpta, nunquam poſuerunt. Quod vt inſolitum, & extra communem morem, meritò notat. Nam mariti tantum ab vxoribus quæ viduæ perpetuo manebant, in habitu funebri lugebantur, vt nos ſupra vidimus, & D. Auguſtinus obſeruat, certum quendam habitum viduarum proprium apud Hebræos etiam ab antiquiſſimis temporibus agnoſcens: Quandiu ergo luctus hic funebris durabat? Alibi dictum, apud Hebræos incertum eſſe. Romanis verò decem menſium ſpatium luctui funebri præſtitutum vniuersè quidam ex Ouidio pronunciant. hic enim vbi annum à Romulo conditum, decem menſium fuiſſe, dixiſſet: ſubdit

Per

Per totidem menſes à funere coniugis vxor
Suſtinet in vacua triſtia ſigna domo.

Sed hic Ouidius non de funebri quocunque luctu; ſed de viduarum loquitur maritum lugentium. Quandiu ergo parentes filios, filij parentes, alij alios lugebant? Nihil hic ex Ouidio colligitur: vnde autem poſſit ea de re certi aliquid definiri, locis adductis fuſe tradidimus: ideo hoc omiſſo.

Secundum quæramus de fine luctus, quomodo nimirum, & quas ob cauſas abrumperetur. Luctus omnis dupliciter deſinebat, legitimi temporis *expletione*, & alterius cauſæ *ſuperuentione*, quæ materiam luctus amputabat. Primo modo, vt dixi, tantum *funebris* abſoluebatur. Secundo, & ille, & omnis alius, cum luctus primo modo ceſſabat, *abſolui* dicebatur; cum ſecundo, *minui*. Quare qui lugendo legitimum, & conſuetum tempus explebant, *eluxiſſe* ſuos dicebantur; qui tempus illud anteuertebant, luctum *minuiſſe*. Quæ ergo cauſæ minuendi luctus? Plures omnino erant; ex quibus aliæ publico luctui finem afferebant; aliæ priuato: *publicum* minuebant ædis dedicatio, luſtri conditio, voti publica ſolutio: *priuatum* vero liberorum ſuſceptio, noua in familia dignitatis acceſſio, propinqui ex captiuitate reductio, nouorum ſponſalium contractio, natiuitas alicuius, qui coniunctior eſſet lugenti, quam qui deflebatur. Et hæ cauſæ Romanis erant luctum minuendi, quas à Feſto Pompeio propoſitas alij fuſe proſequuntur. De Hebræis verò non diſſimiliter exiſtimandum: dupliciter enim apud illos, itidem vt apud Romanos, luctus funebris abſoluebatur *expletione legitimi temporis*, vt hic de Bethſabea ſignificatur, *Et noua lætandi cauſa recens oblata*, quæ multiplex illis erat, & fortaſſe non alia, quam quæ Romanis. Quid enim naturalius, quàm vt qui lugent ob aliquam calamitatem acceptam, lugere deſinant cùm noua illis offertur occaſio lætandi, vt cùm filium ſuſcipiunt, cum fratrem ex hoſtili captiuitate reducunt, cum feſtum denique aliquod ex recepta conſuetudine eſt celebrandum? Sic ab antiquiſſimo tempore *tonſuram* ouium Hebræis luctum ſoluiſſe diximus ex facto Iudæ. Cùm enim vxorem extuliſſet, & illam diu luxiſſet, tandem lugubria depoſuit appetente tempore, quo tonderentur oues.
a Gen 38.12 *Mortua*, inquit [a], *eſt vxor Iudæ, qui poſt luctum conſolatione ſuſcepta, aſcendebat ad tonſores ouium ſuarum ipſe & Hiras opilio gregis*. Hic enim tacitè ſignificatur minuendi luctus occaſio fuiſſe quod oues illius tonderentur: in quo ſolitos Hebræos feſta celebritate lætari, dubium non eſt. Hinc enim Abſalon occaſionem captauit fratri inſidias ſtruendi. Patrem
b 2.Reg. 13. 24. enim adiens, *Tondentur*, inquit [b]; *oues ſerui tui; veniat, oro, Rex cum ſeruis ſuis ad ſeruum ſuum*. & poſt ſubditur; *feceratque Abſalon conuiuium, quaſi conuiuium Regis*. Læta ergo per conuiuia tonſura hæc agebatur in omnem ſpeciem hilaritatis animo ſoluto: quare ea appetente lugubria deponebantur.

Similiter apud Chriſtianos Hieronymi tempore cùm in Eccleſia maior aliqua celebritas inſtaret, occaſio inde ſumebatur luctum ſoluendi. Quare laudat ille Iulianum quod in dedicatione oſſium Martyris lugubria, quæ ob mortem filij gerebat, intra quadrageſimum diem poſuiſſet.
c Ep.34. *Laudent*, inquit, [c] *te alij, & contra diabolum victorias panegyricis proſequamur; quod læto vultu mortes filiorum tuleris, quod in quadrageſimo die dormitionis eorum lugubrem veſtem mutaueris, & dedicatio oſſium Martyris candida tibi veſtimenta reddiderit.*

Cæterùm, quod ſuprà dicebamus, læto nuncio nati filij, vel propinqui ex captiuitate reducti, luctum minui ſolitum apud Romanos; apud Hebræos quoque valuiſſe; illa Baruchi ſignificant, quibus Ieruſalem hortatur, vt luctum ſoluat, & lugubria ponat; quod paulò pòſt captiuos & diſperſos ſuos ſit receptura. *Circumſpice*, inquit [d], *Ieruſalem ad Orientem, & vide iucunditatem à Deo tibi venientem. Ecce enim veniunt filij tui, quos dimiſiſti diſperſos.* d Bar.4.36. Inde paulò pòſt [e] ſubiicit; *Exue te Ieruſalem ſtola luctus, & vexationis tuæ; & indue te decore.* e Cap.5.1. Stolam enim hic luctus appellat, quæ lugubria, & mortualia Latini dixerunt, & in ſacris literis ſacci & cilicij nomine deſignantur. Quare, vt alibi diximus, hoc loco *ſtola* non proprium nomen eſt certam veſtis ſpeciem deſignans; ſed generale pro quolibet veſtimento. Et ex iis facile eſt alias cauſas in ſacris literis obſeruate ab iis non abſimiles, quibus apud Romanos ante conſuetum tempus luctus funebris, & alius quicunque ſoluebatur.

Capvt XI.

Ad illa verba; [f] Mortuus eſt Samuel, & congregatus eſt vniuerſus Iſrael, & plorauit eum, & ſepeliuit eum in domo ſua in Ramatha. f lib.1.Reg. 25.1.

De luctu publico, & primò quis ille, & quorum; quomodo, & quibus de cauſis aſſumeretur.

Luctus publicus erat, qui non ad vnam tantùm familiam, aut cognationem; ſed ad vniuerſum ciuitatis alicuius, aut gentis populum pertinebat. Ob id in ſacris literis *luctus populi* ſimpliciter appellatur; aut certæ ciuitatis, & gentis, quæ ſuas clades communiter lamentetur; vt cum Ieruſalem, cum Moab, cum Tyri, & aliarum ciuitatum vel gentium planctus deſcribitur. Proprium autem luctus huius erat, vt in eo quoque lugubria ſumerent, qui publicam perſonam gerebant; vt Magiſtratus, Iudices, & ipſi Reges. Vnde plerique Prophetæ luctum hunc publicum circumloquuntur per planctum Regum, & aliorum cum auctoritate aliqua populo præſidentium. Sic in Apocalypſi B. Ioannes luctum publicum deſcribens in Babylonis euerſione ſumendum. *Et flebunt*, inquit [g], *& plangent ſe ſuper illam Reges terræ, qui cum illa fornicati ſunt.* g Cap.18.9.

Videamus ergo quas ob cauſas aſſumeretur. Plures erant; omnes tamen aliquam ſecum cladem ferentes, quæ publica eſſet. Ipſa enim res loquitur, ad omnes aliqua ratione ſpectare malum, quod omnes lugent. Itaque primò mortes eorum hominum lugebantur, quorum ex obitu detrimentum aliquod Reſpubl. videbatur accipere.

Tales primo loco Reges, & qui rerum potiebantur: & ipſi non ſolùm; ſed illorum propinqui, & qui arctiùs illigati erant domui regnatrici. Sic Ioſepho Ægypto præſidente, luxit omnis Ægyptus ipſius patrem Iacob fato defunctum. *Fleuit*, inquit [h], *eum Ægyptus ſeptuaginta diebus.* h Gen 50.3. Et iterum [i]; *Celebrantes exequias (Ægyptij)* i Ver.10.

planctu magno, ac vehementi impleuerunt ſeptem dies. Quod cum vidiſſet habitatores terræ Chanaam, dixerunt; Planctus magnus eſt iſte Ægyptiis: & idcirco vocatum eſt nomen loci illius Planctus Ægypti. Sic etiam poſtea Moſes vt ſupremus Princeps ab omni Iſraële defletus eſt. *Moyſes*, inquit [a],

a Deut. 34. 8

centum & viginti annorum erat, quando mortuus eſt ..... fleueruntque eum filij Iſraël in campeſtribus Moab triginta diebus: & completi ſunt dies planctus lugentium Moyſen. Quod eſt nulla nouæ lætitiæ cauſa luctum minuiſſe; ſed conſuetum tempus expleſſe, quo lugendus erat. Eodem modo Aaron cum ſummus Pontifex eſſet, elatus eſt; *illo mortuo*, inquit [b],

b Num. 20. 29.

in ſupercilio montis deſcendit Moſes cum Eleazaro: omnis autem multitudo videns occubuiſſe Aaron fleuit ſuper eum triginta diebus per cunctas familias ſuas. Sic Ioſias, ſic Mathatias, ſic Iudas Machabæus, ſic Ionathas, & deinde Simeon eius fratres omnes publico luctu defleti ſunt; quia omnes principes erant populi Iudaici; quos adeo recepti moris erat, cum funerarentur, publicè fleri; vt ob id Deus eos nominatim expreſſerit cum ſacerdotes ſuos prohiberet alios lugere; quia de illis maior eſſe poterat dubitandi ratio, num eſſent generali lege comprehenſi, qua alij lugeri prohibebantur.

c Leuit. 21. 4

Non contaminabitur ſacerdos, inquit [c], *in morte ciuium ſuorum ..... ſed nec in principe populi ſui contaminabitur* In *Principe*, inquit, *populi ſui*; per hoc ſignificans ſacerdotes quoſlibet etiam inferiores, de quibus loquitur, exemptos eſſe à laica poteſtate. Alioquin enim dixiſſet, *Nec in morte principis ſui contaminabitur.* Adiungens verò; *Principis populi ſui*, duo ſignificauit: ſacerdotes, Principi populi non ſubiacere, & ſuper eundem populum, cui Princeps præſidet, ipſum quoque ius aliquod prælationis habere. Sed hæc alias. Quod vero ſupra diximus; Non Reges tantum ipſos publicè fletos; ſed alios etiam iunctos domui regnatrici; confirmatur ex Abia, qui adoleſcens adhuc viuente patre Ieroboam defunctus

d 3. Reg. 14. 8.

eſt [d], *& planxit eum omnis Iſraël iuxta ſermonem Domini.*

Secundò, non ſolùm Reges & Principes, ſed etiam priuati viri, & bene de Rep. meriti, publicè lugebantur. Sic hoc loco Samuel alio regnante, publico nihilominus luctu defletur; ſic in Eccleſia Chriſtiana Stephanus, de quo Lucas [e].

e Act. 8. 2.

Curauerunt viri timorati Stephanum, & fecerunt planctum magnum ſuper eum, omnes ſcilicet, qui Ieroſolymæ fideles erant.

Tertiò, non tantum viri; ſed fœminæ, quæ publicè profuerant, etiam publico luctu plorabantur. De Iuditha [f];

f Cap. 16. 28.

Defuncta eſt, ac ſepulta cum viro ſuo in Bethulia; luxitque illam omnis populus diebus ſeptem. Ante Iuditham autem publicè defleta eſt filia Iephte, de qua, *exinde*, inquit [g],

g Iudic. c. 11. 40.

mos increbuit in Iſraël, & conſuetudo ſeruata eſt, vt poſt anni circulum conueniant in vnum filiæ Iſraël, & plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor. eo pietatis officio in filiæ luctu patris memoriam venerantes. At in Chriſtiana Eccleſia Tabita quoque ſignificatur hoc publico luctu fuiſſe defleta. *Circumſteterunt*, inquit [h],

h Act. 9. 39.

Petrum omnes viduæ flentes, & oſtendebant ei tunicas, quas fecerat eis Dorcas.

Secundo loco, non virorum tantùm mortes; ſed publicæ clades, aut acceptæ, aut inſtantes, aut imminentes, publicè lugebantur. Sic à Palæſtinis arca olim capta, & exercitu profligato ciuitas vniuerſa planctum publici luctus aſſumpſit. Cum enim vir, qui ex acie fugerat, annunciaturus cladem, ciuitatem eſſet ingreſſus, *ſciſſa [i] veſte, & puluere conſperſus caput, vlulauit omnis ciuitas. Et audiuit Heli ſonitum clamoris.*

i 1. Reg 4. 13

Id quod adhuc clarius accidit Moſis tempore. Cùm enim Deus deſerturam ſe populum minatus eſſet; *Non aſcendam*, inquiens [k],

k Ex. 33. 3.

tecum, quia populus duræ ceruicis es. Audiens populus hunc ſermonem peſſimum, luxit, & nullus ex more indutus eſt cultu ſuo. Publicè nimirum omnes lugubria ſumpſere.

Quomodo autem, aut cuius iuſſu, & quo indicente luctus hic ſumebatur? Aliquando ſponte populi nullo iubente; aliquando Rege ipſo, & Principe præeunte. Primo modo defletus eſt Samuel, vt hoc loco ſignificatur: neque enim vllo Saulis edicto qui tunc regnabat, vniuerſus Iſraël ad hoc dicitur excitatus; ſed ſponte ſua in id inuitus conueniſſe. Sponte quoque luctum ſumpſit populus [l],

l Ex. 33. 4.

audita Dei comminatione, qua ſe illum deſerturum denunciauerat. Sponte luxit Iuditham; ſponte cladem à Palæſtinis illatam, & arcam captam. At indictus, non ſponte ſuſceptus fuit publicus luctus ob Abner. *Dixit*, inquit, *Dauid ad Ioab & ad omnem populum qui erat cum eo, Scindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite ante exequias Abner.* His ergo de cauſis, & hac ratione apud Hebræos hic luctus aſſumptus: nec diſſimiliter apud alios, præſertim Romanos.

Primò enim clarorum virorum obitus etiam ipſi publicè luxerunt: & meritò. Naturæ enim ductu cognoſcunt omnes inter infortunia & calamitates, quæ publicè populis, & ciuitatibus poſſunt accidere, præcipuam ſemper exiſtimandam, iacturam & amiſſionem clarorum virorum. Ob id alicubi conqueritur Iſaias [m];

m Cap. 53. 11.

Iuſtus perit, & non eſt qui recogitet. Vt indignum nempe facinus meritò carpens, ad tantum ſtuporem populum deueniſſe, vt iacturam non ſentiat, cùm de medio vir iuſtus eripitur. Si ergo Romani publicè Brutum luxerunt libertatis auctorem, de quo Liuius [n]

n lib. 2.

eius funus à collega Valerio curatum referens, quanto potuit apparatu, ſubdit; *ſed multo maius morti decus publica mæſtitia fuit; eo ante omnia inſignis, quia matronæ annum, vt parentem eum luxerunt, quod tam acer vltor violatæ pudicitiæ fuiſſet.* Sic poſt Brutum eum Valerio Poplicola ſeruatum, qui Bruto ſocius fuerat ad libertatem recuperandam. *De publico*, inquit idem Liuius [o],

o Ibidem.

eſt elatus: luxere matronæ, vt Brutum. Sic etiam publicè Coriolanus [p]

p Diony. Halicarn. lib. 8.

defletus eſt, qui per iniuriam in exilium pulſus, patriæ quam ſubuertere poterat, parcere maluerat. Sic Menenius [q]

q Idem Dionyſ. lib. 5.

Agrippa, qui plebem à Patribus diſſidentem placauerat, apologo membrorum, quæ contra ventrem ſurrexerant: Sic Auguſtus [r]

r Dio Caſſ. lib. 56 hiſt.

ipſe non ſolum quia Princeps; ſed quia parentis animum geſſerat in Principatu. Vt hinc diſcamus veriſſimum eſſe quod eſt apud L X X. *Moriens iuſtus, relinquit dolorem; facilis autem & iucundus eſt impiorum interitus.* Sic enim legunt ipſi quod in vulgata habemus [ſ].

ſ Prou. 11 10

In bonis iuſtorum exultabit ciuitas; & in perditione impiorum erit laudatio. Proprium hoc enim eſt virorum iuſtorum, vt cum ex hac vita diſcedunt, veris lachrymis lugeantur; impij autem cum ſubtrahuntur, lætentur populi, quaſi pace publicè reddita, quam illi turbabant. Propterea ibi Salomon. *In perditione*, inquit, *impiorum erit cantus*;

vt

Digitized by Google

vt contra luctus in morte iuſtorum.

Secundò, huic publico luctui cauſam etiam præbebãt magnæ clades aut acceptæ, aut formidatæ. Sic exercitu cæſo, ſeditione in vrbe coorta, tumultu excitato, lugubria ſumebantur. Seneca [a] alicubi: *Quod*, inquit, *fieri, niſi in tumultu, & triſti ciuitatis tempore non ſolebat, voluptatis cauſa, & feſtorum dierum veſtem mutamus.* Loquitur enim de ſaturnalibus, in quo feſto ſerui albati prodibant, Dominis in obſoleta veſte, toga depoſita procedentibus. Ob id dicit in feſto die tunc à ciuitate fieri, quod non niſi in triſti tempore, & calamitoſo ſolebat; in quo veſte mutata ſigna luctus inducebantur, vt etiam ex pluribus Ciceronis locis habemus.

a Ep. 18.

Tertiò, luctus hic aliquando à Magiſtratibus indictus erat: aliquando ſponte ſuſceptus. *A Magiſtratibus*, vt plurimum, & frequentiùs, & quaſi legitimè: *ſponte* cum ſumebatur, extra morem fiebat, & ingentem cauſam luctus indicabat. Ideo ſi fieret, ab Hiſtoricis cum cura notatur. Sic Germanicum Caligulæ patrem defletum habemus à Suetonio.[b] *Vt*, inquit, *fato functũ palam factum eſt, non vllis ſolatus, non edictis inhiberi luctus publicus potuit, durauitque per feſtos Decembris menſis dies.* Et de eodem Tacitus[c]. *Hos vulgi ſermones audita mors* [Germanici] *adeo incendit, vt ante edictum Magiſtratuum, ante Senatus conſulta diſcreremur fora, clauderentur domus, paſſim ſilentia, & gemitus: & quamquam neque inſignibus lugentium abſtinerent, altiùs animis mœrebant.* Longè verò ante hæc tempora, nuncio Caudinæ pacis audito, ſicut Hebræi olim ad nuntium captæ Arcæ; ſic Romæ paſſim publicum luctum ſponte ſumpſere. De quo Liuius[d]. *Poſtquam deditionem tam fœdè factam acceperant, extemplo ſine vlla publica auctoritate concurſum in omnem formam luctus eſt.* Ad eam formam ſcilicet, quam ſæpiùs Hebræi in libris Machabæorum feciſſe leguntur.

b Cap. 4 in vita Cal.

c lib. 2. Ann.

d lib. 9.

Capvt XII.

c lib. 2. Reg. cap. 15. 30.

Ad illa verba.

[e] Porrò Dauid aſcendebat cliuum oliuarum ſcandens, & flens, nudis pedibus, & operto capite; ſed & omnis populus qui erat cum eo aſcendebat operto capite plorans.

Qui maximè ritus in luctu publico ſeruarentur.

Dvbium non eſt eorum pleraque, & ferè omnia quæ in luctu priuato ſolita diximus vſurpari, in publico quoque fuiſſe ſeruata; niſi quod in priuato cuncta pacatius; in publico, maiori cum oſtentatione fiebant. Hic ergo breuiter exequemur etiam ſolita in publico luctu; tam quæ illi cum priuato communia, quam quæ propria: ſed communia, ea parte duntaxat attingemus, qua cum diſcrimine aliquo, in hoc publico vſurpabantur.

Primò ergo in publico luctu operto capite incedebatur. Sic hîc Dauid feciſſe dicitur; & cum eo ſimul populus vniuerſus. Ad eundem modum cum agris ſiccitate percuſſis, aquæ inopia paſſim laboraretur, luctum publicum populus ſponte ſuſcepit; & inter alia ſigna animi mœrentis omnes paſſim opertis capitibus inceſſerunt Ieremias[f], *Luxit*, inquit, *Iudæa & portæ eius .... maiores miſerunt minores ad aquam .... non inuenerunt, reportauerunt vaſa vacua, confuſi ſunt & afflicti, & operuerunt capita ſua.* In eo quod præmiſerat, *Luxit Iudæa, & portæ eius*, luctum ſignificat publicè ſuſceptum, quod propriè Latinis *iuſtitium* dicitur, vt paulo poſt plenius. Deinde cum ſubdit; *operuerunt capita ſua*, præcipuum, & maximè commune ſignum mœſtitiæ exprimit in omni luctu. Sed vnde id: Res ipſa loquitur. Primò caput operiunt, aut abſcondunt, qui aliorum aſpectum non ſuſtinent; tales quos pudet, huiuſmodi autem flentes, & qui in graui mœrore ſunt. Inde enim etiam pueris vbi primum ſentire aliquid incipiunt, ipſa natura videmus hoc inditum, vt arte qua poſſunt, faciem abſcondant dum plorant: vultum enim demittunt, auertunt, oculos, palmis tegunt. Vnde ergo hæc ex fletu verecundia. Quia quantum mortalibus inſitum bona ſua venditare; tantum mala tegere, & aliorum aſpectui ſurripere. Nullum autem maius argumentum eſt in becillitatis humanæ, quàm fletus & lachrymæ: ob id omnes adeo pudet aliorum illas aſpectibus oſtentare. Inde tam proprium lugentium oculos & ora contegere, caput operire, faciem velare. Nec aliunde Poëtæ cœlum cùm nubibus obducitur, ſolem cum velo aliquo tegitur, lugere dicunt; niſi quòd tam proprium lugentium ſit caput obuelare. Virgilius hac traxit ſolis defectum in morte Cæſaris. Luxiſſe enim dicit infortunia Romani Imperij, dum radius abſcondit

f Cap. 14. 1.

> [g] *Ille etiam extincto miſeratus Cæſare Romam*
> *Cum caput obſcura nitidum ferrugine texit*
> *Impiaque æternam timuerunt ſæcula noctem.*

g Geor. lib. 1.

Ad quod ipſum Chriſtiani Poëtæ reſpicientes, à cœlo, & ſole diſerè Chriſti Domini mortem defletam, cùm illo expirante, tenebræ factæ ſunt, & luna, aut nubes cœlum & ſolem operuerunt. Sedulius[h]:

h In Op. Paſch.

> *—— Sol nube coruſcos*
> *Abſcondens radios, atro velatus amictu*
> *Delituit, triſtemque infecit luctibus orbem.*

Ex quo addiſcimus apud Hebræos non ſolum, ſed apud alias quoque gentes obuelationem capitis, inter inſignia luctus, tam priuatim, quam publicè fuiſſe. Sic apud Homerum[i] cùm cantor à cœna Græcorum, & Troianorum clades caneret, Vlyſſes operto capite fleuiſſe dicitur; & eo ceſſante caput deteriſſe. Cæterum ad hanc obductionem capitis in luctu referendum eſt, quod ſæpius in ſacris literis habetur, dum calamitas aliqua deſcribitur, & publica ſigna doloris in illa narrantur. Inter alia enim ponitur confuſio faciei. Apud Ezechielem, vbi de clade Ieroſolymorum, & publico luctu propter illam[k]; *Accingent ſe ciliciis, & operiet eos formido, & in omni facie confuſio, & in vniuerſis capitibus eorum caluitium.* Confuſio enim faciei hic eſt inuolutio capitis, & abſconſio. Is enim geſtus eſt eorum qui confunduntur, & aliorum aſpectum ferre non poſſunt. Similiter in primo[l] Machabæorum. *Omnis maritus ſumpſit lamentum; & quæ ſedebant in thoro maritali lugebant, & commota eſt terra ſuper habitantes in ea, & vniuerſa domus Iacob induit confuſionem*, lugubrem ſcilicet habitum aſſumpſit, in quo non ſolum ſacco & cilicio induti; ſed etiam operto capite publicè incedebant. Ob id dicit; *Commota eſt terra ſuper habitantes in ea*, id per hypallagem omnes qui terram

i Odiſ. 8.

k Cap. 7. 18.

l Cap. 1. 2. 9.

Digitized by Google

ram habitabant, immutato habitu inceſſiſſe; conſuetis nimirum veſtibus cautis, inſolitas aſſumpſiſſe, & præter morem confuſione indutos, opertis capitibus inceſſiſſe. Quare Baruch vno verbo totum lugentium habitum complectens, ab hac capitis obuolutione, *faciei illum confuſionem* appellauit [a]. *Domino Deo noſtro iuſtitia; nobis autem confuſio faciei noſtræ, omni Iuda; & habitatoribus in Jeruſalem.*

a Cap. 1, 15.

Secundo loco, in publico luctu clamor erat & eiulatus, non quidem ſemper illo durante; ſed primum incipiente. Sicut enim in publica lætitia diſſonæ voces exultationis erumpunt; ſic in publico luctu, mœroris. Illæ propriè in ſacris literis *voces iubilationis* appellantur, & qui illas emittunt, *iubilare* dicuntur. Iſtæ, *vlulatus*: Vt enim iubilus, & iubilatio, vox eſt incondita, in quam non ſe ferens animus erumpit lætitia geſtiens; ſic *vlulatus*, inconditum eiulatum violentia doloris expreſſum: in quem ciuitas vniuerſa prorupit, audita cæde ſuorum, & Arca capta. *Currens*, inquit [b], *vir de Beniamin venit in Silo ſciſſa veſte, & puluere conſperſus caput..... & poſtquam ingreſſus eſt, nunciauit vrbi, & vlulauit omnis ciuitas; & audiuit Heli ſonitum clamoris, & ait; Quis eſt hic ſonitus tumultus huius?* Tota enim ciuitate, & per tecta clamor hic inconditus ſpargebatur, dum clamabant alter ad alterum flebiliter vociferantes. Eſaias luctum Moabitarum deſcribens [c]; *In triuiis eius accincti ſunt ſacco; ſuper tecta eius, & in plateis eius omnis vlulatus deſcendit in fletum.* Signanter hoc vltimum. Vlulatus enim, & diſſonus clamor poſtquam diu protractus erat, in mutum fletum, & gemitum deſinebat; vt publicus luctus alternis *vlulatu*, & *ſilentio* perageretur. Sic in morte Germanici Tacitus [d]; Nunc voces, nunc ſilentium publicè aſſumpta ſcribit mœrori teſtando. *Hos*, inquit, *vulgi ſermones audita mors adeo incendit..... vt ſumpto iuſtitio deſererentur fora, clauderentur domus; paſſim ſilentium, & gemitus.* Gemitum hîc, eiulatum appellat, & vulatum, qui non aliud, quam vociferatio diſſona in magno dolore. Et hanc non ſtudio quæſitam dicit ad oſtentationem in morte Germanici; ſed veram, & violentia doloris expreſſam: per id innuens in publico luctu dolorem quoque oſtentatum; ſicut aliis argumentis ita vociferatione & clamore diſſono, qui ſolet eſſe proprius animi magno dolore iactati. Vnde paulò pòſt [e] in Agrippinæ aduentu mariti cineres geſtantis, inducit populos, per quos illa tranſibat, incertos & ſecum quærentes. Qua teſtificatione publici luctus illam deberent excipere. *Atque*, inquit, *vbi primum ex alto viſa claſſis, complentur non modo portus, & proxima maris; ſed mœnia ac tecta, quaque longiſſimè proſpectari poterat mœrentium turbâ, ac rogitantium inter ſe ſilentio ne, an voce aliqua egredientem exciperent: neque ſatis conſtabat quid pro tempore foret.* Alternis enim, vt dicebam, in publico luctu, mœſtum cum fletu ſilentium, & gemitus inconditus aut vlulatus. Inde prophetæ vtrumque coniungunt. Eſaias in excidio Moabitarum. *Onus*, inquit [f], *Moab: quia nocte vaſtata eſt Ar, Moab conticuit: quia nocte vaſtatus eſt murus Moab, conticuit.* Et paulo poſt ſubdit de vlulatu. Aliquando enim luctus à mœſto ſilentio incipit, aliquando ab eiulatu diſſoni clamoris; à quo iterum relabitur in mutos fletus, vt ibidem Eſaias. Id quod etiam eſt ab externis Poëtis expreſſum. Statius [g] de Hypſipile

b lib. 1. Reg. 4. 12.

c Cap. 15. 3.

d lib. 2. An. extremo.

e lib. 3. An. cap. 1.

f Cap. 15. 1.

g lib. 6. Theb.

——Non verba in funere primo,
Non lachrymas habet.

Et paulo poſt;

——Tandem laxata dolore,
Vox inuenit iter, gemituſque in verba ſoluti.

Tertio loco, planctus erat propriè acceptus; percuſſio ſcilicet palmarum inter ſe, & ad alias partes corporis alliſio: vnde flebilis fragor excitabatur. Hic, vt vidimus, inerat in omni luctu; ſed hoc in publico ab aliis diſtabat, quod in triuiis, & compitis, & ab iis qui perſonam publicam gerebant: Et apud Hebræos in tectis aſſumebatur. Ieremias [h] de ſæpiùs memorato luctu Moabitarum. *Super omnia tecta Moab, & in plateis eius omnis planctus: quoniam contriui Moab ſicut vas inutile, ait Dominus.* Quid hic planctus? luctuoſus, fragor ex percuſſis manibus inter ſe, aut ab illis pectore, capite, vel alia parte corporis. Ad illum autem ſtrepitum lamenta ſociabant, & voces aliquando diſſonas, aliquando in flebilem næniam compoſitas. Ideo ſæpè planctus in ſacris literis cum eiulatu coniungitur, aliquando etiam cum cantu lugubri. Cum *vlulatu*; Sapiens [i], vbi de planctu Ægyptiorum. *Reſonabat autem inconueniens* (id eſt diſſona, & incondita) *inimicorum vox, & flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium.* Publicum enim luctum Ægyptiorum deſcribit, Et *vocibus inconuenientibus* id eſt vlulatui aſſociatum dicit *flebilem planctum*, luctuoſum ſcilicet fragorem percuſſarum manuum, & alias corporis partes percutientium. Hoc autem vtrumque ſimul etiam eſt à Virgilio coniunctum in ſimili luctu

h Cap. 48. 38

i Sap. 18. 10.

——concurſam bacchatur fama per vrbem.
Lamentis gemituque & fœmineo vlulatu
Tecta fremunt: reſonat magnis plangoribus æther.

At verò cum cantu lugubri iungitur planctus in luctu Prophetæ à Leone extincti. *Et planxerunt*, inquit [k], *eum Heu heu, mi frater.* Et apud Ieremiam [l]. *Et non plangent eum, væ frater, & væ ſoror.* De quo planctu flebiliter in certa cantica modulato, illud accipiendum eſt, quod de Dauide refertur in morte Ionathæ [m]. *Planxit autem Dauid planctum huiuſcemodi ſuper Saul, & ſuper Jonathan filium eius..... & ait; Conſidera, Iſrael, pro his qui mortui ſunt.* vt in huius loci Commentario plenius obſeruauimus.

k 3 Reg. 13. 30.

l Cap. 22. 18.

m 2 Reg. 1. 17.

Cæterùm quia propriè planctus hic cum percuſſione capitis aut pectoris, B. Ioannes [n] ea forma loquendi vtitur vt *plangere ſe ſuper aliquem*, ponat pro eo quod eſt, illius cauſa luctum aſſumere. *Et plangent*, inquit, *ſe ſuper eum omnes tribus terræ.* Et Eſaias [o] pectoris percuſſionem ſignans; *ſuper vbera plangite, ſuper regione deſiderabili, ſuper vinea fertili.* Quia vero in publico luctu præcipui erant publicam perſonam gerentes, Ioel illum indicens [p], *ſacerdotes ad planctum vocat*; & B. Ioannes [q] in illo dicit plancturos ſe Reges ſuper excidium Babylonis. Obſeruandum verò fragorem hunc ex colliſione, duplicem in luctu fuiſſe: alterum, qui ex percuſſione telorum aut alterius ſolidæ materiæ fiebat; alterum, qui manibus excitabatur inter ſe colliſis; aut ad caput, & pectus. Vtrumque autem in publico luctu erat quaſi ſolemne, non Hebræis ſolum, ſed omnibus aliis. Exemplis ſuperſedeo; quod paſſim obuia, contentus vno Statio, qui publicum Argiuorum luctum deſcribens in Archemori funere:

n Apoc 1. 7.

o Cap. 32. 12

p Cap. 1. 13.

q Apoc. 18. 9

illiſaque

— illiſaque [a] *celis*
a Stat.lib. 6. Theb. *Tela ſonant; quater horrendum pepulere fragorem*
Arma; quater mollem famulantum brachia planctum.

Quartò. Domus in publico luctu claudebãtur, vt iudicio id eſſet ceſſare mutua communicationis officia; ſilentio enim, vt diximus, & clamore luctus peragebatur; *ſilentio*, quia domi ſe continebant, & ſe mutuo non frequentabant; aut ſi foras prodibant neceſſaria curaturi, opertis capitibus incedebant: vnde colloquij occaſio ſublata: *clamore*, quia voces inconditas, in principio ſaltem luctus vlulando promebant. Ad hæc ergo
b Cap.24.10 domus clauſæ, de quibus Iſaias [b], *Attrita eſt*, inquit, *ciuitas vanitatis, clauſa eſt omnis domus nullo introeunte; clamor erit ſuper vino in plateis; deſerta eſt omnis lætitia; tranſlatum eſt gaudium terræ, relicta eſt in vrbe ſolitudo, & calamitas opprimet portas*. Eodem modo in morte Germanici ſcribit Tacitus illius cauſa luctum publicè ſumptum
c lib.2. Ann. in fine. [c]. *Ante Senatus conſultum, ſumpto iuſtitio, deſerta fora, clauſa domus, paſſim ſilentia & gemitus*. Ad hanc verò domuum clauſionem referendum eſt, quod ſæpius in ſacris literis habetur vbi de Hebræis lugentibus agitur *illos inter alia ſediſſe*. Seſſio enim iſta, de manſione in domo intelligenda eſt, ex qua nec ipſi facilè egrediebantur in luctu, nec in eam exteri admittebantur.
d lib.2. Eſd. c.1.4. Neemias [d] de ſe ipſo. *Cumque audiſſem verba huiuſcemodi, ſedi, & fleui, & luxi diebus multis*.
e lib.1.Eſd. c.9.3. Et Eſdras [e] item de ſeipſo. *Cumque audiſſem ſermonem iſtum, ſcidi pallium meum, & tunicam, & euelli capillos capitis mei, & barbæ, & ſedi mærens*. Nec enim dubium quin ſicut animo geſtiente, paſſim circumcurſatur, & aliorum domus ab aliis mutuo frequentantur; ita in mœrore & luctu ſoleat ab omni vagatione ceſſari.

Quintò, *Fora deſerebantur*, quod in morte Germanici Tacitus his ipſis verbis obſeruat. Significat autem id mercatus, & publicos rerum venalium conuentus omiſſos in publico luctu; non quod vitæ neceſſaria non venderentur; ſed quod tantiſper fori frequentia ceſſaret: id quod apud Hebræos quoque ſeruatum, ex pluribus exemplia habemus; & paſſim apud Romanos factum diſcimus ex clade Cannenſi, ad Thraſimenum, & publico luctu, qui propter illas aſſumptus.

Sextò. *Iuſtitium ſumebatur*, omnium maximè proprium, quæ in luctu publico fiebant. Erat
f Gel.lib. 10. c 1. autem *iuſtitium* iuriſdictionis [f] intermiſſio cum ceſſabant tribunalia claudebantur curiæ, cauſæ ſuſpendebantur: vnde illi vocabulum: *iuſtitium* enim dictum quaſi *Iuris ſtatio*. Nomen in ſacris literis non habemus, rem ipſam habemus, ſed alio vocabulo ſignatam; nempe *per portarum luctum; deſolationem, & ſolitudinem*. Quia enim apud Hebræos, vt alibi ſuſè docuimus, omnia publica negotia, præſertim quæ ad lites & iudicia, in portis exercebantur, hæc Iuris ſuſpenſio, & vno verbo iuſtitium, *per portarum luctum & ſo-*
g Cap 3. 26. *litudinem* apud illos exprimebatur. Eſaias [g], *Pulcherrimi*, inquit, *viri tui gladio cadent, & fortes in prælio*. Ob id, quid? Luctus publicus ſequetur; vnde ſubdit; *Et mœrebunt, atque lugebunt portæ eius, & deſolata in terra ſedebit*. Squalere enim fora & iudicia, tacere leges, mœrere tribunalia dicuntur, cùm Iuris adminiſtratio ſuſpenditur, in qua fora iudicialia non frequentantur.
h Cap.14 2. Vnde Ieremias de [h] publico luctu ob ſiccitatem. *Luxit*, inquit, *Iudæa, & portæ eius vacuæ factæ ſunt* (ſic LXX.) *& obſcuratæ ſunt in terra, & clamor Ieruſalem aſcendit*. Vacuæ, inquit *portæ*, quia vt bene D. Thomas in eum locum, nullæ lites, & cauſæ agebantur; inde circa fora & tribunalia ſolitudo, *iuſtitium* ſcilicet, quo nihil apud Hebræos non ſolùm, ſed Romanos, frequentius in luctu; quoties ſeditio, tumultus, aut aliqua clades accepta eſſet, aut immineret, aut etiam vir aliquis inſignis extinctus. Sic in morte Germanici *iuſtitium*; ſic Antonio arma in patriam ferente *iuſtitium* indicendum & intermittendam iuriſdictionem Cicero ſæpius inculcat: ſic Cæſare ciuile bellum cœptante, *ferale iuſtitium* Romæ i lib.1.
ſumptum Lucanus [i] canit, & iura omnia ceſſaſſe. Quare Tertullianus alicubi ſole & die decedente, dicit lugere mundum, quod nocte ſubeunte *iuſtitium*, & rerum omnium ſilentium ſequatur. Totum hic locum adſcribam, quia elegantiſſimus eſt, & ad omnes ritus alludat, qui ſolemnes k li. de reſur. carn.c.12.
in luctu. *Aſpice nunc*, inquit [k], *ad ipſa quoque exempla diuinæ poteſtatis. Dies moritur in noctem, & tenebris vſquequaque ſepelitur: funeſtatur mundi honor* (quare funeſtatur? Quia tenebris, qui niger eſt, & funeſtus color obducitur; vnde ſubdit) *omnis ſubſtantia denigratur, ſordent, ſilent, ſtupent cuncta, vbique iuſtitium eſt, quies rerum; ita lux amiſſa lugetur*. Cur ita? quia ſordes, ſilentium, ſtupor, ceſſatio, & niger color propria lugentium. Quietem vero nocturnam, ſilentium illud omnium animalium mundi *iuſtitium* eleganter appellat; quaſi tunc ceſſent illius tribunalia, & omnibus ſopore demerſis, nihil agatur, aut decidatur. Vt vero à principio dixi, proprium adeo *iuſtitium* publici luctus, vt pro eo aliquando ponatur. Sidonius matronam Filomatiam quæ publicè fuerat à tota ciuitate defleta, *non*
l lib 2.ep 8. *ſine iuſtitio* deceſſiſſe dicit [l], *Iuſtitium*, publicum luctum appellans, qui illi fuerat impenſus. Vt autem ſupra monui de luctu vniuerſo, ſic de ipſo *iuſtitio* reperio frequentius illud indictum voce Præconis; licet aliquando etiam ſponte ſuſciperetur. Vnde Fulgentius [m] iuſtitium deſcribit m li. de priſ. ſerm.
quando populo per Præconem indicitur, vt ab opere ceſſet, & illuſtrem virum vel fœminam lugent. Et inde apud Ciceronem ſæpius iuſtitium indicere.

Capvt XIII.

Ad illa verba. [n] Et conuenerunt in Maſphath, hauſeruntque aquam, & effuderunt in conſpectu Domini, & ieiunauerunt in die illa. n 1 Reg 7.6

De ſacro luctu apud Hebræos, & ritibus in illo ſeruatis.

Luctus ſacer, vt ſupra diximus erat, qui ad Deum placandum publicè ſumebatur. Eo nihil in ſacris literis frequentius: ob id accuratius hic explicabitur, & quatuor potiſſimum proſequemur. Primo. Quotuplex, & quas ob cauſas aſſumptus. Secundo. Qui ritus in illo. Tertio. De ieiunio, oratione, & aliis quæ erant in illo præcipua. Quarto. Num etiam apud gentiles vſurparetur. Ante omnia tamen præmitto de ſacro luctu dupliciter agi poſſe, Primo: vt ionctus eſt actibus interni doloris ex admiſſo peccato concepti; & vt Deus inde placetur aſſumpti, quem

quem peccatis offendimus. Secundo vt reſpicit exteroom habitum lugentis,& alios actus,qui ad animi dolorem teſtandum aſſumuntur. Primo modo, de luctu ſacro diſputare, Theologorum eſt, dom de pœnitentia diſſerunt. Secunda tractatio, hiſtorica eſt,& corum qui titus veteres exponuot, quod bic nos agimus. Ordiamur igitur à primo quod propoſuimus.

Luctus ſacer ab Eccleſiaſticis ſcriptotibus, vt dixi, *pœnitentia* nuocupatus ex *ſubiecto*,*& obiecto* diſtingui poteſt. Ea *ſubiecto*, alius priuatus erat, alius publicus: Ea *obiecto* cum omnis eſſet ad placandum Deum, aut demerendum; alius tamen erat ad peccata commiſſa expianda;alius ob infortonium aliquod qnod timereor, aut, quo fam premeteotur arcendum. Singulorum paſſim exempla ſupperunt in ſacris literis.

Et primò, *priuati*. Sic enim luxit Achab ad

a lib.3. Reg. c.21.27. Eliæ comminationem. *Cùm*, inquit [a], *audiſſet Achab ſermones iſtos, ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauitque & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite.* Sic etiam Eſther audito excidio,quod aduerſus gentem ſnam parabatur ab Aman, coofugit ad

b Eſth.c.14 1. Deum *pauens* [b] *periculum,quod imminebat.* Et vt ſupra vidimos, *cùm depoſuiſſet veſtes regias. fletibus, & luctui apta indumenta ſuſcepit: & pro vnguentis varis cinere, & ſtercore impleuit caput, & corpus ſuum humiliauit ieiuniis.* Sic beata Iudith populom ſuum, virile anſa facinus, liberatura

c Iud.c.9.1. [c]. *Ingreſſa eſt Oratorium ſuum; & induens ſe cilicio poſuit cinerem ſuper caput ſuum.* Sic etiam

d lib.1.c.9.3 priuatim luxit Eſdras [d] ob peccata populi. *Cùmque*, inqnit, *audiſſem ſermonem iſtum ſcidi pallium meum, & tunicam, & euelli capillos capitis mei, & barba, & ſedi mœrens ..... pro tranſgreſſione eorum, qui de captiuitate venerant.* Sic deni-

e lib.2. Eſd. c.14. que Neemias [e], qui de ſe ipſo; *Cumque audiſſem verba huiuſcemodi, ſedi & fleui, & luxi diebus multis, ieiunabam, & orabam ante faciem Dei cœli.*

Secundò, publicè ſacro luctn luxerunt Iſraelitæ hoc loco Regum quem tractamus. *Conuenerunt*, inqoit, *in Maſphath*, vtique ad placandum Deum & demerendum; & vt veniam delictorum ſuorum impetrarent. *Hauſeruntque aquam, & ieiunauerunt.* Iidem etiam, & maiori celebritate luxerunt, Holopherne premente. *Omnis po-*

f Iud.6.14. *pulus*, inquit [f], *cecidit in faciem, & communi lamentatione & fletu vnanimes preces ſuas Domino*

g Ibid.c.7.18 *effuderunt.* Et ruiſus [g] in eadem calamitate; *Cum hoc dixiſſet factus eſt fletus & vlulatus magnus in eccleſia ab omnibus, & per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum; Peccauimus cum patribus noſtris.* Sic etiam luctum ſacrum vniuersè ſom-

h Eſth.4.3. psêre poſt edictum Aſſueri [h]. *In omnibus*, inquit, *prouinciis, oppidis, ac locis, ad quæ crudele dogma peruenerat,planctus magnus erat apud Iudæos,ieiunium, vlulatus, & fletus, ſacco & cinere multis pro ſtrato vtentibus.* Et hunc eundem pœniteotiæ luctum Iudas omnibus indiait, Antiocho ſæuiente.

i 2.Machab. c.13.10. *Præcepit*, inquit [i], *populo vt die, ac nocte Deum inuocarent.* Inde ſnbdit [k]; *Omnibus itaque ſimul*

k ver. 13. *id facientibus, & petentibus à Domino miſericordiam cum fletu & ieiuniis per triduum continuum proſtratis, hortatus eſt eos Iudas, vt ſe prepararent.* Denique ad bunc eundem Prophetæ ſæpiùs hortantur. In primis Ioël. Ad pœnitentiam enim cum inuitant, non ſolum ad actus interiores hortantur; ſed ad exteriorem habitum, qui erat tum proprius lugentium. *Conuertimini*, inqoit [l], *ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu, & planctu;& ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra*;id eſt non hæc tantum,ſed magis illa. l Ioël 2.12.

Tertiò, exemplum luctus ſacri ſolùm ob peccata eapianda, & numen offenſum placaodum, babemus hic in populo Iſraëlitico. Nec enim peculiare vllum infortunium nunc inſtat, ad quod amoliendum lachrymas effundaot;ſed tantum memores eorum quæ in Deum deliqoeraot, admonitu Samuelis, ad eapianda malè patrata conueniunt,& fletos aſſociant. Similiter Dauid iam latè regnans, vbique victor & inclytus, ob ſolam memoriam commiſſi peccati,luctum hunc ſacrum aſſumpſit, dies noctesque ſtratum ſuum lachrymis rigando ad Deum demerendum;vt ex ſeptem Pſalmis habemus, quos ab argumento Eccleſia, *Pœnitentiales* appellauit.

Quartò denique, ſacri luctus eaempla ad cladem aut prementem,aut inſtantem auertendam, longè plura ſuppetunt in ſacris literis. Quæcunqoe enim hacteous indicsoimus,& alia,quæ paſſim occurrunt, omnia ferme ſunt ad Deum propitiandum,vt intentata ſupplicia remittat.

Secundo loco,qui titus in hoc luctu ſeruarentur, eaplicationem faciliorem habet. Quæcunque enim in luctu ciuili ſiue publico,ſiue priuato,adhibebantur, eadem ferme omnia in hoc etiam ſacro aſſumpta ſont;niſi quod aliqua, cura hic impenſiori,& attentius; vt ieiunia, corporis afflictatio, & omnia magis præpoſterè ſeruata; quam in vita quotidiana ſolerent. Satis hic igitur erit ea preſſiùs eaponere, quæ pecoliaria in hoc erant;aut quia propriè illios tantum,aut qoia maiori cum cura. Prius tamen moneo cultum, babitumque corporis in ſacro luctu, ritusque in eo ſolitos vſurpari, fuiſſe deinde à Chriſtiana Eccleſia omnes aſſumptos, in habitu *publicè pœnitentium.* Sicut enim, vt ſupra diximus, luctos ſacer eſt proprio ſuo nomine *Pœnitentia* appellatus à Latinis;& Græcè,*sapinophronisis. ταπεινοφρόνησις*, ſic hi,qui lugebant,*pœnitentes* dicti. Cultum ergo publicè pœnitentium, & titus in eorum habitu ſeruaroa,ſic Tertolliaous eaequitur.

[m] De pœoitentia enim ipſa agens; *De ipſo quoque habitu,atque victu mandat,ſacco, & cineri incubare,corpus ſordibus obſcurare; animum mœroribus deiicere;illa qua peccauit,triſti tractatione mutare;paſtum, & potum pura noſſe non ventris, ſed animi cauſa. Plerumque verè ieiuniis preces alere, ingemiſcere,lachrymari, & mugire dies ac noctes ad Dominum Deum tuum,preſbyteris aduolui, charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ iniungere.* Quæ omnia ſacer Hebræorum luctus habebat, dum per illùm Deum placabant,& peccatis veniam petebant, iorentata,aut inflicta ſupplicis auerteodo. m De pœnit. cap.a.

Quod ergo tertium erat de hoc loctu propoſitum,tria erant in eo vel propria, vel præcipua; ieiunium, oratio, & præpoſtera priſtini cultus inuerſio.

De ieiunio, res clara;adeo enim proprium id in ſacro luctu, vt aliquaodo ſit idem in ſacris literis ieiunare,quod lugere;& ieiunium iodicere, ſit ad bunc loctum vocare [n]. *Prædicate*, inquit, n 3 Reg. 21. 9. *ieiunium,& ſedere facite Naboth inter primos populi.* Prædicare enim hic ieiunium, erat hunc luctum indicere. Nec dubium quin cùm ieiunium eſſet in omni luctu;in ſacro locum præcipuum baberet. In luctu enim ciuili,cum primum

incipiebat,

Digitized by Google

incipiebat, ab eſcis abſtinebatur: at in ſacro, non prius ferme ieiunium ceſſabat, quam totus luctus abſolueretur. Erat ergo ieiunium in ſacro luctu diuturnius, & adſtrictius. Vt plurimum enim aqua tantum ad panem adiuncta, dies tranſigebant: aliquando, non ſolum ab omni eſca, ſed etiam ab aquæ potu temperabant. Hoc ſecundum feciſſe populus, tacitè per hæc verba ſignificatur; quæ variè detorta, & operoſis interpretationibus obſcurata; planiſſimum tamen ſenſum habent intellecta de ieiunio per abſtinentiam etiam ab aquæ potu peractum *Hauſerunt*, inquit, *aquam, & effuderunt*; eam ſcilicet

a 2. Reg. 23. Domino libantes, vt poſt modum fecit Dauid [a], & ſitim ſuam quam nec aqua ſatiabant, in ſacrificium offerentes. Vnde ſubditur; *Et ieiunauerunt*. Hoc nempe ieiunij genere, quo nec aquam guſtabant. Eodem modo luxit Eſdras, qui de ſe

b lib. 1. Eſd. c. 10. 6. ipſo teſtatur [b]. *Ingreſſus eſt illuc, & panem non comedit, & aquam non bibit, lugebat enim tranſgreſſiones eorum, qui venerant de captiuitate.* Simile quoque ieiunium ab omni eſca & potu legimus de Sara Tobiæ iunioris vxore. *Ad hanc vocem* (in-

c Tob. 3. 10. quit [c], qua contumelioſè fuerat ab ancilla traducta) *perrexit in ſuperius cubiculum domus ſuæ & tribus diebus & tribus noctibus, non manducauit neque bibit.* Similiter Eſther ad Mardochæum.

d Eſth. 4. 16. *Vade*, inquit [d], *& congrega omnes Iudæos: non comedetis, & non bibetis tribus diebus, & tribus noctibus; & ego cum ancillis meis ſimiliter ieiunabo.* Frequentius tamen erat ieiunium cum ſolo paſtu panis ſecundarij, & aquæ potu. Quale clare

e Dan. c. 10. 3 Daniel a ſe dicit aſſumptum. *Ego Daniel*, inquit [e], *lugebam trium hebdomadarum diebus panem deſiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum.* Et de iſto ieiunio puto intelligendum quoties Hebræi abſolutè ieiunaſſe dicuntur, & ſua ieiunia protraxiſſe cùm ante Deum lugerent.

Cum ieiunio coniuncta erat oratio, non quoquo modo fuſa, ſed eo corporis habitu & conformatione, qui maxime demiſſionem animi teſtaretur, ſua infortunia gementia: qualia erat aut humi fuſum iacere, aut genibus innixum ante Deum excubare; cùm facultas erat Arcam adeundo; cum longius aberat, ad locum vbi ea ſita manus ſupplices, vultumque tendendo. Propterea cum dicitur in hoc luctu ieiuniũ aſſumptum, tam frequenter adiungitur in illo & cum illo corpus *humiliatum*; quod eſt ita eos ieiunaſſe, vt cum ieiunio preces humi demiſſi funderent, & toto luctus tẽpore ſolo affigerentur, aut abiecti, aut proſtrati, aut ſedentes. Hinc de luctu populi inſtante

f Iud. c. 4. 8. Holopherne; *clamauit*, inquit [f], *omnis populus ad Deum inſtantia magna, & humiliauerunt animas ſuas in ieiuniis, & orationibus ipſi, & mulieres eo-*

g Pſ. 30. 13. *rum.* Et Dauid [g] de ſe ipſo; *Humiliabam in ieiunio animam meam.* Quomodo *humiliabat*? Quia cum ieiunio preces humi fuſus mittebat, vt de

h Pſ. 118. 30. ſe alibi teſtatur [h]. *Adhæſit pauimento anima mea, viuifica me ſecundum verbum tuum.*

Tertiò denique, maximè propria erat ſacri luctus quotidiani cultus inuerſio, de qua paulo poſt.

Supereſt iam quartum quod propoſuimus; an luctus hic ſacer Gentilibus vſurpatus, ad quid, & quomodo. Vſurpatum, dubitare non poſſumus: nam luctus huius nomine voluntarius ſqualor, & afflictio corporis intelligitur ad aliquid à Deo impetrandum aſſumpta, ſiue id ſit cladis, aut

Sepsan. in Dauid.

periculi depulſio, ſiue beneficij collatio. Certum autem eſt ex ſolemni more id à Gentilibus factitatum, quod habemus à Tertulliano, qui ſimul ad quid, & quibus ritibus oſtendit. *Sed & omnẽ*, inquit [i], *ταπεινοφρόνησιν tapinophronſim ethnici* i lib. de Ieiun. c. 16.
agnoſcunt. Cum ſtupet cælum, & aret annus nudipedalia denunciantur, magiſtratus purpuras ponunt, faſces retro auertunt, precem indigitant, hoſtiam inſtaurant. Apud quaſdam vero colonias præterea annuo ritu ſaccis velati, & cinere conſperſi idolis ſuis inuidiam ſupplicem obiiciunt, balnea & tabernacula in nonam vſque clauduntur. Vnus in publica ignis apud aras, aquæ nec in lancibus, Niniuiticum credo tuſtitium. Iudaicum certe ieiunium vbique celebratur, cum omiſſis templis, per omne litus quacunque in aperto aliquando iam precem ad cælum mittunt: & licet cultu & ornatu mœroris munus infament, tamen fidem abſtinentiæ affectant, & ſtellæ auctoritatem demorantes ſuſpirant. Hæc ego paulo prolixius, quod ex illis quæcunque de luctu ſacro Gentilium quæri poſſunt, abundè diſcantur. Expendamus accuratè ſingula.

Primò, Dicit omnem *tapinophonſim* Chriſtianorum etiam Ethnicos agnouiſſe. Sic autem Tertullianus appellat luctum ſacrum & habitum pœnitentiæ; voluntariam nempe deiectionem, & humiliationem corporis & animi in vita, & victu ad Deum demerendum. Sic enim etiam in ſacris literis vno vocabulo totus habitus lugentium *humiliatio* nuncupatur: & *humiliari*, in iiſdem eſt hunc luctum ſacrum aſſumere per animi deiectionem quam corporis abiectio teſtabatur. Vnde Achab habitum hunc indutus, *humiliatus* dicitur. *Nonne vidiſti humiliatum Achab?* Dixit [k] k 3. Reg. 21.
Deus ad Eliam. Et de Ioſia dicitur [l]; *Pro eo, quod* l 4. Reg. 22.
audiſti verba voluminis, & perturbatum eſt cor tuum, & humiliatus es coram Domino. Ioſias enim coram Arca (id eſt enim hoc loco *coram Domino*) ſacco indutus iacuerat. Ob id ergo quod in ſacris hic ſacer pœnitentiæ luctus, & vniuerſus eius habitus, *humiliatio* dicitur, in Chriſtiana Eccleſia *tapinophronſis* eſt appellatus, abiectio nempe animi corporis abiectione, & voluntaria vexatione teſtata. Quem habitum eum ſua voce dicit hîc Tertullianus etiam Gentiles agnouiſſe.

Quem ſecundò, adiungit illis duplicem fuiſſe; ſtatum, & indictum. *Statum*, cùm dicit annuo ritu ſaccis velatos & cinere conſperſos diis ſuis ſupplicaſſe. *Indictum*, cum dicit arente anno, & ſtupente cœlo nudipedalia denunciata.

Tertiò, Inter alia corpori vexando tunc vſurpata, primum dicit fuiſſe ieiunium: quod indicat dum dicit per eos dies apud Gentiles *vnũ tantum eſſe ignem*, eumque publicum, & apud aras: per id inſinuans abſtinuiſſe tunc eos ab omni cibo, qui coqueretur; Et ſimiliter à vino, dum ſubdit *aquas nec in lancibus apponi*: ſignificans eam nec hauriri, nec hauſtam in promptu haberi. quod vtrumque de Gentilium ieiunio, ſiue in luctu ſacro, ſiue in ſuis ſacrificiis etiam docet D. Hieronymus [m]. Omnia tandem concludens *ea ſe diſpu-* m lib 2. cont. Iouin.
taſſe; vt qui ex noſtris Apoſtolorum paupertatem, & crucis duritiam aut neſciunt, aut contemnunt, imitemur ſaltem Gentilium parcitatem.

Quartò, dicit hanc tapinophronſim Gentiles cultu & ornatu mœroris infamaſſe. *Licet*, inquit, *cultu & ornatu mœroris munus infament; tamen fidem abſtinentia affectant* Indicat autem per id Gentiles in ſacro luctu quædam propria vſurpaſſe, quæ non Chriſtiani. Prætermiſſo enim

quod totus habitus in illis,& in noſtris fine, & propoſito diſtabat; cum noſter luctus eſſet verè ſacer, illorum ſacrilegus; noſter ad Deum verum, illorum ad falſos: in ipſis externis indiciis mœroris aliqua Gentiles habebant, quibus, eorum luctus infamabatur in ipſo *cultu & ornatu per quem vtrumque*, aliud non intelligit, quam indecentia ſigna doloris à Chriſtianis non approbata. Quæ hæc præcipue?

Primum quod Sacerdotes & ſacrificuli dum preces fundebant ſe cultris interſecabant, vt orationem ſuam, quam ieiuniis alebant, non lacrymis ſolum ſed etiam ſanguine rigarent. Huius ritus, quem ſuo loco fuſiùs explicamus, in libris Regum habemus exemplum, vbi de Pſeudoprophetis Baal, & Elia. De illis enim ſcriptura loquens [a], *Clamabant*, inquit, *voce magna inuocantes Deum ſuum, & incidebant ſe iuxta ritum ſuum cultris, & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine.* Paſſim autem id à Gentilibus factitatum, vt Deos ſuos placarent, aut demererentur, indicat alicubi Prudentius [b]:

a 3. Reg. 18. 28.

b In Hym. de S. Romano Mart.

Sunt ſacra quando voſmetipſos exciditis,
Votiuus & cum membra detruncat dolor
Cultrum in lacertos exerit fanaticus
Sectiſque Matrem brachiis placat Deûm.
Furere ac rotari, ius putatur myſticum,
Cœlum meretur vulnerum crudelitas.

Quomodo autem impiè hæc à Gentilibus vſurpata nihil obſint Chriſtiano ritui, ſe in ſacra flagellatione cædendi, fusè nos alibi, & ex noſtris Iacobus Gretſerus integro de diſciplinis libro aduerſus hæreticos.

Secundum quod improbabatur in hoc luctu Gentilium, & illum infamabat, erat fanatica corporis iactatio, qualis furentium eſt, & bacchantium. Quam indicat Prudentius illis verbis:

Furere, ac rotari, ius putatur myſticum.

Et clariùs Lactantius [c] vbi de Bellonæ ſacerdotibus agit. *Alia*, inquit, *Virtutis* (ſacrificia) *quam eandem Bellonam vocant, in quibus ipſi ſacerdotes non alieno, ſed ſuo cruore ſacrificant. Sectis namque humeris, & vtraque manu diſtrictos gladios exerentes currunt, efferuntur, inſaniunt.* Et hoc vtrumque *cultus* nomine forte Tertullianus intellexit dum dixit munus illud *cultu mœroris* à Gentilibus infamati. Cùm verò adiungit *ornatum*.

c lib. 1. de fal. relig. cap. 21.

Puto per hoc, Tertium intellexiſſe, quod in Chriſtiano luctu non probabatur, & paſſim Gentiles vſurpabant in ſuo. Matronæ enim eorum in ſignum mœroris nudo pectore, & paſſis crinibus templa circuibant, & illorum limina capillis abſtergebant. De quo ritu Liuius [d]. *ſtratæ paſſim matres, crinibus templa verrentes veniam irarum cœleſtium expoſcunt.* Et iterum [e], *Matronæ circa Deûm delubra diſcurrunt crinibus ſparſis aras verrentes.* At Lucanus [f] clariùs in publico & ſacro luctu cum Cæſar in Vrbem rueret belli ciuilis initio:

d lib. 3.

e lib. 26.

f lib. 2.

Hæ lachrymis ſparsêre Deos, hæ pectora duro
Affixere ſolo, laceraſque in limine ſacro
Attonitæ fudere comas.

Erat enim hic habitus itam Dei deprecantium. Vnde Apuleius [g]. *Tunc Pſyche vberi fletu rigans Deæ veſtigia, humumque verrens crinibus ſuis.* Et durauit hic ritus ipſa ſuperſtitione durante. Itaque Conſtantini fermè tempore vigebat. Mamertinus [h]; *Matres Italæ penſa manibus abiecerunt, paruos liberos abreptos ad templa traxerunt, ibi aras ſacras paſſo capillo ſuo quæque verrebat.* Nihil horum in noſtro luctu. Nec enim pro Chriſtiana modeſtia putarunt matronas in publico iactari, nudo pectore, & ſparſis crinibus ſolum verrentes. Ob id, fortaſſe Tertullianus dicit *tapinophroneſim* ſuam Gentiles ornatu, & his ſignis mœroris infamaſſe.

g lib. 5 Met.

h Panegyr. ad Maximian.

Quintò, Dicit à Magiſtratu purpuram poſitam, & faſces terro verſos, per quod indicat inuerſionem quotidiani cultus in hoc luctu. Supra autem monui non fuiſſe tantùm huius propriam; ſed in omni, maximè publico, ſeruatum, vt omnia præpoſtere, & peruersè fierent, quam ex quotidiano more ſolerent, præſertim à Magiſtratibus, aut aliqua dignitate fungentibus. Ergo verſi faſces ab illis, à ſigniferis verſa vexilla, verſa à militibus arma, verſus in ſingulis ordinibus cultus; vt Senator in equeſtri habitu, eques in plebeio prodiret; ipſi etiam ſacrorum Antiſtites infulis abiectis, inhonoro cultu ſqualerent. Tertullianus hic nominatim purpuræ meminit; quam non tantum depoſitam à Magiſtratibus, ſed cum illa ſimul alia dignitatis inſignia ſupra monuimus, & clarè Tacitus refert in funere Germanici. *Illic milites cum armis, ſine inſignibus Magiſtratus*, depoſita nimirum toga prætexta, quam nomine purpuræ Tertullianus intelligit; depoſito annulo, & lato clauo. Quomodo tunc ergo Magiſtratus amicti? Vt infima turba ſolebat; quæ vt plurimum Romæ, & alibi in pulla veſte, vt fuſe docuimus libro de Re Veſtiaria. Ob id Lucanus de luctu ſub initium belli Cæſariani.

——Ferale per vrbem
Iuſtitium; latuit plebeio tectus amictu
Omnis honos: nullos comitata eſt purpura faſces.

Et Iuuenalis de iuſtitio in ſimili luctu.

Pullati proceres; differt vadimonia Prætor.

Proceres ipſa Vrbis capita, & Magiſtratus intelligit, qui purpura depoſita, plebeia veſte latebant.

Poſt purpuram, de *faſcibus* Tertullianus adiungit inſigni præcipuo dignitatis, & iuris in alios exercendi; qui tamen in luctu vel omiſſi, vel inuerſi geſtati, Tacitus in eodem Germanici funere. *Præcedebant incompta ſigna, verſi faſces.* Et Albinouanus.

Quos primum vidi faſces, in funere vidi,
Et vidi verſos, indiciumque mali.

De armis quod diximus etiam verſis, Virgilius in funere Pallantis:

——Tum mœſta phalanx Teucrique ſequuntur,
Tyrrhenique Duces & verſis Arcades armis.

De inſignibus à vexilliferis etiam inuerſis Statius:

Tunc ſeptem numero turmas (centenus vbique
Surgit eques) verſis ducunt inſignibus ——

Quod verò Tertullianus hîc dicit *inuidiam ſupplicem deis ſuis*, hoc habitu lugubri ethnicos obieciſſe; phraſi vtitur hac in re quaſi ſolemni, præſertim apud Poëtas, vbi de hoc luctu agunt. Statius:

——Sic vrbe relicta
Primævique ſenes, & longo examine matres
Inuidiam planxere deis. ——

Et Lucanus.

——Et nullis defuit aris
Inuidiam factura parens. ——

Et hæc de ritibus in ſacro luctu.

Digitized by Google

Capvt XIV.

a Reg. 4. c. 19. 1.

Ad illa verba. [a] Quæ cum audiſſet Ezechias Rex, ſcidit veſtimenta ſua, & opertus eſt ſacco ingreſſuſque eſt domum Domini.

De luctu Regum & virorum principum.

NOn quærimus hic an Reges etiam lugerent infortunia ſua, in cladibus, quas ipſi quoque cum reliquis mortalibus experiuntur; ſed an in publica vel priuata calamitate ſolemnem luctum vel ipſi, vel ipſorum Aulici ſumerent lugubribus induti. Rationem nobis ambigendi præbet ex vna parte quod in libro Eſther [b] habetur de Mardochæo, qui ad nuncium exitij vniuerſæ Iudæorum genti parari, *ſcidit veſtimenta ſua, & indutus ſacco, & ſpargens cinerem capiti in platea media ciuitatis voce magna clamabat, oſtendens amaritudinem animi ſui; & hoc eiulatu vſque ad fores palatij gradiens.* Cur vſque *ad fores?* Subditur. *Non enim licitum erat ſacco indutum aulam Regis intrare.* Si ergo hoc eſt, fatendum, ſine dubio, luctum ſolemnem procul à Regiis ædibus abfuiſſe. Nec videtur id à præſentibus moribus abhorrere. Nihil eſt enim quod tantopere à Regum & magnorum Principum aulis abigatur, quam ſpecies omnis triſtitiæ, & mœroris, & quicquid poteſt oculos funeſtare. Ob id omnia lugubria procul ab Aula; & qui mortuos lugent, abſorbere lachrymas coguntur, & eas aliò transferre. Interim enim dum in domibus Regum ſunt [c], *mollibus*, non lugubribus, veſtiuntur. Nec otium illis, aut locus eſt triſtes nænias fundere, vbi ſemper omnia lætis vocibus perſonant [d] *cantorum, & cantatricum.*

b Cap. 4. 1. & 2.

c Matt. 11. 8.

d 2. Reg. 19.

Propter hæc nonnulli putarunt habitum lugubrem qui eſt in legitimo luctu ſolemnis, ab aulis Principum ſemper exulaſſe; non quod in magna, & ſubita calamitate ſua quædam mœſtitiæ ſigna ipſi quoque non ederent; ſed quod nunquam Reges ipſi, aut proceres aulici lugubria ſumerent, aut in illo habitu doloris conſpicerentur, quem ſupra deſcripſimus. Ob id Mardochæum regias fores ingredi non auſum, quod nefas eſſet habitum funeſtum regiis ædibus inferre.

At verò ex altera parte innumera exempla ſuppetunt ſolemnis luctus in aula; non ab inferioribus tantum, ſed ab ipſis etiam Regibus vſurpari. Quid ergo dicendum?

Primò, Aſſyrios Reges, & alios Orientales illorum potentiæ ſucceſſores procul à ſe & à penaribus ſuis omnem habitum lugubrem habuiſſe, qui ſolemnis aliis eſſet ritè lugentibus. Hoc clarè ſatis oſtendunt verba, quæ ex libro Eſther attolimus, & indicat etiam Suetonius, vbi de luctu in morte Germanici. Dicit [e] enim *Regum Regem illius morte nunciata, & exercitatione venandi, & conuictu Megiſtanum abſtinuiſſe. Quod apud Parthos iuſtitij inſtar eſt.* Significat autem per hæc verba luctum ſolemnem Regibus illis, non in lugubrium aſſumptione, aut habitus deformitate poſitum; ſed in abſtinentia tantum à conuictu procerum, & exercitatione venandi. Reges autem Regum Chaldæorum, & Aſſyriorum Monarchæ propriè dicti ſunt; quæ deinde appellatio ab aliis Orientalibus vſurpata in quos illorum potentia, tota ceſſit, aut ex parte maiori; vt Parthorum Reges fuerunt.

e In Caligula, cap. 4.

Secundò, dicendum nec Hebræorum Reges, nec ipſorum Aulicos à ſolemni luctu abſtinuiſſe; ſed quoties id rerum caſus expoſceret, habitum lugentium proprium vſurpaſſe in ſacco & cinere, & totius cultus deturpatione: ſic Dauid ſæpiùs, ſic Achab, ſic Ioſias, ſic hîc Ezechias luget; & cum illis ſimul omnes Proceres aulici luxiſſe dicuntur.

Tertiò, ſub Imperatoribus, & Auguſtis iam dominatione firmata, quod ſeruatum propriè ſit, videtur ambiguum. Vero tamen propius eſt in luctu eos tantùm à feſtis celebritatibus, & à publico abſtinuiſſe. Cæterùm nullo deteriori cultu fœdatos; quod non leui coniectura colligitur ex iis quæ de Tiberio & Liuia à Tacito [f] traduntur.

f lib. 2. 3. & 4. Annal.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
RERVM NOTABILIVM, QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Prior numerus paginam, poſterior columnam deſignat.

A

Abigail.

ABIGAIL prudentia & ſolertia. pag. 156. col. 1.
Abigail quàm pudica. ibid.

Ablutio.

Defuncti corporis ſolemnis ablutio. 465. 2
A quibus, & ad quid, & apud quas gentes viſitata. ibid.
Chriſtiani qui ſemper eam religioſè ſeruauerint. ibid.
Apud alios pleroſque ſolis feminis munus illud iniunctum. 466. 1
A Iudæis olim, & Chriſtianis deinceps inter viros feminaſque partitum. 466. 2

Abolla.

Abolla quæ veſtis, & quorum propria. 402. 2

Abraham.

Abraham ſepulchrum ab Ephroo quomodo licitatus. 506. 2

Acerra.

Acerra quid, & ad quid. 475. 2

Achates.

Achates Pyrrhi Regis in qua nouem Muſæ & Apollo cytharam tenens ſpectatetur. 438. 2

Achimelech.

Achimelech an idem qui Abiathar. 116. 1

Achis.

Achis an idem qui Abimelech. 121. 2

Acus.

Acus in muliebri ſuppellectile duplex. 414. 1
Vtriuſque vſus. ibid.

Adoleſcens.

Adoleſcens amictus ſindone ſuper nudum, quis. 371. 1
Adoleſcentum funera ante lucem celebrata apud Græcos, & cur. 487. 2

Aduerſitas.

Aduerſa ſua cur nemo velit apud hoſtes ſuos diuulgari. 224. 1
Aduerſa licet celare inimicos, & hoc ex duplici fine. 225. 1

Aereus.

Aëreus color qualis. 348. 1
Aëreus & hyacinthinus an idem. ibid.
Supra, in Dauid.

Ager.

Agrorum fines cur ſepulchris attributi. 504. 1
In Agris pars quæ ad amœnitatem, non quæ ad fructum ſepulchris cur quæſita. 503. 2

Alabaſtrum.

Alabaſtum quid, & vnde ſic dictum. 407. 2

Album.

Albi coloris differentiæ. 331. 2
Alba veſte Cur Chriſtus Dominus ab Herode indutus. 338. 2
Albus amictus in funere & luctu à quibus aſſumptus. ibid.
Albus cur lætis omnibus deputatus. 340. 1
Vide, *Color*.

Aloë.

Vncturæ ex Myrrha & aloë pro Chriſti ſepultura quanti æſtimanda. 470. 1

Amalecita.

Amalecitarum cædes quomodo Dauidi iam facilia. 209. 2
Quamdiu durauerit. 210. 1

Amethyſtus.

Amethyſti mirabilis facultas. 438. 2

Amicitia.

Amicitia Dauidis & Ionathæ vnde initium duxerit. 75. 2
Quanta cautio in admittendis amicitiis. 75. 2

Amor.

Amor cor apud Hebræos, vinculum, nexus, nodus appelletur. 76. 1
Amor verus vt probari poſſit. 77. 2

Amorrhæi.

Amorrhæi vnde oriundi. 56. 2
Amorrhæorum fines & termini. ibid.
Qui in eorum regionem ſucceſſerint. ibid.
Amorrhæorum populus numeroſiſſimus. ibid.
Amorrhæi præ cæteris Chananæis impij & inhumani. 57. 1

Amphoris.

Amphoris, vel amphorides, quale tegumenti genus. 361. 2
Eius vſus. ibid.
Vnde ſic dicta. ibid.
Vbi ad eam alluſio in ſacris literis. Ibid.

Amplexus.

Amplexus & oſcula morientibus data. 461. 2
Vide *Oſcula*.

Digitized by Google

Index rerum notabilium.

Ancilla.

Ancillæ ornatrices, vnde dictæ. 412.1
Vt à Domina ſæpius vapularent. ibid.

Anima.

Animam ſuam in manibus ſuis ponere quid ſit. 97.1

Annulus.

Annuli olim ex qua materia fuerint. 416.1
Quo artificio. 417.1
Ad quid, & cuius rei ſymbolum. ibid.
In qua manu, & ad quid geſtati. 418.1

Aqua.

Aquæ nomine, apud Hebræos omnia poculenta deſignari. 158.1

Arca.

Arcæ deductio duplex. 268.1
Quando facta prima Arcæ deductio. ibid.
Qua pompa & apparatu inſtituta. 269.1
Arcæ ſecunda deductio. 272.2
Spatium & mora deductionis. ibid.
Apparatus & pompa. 273.1

Arcus.

Dauidis lamentatio ſuper Saule & Ionatha, *Arcus* appellata. 223.1
Quis huius cantici vſus. 223.2.

Aromata.

Aromatum vſus in mundo muliebri. 406.2
Vide, *Odor*, *Vnguentum*.
Aromata ſparſa in funeribus. 475.1

Armilla.

Armillæ vnde ſic dictæ. 418.2
Ex qua materia. ibid.
Armillæ muliebris, & militaris diſcrimen. ibid.
A quibus geſtarentur. 419.1
Armillarum forma. ibid.

Aſinarij.

Aſinarij cognomen vnde tam Iudæis quàm Chriſtianis adhæſerit. 4.1

Aſſyrij.

Aſſyriorum ritus in luctu ſeruati. 545.2

Auarus.

Auari hominis deſcriptio. 572.2

Aulea.

Aulæorum textura & ornatus. 353.2
Eorum vſus. ibid.
Aulæorum à tapetibus & velis diſcrimen. 354.2

Aurelianus.

Aurelianus Imperator, ne ſibi quidem veſtis holoſericæ vſum permiſit. 323.1
Et quid vxori? ibid.

Aurum.

Aurum in fila deducere à quibus inuentum. 325.2
Textura ex filis auri an fuerit in vſu apud Hebræos. ibid.
Veſtis ex auro textili quorum propria. 326.1

B

Babylonici.

Babylonicum opus quale. 351.2
Babylonicæ veſtes vt à Phrygiis diſtinctæ. ibid.

Balneum.

Balnea in ſolemnioribus epulis parari ſolita. 158.2

Balſamum.

Balſamum cur in conditura cadaueris præ cæteris expetitum. 469.2

Balteus.

Balteus in ſacris veſtibus quorum eſſet proprius. 435.1
Quo artificio, & forma. ibid.

Bdellium.

Bdellij color qualis. 348.1
Quomodo manna coloris bdellij. 348.2

Bellum.

Bellum Dauidis contra Idumæos cur & quàm iuſtè ſuſceptum. 295.1
Bellum inter Dauid & Iſboſeth quando, & quomodo cœperit. 235.1
An iuſtum fuerit. 235.2
Quibus Ducibus & militibus geſtum. 236.1
Quandiu durauerit, & quo ſucceſſu. 236.2
Bellum Saulis poſtremum aduersùs Philiſthæos vnde ortum habuerit. 197.1
Quomodo bellum hoc apparatum. 197.2
Quandiu durauerit & à quibus geſtum. ibid.
Quo exitu patratum. 199.2

Benedicere.

Benedicere, apud Hebræos eſt ſalutare. 259.1

Benedictio.

Benedictio, pro munere, dono, & beneficio. 165.2

Beneficium.

Beneficiorum Dei in Dauidem commemoratio. 280.2
Quot & quænam illa ſint. ibid. 281.1

Beryllus.

Beryllus quis probatiſſimus. 438.2

Beſor.

Beſor torrens vbi ſitus. 209

Bethoron.

Bethoron gemina, vbi vtraque ſita. 239.2
Bethzamita. Vide, *Gergeſai*.

Birrus.

Birrus an à lacerna diſtinctus. 459.1

Blatta.

Blatta quid ſit. 323.1

Bombycina.

Bombycina quid eſſent, cuius texturæ, & an ab antiquorum ſericis differrent. 323.2

Botronatus.

Botronatus, eſt capillus in modum botri ſuper verticem extroctus. 455.1
Brachiale. Vide, *Armilla*.

Bulla.

Bulla apud Romanos inſigne nobilitatis. 419.2
Quorum propria. ibid.
Cur pueris attributa. ibid.
Ex qua materia. ibid.
Qua figura. ibid.

Byſſus.

Byſſus qualis materia, & quarum veſtium. 326.2
Byſſus retorta quid ſit, & cur in ſacris veſtibus requiſita. 326.2
Byſſus qualis color. ibid. & 344.2
Byſſus cuius rei ſymbolum. 344.2. & 346.1

C

Cadauer.

Ritus Cadaueris inungendi vnde cœperit. 470.1
Quæ ſuperſtitiones inde exortæ. 470.2
Mortuorum cadauera ab Ægyptiis oppignerari ſolita, & menſis in conuiuiis adhiberi. 471.1
Veſtitus & cultus cadaueris ad illud rite collocandum, qualis. 472.1

Cadaueris

Index rerum notabilium.

Cadaueris ſolemnis collocatio ad qoid,& à quibus. 473.a
Cadaueris priuata collocatio vbi fieret apud Iudæos. ibid.
Et vbi apud Romanos. 474.1
A quibus. ibid.
Cadaueris publica collocatio in Baſilicis celebrioribus. 474.2
Ad cadauer collocatum quæ ſtatæ cæremoniæ. 474.1
Ad cadauer collocatum frequentia adſtantium, qui illi,& quo habitu. 475.1
Circum cadauer faces & cerei etiam claro die. ibid.
Odores incenſi,& ſparſa aromata. ibid.
Cadaueris amictus ſepulchralis quibus apud Hebræos conſtaret. 483.2
Cadauerum combuſtio an Hebræis in vſu, & quatenus. 497.1
Cadauerum condendorum varij ritus. ibid.
Cadauerum cremandorum mos ex quibus maximè cauſis inductus,& apud quos. 498.2
In Chriſtiana Eccleſia ſemper id repudiatum. 499.1
Apud alios quouſque obtinuerit. 500.1

Cælum.

Quare Dauid opere Phrygio dicat Cælos effectos. 352.1

Cæruleus.

Cærulei coloris differentiæ. 335.1

Cæſius.

Cæſius color oculorum proprius. 348.1

Calamiſtrum.

Calamiſtrum quid. 414.1
Calamiſtri vſus. ibid.

Calantica.

Calantica quale genus ornamenti. 395.2

Calceamentum.

Calceamentorum variæ ſpecies apud antiquos. 380.1
Calceamenta alicubi ponere, aut in aliquam regionem extendere,quid in ſacris literis. 387.1

Calceus.

Calceus,quorum proprius. 381.1
Calceorum multiplex materia. ibid.
Calcei cuius coloris eſſent in cõmuni vſu. 381.2
Calcei forma qualis. ibid.
Calceus quotuplex. ibid.
Calceus Senatorum qua littera notatus. ibid.
Calceus vt à calceamento diſtinctus. 380.1
Calcei ſenatorij num vinclis aſtringerentur. 385.1
Calcei Regum olim apud Romanos quales & ex qua materia. 449.2

Calx.

Calcis vſus in curatione cadaueris in quem finem adhibitus. 469.1

Caliga.

Caliga an calceamenti genus,& quale. 383.1
Qua forma,& materia. ibid.& 384.1
Caligæ an ſic pedes tegerent, vt ſimul etiam tibias velarent. ibid.
Quorum propriæ. ibid.& 383.2.& 384.1
Cur vitio datum nonnulli ſit in caligis per vrbem prodire. 383.2
Caligæ duplex ſpecies. 385.2

Caligula.

Caligula vnde id nomen ſortitus. 383.2

Caliptra.

Caliptra quid. 395.2

Calumniator.

Peſſimum calumniatorum genus, qui laudant. 152.1

Camiſiola.

Camiſiola cur ſic dicta. 403.2

Campeſtria.

Campeſtria quid ſint. 313.1
Eorum vſus. ibid.

Candidati.

Candidati vnde appellati. 373.1

Cantus.

Cantus & chori laudantium in exceptione magnorum virorum. 80.1
Cantus in funere apud Chriſtianos ad hilaritatem. 490.2
Alleluia in funere cantatum. 491.1
Cantus funebres apud Hebræos, Græcos, & Romanos ad luctum. 490.2

Capillatura.

Capillatura qualis ornatus. 419.2

Capilli.

Capillorum ornatûs quanta olim cura in feminis. 412.1
A quo fieret. ibid.
Quot modis. 415.2
Quibus inſtrumentis. 414.1
Qua forma,& apparatu. ibid.

Capitium.

Capitium an pectoris ornamentum, an capitis. 364.2
Vnde nomen duxerit. ibid.

Caput.

Capitis integumenta varia quorum in ſacris literis mentio. 361.2
Antiqui Hebræi tecto ne, an aperto capite eſſent in communi vita. 358.2
Cur D. Paulus orandum præcipit aperto capite. 359.2
Romani veteres intectóne capite incederent an velato. 360.1
Caput nudare, apud Romanos ſignum honoris & reuerentiæ. 361.1
Id vnde ortum habuerit. ibid.

Caracalla.

Caracalla quem prætextum excogitarit parricidio fratris. 130.1

Carbaſus.

Carbaſinus color qualis. 348.2
Quibus in rebus probatus. ibid.

Carbunculus.

Carbunculi color qualis. 438.1

Carmelus.

Carmelus,non mons,ſed vicus in quo Nabal habitabat. 156.2

Carolus V.

Carolus V. quo ritu & pompa inauguratus Imperator. 456.2

Catena.

Catenarum olim vſus in ornatu muliebri, quanto enim luxu. 419.2

Cerethi.

Cerethi qui eſſent.& vnde appellati. 298.1

Ceres, Vide *Lampades*.

Ceruſſa.

Ceruſſa cur in fucis adhibita. 406.2

Chananæa.

Chananæa cur à Marco Syrophœniſſa dicta. 17.2

Chananæi.

Chananæi propriè ſumpti, quinam, & vnde ſic appellati.

Digitized by Google

Index rerum notabilium.

appellati. 17.2

Chananæorum pietas in auctorem ſui generis coniectata. ibid.

Vbinam in terra ſancta conſiſterent. ibid.

Eorum mores. ibid.

Chlamys.

Chlamys qualis veſtis. 449.2

Quorum propria. ibid.

Chriſtiani.

Chriſtiani ab Ethnicis caput aſini coluiſſe, crediti. 4.1

Chriſtianorum in primo Eccleſiæ naſcentis exordio color qualis in veſtibus. 339.1

Chriſtiani mortui etiam in habitu lætitiæ efferri ſoliti. 473.1

Chryſolitus.

Chryſolitus cur lapis aureus appellatus. 428.2

Chriſtus.

Chriſti Domini veſtes ex qua materia. 329.1

Quot veſtibus Chriſtus indutus inceſſerit. ibid.

Chriſti ſepulchrum cuiuſmodi. 508.1

Chriſti cogitationes cur nigris ſponſi capillis deſignentur. 333.2

Chriſti tunica inconſutilis tunicæ hyacinthinæ ſummi ſacerdotis tu forma, & textura ſimilis. 436.1

Chriſti exequiæ qua ratione in Apocalypſi celebratæ. 475.2

Chriſtus Dominus, togatúſne, an palliatus inceſſerit. 369.2

Chriſtus Dominus alba veſte cur indutus. 338.2

Chriſtus an omnino nudus in Cruce pependerit. 377.1

Chriſtus an calceatus inceſſerit. 378.2

Cilicium.

Cilicium vnde ſic appellatum. 316.1

A quibus inuentum. ibid.

Ex qua materia textum. ibid.

Cilicij multiplex vſus. 316.2

Cingulum.

Romæ, crimini dabatur non cinctum incedere. 374.2

Cingulum aliud militare, aliud vrbanum, vtriuſque differentiæ. 453.1

Circulus.

Circulus quale ornamenti genus, 420.1

Qua corporis parte geſtaretur. ibid.

Ex qua materia. ibid.

Clericus.

Clericorum qualis olim color in veſtibus. 339.2

An in qualitate, figura, & materia veſtium ab aliis diſcreparent. ibid.

Clypeus.

Clypei abiectio aut amiſſio quid denotet. 226.2

Clypei multiplex vſus. ibid.

Coccinum.

Coccinum quid eſſet, & quæ ex illo veſtes in ſacris literis. 324.2

Coccus bis tinctus quid, & cur ſic dictus. ibid.

Coccineus color quorum veſtibus, & qua ratione expetitus. 325.1

Coccus cuius rei ſymbolum. 345.1.& 346.1

Cœcus

Cœci & claudi in ſummitate arcis, Dauidi à Iebuſæis propoſiti, qui eſſent, & cur ſic appellati. 238.1

Cœna.

Cœna feralis qualis eſſet. 522.1

A quibus pararetur. ibid.

Ex quibus conſtaret. ibid.

A parentalibus quatenus diſtincta. ibid.

Cœna mortui quid, vbi, à quibus, & quibus parata. 524.2

A cœna ferali quomodo diſtincta. ibid.

Quomodo à parentalibus, & à pane lugentium. ibid.& 525.1

Colobium.

Colobium quale genus tunicæ fuerit. 375.1

Quorum eſſe proprium. ibid.

Qua forma. 375.2

Color.

Colores quàm varij & quorum potiſſimùm mentio in ſacris literis. 330.2

Color niger in ſacris literis in quibus & qualis commendatus. 332.2

Coloris coracini præſtantia. 333.1

Color albus veſtium in communi & priuata lætitia tam apud Hebræos quàm apud Romanos receptos. 334.1.& 336.2

Color quotidianæ veſtis quis eſſet apud Hebræos. ibid.

Primæ hominum veſtes qualis coloris. 339.2

Color purpureus, Vide, *Purpura.*

Colores varios in lanis ouium inducere quis primus excogitauerit. 341.1

Quatuor præcipui colores, & quarum eſſent rerum ſymbola apud Hebræos. 344.2

Columna.

Columnarum vſus in ſepulchris antiquiſſimus. 515.2

Columna Traiani ſepulchrum, ipſius forma, & altitudo. ibid.

Conchylium.

Conchylij nomen cur purpuræ inditum. 341.2

Conclamatio.

Conclamati qui dicerentur prouerbiali formula. 465.1

Vide, *Mors, Mortuus.*

Conditorium, Vide *Sepulchrum.*

Conſilium.

Conſulenti in re quacunque patranda plus tribuitur, quàm exequenti. 130.2

Conſilium vt ſit bonum tria debet habere. 186.2

Conſolatio.

Magnorum virorum ſemper fuiſſe mœrentes erigere. 520.1

Solemnis alloquutio ad cognatos defuncti, & conſolatio poſt ſepulturam apud omnes vſurpata. 519.1

Qui eo potiſſimùm munere fungerentur. 520.1

Quibus id conſtaret. 520.2.& 521.1

Locus, tempus, & alia ad id opportunè captata. 520.2

Lugentium ſolatium apud Iudæos cœna ferali, maximè conſtitiſſe. 521.2

Contabulatio.

Contabulatio in veſtibus, quid, & quomodo fieret. 410.2

Conuiuium.

Conuiuium funebre maximè celebre inter alias ferales epulas. 526.2

A pane

Index rerum notabilium.

A pane luctus, à cœna mortui, à ſepulchrali epulo vt diſtinctum. 527.1
Vbi id, à quibus, & inter quos agitatum apud Iudæos & alios. ibid.
Eius quoque veſtigium in Chriſtiana Eccleſia ſeruatum. ibid.

Corona.

Corona Regum ex qua materia. 450.2
Vt à diademate diſtincta. ibid.
A quibus Regibus vſurpata. ibid.
Corona Regia vnde originem duxerit. ibid.

Continentia.

Continentiæ perpetuæ in ſacerdotibus neceſſitas vnde à D. Hieronymo deducatur. 18.2

Coracinus.

Coracinus color qualis. 333.1
Eius præſtantia. 332.2. & 333.1

Cornelius Tacitus.

Cornelius Tacitus vt à Tertulliano ſuggillatus. 3.2
Taciti delitamenta de origine Iudæorum. 4.1

Coruinus.

Coruini aduerſus Gallum ſingulare certamen. 58.2

Corymbium.

Corymbium quale ornamentum. 420.1
Corymbij à galericulo diſcrimen. ibid.

Cothurnus.

Cothurnus quæ calceamenti ſpecies. 381.1
Cur à feminis aſſumptus. ibid.
Cothurni forma & materia. ibid.
Cothurni vſus in venando olim apud Principes. ibid.
Cothurni cur à Tragœdis adhibiti. ibid.

Crepida.

Crepidæ quale calceamenti genus. 382.1
Quorum propriæ. 382.2

Croceus.

Croceus color qualis. 347.1
An in nobilium veſtibus apud Hebræos. 347.2
In quo pretio. ibid.

Cucullus.

Cucullus quale veſtimenti genus. 363.2
Cucullo qui maximè vterentur. ibid.
Cur à Monachis aſſumptus. ibid.

Currus.

Quorum olim proprium curru geſtari. 452.1

Cyclas.

Cyclas vaſtis feminea, qualis. 396.1

Cydaris.

Cydaris quid ſit. 362.2
Quotuplex. 362.1

D

Dalmatica.

DAlmaticæ vnde appellatæ. 374.2

Dauid.

Dauidis fratres an cognouerint quorſum ipſe à Samuele inungeretur. 40.2
Dauidi cur frater maior inuiderit. 56.2
Dauidis paternam domum, non admodum opibus affluxiſſe. 46.2. & 56.2
Dauidis in curſu velocitas. 60.1
Dauid cur cum leonibus & vrſis luſiſſe dicitur. ibid.
Vnde tam facilè Saul & principes aſſenſi ſint Dauidi de ſe loquenti. 61.1
Dauidis proceritas quibus argumentis probetur. 61.2. & 64.2
Dauidis fortitudo. ibid.
Dauidis prudentia. 62.1. & 135.1. & 212.2
Dauid qua gratulatione poſt victoriam à mulieribus exceptus. 79.2
Dauid quando officioſè mentitus ſit? 108.2
Dauid an ſolus Achimelech ſacerdotem adierit, an comitatus. 115.2
Dauid an peccauerit panes propoſitionis accipiendo. 116.2
Dauid an peccauerit admittens profugos & oppreſſos ære alieno. 125.2
Quam eleganti oratione & exhortatione illos Dauid exceperit. 126.1. & 2
Quomodo illorum opera & quàm vtiliter vſus fuerit. 127.1
Dauidis pietas & ſollicitudo erga parentes. 127.2
Quantum à parentibus neglectus cùm adhuc puer eſſet. ibid.
Quare oram chlamydis Saul Dauid præciderit. 145.2
Cur Dauid non in ipſa ſpelunca Saulem conuenerit. 149.2
Dauid quàm multos pateretur obtrectatores. 150.1
Dauid cùm Sauli pepercit tunc ſe regno dignum oſtendit. 153.2
Dauid ob Nabalis interitum Deo gratias agens, an rectè egerit. 173.2
Quamdiu manſerit Dauid inter Gethæos. 188.2
Quas prædas egerit in regionibus gentilium, & quàm iuſtè. 189.2. & 190.1
Dauid quam iuſtè mandauerit occiſionem adoleſcentis qui nunciauerat mortem Saulis. 221.1
Cur mandauerit. 221.2
Quomodo Dauid in Hebron domicilium fixerit, cùm ea vrbs eſſet Sacerdotalis. 231.1
Dauid quot vxores habuerit. 242.1
Cur Dauid fuerit adeò de Michole recuperanda ſollicitus. 245.1
Cur illius reductionem ab Abnere depoſcat. 245.2
Dauidis conſilium de extruendo templo, vnde id, & qua occaſione captum. 277.1
Dauidis in Deum & homines pietas quando præſertim innotuerit. 301.1

Debitum.

Debitum quotuplex ſit. 532.1

Delphi.

Delphi an in medio mundi ſiti. 7.1

Deſertum.

Deſertum terminus terræ promiſſionis, à meridie. 8.2
Quodnam iſtud deſertum. ibid.

Deus.

Deus quantam prouidentiam & curam ſuorum habeat. 141.1
Deus quatenus iuſtos periclitari permittat. 142.1

Dextralia.

Dextralia quod ornamentum, & vt ab armillis diſtinctum. 420.1

Diadema.

Diadema quid eſſet, & quale. 450.1
Ad quid, & cur vſurpatum. ibid.
A quibus Regibus in ſignum dignitatis adhibitum. 450.2

Diplois.

Diplois quid, & quæ veſtis. 402.1

Diſcriminale.

Diſcriminale quid. 420.1

Quis

Quis eius vſus in ornatu muliebri. ibid.

Diuitiæ.

Diuitiæ calceis comparatæ. 381.2

Doeg.

Doëg quàm grauiter peccauerit Sauli ſe Dauidem vidiſſe renuncians. 130.1

Doëg quomodo mentitus. 130.2

Doëg necis Sacerdotum dupliciter particeps. ibid.

Domus.

Domus luctus quid apud Iudæos. 522.2

Quibus indiciis dignoſci ſolita. 523.1

Domus in publico luctu claudi conſueuiſſe. 551.1

E

Ebur.

EBur antiquum ſolitum vetuſtate rubeſcere. 349.1

Efferri.

Efferri ſimpliciter de quibus acceptum. 487.1

Egla.

Egla cur præcipuè appelletur Dauidis vxor. 242.2

Egredi.

Egredi,& ingredi quid ſignificet in ſacris literis. 86.1

Elector, Electio.

Electores quid attendere debeant. 32.2

Quales ſint eligendi ad munera, & dignitates. 33.1

Endor.

Endor ciuitas vbi ſita, & ad quam tribum pertineret. 194.1

Endromis.

Endromis quid,& ex qua materia. 370.2

Endromidis vſus contra frigoris, & reliquum appulſum. ibid.

Engaddi.

Engaddi vrbs vbi ſita. 143.2

Epaminondas.

Epaminondas moriens, clypeum oſculatus eſt. 227.1

Ependitis.

Ependitis quid. 370.2

Quibus & quando maximè vſitata. ibid. & 371.1

Ephi.

Ephi qualis menſura. 52.2

Ephod.

Ephod Pontificium ex qua materia. 436.1

Qua forma. 436.2

An manicas haberet. ibid.

Quæ ornamenta extrinſecus adiuncta. ibid.

An & quomodo ſummi Pontificis eſſet proprium. ibid.

Epiſcopatus.

Epiſcopatus quantum onus. 445.2

Epulum.

Epulum ſepulchrale vt à cœna mortui diſtinctum. 525.1

A quibus,ad quid,& vbi paratum. ibid.

Ab honeſto prius officio deductum. ibid.

In quas obſcœnitates degenerauerit. 526.1

Coniunctas illi aliquando publicas ciborum diſtributiones. ibid.

Sepulchrales epulæ in triplici differentia. 524.2

Ethnici.

Ethnicorum figmenta & errores de origine Iudæorum. 3.2

Vnde illis erroris occaſio. 6.1

Ethnicorum proprium recto capite ſacris adeſſe, & Deos ſuos venerari. 359.2

Exercitatio.

Exercitatio in re militari quanti ſit momenti. 62.2

F

FAces, Vide *Lampades.*

Fama.

Fama diuulgat etiam quæ ſecretiora exiſtimamus. 144.2

Familia.

Familiæ vocabulum quid ſignificet. 20. 1. & 2.

Faſcia.

Faſciæ crurales quid ſint. 366.2

Quis earum vſus. ibid.

Vide, *Tænia.*

Faſciculus.

Faſciculus viuentium quid ſit. 168.1

Et quid in eo animam eſſe alligatam. 168.2

Femina.

Feminis domi remanentibus quædam victorum ſpolia antiquitus diuidi conſueuiſſe. 325.1

Feminis grauius eſt iis quæ ad ornatum corporis faciunt, quàm quibuſcunque aliis ſpoliari. 415.2

Ornatus à feminis quanto diſpendio paratus. 416.2

Feminæ non licet talem cultum induere qui ſit illecebra corruptelæ. 432.1

Femina poteſt in tali ornatu ſe ſiſtere viro ſuo, in quo aliis nec debet. ibid.

Feminæ nullam iuſtam excuſationem habent, cùm liberiore cultu comptæ,coram aliis quàm marito verſantur. ibid.

Femoralia.

Hebræi olim an femoralibus vſi, vt nunc ſolemus. 364.2

An Romani. 365.2

An græci & alij Orientales. ibid.

Femoralia ſacerdotum veteris teſtamenti ex qua materia. 433.1

Qua textura & forma. ibid.

In quem vſum præſcripta. ibid.

Feretrum.

Feretrum vnde dictum. 492.2

Eius forma & ornatus. 493.2

Feretri geſtatores qui & quot. 494.1

Feretrum quorumdam ab ipſis Regibus & Principibus viris geſtatum. 495.1

Feretrum,capulum, loculus, libitina, ſandapila vnde appellatum. 492.1.& 493.1

Ficus.

Fici folia quàm ſcitè à primis parentibus in veſtes aſſumpta. 312.2

Filaticium.

Filaticium,genus infecti Serici; qualiter elaboratum. 322.1

Filius.

Filij cur appellentur robur, fortitudo, & arma parentum. 242.1

Parentes in funere Filiorum cereos geſtaſſe, 496.2

Fiſtula.

Fiſtula dorsatum, quid, & quomodo tangendæ. 260.2

Flauitia.

Index rerum notabilium.

Flauities.

Flauities pars eſt eximia pulchritudinis. 332.2
Flaui coloris differentiæ. 332.2

Folium.

Folia, primum veſtimentum generis humani. 312.2

Forum.

Fora deſerta in publico luctu. 552.1

Frænum.

Frænum tributi quid ſit, & quare ſic dictum. 290.2

Frontalia.

Frontalia quod genus ornatus. 420.2
Qualis illorum vſus. ibid.

Fucus.

An & quatenus vti feminæ liceat fuco colorum, ad faciem capilloſque fingendos. 414.1
Quid tenendum de fucatione cutis, & capillorum, ſtudio decoris inducta. 426.2
Quæ ſit Patrum ſententia de vſu fucorum ad decoris gratiam quærendam. 428.1
An poſſit Epiſcopi ſtatuto fucorum vſus interdici in cultu feminarum. 429.1

Fullo.

Cur tam frequens vſus fullonum apud Hebræos. 335.2

Funda.

Funda quomodo & quoties circa caput duceretur. 69.2

Funus.

Funeris vocabulum quot modis in Scriptura & apud alios vſurpatum. 486.1
Funus quid propriè. 486.2
Funeris Etymon. ibid.
Funeris pompa vnde, & per quæ maximè loca deducta. ibid.
Funera noctúne an interdiu producta. 487.1
In Funere multitudo procedentium ex quibus conſtaret. 488.1
Funeris pompam plerumque Reges comitati. 489.1
Funus comitantium habitus planè lugubris. ibid.
Funeris pompa quibus maximè conſtaret. 490.1
Funebres cantus Chriſtianis ad hilaritatem. 490.2
In Funere plauſus & concurſus ſpectantium. 491.1
Varia Inſignia & ornamenta in Funere geſtata. 491.2
Funeris pompa quo ordine deducta. 495.1
Maiorum nomina & laudes in Hebræorum funere memorari ſolita. 496.2
Apud Romanos olim maiorum imagines in funere geſtatæ. ibid.

Fuſtibalus.

Fuſtibalus quid. 63.1

G

Galericulus.

Galericulus quale capitis operimentum. 362.2
Galericulus ex qua fieret materia. 420.2
Qui præſertim vterentur. ibid.

Gemma.

Gemmæ quantum requiſitæ ad ornatum muliebrem. 420.2
Gemmarum luxus à quo coërcitus. 421.1

Gener.

In futuro genero tria maximè ſpectari ſolent. 89.2

Gens.

Gentis vocabulo quid in ſacris literis ſignificetur. 21.1
In qua ſignificatione vſurpetur à Latinis. 21.1
Cur Gentium vocabulo tantùm infideles ſignentur. 21.2

Gentiles.

Gentiles olim Deos ſuos ſecum ferre ſoliti. 264.2

Gergeſæi.

Gergeſæi vnde ſic appellati. 18.1
Bethſamitarum nomine etiam deſignati. ibid.
Quæ loca tenerent. ibid.
Quæ tribus iis ſucceſſerit. ibid.

Glaucus.

Glaucus color quibus in rebus probatus. 348.1

Goliath.

Goliath quis fuerit, & an cognatus Dauidis. 48.1
Quâ corporis proceritate. 48.2
Quibus, & qualibus armis inſtructus. 49.1
Goliath an cùm deiectus eſt, tunc etiam extinctus ſit. 70.2

Grex.

Gregum tonſio apud Hebræos quo ritu perageretur. 135.2

Guttur.

Guttur cur ſepulchro patenti comparatum. 510.1

Gypſum.

Gypſi vſus in conditura cadaueris. 468.2

H

Hachila.

Hachila mons natura munitiſſimus, vbi ſitus. 140.1

Hæretici.

Hæreticorum inter ſe victoriæ, ſunt Eccleſiæ triumphi. 141.2

Hebræi.

Hebræi quomodo ab Heber appellentur, cùm plures aliæ gentes ab Heber propagatæ. 3.1
Hebræi quomodo potiùs filij Abraham, quàm Iſmaelitæ, Agareni, Idumæi, &c. ibid.
Hebrææ Gentis origo mille figmentis ab Ethnicis ſcriptoribus inuoluta, & vnde illis erroris occaſio. 3.2
Hebræorum imperium quàm latè patuerit. 6.1
Hebræi quam terram poſſederint vt propriam. ibid.
Hebræorum terra quanta, quibuſve terminis definita. 7.1
Hebræi quo iure terram Chananæorum inuaſerint. 10.2
An alio iuſto titulo quàm donationis illam poſſederint. 11.1
Hebraici populi varij ſtatus pro vario tempore. 19.2
Hebræi quando familia tantùm fuerint. 21.1
Hebræi quo ſenſu dicantur ante egreſſum ex Ægypto, Gens tantùm, & non populus fuiſſe.

fuiſſe. 21.2.
Hebræi quando verè populus eſſe cœperint. 23.1
Hebræa gens quam regiminis formam habuerit vſque ad Regum tempora. 25.2
Hebræi quam Reipublicæ formam tenuerint ſub Regibus. 27.1
Hebræorum ſtatus qualis in captiuitate. ibid.
Vide, *Iudæi.*

Hethæi.

Hethæi vnde originem duxerint. 17.2
Quæ eorum pars in terra Chanaam. ibid.
Hethæi in bello præſtantiſſimi. ibid.

Heuæi.

Heuæi cur ſic appellati. 18.2
Quales eorum ſedes.& vbi. ibid.

Hieruſalem.

Hieruſalem an in medio mundi ſita. 7.1

Homo.

An ad riſum natus homo potiùs, quam lachrymas? & vnde Philoſophis inualuerit illius naturam magis à riſu definire, quam luctu. 530 2

Hortus.

Horti extra vrbes cur olim ſepulchris attributi. 503.2
Hortorum religio ab Iſaia damnata, vnde cœpta. ibid.

Hyacinthus.

Hyacinthinus color qualis. 345.1
An à purpura differat. 344.2.& 345.1
Cuius rei ſymbolum. 346.2
Hyacinthinus & Ianthinus an idem. 345.1
Hypogæum, Vide *Sepulchrum.*

I

Iactantia.

QVædam non ſolum capitale eſt facere, ſed ſe feciſſe iactare. 222.2

Iaſpis.

Iaſpis quæ gemma ſit. 438.1

Iebuſæi.

Iebuſæi, vnde nominati. 18.1
Quis eorum locus in terra promiſſionis. ibid.

Ieroſolyma.

Ieroſolyma quatuor in partes diſtincta. 257.2

Idololatria.

Idololatriæ initia, vnde. 471 2

Imperator.

Imperatorum habitus qualis. 456.1

Imprecatio.

An liceat rebus inanimis mala imprecari. 226.1
Imprecatio Dauid ſuper montes Gelboë quam vim ſortita. 226 2
Quorſum & ad quid adhibita. ibid.

Inaures.

Inaures olim quàm pretioſæ, & cuius impenſæ. 421.1
Qua forma,& materia. ibid.
Quomodo auribus aptarentur. ibid.
A quibus geſtari ſolitæ. ibid.

Induſium.

Induſium quorum proprium. 373.1
Vnde appellatum. ibid.
Induſij vſus. ibid.

Ingreſſus.

Ingreſſus & egreſſus, pro initio & fine. 86. 1. & 87.2

Iniuria.

Iniuria Legatorum, Principi qui illos miſit facta cenſetur. 306.1
Iniuriam inferens perpetuam ſibi animi fluctuationem parat. ibid.
Inſcriptio, Vide, *Titulus.*

Inſtita.

Inſtitæ quid eſſent, & ex qua materia. 484.2
Quem vſum haberent in amictu ſepulchrali. ibid.

Interula.

Interula quid. 373.1
Interulæ mentio apud Latinos auctores. ibid.

Ioab.

Ioab cur iuſſus Abneris feretrum antecedere. 496.1

Ionathas.

Ionathæ amor in Dauidem vnde initium habuerit. 75.1
Ionathæ fortitudo & rei militaris peritia. 228.2

Ionathas Machabæus.

Ionathæ Machabæi ſepulchrum nulli veterum ſecundum. 511.1
Cur naues in ſepulchro Ionathæ. 516.2

Iordanis.

Iordanis terminus terræ promiſſionis ad Orientem. 9.2.
Vnde ſic appellatus. ibid.
Ex quo fonte fluat. ibid.
Quantus & quam longo decurſu. ibid.
Eius amœnitas. ibid.

Iracundia.

Iracundiæ reſiſtendum in primo limine. 94.2

Iſai.

Iſai patris Dauid paupertas. 46.2.& 56 2
Iſai an cognouerit quorſum Dauid à Samuele inungeretur. 40.2

Iſboſeth.

Iſboſeth ſuper quas potiſſimùm tribus à principio regnauerit. 234.2
Iſboſeth quandiu regnauerit. ibid.

Iudæi.

Iudaici populi nomen antiquiſſimum,& vnde illud originem duxerit. 1.1
Iudaicus populus vnde ortus. 3.2
Quænam primæ illius ſedes. ibid.
Iudæi vocabulum bifariam in ſacris literis vſurpatum. 2.2
Quantum terræ à Deo datum ſit populo Iudaico ex opinione Rabbinorum. 7.1
Iudæi quo iure terram promiſſam inuaſerint, & iuſtè poſſederint. 10.2
Iudaici finea Imperij an vltra terram promiſſionis ſint aliquando propagati. 12.2
Iudæi cur Chananitidem perpetuò non poſſederint. 13.1
Quandiu illam tenuerint. 14.2
Iudæis captiuis vt Aſſyrij & Perſæ illuderent. 366.2
Vide, *Hebræi.*

Iuramentum.

Iuramenti execratorij conſueta formula; *Hæc faciat mihi Dominus & hæc addat.* 310.1

Iuſtinus.

Index rerum notabilium.

Iuſtinus.

Iuſtini de origine Iudæorum mendacia. 5.2

Iuſtitium.

Iuſtitium quid? 551.1

Iuſtitium apud Romanos indictum in publico luctu. ibid.

Etiam apud Hebræos. ibid.

Iuſtitium per *portarum luctum* ſignari in ſacris literis. 551.1

Iuſtitium mundi, apud Tertullianum quid? 551.2

Iuſtitium pro ipſo luctu publico. ibid.

Iuſtitium indictum voce præconis. ibid.

L

Lacerna.

LAcerna in quem vſum excogitata. 458.2

Læna.

Læna quorum propria. 396.1

Lætari.

Lætari an liceat in aliorum infortunio. 173.2

Lætitia.

Lætis omnibus cur albus color deputatus. 339.2

Lamentatio.

Lamentatio ſolemnis ad defuncti corpus expoſitum. 475.1

Lamentationes ſuper mortuum à quibus editæ apud Hebræos. 477.2

Lamentationes cum cantu ad tibiam. 479.1

Qui certa ratione lamentarentur in funere pretio conducti. 479.2

Feminæ lamentationis chorum ducentes vt ab Hebræis appellatæ. 480.2

Quomodo à Romanis. ibid.

Lamina.

Lamina aurea à ſummo ſacerdote geſtata qualis, & ad quid eſſet. 441.2

Quid in ea ſcriptum. ibid.

Lampades.

Lampades elato die in funeribus accendi ſolitæ. 475.1.& 490.1

Etiam apud Gentiles. ibid.

Lana.

Lanæ, in veſte nexili, quàm textili vſus antiquior. 313.1

Lana peregrina cur ſic dicta. 327.2

Lanæ textura quando cœperit apud Hebræos. 328.2

Lanæ an lini prior vſus in veſtibus. ibid.

Vter præſtantior. ibid.

Lapis.

Lapis in Eccleſia ſancti Sepulchri, in quo ſcriptum: *Hic eſt medium mundi.* 7.1

Lapides fundæ Dauid cur myſtici à Nanzianzeno dicti. 63.2

Laus.

Laudes mortui à quibus celebrari ſolitæ. 481.2

Solemnis laudatio primùm vt inſtituta. ibid.

Qui laudati. ibid.

In Chriſtiana Eccleſia funebrium laudationum vſus maximè receptus. 481.2

Laudationes iſtæ quo in loco habitæ. 482.2

A quibus. 483.2

Laudari non omnes paſſim in Romana Republica potuiſſe. 481.2

Cur ea in re tanta cautio. 482.2

Lazarus.

Lazari ſuſcitatio & Tabithæ, collata & explicata. 484.1

Lazari ſepulchrum euiuſmodi. 508.1

Lecythus.

Lecythus vas vnguentarium à Lenticula diſtinctum. 407.2

Lenticula.

Lenticula quid, & ad quid eſſet. 407.1

Libanus.

Libanus terræ promiſſionis terminus à Septentrione. 9.1

Libanus quotuplex. ibid.

Libanus qua ſui parte vocetur Antilibanus, & cur? ibid.

Ligurius.

Ligurius quæ gemma. 438.1

Linea ſtricta, Vide. *Subucula.*

Lingua.

Linguæ improbitas, & vulnera grauiora, quàm gladij. 130.2

Lingua in flagitioſo facinore plus operatur quàm dextra. 131.1

Lollia Paulina.

Lolliæ Paulinæ ornatus integro auri millione æſtimatus. 416.2

Lorica.

Loricæ proprium munus. 49.2

Luctus.

Cur qui in luctu erant apud Hebræos, in ſordibus eſſe dicerentur. 535.2

Luctus in morte carorum duplex. 476.1

Luctus ſolemnis argumenta quæ eſſent apud Iudæos. 523.2

Quo tempore legitimè abſolueretur. ibid.

Quando clauderetur apud Romanos. 524.1

Quare luctus legitimus & ſolemnis, & à quibus inductus. 529.1

Qui à legitimo & ſolemni luctu prohiberentur. 532.2

Qui lugerentur in priuato luctu, & variæ differentiæ lugentium. 534.1

In quo alio ſuorum tempore, præterquam in morte, lugubris habitus ab antiquis aſſumeretur. 535.2

An honeſtum ſit in ſuorum morte vel alia calamitate lugere. 536.1

De ritibus in veſtitu lugubri ſeruatis; qualis is, primùm de veſtium ſciſſione, & geſtatione ſciſſarum. 539.1

Indumenta lugubria quali colore. 541.1

Quali cultu corporis eſſent qui lugebant? 542.1

De varia corporis afflictatione, quæ in luctu à veteribus aſſumebatur. 544.2

Quandiu luctus duraret, & quibus de cauſis ante conſuetum tempus finiretur. 546.2

De luctu publico, & primò quis ille, & quorum; quomodo, & quibus de cauſis aſſumeretur. 547.2

Qui maximè ritus in luctu publico ſeruarentur. 549.1.

De ſacro luctu apud Hebræos, & ritibus in illo ſeruatis. 551.2

De luctu Regum & virorum Principum. 555.1

Ludus.

Ludi ad ſepulchra non ſolùm ab aliis, ſed & à Iudæis ipſis vſurpati. 517.2

Sopran. in Dauid.

Qui illi eſſent. ibid.

Lumbare.

Lumbare quid propriè diceretur. 373.2
Quorum eſſet. ibid.
Quis eius vſus. ibid.

Lunula.

Lunulæ quod ornamenti genus. 421.2
Quomodo effigiatæ. ibid.

M

Magiſtratus.

MAgiſtratuum habitus qualis. 446.2

Magnus.

Magni pro diuitibus in ſacris literis. 155.2

Mamillare.

Mamillare quid. 422.1
Vnde tantopere à virginibus requiſitum. ibid.

Manica.

Manica quale veſtimenti genus. 374.1
Manica quid in iure ciuili. ibid.

Mantellum, Vide *Pallium.*

Manualia.

Manualia quid eſſent,& cur ſic dicta. 363.2

Manus.

Manus appellatio pro cura,regimine,& cuſtodia. 55.1

Mare.

Mare magnum ceu mediterraneum terræ promiſſæ terminus ab Occidente. 10.1
Magni cognomentum vnde illi inditum. ibid.
Mare, pro omni ferè aquarum aggeſtione apud Hebræos. ibid.

B. Maria.

Beatiſſima Virgo peritiſſima in veſtibus texendis & acu elaborandis. 329.2

Matrona.

Matronalis habitus & meretricij diſcrimen apud Romanos. 399.1
An aliquod etiam veſtis diſcrimen apud Hebræos, matronas, meretriceſque diſtingueret. 400.2

Mauorte.

Mauorte, vel Maforte amictus Monachorum proprius. 396.2

Mauſoleus.

Mauſoli ſepulchrum inter ſeptem orbis miracula connumeratum. 513.2

Mel.

Melle cur cadauera a Babyloniis illini ſolita. 469.2

Melota.

Melota quid ſit. 313.2
Eius vſus. ibid.

Mendacium.

Mendacium Doëg quàm fuerit pernicioſum. 110.2
Mendacium officioſum non eſt ſine culpa. 108.2

Meretrix.

Meretrices quo cultu & habitu diſtinguerentur à Matronis apud Romanos & alios. 399.1
An etiam & quomodo diſtinguerentur apud Hebræos. 400.2

Metaxa.

Metaxa quid ſit. 320.1
Vt à ſerico differat. ibid.

Michol.

Michol cur potiùs præuiderit periculum Dauidis quàm ipſe. 101.2
Michol in Deum minus piam fuiſſe, quibus argumentis probetur. 275.1

Milites.

Milites cur de veſtimentis Chriſti adeo ſolliciti. 330.1

Miſericordia.

Miſericordiam *facere, retribuere*, phraſis in Scriptura frequens,quid ſignificet. 232.2

Mitra.

Mitra proprium feminarum ornamentum. 395.2
Mitræ vſus. ibid.
Qua forma. ibid.
Ex qua materia. ibid.
Mitra Sacerdotalis in veteri teſtamento ex qua materia. 435.2
Qua forma. ibid.
Mitra quarum feminarum maximè propria, vetularum,an iuniorum. 422.1

Moabita.

Moabitæ quomodo terræ coæquati. 292.1

Mons.

Montes olim ſepulturæ clarorum virorum delectos,& cur? 515.2.& 516.1
ex Montibus Pyramidum forma deſumpta. 515.1

Monile.

Monilium vſus,pretium,& artificium. 422.2

Monocromus.

Monocromus vel monogrammus qualis ornatus in veſtibus. 353.1
Vt à Polymiro diſtinctus. ibid.

Mors, Mortui.

In vmbra mortis ambulare, pro, grauiſſimè de vita periclitari. 107.1
Morte an liceat quemquam mulctare ob id ſolum,quod vltrò de ſe fatetur. 221.1
Mori in Domino quid. 462.2
Quid mori in oſculo Domini. ibid.
Morientibus oculi à quibus clauderentur. 462.2
Cur propinquiores quique eo munere functi. 463.2
Chriſtiani Patres quid in ea conſuetudine ſpectauerint. ibid.
Quomodo lege 12.tabularum prohiberentur filij id præſtare parentibus. 464.1
Mortui prima conclamatio à præſentibus & abſentibus vſurpata. ibid.
Ad quid ea;& quibus verbis fieret. 464.2
Defuncti ablutio. Vide *Ablutio*, *Cadauer*, *Vnctura.*
Super Mortuum flere quid propriè in ſacris literis. 476.1
Mortui vnctura, Vide *Vnguentum.*

Mulier.

Quæ iſtæ mulieres à quibus Dauid & victor exercitus exceptus? 80.1
Vnde egreſſæ. 81.1
Quid cecinerint,& quæ muſica inſtrumenta pulſauerint. ibid.

Multilicia.

Multilicia quid, quando, & à quibus primùm. 341.1

Mundus.

Mundi medium vbi ſit? 7.1

Mundus muliebris.

Mundus muliebris vnde dictus. 404.2

Qualis

Digitized by Google

Qualis is, & quàm varia contineret. ibid. & 405.1
Cur à Iuriſconſultis tam ſubtiliter ab ornatu muliebri diſtinctus. ibid.
Mundus & cultus in veſtibus: odoratæ, catalyſtæ, creatæ, pexæ quales. 409.1
Mundus in veſtibus à contabulatione. 410.2

Murenula.

Murenula vnde dicta. 423.1
Qua forma & materia texeretur. ibid.

Murex.

Murex an verè purpura. 341.2
Cur purpura computetur. ibid.

Myrrha.

Myrrha condiendis cadaueribus præ cæteris aromatibus adhibita. 468.2

N

Nabal.

NAbal an peccauerit cùm Dauidis poſtulata reiecit. 161.2
In quo peccatum Nabal ſitum fuerit. 162.1
Vocabulum Nabal à ſtultitia deduci. 164.2
Nabalis auaritia. 171.2
Nabal ex quo morbo interierit. 172.2

Nænia.

Nænia quid apud Romanos diceretur. 478.1
Næniæ cum cantu ad tibiam. 479.2
Næniæ cur pro nugis poſitæ. 479.1

Nero.

Nero vt matricidij ſcelus excuſarit. 130.1

Niger.

Nigri coloris differentiæ. 331.2
Niger color in ſacris literis in quibus & qualia commendatus. 332.1
Ater, cur à Romanis vocetur. ibid.
Cur triſtibus deputatus. 340.1

Nobilis.

Nobilium habitus qualis. 446.2

Nomen.

Nomine proprio aliquem compellari à Superiore eſt ſignum beneuolentiæ. 113.1

Nubere.

Nubere coniugi quanto tempore à morte coniugis liceret apud Romanos. 524.1

Nudipedalia.

Nudipedalia quid, & propter quid vſurpata apud Ethnicos. 380.1
Vide, *Pes.*

Nuditas.

An aliquando veteres nudi agerent in communi vſu. 376.1
Vide, *Caput, Pes.*

Nuncius.

Nuncij antiquitus veſtes in aduerſis lacerabant; in proſperis lauto redimiebantur. 218.2

Nupta.

Nuptarum habitus proprius. 402.1

O

Oculi.

QVid ſit non rectis oculis aliquem aſpicere. 82.2
Sopran. in Dauid.

An ipſi oculorum orbes ſtibio fucarentur. 405.2
Oculorum amplitudo & nigredo inter ſupremas laudes habita. 406.1

Odor.

Odor gratus in veſtibus quomodo aſpergeretur. 409.2
An hic vſus antiquis ſine nota fuerit. 410.1
Qualis admiſſus, & cum laude permiſſus. ibid.
Vide, *Vnguentum.*
Odores incenſi in funeribus. 475.1

Olfactoriola.

Olfactoriola cur domus animæ dicta. 409.2
Olfactoriola quam ſpeciem referrent. 423.1
Quomodo geſtarentur. ibid.

Onyx.

Onyx multiplex, & quæ præſtantior. 438.2

Orarium.

Orarium quid, & quotuplex. 363.1
Vnde ſic appellatum. ibid.
Orarij vſus. 363.2
Orarij & ſudarij diſcrimen. 363.1
Orarium Præficæ quale, & ad quid eſſet. 489.2

Oratio.

Oratio Dauidis quid contineat. 185.1
Quo ſitu, & habitu corporis Dauid orauerit. 184.2

Orientales.

Orientalium conſuetudo non ſalutandi Reges ſine munere. 46.2

Ornamentum.

Ornamentorum ſtudium in feminis quàm ardens. 415.2
Ornamenta à feminis quanto diſpendio parata. 416.2
An & quatenus viris & feminis in cultu corporis ornamenta permiſſa ſint. 423.2. & 430.1

Ornatus.

Ornatus qui punctim in pictis veſtibus acu fiebat, qualis, & quotuplex, & quatenus in vſu apud Hebræos. 350.2
Ornatus textilis quotuplex, & in quo vſu apud Hebræos. 353.1
Ornatûs veſtium qui per aſſumenta fiebat, quot ſpecies. 355.2
Ornatus ſcutulatarum veſtium qualis. 357.2
Ornatus femineus vt à mundo muliebri diſtinctus. 404.2
Quid in eo contineretur. 412.1
Ornatus feminei varia inſtrumenta. 415.2

Oſculum.

Oſcula morientibus data à quibus & ad quid. 461.1
Per ea ſpiritus colligi, tradi, excipi ſuperſtitioſè exiſtimatus. 461.2
Mori in oſculo Domini quid. 462.2

Oza.

Oza in quo peccauerit, & quæ eius temeritas. 269.2

P

Palla.

PAlla feminarum amictus. 396.1
Eius vſus. ibid.

Pallium.

Pallium vnde dictum. 367.1
Quotuplex apud Hebræos, & alios. 367.2

Index rerum notabilium.

Quod veſtis genus. 368.2
Qua forma. ibid.
Vt à toga diſtinctum. ibid.
Quorum proprium. 368.2
Ex qua materia. 369.2
Quo textu. ibid.
Quo colore. ibid.
Pallium femineum vt à virili diſtinctum apud Hebræos. 395.5

Paludamentum.

Paludamentum quando à Principibus vſurpatum. 449.2
Vt à trabea diſtinctum. ibid.

Panis.

Panis vocabulo omnis cibus intelligitur apud Hebræos. 112.2
Panis doloris apud Hebræos eius ex lente. 522.1

Parentalia.

Parentalia quid, & vnde dicta. 522.2

Pax.

Pacis nomine apud Hebræos quid ſignificetur. 33.2

Peccator.

Peccatores armis ſuis deiiciuntur. 71.1

Peccatum.

Peccati magnitudo longè meliùs agnoſcitur cùm iam factum perpenditur quàm priuſquàm fiat. 306.1

Pecten.

Pecten ex qua materia apud antiquos. 414.1

Pecunia.

Pecunia antiquitus in zonis geſtari ſolita. 394.5
Loculi Iudæ, quid eſſent. 393.1

Pedulis.

Pedulis quid, & ex qua materia. 386.5
In communi vſu apud veteres. 386.2

Pelles.

Pelles & illarum vſus in veſtibus apud Hebræos. 313.1
Pelles an ad parietes ornandos vſum aliquem haberent. 314.5
Pellium vſus in tentoriis & tabernaculis. 314.2
Pellium vſus in ſupellectili ſeruanda & aſportanda. ibid.
Pellium vſus apud alias gentes. 315.2
Ex quo genere feratum haberentur. ibid.

Penula.

Penula quid ſit. 458.5
Penulæ vſus. ibid.

Peplum.

Peplum ſpecies pallij feminei. 396.2

Pera.

Pera quid: & eius vſus. 64.1

Percutere.

Percutere idem quod reprehendere, in Scriptura. 146.2

Periſcelides.

Periſcelides inſigne crurum ornamentum. 423.5

Perones.

Perones ex qua materia. 382.1
Peronibus qui vterentur apud Romanos. ibid.
Qui apud alios. ibid.

Perſecutio.

Perſecutiones improborum Iuſtis proſunt. 91.1

Pes.

Pedibus nudis an veteres inceſſerint. 377.2
Pedum varia integumenta. 378.1
Quæ pedum nuditas apud antiquos, & à quibus vſurpata. 380.1
Pedum nuditas cuius rei ſymbolum. 379. 1. & 2
Captiui cur nudis pedibus cogerentur incedere. 379.2
Priſci Romani cur ſponte nudis pedibus incederent. ibid.
Cur plerique Imperatores excalceati fuiſſe leguntur. ibid.
Quot operimentis pedum eodem tempore veteres vterentur. 386.1

Pharan.

Pharan deſerti deſcriptio. 555.5

Phariſæi.

Phariſæi vt Phylacteria dilatarent. 365.1
Phariſæi quare à Chriſto ſepulchris comparati. 510.2

Pheleti.

Pheleti vnde ſic nominati. 299.1
Quod eorum munus. 298.1

Pherezæi.

Pherezæi cur inter poſteros Chanaam non numerentur. 17.1
Quas ſedes in terra Chananitide incolerent. ibid.
Cui Iſraëliticæ Tribui ceſſerit illorum poſſeſſio. ibid.
A quibus debellati, & expulſi. 57.2

Philiſtiim.

Philiſtiim cur inter alios Chananæorum populos non numerentur. 18.1
Quænam terra illorum propria: & qui eſſent. 18.2
Quæ tribus in eorum poſſeſſionem ſucceſſerit. 19.5

Philoſophi.

Philoſophi cur palliati dicti. 373.5

Phrygia.

Phrygium opus quale. 351.2
Vt differat a Babylonico. ibid.
Quæ res in ſacris literis dicantur Phrygio opere elaboratæ. 351.2
Quomodo fierent. 352.1

Phylacteria.

Phylacteria quid. 362.1
Phariſæi cur Phylacteria dilataſſe dicantur. ibid.

Pigmenta.

Pigmenta, pars mundi muliebris. 405.2
Quàm varia. ibid.

Pili.

Pili ex quibus animalibus, in quo vſu apud Hebræos, & quæ veſtes inde confectæ. 316.1

Pixides.

Pixides vnguentariæ quàm variæ. 407.1

Planctus.

Planctus quid propriè. 477.5

Plumarius.

Plumarij & polymitarij differentia. 318.1
Quodnam eſſet vtriuſque opus. ibid.

Pluma.

Plumæ in re veſtiaria quem vſum habuerint apud antiquos. 318.1

Polenta.

Index rerum notabilium.

Polenta.

Polenta qualis cibus, & quomodo præparatos. 52.2

Polentâ qui præſertim vterentur. ibid.

Polymita.

Polymita qoid, quando, & à quibus primùm. 340.2

Polymitarius.

Polymitarij opus quale. 318.1

Polymitus ornatus qualis. 353.1

In quo à mooogrammo diſtinctus. ibid.

Populus.

Populus quid ſit. 23.2

Quot homines requirantur ad popolum conſtituendum. 24.1

Quales eſſe debeant. 24.2

Popolus vt ab aliis hominum cœtibus diſtinguatur. 23.2

Populi ſtatus duplex. 25.1

Porta.

Portarum luctos, deſolatio, & ſolitodo, quid in ſacris literis. 551.1

Præfica.

Præficæ quænam eſſent apud Romanos. 480.2

Quomodo ab Hebræis appellatæ. ibid.

Præfica cum larua & tibiis in funeris pompa. 489.2

Præmium.

Quale præmiom propoſuerit Dauid in expugnatione arcis Sion. 259.2

Quàm multiplici conditione propoſitum. 260.1

Quis præmium hoc conſequutus. ibid

Præputium.

Præputia Philiſtiorum cur potius Saul poſtulauerit, quàm aliam corporis partem. 93.1

Prætexta.

Prætexta quale genos veſtis, & quotuplex. 349.2

Prætextæ veſtes vnde ſic dictæ. 356.2

Earum textura. ibid.

Quorum propriæ. ibid.

Princeps.

Principum gratiæ quàm parum fidendum. 74.1

Prophetare.

Prophetare, pro *deſipere*, in ſacris literis. 85.2

Prophetare idem in Scriptura quod Diuinas laudes canere. 104.2

Proſelyti.

Proſelyti qui dicerentur. 22.1

Proſperitas.

Proſperitas humanarum rerum inſtabilis. 216.1

Proſpera cur liceat eoulgare. 225.2

Pſalmus.

Pſalmus 7. totus eſt de victoria Dauidis in morte Goliæ. 71.1

Pudicitia.

Pudicitiæ & pulchritodinis diſcordia vnde naſcatur. 136.1

Pugna.

Pugna ab Abner propoſita cur ludus appelletur. 237.1

Pulchritudo.

Pulchritudinis comites, ſuperbia & impudicitia. 155.2

Pulchritudinem non eſſe naturaliter incitatricem libidinis. 431.2

Vide, *Facus.*

Sopran. in Dauid.

Purpura.

Purpura quid ſit. 341.1

Qualis color. 34 .2

A coccino & aliis rubris quomodo diſtincta. 341.1

Quarum veſtium, & à quibus geſtari ſolita. 343.1

In quanto pretio. 344.1

Purpura variis nominibus appellata. 341.2

Purpurei nomen pulchris omnibus attributum apud veteres. 342.2

Purpuriſſus.

Purpuriſſus cur in fucis adhibitus. 406.2

Purpura cuius rei ſymbolum. 345.1. & 346.1

Pyramis.

Pyramidum forma vnde deſumpta. 515.2

Pyramidum vſus in ſepulchris antiquiſſimus. 515.1

Pythoniſſa.

Pythoniſſæ quomodo pythonem haberent. 194.1

Qua ratione oracula funderent. ibid.

Pythoniſſa an propriè fuerit quæ ſuſcitauit Samuelem. ibid.

Ex earum genere fuiſſe quæ Necromantiæ dicebantur. 195.1

Vnde Samuele conſpecto cognouerit eum qui ſe rogauerat eſſe Saulem. ibid.

R

Rationale.

Rationale cur ſic dictum. 437.1

Cur Rationale iudicij. ibid.

Quomodo ſuperhumerali inſereretur. ibid.

Duplex Rationalis ornamentum. 437.2

Lapides Rationalis. ibid.

Quid eſſet doctrina & veritas in Rationali. 440.2

Quis vſus Rationalis. 441.1

Nomina Patriarcharum quomodo eſſent lapidibus Rationalis inſculpta. 439.2

Regnum.

Regnorum maiora præſidia ſunt multitudo filiorum. 241.2

Rex.

Regum priſcorum conſuetudo, ſpiculum aliquod manu geſtare. 85.1

Regum veſtes ex qua materia. 448.1

Regum inſignia, præſertim Orientalium. 450.1

Varia Regum inſignia quæ diſtinctiùs in ſacris literis deſcribuntur ex aliis auctoribus illuſtrata. 451.1

Regum in creatione quis olim ritus, vnde profectus. 454.2. & 455.1

Quando in Romana Republica cœperit. 455.1

Quid in eo ritu ſeruatum. 455.2

Cur ritus hic aſſumptus, & ad quid ſignandum. ibid.

Requirere.

Requirere, pro *punire*, in Scriptura. 110.2

Reſpublica.

Reſpublica Iudæorum cuius formæ ſub Ducibus & Iudicibus. 27.1

Sub Regibus. ibid.

In captiuitate. ibid.

Index rerum notabilium.

Reticulum.
Reticulum quæ ornamenti ſpecies. 395.2
Rica.
Rica ornamentum fœmineum,quale. 395.1
Romani.
Romani mortui olim in toga expoſiti. 472.1
Romani quo tempore defunctos efferrent.487.2
Ruber.
Rubri coloris differentiæ. 331.2
Rubicundus.
Rubicundus color an ebori conueniat. 349.1

S

Saccus.
SAcci vocabulum commune apud omnes gentes,& quid in eo myſterij lateat. 316.2
Saccum & cilicium per eodem vſurpati. ibid.
Vide, *Cilicium.*
Sacerdos.
Sacerdotum caſtitas per quæ ſymbola in veteri teſtamento deſignata. 444.1
Quàm debeat eſſe abſque ruga. 444.2
Quæ ſint aliæ virtutes Sacerdotum propriæ, & quomodo in veſtibus ſacris myſticè deſignatæ. 445.1
Sacrificium.
Sacrificia ad ſepulchra non ſolùm ab aliis ſed & à Iudæis ipſis vſurpata. 517.2
Saium.
Saium quibus in vſu apud veteres. 404.1
Sal.
Salis vſus an apud Chriſtianos in conditura cadaueris. 468.2
Salutare.
Vnde ortum vt qui ſe inuicem ſalutant, alter alteri caput aperiant. 361.1
Vnde, vt ſe ſeruos alter alterius profiteantur. ibid.
Samuel.
An verus Samuel à pythoniſſa fuerit excitatus, & Saulem præſens præſentem ſit alloquutus. 199.1
An Samuel à pythoniſſa virtute magici carminis fuerit euocatus, aut euocari potuerit. 200.2
Quomodo & in quo corpore, & cuius virtute formato Samuel apparuerit. 201.1.& 2
Sandalia.
Sandalia quale calceamenti genus. 385.2
Quorum propria. ibid.
In quo à caligis differrent. 385.2
Sarcophagus.
Sarcophagus quid,& vnde dictus. 518.1
Sardius.
Sardius cuius ſit coloris. 437.2
Sapphyrus,
Sapphyri qualis color. 345.2
Cuius rei ſymbolum. ibid.
Sapphyri præcipua laus in quo ſita. ibid.
Satrapa.
Satrapæ idem quod Reguli. 203.1
Saul.
Saul an à malo Dæmone obſeſſus. 42.2
An poſt Dauidem inunctum, Sauli adhuc regia dignitas integra permanſerit. ibid.
Saul quomodo ignorare potuerit cuius ſtirpis Dauid eſſet. 73.1
Sub qua conditione Saul, filiæ nuptias Dauidi ſpoponderit. 88.1
Quo prætexto ab illa diſceſſerit. 88.2
Saul an verè placatus voce Ionathæ, an ſimulatè tantùm. 99.2
Saul quantùm arte ſimulandi & diſſimulandi polleret. ibid.
Saul quantis laboribus & difficultatibus Dauidem perſecutus. 143.2
Quid ex Saulis veſtibus Dauid præciderit. 145.2
Saul quomodo nihil eorum perceperit quæ in ſpelunca fiebant. 146.1
Vnde cognouerit Saul Dauidem regnaturum. 153.2
Saul an peccauerit Pythoniſſam conſulens. 193.2
Supremum Saulis bellum aduerſus Philiſtæos in quo ipſe cæſus. 197.1
Quomodo Saul qui à Samuele reſponſum mortis acceperat fuerit auſus adhuc cum Paleſtinis confligere. 213.1
Sceptrum.
Sceptrum Regiæ poteſtatis inſigne. 450.2
Ex qua materia. ibid.
Scriptura.
Scriptura ſacra quandoque citat, quæ nuſquam alibi leguntur. 145.1
Qualem fidem mereantur quæ obliquè in Scriptura recitantur. 247.1
Scutulata.
Scutulata,quod genus veſtium. 357.2
Quo maximè operis artificio confecta. ibid.
Scyta.
Scytæ in funere ſuorum Regum quid facerent. 541.2
Scyphus.
Scyphus aquæ ad caput lectuli Saul, quid: & in quem vſum paratus. 179.1
Ad quid à Dauide ablatus. ibid.
Semel.
Semel facere,pro *perfectè facere.* 179.2
Semicinctium.
Semicinctium quid,& vnde dictum. 363.2
Semicinctij vſus. ibid.
Senator.
Senatores cur Lunam geſtare in calceis dicti. 382.1
Sepulchrum,Sepultura.
Loca ſepeliendis hominibus olim deſtinata, maximè extra vrbes. 500.2
Quatuor eius conſuetudinis cauſæ. 501.2
Apud Iudæos & alios num aliqui in vrbibus ſepulti. 502.1
Quinam iſti. ibid.
Sepulchra in domibus tam vrbanis quàm ruſticis olim inſtituta. 502.2
Pyramidum vſus in Sepulchris antiquiſſimus, vnde deductus. 515.1
Columnarum vſus in Sepulchris quàm frequens. 515.2
Montes olim Sepulturæ clarorum virorum delectos,& cur. 516.2
Quæ loca extra vrbes ſepulchris attributa. 503.1
Sepulchra quæ in viis, & quæ ad vias. ibid.
Eorum etymon,elogia,inſcriptiones, tituli apud Iudæos. 505.2
Sepulchrale ſolum,& ſepulchra ipſa cuius iuris eſſent. 505.1
Sepulchra

Index rerum notabilium.

Sepulchra ſacta omnia fuiſſe & apud omnes. 506.1
Actiones de ſepulchris ad ſacros homines pertinuiſſe. ibid.
Sepulchrorum religio quæ & quibus modis violaretur. ibid.
Sepulchrum & area ſepulchri quando iam ſacra effecta cenſerentur. 507.2
Sepulchrorum forma multiplex. ibid.
Sepulchrorum forma apud Hebræos & alios antiquiſſima & ſimpliciſſima quæ. ibid.
Longa antiquius terra condere. 508.2
Ab hac ſepeliendi ratione plurimæ loquendi formæ ortum habuere. 509.1
Sepulchra Regum & Principum virorum magnificentiſſimè apud Iudæos extructa. 510.1
In iis inſanæ profuſiones. ibid.
Apud Athenienſes legibus temperatæ. ibid.
Sepulchra patentia, dealbata, incruſtata, quæ. ibid.
Sepulchralium molium apud Iudæos immenſa prorſus altitudo, & magnitudo. 510.1
Sepulchri Dauidis & aliorum concamerata ſtructura plures in partes tributa. 511.2
In Sepulchris quid ſit Hypogæum, veſtibulum, conditorium. 512.1.2
Longitudo & latitudo in ſepulchris quid, & vnde deſumpta. 513.1
Sepulchralium ornamentorum ſplendor & varietas quanta apud Hebræos. 513.2
In quo ſita. ibid.
Cur in Machabæorum ſepulchris vera arma appenſa. 516.2
Cadauera in ſepulchris quàm variè collocata. 517.1
Theſauri in ſepulchris reconditi. 518.1
Sepulchra ſolemni more frequentari, adiri, ornari ſolita. 528.1
Flores ſuper illa ſparſi cuius rei Symbolum. ibid.
Odoramentis quoque perfuſa apud Chriſtianos. 528.2
Ludi & ſacrificia ad ſepulchra non ſolum ab aliis, ſed & à Iudæis ipſis vſurpata. 527.2
Qui illi eſſent. ibid.

Seres.

Seres, Indiæ populi, à quibus Serici nomen deſumptum. 319.2

Sericum.

Serici in veſtibus vſus apud Hebræos. 318.2
Noſtrum Sericum an idem quod antiquorum. 319.2
Sericum vnde dictum. 320.1
Quid illud eſſe putarent Romani veteres. ibid.
Quo artificio elaboratum. ibid.
Sericum noſtrum quale ſit, eius origo, & progreſſus. 320.2
Ab antiquorum Serico non differre. 321.1
Vnde factum vt tamdiu vera Serici lateret origo apud Romanos. 321.2
Quando reperta. ibid.
Sericum apud Romanos triplicis generis. 320.1
Artificium veterum in Serico texendo. 322.2

Sermo.

Sermo prodit animi mores, & indolem. 75.2

Seruus.

Seruorum veſtis qualis eſſe debeat. 447.1

An apud Hebræos & Romanos à veſtitu nobilium diſtincta. ibid.

Sideratio.

Sideratio qualis morbus, & cur ſic dictus. 173.1

Sindon.

Sindon quid Latinis, & quod veſtis genus. 370.1
Quid Græcis & Hebræis. 370.2
Ex qua materia. ibid.
An inter ſtragula tantùm, an etiam inter pallia computanda. 370.1
Sindon ab Endromide quid differret. 370.2
Sindon ependiti reſpondens, quid. 371.1
Quis fuerit Adoleſcens amictus Sindone ſuper nudum. 371.1
Sindones in amictu ſepulchrali quales & ad quid eſſent. 484.1

Smaragdus.

Smaragdi color quàm iucundus. 438.1

Soccus.

Soccus quale calceamenti genus. 380.2
Quorum proprius. ibid.
Qua forma. ibid.
Soccorum Etymologia ex D. Iſidoro. ibid.

Societas.

Societas quid? 43.1
In omni ſocietate tria ſpectanda. ibid.

Sparum.

Sparum quale genus armorum. 63.2

Spatalium.

Spatalium manus ornamentum exquiſiti cultus. 423.2

Speculum.

Speculum Hebræis fœminis vſitatiſſimum. 407.2
Ex qua materia eſſent ſpecula Hebræorum. 408.1
Speculi vſus viris an damnandus. 408.2

Spelunca.

Speluncæ olim apud Iudæos in ſepulchra ſelectæ. 507.2
Qua forma eſſent iſtæ ſpeluncæ. ibid.
Quandiu ſpeluncarum vſus apud Iudæos ſeruatus. ibid.

Spolia.

Spolia inimicorum in templis appendi ſolita. 216.1

Sponſalia.

Sponſalia quid ſint? 92.2

Subucula.

Subucula quomodo, & an ab induſio differret. 373.1
Quorum propria. ibid.
Vnde dicta. ibid.
Subucula in ſacris veſtibus ex qua materia. 434.1
Qua forma. ibid.
Eiuſdem vſus. 434.2

Succinctorium.

Succinctorium quale veſtis genus. 313.2

Sudarium.

Sudarium num inter capitis operimenta apud Hebræos. 362.2
Quid ſit propriè. ibid.
Ex qua materia. 363.1
Sudarij multiplex vſus apud antiquos. ibid.
Sudarium ad quid in amictu ſepulchrali. 485.2

Sudarij an apud gentiles & Romanos aliquis vſus. 485.2
Sunam.
Sunam ciuitas vbi ſita. 191.2
Superhumerale. Vide, *Ephod.*
Supparus.
Supparus vel ſupparum quid. 373.1
Quorum proprius. ibid.
Stare.
Stare in conſpectu Domini, pro, miniſtrare. 46.2
Statua.
Statua lectulo Dauidis à Michol impoſita, cuiuſmodi figmentum; & quorſum adornatum. 102.1
Stibium.
Stibium quid eſſet. 405.2
Quomodo & ad quid vſurparetur. ibid.
Stola.
Stola an ita mulierum propria vt illas à viris in cultu diſtingueret. 391.2
Qualis ea,& quàm multiplex, & ex qua materia conſtiet. 392.1
Stola barbarica ab Orientalibus Regibus vſurpata. 448.2
Syri.
Syrorum, in funere ſuorum luctus qualis. 545.2
Syria.
Syria duplex,vbi vtraque ſita. 293.2
Syrma.
Syrma quæ veſtis ſpecies & quorum propria. 396.1

T

Tabitha.

TAbithæ ſuſcitatio & Lazari inuicem collatæ. 484.2
Tænia.
Tæniarum vſus. 361.2
Etiam viri apud Iudæos tænils vſi. ibid.
Vnde ortus hic vſus in viris. 362.1
Tapetes.
Tapetes quinam maximè probati. 353.2
Eorum vſus. ibid.
Ægyptij tapetes,cur *belluati* dicti. ibid.
Tenebra.
In tenebris & in mœrore verſari cor pro eodem in ſacris literis. 523.1
Terra promiſſionis.
Terra Hebræorum propria quænam fuerit,& quàm variè appellata. 6.1
Num hæc terra in medio mundi ſita. 6.2
Terræ promiſſionis longitudo & latitudo. 8.2
Illius termini. ibid.
Terra promiſſa an tam anguſta fuerit vt vno proſpectu potuerit tota luſtrari. 10.1
Qualis hæc terra fuerit,& quantæ ſalubritatis,& vbertatis. 11.1
Qui populi hanc terram inſederint,antequam ab Hebræis occuparetur. 15.2
Quo iure illam Hebræi inuaſerint; & an iuſtè poſſederint. 10.2
Vide, *Hebræi,Iudæi.*
Theodoſius.
Theodoſius ſerici conchyliati vſum interdixit. 323.1
Theriſtrum.
Theriſtrum quod veſtis genus. 396.1
Theriſtri vſus & forma. ibid.
Theſaurus.
Theſauri olim in ſepulcbris recunditi. 518.2
Id vnde ortum. 518.2
Quandiu poſtea obtinuerit & apud quos. 519.1
Thorax.
Thorax quotuplex. 403.1
Quorum proprius. ibid.
Qualis veſtis antiquorum thorax. 403.2
Topazius.
Topazij præſtantia. 438.1
Torquatus.
Torquati certamen ſingulare aduerſus Gallum. 66.2
Torques.
Torques virtutis inſigne. 423.2
*Tiara,*Vide,*Mitra.*
Titulus.
Titulus quid ſit apud Hebræos. 514.2
Quis illius vſus & à quo tempore. ibid.
Quid contineret. ibid.
Trabea.
Trabea quæ veſtis. 449.1
Quorum propria. ibid.
Vt à chlamyde diſtincta. ibid.
Triſtitia.
Triſtitia,cur *Spiritus nequam* dicta. 43.1
Triſtibus cur niger color ſemper deputatus. 359.2
Tunica.
Tunica vnde dicta. 371.2
Quale genus veſtis. 371.2
Quotuplex. 372.2
Quorum propria. ibid.
Qua forma. ibid.
Quo opere. ibid.
Quo colore. ibid.
Qua materia. ibid.
Quot tunicis in communi vita Hebræi, & alij veſtirentur. ibid.
Tunica quorum, & à quibus vel ſola, vel cum aliis veſtimentis induerentur. 373.1
Tunica quali forma & quàm multiplici. 374.2
Tunicæ lati claui,ſeu clauatæ à quibus geſtarentur. 374.2
Tunicæ talares quorum propriæ. ibid.
Cur Euangeliſta tam diſtinctè commemoret Chriſti Domini tunicam inconſutam fuiſſe. 375.1
Quid ſit eam deſuper per totum fuiſſe contextam. ibid.
Quæ Chriſti tunica fuerit inconſutilis, interior, an exterior. 329.2
Tunics hyacinthina ſummi Pontificis apud Hebræos propria,ex qua materia. 435.2
In quo à linea ſtricta eſſet diſtincta. ibid.
Quo artificio & ornatu. ibid.
Qua textura. 436.1

V

Vas.

VAſa colligere,conclamare, conuaſare, quid? 54.2

Vaſorum nomine arma ſignificari in ſacris literis. ibid.
Vaſis nomine quandoque corpus ſignificari. 119.2

Vdones.

Vdones quid apud antiquos. 387.1
Quis eorum vſus. ibid.

Vela.

Vela iudiciaria, quæ. 354.2
Eorum vſus. ibid.
Vela domeſtica quid,& ad quid eſſent. 355.1
Vela theatralia. ibid.
Vela byſſina. ibid.
Vela cubicularia. 355.2
Vela Eccleſiaſtica,quæ,& cuius coloris. ibid.
Quis præcipuus eorum vſus. ibid.
Vela vt à tapetibus diſtincta. 354.2

Verecundia.

Verecundia cur ex fletu naſcatur. 549.2

Veritas.

Veritatem facere,quid ſit in Scripturis. 232.2

Vermiculus.

Vermiculus quid in ſacris literis. 317.1
An à cocco diſtinguatur. ibid.

Veſtibulum, Vide *Sepulchrum.*

Veſpera.

Veſpera luceſcens apud Matthæum, quid ſit. 333.2

Veſpillones.

Veſpillones vnde appellati. 488.1
Veſpillones in obſcuro & damnato funere. 494.1

Veſtis.

Veſtium materia vnde & quàm multiplex. 312.1
Quænam fuerit prima veſtium materia. 311.2
Veſtes quæ nexu ſiunt aptari tripliciter. 313.1
Veſtium textilium & pretioſarum varia materia. 318.2
Veſtes ex ſerico,quorum, quàm pretioſæ,& quomodo conficerentur. 322.1
Veſtes in luctu quomodo ſcinderentur, & qua ratione recepto more tam facile id fuerit Hebræis & aliis. 330.1
Veſtium varij colores. 330.2
Veſtes in communi vſu cuius coloris eſſent apud Hebræos. 334.1
Veſtis polymita qualis, & à quo primùm excogitata. 341.1
Veſtium varius ornatus apud Hebræos. 349.2
Veſtium variæ differentiæ. ibid.
Veſtes Babylonicæ & Phrygiæ vt inter ſe differant. 351.2
Veſtium ornatus qui punctim in pictis veſtibus acu fiebat,qualis. 350.2
Quotuplex. 351.2
Quatenus in vſu apud Hebræos. ibid.
Veſtes virgatæ, ſurculatæ, liliatæ, papaueratæ, palmatæ, floridæ, quæ & cur ſic dictæ. 352.1
Veſtium ornatus textilis quotuplex. 353.1
A quibus repertus. ibid.
Quis,in quo vſu,& in quo genere veſtium vſurpatus. 353.2
Veſtes prætextæ. 356.2
Veſtes ſegmentatæ. 357.1
Veſtes ſcutulatæ. 357.2
Promiſcuus vſus veſtis virilis & muliebris apud Hebræos, non ſolùm contra mores, ſed etiam contra legem. 388.1
An hoc præceptum ſit iuri naturalis, an tantùm Moſaici. ibid.
An ſemper & vbique ſeruandum. 388.2
Apud Romanos vſus promiſcuus qualiter damnatus. 389.1
Qui ſexum olim veſte mentiti ſunt. ibid.
Quâ maximè differentia veſtes viriles & muliebres diſtinguerentur. 390.1
Quæ propriæ mulierum veſtes apud Hebræos. 391.2 & 394.2
Veſtes virorum propriæ, quot, & quales eſſent. 402.1
Quot ſimul veſtibus eodem tempore veteres induerentur. 403.1
Veſtis virginum propria apud Hebræos. 396.2
Veſtis matronarum. 399.2
Veſtis meretricum. ibid.
Veſtis nuptiarum. 401.1
Veſtis viduarum. ibid
Veſtes odoratæ. 409.1
Veſtes cataclyſtæ. 411.1
Veſtes cretatæ. 410.2
Veſtes pexæ. 411.1
An & quatenus viris & fœminis in cultu corporis veſtium munditiès & ornamenta permiſſa ſint. 423.2
Veſtes ſacræ quales eſſent. 432.2 & 433.1
Ex qua materia. 431.2
Quò maximè artificio confectæ. ibid.
In quem vſum præſcriptæ. ibid.
Varia ſignificatio veſtium ſacrarum. 442.1
Cur in iis materia tam pretioſa,& tam multiplicis artificij quæſita. 443.2
Senſus tropologicus veſtium ſacrarum vt in vniuerſum ſpectantur. 443.1
Veſtium ſacrarum expoſitio vt ſeparatim ſpectantur. 443.2
Veſtis ſeruilis. 446.1
Veſtis Regum, & Principum apud Hebræos. 447.2
Veſtes variæ pro vario tempore, & pro diuerſitate locorum. 456.2
Veſtis viatoria, & inſtrumentum iter agentium. 457.1
Veſtes pluuiales & aliæ viatoriæ. 458.1
Veſtis domeſtica. 459.2
Veſtis forenſis. ibid.

Via, Viator.

Viæ publicæ cur ſepulchris attributæ. 503.1
Vnde illa ſepulchrorum formula viatores alloquendi ortum duxerit. 503.2

Victor.

Victores quo ritu à ſuis exciperentur. 80.1
Victoris exercitus ſpolia quædam, fœminis ad ornatum ſolita diſpartiri. 325.1

Vidua.

Viduarum habitus qualis. 401.1
In quo ab habitu nuptarum diſtinctus. ibid.

Vinculum.

Vinculorum cur tam frequens mentio vbi de calceamentis agitur. 384.2
Vincula mortis, & funes inferni, Dauidi quid. 485.1

Virgo.

Virginum habitus qualis apud Hebræos. 396.2
Hebræis cur idem *abſcondita*, quod *virgo.* 397.1
Etiam apud Romanos & Græcos virgines velatæ. ibid.

Vnde

Index rerum notabilium.

Vnde hic gentium conſenſus de virginibus velandis. 398.2

Viriæ.

Viriæ quid ſint. 423.1

Viridis.

Viridis coloris differentiæ. 332.1

Viſceratio.

Viſceratio quid. 526.2

Vitta.

Vitta quotuplex. 362.1

Vittarum vſus. 361.2

Vnctio.

Vnctio ſacra quibos adhiberi ſolita. 41.2

Vnguentum.

Vnguenta pars mundi muliebris. 406.2

Vnguentorum vſus in conuiuiis. ibid.

In veſtibus. ibid.

In cultu corporis. ibid.

Vnguentariæ pixides quàm variæ. 407.1

Quarum in ſacris literis fiat mentio. ibid.

Vnguentorum vſus antiquis an ſine nota fuerit. 410.1

Vide, *Odor.*

Vnctura feralis quibus exhibita. 466.2

Ex quo genere aromatum apud Ægyptios. 467.2

Odoramenta vngendo cadaueri quæ maximè adhibita apud Iudæos. 468.1

Apud quos ea maximè in vſu. 466.2

Quid in vnctura propriè ſpectatum. 467.2

Qui inungerent. 467.1

Serui Ioſeph qui Iacobum condiunt an veri Medici. ibid.

Vnctura Chriſti Domini quanti æſtimanda. 470.1

Vide, *Cadauer.*

Vociferatio.

Vociferatio ante certamen, ex conſuetudine Orientalium. 54.1

Vociferatio, pro ſonitu ſtrepituque tubarum. ibid.

Voluntas.

Voluntatem noſtram ſemper & vbique Diuinæ accommodare an opus ſit. 29.2

Vxor.

Vxores minùs in Deum piæ viros ſuos in corde deſpiciunt. 175.2

X

Xauerius.

XAuerij corpus quomodo miraculo ſeruatum, ſi caleis vſus incolumitatem impetir. 469.2

Z

Zepola.

ZEpola quale cibi genus. 276.1

Zona.

Zona an, & quomodo mulierum tantum propria apud Hebræos & Romanos. 393.1

Zona virilis vt à feminea diſtincta. ibid.

Zonæ vtriuſque vſus. ibid.

Cur Apoſtolis Chriſtus præceperit ne pecuniam haberent in zonis. 393.2

Zona cur in ſymbolum rei inſeparabiliter adhærentis à Dauide adducta. 394.1

Zona perfectiſſimæ iuſtitiæ in Chriſto iudice ſymbolum. ibid.

Ziph.

Ziph vrbs qualis & vbi ſita. 140.1

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA V. EMANUELE

Digitized by Google